image
not
available



ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI OCCIDENTALIUM MONACHORUM PATRIARCHÆ.

In quibus non modò res monasticæ, sed etiam ecclesiasticæ historiæ non minima pars continetur.

Auctore Domno JOHANNE MABILLON, presbytero & monacho ejusdem Ordinis è Congregatione S. Mauri.

TOMUS SECUNDUS,

Complectens res gestas ab anno Christi DCC I. ad annum DCCC XLIX. inclusive, cum Appendice, & Indicibus necessariis.






LUTECIÆ-PARISIORUM,
Sumtibus CAROLI ROBUSTEL, via Jacobea, ad insigne Arboris Palmæ.

M. DCCIV.

CUM PRIVILEGIO REGIS, ET SUPERIORUM FACULTATE.



IN TOMUM SECUNDUM

ANNALIUM BENEDICTINORUM

PRÆFATIO.



Ic fidem meam liberare propero, STUDIOSE LECTOR, qua edito Annalium nostrorum tomo primo, secundum brevi subsecuturum in me receperam. Eâdem, Deo favente, diligentiâ duo alii, qui jam typis parati sunt, quamprimum succedent. Ita saltem usque ad sæculum duodecimum producta erit nostra historia, quam persequor in dies, &, prout divina providentia statuet, quoad vita viresque suppetent, persequi non cessabo. Habes in hoc volumine res gestas a nostris per annos centum quadraginta-novem, ab anno scilicet Christi septingentesimo, in quo primum desinit, ad annum octingentesimum quadragesimum-nonum, quo secundum volumen concluditur.

I. Quinque in hoc tomo præ aliis notanda.

In hoc annorum decursu, cum multa ad memoriam insignia contigere, tum quinque præcipue majori observatione digna videntur: nimirum conversio Germanorum & septemtrionalium populorum ad christianam & catholicam fidem per nostros; itemque vitæ monasticæ propagatio in illas plagas: scholarum publicarum, cum iisdem in locis, tum in aliis, institutio, ex qua litterarum & sacræ doctrinæ traditio, quatenus illa tempora ferebant, ad posteros promanavit: instauratio sacri monasterii Casinensis per Petronacem abbatem, & Casinates monachos, qui post ejus eversionem, a Langobardis factam, Romæ in patriarchio Lateranensi consederant: prima nostri Ordinis monasteriorum ad primigenias leges reformatio: denique catholicorum dogmatum defensio a nostris suscepta & peracta.

II. Missionariorum nostrorum labores & fructus.

Ab insula Britannia initium cœpit Missionariorum nostrorum labor Augustino duce, quem cum sociis amplius triginta Gregorius Magnus ad imbuendos christianis mysteriis Anglos in illam insulam direxit. Ab his fundatæ ecclesiæ, eisque adjuncta monasteria, quæ nascentis

religionis seminaria & propugnacula essent. Tali exemplo incitati illius insulæ monachi, propagandæ in alias gentes religionis arduum opus aggressi sunt. Erat ad id usque tempus Germania fere omnis sacrorum nostrorum, & tantum-non humanitatis expers; gens ferox, & non modo armis, sed ratione vinci tum difficilis. Ad hæc vastæ & incultæ passim regiones, silvis & dumis obsitæ, in quibus ferarum more incolæ latibula habebant. Has gentes Christo subigendas sibi proposuere Anglicani e nostris evangelicæ veritatis præcones, quorum antesignani fuere viri sanctitate insignes, Kilianus, Swidbertus, Willibrordus, & Bonifacius, patrio nomine Winfridus, qui quod alii jam cœperant, cum sociis feliciter absolvit, & christianam fidem proprio sanguine obsignavit. Tunc vastæ illæ solitudines conversæ sunt in monachorum asceteria, quæ litterarum simul ac pietatis gymnasia exstitere. Hinc crudis illis & efferatis incolis instillata simul cum religione humanitas & quædam honestas morum, quæ illos ad condenda in vastis illis locis opida & templa adduxit. Testis in primis Bocaunia silva ingens, quæ, cum propemodum omnino inculta ac deserta esset, postmodum ab oriente usque ad occidentem, a septemtrione usque ad meridiem, ecclesiis Dei & electis palmitibus monachorum impleta est, ut Liudgerus scribit in libro de vita sancti Gregorii abbatis Trajectensis.

Subactis Christo Germanis, septemtrionales nihilominus populi in tenebris & in umbra mortis residebant. Saxones Carolus Magnus primum armis, dein prædicatione domare instituit, Willehado episcopo, aliisque usus ad tanti operis molem. Restabant Danorum & Suecorum regiones, sub innato gentilium superstitionum veterno adhuc rigentes, quæ, agente Ludovico Pio, per Anscharium nostrum, ejusque commilitones, utriusque Corbeiæ monachos, cum ingenti labore ad fidem adductæ sunt. Hæc fuse a me olim exposita in Præfatione prima ad Sæculum tertium Benedictinum, in hoc secundo Annalium nostrorum volumine pro nata occasione data opera enarrantur.

III. Casinensis monasterii instauratio.

Jam per annos fere centum & viginti jacebat sub disjectorum ædificiorum aggesta mole Casinense monasterium, instituti nostri caput, a Langobardis funditus eversum: cum Gregorius papa II. sacri illius loci solitudinem miseratus, eum per Petronacem nobilem Brixiensem instaurari curavit. Tunc reversi sunt ad pristina domicilia Casinates monachi, qui ad id tempus in patriarchio Lateranensi, post illam eversionem a Pelagio II. sibi ad habitandum concesso, substiterant. Ab his renovata in sacro monte prisca disciplina, a sancto Benedicto illic instituta, quam in Urbe, prout ferebat humana infirmitas, retinere & observare studuerant. Verum, Petronace duce & incentore, Casini recalescere cœpit primarius ille fervor, temporum lapsu nonnihil remissus. Unde non mirum, si Fuldenses, primigenium Ordinis nostri institutum & habitum in novo suo monasterio ad amussim instituere & observare cupientes, Sturmium ad Casinense, aliaque Italiæ lustranda monasteria miserint, ut ad eorum exemplum mores atque habitum conformarent. Eodem zelo animati Liudgerus, Willibaldus, aliique, diu in sacro illo

asceterio versati sunt, ut traditam a sancto Benedicto monasticæ vitæ normam ad suos referrent.

IV. Ordinis prima reformatio.

Hinc Carolus Magnus, inter varias rei publicæ curas, de reformandis Gallicanorum monachorum, quorum plerique multum ab instituto jam prolapsi erant, moribus perquam sollicitus, ex eodem fonte puriores monachorum ritus hauriendos putavit, scriptis ad Theodemarum Casinatem abbatem litteris, a quo sanctæ Regulæ exemplar, ad ejus autographum descriptum, panis & vini statutam a sancto Patre mensuram, formam vestium, aliasque consuetudines accepit.

Tanti Principis in pio illo reformandorum monachorum consilio adjutor, aut potius auctor fuit Benedictus Anianæ abbas, qui velut alterum nostri Ordinis post sanctum patrem Benedictum lumen & columen censendus est. Is non contentus in suo Anianensi Septimaniæ monasterio severiores vitæ monasticæ leges instituisse, ipse alienorum monachorum vitiis corrigendis animum adjecit, & opportuna statuta de moribus in synodo Aquisgranensi condi curavit. Hæc fuse in hoc secundo Annalium volumine persequemur: in quibus ad illa pro se quisque intendat animum, quibus gradibus ac vitiis paullatim labi ac deficere cœperit disciplina, quibusve remediis instaurata sit: ac demum quæ vita, quive mores fuerint eorum virorum, per quos purior illa nostri Ordinis institutio in pristinum decus refloruit. quæ omnia, jam alias [a] a me fuse disserta, hic legendo observari malim, quam a me ipso denuo notari: ne nostrorum temporum potius censor, quam veterum scriptor esse videar. Id tantum universim asserere licet, solitudinis & silentii studio, parsimoniæ & paupertatis amore, modestia in vestibus & ædificiis, obediendi & obsequendi alacritate, mutua in fratres & in exteros caritate, officiorum divinorum & orationum jugi observantia, simplicitate denique & humilitate christiana fundatum esse Benedictinum institutum: a quibus ubi discessum est, vitia omnia in monasteria immigrarunt, quæ nonnisi primigeniis illis virtutibus & institutis emendari atque resecari possunt. Sed quanta cum difficultate id fiat, frequenti experimento discimus. Unde terribile judicium eos manet, quorum culpa vel incuria ejusmodi morum prolapsiones in monasteria invectæ fuerint. quæ culpa non tantum rectores spectat, sed etiam privatos quosque monachos, qui violandæ regularis disciplinæ, malo suo exemplo, aliis auctores se fecerint.

[a] Præfat. in to. 3. Sæc. 4. Bened. sect. 6.

V. Monastici habitus forma.

Qualis fuerit per illa tempora nostrorum habitus, tum apud Casinates, tum apud Gallos & Germanos, etsi ad mores non omnino pertinet, haud tamen ab re est investigare. Casinatium formam habitus in primo Annalium [b] tomo exhibuimus, sed posteriorum temporum, id est sæculi undecimi. Propius ad prima illa tempora accedit vestium monasticarum descriptio, quam refert Theodemarus in epistola ad Carolum M. Earum formam imitati sunt Fuldenses, qui Sturmium abbatem in Italiam misere ad rimandos Casinatium, aliorumque ejusdem regionis monachorum ritus & habitus, quos æmulari cupiebant. Atqui Candidus, Fuldensis primorum illorum temporum monachus, Fuldensium priscum

[b] Annal. to. 1. p. 110. & 121.

illum habitum in quodam membraneo codice adumbravit ſub duplici forma : priori quidem in habitu ad laborem compoſito, ſcilicet cum toga & parva cuculla ſeu ſcapulari, ubi Candidus ipſe & Modeſtus diſſertantium inter ſe ritu componuntur : poſteriori vero cum habitu ſollemni ſeu chorali, cum ampla ſcilicet cuculla, quali induti repræſentantur Fuldenſes monachi, qui ad Ludovicum [a] Pium imperatorem impetrando novo poſt abjectum Ratgarium abbati deſtinati ſunt. Utriuſque habitum ex Brovveri antiquitatibus Fuldenſibus hic proferre juvat.

[a] V. hic lib. 28. n. 77.





Paullo diverſus, nec omnino uniformis erat Gallicanorum monachorum habitus. nam parva eorum cuculla, non conſuta ſub brachiis, ut Fuldenſium, ſed vittis ſubligata erat, qualem tomo 1. [b] exhibuimus ; & major cuculla abſque manicis, vittis ſimiliter redimita, uſque ad talos defluebat, ſaltem apud Faronianos noſtros, ut in Otgerii & Benedicti imaginibus hic expreſſis [c] obſervare licet. Non dubito quin idem quoque fuerit habitus aliorum Meldicenſis pagi monachorum, quod ex icone S. Agili Reſbacenſis abbatis intelligitur. Quod ſpectat ad Anglicanos monachos, eorum quidem habitus formam in Monaſtico Anglicano habe-

[b] Annal. to. 1. p. 348.

[c] hic p. 378.

mus, sed recentiorem. De Hispanicis illorum temporum nihildum comperti habemus. Ad colorem quod attinet, antiquitus albi coloris erat toga talaris; parva & ampla cuculla subnigri. Plura hoc de argumento in Præfatione ad Sæculum v. Benedictinum.

VI. Imaginum cultus a monachis asseritur.

Magna fuit per ea tempora de sacrarum Imaginum cultu apud Orientales disceptatio, quæ in apertam contra pios earum cultores persecutionem erupit. Hæc in primis afflavit monachos, doctrina & pietate insignes, Johannem Damascenum, Platonem, Theodorum Studitam, aliosque, qui exsilia, carceres, variaque tormentorum genera pro legitimo imaginum usu & cultu constantissime pertulerunt. Hæc controversia in has quoque Gallicanas partes promanavit, auctore in primis Claudio Taurinensi episcopo, qui sacrarum imaginum cultum impugnare & profligare adortus est. Verum christianissimorum regum, Pippini, Caroli Magni, & Ludovici Pii, qui orientalibus imperatoribus religiosiores & prudentiores erant, cura & studio in catholicam fidem effectum est, ut ne latius serperet hoc malum, sed ei quamprimum obviam iretur. Itaque calamo tantum & stilo in male sentientes actum est, viam ceteris aperiente Theodemiro abbate, tum Dungalo recluso, quibus Jonas Aurelianensis episcopus, & Walafridus Strabo Augiensis abbas accesserunt. Sic eorum opera & scriptis nascens error penitus repressus est.

VII. Eucharistiæ itidem fides.

Quid pro divinæ eucharistiæ catholica fide præstiterit Paschasius Radbertus, testis est insignis ejus liber de sanctissimo Sacramento, in quo primus inter veteres data opera ita hoc argumentum pertractavit, ut eum, velut apostolicæ traditionis hac in causa eximium interpretem, agnoscat catholica ecclesia. Non repeto hoc loco, quæ de eodem argumento fuse disserui in Præfatione secunda ad Sæculum iv. Benedictinum, in his Annalibus subinde commemoranda. Modestiam suam ubique in scriptis suis prodit Paschasius, qui passim se *monachorum omnium peripsema* vocat, Pauli scilicet apostoli exemplo; forte etiam Castoris Aptensis episcopi, qui se omnium *in mundo degentium peripsema* nuncupat in epistola ad Cassianum, qua eum ad scribendos libros de institutis monachorum orientalium induxit, ad informandum scilicet *rude*, ut ipse vocat, monasterium, quod *in quodam sui juris agello* sub sancti Faustini titulo exstruxerat. *Huic Maunacus nomen erat*, ut Johannes Guesnaïus censet[a], aliis *Mananca*, ut ex Aptensi Martyrologio me monuit nobilis & eruditus vir D. *De Remereville* a S. Quintino, Aptensis civis; qui hoc monasterium in pago Aptensi positum fuisse contendit, rectius quam Guesnaïus, qui illud locat prope Nemausum, unde sanctus Castor oriundus erat.

[a] *Cassian. illustr. p. 159.*

Præter Paschasii scripta, quæ a Sirmundo in unum corpus congesta sunt, scripsit idem auctor libros duos de gestis Walæ Corbeïensis abbatis, seu *Epitaphium*, ut ipse vocat, *Arsenii*, eum ad modum, quo Hieronymus *Paulæ epitaphium* inscribit epistolam seu libellum suum de vita sanctæ Paulæ Romanæ. In his vero duobus libris arcanam exauctorati Ludovici Pii historiam sub fictis nominibus describit Paschasius, cui hanc

lucubrationem in ipsius elogio contra Cointium alias asserui. quod hoc loco repetere supervacaneum foret.


VIII. Alia quoque dogmata.

Præter Paschasium doctrina in primis sæculo nono inter nostros excelluit Lupus Ferrariensis abbas, *Servatus* aliquando cognominatus: quo cognomine insignitur in veteri codice Corbeïensi, in quo liber ejus de Prædestinatione ad Carolum Calvum ita inscribitur: *Incipit Libellus Lupi Servati de Prædestinatione ad Carolum regem.* tametsi auctor ipse librum suum inscribit, *Domino glorioso regi Karolo fincere fidelis Lupus, Servati* cognomine omisso. Adeo ut falli eos constet, qui Lupum Ferrariensem distinguunt a Lupo-Servato, quem Moguntinum presbyterum fuisse perperam opinantur. At Sirmundus existimat, rectius dici *Servatum-Lupum*, quam *Lupum-Servatum*: ita ut *Servatus* sit Lupi prænomen, quod pro more illorum temporum nomini proprio præponi decet. Et, ne longius exempla petam, id patet in Paschasio Radberto mox laudato, cujus prænomen Paschasii proprio nomini præponi solet. Quamquam aliter fit passim in Rabano-Mauro, idque probatur ex titulo epistolæ Humberti episcopi Wirziburgensis ad ipsum Rabanum, quæ *præstantissimo patri HRabano-Mauro* inscripta est; ubi patrio ac proprio nomini adscititium postpositum vides.

Hic plura dicenda forent de Rabano ipso, de Wandalberto, Usuardo, Adone & Notkero martyrologiorum scriptoribus; deque Haimone Halberstatensi episcopo, Ratramno, aliisque illustribus per sæculum nonum Ordinis nostri viris: at satius est lectorem remittere ad hunc tomum Annalium, & ad subsequentem, qui reliqua sæculi noni facta cum toto sæculo decimo complectetur, quam cum prolixiori Præfatione hic remorari.



BREVIARIUM



BREVIARIUM

TOMI SECUNDI

ANNALIUM BENEDICTINORUM.

LIBER DECIMUS-NONUS.

Ab anno Christi 701. ad annum 714.

LVII. *Caledonensis monasterii primordia.*
LVIII. *S. Audoëni monasterium apud Cenomannos.*
LIX. *Ibbonis episcopi privilegium pro monasterio S. Martini.*
LX. *Ordinationes & benedictiones in privilegiis us reservata.*
LXI. *Childeberti placitum duplex pro S. Dionysio. Dalfinus abbas, aliique. Sacramentum ad capellam S. Martini.*
LXII. *S. Galli cella direptio & status.*
LXIII. *Childeberti regis obitus & sepultura.*
LXIV. *Ingoara donatio S. Petro Senonensi.*
LXV. *S. Paterni vitu compendium.*
LXVI. *S. Suidbertus episcopus obit.*
LXVII. *Ursmarus item episcopus & abbas Lanbiensis.*
LXVIII. *Erminus ei succedit.*
LXIX. *Lindwinus episcopus Trevirensis Mediolaci sepultus.*
LXX. *Virginis arreptitia curatio in monasterio ad Aquas-salvias.*
LXXI. *Hispanias invadunt Sarraceni; hinc nostra in rebus Hispanicis penuria.*
LXXII. *Grimoaldi & Pippini obitus. Swestrensis monasterii origo.*
LXXIII. *Willibrordus Pippinum baptizat.*
LXXIV. *Corbinianus episcopus Frisingensis.*
LXXV. *Eovesbamensis monasterii primordia.*
LXXVI. *S. Gueblaci gesta & obitus.*
LXXVII. *Felix monachus ejus vita scriptor.*
LXXVIII. *S. Petri Luccense monasterium conditur. Aliud S. Michaelis.*

LIBER XX.

Ab anno Christi 715. ad annum 730.

I. SANCTI *Bonifacii profectio in Frisiam & reditus.*
II. *Eadburga abbatissa scribit.*
III. *Picti Romanos ritus suscipiunt per Ceolfridum abbatem.*
IV. *Bobeleno abbati sancti Benigni facta donatio.*
V. *Adonis abbatis benefacta in S. Remigium. Hugonis in S. Arnulfum.*
VI. *Thomæ abbatis Farfensis mors & successores.*
VII. *Senatoris monasterium Papiæ.*
VIII. *Hiienses monachi recipiunt ritus Romanos.*
IX. *Ceolfridi abbatis discessus e Britannia.*
X. *Huetberti abbatis electio.*
XI. *Ceolfridi abbatis obitus.*
XII. *Crulandense monasterium conditur.*
XIII. *Chilperici regis varia diplomata pro sancto Dionysiano.*
XIV. *Dionysiani abbates.*
XV. *Abbates Corbeienses.*
XVI. *Benigno abbati Fontanellæ Wando sufficitur.*
XVII. *Benigni abbatis restituendi occasio. Abbas is fuit Flaviacensis post Gennardum.*
XVIII. *Turnoaldus episcopus abbas sancti Dionysii. Hugo ejus successor.*
XIX. *Fossatensis privilegii confirmatio.*
XX. *Chilperici donatio S. Arnulfo.*
XXI. *S. Winnoci abbatis obitus. Winnoci plures.*
XXII. *Johannes episcopus Eboracensis locum cedit Wilfrido juniori.*
XXIII. *S. Radbertus episcopus moritur.*
XXIV. *Moderamni episcopi Redonensis gesta.*
XXV. *Erlefrido abbati Sithiensi succedit Erkembodus.*
XXVI. *Winfridus Romam petit.*
XXVII. *A Gregorio papa in Germaniam mittitur.*
XXVIII. *Radbodo mortuo Frisiis prædicat.*
XXIX. *Suessionica pugna. Wando abbas Fontanellensis exsulat.*
XXX. *Cælestinus item abbas Blandiniensis.*
XXXI. *Hadulfus abbas fit episcopus Atrebatensis. Vedastini abbates.*
XXXII. *Gregorii II. studium in rem monasticam. Casinas monasterium instauratur per Petronacem.*
XXXIII. *Lateranenses monachi an Casinum reversi.*
XXXIV. *Paldo abbas sancti Vincentii obit. Taso ejus successor.*
XXXV. *Casinatis monasterii descriptio & status.*
XXXVI. *S. Hermenlandi abbatis Antrensis obitus. S. Menelei abbatis Menatensis.*
XXXVII. *S. Odilia abbatissa Hoemburgensis.*
XXXVIII. *Attala abbatissa Argentoratensis.*
XXXIX. *Honaugiensis monasterii origo & abbates.*
XL. *S. Galli cella Othmarus præficitur. Othmari virtutes.*
XLI. *Babo abbas sancti Germani Parisiensis.*
XLII. *Eucherius fit episcopus Aurelianensis.*
XLIII. *Willibaldus & Wunebaldus Romam profecti.*
XLIV. *Willibaldus Jerosolymam adit.*
XLV. *Johannes episcopus Eboracensis obit. Beverlaci monasterium duplex. Beverlacenses abbates.*
XLVI. *Reomaënses abbates.*
XLVII. *Quintilianus abbas fit episcopus Antisiodorensis. Meleredense monasterium.*
XLVIII. *Chilperico regi succedit Theodericus Calensis.*
XLIX. *Widradus condit monasterium Flaviniacense. Primum ejus testamentum.*
L. *Alterum testamentum.*
LI. *Bertrandus abbas Castrensis.*
LII. *Corbinianus Romam iterum pergit.*
LIII. *Liutprandi regis pia opera. S. Augustini translatio Papiam.*
LIV. *S. Comminianus obit Bobii.*
LV. *Bonifacii in Turingia prædicatio.*
LVI. *Romam iterata profectio, ejusque ordinatio. Reditus in Germaniam cum litteris pontificiis.*
LVII. *Caroli Martelli donatio monasterio Trajectensi. Ejusdem morbus & curatio per S. Maximinum.*
LVIII. *Benigno abbati Fontanellæ succedit Hugo.*
LIX. *Milo & Baga monachi Fontanellæ piissimi.*
LX. *Erkembodus abbas Sithiensis fit episcopus Teruannensis.*
LXI. *Theoderici privilegium Berthoaldo abbati Dionysiano concessum.*
LXII. *Bonifacius patrocinio Caroli munitus Hes-*

fes & Turingos denuo convertit. Ordorfense condit monasterium.
LXIII. *Adjutores adsciscit.*
LXIV. *Danielem episcopum Ventanum consulit.*
LXV. *Pirminius Augiense monasterium instituit.*
LXVI. *Mauri monasterium instauratum.*
LXVII. *Danielis episcopi epistola ad Bonifacium.*
LXVIII. *Berta abbatissa Blangiacensis obit.*
LXIX. *Theoderici placitum pro Godobaldo abbate S. Dionysii.*
LXX. *Martinus monachus Corbeiensis Caroli Martelli confessarius.*
LXXI. *Gregorii papa responsa ad consulta Bonifacii.*
LXXII. *Willibrordo facta donationes. Testamentum ejusdem.*
LXXIII. *Pirminius Augia pulsus. Morbacum struit, Theoderico rege probante. cur S. Leodegario dicatum.*
LXXIV. *Widegerni episcopi privilegium. Masonis monasterium.*
LXXV. *Swarzacense & Kengenbacense monasteria.*
LXXVI. *Pirminii alia monasteria. Hornbacense, Wissemburgense, Novum-villare.*
LXXVII. *Fabariense.*
LXXVIII. *Willibaldus Casini moratur.*
LXXIX. *Ina rex Romæ fit monachus. Bonifacii ad eum epistola.*
LXXX. *Coengislus abbas Glastoniensis. Wiethberti presbyteri epistola, & accessus in Germaniam*
LXXXI. *Wigberti plures.*
LXXXII. *Egberti episcopi obitus*
LXXXIII. *Tasoni abbati S. Vincentii succedit Tato.*
LXXXIV. *Hugo episcopus Rotomagensis moritur.*
LXXXV. *Lando abbas Fontanellæ. Droctegangus abbas Gemetici.*

LIBER XXI.

Ab anno Christi 731. ad annum 743.

I. GREGORII *II. obitus & beneficia in monachos.*
II. *Gregorius III. succedit, in monachos itidem bene affectus. Bonifacio scribit, mittitque pallium.*
III. *Monachorum colonia ex Augia deducta.*
IV. *Beda historiam absolvit.*
V. *Britanniæ status & episcopatus.*
VI. *Sarracenorum in Gallias impressiones.*
VII. *Quanta inde monasteriis clades. Luxoviensium martyrium. Porcarii item abbatis & Lirinensium.*
VIII. *Theofredi abbatis Calmeliacensis martyrium.*
IX. *Item sancti Marini eremita.*
X. *Eusebia abbatissa Massiliensis.*
XI. *Pardulfus abbas Waractense monasterium servat.*
XII. *Audelandus abbas S. Martini, ejusque successores.*
XIII. *Defensor monachus Locogiagensis. Euc herii episcopi Aurelianensis exsilium.*
XIV. *Ettonis etiam abbatis Augiensis.*
XV. *Bonifacius monasteria duo struit. Wigbertus abbas Fritislariæ.*
XVI. *S. Rigoberti episcopi Remensis obitus.*
XVII. *Wilfrido episcopo Eboracensi sufficitus Egbertus.*
XVIII. *Albinus abbas Cantuariensis obit. Nodbaldus succedit.*
XIX. *Bonifacio episcopo scripta epistola.*
XX. *Landoni abbati Fontanellæ succedit Teutsindus. Erinharius præpositus.*
XXI. *S. Benigno facta donatio Godino abbate.*
XXII. *Alfonsus abbas Castrensis.*
XXIII. *Sigibaldus episcopus Metensis duo monasteria condit.*
XXIV. *Etto abbas fit episcopus Argentoratensis.*
XXV. *Adela abbatissa Palatioli obit.*
XXVI. *Bilehildis abbatissa Moguntina.*
XXVII. *Bedæ epistola ad Egbertum episcopum.*
XXVIII. *Alia epistola ad Pleguinum monachum.*
XXIX. *Bedæ obitus.*
XXX. *Bedæ plures.*
XXXI. *Huetberto abbati Wirensi scribit Bonifacius pro scriptis Bedæ; itemque Egberto episcopo.*
XXXII. *Tatwino episcopo Cantuariensi succedit Nothelmus.*
XXXIII. *Frideswida virgo obit.*
XXXIV. *Herosfeldensis monasterii initia per Sturmium.*
XXXV. *Harlendis & Reinula abbatissæ Eikenses.*
XXXVI. *Ermino abbas Laubiensis obit. Theodoinus & Theodulfus successores. Laubienses viri illustres.*
XXXVII. *Erkembodo abbati Sithiensi succedit Waimarus.*
XXXVIII. *Mors S. Pardulfi abbatis Waractensis.*
XXXIX. *S. Benigno facta donatio.*
XL. *Ceolwlfus rex fit monachus.*
XLI. *Thomas ex monacho episcopus Placentinus. Placentina monasteria.*
XLII. *Bonifacii tertium iter Romam.*
XLIII. *Reditus in Germaniam cum litteris pontificiis, & facta inde consecuta.*
XLIV. *Eucherius episcopus Aurelianensis obit.*
XLV. *Leutfredus quoque abbas.*
XLVI. *Abbates Fontanellæ & Vedastini.*
XLVII. *Masciacense monasterium condi cœptum.*
XLVIII. *Willibaldus in Germaniam venit. Presbyter ordinatur.*
XLIX. *Bonifacius factorum rationem reddit Gregorio papæ.*
L. *S. Emmerammi monasterium episcopale.*
LI. *Abbonis patricii testamentum pro monasterio Novaliciensi.*
LII. *Tato abbas S. Vincentii obit.*
LIII. *Lucerio abbati Farfensi succedit Fulcoaldus.*
LIV. *Leutfredus abbas in Aquitaniam legatus.*
LV. *Wilicarius episcopus Viennensis fit monachus.*
LVI. *Acca episcopus moritur.*
LVII. *Nothelmo Cantuariensi succedit Cuthbertus.*

LIBER XXII.

Ab anno Christi 744. ad annum 753.

LIBER XXIII.

Ab anno Christi 754. ad annum 764.

LIBER XXIV.

Ab anno Christi 765. ad annum 779.

LXXIV. *Aper & Asto abbates S. Hilarii apud Pictavos.*
LXXV. *Fulradi abbatis testamentum.*
LXXVI. *Caroli diploma pro S. Dionysio.*
LXXVII. *Cafarionensis monasterii initia.*
LXXVIII. *Placita duo Farfensia.*
LXXIX. *Echa anacoreta obitus.*
LXXX. *Monasteria hoc anno condita in Germania.*
LXXXI. *Cremifanensis monasterii initia.*
LXXXII. *Aschaugiense monasterium conditur.*
LXXXIII. *S. Bonifacii translatio ob Saxones.*
LXXXIV. *Gaudelandi abbatis Laureshamensis obitus. Helmericus successor.*
LXXXV. *Iddoni abbati Floriacensi succedit Magulfus.*
LXXXVI. *Orbioaensis monasterii origo.*
LXXXVII. *Monasteriorum aucta opes ex donationibus novitiorum.*
LXXXVIII. *Haristaliense capitulare.*
LXXXIX. *Caroli praeceptum Rotberto abbati S. Germani concessum.*
XC. *Aliud S. Marcello Cabilonensi.*
XCI. *Sturmii abbatis Fuldensis obitus.*
XCII. *Schliersease monasterium dedicatur.*
XCIII. *Ambrosii Autperti obitus & scripta.*
XCIV. *Potonis abbatis Vincentini causa discussa.*

LIBER XXV.

Ab anno Christi 780. ad annum 789.

I. BENEDICTUS *S. Sequani regimen declinat. Anianam ut instituit.*
II. *Monasterium novum exstruit.*
III. *Citonensis & Caunensis monasteriorum prima origo.*
IV. *Septimaniae pii abbates.*
V. *Atala primus abbas S. Polycarpi.*
VI. *Olemundus Montis-olivi.*
VII. *S. Hilarii monasterium in Septimania. S. Laurentii monasteria ibidem.*
VIII. *Placitum pro monasterio S. Victoris Massiliensi.*
IX. *Adalhardus Corbeiae abbas post Mordramnum.*
X. *S. Dionysii nova basilica per Fulradum, & miracula.*
XI. *Ælbertus episcopus Eboracensis obit.*
XII. *S. Wigberti abbatis Fritislariensis translatio.*
XIII. *Herulfi abbatis Elewangensis obitus.*
XIV. *Willehadus Saxones erudit.*
XV. *Caroli M. secundum iter Romam. Privilegium S. Gallo & Augiae concessum.*
XVI. *S. Fusca monasterium conditur.*
XVII. *Pippinus rex Italiae institutus, Ludovicus Aquitaniae.*
XVIII. *Placitum pro Farfa. Ragambaldus abbas Farfensis. Vincentini abbates.*
XIX. *Langobardorum leges de monachis.*
XX. *Caroli praeceptum pro ecclesia Regiensi; Anselmus abbas Nonantulae intercedit.*
XXI. *Aliud praeceptum pro parthenone Brixiensi.*
XXII. *Alcuinus a Carolo in Gallia retinetur.*
XXIII. *Wormatiae conventus. Episcopi ad militiam ne pergant. Formula oblationis Deo factae.*
XXIV. *Saxoniae octo erecti episcopatus.*
XXV. *S. Galli & Augiae abbates.*
XXVI. *Willehadi iter Romam, & commoratio Epternaci.*
XXVII. *Liudgerus Casinum secedit.*
XXVIII. *Benedictus novam basilicam cum monasterio condit.*
XXIX. *Anianensium fervor, disciplina & habitus.*
XXX. *Benedicti caritas in externos.*
XXXI. *Gislebertus episcopus & abbas Eluonensis. Arno ejus successor Alcuini frater.*
XXXII. *Diplomata pro S. Dionysio.*
XXXIII. *Superadi monasterium duplex.*
XXXIV. *Bertradae & Hildegardis reginarum obitus.*
XXXV. *Hitherius abbas Martinianus.*
XXXVI. *Paulus abbas S. Vincentii ad Vulturnum.*
XXXVII. *Liudgerus Frisios erudit.*
XXXVIII. *Angilbertus primicerius palatii Pippini.*
XXXIX. *Aguarni episcopi Cadurcensis charta pro Moissiaco; Moissiacenses abbates.*
XL. *Chiemensia monasteria duo.*
XLI. *Ariboni Frisingensi episcopo succedit Atto abbas.*
XLII. *Embildis abbatissa Milizae monasterium condit ac dotat.*
XLIII. *Fulradi abbatis obitus, Maginarius succedit.*
XLIV. *Mors item Albrici episcopi & Helmerici abbatis Laureshamensis. Richbodo hujus successor.*
XLV. *Ambrosiana basilica data monachis.*
XLVI. *Saxonum conversio.*
XLVII. *Willehadus episcopus Bremensis.*
XLVIII. *Carrofum monasterium conditur.*
XLIX. *S. Angeli monasterium.*
L. *S. Laurentii parthenon Bituricis.*
LI. *Balneolense monasterium.*
LII. *Beatus abbas Hispanus.*
LIII. *Felix abbas primus monasterii Obonensis. Fidelis abbas Astar.*
LIV. *Virgilii episc. & Opportuni abbatis obitus.*
LV. *Willibaldi & Lulli episcoporum donatio facta Fuldensibus.*
LVI. *Decretales falsae in Gallias invecta.*
LVII. *Conjuratio in Carolum regem.*
LVIII. *Carolus S. Germano donat Madriolas. Caroli tertium iter Romam.*
LIX. *Willibaldi episcopi Eistetensis obitus, & Botwini abbatis Ripensis.*
LX. *Mediani-monasterii abbates, & Senoniensis.*
LXI. *Caroli quartum iter Romam, & inde Capuam, tum Casinum. Glannafolium Casino subjectum.*
LXII. *Tassilonis missos Romae excipit Carolus. Redit in Franciam. Wormatiae Willehadum episcopum ordinari curat.*
LXIII. *Tassilonis deditio.*
LXIV. *Caroli epistola ad Baugulfum abbatem pro instauratione scholarum.*
LXV. *Paulus diaconus Arichisi epitaphium scribit.*
LXVI. *Farfae donationes factae.*

LXVII. *Caroli M. dignatio in Paulum diaconum.*

LXVIII. *Theodemari abbatis ad Carolum epistola.*

LXIX. *Vindicatur. Benedictini panis pondus quale. Cappa monastica.*

LXX. *Hemina vini qualis.*

LXXI. *Regula autographum. Professio novitiorum.*

LXXII. *Pauli epistola ad Adalhardum abbatem Corbeiensem.*

LXXIII. *Mors Syagrii episcopi Niciensis.*

LXXIV. *Lulli Moguntini & Albuini Buriburgensis. Lulli virtutes. Blidenstatense monasterium.*

LXXV. *Widonis laici abbatis Fontanellæ. Recensio bonorum monasterii.*

LXXVI. *Gervoldus abbas Fontanellæ. Witboldus S. Sergii.*

LXXVII. *Hardainus monachus Fontanellæ.*

LXXVIII. *Angilberto Berta nupta. Dignitates eidem collata.*

LXXIX. *Calchutense concilium.*

LXXX. *Concilii Nicæni decreta pro imaginibus & monachis.*

LXXXI. *Tassilo cum conjuge & liberis damnatus, missusque in monasterium. Gisla abbatissa Calensis.*

LXXXII. *Benedicto abbati privilegium concessum.*

LXXXIII. *Hagustaldensis ecclesia status.*

LXXXIV. *Jamberti episcopi Cantuariensis mors. Ethelardus successor.*

LXXXV. *Willehadus episcopus obit.*

LXXXVI. *Caroli edit Capitulare.*

LXXXVII. *Ejusdem diploma pro monasterio Sithiensi. Jus venandi.*

LXXXVIII. *Petri episcopi Mediolanensis privilegium pro basilica Ambrosiana.*

LXXXIX. *Casino donationes factæ.*

LIBER XXVI.

Ab anno Christi 790. ad annum 800.

I. INTERRUPTUM *opus resumitur. Lis de cella Lauconnensi dilata.*

II. *Luxovienses abbates, Dotto, aliique. Condatescenses abbates.*

III. *Caroli diploma pro S. Dionysio.*

IV. *Hadriani papæ querela de illicitis nuptiis monialium.*

V. *Pippini regis leges de monasteriis.*

VI. *Ripolenum monasterium ditatur.*

VII. *Alperto abbati Farfensi succedit Moroaldus.*

VIII. *Usualdus abbas S. Salvatoris. Alcuini ad eum epistola. Leufonus ejus successor.*

IX. *Moroaldo item abbati Alcuinus scribit.*

X. *Alcuini reditus in Angliam. Ejus epistola ad Colcum. S. Albani monasterium.*

XI. *Mors Hiltrudis virginis, Solæ eremitæ, & Andegarii episcopi. Gundramnus levita monachus non ligatus.*

XII. *Hitherius abbas S. Martini, auctor monasterii Cormaricensi.*

XIII. *Angilberti secessus Centulam.*

XIV. *Berta uxor an cum illo secesserit.*

XV. *Psolmodiense monasterium.*

XVI. *Angilramnus & Simpertus episcopi mortui, ac Paulus abbas S. Vincentii.*

XVII. *Pippinus Prumiæ tondetur.*

XVIII. *Felix episcopus ab Angilberto ductus Romam, errorem abnegat.*

XIX. *Alcuinus redit in Franciam.*

XX. *Utto auctor Metamensis monasterii.*

XXI. *Magenario abbati Dionysiano succedit Fardulfus.*

XXII. *Morbacense monasterium Gerhobo datum.*

XXIII. *Benedictus Anianensis fame laborantibus succurrit.*

XXIV. *Lumberiensis monasterii origo.*

XXV. *Nobiliacensis monasterii instaurator Ato abbas.*

XXVI. *Lindisfarnense monasterium direptum.*

XXVII. *S. Blaitmaci abbatis martyrium.*

XXVIII. *Alcuini epistola ad Wirenses.*

XXIX. *Ethelberti regis cædes. Alfrida Crulandiæ reclusa an alia ab Ædilthyda abbatissa.*

XXX. *Francofordiense concilium*

XXXI. *Alcuinus concilio cur adeo commendatus.*

XXXII. *Concilii acta Romam missa per Angilbertum.*

XXXIII. *Tassiloni iterum indulgentia data. Fabula de enervatis Gemeticensibus.*

XXXIV. *Fastrada ad S. Albanum sepulta. Riculfus episcopus monasterii auctor.*

XXXV. *Aniano abbati privilegium a Carolo concessum. Item S. Emmeramno.*

XXXVI. *Magulfo abbati Floriacensi succedit Fulradus, tum Theodulfus.*

XXXVII. *Neustadiensis monasterii origo.*

XXXVIII. *Holtzkiricha monasterium.*

XXXIX. *Rabani primordia.*

XL. *Fardulfus abbas Carolum in Saxonia comitatur. S. Dionysii miracula.*

XLI. *Aquisgrani basilica instructa.*

XLII. *Caroli epistola ad Offam regem de quadragesimali abstinentia.*

XLIII. *Concilium Forojuliense.*

XLIV. *Hadriano papa Leo suffectus. Angilbertus Romam missus.*

XLV. *Adalhardus abbas Italici regni administer.*

XLVI. *Theodemaro abbati Casinati succedit Gisulfus.*

XLVII. *Hitherio abbati Turonico Alcuinus. Scholæ Martinianæ.*

XLVIII. *Alcuini zelus pro clericis & monachis.*

XLIX. *Paulus monachus Burgundus.*

L. *Rado abbas S. Vedasti.*

LI. *Alcuinus vitam S. Willibrordi scribit. Cella maritima præfectus.*

LII. *Liudgerus monasteria condit, Werthinense & Helmestadiense. Rura monasterium multiplex.*

LIII. *Bernardus abbas Saxones erudit.*

LIV. *Swibertus episcopus condit Amarbaricum.*

LV. *Monasteria S. Felicis Guixalensis & S. Vincentii de Fistolis.*

LVI. *S. Cucufatis.*

LVII. *Balneolense & Amerense ; S. Grata.*

LVIII. *Arno episcopus Hunnis prædicat. Alcuini epistola ad Juvavenses.*

LIX.

LIBER XXVII.

Ab anno Christi 801. ad annum 811.

XXXVIII. *Cella S. Dionysii de Vallibus.*
XXXIX. *Archiepiscopi Treverenses.*
XL. *Caroli epistola ad Pippinum.*
XLI. *Monasterium B. Mariæ de Organo.*
XLII. *Mediolanenses episcopi. Ambrosiani abbates.*
XLIII. *Leonis papæ studium in monachos & monasteria.*
XLIV. *Capitulare apud Theodonis-villam.*
XLV. *Richbodoni abbati Laureshamensi succedit Adalongus.*
XLVI. *S. Dionysio facta donatio.*
XLVII. *Walto abbas Fardulfi successor. Hetto abbas Augiensis.*
XLVIII. *Guillelmus comes Gellone fit monachus.*
XLIX. *Nifridius abbas Crassæ privilegium obtinet a Carolo.*
L. *Ogerii conversio.*
LI. *Regni divisio inter Caroli filios. Imma Eginhardi conjux an filia Caroli.*
LII. *Capitulare Noviomagense.*
LIII. *Fontanellenses abbates.*
LIV. *Crulandæ Littera data a Kenulfo rege.*
LV. *Rurales ecclesiæ a monachis administratæ.*
LVI. *Schennense parthenium in Ratia.*
LVII. *Placitum pro Farfa.*
LVIII. *Ansegisus fit abbas Flaviacensis.*
LIX. *Nantharii abbatis Sithiensis acta. Stenland monasterium. Guntbertus monachus.*
LX. *Mauri subacti ob venditos monachos.*
LXI. *Ludovicus rex Gellonensibus privilegium concedit. Juliofredus abbas.*
LXII. *S. Petri puellare monasterium Barcinone.*
LXIII. *Eardulfi regis depositio & restitutio.*
LXIV. *Kenulfus an ejus rei conscius. Winchelcumbensis monasterii auctor.*
LXV. *Elefans abbas G. stenianus.*
LXVI. *Abbates Glonnenses.*
LXVII. *Prumienses abbates. Maximinus abbas S. Gereonis.*
LXVIII. *Tollense monasterium*
LXIX. *Liudgerus episcopus obit.*
LXX. *Saviniacum monasterium, & primi ejus abbates.*
LXXI. *S. Amandi secunda elevatio. Elnonenses abbates.*
LXXII. *Legatio ad Leonem papam.*
LXXIII. *Adalhardus de nova Corbeia cogitat. Italiæ iterum administer. Palatiolum monasterium contra Mauros servatum.*
LXXIV. *Corbeiæ studia sub Paschasio.*
LXXV. *Pippini regis Italiæ mors & sepultura. S. Zenonis monasterium & abbates.*
LXXVI. *Veronæ alia monasteria.*
LXXVII. *Rotrudis mors & Gislæ abbatissæ. *da an Caroli M. soror?*
LXXVIII. *Rotla monasterium.*
LXXIX. *Caroli M. privilegium pro Novientensi monasterio. Novientenses abbates.*
LXXX. *Beatus abbas Hohenovia.*
LXXXI. *Barnardus fit episcopus Viennensis.*
LXXXII. *Fuldenses turbæ.*
LXXXIII. *Confugium ad Imperatorem. Libellus supplex*
LXXXIV. *Capitularia hujus anni.*
LXXXV. *Caroli testamento subscribunt abbates.*
LXXXVI. *Rotberti abbatis S. Germani successor Irmino.*
LXXXVII. *Hetto episcopus & abbas Augiensis ad Græcos legatus.*
LXXXVIII. *Helmengaldus comes Resbaci sepultus. Resbaci abbates.*
LXXXIX. *Dungalus scribit de duplici solis eclipsi ad Carolum M.*
XC. *S. Illidii basilica.*

LIBER XXVIII.

Ab anno Christi 812, ad annum 819.

I. LUDOVICI *Pii studium in clerum & monachos. Monasteria ab eo condita vel instaurata.*
II. *Conchense monasterium.*
III. *Figiaci monasterii origo. Item Marciliaci.*
IV. *Monasterium B. Mariæ de Regula.*
V. *Willelmus Gellone obit.*
VI. *Gellonenses abbates. Gellonenses monachi.*
VII. *Grimoaldus abbas Castrensis.*
VIII. *Baulis monasterium conditur.*
IX. *Wala cum Bernardo rege in Italiam missus.*
X. *Concilia quinque jussu Caroli habita.*
XI. *Frotharius fit episcopus Tullensis.*
XII. *Constantienses Episcopi.*
XIII. *Dadilæ testamentum pro monasteriis. Ovarræ cœnobium conditur.*
XIV. *Caroli Magni obitus.*
XV. *Ludovici prima facta Aquisgrani.*
XVI. *Præcepta variis monasteriis concessa. Waltoni abbati Dionysiano succedit Hilduinus.*
XVII. *Mors Angilberti abbatis Centulensis.*
XVIII. *Adhalardi abbatis placitum pro Farfa. Palatii descriptio. S. Anthymi monasterium duplex.*
XIX. *S. Quintini basilica instauratur a Fulrado abbate. S. Præjecti monasterium.*
XX. *Adalhardus abbas exsul.*
XXI. *Wala fit Corbeiæ monachus.*
XXII. *Propinqui ejus quid passi. Walæ ipsius uxor*
XXIII. *Leidradus archiepisc. fit monachus apud S. Medardum.*
XXIV. *Benedictus Mauri-monasterium reformat. Indam condit.*
XXV. *Riculfo Moguntino episcopo succedit Heistulfus.*
XXVI. *Amalario Trevirensi Hetti abbas Medialacensis.*
XXVII. *Lis inter Fortunatum abbatem & monachos Medianenses. Monachorum portio separata.*
XXVIII. *Hagustaldensis episcopatus desinit.*
XXIX. *Ratgarii concordia cum episcopo Wirziburgensi.*
XXX. *Fuldæ nova seditio. Monasterium in Cellis.*
XXXI. *Monasteria duo condita in Germania. Adalhardus junior.*
XXXII. *Radoni abbati Vedastino succedit Adalungus.*
XXXIII. *Justo abbati Claudius inscribit commentarios in Matthæum. Eidem Ludovicus diploma concedit.*

XXXIV. *Theodemiro abbati dicati Claudii commentarii. Tu.o.dem res qu[illegible]*

XXXV. *Dructeranno abbati dicata expositio in epistolam ad Galatas. Calmeliacenses abbates.*

XXXVI. *Privilegia varia monasteriis concessa. Viennensia monasteria*

XXXVII. *Leoni papæ succedit Stephanus IV. Remis Ludov. cum coronat.*

XXXVIII. *Wlfario Remensi episcopo succedit Ebo. S. Remigii præpositi.*

XXXIX. *Bego comes obit. Fossati instaurator. S. Petri Remense monasterium Alpaidi datum.*

XL. *Franco episcopus Cenomannensis. S. Carilesi ecclesiam dicat.*

XLI. *Werdo abbas S. Galli obit. Lis de Gozberto successore.*

XLII. *Heytonis episcopi & abbatis ecclesia & Capitulare.*

XLIII. *Frodoinus abbas Novaliciensis moritur.*

XLIV. *Benedicto Farfensi succedit Ingoaldus.*

XLV. *Josue abbas S. Vincentii ad Vulturnum.*

XLVI. *Diploma pro Aniano monasterio.*

XLVII. *Trasaro abbati Fontanellæ subsituitur Einhardus.*

XLVIII. *Einhardi monita ad filium litteris studentem. Purgatio ad Imperatricem.*

XLIX. *Diplomata pro Castellione, S. Germano, & Insula Barbara.*

L. *Figiaci renovatio per Aigmarum abbatem.*

LI. *Concilii Aquisgranensis indictio, & regula duplex.*

LII. *Amalarius auctor regulæ canonicorum.*

LIII. *Improbata hæc regula a Romanis.*

LIV. *Statuta hujus synodi pro monachis.*

LV. *De minutione, &c.*

LVI. *De novitiis & pueris, &c.*

LVII. *De festis, &c.*

LVIII. *Volatilium esus an permissus a S. Benedicto.*

LIX. *Pinguedo permissa.*

LX. *Libra panis.*

LXI. *Hemina vini.*

LXII. *Vestes monasticæ.*

LXIII. *Benedictus synodi caput & præses.*

LXIV. *Constitutum de monasteriis.*

LXV. *Soricini monasterii origo & abbates.*

LXVI. *Mansi-Asili initia & abbates.*

LXVII. *Agiulfus abbas Sollemniaci privilegium obtinet.*

LXVIII. *Bernardi Italiæ regis defectio.*

LXIX. *Andaginum monachis datum.*

LXX. *Adalwino episcopo Ratisponæ succedit Baturicus.*

LXXI. *Barnardus Viennensis antistes pallio donatur. Romanis monasterium condit.*

LXXII. *Ansegiso Luxovium commissum.*

LXXIII. *S. Benigni res & rectores.*

LXXIV. *Besuense monasterium regit Betto episcopus. Melundenses abbates.*

LXXV. *S. Agnetis monasterium instauratum.*

LXXVI. *Ratgarius abbas Fuldensis abjectus.*

LXXVII. *Eigil in ejus locum suffectus.*

LXXVIII. *Bernardus rex & socii conjurationis puniti.*

LXXIX. *Adalgaudus Floriaci abbas privilegium obtinet. Hemmo abbas pro Magno-loco.*

LXXX. *Landvenneti regula recepta. Hermingardis imperatrix Andecavis an sepulta.*

LXXXI. *Radechis Casinii monachus, an sub Apollinari abbate?*

LXXXII. *Nannetenses abbates.*

LXXXIII. *Capitula S. Galli. Alia monasterii Augiensis.*

LXXXIV. *Magno Senonensi episcopo succedit Hieremias.*

LXXXV. *S. Columbæ reformatio per Benedictum.*

LXXXVI. *Benedictus abbas Fossatensis, aliique.*

LXXXVII. *Monachi S. Martini fiunt sæculares.*

LXXXVIII. *Ejus monasterii status post illam mutationem.*

LXXXIX. *Deas monasterium conditur. Diploma pro Conchis.*

XC. *Aliud pro Bella-cella.*

XCI. *Smaragdus abbas monasterium novum condit. Ejus obitus, scripta & successores.*

XCII. *Einhardus abbas S. Bavonis & Blandinii. Laurissæ beneficus. Laurissa abbates.*

XCIII. *Fuldensis basilicæ dedicatio.*

XCIV. *Eigil cœmeterium & claustrum novum ædificat.*

XCV. *Rabanus Heistulfo dicat libros de institutione clericorum.*

XCVI. *S. Zachariæ cœnobium Venetiis conditum. Aliud S. Servuli. S. Laurentii parthenon.*

XCVII. *S. Stephani monasterium Ravennæ.*

LIBER XXIX.

Ab anno Christi 810. ad annum 816.

I. FRIDUGISUS *abbas Sithiensis.*

II. *Cormaricensibus data facultas eligendi abbatis. Jacob electus.*

III. *Ramnincus abbas Navensis. Castellanus Arulensis.*

IV. *Rabanus scribit libros de computo. S. Emmerammi abbates.*

V. *Josue abbati S. Vincentii succedit Epiphanius. Fugitivi regia auctoritate Farfam revocati.*

VI. *Benedictus abbas Indensis ægrotat.*

VII. *Georgio abbati Anianæ scribit.*

VIII. *Nebridio item archiepiscopo. Obit & sepelitur.*

IX. *Indensium de eo epistola.*

X. *Benedictus idem cum Euticio abbate.*

XI. *Scripta ejus, ac successores.*

XII. *S. Tiberii abbates, & Caunenses. Teutpaldus abbas Altahensis.*

XIII. *Adalhardus abbas ab exsilio revocatur.*

XIV. *Theodulfus an Aurelianos reversus.*

XV. *Ansfridus Nonantulæ abbas post Petrum.*

XVI. *Adalhardus abbas statuta edit.*

XVII. *Ludovicus Adalhardo, aliisque satisfacit Attiniaci. Adalhardi auctoritas in illo conventu.*

XVIII. *Liber de ordine Palatii ab eo scriptus.*

XIX. *Abbatum electio monachis restituta.*

BREVIARIUM

XX. *Corbeia-nova construendæ occasio. Hethi primo cœnobium conditum.*
XXI. *Corbeia-nova construitur.*
XXII. *Tempus expenditur. Wala quando missus in Italiam?*
XXIII. *Corbeiæ-novæ situs & dotes. Præclara monachis monita.*
XXIV. *Herifordense monasterium virginum.*
XXV. *Visbecki abbatia, aliæque.*
XXVI. *Egil abbas Fuldensis obit.*
XXVII. *Rabanus succedit. Libros in Matthæum Heistulfo dicat.*
XXVIII. *Arnoni archiepiscopo suffectus Adalramnus.*
XXIX. *Herico abbati Centulensi Helizachar.*
XXX. *Aldricus Adalberti abbatis Ferrariensis successor.*
XXXI. *Tructesindus post Gregorium abbas Anianæ electus. Ludovici Pii hac de re epistola.*
XXXII. *Arnaldi comitis donatio.*
XXXIII. *S. Basoli abbates.*
XXXIV. *Capitulare pro parthenone S. Crucis apud Pictavos.*
XXXV. *Senonum monasteria reformata.*
XXXVI. *Mauriaci cella conditur.*
XXXVII. *S. Cristinæ monasterium apud Insubres.*
XXXVIII. *Winigisus dux fit monachus.*
XXXIX. *Monasterium B. Mariæ de Aguilari.*
XL. *Adalhardus Corbeiæ regimen invitus retinet. Ut se gerit.*
XLI. *Anscharii prima facta, & missio in Corbeiam-novam.*
XLII. *Præcepta duo Adalhardo concessa.*
XLIII. *Compendiensi conventui interest.*
XLIV. *Hilduinus abbas S. Medardi novam condit basilicam. Bertæ donatio.*
XLV. *Pensio vini monasterio S. Dionysii relaxata. Qualis tunc monasterii status?*
XLVI. *Hincmarus ibidem monachus. Patria ejus & parentes. Caroli Calvi ortus.*
XLVII. *Hilduinus abbas S. Germani Parisiis.*
XLVIII. *Lotharius Romæ coronatus. Wala cum eo redit.*
XLIX. *Adalungus abbas Vedastinus Romam legatus.*
L. *S. Ursmari elevatio. Laubienses abbates.*
LI. *Ansegisus abbas Fontanellense monasterium restituit. Flaviacensi quoque munificus.*
LII. *Claudii Taurinensis libri in Leviticum ad Theodemirum abbatem.*
LIII. *Hetto Augiæ præfecturam cedit Erlebaldo.*
LIV. *Meginradus Augiæ monachus, dein eremita.*
LV. *Diplomata pro S. Gregorio, S. Grata & Balneolis.*
LVI. *Commutatio Conchensium cum ecclesia Laudunensi.*
LVII. *Gosbaldus abbas Altahensis.*
LVIII. *Paschali papæ succedit Eugenius. Lis de rebus S. Dionysii in valle Tellina. Hilduinus Romam comitatur Lotharium.*
LIX. *Legati Orientis ob sacras Imagines.*
LX. *Theodemirus abbas refellit Claudii errores.*
LXI. *Peregrinationes a Claudio improbatæ.*
LXII. *Glannafolium instauratur. Glanna & Glonna diversæ.*
LXIII. *Theodradæ abbatissæ & Eginhardi abbatis commutatio. Diploma de restitutione Argentogili.*
LXIV. *Ismundi abbatis lis cum suis monachis.*
LXV. *Eriefredus abbas Senoniensis.*
LXVI. *Visio Wetini monachi Augiensis.*
LXVII. *Quid de ejusmodi visionibus sentiendum.*
LXVIII. *Agauni monachis canonici substituti.*
LXIX. *Diploma pro Miciaco. Aliud pro Aniniola.*
LXX. *Claniaci permutatio a Ludovico confirmata. Warinus comes Arvernorum. Alba ejus uxor & Ava distinctæ. Claniaci status.*
LXXI. *Synodus Parisiensis de Imaginibus.*
LXXII. *Walafridi Strabonis visa compendium.*
LXXIII. *Hunafeldense monasterium.*
LXXIV. *Arnulfus, aliique abbates insignes mortui.*
LXXV. *Montis-Serrati descriptio.*
LXXVI. *B. Maria quando illic coli cœpta.*
LXXVII. *Anani monasterium in Septimania conditur.*
LXXVIII. *Adalhardi abbatis Corbeiæ obitus.*
LXXIX. *Herioldus rex Danorum baptizatur, Anscharium secum ducit.*
LXXX. *Corbeiæ novæ donatio sub Warino abbate facta.*
LXXXI. *Capitulare Ingelheimii. Gotafridus abbas Gregoriani monasterii.*
LXXXII. *Heistulfo episcopo Moguntino succedit Otgarius.*
LXXXIII. *Swarzachium transfertur.*
LXXXIV. *Wala abbas ut se gerit.*
LXXXV. *S. Sebastiani translatio in monasterium S. Medardi.*
LXXXVI. *Nova S. Medardi basilica. S. Gregorii reliquiæ ibidem. Eginhardi annales eidem asseri.*
LXXXVII. *Besuense monasterium instauratur.*
LXXXVIII. *Concilii Romani decretum de abbatibus.*
LXXXIX. *Diplomata pro Farfa & Senoniensi monasterio.*
XC. *Cuxoclarense monasterium in Hispania.*

LIBER XXX.

Ab anno Christi 827. ad annum 832.

I. STABULENSIUM *religio.*
II. *Dervense monasterium monachis restituitur. Altivillarensis abbas Petrus.*
III. *Dungalus in Claudium scribit pro sacris Imaginibus.*
IV. *Ansegisus abbas edit libros quatuor Capitularium.*
V. *Rabani commentarii Otgario dicati.*
VI. *Amalharius Romam adit.*
VII. *SS. Marcellini & Petri translatio. Seligenstadensis monasterii origo. S. Tiburtii translatio ad S. Medardum.*
VIII. *Finani reclusi obitus.*
IX. *Signaldus abbas Epternaci obit.*
X. *Pippini præceptum pro S. Maxentio. Abbates ejus loci.*

XI.

LIBER XXXI.

Ab anno Christi 833. ad annum 837.

BREVIARIUM

LIBER XXXII.

Ab anno Christi 838. ad annum 843.

vici augusti diploma pro Campidona. Aliud pro eodem.

XV. *Aquitanici tumultus.*

XVI. *Eginhardi abbatis obitus.*

XVII. *Rabani commentarii in scripturam.*

XVIII. *Wandalberti scriptio de S. Goare.*

XIX. *Bertinianis monachis custodia basilicæ S. Mariæ restituta.*

XX. *Ludovici augusti extrema facta & obitus. Servorum manumissio ab eo emendata. Ugo abbas S. Aniani.*

XXI. *Mors Agobardi archiepiscopi Lugdunensis. Jonæ libri a Lupo examinati.*

XXII. *Hilduini abbatis obitus & successores.*

XXIII. *Rodulfi archiepiscopi Bituricensis parentes & prima facta. Clerici ordinandi patrimonium. Boso abbas Floriacensis.*

XXIV. *Veterinensis monasterii origo; Bellilocensis item cœnobii.*

XXV. *Lezatensis item abbatia.*

XXVI. *Lotharii & Caroli diplomata.*

XXVII. *Aninsula Cenomannensi ecclesiæ subtrahitur.*

XXVIII. *Lotharii præceptum pro Farfa.*

XXIX. *SS. Faustini & Jovitæ ecclesia monachis tradita. Leutgarius abbas & Hildemarus monachus. Maginhardus abbas.*

XXX. *Hildemari commentarius in Regulam.*

XXXI. *Caroli regis gesta.*

XXXII. *Normannorum irruptio & facinora in Neustria.*

XXXIII. *Caroli varia diplomata.*

XXXIV. *Aldrici episcopi res apud Glannafolium deposita.*

XXXV. *Anowareth S. Mauri sepulcrum invisit.*

XXXVI. *Fossatenses Glannafolio pulsi.*

XXXVII. *S. Germani episcopi Autissiodorensis translatio.*

XXXVIII. *Angilberti item abbatis Centulensis. Nithardus ejus filius an abbas.*

XXXIX. *Bonavallis Carnutensis primordia.*

XL. *Jacobus eremita apud Bituriges.*

XLI. *Lotharii præceptum pro Nigella. Aliud ejusdem de Giaco pro S. Fara monasterio.*

XLII. *Lotharius frater conscriptus S. Martini Mettensis.*

XLIII. *Grimaldo archicapellano S. Galli abbatia traditur. Officia claustralia.*

XLIV. *Marcus & Marcellus apud S. Gallum. Marcus apud S. Medardum.*

XLV. *Eusebius reclusus, ejusque de Isone vaticinium.*

XLVI. *Haimo fit Halberstatensis episcopus.*

XLVII. *Hericus ejus discipulus.*

XLVIII. *Flori carmen de divisione imperii. Manno præpositus S. Augendi.*

XLIX. *Adonis vitæ primordia. Monasteriorum communio & mutua caritas. Ado martyrologii auctor.*

L. *Wandalbertus martyrologium scribit.*

LI. *Usuardus item martyrologii auctor. Item Rabanus.*

LII. *Ængussius duplicis martyrologii auctor.*

LIII. *Res civiles anni sequentis. Diploma pro Corbeia.*

LIV. *Rabanus Fuldæ regimen abdicat. Hatto in ejus locum suffectus.*

LV. *Lupus abbas Ferrariensis electus in locum Odonis*

LVI. *Odo abbas an Lotharii fautor. Ludovicus abbas in monasterio educatus. Ferrariensium religio & inopia.*

LVII. *Lupus litteras docet. Militiam deprecatur. Auditores ejus Fridilo & Hericus.*

LVIII. *Prumia viri illustres, Gerungus alius ab Hirsaugiensi.*

LIX. *Nithardus an diversus a filio Angilberti.*

LX. *Barnardus Viennensis antistes Romanis mortuus, sepultusque.*

LXI. *Fontanellenses abbates, & chronographi duo.*

LXII. *Walafridus Augiensis abbas; recte sensit de sacris imaginibus.*

LXIII. *Gozbaldus abbas fit episcopus Wirziburgensis.*

LXIV. *Pax inter fratres.*

LXV. *Caroli diploma pro Cormarico. Audacher abbas. Stradensis abbas privilegium obtinet.*

LXVI. *Aliud pro Centulensibus.*

LXVII. *Æduensia monasteria.*

LXVIII. *Namneta & Antrense monasterium a Normannis diripiuntur.*

LXIX. *Vertavenses Eustonem confugiunt.*

LXX. *Deverensis monasterii initia. Sarazienses item parthenonis.*

LXXI. *Germiniacensis conventus. Ordinis monastici elogium & status. Privilegium Corbioni concessum. Abbates hujus synodi.*

LXXII. *Caroli regis diploma pro Corbienensibus. Heriricus abbas Miciacensis & Corbienensis.*

LXXIII. *Caroli præceptum pro Majori-monasterio. Abbates ejus loci.*

LXXIV. *Lotharii præceptum pro Bobio.*

LXXV. *SS. Fausti & Jovitæ translatio.*

LXXVI. *Casinensis thesaurus expilatus.*

LIBER XXXIII.

Ab anno Christi 844. ad annum 849.

I. GREGORII *IV. obitus, & successor Sergius II. Monachi-canonici in S. Maria trans-Tiberim.*

II. *Rabanus libros de Cruce ad papam mittit.*

III. *Lotharii diplomata pro S. Gregorio & Farfa.*

IV. *Caroli varia præcepta Tolosæ data. Domnulus abbas Bisuldunensis. Gesta S. Grasæ.*

V. *B. Mariæ Deauratæ monasterium.*

VI. *Abbates a Pippino cæsi.*

VII. *Lupus abbas spoliatus Marcwardo scribit. Ejus liber de gestis imperatorum.*

VIII. *SS. Chrysanthi & Dariæ translatio Prumiam.*


IX. *Centulensium aucta portio ab Ludovico abbate. Adalardus abbas Sithiensis.*

X. *Lupus urget restitutionem cellæ S. Judoci. Cella hæc a Normannis vastata.*

XI. *Lupi legatio in Burgundiam.*

XII. *Radbertus Corbeiæ abbas scribit de partu Virginis.*

ANNALES



ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI OCCIDENTALIUM MONACHORUM PATRIARCHÆ.

SÆCULUM CHRISTI VIII. ORDINIS III.

LIBER DECIMUS-NONUS.

Ab anno Christi 701. ad annum 714.

ANN. CHR. 701.

I. Sæculi tertii status.



BSOLUTO secundo nostri Ordinis annalium sæculo, quo multum pissimiorum, præsertim in Gallia, monachorum feracius fuit, nunc ad tertium aggredior, cujus procellosa tempora, languente Francorum imperio, bellis, cum domesticis, tum externis, pleraque superiorum temporum decora corruperunt. nam ecclesiarum ac monasteriorum accisæ res, & in beneficium datæ ecclesiæ; abbatiæ ipsæ pars direptæ & destructæ, pars laïcis hominibus traditæ; immo & virorum monasteria quandoque probrosis mulieribus prodita. Episcopatus etiam indignis collati hominibus, vix tonsura præditis, qualis fuit Milo, *sola tonsura clericus*, qui Trevirensem simul & Remensem episcopatus occupavit. Denique religio ipsa summopere labefactata, ac ruinæ proxima, nisi per Bonifacium e nostris Moguntinum antistitem, collaborantibus Carolomanno & Pippino principibus, stetisset. Hic fere infelix rerum in Gallia status, dum per Carolum Magnum pristinus ecclesiis ac monasteriis splendor restitui cœpit.

Interim in Germaniam fides christiana propagatur, agente cum sociis Bonifacio, ibidemque monasticus ordo ab eo institutus, multis insignibus monasteriis exædifi-

ANN. CHR. 701.

catis, quæ vastas illas regiones ad humanitatis leges composuerunt, & ex desertis locis habitabiles reddiderunt. Hæc Germaniæ benefacta ex Anglis potissimum provenere, apud quos religio tum plurimum florebat. Eodem etiam tempore monastica disciplina refloruit apud Italos, maxime in principe monasterio Casinensi, cujus ruinas Gregorius secundus per Petronacem abbatem sarciri curavit. Hinc religionis puritas manavit in Fuldense Germaniæ monasterium, quod ceteris ejusdem regionis cœnobiis, una cum sancti-Gallensi, exemplum ac formam præbuit. Ad Hispaniam quod attinet, pæne omnia ruere visa sunt, Mauris in illas provincias effusis & debacchantibus, qui tantum-non christianam religionem illic proculcarunt. His summatim ob oculos positis, nunc ad rerum seriem & ordinem revertendum est.

II. Bainus abbas Fontanellensis.

Initio hujus sæculi vivere desiit Sergius pontifex Romanus, eo nomine primus, mortuus v. idus Septembris, anno septingentesimo-primo, post annos pontificatus tredecim & menses octo. Hujus pontificis anno tertio-decimo Hildebertus seu Hiltbertus, abbas Fontanellensis in pago Rotomagensi, successorem habuit Bainum ejus loci monachum, qui quintus a sancto Wandregesilo abbas fuit, postmodum episcopus Taruennensis. Eo abbate, Pippinus, princeps Francorum verius quam majordomus, una cum conjuge sua Plectrude cœnobium in pago Veliocassino (Floriacense monasterium apud Veliocasses.) ædificavit, in villa Floriaco, ad amnem Andelam posita, duodecim passuum millibus ab urbe Rotomago: quæ possessio Pippino post pugnam Textriciacam provenerat a Fraërico viro illustri. Hic ipsum Floriacum cum xenodochio in honorem sanctæ Annæ, & sanctorum Petri & Aniani instruxerat, ac Pippino singularem Francorum principatum adepto tradiderat, eo pacto, ut locum illum in cœnobium erigeret, ibidemque monachorum coloniam institueret. quod re vera Pippinus præstitit, cum ob hanc causam, tum pænitentiæ gratia, propterea quod sanctum Ansbertum Rotomagensem pontificem contra fas in exsilium amandasset. Hinc Floriacense hoc monasterium Fontanellensi subjecit, ac Baino abbati regendum commisit, ea conditione, ut post ejus decessum Floriacenses illi monachi non aliunde rectores haberent, quam ex Fontanella monasterio. Hujus rei litteræ datæ sunt anno duodecimo Childeberti regis, præsentibus, præter Pippinum & Plectrudem, eorum filiis Drogone & Grimoaldo, necnon Gripone, & aliis pluribus. Hic ad vitandam nominum confusionem observare convenit, plures in Gallia occurrere Floriacos ad (Floriaci plures.) ordinem nostrum pertinentes. Primus ac præcipuus est Floriacus ad Ligerim supra Aurelianos, ubi nobile extat monasterium, sancti Benedicti nomine ac reliquiis illustre: cui hoc tempore Hugo [a] vir illustris, Drogonis filius, *tempore Dagoberti junioris*, villam Diacum sitam in Burgundiæ pago Tornodorensi, ubi cella postmodum erecta est, ad stipendia Floriacensium fratrum donavit: ubi Rainerius sæculo undecimo præpositus fuit, postmodum abbas Floriacensis, teste Tortario [b] monacho in libro de miraculis sancti Benedicti. Alius est Floriacus in territorio Divionensi ad Oscaram * fluvium, pertinens modo ad monasterium Cabilonense sancti Marcelli, olim ad Sirivaldum, de quo Gregorius [c] episcopus Turonensis. Tertius denique, ut ceteros prætercam, Floriacus in pago Rotomagensi, de quo nunc agimus, nunc prioratus prædicti monasterii Cabilonensis sancti Marcelli.

a Aimoin. lib. 1. de mirac. S. Bened. c. 3.

b Tortar. c. 22.

* L'Ouche.

c Greg. lib. 3. c. 35.

III. Hasprensis cella.

Eidem Pippino a Miræo tribuitur origo cœnobii Hasprensis, in Belgio positi medio itinere Cameracum inter ac Valentianas ad fluvium Sellam, olim Gemeticensi abbatiæ subjecti: ubi sanctorum Hugonis episcopi Rotomagensis & Aicadri abbatis Gemeticensis reliquiæ repositæ sunt, eo allatæ e monasterio Gemeticensi a tempestate Nortmannorum. quæ villa prædicto monasterio utrum ante hanc translationem subjacuerit, an tunc temporis excipiendis horum sanctorum corporibus aut a rege, aut a quolibet principe tradita fuerit, Baldericus episcopus in chronico [d] incertum esse fatetur. Quo autem modo hæc cella a Gemeticensibus ad Vedastinos transierit, alias ex eodem auctore exponemus.

d Chron Camerac. lib 2. c. 29.

IV. Bellendis Morsellensis obitus.

Merbeccæ itidem in Belgio sub idem tempus sancta Bellendis virgo & monacha Morsellensis decessit post annos septemdecim a morte patris sui Odelardi, viri illustris, quem Merbeccæ sepeliri curaverat. Ubi ex divina revelatione extremum vitæ suæ tempus imminere intellexit, convocatis sacerdotibus oleum sanctum petiit, eoque accepto, exitum suum corpore & sanguine Christi Domini consecravit. Paullo

post ex hac vita feliciter migravit III. nonas Februarii. Corpus ejus, deficiente lapide, in monumento querno Merbeccæ ad patrem humatum est; post annos ab ipsius obitu triginta translatum in decentiorem locum. Erat in cœnobio Tullensi sancti Stephani protomartyris monachus quidam, cujus animo immissa est cogitatio adeundi Merbeccam Brabantiæ vicum, ut inde sanctæ Bellendis reliquias afferret. Dissimulato per aliquod tempus consilio, ubi tempus opportunum nanctus est, earum partem furtim sustulit in Tinensem solitudinem pagi Regitestensis, ubi in basilica, in honorem Virginis Deiparæ ædificata, pium furtum deposuit. Miraculis crebrescentibus monasterium a Stephano comite & Freduide conjuge postea basilicæ adjunctum cum congregatione monachorum, demum Mosomensi beatæ Mariæ abbatiæ ab Adalberone Remorum pontifice unitum est, modo Remensi Seminario cum suis proventibus addictum. Quæ de sancta Bellende diximus, ea nos docuit Herigerus abbas Laubiensis, qui libellum de ejus vita scripsit desinente sæculo decimo. Morsella vicus est prope Teneramundam ad Scaldim, quo sancta Gudila secessit tempore Caroli Magni, istius cœnobii instauratoris potius quam primi auctoris. Merbecca vero vicus est Brabantiæ in diœcesi Mechliniensi, haud procul a Nivonia Flandriæ opido. In divisione regni Lotharii, anno supra octingentesimum septuagesimo facta, inter Belgii monasteria recensetur *Merr.becchi*, quæ nunc est parœcialis & collegiata ecclesia septem sacellanorum, in qua sanctæ Bellendis reliquiæ asservantur.

ANN. CHR. 701.

Tinense monasterium.

Duo virginum monasteria in Gallia item Belgica tunc constructa sunt, Palatiolum in prima Belgica apud Treviros, Alciacum in secunda apud Atrebates. Palatiolum, locus amœnus, ab urbe Trevirorum passuum circiter tria millia in septemtrionem, villa erat ad Mosellam, ad Pippinum principem pertinens, priusquam illic cœnobium ædificaretur. Hunc locum ab ipso Pippino comparavit Adela, filia Dagoberti Austrasiorum regis eo nomine secundi, ejus qui post Sigiberti patris mortem a Grimoaldo in Hiberniam relegatus, postea in patrium thronum restitutus est. Loco ita comparato, monasterium virginum condidit Adela, tunc forte orbata viro, ex quo filium Albericum genuit. Huic soror fuit Irmina, virgo & abbatissa Horreensis parthenonis ad muros Trevirenses: cujus exemplo sæculo nuntium remisit, & in suum Palatiolum se recepit, eidemque annos fere triginta-quinque præfuisse dicitur. Addulam vocat Liudgerus episcopus in actis sancti Gregorii rectoris ecclesiæ Trajectensis ad Rhenum, ubi scribit, Bonifacium, dum ad Hassos & Toringos iter ageret prædicationis causa, pervenisse ad Palatiolum monasterium virginum prope Treveris civitatem in ripa fluminis Mosellæ, cui tunc præerat abbatissa, nomine Addula, religiosa valde & timens Deum. Hæc mihi videtur esse Adolana abbatissa, cui Elfleda, itidem abbatissa cujusdam Anglicani cœnobii, aliam abbatissam etiam Anglicanam, Romam pergentem, commendat [a] hac salutatione præmissa: *Dominæ sanctæ, atque adeo honorabili Adolanæ abbatissæ, Elfled ecclesiastica familiæ famula, sempiternæ sospitatis salutem in Domino.* Deinde Adolanam laudat ex relatu popularium suorum ex illis partibus adventantium, per quos fama ejus sanctitatis ad se pervenerat; eidemque commendat devotam ancillam Dei ac religiosam abbatissam, carissimam fidelissimamque filiam suam, quæ ab annis adolescentiæ suæ Romam ad limina sanctorum apostolorum Petri & Pauli ire cupierat, sed a se pro necessitate atque utilitate animarum sibi commissarum hactenus detenta fuerat.

V. Adela abbatissa Palatioli conditrix.

[a] Bonifac. epist. 51.

Eodem tempore conditum est monasterium Alciacense seu Alchiacense apud Atrebates, haud procul ab Hesdinio castro, ad Quantiam fluvium. Illic virginum cœnobium Adalsquarus quidam, ejusque conjux Aneglia, nobiles Franci, & basilicam in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ construxere: ubi eorum filia Siccherdis, deposito sæculari habitu, Deo consecrata est. Ibidem sepultus ab ea est sanctus Silvinus episcopus, nulli, ut videtur, addictus ecclesiæ. Is primum desponsatus, ex pago Tolosano, ubi natus fuerat, sponsa intacta discedens, ad Morinos accessit; ibidemque episcopus ad prædicandum evangelium factus, multis virtutibus claruit, solis oleribus per annos quadraginta vesci, & ferreos ad cutem circulos gestare solitus. Memoriæ proditum est, eum molas duas lapideas Romam pænitentiæ causa tulisse ad fores basilicæ sancti Petri. Obiit XIII. kalendas Aprilis, ejusque funus curarunt monachi Centulenses, qui non longe distabant ab Alciaco monasterio, ubi sancti Silvini corpus humatum est: cujus sepulcrum Siccherdis auro & gemmis exornari

VI. Alciacensis monasterii initia.

ANN. CHR. 701.

curavit. Errant qui Silvinum episcopis Taruennensibus adnumerant, siquidem tunc tempore, quo is apud Morinos demoratus est, sedem illam tenuerunt unus post alium Drausio, Bainus, Ravengerius, & Erkembodo, qui Silvino supervixit. Alciacense monasterium penes sanctimoniales stetit usque ad tempora Normannorum, qui illud dissiparunt. Post id tempus instauratum est pro monachis Benedictinis, qui illud hodie quoque possident, Alciacum-monachorum * vulgo appellatum, ut distinguatur ab Alciaco castro vicino. Silvini res gestas primus litteris consignasse dicitur quidam episcopus, Antenor nomine, cujus scriptionem, *in corruptis membranulis repertam*, anonymus quidam expolivit jussu Leutewith abbatissæ, quæ ante Normannorum irruptionem vixit.

* Auchy-les-moines.

VII. Centulenses abbates.

Quis Centulensi monasterio abbas tum præfuerit, obscurum. Post sanctum Richarium loci rector fuit Ocioaldus: cui Hariulfus chronographus * substituit Coschinum, qui Gemeticensis etiam monasterii abbas erat; Coschino Guitmarum, quem Ingelramnus abbas sanctissimum virum appellat. Addit Hariulfus, eumdem in Neustriæ solo humatum quiescere in sui nominis collegiata ecclesia, nempe Gornacensi ad Eptam fluvium, ubi modo nomen ejus prorsus ignotum est præ sancto Hildeverto Meldensi episcopo, quem perperam cum Guitmaro confundunt, cum eum ex monacho Luxoviensi & abbate Centulensi Meldensem episcopum creatum fuisse aiunt. Guitmari seu Witmari tempus discimus ex concilio Attiniacensi anni septingentesimi sexagesimi-quinti, cui concilio Witmarus abbas de Centula cum aliis subscripsit. Post Guitmarum Aldricus quinto loco Centulæ congregationem rexisse dicitur, nomine tantum notus: sexto Symphorianus, vir bonus, castus ac timens Deum, animi puritate commendatus: qui Centulæ admisit sanctum Angilbertum, magnum historiæ nostræ decus & ornamentum.

* Spicil. to. 4. p. 452. & 453.

ANN. CHR. 702.

VIII. Beda fit presbyter.

ANno insequenti venerabilis Beda, cum ætatis annum tricesimum ageret, jubente Ceolfrido abbate suo, presbyter ordinatus est a Johanne episcopo Hagustaldensis ecclesiæ, cui Wirense & Girwense monasteria suberant, antequam Dunelmensis episcopatus erigeretur. Hujus rei argumentum est, quod Beda, hortante Acca post Wilfridum ejusdem sedis episcopo, complures lucubrationes suas aggressus est. Ex tempore suscepti presbyteratus vir sanctus Scripturæ sacræ meditandæ & commentandæ se totum dedit, non ex proprio sensu commentaria edens, sed ex sententiis sanctorum Patrum, a quibus vel tantisper recedere nefas ducebat. Et ne ex eorum scriptis gloriolam captare videretur, eorum nomina, ex quibus profecerat, in suis præfationibus celebrare non omittit, appositis etiam ad marginem eorum nominibus, lectorem obsecrans in præfatione super Marci evangelium, ut si hæc opuscula transscriptione digna duxerit, *adnotationem eorum, quæ in margine apposita sunt, diligens scriptura conservet*. Quo iniquior est in virum modestissimum Desiderius Erasmus, qui in adnotationibus ad Marci caput quartum-decimum sugillat Bedam ob dissimulatum, ut putat, Hieronymi nomen, dum locum ex Hieronymi commentariis in Matthæum Beda transscribit in Marcum. Næ ille si Bedæ præfationem in Marcum legere voluisset, certe abstinuisset a tam iniqua censura. Recte de eo poëta * anonymus illius temporis, jam a nobis laudatus:

* Acta S. Bened. tom. 4. p. 562.

Actu, mente, fide veterum vestigia patrum
Semper, dum vixit, directo est calle secutus.

IX. S. Bertila abbatissa Calensis obiit.

In Galliæ monasterio Calensi supremos dies tum absolvit Bertila, prima ejus loci abbatissa, post regiminis annos sex & quadraginta, virgo tantæ perfectionis tantique animi, ut cervices facile martyrio supposuisset, si adfuisset dextera percussoris. Cum senio affecta esset, non, ut plerisque moris est, remissius vivere, aut epulis lautioribus uti volebat, sed magis ac magis, quatenus affectæ sinebant vires, cibi ac potus parcitatem sectabatur, & fatiscentibus jam membris noctes pervigiles nihilo minus ducebat. Demum levi febre pulsata, lecto decubuit, perennes Deo gratias, cum per se, tum per alios reddens: tandemque absque ulla fere corporis vexatione, erectis sursum oculis, manibusque ad cælum expansis, animam Deo reddidit nonis Novembris, quo die festus ejus dies in Calensi monasterio celebratur. Corpus ejus pro sororum desiderio triduo inhumatum, quarto die cum honore debito perunctum

ANN. CHR. 702.

balsamo, sepulcro mandatur: ubi varias ægrotantium infirmitates ad preces fidelium patratas fuisse tradit ejus temporis auctor anonymus, qui res ab ea gestas in litteras retulit. In peculiari de ea officio laudatur in primis ejus humilitas. Collectas, ut vocant, seu orationes ac præfationem, ad missam in ejus festo quondam recitari solitas, habes in Appendice ad tomum primum nostrorum Annalium. Post Bertilam solis nominibus notæ sunt Calenses abbatissæ Ermengardis, Clementia, & Ascelina, Sibylla, & Marsilia, cui Gisla successit, suo tempore commemoranda.

ANN. CHR. 703.

X. Lemausum S. Germano asseritur.

Præerat tum monasterio sancti Vincentii & sancti Germani prope Parisiorum urbem Thedelmarus abbas, Waldromeri superius[a] a nobis laudati successor ab anno Childeberti regis octavo, quo anno Thedelmarus abbas ejus successor cellam Lemausum * suo monasterio asseruit in regio conventu, qui tunc in villa Carracciaco seu Carisiaco ad Iseram habitus est. Ad hunc conventum cum accessisset Thedelmarus, coram rege ejusque fidelibus illic residentibus exposuit, Gamonem quondam, & conjugem ejus Adalgudem, tunc Deo sacratam, instrumentis suis [b] monasterio sancti Vincentii vel domni Germani, ubi ipse preciosus domnus in corpore quiescit, sub opidum Parisius civitate constructo, ubi Thedelmarus ipse præerat, condonasse monasteriolum pagi Stampensis, nuncupatum Lemausum, cum omnibus rebus ad ipsum pertinentibus. Eidem conventui præsens aderat ipsius Adalgudis missus, Aigatheus nomine, qui, relectis prædictis instrumentis nihil opponendum habere se dixit, immo litteras donationis veras agnovit; consensitque, tam pro se, quam pro Adalgude, ut locus ille in possessionem monasterii sancti Germani transiret. Assensit & Ghislemarus comes palatii, & per suam festucam prædicto monasterio Lemausum adjudicavit. Besra, si bene lego, authenticum recognovit, datum mense Februario, anno octavo, in editis male septimo, Childeberti regis, Carracciaco feliciter. Fortasse Adalgudis Deo sacrata erat in illo monasteriolo Lemauso, quod opidum est pagi Stampensis, ubi nihil modo possidet sancti Germani monasterium. Thedelmaro abbati successit Babo abbas, de quo inferius.

a Lib. 18. n. 56.
* Limours.
b V. instr.

XI. Ebbo abbas, tum episcopus Senonensis.
* Tonnerre.

Hoc fere anno Ebbo seu Ebo regimen iniit monasterii sancti Petri Senonensis. Is Tornodoro * Burgundiæ castro oriundus, non minus virtutibus, quam parentum nobilitate clarus extitit. Egressus ex ephebis, post navatam litteris operam, Tornodorensis pagi administrationem, quasi hereditario jure sibi debitam, coactus populi interpellatione cepit. Verum ad altiora vir sanctus divinitus vocabatur. Florebat tunc temporis in suburbio Senonensi monasterium sancti Petri, eique Viraiboldus abbas *sub sancta regula* præsidebat jam inde a Chlodovei tertii anno quinto, ut superius observavimus ex charta Leotheriæ ipsius Ebbonis sororis, non vero ejus decessor Aighilenus, ut apud Clarium chronographum & apud anonymum sancti Ebbonis vitæ scriptorem legitur. Admissus in monasterium novus tiro, brevi perfectissimi monachi numeros sic implevit, ut decedenti abbati Viraiboldo universorum calculis suffectus sit. Non diu talem ac tantum rectorem apud se retinere potuerunt ejus loci monachi. nam paullo post, cum Senonensis metropolis sedes morte Goërici seu Gerici episcopi vacua esset, ejus locum abbas religiosissimus subire coactus est, regnante Childeberto. id quod probant litteræ Ingoaræ ejus sororis pro monasterio sancti Petri, suo loco referendæ, quibus Ebbo jam episcopus subscribit anno primo Dagoberti regis, ipsius Childeberti filii ac proximi successoris. De rebus ab Ebbone pontifice gestis nulla nobis notitia superest præter id, quod de soluta per ipsum obsidione Senonensi postea referemus.

XII. Wilfridi episcopi iterata vexatio.

In Britannia majori res omnium indignissima commissa est in Wilfridum episcopum Eboracensem, qui tunc in Merciorum regno apud Ethelredum regem exsul manebat. Coacto apud Estrefeldam episcoporum coram Aldfrido rege concilio, cui Berthwaldus archiepiscopus præsidebat, legatis missis rogatus est Wilfridus sub fide publica interesse, promissione data, prisca contra eum edita statuta denuo ad examen revocatum iri. Ubi eo advenit vir sanctus, longe aliter causa vertit. nam adeo pristina sententia emendata non est, ut contra multo plura & graviora accusationum & altercationum capita ei objecta sint, conspirante rege, ab episcopis & quibusdam abbatibus, qui pacem ecclesiis restituere, avaritia & invidia stimulante, parum curabant, immo vero Theodori olim archiepiscopi judicio standum censebant. Ille vero eis rei indignitatem exprobravit: Qua fronte, inquiens, auderent statutis

AN. CHR. 703.

» apostolicis Agathonis, Benedicti & Sergii sanctissimorum pontificum Theodori epis-
» copi sibi infesti decretum præferre, ipsique jam per duos & viginti annos vexato
» novas ciere rixas contra apostolicæ sedis auctoritatem? Interea unus e ministris re-
gis Wilfrido clam suggessit, caveret fraudem & insidias, quæ ipsi struerentur: si
adversariorum judicio acquiesceret, mox ipsum rebus omnibus, quas in Transhum-
brensium regione, sive in episcopatu, sive in monasteriis, possidebat, privandum,
&, si quid in Merciorum regno acquisivisset, Cantuariensi resignandum archiepisco-
po; ac demum, prolata damnationis sententia, eum episcopatus honore dejicien-
dum. Hinc cautior effectus, responsionem flagitantibus dixit, se archiepiscopi judi-
cio staturum, modo ut sanctorum Patrum regulis consonum esset. Tum illi eum uni-
versis possessionibus privatum declarant, ita ut ne minimam quidem ei domuncu-
lam, vel in Transhumbrensium regione, vel in regno Merciorum, relinquerent.
Hoc vero judicium adeo injustum & inhumanum cunctis visum est, ut vel ipsi ejus
inimici illud horruerint, impium esse dicentes, virum circumpositis nationibus fa-
mosissimum, nullius capitalis criminis reum, bonis suis privari. Itaque de judicii
atrocitate tantisper remittentes episcopi, censuerunt, ut monasterium Ripense, ab
eo exstructum & dotatum, cum omnibus ad illud pertinentibus ei restitueretur, ea
tamen conditione interposita, ut propriæ manus subscriptione promitteret, se quie-
tum illic permansurum, nec inde umquam absque permissu regis egressurum, & ni-
hil exerciturum sacerdotalis officii, immo gradum honoris episcopalis abdicaturum.
» Quo audito, Wilfridus constanter & intrepide in hunc modum locutus est. Ergone
» me in hanc infelicitatis conditionem redigitis, ut me proprio ipse gladio confo-
» diam? quid enim aliud agitis, dum subscriptionem propriæ damnationis a me exi-
» gitis? Annon absque ullo famæ offendiculo vitam transegi per annos totos quadra-
» ginta, qua episcopi vocabulo & honore, quamquam indignus, censeor? Ego ego
» ipse primus, post primos sancti Gregorii discipulos huc missos, Scoticæ propaginis
» virulenta germina exstirpavi, totamque Transhumbrensium gentem ad catholicum
» pascha & legitimam tonsuram adduxi. Ego canonicam in ecclesiis modulationem
» institui, & monachorum vitam *secundum regulam sancti Benedicti patris*, quam nul-
» lus ante me in hanc Transhumbrensium regionem invexerat. Nunc vero ad id me
» compellere vultis, ut nullius conscius facinoris, damnationis sententiam in me pro-
» feram. Jam vero quod sanctum mihi habitum detrahere conati estis; sedem aposto-
» licam appello, & illuc ad judicium provoco vos omnes, quotquot dignitatis gradu
» me dejicere molimini: & tunc demum, si Romanis viris sapientissimis visum fue-
» rit, ipse meæ damnationi consentiam. Ad hæc archiepiscopus & rex dixerunt, eum
vel hoc ipso damnatione dignum, quod ipsorum judicio Romanum prætulisset. Ad-
debat rex, se facile eum vel vi adacturum ad subscribendum, si archiepiscopo lu-
beret. At repugnarunt episcopi, quod is sub fide publica ad concilium accessisset.
Ita dimissus Wilfridus, ad Ethelredum Merciorum regem reversus est: ejus vero
adversarii excommunicationis sententiam in eum, omnesque ei adhærentes protule-
runt. quæ adeo rigide servata est, ut, si quispiam abbatum vel presbyterorum ei ad-
hærentium cibos benedixisset, alii eos, non secus atque idolothytum, projicerent,
atque vasa ipsa, quibus illi uterentur, antequam lota essent, contingere dedigna-
rentur.

Multos ex his, quos Wilfridus ipse discipulos erudierat, afflavit commovitque hæc
procella, immo nec paucos ab ejus societate abduxit. quos ut in officio contineret,
Aldhelmus abbas Maildunensis, gravem ad omnes scripsit epistolam, in qua descri-
» bitur furibunda illa tempestatis perturbatio, quæ fundamenta ecclesiæ, sicut quo-
» dam immenso terræ motu, concussit, cujus strepitus per diversa terrarum spatia,
» velut tonitruali fragore, longe lateque percrepuit. Proinde omnes obsecrat supplex,
» ut ne hujus perturbationis turbine moveantur, etiamsi eum suo præsule a patrio
» solo propelli, & ad transmarinas regiones exturbari oporteat. quippe omnia, quan-
» tumvis dura & atrocia, eis potius subeunda esse, quam a proprio antistite avelli,
» qui vos, inquit, ab ipso tirocinio rudimentorum, & a primæva teneræ ætatis infan-
» tia usque adultæ pubertatis florem nutriendo, docendo, castigando, provexit pieta-
» te, & quasi nutrix gerula, caritatis gremio fotos clementer amplexus est. Quid ergo
» de vobis dicetur, si pontificem, qui vos nutrivit & extulit, in exsilio solum dimise-
» ritis? Hujus epistolæ prolixius fragmentum retulit Willelmus Malmesburiensis in
prolixiori Wilfridi vita.

ANN. CHR. 704.

XIII. Ejusdem iter Romam, & absolutio.

IN has redactus angustias sanctus antistes, jam septuagenarius Romam contendit, quod iter, transmisso oceano, pedibus confecit. Abjectus ad pedes Pontificis Johannis sexti, qui Sergio hujus sæculi initio successerat, suæ appellationis libellum porrigit, aitque se venisse, non accusandi cujusvis gratia, sed sui ipsius purgandi, si quis contra se accusator insurgeret. Cum Bertwaldi archiepiscopi oratores advenissent, ex quibus unus tantum diaconus erat, ceteri ecclesiasticorum graduum expertes; convocata episcoporum & Romani cleri synodo, Johannes pontifex supplicem Wilfridi libellum recitari jussit, cujus hæc summa erat. Se episcopatu, monasteriis, omnibus denique facultatibus contra decreta summorum pontificum Agathonis aliorumque, privatum ac spoliatum accessisse ad apostolicam sedem, ut, si quis quidquam accusationis contra ipsum haberet, coram pontifice exponeret; paratum vero se esse subire qualem pontifex vellet sententiam. Sin nullius pensi accusatio esset, rogare, ut, summorum pontificum Agathonis, Benedicti, ac Sergii decretis confirmatis, sibi ablata restituerentur, tam ea quæ in Merciorum regno ab Ethelredo rege aliisque acceperat, quam quæ in episcopatu Eboracensi antea possederat. Quod si forte Aldfrido regi durius videretur sibi Eboracensem episcopatum cum suis monasteriis restitui; saltem duo tantum monasteria, Ripense videlicet atque Hagustaldense, cum omnibus terris & possessionibus ad ea pertinentibus, concederentur. De cetero, se debitam venerationem, juxta sanctiones canonum, Berthwaldo archiepiscopo impensurum. His lectis, dimisso Wilfrido, introducti oratores Bertwaldi archiepiscopi, multiplices ac gravissimas in Wilfridum accusationes protulerunt. quibus auditis, dilata est in alteram diem utriusque partis cognitio ac dijudicatio. Præfinita igitur die accusatores & defensores adesse jussi. Illi hoc primum attulerunt accusationis caput, quod Wilfridus judicia sancti episcopi Bertwaldi, totius Britanniæ primatis, in synodo episcoporum sancita contemsisset. Ad hæc Wilfridus: Immo vero, inquit, in frequenti synodo Britanniæ professus sum me in cunctis archiepiscopi judicio ex animo obsequi paratum esse, ubi nihil statutis sanctorum patrum, canonicis definitionibus ac regulis, maxime vero Agathonis papæ, ejusque successorum decretis contrarium esset. Ceterum quod juramentum ejus rei absolutum & nulla conditione definitum exigere voluerint, fateor id negavi, quod numquam antea a quoquam id extortum audiverim. Cum ad id nihil reponerent adversarii, tunc conferentes inter sese pontifex & episcopi, demum intulerunt: Ex præscripto canonum se habere, ut, quotiescumque clericis ab accusatoribus quædam crimina objiciuntur, si primum probare non potuerint, ad cetera jam non admittantur. Sed tamen pro reverentia, cum Bertwaldi archiepiscopi, tum ipsius Wilfridi, ejus causæ pleniorem cognitionem in aliud tempus visam esse remittendam. Verum, dato accusatoribus quatuor mensium spatio, habitisque ea maxime de causa septuaginta conciliabulis, cum illi nihil solidi attulissent; relectis omnibus, quæ in superioribus sub Agathone synodis in Wilfridi causa jam definita fuerant, objurgata accusatorum temeritate & impudentia, pontifex eum absolvit, purgatumque declaravit, approbatis insuper decretis, quæ Agatho papa, ejusque successores in ejus gratiam ediderant. qua de re epistolam scripsit ad Ethelredum & Aldfridum reges, Bertwaldo archiepiscopo mandans, ut synodum una cum Wilfrido celebraret: in qua Bosæ atque Johannis episcoporum, quorum alter Eboraci, alter Hagustaldi pro Wilfrido intrusi fuerant, causam dijudicarent: &, siquidem inter sese convenissent, id ratum se habere pontifex dixit; si vero aliter accidisset, præcipere, ut ad sedem apostolicam una convenirent: ut ampliori concilio definiretur, quod ipsi definire non valuissent. Post tam favorabilem sententiam Wilfridus Romæ apud sedem apostolicam remanere nihilo minus cupiebat. Verum pontifici ac synodo visum est, ut in patriam remearet, ad solatium & levamen subditorum, amicorumque suorum.

XIV. In reditu Meldis ægrotat.

Ille vero ad obediendum promtissimus, collectis sanctorum reliquiis cum variis ecclesiarum ornamentis, in Galliam contendit. In via, gravissimo infirmitatis languore correptus, equo primum, dein lectica vehitur, & ad civitatem Meldorum vix vivus deducitur, pæne exanimis, quod nihil cibi potusve quatriduo percepisset. Forte in suburbano sanctæ Crucis monasterio, quod ejusmodi peregrinorum quoddam quasi diversorium erat, hospitatus est. Illic in somnis angelico recreatus viso

ANN. CHR. 704.

& oraculo, de futura incolumitate ac restitutione certior redditur, post quatuor annorum spatium denuo ab angelo visitandus. Rediret ergo, & ecclesiam in honorem sanctæ Mariæ virginis tandem vel unam exstrueret. Mox quasi de gravi somno excitatus antistes, inter choros canentium & flentium, stupentibus cunctis, resedit: Ubi est, inquiens, Acca presbyter. cui statim cum gaudio advenienti, remotis arbitris, ea quæ sibi acciderant revelavit. Ille est Acca, postmodum episcopus Hagustaldendis, quem *beatæ memoriæ* episcopum, tametsi viventem, Stephanus Eddius vocat. Paucis deinde diebus elapsis, cum vires tantisper recreasset, cœptum iter persequens, navigio in Cantiam appulit: ubi cum Bertwaldo jam mitigato facile in gratiam rediit. Nec mirum, si ab Ethelredo olim rege Merciorum, jam dudum sibi addictissimo, humanissime acceptus est: cui cum statuta de se ab apostolica sede judicia, pontificiis signata bullis ac sigillis, ostendisset; ille ne unius quidem litteræ apicem se prætermissurum, nec umquam contra facientibus consensurum asseruit; statimque Coënredum, quem pro se regem constituerat, ut idem faceret, adjuravit. Non sic affectus fuit Aldfridi regis animus. nam cum Ethelredi suasu Badwinum presbyterum & abbatem una cum magistro Alfrido seu Aluhfrido ad eum direxisset, facultatem sibi regis conveniendi, eique litteras apostolicas offerendi rogaturum; rex primo quidem nihil ouri austerive respondit: sed altera die reversis dixit: Si ipsi pro se quidvis peterent, libenter pro ea, quam erga eos habebat, reverentia concessurum: de causa vero Wilfridi se nihil de his, quæ antecessores ejus reges & archiepiscopus cum consiliariis suis censuerant, propter apostolicæ sedis scripta relaxaturum. cujus consilii postmodum valde ipsum pænituit. nam paullo post in letalem morbum incidit: cujus causam, ut erat sapientissimus, mox intelligens, pænitentia ductus confessus est, se in Wilfridum & in apostolicam sedem peccasse, professus, se, si ex illa infirmitate convalesceret, in omnibus judicio apostolicæ sedis obtemperaturum: sin vero Deo volente obiret, futuro successori suo injunxit, ut cum Wilfrido episcopo, in animæ suæ remedium, concordiam integraret. cujus dicti testes Eddius profert Alfledam Streaneshalensem abbatissam, sapientissimam virginem, Oswii regis filiam, ipsiusque Aldfridi sororem, & Ældelburgam abbatissam, præter multos alios testes. Defuncto Aldfrido, nihilo cautior ejus successor Fadwlfus, nuntiis a Wilfrido missis pro antiqua humanitate sua respondit, nisi Wilfridus a regno ipsius intra sex dies discederet, nullum e sodalibus, qui sibi occurrerent, impune abiturum. Verum eo post duos menses expulso, regnavit ejus loco regius puer Osredus, filius Aldfridi regis, qui sancto pontifici nostro quasi filius adoptivus factus est.

Sanatus in Angliam redit.

XV. Ethelredus ex rege monachus.

Ad Ethelredum regem Merciorum quod attinet, jam ante Wilfridi reditum in Bardeneiense monasterium agri Lincolniensis se receperat: ubi, abjecto regali sceptro, monasticas vestes purpuræ, & religiosam tonsuram regio diademati prætulerat. Hunc ejus secessus annum signat Bedæ epitome in hæc verba: *Anno septingentesimo-quarto Athilred, postquam triginta annos genti Merciorum præfuit, monachus fa us, Coënredo regnum dedit.* Eum porro monachum fuisse, cum Wilfridus ex urbe in Britanniam reversus est, non modo Beda testatur, sed etiam Stephanus Eddius: ubi Wilfridus Roma reversus accessisse dicitur ad Ethelredum regem, *qui ante regebat Merciorum populum, & Coenred post se regem constituerat.* Addit Beda [a], eum jam tum abbatem fuisse. quod Eddius non dicit, nec facile cum tempore ejus secessus conciliari potest. alias dicendum esset, Ethelredum anno septingentesimo quarto monachum factum, teste Beda, eodem ipso anno, aut proximo ineunte, quo scilicet Wilfridi ex Urbe reditus contigit, etiam abbatem fuisse. Idem rex Bardeneïense monasterium condidisse [b] traditur, sancti Oswaldi regis corpore illustre: ubi ad trecentos monachos ante Danorum tempora exstitisse legimus. Tempus, quo Wilfridus ex urbe rediit, colligimus tum ex eo, quod apud Meldos ægrotanti intra quatuor annos mors prænuntiata est, quam anno septingentesimo nono accidisse constat: tum ex morte Aldfridi regis, brevi post ejus reditum subsecuta, quam Beda ceterique anno septingentesimo quinto reponunt. Aldfrido desponsata fuit Cuthburga, eo annuente monacha, tum abbatissa Winburnensis, de qua nobis agendum, postquam de Ina ejus fratre dixerimus.

a Beda lib. 5. c. 20.

b Monast. Anglic. p. 142.

XVI. Reges monachi facti apud Anglos.

Multos Britanniæ insulæ reges septimo & octavo sæculo ad vitæ monasticæ asylum se recepisse, & ex eo ad cælestis patriæ portum appulisse, ex antiquis monumentis discimus.

ANN. CHR. 704.

diximus. Primus, ni fallor, viam aperuit Sigeberchtus [a] rex orientalium Saxonum, qui, relictis regni negotiis, & cognato suo Ecgrico commendatis, in monasterium a se conditum secessit. Ejus exemplum secutus est Sebbi, ejusdem provinciæ subregulus, qui gravi tentatus morbo, admonuit [b] conjugem, ut vel tunc divino sese cultui ambo manciparent: statimque ab antistite Londoniensi *habitum religionis*, quem diu desideraverat, accepit. Tertius idem propositum executus est Eutwinus, occidentalium Saxnnum princeps, unus fortasse ex illis subregulis, qui post Cenwalchium annis circiter decem regnum gentis inter sese divisum tenuerunt, non alius forte quam Escwinus, de quo apud Willelmum monachum Malmesburiensem. Is, ut in veteri apud Alcuinum epigrammate [c] legimus, postquam imperium occidentalium Saxonum rite administrasset, tribus prœliis totidemque triumphis illustris; & plurima ecclesiis ac monasteriis munera contulisset; mundum triumphans, monasticam primo vitam, dein cælos petiisse dicitur, regno in Ceadvallam transmisso. Huic filia fuit Bugga, inferius laudanda, quæ templum beatæ Mariæ struxisse in illo carmine perhibetur. Quintus Ethelredus ex rege Merciorum itidem monachus factus est, uti mox dicebamus. Quintus ac sextus Coënredus & Offa, Merciorum itidem reges, paullo post laudandi. Septimus Ina rex occidentalium Saxonum, de quo agendum in præsens. Octavus & nonus Ceolwlfus, & Eadbertus Northanimbrorum reges, quos suis locis celebrabimus. Hic usurpare liceat id, quod Sugerius abbas occasione consimili dicit in libro de vita Ludovici sexti Francorum regis: *Videant qui monasticæ paupertati derogant, quomodo non solum archiepiscopi, sed & ipsi reges, transitoria vitam æternam præferentes, ad singularem monastici ordinis tutelam confugiunt.* Ad Inam venio.

a Beda lib. 3, c. 18
b Id. lib. 4. c. 11.
c Alcuin. epigr. 3.

XVII. Inæ regis facta & monachatus.

Ceadwallæ regi occidentalium Saxonum, Romæ, uti diximus, defuncto, successit Ina ex stirpe regia, nempe Cinegisli ex fratre Cuthbaldo pronepos, rebus domi, quam militiæ gestis non minus illustris. Argumento sunt leges ab ipso conditæ ad corrigendos popularium suorum mores, quæ hactenus exstant, pars quidem apud Spelmannum, integræ apud Johannem Bromtonem. Has Bertwaldo Cantuariensi archiepiscopo confirmandas misit per Bonifacium presbyterum ac monachum, postea futurum episcopum Moguntinum. Indicio sunt etiam ejus pietatis monasteria, regiis sumtibus nobiliter ab eodem excitata: quorum præcipuum fuit Glastoniense seu Glasconiense, consilio Aldhelmi abbatis hoc tempore ab eo instauratum potius quam primo exstructum in quodam palustri loco, ut scilicet eo tenacius monachi supernis inhiarent, quo castigatius terrena haurirent, inquit Willelmus Malmesburiensis, qui de antiquitate ejusdem monasterii libellum scripsit, nondum editum. Ina itaque vetera Glastoniensis monasterii ædificia instauravit, vel potius ex vetustis nova fecit, prædiis amplissimis locum dotavit, munivit privilegiis, quæ initio Monastici Anglicani legere licet. In uno eorum ait, Kenewinum regem, *qui Glastingie matrem sanctorum vocare solitus erat*, eam ab omni sæculari & ecclesiastico obsequio immunem statuisse, & hanc privilegii dignitatem concessisse, ut habeant ejusdem loci fratres potestatem eligendi & constituendi sibi rectorem secundum regulam sancti Benedicti. Istud monasterium positum erat in pago Somersetensi, multis viris piis ac sanctis illustre, qui in Monastico Anglieano recensentur. Ejus monasterii historiam post Willelmum scripsit Adamus Doverhamus, & post eum Johannes, ejusdem loci monachi: ex quibus Johannes hanc historiam usque ad sæculi quinti-decimi initium prosecutus est.

Glastoniense monasterium ab eo excitatum.

Item Abendoniense.

Præter Glastoniense, Ina cum patre Cissa monasterium Abendoniense in Berkensi pago construxit ad Isim fluvium, qui Tami recepto Tamisim efficit. Addit Matthæus monachus Westmonasteriensis, & alii cum eo, eumdem Inam Romæ scholam Anglorum ædificasse, in qua populares in fide catholica erudirentur, eidemque scholæ e singulis regni sui familiis singulos denarios annuo censu pendi communi decreto præcepisse, id quod postmodum Offa & Ethelwolfus Angliæ reges ratum habuerint non sine aliqua accessione. Denique Ina cum triginta & septem annis regnum tenuisset, & ipse relicto regno, ait Beda [d] venerabilis, ac junioribus commendato, quod jam Ceadwalla fecerat, ad limina beatorum apostolorum, Gregorio pontificatum tenente, profectus est, cupiens in vicinia sanctorum locorum ad tempus peregrinari in terris, quo familiarius in cælis recipi mereretur. Ejus itineris occasionem Willelmus tribuit Ethelburgæ uxori, quæ cum crebro conjugem ad contemtum hu-

d Beda lib. 5. c. 24.

ANN. CHR. 704. monarum rerum hortaretur, nec ille hortanti acquiesceret; astu vincere parat; regia villa fimo oppleta, in qua pridie regales sumtus Ina explicuerat: cujus rei occasione uxor brevem de fluxa rerum voluptate orationem ad eum fecit, cumque hoc paradigmate ad regni ac sæculi contemtum animavit. Ejus rei fides sit penes auctorem. Romæ monachum induit rex Ina, ut suo loco fusius exponemus, ipsaque Ethelburga ejus uxor in monasterium Berkingense diœcesis Londinensis ad Tamisim se recepit, ubi deinde abbatissa fuisse creditur, longe post Æthelburgam primam ejus loci abbatissam, cui Hildelita successit. Alia etiam fuit Æthelburga abbatissa, quæ morienti Aldfridu regi adfuisse, ejusque ob Wilfridum vexatum pænitentis verba excepisse fertur, sed falso: tum quia hæc longe serius sæculo nuntium remisit: tum quia non in Northanimbrorum regione, ubi Aldfridus decessit, sed in Westsaxonum regno degebat.

XVIII. Cuthburga & Coenburga Winburnenses abbatissæ. Ina sorores habuit duas, Cuthburgam & Coënburgam. Cuthburga, Aldfrido Northanimbrorum regi nupta, ab eo intacta impetravit, ut cælibem vitam sectaretur. Itaque primum in Berkingensi monasterio sub Hildelita abbatissa monastico velo induta est: deinde Winburnæ * monasterium condidit, ibidemque placitam Deo vitam transegit. In condendo illo cœnobio adjutores habuit Inam & Coenburgam, fratrem ac sororem, ibidemque abbatissæ munere functa est. Positum erat hoc monasterium in pago Dorcestrensi ad fluvium Winburniam, quem recentiores Stourum vocant, haud procul a castro Badburiensi, quæ regum Westsaxonum sedes erat. Ejus monasterii primordia referenda sunt ad hunc annum aut insequentem, uti colligitur ex eo, quod Aldhelmus, Schireburnensis antistes hoc posteriori anno creatus, proximo epistolam scripsit de libertate a se concessa monasteriis in sua diœcesi constitutis, in quibus memorat Winburnense, cui jam tum Cuthburga, regis Inæ germana, præfuisse dicitur.

* Winburnminster.

Duplex eo in loco monasterium erat, teste Rudolfo in vita sanctæ Liobæ abbatissæ:
» unum *clericorum* seu monachorum; alterum feminarum. Ea vero lege utrumque
» monasterium ordinatum erat, ut neutrum eorum dispar sexus ingrederetur, exceptis
» solummodo presbyteris, qui in ecclesias feminarum ad agenda missarum tantum
» officia ingredi solebant. Feminarum vero quæcumque sæculo renuntians earum con-
» sortio sociari vellet, numquam exitura intrabat, nisi causa rationabilis vel magnæ cu-
» jusdam necessitatis id exigeret. Sanctimoniales illic quingentas idem auctor exstitisse ait sub Tetta abbatissa, quæ Liobam ad sanctum Bonifacium ex eo loco in Germaniam direxit. Si de hoc monasterio, ut quidem videtur, in epistola, quæ inter Bonifacianas ordine quinquagesima secunda est, agitur, non tantum duplex, sed triplex Winburnæ monasterium erat, unum virorum, duo puellarum, quorum uni Cuthburga, alteri Coënburga ejus soror præfuit. Ejus epistolæ inscriptio hæc est: *Fratribus in Christo carissimis, Coëngislo & Ingeldo abbatibus, & singulariter Vuiethberto presbytero, omnis congregatio trium monasteriorum, id est Aldhuni patris reverendissimi, & Cneuburga Christi famulæ, necnon & Coënburga abbatissarum, perennem atque insolubilem in Domino salutem.* Hac epistola gratias agunt illæ abbatissæ ob munera sibi transmissa, & ob communionem orationum sibi factam: & in fine Wiethbertum speciatim rogat Cneuburga, ut omnibus circumquaque amicis transmittat nomina
» sororum suarum defunctarum: quarum prima fuit, inquit, Coëngith soror mea ger-
» mana; & Edlu, dum viveret, mater Etan, & Aldhuni quondam tui abbatis pro-
» pinqua: quarum utique ambarum fuit uno die depositio, id est idibus Septembris. Wiethbertus iste non alius est quam Wigbertus, is qui postea in Germaniam ad sanctum Bonifacium profectus, ejus socius prædicationis, ac demum Fritislariensis abbas factus est. Hic primum sub Aldhuno abbate monachus in Winburnensi virorum monasterio, tunc in Glastoniensi degebat sub Coëngislo abbate, cui partim superior epistola directa est. Cutburgæ annus mortis incertus, dies pridie Kalendas Septembris, ejus cultu olim celebris in ecclesia maxime Sarisburiensi.

XIX. S. Austrebertæ abbatissæ obitus. Certior est annus obitus sanctæ Austrebertæ abbatissæ Pauliacensis in agro Rotomagensi, qui hoc anno videtur contigisse die dominica, IV. idus Februarii, quem diem ante sex dies ex divina revelatione didicerat. Morte imminente, convocatis sororibus, monita salutaria dedit, patientiam eis in primis inculcans & caritatis vinculum, asserens Christum in illorum non posse cordibus habitare, qui flamma invidiæ accensi, proximorum urerentur profectibus. Adveniente die dominica, ad ejus

transitum undique turmatim convenerunt sacerdotes & clerici, abbates & monachi, necnon utriusque sexus populi multitudo: quibus omnibus juxta sui ordinis dignitatem admonitis extremam salutem dixit. Percepto demum dominici corporis sacramento, sororibus suis iterum vale dixit, easque paucis hortata est, ut suarum admonitionum essent memores, & ne cœptum religionis iter desererent: de cetero se eas summo pastori Christo commendare. Universi ad hæc in lacrymas effusi: dum sanctorum nomina seriatim precibus subnecterent, hæc voces psallentium interrupit, dicens se videre copiosam sanctorum multitudinem, quorum nomina invocabantur: moxque felix illa anima, carne soluta, ad eorum consortium migravit. Sepulta est in basilica sancti Petri, ubi sacrum ejus corpus asservatum ad tempora Normannorum, quibus Galliam, sed maxime loca Ligeri & Sequanæ circumfusa, impune vastantibus, Pauliacenses virgines secum illud detulerunt primo in Marconnense monasterium, ad Quantiam fluvium paullo infra Hesdinium castrum, ab ipsa, ut aiunt, structum. At cum nec illic ab iis incursibus tutæ essent, ad opidum munitissimum Monasteriolum Ambianorum confugerunt: ubi, destructo a Normannis utroque parthenone, Pauliacensi & Marconnensi, sedem tandem fixerunt, eoque loci sub annum millesimum erexerunt cœnobium, sanctæ Austrebertæ nuncupatum: cujus partem reliquiarum possident Austrebertinæ Monasteriolenses, partem Audomaropolitana ecclesia, in qua corpus sanctæ virginis, sæviente Normannorum procella, servatum est. Sanctæ Austrebertæ gesta primus scripsit auctor anonymus, ejus fere æqualis, rogatu Juliæ abbatissæ Pauliacensis, quæ Benedictæ primæ post Austrebertam Pauliacensi abbatissæ successit. Hæc sine dubio est Julia, aliis Juliana dicta; quam ex servili genere ortam cum Benedicta in numerum sororum, quantumvis postulantem, admittere nollet, morbo gravissimo correpta, sed Austrebertæ sanata meritis, roganti tandem ac flagitanti hanc gratiam concedere compulsa est. Pauliacense monasterium in Caletis nunc redactum est in opidulum & in prioratum, cujus ecclesia sanctam Austrebertam patronam agnoscit. Gregorius[a] Turonum antistes mentionem facit de alio Pauliacensi virorum monasterio, in quo sancti Saturnini reliquiæ positæ erant. Forte id intelligendum de Pauliaco * opido ad Ligerim, qui locus olim ad Floriacense sancti Benedicti monasterium pertinebat, teste [b] Adrevaldo. De hoc Pauliaco item agit Hericus monachus in libro de miraculis sancti Germani episcopi Autisiodorensis.

ANN. CHR. 704.

Pauliacensia monasteria duo.

a Greg. Tur. de glor. mart. c. 48.

* Pouilly.

b Adrevald. de mirac. S. Bened. c. 37.

Monasteriolum * Ambianorum, vulgo Monsteriolum ad mare, sic dictum est a monasterio primitus exiguo, quod in honorem beatæ Mariæ ac beati Petri apostolorum principis, regnante Theoderico, exstruxerat sanctus Salvius, rexeratque, antequam ad episcopatum Ambianensem promoveretur. Post mortem ibidem sepultus, sancti Salvii de Monasteriolo nomen monasterio dedit. Locum hunc primum Bragum; deinde a sancti Salvii monasterio Monasteriolum dictum Hadrianus Valesius colligit ex testamento Ansegisi abbatis Fontanellensis, qui *ad sanctum Salvium in Brago* solidos decem legat. Aliud est sancti Salvii monasterium prope Valencianas, de quo inferius.

XX. S. Salvii monasterium.

* Montreuil.

Fontanellense monasterium hoc anno regebat Bainus abbas, postea episcopus Taruennensis, qui inter pia opera quæ gessit abbas, corpora sanctorum Wandregisili abbatis, & Ansberti episcopi transtulisse traditur e basilica sancti Pauli apostoli in majorem sancti Petri ecclesiam. Quod de sancti Wlframni itidem translatione eodem tempore facta legitur in chronico Fontanellensi, serius factum est, cum nondum mortuus esset Wlframnus hoc anno, Childeberti regis decimo, quo anno hæc translatio facta est pridie kalendas Aprilis, & quidem feria secunda. Horum sanctorum corpora omnino illæsa,& sacerdotalibus induta vestibus reperta fuisse chronographus tradit. Idem Bainus tricesimo inde die corpus sancti Eremberti episcopi Tolosani ex inferiori loco basilicæ sancti Pauli, ubi sub arcubus humatum fuerat, transtulit eum in locum, ubi sanctus Wandregisilus primum jacuerat. Eodem anno rex Childebertus Bannagam insulam Fontanellæ tradidit, insuper villam Ad-Piccum * cum adjacentiis suis, sitam in pago Pinciacensi * infra Parisios super alveum Sequanæ, quæ donatio facta est hoc anno, decimo regni Childeberti, XIII. kalendas Novembris.

XXI. S. Wandregisili aliorumque translatio.

* Le Pec.

* de Poissy.

Postquam sanctus Bonitus, Arvernorum relicta ecclesia, in monasterio Insulæbarbaræ supra Lugdunum aliquamdiu substitisset; episcopo ejus urbis cum duce

XXII. Bonitus it Romam.

ANN. CHR. 704.

Burgundiorum reconciliato, Romanum iter, quod animo conceperat, persecutus est, comitantibus Arivaldo abbate, & Adelphio levita, qui postea Magnilocensis monasterii rector extitit. Cum ad cœnobium Agaunense pervenisset, fratrum orationibus cum eleemosyna haud parva se commendavit. quod etiam in aliis, quæ sibi obvia fuere, monasteriis fecit. Ab Ariperto Langobardorum rege humanissime acceptus, illi de Liutberto rege ejus æmulo victoriam cælitus promeruit. Romæ non solum apostolorum limina frequentavit, sed etiam sanctorum circumquaque martyrum loca perlustrans, eorum sibi patrocinium incredibili devotione poposcit. Captivorum item non modica turba ab eo redemta, tantaque ejus in pauperes caritas fuit, ut nihil subsidii sibi reliquum fecerit. Lugdunum tandem reversus, ibidem ad mortem usque permansit.

ANN. CHR. 705.

XXIII. Sublacense monasterium instauratum.

Anno insequente septingentesimo-quinto ineunte decessit Johannes papa VI. cui Johannes VII. successit. Hic Sublacensis monasterii solitudinem, quæ ab annis circiter centum vasta erat, miseratus, abbatem illic ordinavit virum venerabilem, nomine Stephanum, qui totum monasterium restruxit, ecclesiam amplificavit, ac picturis decoravit; denique quamdiu vixit, pro domo Dei strenue laboravit. Ejus successor in chronico ponitur Sergius abbas, qui Stephani papæ secundi pontificatu vixisse dicitur, nulla re gesta insignis. Ab eo hiatus esse videtur in catalogo abbatum usque ad Petrum abbatem, qui præfuit pontificatu Gregorii quarti, a quo Sublacum castrum sancto Benedicto obtinuit.

XXIV. Heddo episcopo succedunt Aldhelmus & Daniel.

a Beda lib. 5. c. 19.

In Anglia, mortuo Aldfrido Northanimbrorum regi successit Osredus, cujus regni principio ad cælestem vitam migravit Heddius seu Hedda, occidentalium Saxonum antistes, vir bonus ac justus amplius quam [a] eruditus, teste Beda venerabili: tametsi Willelmus Malmesburiensis se ejus epistolas non indoctas legisse asserit. Eo defuncto, episcopatus illius provinciæ in duas parochias seu diœceses divisus est: quarum una, Wintoniensis scilicet, Danieli; altera Schireburnensis Aldhelmo abbati Maildunensi seu Malmesburiensi data est, qui ambo & in rebus ecclesiasticis, & in scientia scripturarum non mediocriter instructi erant.

Aldhelmi liber de virginitate.

Aldhelmus initio sui episcopatus, cum ad pontificale, ut ipse vocat, conciliabulum una cum sodalibus suis proficisceretur, ad Berkingense agri Londoniensis virginum cœnobium divertit, cui tunc Hildelita venerabilis abbatissa præerat; ejusque rogatu librum de virginitate scribendum suscepit, quem exemplo Sedulii & prosa oratione, & metro composuit. Eximium hoc opus vocat Beda, quamquam salebroso & inculto stilo compositum. Metricus liber scriptus ad Maximam abbatissam; prosa inscripta *reverendissimis Christi virginibus, Hildilithæ, regularis disciplinæ & monasticæ conversationis magistræ; simulque Justinæ ac Cutburgæ, necnon Osburgi contribulibus suis, atque necessitudinum nexibus conglutinatæ sibi Alfgidæ, ac Scholasticæ, Hidburgæ, & Berngidæ, Eulaliæ ac Teclæ, rumore sanctitatis concorditer ecclesiam ornantibus.* Et in fine præfationis: *Valete*, inquit, *o flores ecclesiæ, sorores, monasticæ alumnæ, scholasticæ, Christi margaritæ, paradisi gemmæ, & cælestis patriæ participes.* In utroque opere, sanctum Benedictum in primis ob scriptam monachorum regulam laudat primos inter confessores, ante quosdam etiam martyres, nulla sancti Æquitii mentione facta, cujus tamen integritatem Gregorius Magnus prædicat. Iu prosæ capite quarto
» maxime præstringit superbas virgines, quæ tumido elationis supercilio inflatæ, de
» sola carnis integritate gloriantur, seseque periculoso naufragio, grassante diræ tem-
» pestatis turbine, velut inter scyllam & baratrum voraginis, committunt. unde
» capite octavo necessarium esse ait, ut veram & non frivolam delicatæ virginitatis glo-
» riam *humilitatis cautela* tueantur. Quæ sane cautela longe contraria est perniciosæ illi securitati ac confidentiæ, quam Willelmus Malmesburiensis, ex falsis haud dubie narratiunculis, Aldhelmo viro sanctissimo, & in rebus spiritualibus, teste Beda, instructissimo, perperam imputat. Sane quam studiose virginitatem coluerit vir sanctus, ex duobus libris de ea scriptis satis superque intelligitur: quam caute, mox allata testimonia probant.

XXV. Berkingensis monasterii initia & incrementa.

b Beda lib. 4. c. 6.

Berkingense monasterium, coi Hildelita præerat, in regione orientalium Saxonum ad Tamisim condiderat [b] Erkonwaldus, priusquam factus esset episcopus Londoniensis, in gratiam Æthilburgæ sororis suæ; alterumque sibi exstruxerat in regione Suthereiæ ad Tamisim item fluvium in Ceoroti-insula: utrumque regulari-

bus disciplinis optime institutum. Tempus conditi Berkingensis monasterii colligimus ex pestilentia, quæ accidit anno incarnationis sexcentesimo sexagesimo-quarto, qua ingruente pars illa monasterii, qua viri continebantur, (nam monasterium pro more duplex erat) correpta est, testante Beda [a] venerabili. Accepto monasterii regimine Æthilburga seu Edilburga ita se in omnibus, tum episcopo fratri suo recte vivendo, tum sibi subditis optime regendo & consulendo, probabilem præstitit, ut ejus merita Deus miraculis declaraverit, quæ Beda [b] ipse commemorat. Demum gravi ac diuturno per novem annos tentata morbo, tam patienter se gessit, ut morienti cælestis regni aditus patuerit. Hanc excepit devota Deo famula Hildelita, quæ multis annis cœnobium magna cum pietate ac prudentia rexit. Hæc ossa famulorum, famularumque Christi e communi cœmeterio, propter angustiam loci, in ecclesiam beatæ Dei genitricis transtulit, ubi multas virtutes divinitus editas fuisse Beda testis est. Pervenit ad extremam senectutem, jamque e vivis excesserat, cum sanctus Bonifacius epistolam vicesimam-primam scripsit ad Eadburgam abbatissam, hoc est ante annum septingentesimum sextum-decimum. Hac in epistola Bonifacius ait, se nonnullas visiones de quodam redivivo, qui nuper in monasterio Milburgæ abbatissæ, scilicet Wenlocensi, mortuus revixerat, veneranda abbatissa Hildelida referente didicisse, quas illa sibi tribusque simul religiosis fratribus exposuerat. Ejus memoria quibusdam antiquis fastis VIII. kalendas Aprilis consignatur.

ANN. CHR. 701.

[a] Ibid. c. 7.

[b] Ibid.

Post Æthilburgam Hildelita abbatissa.

XXVI. Eadburga abbatissa.

Admonemur hoc loco inquirere quænam sit illa Eadburga abbatissa, cui Bonifacius hanc epistolam scribit. Non assentior Eduardo Malheuvio, duas distinguenti Eadburgas abbatissas Tanetensis monasterii, unam Ethelberti Cantiorum regis filiam sæculo septimo, alteram regio etiam sanguine ortam sæculo octavo. Nulla siquidem Ethelberti regis filia præfuit Tanetensi monasterio, quod Domnena seu Ermenburga, ex Ermenredo Ethelberti regis nepote progenita, sub annum sexcentesimum septuagesimum-secundum exstruxit, eique præposuit filiam Mildredam, cui Eadburga successit, mortua anno septingentesimo quinquagesimo-primo, ut ex chronico Willelmi Thorni discimus, ubi beata Edburt & Edburga promiscue appellatur. Hæc videtur esse Eadburga, haud dubie Tanetensis, ad quam complures exstant [c] Bonifacii epistolæ, quarum inferius mentio recurret.

[c] Bonifac. ep. 7. 13. 14.

XXVII. Alia ab Heaburga seu Bugga abbatissa.

Non eadem videtur Heaburg, alio nomine Buggan seu Bugga appellata, celebrata etiam in epistolis Bonifacianis. Hæc Bugga filia fuit Eangythæ abbatissæ, ut constat ex epistola tricesima-octava, cujus hæc inscriptio: *Venerabili Vuinfritho, cognomento Bonifacio, Eangyth indigna ancilla ancillarum Dei, & nomine abbatissa sine merito functa; & unica ejus filia Heaburg, cognomento Bugge.* Ea in epistola Eangyth commemorat injurias, quas a rege, regina, episcopis & præfectis cum tota sua familia patiebatur; consulitque Bonifacium de Romana peregrinatione, quam ipsa cum consilio Walæ abbatissæ meditabatur. Buggæ respondet Bonifacius epistola vicesima, eique Romanam profectionem permittit, si propter sæculares in propria patria libertatem quietæ mentis habere non possit. Id consilii executa est Bugga, testante Ethelberto Cantii rege in Bonifaciana epistola quadragesima ad ipsum Bonifacium. Ante paucos annos, inquit, venerabilis abbatissa Bugge, postquam Ro- «
manæ urbis loca sacratissima, orationis videlicet obtentu, adierat, & exinde hue «
rursus remeando ad propriam pervenit patriam, & ad monasterium sanctimonia- «
lium feminarum, quod antea sub jure ecclesiastico bene regebat; statim cum venis- «
sem rogatus ad ejus collegium, inter alia desiderabilia hæc vel maxime audiri nostro «
inculcare curavit, quod dedisses ei licentiam familiariter loqui de rebus scilicet sibi «
necessariis, apud tuam affabilem, amabilemque sanctitatem, dum ambo videlicet «
Romæ essetis, & limina beatorum apostolorum frequenter visitando terere non «
supersedissetis. Demum continuo intulit, quod diligenter paternitatem tuam simi- «
liter pro me supplex precibus obnixis compellare curaret, *utpote consanguinitate pro-* «
pinquitatis nostræ admonita: quatenus sicut illa meruit penitius salutaribus imbui præ- «
ceptis, & orationum tuarum benedictione confirmari; ita & ego quoque, quamvis «
absens & ignotus corporali præsentia, tamen, ut spiritu præsens, hoc eodem mu- «
nere mihi necessario a tua solita beneficentia ditarer. Ex hac epistola intelligitur, Buggam consanguinitate conjunctam fuisse Ethelberto regi, de quo forte conquerebatur Eangyth abbatissa, quod injurias a rege pateretur: qui postea in concordiam redierit cum Bugga Eangithæ filia, ab ea demum sancto Bonifacio commendatus.

ANN CHR. 705.

Degebant porro eo in loco, ubi eas angebat paupertas & penuria rerum temporalium, & *angustia cespitis ruris sui.* quod de Tanetensi monasterio intelligendum non puto, cui nulla tunc temporis Eangitha præfuit. Eangyth in superiori epistola de propinquis suis ita luquitur. *Non habemus filium, neque fratrem, patrem aut patruum, nisi tantum unicam filiam*, nempe Buggam, *penitus destitutam omnibus caris in hoc seculo, prater unam tantum sororem ejus, & matrem valde vetulam, & filium fratris earum, & illum valde infelicem propter nos absque ipsius meritis; & quia rex noster ejus gentem multum exosam habet.* Si Bugga filia Eangithæ eadem est, ut quidem videtur, cum Bugge abbatissa, quæ laudatur in carmine [a] cujusdam anonymi Alcuino superioris, ac proinde sub Alcuini nomine perperam edito, hæc patrem habebat Eutwinum regem occidentalium Saxonum, cui Ceadwalla successit. Ex eodem carmine constat, Buggam struxisse templum in honorem beatæ Mariæ. quod tamen de Tanetensi beatissimæ Virginis a Domnena condito intelligi non potest. Et quidem Eadburga Taneti ecclesiam ædificavit, sed in honorem principis apostolorum. Exstat Buggæ epistola ad Bonifacium tantum presbyterum tricesima-quinta inter Bonifacianas, qua ei de fausto ejus Romano itinere, & de Radbodi Frisiorum ducis interitu gratulatur. quo tempore Bugga nondum se dicit abbatissam, sed vilem vernaculam. Hæc jam provectæ erat ætatis, cum Bonifacius ei scribit epistolam secundam, quæ posterior est vicesima, in qua de Romano Buggæ itinere agitur, eaque vocatur in titulo abbatissa.

[a] Alcuin. epigr. 3.

XXVIII. Item ab Egburga abbatissa.

Ab utraque, id est a Bugga & ab Eadburga abbatissis, distinguenda est Egburga, cujus epistola, inter Bonifacianas centesima prima, ita inscribitur: *Abbati sancto, veroque amico, jure ac merito honorando, divinæ sanctimonia & religionis gratia repleto Vvinfredo Egburg, ultima discipulorum seu discipularum tuarum.* Bonifacium abbatem vocat, utpote ducem & antesignanum monachorum, qui ad Germaniæ conversionem profecti fuerant. In hac epistola Egburga germanum suum, nomine Osserem, mortuum luget; sororem suam Wecburgam a se divulsam, *quam nunc, ut audio,* inquit, *Romanus carcer includit: sed amor Christi, qui in ejus pectore viruit, floruit-
» que, omnibus vinculis fortior est.* In fine Bonifacium rogat, ut sibi aliquod solatium
» vel ex reliquiis sanctis, vel per scripta suæ beatitudinis tribuat, ut in illis eum sem-
» per quodam modo præsentem habeat. Hæc anticipato dicenda visa sunt ad vitandam eorumdem aut consimilium nominum confusionem: maxime quod Baronius Eadburgam eamdem cum Bugga esse existimavit. Nunc ad ordinem redeo.

XXIX. Bertwaldus concordiam init cum Wilfrido in synodo Niddensi.

Mortuo Aldfrido rege Northanimbrorum, & post duos ab eo menses Eadwlfo ejus successore, regnavit Osredus, cujus anno primo Bertwaldus Cantuariensis antistes, pacem cum Wilfrido episcopo reformaturus, synodum convocavit, in qua perpetua cum eo concordia, præsente Osredo rege, sanciretur, ac Wilfridus in sedem suam Eboracensem restitueretur. Itaque Bertwaldus totius Britanniæ primas ab austro veniens, unaque Osredus rex cum principibus suis, tresque ejus regni episcopi cum abbatibus, necnon venerabili Ælfleda Streaneshalensi abbatissa, in unum locum juxta fluvium *Nid* convenerunt, eodemque Wilfridus advenit. Con-
» sidentibus in unum rege & episcopis, Bertwaldus ita exorsus est. Oremus Domi-
» num Deum nostrum, ut pacem & concordiam animis nostris per Spiritum-sanctum infundat. tum subdidit haberi scripta sedis apostolicæ a Wilfrido allata, quæ publice recitari oporteret. Post lectionem, cunctis silentibus Berechtfridus, secundus a rege princeps, ab archiepiscopo brevem totius negotii interpretationem petiit. Respondit archiepiscopus, rem in eo positam esse, ut ex auctoritate sedis apostolicæ præsules ecclesiarum ejus provinciæ in sua præsentia cum Wilfrido reconcilientur, eique parochia, quæ in duas partes divisa fuerat, integra restituatur. Sin contra tenderent episcopi, aut quivis alii; simul ad apostolicam sedem pergant, ibique majori concilio dijudicentur. Quod si quis neutrum exsequi vellet, sciret se, si rex sit aut laïcus, corporis & sanguinis Christi communione privatum: si vero episcopus aut presbyter, omni gradu ecclesiasticæ dignitatis dejectum. Ad hæc episcopi responderunt, nefas esse immutare, quod dudum Theodorus archiepiscopus ab apostolica sede missus, & Egfridus rex censuerant, & postea synodus Estrefeldensis comprobaverat. His auditis, Ælfleda abbatissa asseruit, se præsente Aldfridum morti proximum facti pænituisse, & voto facto promisisse, se, si convalesceret, sedis apostolicæ judicio obtemperaturum: si vero mori contingeret, a successore suo

ANN. CHR. 705.

petere, ut hoc pro animæ ipsius salute emendaret. Tum Berechtfridus ait, hanc esse regis ac principum ejus voluntatem, ut præceptis sedis apostolicæ obtemperaretur: quemadmodum ipsi in pugna Bebbanburgensi Deo promiserant se facturos, si victores exstitissent. Tandem inter omnes convenit, ut opima duo cœnobia, Ripense & Hagustaldense, cum universis redditibus suis, Wilfrido restituerentur. Sicque post mutua episcoporum oscula, conventus solutus est. Hic tandem finis fuit diutinæ illius & obfirmatæ altercationis ac discordiæ, quæ annos amplius viginti-quinque duravit. Occasionem præbuit Wilfridi magna opum affluentia in duobus a se conditis monasteriis, Ripensi & Hagustaldensi, atque episcopatus Eboracensis amplitudo, quorum alterum archiepiscopo Cantuariensi, alterum regi Northanimbrorum invidiam facessebat. Unde Eboracensis parochia in tres scissa est, quarum una sedes Eboraci, altera Hagustaldæ, tertia Lindisfarnæ instituta, obluctante Wilfrido. Erunt fortasse qui existiment, Wilfridum consultius facturum fuisse, si huic divisioni citius acquievisset. Verum id contra fas actum fuisse non modo sedis apostolicæ judicium, sed Theodori archiepiscopi & Aldfridi regis, sera licet, pœnitentia satis superque testatur.

XXX. Winfridi seu Bonifacii Angli prima gesta.

Hoc fere tempore habita est altera synodus in provincia occidentalium Saxonum, inconsulto Bertwaldo archiepiscopo, cujus rei excusandæ causa Bonifacius ad eum missus est. Ubi locus nos admonet, ut de primis factis viri hujus celeberrimi, quem suum apostolum agnoscit Germania, disseramus. Bonifacius Anglo-saxo, in provincia occidentalium Saxonum, non in Hibernia natus est. Certe Anglis editum probat Wandelbertus, & Bonifacius ipse se *in transmarina Saxonia natum & nutritum* fuisse testatur. Nobili prosapia oriundum prædicat anonymus vitæ scriptor: sed tamen nihil de ejus parentibus propinquisve ab antiquis traditum accepimus, præterquam de Leobgita seu Lioba sanctimoniali, ab ipso in Germaniam evocata, quæ affinitate ei conjuncta erat. Vixdum annum quintum attigerat, cum de monasticæ vitæ instituto magis serio, quam ea ætas ferebat, cogitare cœpit, de rebus cælestibus & ad salutem conducentibus presbyteros & clericos, immo & laïcos, si quando ad villam domumque patris sui venissent, interrogare solitus. Crescebat sensim in eo vitæ monasticæ desiderium, quo magis repugnabat pater, qui eum plus ceteris liberis diligebat. Sed eo tandem ob gravem morbum sibi inflictum assentiente, ductus est puer ad monasterium Adescancastrum, cui venerabilis Wolfardus abbas præerat; Deoque oblatus, sicut regularis norma docet. Erat in puero vix septenni mirus sciendi ac discendi ardor; ejusque rei gratia directus est ad Nutscellense monasterium sub Winberchti abbatis sanctissimi disciplina. Ita vero litteris applicabat animum adolescens, ut nihil de statis vigiliarum & orationum officiis remitteret, simulque labore quotidiano corpus exerceret secundum beatissimi patris Benedicti institutionem. Brevi ex discipulo magister aliis erudiendis & ad pietatem informandis idoneus & aptus fuit. tametsi prædicandi officium usurpare noluit ante annum ætatis tricesimum, quo ad sacerdotii gradum promotus est. Tunc regnabat apud occidentales Saxones Ina, cujus tempore exorta quædam inter subditos seditio episcopos in unum convenire coëgit, ut nascenti malo occurreretur. Sed ne id absque suo assensu factum Bertwaldus Cantuariæ antistes factum quereretur, totius synodi communi consilio ad factum purgandum Bonifacius, recens ordinatus presbyter, eligitur; deductusque in conspectum regis ac synodi a Winberchto abbate suo, simulque a Wintra Disselburgensis, atque a Beerwaldo Glastoniensis monasterii rectoribus, aliisque. Accepta hac provincia, Cantuariam profectus, impositum sibi munus feliciter executus est. Id accidit non ante hunc annum, quo Hemgislo Glastoniensi abbati mortuo [a] Berwaldus seu Beerwaldus subrogatus est.

a Monastic. Anglic. p. 13.

ANN. CHR. 706.

XXXI. Childeberti diploma de Solemnio pro S. Dionysio.

ANno subsequente, qui Childeberti Francorum regis duodecimus erat, idem princeps Solemium villam pagi * Fanomartensis, ad fluvium Salam, sancti Dionysii Parisiaco concessit monasterio, cui tunc non Chillardus, ut in editis, sed Chaino abbas præerat. Blatcharius referendarius jussus subscribit huic præcepto, quod datum est duodecima die Martii, anno regni Childeberti duodecimo, apud Mamaccas * villam regiam ad Isaram in agro Noviomensi supra Compendium. De hac Solemii donatione postea lis intercessit, ob oratorium sanctæ Crucis, quod Hormundus abbas Marilegiensis seu Maricolensis contra Fulradum abbatem Dionysia-

* Famart.

* Maumaques.

ANN CHR. 706.

* La Selle.

num repetebat. In actis sancti Ansberti agitur de hac villa Solemio, quæ ponitur *super fluvium Sala*, * *in pago Haguau* : ubi sanctus Ansbertus paralyticam curavit. Sala fluvius a Castello-Cameracensium decurrens, dein Solemium & Hasprum præterfluens, in Scaldim paullo supra Dononium delabitur.

XXXII. Aliud pro abbatia S. Sergii.

Exstat ejusdem Childeberti præceptum, quod obtinuit Theodebertus abbas pro *monasterio sancti Sergii & domus Medardi episcopi, in suburbio Andecavis urbis constructo*, de quibusdam villis ad idem monasterium pertinentibus : quo præcepto Childebertus confirmat tale beneficium, a bonæ memoriæ avo suo Chlodoveo & » genitore Theoderico concessum, ut nullus judex publicus in ipsas villas seu curtes » ad quidquam exigendum accedat, dummodo quamdam *inferendam* seu redhibitio- » nem annuam abbas eius loci per se, vel per missos suos annis singulis *in saccellum pu-* » *blicum*, seu thesaurum, ut vocant, regium, afferat, hoc est *solidos sex inferendales*, » *& alios sex de remissar a auri pagensis*. Deest clausula cum notis chronicis in illo præcepto. Hoc monasterium in diplomate Caroli regis apud Sancta-Marthanos vocatur *abbatia sancti Sergii seu sancti Godeberti confessoris, cujus corpus ibi requiescere dicitur.** Is est sanctus Godebertus Andecavorum episcopus, qui sancto Magnobodo successit. nunc sanctorum Sergii & Bacchi monasterium appellatur.

XXXIII. Pippini donatio Epternaco facta.

Nec prætermittenda hoc loco, tametsi hæc minutiora sunt, donatio Epternacensi monasterio ipso anno a Pippino præfecto palatii, ejusque conjuge Plectrude, quæ filia Hugoberti dicitur, facta in hæc verba : *Donamus monasterio in loco, qui cognomentum gerit Epternacum, pagoque Bedensi ad Suram amnem exstructo, cui virum strenuum & Dei cultorem apostolicum Vuillibrordum episcopum cum turba monachorum imposuimus, illud Epternaci dimidium, quod Theodhardus quondam dux ibidem obtinuit, & postea filius ejus Theodhardus nobis quondam tradidit, iis tamen facultatibus exceptis, quas Irmina in ipso Epternaco possedit. Actum Gaimendu tertio idus Maias, regni Domini nostri Childeberti anno duodecimo.* Apud Gaimundas * seu Gamundias ad Saram * & Blesæ * confluentes exstructum est monasterium, de quo alias.

* Gamund.

* Sar.

* Bless.

XXXIV. Beregisus abbas, auctor monasterii Andaginensis.

* Le Condrut.

Sub idem tempus Andaginense monasterium condi cœptum, quod a translato istuc sancti Hucberti Tungrensis episcopi corpore cognomen accepit. Positum est in Arduennæ saltu ad amnem Andaginam, a quo primum loco nomen inditum est. Monasterii auctor & abbas primus fuit sanctus Beregisus, ortus ex vico, qui vocatur Spongius, in Condrusto * pago Austrasiorum, parentibus obscuris, cujus pater ignotus, mater Berilla nuncupata. In Hasbaniensi monasterio sancti Trudonis *sub religionis habitu* educatus, & litteris eruditus, tandem ad sacerdoti gradum sublimatus est. Andaginum a Pippino Plectrudis interventu adeptus, ei loci monasterium statuit, basilicam beati Petri apostolorum principis nomine ac reliquiis consecrat, eamque clericis *canonico ordine militantibus* tradidisse, ipseque pater in eodem habitu sociatus fuisse dicitur. Ejus depositio colitur VI. nonas Octobris. Hæc ex anonymo Andaginensi monacho, qui libellum de ejus vita composuit anno secundo Ottonis, filii Henrici Saxonum sive Austrasiorum regis, qui est ab incarnatione Domini nongentesimus tricesimus-septimus, uti auctor ipse tempus signavit. Conqueritur in prolngo, quod scriptorum ignavia res a Beregiso gestæ in tenebris eousque latuerint. Id vero operis ait se suscepisse flagitantibus fratribus suis, & quæ refert didicisse potissimum a senioribus monachis, Otberto, Wlberto & Beregrinno. Primo tempus præmittit, quo vixit Beregisus, nempe sub Pippino majore-domus Franciæ, cujus capellanus fuisse dicitur. Deinde in archivo chartam a se repertam dicit, eidem Beregiso datam a quodam illius temporis comite, nomine Grimberto, quasdam vineas apud Treviros eidem largiente anno quinto Theoderici regis, quod ille de Theoderico Chlodovei junioris filio, ego vero de Theoderico Calensi interpretandum puto. Certe anno quinto Theoderici prioris vix dum Trudo monasterium Sarchiniense, in quo educatus traditur Beregisus, exstruxerat. Quod anonymus ait, Andaginense monasterium primo clericorum fuisse, auctoritatem habet a Jona episcopo in libello de translatione sancti Hucberti in monasterium Andaginense, testante, *cellam Andagium olim inhabitatoribus habitus canonici floruisse*. Cum hæc cella pæne ad nihilum redacta fuisset, eam Walteandus Leodicensis episcopus restituit anno Domini octingentesimo septimo-decimo, ac monachis nostris concessit, & paullo post corpus sancti Hucberti illuc transferri curavit.

In

ANN. CHR. 707. XXXV.

S. Hildulfi episcopi obitus ac successores abbatum.

IN annum septingentesimum-septimum incidit obitus sancti Hildulfi ex-episcopo rectoris Mediani-monasterii, si verus est calculus anonymi Vallis-Galilææ monachi in libro de vita sancti Deodati episcopi, qui jam pridem mortuus Hildulfo ejus obitus diem prænuntiasse traditur. Hildulfus, hoc nuntio accepto, monasterii sui abbatem Raimbertum designavit; Marcinannum vero Vallis-Galilææ, cujus curam ac providentiam Deodatus moriens ipsi commiserat. Hæc amborum monasteriorum societas ac necessitudo continua fuit sub Raimberto & Marcinanno, qui acceptam a sanctissimis magistris confederationem adeo non imminuerunt, ut contra multum auxerint, atque hereditaria quadam lege ad posteros transmiserint. Id ex breviariis & diptychis domesticis colligit anonymus, in quibus nomina fratrum utriusque monasterii, tam vivorum, quam defunctorum, diligenter adnotata & altaribus superposita, ad suum usque tempus conservabantur: pro quibus, inquit, in missarum sollemniis verissime dicebatur, quod in libris sacramentorum passim reperitur: *Et quorum nomina super sanctum altare tuum scripta adesse videntur.* Hinc consuetudo apud utrosque diu inolevit, ut semel quotannis utriusque loci monachi se se alternis inviserent, magistrorum suorum tunicas præferentes; deinde ipsa eorumdem sanctorum corpora, posteaquam e tumulis elata fuerunt. Marcinannus abbas vixit ad principatum Childerici, ultimi Meroveadum regis, a quo totius Vallis-Galilææ monasterii descriptionem seu recensionem, Aquisgrani regia auctoritate roboratam, obtinuit. Hæc ex prædicto anonymo, cujus libellum Leo papa nonus in frequenti episcoporum synodo Romæ approbavit anno ab incarnatione Domini millesimo quadragesimo-nono, pontificatus sui primo, decrevitque ut in ecclesia legeretur. Hinc acta illa Petro Damiani nota, qui eorum exempla proponit in opusculo decimonono.

Paullo accuratius anonymus alter, Mediani-monasterii cœnobita, de sancti Hildulfi extremis factis scribit. Hujus monasterii curam & regimen vir sanctus, ut totus divinis rebus vacaret, rejecerat in Leutbaldum abbatem: cujus tempore Hagio vir illustris, qui & Hariulfus dictus, *Bertheim* nobilis prædii maximam partem beato Petro contulit. Leutbaldo mortuo, anxia fratrum congregatio de idoneo successore, Hildulfum magnopere obtestatur, hanc ut ipse in se sarcinam suscipere ne gravaretur. Flagitantibus hanc gratiam negare haud potuit vir sanctus, isque abbatis munere per tres annos strenue perfunctus est. Per id tempus vir quidam inter proceres illustris, Theudoaldus nomine, una cum Abbone filio suo naturali, spretis sæculi illecebris, uxore consentiente ac sanctimoniali facta, sancti Hildulfi disciplinæ se subdidit, atque monasterio jam dicti prædii basilicam, perpetuæ virginis Mariæ dicatam honori, cum suis redditibus tribuit. Non multo post vir Dei febre correptus, lugentibus fratribus pacem imprecatus, supremum obiit diem v. idus Julii, & quidem hoc anno, uti etiam hic anonymus notat. Idem auctor ait, post sancti Hildulfi transitum, Regimbertum, quem Deodati vitæ scriptor Raimbertum vocat, concordi voto fratrum electum fuisse abbatem, eoque munere defunctum sub regibus Theoderico atque Childerico juniore, & sub Pippino filio Caroli ducis, multis editis actis, quæ auctor ille prætermittit. Richerius monachus in chronico Senoniensi tradit, Hildulfi sacra membra in oratorio sancti Gregorii pone altare in tumba lapidea cum summo honore sepulta jacuisse, donec in novum, quod ipse construxerat, monasteriom transferrentur. Ejus reliquiæ hactenus asservantur in antiqua theca, facta, ut videtur, tempore Adelberti [a] abbatis, qui corpus sancti Hildulfi, adhuc saxea tumba inclusum, cum magno apparatu levavit, & in scrinio ligneo collocavit, quod postea argento tectum est. In illa theca expressæ sunt imagines tum sancti Hildulfi Odiliæ virgini lumen restituentis, tum ipsiusmet Hildulfi & Erardi episcoporum eamdem baptizantium: tum amborum quamdam ecclesiam dedicantium: ad hæc regis, haud dubie Childerici, Hildulfo episcopo pedum pastorale offerentis, adstante præter monachum homine laïco, qui videtur esse dux Athicus; denique ejusdem Hildulfi Erardum extremo morbo decumbentem invisentis, & funeris ipsius sancti Hildulfi. quæ omnia Hildulfi & Erardi historiam non parum confirmant. In antica thecæ parte exhibentur hi versus:

Quorum munere sum tali vestitus honore,
Digni reddantur divino semper amore.

[a] Chron. Senon. lib. 2. c. 11.

ANN. CHR. 707.

& in postica :

Hac si me tunica quisquam nudaverit ultra,
Conquerar hoc justis in dextra parte futuris.

XXXVI. Johannis & Benigni mors.

Sancti Hildulfi obitum brevi subsecuta est mors duorum fratrum Johannis & Benigni, qui simul ejus magisterio se subdiderant, unus sacerdotii, alter diaconatus ordine insignes. Hi parili simul morbo decumbentes, vicesimo a morte sancti Hildulfi die, simul una die ad regnum cæleste convolarunt pridie kalendas Augusti. Et Johannes quidem natu-major decessit prior: quo audito, Benignus fratris felicitati congaudens, de beato ejus exitu gratias Deo retulit, seque in eodem tumulo consepeliri voluit in sancti Gregorii oratorio, ubi multis inclaruisse miraculis perhibentur. In his sanctimonialis quædam, Himiltrudis nomine, manus aridæ sospitatem recuperavit; lumen vero quædam anus, Agnes vocata, quod miraculum sibi ostensum fuisse anonymus tradit.

XXXVII. Regimbertus abbas.

Regimbertus seu Raimbertus, abbas Mediani-monasterii tertius, annis non minus quinquaginta hoc munere functus est, si Johanni Bayoni credimus. Hic Johannes *de Bayon*, ordinis fratrum Prædicatorum, istuc anno millesimo trecentesimo vi- » cesimo-sexto in exsilium relegatus, inter pascha & pentecosten, dum penes Benco- » linum ejus monasterii rectorem, cognatum suum, hospitalitatis gratia commorare- » tur, ejusdem rogatu Mediani-monasterii historiam scribendam aggressus est annis » fere sexaginta post obitum Richerii monachi, qui de ea egerat in chronico monas- » terii Senoniensis. Hanc vero historiam contexuit, tum ex diversis codicibus ejus » loci, tum ex actis sanctorum Hildulfi, Spinuli, & aliorum; tum maxime ex quo- » dam libello, partim mutilo, partim a soricibus corroso, quem in cella Bellæ-vallis » apud quemdam Simonem invenerat. Hujus historiæ exemplum nobis pro sua benignitate communicavit reverendus admodum pater Hyacinthus Alliotus, ejusdem monasterii abbas regularis, cujus in studia nostra benevolentiam & subsidia satis prædicare non possumus. Hac historia deinceps, ubi de Mediano-monasterio agendum erit, præcipue utemur. Sub Regimberto abbate, quem Johannes ille Rambertum vocat, nobilis quædam matrona, Theudelinda nomine, Ratperti conjugis consensu sanctimonialis effecta, ipso annuente insigne prædium Ahenam cœnobio donavit. Item vir spectabilis Gumbertus, filius Frutberti, portionem prædii *Hundinisheim* dedit: ubi prædictus abbas duas exstruxit basilicas, unam in honorem sancti Maximini episcopi Trevirensis, alteram sub patrocinio beati Petri principis apostolorum. Aliæ item donationes tum principi monasterio, tum cellis ejus factæ, quas recensere parum juvat.

Johannis Bayonis historia.

ANN. CHR. 708.

XXXVIII. Landeberti episcopi Tungrensis martyrium.

ANno insequenti septingentesimo-octavo sancti Landeberti Trajectensis episcopi martyrium nobis consignandum videtur. Ejus necis auctorem fuisse Dodonem, Pippini principis domesticum, consentiunt omnes; causam alii aliam afferunt: uni, quod Pippini cum Alpaide consuetudinem vir Dei redarguere non cessaret: alteri, quod ipsius Landeberti nepotes Gallum & Rioldum, germanos fratres, interemissent. Hanc causam affert primus ejus vitæ scriptor Godescalcus diaconus, cui Stephanus episcopus subscribit. Alii, in quibus Ado Viennensis antistes, & Notkerus in martyrologiis, atque Regino abbas Prumiensis in chronico, aliam proferunt causam, nempe *reprehensionem domus regiæ*. quod Sigebertus & Anselmus interpretantur de correptione Pippino facta ob ejus pellicatum. Placuit hæc interpretatio sequioribus historicis, Nicolao canonico Leodiensi, Reinero & Ægidio monachis, qui, licet Godescalci probent sententiam, aliam nihilo minus afferunt *digniorem passionis causam*. In primis Nicolaus Landebertum a Pippino Joppilæ demorante invitatum ad epulas scribit, & Alpaïdis scyphum, sicuti & aliorum, benedicere jussum, id constanter abnuisse, atque indignabundum excessisse palatio: nec adduci potuisse ut rediret, aut Pippini cum Alpaide contubernium, quantumvis conjugii specie adumbratum, probaret. id quod Pippino & Alpaidi excandescentiæ in Landebertum, Landeberto ipsi necis causa exstiterit. Quæ omnia ita narrat Nicolaus, homo annis amplius quadringentis posterior, quasi ipsi convivio interfuisset. Addunt auctores isti, hanc causam a Godescalco & Stephano dissimulatam fuisse, ne Pippini pos-

ANN. CHR. 708.

teris Francorum regibus parentis crimen exprobrari videretur. Verum, ut hæc ratio valuerit in Godescalco, qui principatu Pippini regis & Caroli Magni ejus filii vivebat: cur hanc causam dissimulaturus fuisset Stephanus, qui sub extremis Carolinæ stirpis regibus scribebat? Certe longe atrocior erat fabula de damnatione Caroli Martelli: quam tamen Hincmarus, Adrevaldus, aliique ejusdem ævi auctores, imperante Carolo Calvo Martelli abnepote, in vulgus jactare non dubitarunt. Et quidem omnino incertum est, an Landebertus ob increpitum de pellicatu Pippinum cæsus sit: at vero alienum a tanti principis bonitate & clementia, ut cædis illius auctor fuerit. Quod si exploratum esset id, quod Carolus Cointius certum existimat, & novissimæ donationes Pippini & Plectrudis ejus conjugis communiter factæ & superius a me relatæ, suadere videntur, Pippinum non amplius Alpaidi adhæsisse, cum Landebertus necatus est; omnino a Pippino removenda esset tam diri facinoris invidia. Quæ igitur, inquis, ejus cædis causa? Si conjecturis indulgere licet, id factum videtur hoc modo. Gallus ac Rioldus, regii ministri, *in ecclesiam sæviebant tot perversis operibus*, ait Godescalcus, *ut nullus eos ferre posset, nec locus esset evadendi.* Landebertus forsan Pippinum, utpote domus regiæ administrum, ea de re commonefecerat, ipsosque Gallum ac Rioldum graviter redarguerat. Verum, cum nihil proficeret, ipsius nepotes utrumque cædunt. Dodo Pippini domesticus, Galli ac Rioldi consanguineus, hanc cædem Landeberti nece porro ulciscitur. Certe Landebertus in actis sancti Hucberti, tum ab anonymo ejus æquali, tum a Jona episcopo scriptis, *pro ovibus suis* mortis dispendia subiisse dicitur. Neque hæc sane minus tanto pontifice digna est, quam altera causa, quæ fabulam redolet. Martyrii tempus, post annos episcopatus quadraginta, serius hoc anno contigisse vix potuit: quandoquidem anno septingentesimo quarto-decimo Leodici jam exstructa erat in ejus honorem basilica, in qua dum Grimoaldus pro Pippini patris ægrotantis sanitate recuperanda funderet preces, a Rantgario interfectus est, expiaturus si quid parens ejus in Landebertum deliquerat. Landeberti corpus Trajecti * ad Mosam in suburbana sancti Petri ecclesia juxta Aprum ipsius patrem sepulturæ mandatum est; inde post annos tredecim in basilicam, sub ejus nomine in vico Leodico erectam, ab Hucberto episcopo translatum, ejus olim discipulo ac successore. Landebertus septem annos relegatus vixerat in monasterio Stabulensi, ubi an monasticum gesserit habitum, non constat. Quamquam Stephanus episcopus id non obscure significat, cum ait, eum inter monachos Stabulenses fuisse novissimum ordine, sed primum sanctitate; postremum numero, sed præcipuum devotionis studio. & in chronico Sigeberti quidam codices ita habent ad annum sexcentesimum sexagesimum-secundum: *Sanctus Lambertus monachus efficitur.* In quodam fragmento inferius referendo de miraculis sancti Dionysii episcopi Parisiensis, Dodo comes præcipuus sancti Landeberti necis auctor censetur, ejusdemque conscius dicitur quidam Godobaldus Hasbaniensis, ob idque cælitus punitus, sed demum, recepta sanitate factus abbas Dionysianus.

* *Mastrich.*

XXXIX. S. Michaelis in monte Tumba monasterii origo.

Hic etiam annus sancti Michaelis in monte Tumba apparitione insignis fuit, quæ nobili basilicæ ac monasterio occasionem & originem dedit. Promontorium est in confinio Brittonum & Normannorum, bino maris accessu ac recessu quotidie circumclusum ac reclusum: in duos montes, quos tumbas vocant, se erigens, unum majorem, super quem posita est sancti Michaelis basilica cum monasterio; alterum minorem cum arce vertici imposita, Tumbella seu Tumbellana vulgo appellata. unde sancti Michaelis in monte Tumba monasterium, aliquando ad Duas-tumbas nuncupatur. Hinc Odo abbas Glannafoliensis in epistola ad Adalmodum archidiaconum Cenomannensem de inventione vitæ sancti Mauri, memorat in pago Abrincatino *locum sancti Angeli, qui Ad duas tumbas-vocatur*; & in libro de translatione & miraculis sancti Frodoberti abbatis Cellensis, Ratbertus quidam, pagi Milidunensis indigena, properasse dicitur *ad sancti Michaelis ecclesiam, eo loco, qui Ad-duas-tumbas ex antiquo vocatur.* Passim tamen obtinet vocabulum sancti Michaelis in monte Tumba, vulgo Mons-sancti-Michaelis, aliis in Periculo maris, propterea quod in illo maris accessu ac recessu incauti & ignari marini æstus facile in periculum & in naufragium incidant. Hic igitur locus, ut verbis antiqui scriptoris utar, "
" Tumba vocitatur ab incolis, ideo quod in morem tumuli, quasi ab arenis emergens, "
" ad altum spatio ducentorum cubitorum porrigitur, oceano undique mari cinctus, sex "

AN CHR. 708.

* Sée. * Selune.

„ millibus ab æstu oceani, inter ostia situs, ubi immergunt se mari flumina Segia * & „ Senuna *, ab Abrincatensi urbe sex distans millibus; occasum prospectans, Abrin- „ catensem pagum dirimit a Britannia. Illic mare suo recessu devotis populis deside- „ ratum bis præbet iter petentibus limina beati Michaelis archangeli. Addit idem au- „ ctor, hunc locum opacissima olim silva clausum fuisse, & monachos ibidem inha- „ bitasse, duasque ad suum usque tempus exstitisse ecclesias, quas illi scilicet mona- „ chi incolebant. Hæc loci facies erat ante sancti Michaelis apparitionem hoc anno factam religiosissimo Autberto Abrincatensi episcopo, admonentis, se velle, ut sibi in ejus montis vertice ecclesia sub ipsius patrocinio erigeretur. Hærenti antistiti tertio idem intimatum, tandemque operi admota manus. Mox, congregata rusticorum maxima multitudine, purgatus locus, complanatum spatium, disjectis a quodam Baino duabus rupibus, quas nulla manus demovere valuerat. Exstruxit itaque fa- „ bricam pontifex, culmine non admodum celsam, in modum cryptæ rotundam, quæ „ homines fere centum caperet, instar illius, quæ in Gargano monte erecta fuerat. Inde, concedente Garganici montis abbate, allata dicitur pars rubei pallioli, quod archangelus super altare reliquerat, cum parte itidem marmoris, super quod steterat. Omnibus rite dispositis, facta est novæ basilicæ dedicatio XVII. kalendas Novembris ab Autberto episcopo, qui dies olim non modo in Gallicanis Lugdunensis secundæ, aliisque non paucis ecclesiis, sed etiam in Anglicanis celebris erat, probante decreto synodi Oxoniensis anni post millesimum ducentesimi vicesimi-secundi, *ut dedicatio sancti Michaelis in monte Tumba a rectoribus ecclesiarum devotissime celebretur*. Illic primum a sancto Autberto instituti dicuntur clerici, quibus monachi a Richardo primo Nortmannorum duce loci instauratore suffecti sunt. Hæc ex anonymo auctore, qui de hac apparitione scripsit ante introductos illuc monachos per Richardum ducem, id est ante medium sæculum decimum, ubi nihil de miraculosa illa ecclesiæ dedicatione a posteris vulgata, nihil de percusso sancti Autberti cunctabundi ac penetrato per archangelum capite, sed tantum de impressa petra, in qua pontifex locum primo invisens sedisse dicitur. Apparitio illa hoc anno facta legitur in domesticis loci monumentis; dedicatio anno sequenti.

Ceterum an clerici principio illic a sancto Autberto instituti sint, quod anonymus tradit; an monachi, non levis dubitatio est. quippe in constitutione Ludovici augusti inter illa monachorum cœnobia, quæ tantum dona dare debent sine militia, primo loco numeratur *monasterium sancti Michaelis maresci primi*. quo nomine monasterium sancti Michaelis in monte Tumba significari Hadrianus Valesius probat, sic dictum, quod situm esset in marisco vel maresco, id est in solo palustri, quod quotidianis accessibus æstuans inundat oceanus. Hæc observatio si vera esset, quod suo loco discutiemus, probaret utique monachos primitus illic institutos fuisse, quibus a tempestate Nortmannorum, ut in multis aliis locis, clerici successerint. quæ res cum anonymum fugeret, habita ratione sui temporis clericos ibidem ab initio fuisse existimavit. De hoc loco Bernardus [a] monachus, qui eum anno octingentesimo septuagesimo pii voti causa invisit, ita in narratione Jerosolymitani sui itineris loquitur. *Inde venerunt*, Bernardus scilicet ac duo ejus socii, *ad sanctum Michaelem ad Duas-tumbas, qui locus est situs in monte, qui porrigitur in mare per duas leucas. In summitate hujus montis est ecclesia in honore sancti Michaelis, & in circuitu illius montis redundat mare quotidie duabus vicibus, id est mane & vespere, & non possunt homines adire montem, donec mare discesserit.* Tum subdit idem Bernardus rem singularem, & a nemine alio observatam: *In festivitate autem sancti Michaelis non conjungitur mare in redundando in circuitu illius montis, sed stat instar murorum a dextris & a sinistris: & in ipsa die sollemni possunt omnes, quicumque ad orationem venerint, omnibus horis adire montem, quod tamen aliis diebus non possunt.* quæ res, etsi valde incerta, non visa est tamen omittenda hoc loco. Ceterum de recentiori ejus basilicæ ac monasterii admiranda fabrica dicere nunc supersedemus, dum ad illud tempus, quo facta est, si Deus volet, pervenerimus.

[a] Sæc. 3 Bened. parte 2. p. 516.

XL. S. Michaelis in monte Gargano.

Ab anonymo illo auctore, qui hanc sancti Michaelis apparitionem retulit, discimus abbatem, ac proinde monachos tum exstitisse in basilica sancti Michaelis in monte Gargano, a quo abbate Autbertus reliquias pallioli ac marmoris ad novæ suæ basilicæ dedicationem acceperit. Verba illius anonymi ipsa huc refero. *Interea missi nuntii adeunt locum*, scilicet montem Garganum, *qui benignissime ab abbate*

ANN. CHR. 708.

loci illius suscepti, vestibusque mutati, ac tanti itineris fatigatione sublevati, cuncta quæ sua contigerant regioni, simulque ad quod venerant pandunt. quæ verba cum illius loci abbas suo retulisset antistiti, uberrimas omnipotenti Deo laudes uterque retulit. Ex quo intelligitur, abbatem ejus loci rectorem fuisse, quem modo duodecim occupant canonici. Idem sæculo insequenti attestatur Bernardus monachus mox laudatus, cujus verba anonymo illustrando huc referre juvat. *Inde progressi venimus ad montem Garganum, in quo est ecclesia sancti Michaelis sub uno lapide, super quem sunt quercus glandiferæ, quam videlicet ipse dicitur dedicasse: cujus introitus est ab aquilone, & ipsa quinquaginta homines* (aliis *centum*) *potest recipere in se. Intrinsecus ergo ad orientem ipsius angeli habet imaginem; ad meridiem vero est altare, super quod sacrificium geritur, & præter id, nullum munus ibi ponitur. Est autem ante ipsum altare vas quoddam, quod etiam juxta se habet altaria. Cujus loci abbas vocabatur Benignatus, qui multis præerat fratribus.* Ita Bernardus. Quamdiu ab eo tempore monachi locum insederint, nobis incompertum; tametsi ex titulo capitis vicesimi-quarti libri quarti chronici Casinensis colligit Lubinus Augustinianus, monachos Ordinis sancti Benedicti anno supra millesimum centesimo ibidem superfuisse.

ANN. CHR. 709.

XLI. S. Michaelis ad Mosam.

QUo tempore sanctus Autbertus basilicam in monte Tumba exstruebat, eodem Wlfoaldus seu Wolfaudus comes in pago parochiaque Virdunensi clarissimum cœnobium sancti Michaëlis fundavit. Hoc cœnobium primitus conditum fuit ad fluviolum Masupiam seu Marsupium,* quinque passuum millibus a fluvio Mosa, ad quem sæculo insequenti novum constitutum est a Smaragdo abbate. Editæ sunt ipsius Wolfandi comitis primariæ hac de re litteræ apud Stephanum [a] Baluzium, longe emendatiores quam apud Wasseburgum & Cointium; sed tantum ex chartulario. Exstat in archivo ejusdem loci authenticum ipsum exemplar, ex quo emendatiorem illius instrumenti editionem in appendice tomi sexti Chronici Benedictini fieri curavit reverendissimus abbas domnus Henricus Henezo, vir ingenio & doctrina insignis, qui monasterium istud novis ædificiis magnifice decoravit. Idem instrumentum nos quoque cum authentico denuo contulimus, ex quo illud in Appendice integrum referemus. In hoc exemplari Wlfoaldus (ita constanter legitur) filius Gislaramni, & conjux ejus Adalsinda, filia Alberti, testantur, se pro animarum suarum salute & Dei intuitu monasterium, congregationemque servorum Dei instituisse in pago Virdunensi, in loco qui dicitur Castellionis, in fine Vidiniaca, ubi in ipsa radice montis consurgit fluviolus, qui dicitur Masupia (sic authenticum) in honore sancti Michaëlis archangeli, & sanctæ Mariæ matris Domini nostri Jesu-Christi; sancti Martini, & sanctorum Petri & Pauli apostolorum, necnon sanctorum martyrum & confessorum. Deinde Wlfoaldus varia prædia, variasque possessiones commemorat, in dotem illi monasterio concessas super fluvios Mosam, Masupiam & Qualam; in his villam Buxarias in pago Virdunensi, quam de Anstruda abbatissa quondam dato pretio comparaverat. Hæc est Anstrudis abbatissa Laudunensis, sanctæ Salabergæ filia, cujus propinquus fuit Wlfoaldus comes, ut ex ejus actis tomo superiori laudatis intelligitur. In fine Wlfoaldus præcipit, ut nullus judex vel pontifex, etiam Virdunensis, ullam potestatem habeat ad quaslibet redhibitiones aut requisitiones exigendas. Facta est hæc donatio in ipso monasterio, anno quintodecimo Childeberti regis. Subscribunt *Vulfoaldus vir inluster*, & post eum & Adalsindam ejus conjugem, Wlfuidis abba, & ante eum Gairebaldus, episcopus utique Tullensis, cujus loco *Aggrebardus* mendose legitur apud Wasseburgum, qui Virdunensem episcopum esse opinatus est. Has litteras præcesserat commutatio [b] anno superiore facta inter ipsum Wlfoaldum & Sigibaudum episcopum Mettensem, qui Wlfoaldo comiti locellum Marsupiam concesserat in vicem alterius locelli ab eo accepti. Hoc monasterium a loco non raro Castellio dictum est.

Superiores chartas ad Childebertum, Sigiberti & Brunechildis filium, perperam retulit monachus [c] anonymus, qui breve ejus loci chronicon sæculo undecimo scripsit sub Nantero abbate: quas chartas ad Childebertum tertium revocandas esse constat, tum ex tempore Sigibaudi seu Sigibaldi episcopi Mettensis, tum ex diplomate [d] Pippini regis, monasterio Dionysiano concedentis locum aliquem in pago Virdunensi, qui appellatur ad-montem-sancti Michaëlis archangeli, super fluvio Marsupio, quem Wlfoaldus quondam, inquit, pro vita sua, id est pro vitanda morte,

* *Massupe.*

a *Miscellan. to. 4. p. 403.*

b *Ibid. p. 409*

c *Analect. to. 2. p. 374. & seqq.*

d *Doublet p. 696.*

ANN. CHR. 709.

nobis dedit, *pro eo quod illud castellum ibi:d m volebat ædificare ad inimicos nostros recipiendos, sicut comprobatum est: & ad Francorum judicium propter hoc missus est ad causas* reddendas. Hoc diploma datum est Compendio, anno quarto regni Pippini. Ex quo manifestum est, Wlfoaldum ad Pippini regis tempus pervenisse. Wlfualdum item monasterii sancti Michaëlis conditorem vocat Sigebertus monachus, eumque cum Wlfoaldo majore domus regiæ sub Childerico rege confundit. Prædictus anonymus sancti Michaëlis chronographus a senioribus suis traditum scribit, Wolfaudum orationis gratia Garganum montem adiisse, indeque pignora reliquiarum retulisse, eo animo, ut ecclesiam in honorem sancti Michaëlis ædificaret; & in loco, qui Castellionis tunc dicebatur, monasterium cum basilica exstruxisse: &, ne sæcularium frequentia, occasione orandi, Deo vacantes monachos interturbaret, a latere meridiano ecclesiam in honorem beati Petri apostoli condidisse, in qua sibi, suisque divina celebrarentur. Similiter ejus conjugem Adalsindam inter duas illas ecclesias capellam in honorem Dei genitricis constituisse, in qua & ipsa secretius oraret, & divinum cultum exsequeretur: ubi etiam usque hodie, ait anonymus, utriusque, & unius ipsorum infantuli sepulturæ conspiciuntur. In necrologio sancti Michaelis notatur IV. idus Decembris *Vvolfaudus piæ memoriæ dux, fundator hujus monasterii*; & IV. nonas Maii *Alsindis itidem fundatrix*. Manegaudus abbas medio » sæculo undecimo in memoriam beneficiorum, quæ sibi contulerat piæ memoriæ dux » Volfaudus, ejusque conjux Alsinda, communi totius capituli consilio & concessu, » quolibet die in perpetuum unam præbendam pauperibus in cibo & potu, quemad» modum uni de fratribus, dari constituit.

De abbatibus, qui locum illum ante Caroli Magni tempora rexerunt, nihil scriptum reperit chronographus anonymus. In prædicto tamen necrologio laudatur pridie kal. Februarii Ogericus, primus abbas Veteris-monasterii; & XII. kal. Aprilis Sicco abbas secundus. Hunc subsecutus est Hermengaudus abbas & episcopus, chronographo notus. Gairebaldus seu Garibaldus Tullensis episcopus, quem priori Wlfoaldi testamento subscripsisse diximus, acquisivit apud gloriosum regem Childeber» tum, *interveniente Ermenchilde regina ejus uxore*, abbatianculam unam in honore » sancti Petri dicatam, quæ est sita in saltu, nomine Dervo, & quasdam villas super » fluvium Saltum, ut ex actis Tullensium episcoporum discimus, quorum copiam nobis fecit domnus Antonius Colbertus, sancti Michaelis quondam supprior. Deodatus episcopus Nivernensis in saltu Vosago conversandi locum ab eodem Garibaldo obtinuisse traditur.

XLII. Hermenlandus abbas regimen abdicat.

Inter ea Hermenlandus Antrensis abbas in Armorica, cum ad senilem vergeret ætatem, nihilo minus ad majorem in dies profectum animatus, pastoralis officii regimen, annuente rege, abdicat, fratribusque eligendi successoris facultatem permittit, secessurus in oratorium sancti Leodegarii martyris, quod sibi juxta fores monasterii ad orientem extruxerat. Mox congregati in unum fratres ægre de substituendo vicario patre inter se se agunt, eliguntque Adalfredum monachum, cujus electionis eos serio, at sero pœnituit, quod tyrannum, non patrem sibi imposuissent. Ille enim, mox ut electus est, fratrum cura posita, superfluis occupari negotiis cœpit, communi non contentus domo privatam sibi aulam ædificare; rerum omnium erga se prodigus, vix ac ne vix quidem necessaria fratribus, immo nec ipsi Hermenlando indulgens. Hermenlandus ad hæc ingemiscere, hominem officii admonere, ad mentem rediret, communibus contentus esset: sin minus, privatis non diu fruiturum. Verum illi hæc pro nugis, hæc senis deliramenta visa sunt. At brevi divina ultio, prout vir sanctus prædixerat, subsecuta hominem e medio sustulit. Tum fratres Hermenlandum conveniunt, obsecrantes, ut ne se in successoris electione iterum aberrare sineret: sed dignum Deo patrem ipse eligeret, qui ejus exemplo pasceret gregem, non Adalfredi more devoraret. Flexus eorum precibus Hermenlandus, Donatum designat, qui antecessoris errata emendavit, & monasterium toto regiminis sui tempore rite administravit.

XLIII. S. Bonitus episcopus obit.

Hoc eodem anno insignium virorum mortes, partim ex conjectura, partim ex certis argumentis consignamus. Primus ex his est Bonitus, olim Arvernensis antistes, qui, abdicata dignitate, post Romanam peregrinationem Lugduni demorabatur, nempe, ut conjicimus, in parthenone beati Petri, ubi sepultura donatus est. Post biennii in ea civitate commorationem, cum Nodobertum successorem cuidam

ejus æmulo reconciliasset, podagræ ingravescente molestia, ubi ad extrema pervenit, cellulæ suæ fenestram aperiri jussit, & lacrymis perfusus, psalmum, qui in extremis *juxta morem canendus*, id est recitandus, erat, haud dubie quinquagesimum, inoecpit, atque inter hæc animam exhalavit. Cum sacrum ejus corpus ad tumulum efferretur, substratus sub feretrum paralyticus convaluit. Post annos sex, quam in basilica sancti Petri requieverat, de transferendo Arvernos corpore Nodobertus serio cogitavit. At, repugnantibus Lugdunensibus, id muneris relictum Proculo, qui tertius post virum Dei sedem Arvernicam obtinuit. Hujus rei gratia Proculus dignos Lugdunum dirigit sacerdotes, venerabilem scilicet Adelphium monasterii Magnilocensis, Eoaldum Volvicensis, Moderatum Teclatensis abbates, qui rem prudenter exsecuti sunt, assentiente Fulcoaldo episcopo Lugdunensi; at contra resistente Dida abbatissa monasterii sancti Petri, ubi sacrum corpus quiescebat. Verum hæc tandem cælesti admonita oraculo cessit, retenta parte amphibali, quo viri sancti caput tectum erat. Sic nullo deinceps negotio sacræ ejus reliquiæ Arvernos delatæ, & cum magna pompa in principe sancti Mauricii ecclesia repositæ sunt. Sancti Boniti memoria in sacris fastis XVIII. kalendas Februarii consignata legitur. ANN. CHR. 709.

XLIV. Tetricus episcopus Autissiodorensis.

Martio mense insequenti Tetricus Autissiodorensis episcopus a nefario quodam homine, Ragenfredo scilicet archidiacono, gladio transverberatus interiit XV. kalendas Aprilis, dum super scamnum sopore depressus quiesceret. Sepultus est in ecclesia sancti Eusebii suburbana. Oratorium in loco, ubi necatus fuerat, in ejus honorem a posteris erectum. Ragenfredus statim post dirum facinus domo egressus, nusquam deinceps comparuit. Tetricum pro more illorum temporum ut martyrem colunt. Post ejus necem tres annos vacavit sedes. Focoaldus demum electus, nulla re gesta insignis.

XLV. Item S. Bertinus abbas Sithiensis.

Bonito & Tetrico episcopis sanctis adjungimus Bertinum abbatem Sithiensem, qui & ipse plenus dierum ac meritorum ad cælos migravit V. idus Septembris, anno ætatis centesimo duodecimo, a prima conditione monasterii Sithiensis quinquagesimo-nono. Corpus ejus Erlefridus abbas & Sithiensium cœtus universus cum summo honore, ut tantum decebat patrem, in oratorio sancti Martini sepelierunt, quod prædictus abbas amplificavit, erecta ad ejus tumulum ara, ubi plurima miracula patrata leguntur. Bertinus ob innocentiam & simplicitatem christianam maxime laudatur in martyrologiis Adonis & Flori, dignus a posteris habitus, qui Sithiensi monasterio sancti Bertini appellationem daret. Libros duos de sancto Bertino litteris mandavit antiquus anonymus, unum de ejus vita, alterum de miraculis: quibus tertium librum anonymus alter sub initia sæculi decimi adjecit. Hunc e vestigio subsecutus est Folquinus Laubiensis abbas, qui librum de vita sancti Bertini sub finem ejusdem sæculi Walthero Sithiensi abbati nuncupavit. Sæculo insequente Folcardus monachus aliam de sancto Bertino lucubrationem inscripsit Bovoni seniori ejusdem loci abbati, qui librum de ejusdem sancti inventione composuit. Eamdem vitam metrice reddidit duodecimo sæculo Simon ejusdem cœnobii monachus.

XLVI. S. Wilfridus episcopus obit.

In hunc etiam annum certo incidit mors duorum illustrium insulæ Britanniæ antistitum, Wilfridi olim Eboracensis, & Aldhelmi Schireburnensis. Post annos quatuor, quam Meldis gravi morbo decubuerat Wilfridus, secundum angeli vaticinium extremo tandem languore in Ripensi monasterio correptus est. Mox universa ejus familia, abbates monasteriorum ei subjectorum, anachoretæ, & quotquot demum sub ejus disciplina militabant, ad consueta orationis præsidia concurrunt, vitæ saltem inducias & vocis facultatem ei impetraturi, ut monasteriis rectores provideret, & de ceteris rebus statueret. Piorum filiorum votis & optatis benignus annuit Deus, & spatium unius anni ac dimidii sancto pontifici concessit. Ille his induciis optime utens, cum duobus abbatibus & octo fratribus ex familiaribus suis, quidquid auri & argenti in scriniolis repositum habebat, in quatuor divisit partes: quarum unam Romanæ ecclesiæ sancti Petri apostoli, ubi vitam finire optaverat; necnon basilicis sanctæ Mariæ & sancti Pauli in eadem urbe distribui jussit; alteram pauperibus, tertiam præpositis duorum monasteriorum, Ripensis & Hagustaldensis; quartam familiaribus suis, qui longa cum eo exsilia perpessi fuerant: ex quibus Tatbertum, propinquum suum, Ripensis monasterii præpositum instituit. His ita dispositis, pulsato signo totam Ripensis monasterii familiam convocari jussit, tum ad omnes verba faciens, Celino fratri reverendissimo, qui præpositi officio diu fun-

ANN. CHR. 709. ctus, ad deserta loca secedere optabat, discedendi facultatem indulsit. Dein ceteros admonuit, ut regularis vitæ institutionem conservarent, quoad ipse a Coëlredo rege Merciorum, qui se ad colloquium per Tibbam & Abbam abbates suos invitaverat, ordinato ejus regni monasteriorum statu reverteretur, eisque idoneum abbatem præficeret. Quod si, Deo secus providente, per infirmitates suas reverti non posset, eum abbatem constituerent, quem præsentes Tibba & Abba abbates, Tatbertus & Hadufridus presbyteri, magisterque Aluhfridus a se directi, indicaturi essent.

His dictis, benedictione fratribus mærentibus data, cum pace & desiderio omnium, tam principum, quam subditorum transhumbrensium, ad australia Britanniæ regna, id est ad Merciorum regem, profectus est, omnesque, in primis abbates & monachos suos, adventu & præsentia sua recreavit. Postquam cuncta rite disposuerat, ad monasterium Undolum, cui Cudbaldus abbas præerat, ubi ipse olim sancti Andreæ ecclesiam consecraverat, cum pervenisset, statim infirmitate oppressus finem vitæ suæ proximum esse intellexit. Tum paucis præsentes admonuit, memores ut essent eorum, quæ ante ordinaverat. Ceterum totam vitæ suæ seriem Tatberto presbytero, propinquo suo, in itinere prius exposuerat, mandans, ut quibusdam abbatibus certas terras daret, & speciatim, ut Accæ presbytero, qui post eum episcopus fuit, Hagustaldense monasterium committeret. Demum, benedictione adstantibus denuo impertita, capite in cervical reclinato, placide spiritum emisit, dum fratres in choro hunc versum psalmi centesimi tertii canerent: *Emitte spiritum tuum, & creabuntur.* Mortui corpus lotum, de more, & ecclesiasticis vestibus indutum, abbates undequaque illuc profecti deduxerunt ad Ripense monasterium, ubi sepulturæ mandatum est in basilica sancti Petri, quam ipse olim ab se exstructam dedicaverat. Funus honorifice curavit Tatbertus presbyter, Ripensis monasterii abbas a sancto præsule designatus & institutus, qui singulis per annum diebus pro eo *missam singularem* celebrari, & omnibus hebdomadis quintam feriam, in qua obiit, festive recoli jussit, atque anniversaria ejus obitus die ex universis armentis & gregibus decimas partes egenis distribui, præter quotidianas stipes & eleemosynas. Idem Cynedridæ abbatissæ sindonem misit, seu pannum, quem Bacula abbas, dum sacrum corpus lavaretur, ei supposuerat: quem pannum cum quædam sanctimonialis, manum habens aridam, lavari petiisset; apposita manui aqua illa calefacta, statim vigorem recepit. Obiit Wilfridus anno ætatis suæ septuagesimo-sexto, pontificatus quadragesimo-sexto, VIII. kalendas Maii, feria quinta, id est anno septingentesimo nono. Res ab eo gestas rogatu Accæ episcopi & Tatberti abbatis primus in litteras retulit Eddius, cognomento Stephanus, ejus discipulus & familiaris, quem secum ex Cantuariensi monasterio in Northumbrensem regionem adduxerat. De eo item egit venerabilis Beda, qui & epitaphium ejus composuit: & post utrumque Fridegodus carmen de ejus vita jussu Odonis episcopi Cantuariensis rudi minerva cecinit. His accessere Eadmerus, ac Willelmus Malmesburiensis, postremo Petrus Blesensis, præter alios Anglicarum rerum scriptores.

XLVII. Johannes, ejus successor. Successit ejus loco in sedem Eboracensem Johannes, ex-monacho quondam Streaneshalensi, qui post Bosam sedem illam jam occupaverat. Pulso quippe Wilfrido, creati fuerant, uti diximus, episcopi duo, Bosa nimirum in Eboracensi, Eata in Hagustaldensi ecclesia. Eatæ successerat Johannes sub annum sexcentesimum octogesimum-octavum; Bosæ vero anno septingentesimo-quarto. Verum Wilfrido paullo post in sedem suam restituto ultro cesserat: eidemque defuncto hoc anno demum legitime successit in annos octo. quibus exactis, regimen Eboracensis ecclesiæ denuo abdicavit, secessitque in monasterium Beverlacense, quod ipse condiderat in pago Eboracensi ad Hullum fluvium: ubi post annos quatuor piissime defunctus est. Monasterium Inderavuda, id est in silva Deirorum, Beda[a] venerabilis appellat, laudatque Britonum diaconum ejus loci abbatem, ex quo ait se accepisse quædam Johannis facta, in his miraculum redditæ muto vocis, dum is in quodam remoto loco tempore quadragesimæ, orationi ac lectioni vacaturus, versaretur haud procul ab ecclesia Hagustaldensi; item aliud[b] de sanata quadam sanctimoniali monasterii Vetadunensis, nomine Coënburga, filia carnali Hereburgæ abbatissæ, graviter ægrotante ob venæ sectionem in quarta luna ei factam. quod valde periculosum esse Johannes a Theodoro episcopo didicerat, propterea quod tunc &

Beverlacum secedit.

a Beda lib. 5. c. 2.

b Ibid. c. 3.

ANN. CHR. 709

& lumen lunæ, & æstus oceani in cremento est. Alia ejus miracula ab eodem relata auctore prætereo. Idem abbas Johanni auctor fuit, ut substituto in ipsius locum Wilfrido juniore, Beverlacum secederet. Unum singulare addit Beda [a] de Herebaldo abbate cujusdam monasterii Tinemuthensis, sic dicti, quod ad ostium Tini fluminis positum esset, qui abbas, cum a presbytero rudi & imperito, catechizandi experte, baptizatus fuisset; denuo a Johanne episcopo catechizatus, & exsufflante illo exorcizatus, ac demum vitali unda perfusus est, quasi invalidus esset baptismus collatus a presbytero, qui propter ingenii tarditatem catechizandi ac „ baptizandi ministerium discere non potuerat; ac propterea ab eodem Johanne re- „ motus ab hoc officio fuerat.

XLVIII. Aldhelmo episcopo succedit Forthereus.

Vix amplius uno mense Wilfrido supervixit Aldhelmus episcopus Schireburnensis, vir undecumque doctissimus, teste Beda [b] venerabili, & scripturarum, tam li- „ beralium, quam ecclesiasticarum, eruditione visus eidem admirandus: qui hoc an- „ no, post annos quatuor episcopatus, obiit VIII. kalendas Junii. Id laudis ei tribuit Willelmus, itidem ejus præco & admirator, quod primus Anglorum, latina carmina condiderit, qua de re Aldhelmus ipse gloriari videtur, dum in carmine de virginitate hos versus adhibet Virgilianos.

Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit,
Aonio rediens deducam vertice musas.

Idem epigrammata scripsit, quæ tanti fecit sanctus Eulogius presbyter ac martyr Cordubensis, ut ipsius *Adhelelmi epigrammata* ex urbe Pampilonia, cum aliis melioris litteraturæ libris secum retulerit, testante Alvaro in ipsius vita. Aldhelmum in episcopatu excepit Forthereus, & ipse, judicio Bedæ, in scripturis sanctis multum eruditus. Librum de Aldhelmi vita, in quatuor distinctum partes, scripsit Willelmus Malmesburiensis monachus, editum nuper in Angliæ-sacræ parte secunda, cujus compendium a nobis vulgatum est in prima parte Sæculi tertii Benedictini. Indignum Aldhelmo factum in hoc libro imputat Willelmus ad probandam ejus castitatem, quod nec Beda retulit, nec Aldhelmus ipse in suis [c] de virginitate scriptis probavit, immo refellit.

XLIX. Beorwaldus abbas Glastoniensis, & successores.

Exstat ad Forthereum epistola Bertwaldi episcopi Cantuariensis, inter Bonifacianas ordine quinquagesima octava, eum rogantis, ut venerabilem abbatem Beorwaldum adducat ad concedendam redemtionem unius puellæ captivæ sub pretio tre- „ centorum solidorum, quo possit illa reliquum vitæ suæ spatium cum consanguineis „ suis, non in servitutis tristitia, sed in lætitia libertatis transigere. Ingens pretium „ pro illo tempore, quam melius gratis in libertatem asserta fuisset! Sed hi mores eorum temporum erant, & Bertwaldus justam abbatis possessionem agnoscere videtur. Beorwaldus ille abbas erat Glastoniensis monasterii apud occidentales Saxones sub episcopatu Schireburnensi: cui Forthereus episcopus quamdam possessionem donasse traditur [d]. Ab hoc Beorwaldo seu Bearwaldo distinguendus est Britwaldus ejusdem loci abbas, primus [e] ex Anglis, sub annum sexcentesimum septuagesimum, quo anno rex Kenwalchius quasdam Glastoniæ donationes fecit. Beorwaldo Albertus [f] successisse dicitur. Post quem reperio Echfridum, [g] cui suffectus Coëngislus, ad quem Bonifaciana epistola quinquagesima-secunda superius laudata.

L. Eandmundus condit novum monasterium Lindisfarnæ.

Sub hoc tempus dux Eandmundus monasterium condidit in clivo montis prope insulam Lindisfarnæ, ob hoc Lindisfarnense dictum, brevi freto distinctum ab eo, quod Aidanus episcopus in illa insula prius ædificaverat. Utrumque sancto Petro apostolo sacrum. Posterius hoc monasterium situm erat in loco, ubi exstabat urbs cum clero: forte quæ illic ex occasione monasterii accreverat. Unde Ethelwolfus monachus in carmine de origine & primis ejus monasterii incolis agens, ita canit.

Jam campus ridet: florent ad gaudia Christi
Per cellam monachi; lætatur clerus in urbe,
Quem lex una tenet gaudenti in corde voluntas.

Quæ fuerit condendi hujus monasterii occasio, docet nos idem poëta. quippe exstincto Aldfrido Northanimbrorum rege, principatus fuit penes Osredum ejus

[a] Ibid. c. 6.
[b] Ibid. lib. 5. c. 19.
[c] V. supra n. 34.
[d] Monastic. Anglic to. 1. p. 13.
[e] Ibid. p. 12.
[f] Ibid. p. 13.
[g] Ibid. p. 14.

ANN. CHR. 709. filium, cujus dominatio principio ita cunctis infesta fuit, ut omnia susque deque verteret. quod præter Bedam aliosque tradit idem poeta.

Exstitit a primis, sed non moderatus in annis,
Indocilis juvenis, nescit sensusque petulcos
Subenrvare animo, contemnens jura Tonantis,
Armipotens, nimium propriis in viribus audax.
Non proceres veneratus erat; nec denique Christum,
Ut decuit, coluit: vacuis sed subdidit omnem
Actibus heu vitam, mansit dum corpore vita.

Mirum est tam effrenem fuisse ab ipso initio juvenculi regis licentiam, qui, teste Beda, tantum octo annorum erat, cum regnare cœpit, annisque dumtaxat undecim regno potitus est. Sed quid non possit etiam in puero rege indomita quidlibet audendi & agendi facultas, maxime ubi pares animo aulici ei assentantur? Addit idem poeta, multos miseranda morte ab ipso peremtos fuisse; alios coactos refugisse in monasteria, tonsosque in eis constitisse. ex quibus unus fuerit dux Eandmundus, sublimi genere nobilis, in populis summe honoratus, qui militiam sterilem cælesti demum postposuit. Hæc itaque occasio illi fuit condendi novi monasterii Lindisfarnensis: ubi monastica tonsura & veste indutus, multos secum discipulos, brevi futurus abbas & magister, attraxit.

Verum quia monasticæ disciplinæ rudes erant omnes, ad sanctam insulam Lindisfarnensem accessit ad Egfridum episcopum, petiturus novæ coloniæ doctores ac magistros, a quibus novi tirones instituerentur. Concessus idcirco presbyter ac monachus e grege Lindisfarnensium. Missus etiam ab Eandmundo nuntius ad Egbertum sanctissimum pontificem, qui tum in monasterio Ratmelsigensi apud Scottos conversabatur, tum ut tabulam altaris ab eo sacratam acciperet, tum ut salutaribus ejus monitis informaretur. Ille missa tabella monet, puram & castam ut vitam colat cum suis Eandmundus, & incumbentem mari collem inhabitet, ibique sancto Petro basilicam ad persolvendas Deo interdiu ac noctu laudes exstruat. Nec mora, insigne templum ab Eandmundo erigitur, cum oratorio beatæ Mariæ, plumbeisque tabulis tegitur. Illic fervere ad divinas laudes sub Eandmundo jam duce & abbate monachi piissimi, quorum alii in precibus insomnes ducebant noctes, genibus flexis frigidi marmoris pavimento affixi, quantumvis hiems aliquando sæviret: alii lectionibus sacris somnum fallebant; alii subtractam sibi escam egenis erogabant. His se se adjunxit inter alios Ultanus monachus, Scottus genere, mira scribendi arte præditus, qui moribus sanctis alios formavit, ibidemque sanctissime decessit. Quam gratum Deo acceptumque fuerit hujus scriptoris officium, post mortem ex miraculo ejus dextræ patuit, cujus os capiti morientis admotum vitam restituit. Huic non impares fuere Fridegilsus presbyter, & Cnicuinus ferrarius. Hic, ceteris post nocturnas vigilias somno indulgentibus, in oratorio genibus flexis ad orationem perstabat, post Primæ officium cudendo metallo totum se applicans, ut haberet, quo egeni reficerentur. Nec mirum certe quod mortui animam Æthvinus monachus in cælum ferri suspexit.

LI. Eandmundi successores. Eandmundo abbate exstincto, locum rexere unus post alterum germani duo fratres, Eorpuinus, largus miseris, sibique parcus; & Alduinus, virtute non impar; tum Sigbaldus presbyter, qui ecclesiam aureo calice, sacrisque vasis & ornamentis locupletavit, æneis signis seu campanis instruxit: missas nun sine multis lacrymis celebrare solitus, præcipue in festis nativitatis beatæ Mariæ, assumtionis, conceptionis Verbi, atque natalis Domini, ac dedicationis basilicæ. Is successorem sortitur germanum fratrem, Sigwinum nomine, qui erga pauperes & egenos supra modum liberalis exstitit: cujus tempore Higlacus presbyter ac lector ibidem floruit. Sigwino suffectus præter voluntatem Wlfigus, abbas summopere modestus & humilis, cui Ethelwolfus poeta semper adhæsit, primum quidem cum eo monachus ac syncellita; dein eidem subjectus per annos sex, quibus monasterium rexit Wlfigus, vir tam profusæ orationis, ut totum psalterium nocte ante vigilias nocturnas, itidem per diem, præter canonica officia, recitaret; tantæ abstinentiæ, ut aliis prandentibus sæpe in ecclesia oraret, vix corpori indulgens, quo utcumque sustenta-

ANN. CHR. 709.

retur. Eo abbate, ibidem degebat vitæ admirabilis Winfridus presbyter, cui vestium cura commissa erat. Horum omnium notitiam debemus Ethelwolfo monacho, qui carmen suum, a nobis ad calcem tertii Sæculi Benedictini editum, Egberto Lindisfarnensi episcopo nuncupavit, cujus inscriptio sic videtur restituenda : *Amicorum præstantissimo, atque dilectissimo sacerdoti magno Egberto, presbyter meritis exiguus Edilwlfus, Lindisfarnensis ecclesiæ monachus, intimæ caritatis salutem.* Egbertus Higbaldi episcopi erat successor, qui Lindisfarnensem ecclesiam anno octingentesimo-secundo in annos octodecim regendam suscepit, auctore Turgoto monacho Dunelmensi : ex quo tempus Edilwlfi seu Ethelwolfi monachi facile intelligitur. Hic sub finem carminis varios describit Lindisfarnensium horumce monachorum labores, ex quibus alii concinnandis templi luminibus, & vasis ad oleum continendum aptis, quæ plurima e funalibus pendebant ; alii crucibus, vasisque sacris ex auro, aliove rutilo metallo fabricandis ; alii scribendis codicibus sacris, & ductilis auri laminis operiendis ; alii mensæ altaris, sanctorumque loculis gemmis & auro exornandis dabant operam. Ethelwolfus porro præceptores habuit primo Godfridum, presbyterum & monachum ejus loci ; tum Higlacum presbyterum itidem, ac lectorem ; quorum gloriam in cælo sibi conspicuam fuisse testatur. Ex his aliisque locis discimus, jam ab illo ævo in monasteriis nostris exstitisse lectores monachos, quo nomine juniorum monachorum præceptores significantur. In fine Ethelwolfus nominis sui etymon exponit, quod est Clarus-lupus.

LII. Coenredus & Offa reges Romæ facti monachi.

Illustre est in primis hoc anno exemplum duorum insulæ Britanniæ regum, Coenredi regis Merciorum, & Offæ filii Sigheri orientalium Saxonum regis, qui ambo relictis sæculi honoribus Romam profecti, purpuram monastico habitu commutarunt, ibidemque cum insigni pietate reliquum vitæ suæ cursum peregerunt. Tantum exemplum ipsis venerabilis Bedæ [a] verbis referendum est. *Anno imperii Osredi quarto, Coenred, qui regno Merciorum nobilissime tempore aliquanto præfuerat, nobilius multo sceptra regni reliquit. nam venit Romam, ibique attonsus, pontificatum habente Constantino, ac monachus factus, ad limina apostolorum in precibus, jejuniis, & eleemosynis usque ad diem permansit ultimum, succedente in regnum Ceolredo filio Æthilredi, qui ante ipsum Coenredum idem regnum tenebat. Venit autem cum illo & filius Sigheri regis orientalium Saxonum, vocabulo Offa, juvenis amantissimæ ætatis & venustatis, totæque suæ genti ad tenenda servandaque regni sceptra exoptatissimus : qui pari ductus devotione mentis, reliquit uxorem, agros, cognatos, & patriam propter Christum & propter evangelium, ut in hac vita centuplum acciperet, & in sæculo venturo vitam æternam. Et ipse ergo, ubi ad loca sancta Romam pervenerunt, attonsus, & in monachico vitam habitu complens, ad visionem beatorum apostolorum in cælis diu desideratam pervenit.* Mirum est prætermissum fuisse a Beda itineris eorum socium Egwinum episcopum Wicciorum seu Wigorniensem, qui cum eis Romam profectus est, obtinuitque a Constantino pontifice privilegium pro monasterio Eoveshamensi, quod tunc meditabatur.

a Beda lib. 5. c. 20.

ANN. CHR. 710.

LIII. Hadriano abbati Cantuariensi succedit Albinus.

ANno proximo reverendissimus pater, ut Beda [b] loquitur, Hadrianus abbas, Theodori Cantuariensis olim episcopi in prædicatione verbi Dei cooperator, defunctus est, sepultusque in monasterio suo Cantuariensi sancti Petri, & quidem in ecclesia beatissimæ Dei genitricis, anno quadragesimo-primo, ex quo a Vitaliano papa in Britanniam cum Theodoro missus fuerat. Ei successit Albinus, magistro discipulus non impar, in scientia sacrarum scripturarum sic ab eodem institutus, ut græcam quidem linguam non mediocriter, latinam vero non minus quam maternam, id est Anglicanam, calleret. Is est Albinus abbas reverendissimus, vir per omnia doctissimus, quem historiæ suæ componendæ non modo auctorem & adhortatorem, sed etiam adjutorem laudat venerabilis Beda in præfatione ad Ceolwlfum regem, utpote qui diligenter omnia, quæ in Cantuariorum provincia, aliisque finitimis, a discipulis beati Gregorii papæ gesta fuerant, vel monumentis litterarum, vel seniorum traditione accepta, quæcumque memoria digna videbantur, per Nothelmum religiosum Londinensis ecclesiæ presbyterum, cum scripto, tum viva voce referenda, transmisit. Non fuit primus ex Anglis illius monasterii abbas, ut Willelmo Thorno visum est, qui Biscopum prætermisit. Idem in hoc etiam cum aliis fallitur, quod Hadriani abbatis obitum ante biennium ponit, contra manifestam Be-

b Beda lib. 5. c. 21.

ANN. CHR. 710.

dæ [a] auctoritatem, qui Hadrianum proximo post Wilfridi obitum anno decessisse tradit. Hadrianum in illius monasterii regimine præcessere Petrus abbas primus, sancti Augustini socius, secundus Johannes, mortuus anno sexcentesimo decimo-octavo, tertius Ruffinianus, ambo ab apostolica sede, uti & Petrus, cum Augustino directi, quartus Gratiosus, itidem ab apostolica sede missus, qui anno sexcentesimo vicesimo-sexto Ruffinianum excepit, per annos duodecim abbas. Huic successit Petronius abbas quintus, itidem Romanus, sed anno tantum sexcentesimo quadragesimo benedictus ab Honorio archiepiscopo. Sextus Nathanael ab anno quinquagesimo-quarto, quondam cum Mellito & Justo Roma in Britanniam missus, qui anno sexagesimo-septimo decessit. Post eum septimus abbas fuit Benedictus, cognomento Biscopus, ex Britannia oriundus, per duos annos: quo tempore Thornus regimen vacasse perperam scribit. Octavus & nonus Hadrianus & Albinus, de quibus modo agebamus.

a *ibid.*

Cantuarienses abbates.

LIV. Baino abbati Fontanellensi succedit Benignus.

Si non fallit calculus chronographi Fontanellensis, anno decimo-sexto Childeberti regis Benignus diaconus ac monachus ejus cœnobii curam suscepit post Bainum abbatem, qui hoc ipso anno in sedem Teruannensis ecclesiæ promotus dicitur. De Benigni abbatis primis factis nihil nobis prædictus chronographus suppeditat, probus quidem, at in designandis temporibus parum accuratus, aut certe interpolatus ab imperitis. Id tantum de Benigni primordiis refert, quod patre Maurino, matreque Inga editus sit: ceterum de ejus conversione & monastica conversatione altum silentium. Pastoralem curam per quatuordecim annos tenuisse memoratur, ac favisse partibus Caroli principis, quem chronographus *exarchum* vocat, de majoratu domus regiæ cum Ragenfredo disceptantis. quæ res in causa fuit, ut a Ragenfredo regimine monasterii expulsus sit, & Wando in ejus locum ab eodem intrusus. Sed hæc suo loco. Qui Bainum longe ante hoc tempus sedi Teruannensi impositum volunt, facile revincuntur ex relato superius instrumento Pippini, dato anno duodecimo Childeberti regis, tempore Baini abbatis, quem Pippinus eo loci *rectorem monasterii Fontinellensis* vocat. Quamdiu Teruannensem ecclesiam rexerit, & quid rei in illa dignitate egerit, incompertum. Malbrancus regiminis annos ei tribuit duodecim: quibus exactis, Fontanellam denuo se receperit, privatam acturus vitam. Obiit XII. kalendas Julii.

LV. Wlmari abbatis obitus.

Eodem tempore degebat in Silviacensi diœcesis Teruannensis monasterio Wlmarus abbas, cujus obitum hoc anno ex conjectura collocamus. Cum affectæ esset ætatis, nihil tamen de bono opere, nihil de consueto labore ad extremam usque horam prætermisit. Mortis imminentis præscius, conspectum suum negavit sacris virginibus, quas ad virtutem in proximo cœnobio informaverat, contestatus, se deinceps nullam feminam visurum. Certe dum ejus corpus ad tumulum efferretur, densa nebula ejus feretrum ita obtectum & obvelatum fuisse tradunt, ut nulli conspicuum fuerit. In cælum migravit XIII. kalendas Augusti, sepultus *in propria hereditate*, ut loquitur ejus vitæ scriptor anonymus, id est in proprio monasterio, ubi miraculis coruscasse perhibetur. Interpolator utrumque habet, nempe corpus ejus delatum fuisse *in suum cœnobium*, atque *in sua propria hereditate* clausum sepulcro. Non ergo Boloniæ, ut perperam scribit Malbrancus: tametsi viri sancti reliquiæ istuc postea translatæ fuere ob metum Nortmannorum, ac demum in Blandiniense Gandavi monasterium, ubi a Calvinistis sæculo sexto-decimo cum aliis crematæ sunt.

LVI. Richmirus abbas Cenomannensis moritur.

Richmirus abbas apud Cenomannos superis etiam adjunctus est XVI. kalendas Februarii, atque in cellula sua, id est monasteriolo, sepultus, succedente ipsi Ario abbate, qui locum regebat ad illud tempus, quo anonymus auctor libellum de sancti Richmiri gestis composuit. De monasteriolo sancti Rigomiri fit mentio in duobus diplomatis [b] Caroli Magni: at post id tempus nulla fere superest memoria, nequidem ipsius Richmiri, cujus cultus apud Cenomannos multum obsolevit, præterquam in ecclesia parochiali ejus nominis prope Lavardinum opidum, ubi vulgo *S. Rimer* appellatur. Non confundendus Richmirus cum Chirmiro archidiacono [c] & abbate monasterii sancti Vincentii ad eamdem urbem, quem Herlemundus præsul *vicedominum per totum episcopatum suum* esse constituit.

b *Analect. to. 3. p. 119. & 164.*

Alius a Chirmiro abbate.

c *Ibid. p. 212.*

LVII. Caledonensis monasterii primordia.

Caledonense ejusdem regionis monasterium conditum est paullo ante hunc annum, quo Berarius episcopus ejus auctor testamentum, ut vocabant, de eo fecit, ut illud Cenomannicæ subjiceret ecclesiæ. Qui de hoc monasterio egerunt recen-

ANN. CHR. 710

tiores, illius originem tribuunt Berario episcopo Cenomannensi; Herlemundi decessori, quem unum, non duos constituunt. Verum Herlemundus [a] *successor posterioris domni Berarii* fuisse dicitur in actis episcoporum Cenomannensium; & distinguendum esse hunc Berarium a conditore cœnobii Caledonensis innuit instrumentum, de quo agimus, sub Herlemundo posterioris Berarii successore editum, cujus hæc summa est. Berarius vocatus episcopus testamentum condit de Caleduno monasterio, quud suo ipse opere ex rebus propriis in pago Cenomannico, & quidem *in condita* seu plaga Diablentica ædificaverat in honorem sanctæ Mariæ & sancti Petri, ubi Cagliberta abbatissa præerat, prope illas abbatias, quas is de ratione sancti Gervasii in beneficio habebat, id est prope Busogilum monasterium, Priscosiccinum monasterium Diablentis, (opidum erat [b] juxta ripam Aroenæ fluvioli) monasterium sancti Martini, & cellam sancti Victuri, quæ omnia Caledunensi monasterio attribuit. Quia vero Chrodegarius dux favorem & opem suam eidem impendebat monasterio, statuit Berarius, ut post Caglibertanæ seu Caglibertæ abbatissæ obitum Chrodilda seu Chrodechilda ipsius filia in ejus locum instituatur. quod ab Herlemundo episcopo approbatum cupit, a quo prædicta beneficia acceperat. Hujus vero testamenti Berarius tria exempla vult confici: quorum unum domnus Herlemundus in arca ecclesiæ suæ pro se retineret: aliud Berarius ipse in monasterio suo haberet: tertium vir illuster Chrodegarius ad opus filiæ suæ Chrodechildæ. Actum Marogilo villa, anno sexto-decimo regnante Childeberto rege, XII. kalendas Novembris. Ex quibus nemo non videt, Berarium, prædicti monasterii auctorem, hoc scripsisse sub Herlemundo episcopo, posterioris Berarii successore; a quo proinde distinguendus sit. nisi si Berarius secundus vivens ac superstes Herlemundo episcopatum cessit, tantum vocatus ob id episcopus. quod quidem a veri similitudine non multum abest. aut forte is est Berarius [c] episcopus, qui Aigliberti episcopi privilegio pro monasterio sanctæ Mariæ subscripsit.

a Analect. to. 3. p. 211.

b Ibid. p. 144.

c Ibid. p. 204.

LVIII. S. Audoeni monasterii apud Cenomannos.

Jam vero Herlemundus ipse quamdam cellulam, seu parvum monasterium, a fundamentis exstruxit juxta civitatem in honorem sancti Audoeni, haud dubie episcopi Rotomagensis, in eoque monachos duodecim collocavit, & quemdam sacerdotem suum, Seufredum nomine, abbatem instituit. Dagobertus, Childeberti filius, una cum Pippino majore-domus, anno regni sui secundo, apud Jupilam villam pagi modo Leodicensis ad Mosam, Herlemundi hac de re testamentum confirmavit, simulque donationem villæ Artinarum, ad fluvium Lidum * positæ, quam cum aliis prædiis idem Herlemundus ad luminaria ipsius loci monachis, *sub sancta regula* ibidem consistentibus, tradidit. Vitiatæ sunt in editis instrumenti chronicæ notæ, sic forte restituendæ: *Data die Jovis, IV. kalendas Januarias, anno secundo regni nostri Jupila, in Dei nomine feliciter.* quæ notæ anno septingentesimo duodecimo conveniunt. Idem Herlemundus quoddam monasteriolum, quod Asidus nominatur, in melius restituisse atque ornavisse dicitur, & illic monachos aliquot, sub regula sancti Benedicti districte viventes sub abbate Quirino, posuisse. Illud sancti Audoeni monasterium primo in parœcialem ecclesiam ac prioratum, postmodum in seminarium clericorum conversum est.

* Le Loir.

LIX. Ibbonis episcopi privilegium pro monasterio S. Martini.

Ad idem tempus revocandum est Ibbonis Turonensis pontificis privilegium pro monasterio sancti Martini, a nobis [d] editum ex veteri codice Thuaneo, qui ab annis octingentis scriptus est. Hoc privilegio Ibbo libertatem concedit congregationi monasterii basilicæ beatissimi, & post apostolos Galliarum gloriosissimi confessoris Martini, ubi ipse in corpore requiescit, quale privilegium jam ante ipsum Chrotpertus ejus decessor eidem contulerat loco, auctoritate Adeodati papæ confirmatum. Id quippe conveniens sibi videri, illius monachis libertatem dare, in cujus gratiam & honorem tot beneficia Turonicæ urbi concessa sunt, præsertim a piissimo Dagoberto quondam rege, qui integram immunitatem eidem civitati dedit. Proinde se fratribus & abbati, Guntramno scilicet, cedere quoslibet census & quasvis exactiones, sibi tantum reservando honores impositæ manus, & benedictionem altaris, chrismatis & olei sancti; cedere etiam facultatem eligendi abbatis, *sicut regula sancti Benedicti edocet*, secundum tenorem privilegii Adeodati papæ. In abbate vero deligendo eum præponendum, non quem natales, aut divitiæ, aut ingenuitas; sed quem sanctitas morum & gravitas, pietasque adornaverint. In fine Ibbo subscribit privilegio ejusdem monasterii, *ubi ipsi monachi*, inquit, *secundum regulam*

d Acta sanct. Bened. to. 3. p. 745.

ANN. CHR. 710.

sancti Benedicti conversari videntur. Ejusdem privilegii exemplum post primam editionem habuimus ex archivo Martiniano, ex quo illud ipsum recudere visum est in libro sexto de re diplomatica: ne quis id interpolatum causetur in gratiam regulæ sancti Benedicti a Benedictinis monachis, qui jam ab annis fere nongentis Martiniana illa basilica exclusi sunt. Sed tandem post id tempus authenticum ipsum, franco-gallicis scriptum litteris, communicatum est nostro Edmundo *Martene*, qui accuratum cum multis aliis ejus exemplum nobis submisit, denuo edendum inter hujusce voluminis probationes. Huic autographo subscribunt post Ibbonem Dido episcopus, haud dubie etiam Turonensis; Bertacharus abbas, forte Majoris-monasterii, Bertharius in editis indicibus dictus; Dodo diaconus, Mummolenus abbas, & Bertheramnus, quæ subscriptiones aliis desunt. Neque mirere duos subscriptos reperiri Turonenses episcopos. Is enim tum mos erat, ut superiorum pontificum privilegiis subscriberent successores in vacuo spatio, quod de more in authentico relictum erat.

LX. Ordinationes & benedictiones in privilegiis ut reservatæ.

In privilegiis, quæ tunc temporis monasteriis concedebantur, excipi solebant ordinationes monachorum, benedictiones altarium & ecclesiæ, chrismatis & olei sacri, quas diœcesano episcopo reservari mos erat. attamen jam inde a sæculo septimo exceptiones illæ, in Burgundiæ nonnullis saltem monasteriis, sublatæ sunt, concessumque, ut monachis a quovis episcopo tum ordinationes, tum benedictiones ejusmodi petere, & accipere possent. Id probant privilegia duo, a Stephano Baluzio primum, deinde a nobis [a] iterum edita in modum formularum. In priori præ-
„ cipitur, ut nullus episcopus, aut archidiaconus, aut quilibet ex clero, aut actores
„ ecclesiæ ullum dominatum ibi exerceant. Cum vero necesse fuerit chrisma petere,
„ tabulas aut altaria consecrare, aut sacros conferre ordines; abbas vel monachi ibi-
„ dem consistentes id a quovis episcopo expetendi licentiam habeant. Tum libera ab-
„ batis electio secundum regulam sancti Benedicti, & monasterii bonorum absoluta
„ possessio monachis tribuitur. Si quid vero secus attentatum fuerit, a glorioso do-
„ mino, *quem tunc Deus regnum Burgundiæ gubernare permiserit*, hoc protinus emendetur. Idem aliis verbis statuitur in posteriori privilegio: quia dignum est, ut
„ quod rex hujus sæculi, inquit episcopus privilegii auctor, cum suis proceribus pro
„ communi salute voluit esse concessum, sub integro privilegio sit in perpetuum a ca-
„ lumniandi occasionibus conservatum. Id longe ante id tempus in Africa obtinebat, maxime in Adrumetino [b] monasterio, ubi, *prætermisso ejusdem civitatis episcopo, de transmarinis partibus presbyteros ordinari* mos erat.

[a] Ibid. p. 743. &c.

[b] Labbe conc. to. 4. col. 1646.

LXI. Childeberti placitum duplex pro S. Dionysio.

Non parvi momenti est placitum hoc anno editum Childeberti regis duplex [c] pro monasterio sancti Dionysii Parisiacensi. unum est de mercato seu nundinis sancti Dionysii, ex quibus census omnes a negotiatoribus, sive Saxonibus, seu quibuslibet aliarum nationum institoribus, exigi solitos, superiores reges Chlodoveus, Childericus, Theodericus, & germanus Childeberti *Chlodocharius* suis præceptis seu regiis litteris sancti Dionysii monasterio concesserant. Hos vero census Dalfinus ejus loci abbas repetebat adversus actores inlustris viri Grimoaldi majoris-domus, qui una cum comite pagi Parisiaci saltem mediam partem fisco deberi contendebant. Ad hæc Dalfini abbatis actores reponebant, Gairinum quidem, quondam ejus pagi comitem, mediam partem horum teloneorum vi abstulisse; at intercedentibus in palatio monachis restitutam. Tandem perlectis monasterii instrumentis, auditisque diversis partium rationibus, testimonium ferente viro inlustri Sigofrido
„ comite palatii, sententia ita prolata est, ut quovis tempore pars monasterii sancti
„ Dionysii, & Dalfinus abbas ac successores ipsius, integrum hoc teloneum deinceps
„ perciperent, tametsi *anteactis temporibus*, (verba ipsa refero) *clade intercedente, de ipso vigo sancti Dionysii ipse marcadus fuisset emutatus, & ad Parisius civitatem inter sancti Laurentii & sancti Martini basilicas ipse marcadus fuisset factus.* Actalius jussus diploma recognovit. *Datum quod fecit mensis December dies tredecim, anno sexto-decimo regni Childeberti, apud Mamaccas feliciter.* In illo placito quam multa observatu digna. Childeberti frater Chlodoveus hic *Chlodocharius* seu Chlotharius dictus, sive is est error scribæ, sive binominis erat, exemplo avi sui Chlodovei, qui etiam alio nomine Chlotharius dicebatur, forte ob avi itidem memoriam, ut superius ex Chronico [d] sancti Benigni, aliisque notatum. Deinde observandum id, quod de situ Dionysiani monasterii in illo placito legitur, nempe *in vigo* seu vico

[c] Diplom. p. 482. & seq.

[d] Spicil. to. 2. p. 390.

ANN. CHR. 710.

sancti Dionysii, contra novam Launoii opinationem, quam suo loco refutavimus. Denique translationem nundinarum Dionysianarum ob cladem bellorum factam a vico sancti Dionysii ad Parisiacam civitatem, inter basilicas sancti Laurentii & sancti Martini, quæ jam tum exstabant, quæ occasio fuit posteris retinendi nundinas Laurentianas, tametsi Dionysianis in priori loco restitutis.

Aliud insigne placitum pro eodem monasterio factum est eodem loco, eodemque die, de farinario Cadolaici in Latiniaco-villa * prope Vernum ad Iseræ & Brigæ * confluentes, quod farinarium seu molendinum itidem monasterii sancti Dionysii actores nomine Dalfini abbatis, adversus Grimoaldum majorem-domus repetebant. Cum dubia causa ventilaretur, decretum est, ut sex homines de Verno, & sex de Latiniaco bona fide in oratorio seu capella sancti Martini hoc deberent conjurare, jam a longo tempore ipsum farinarium ad Latiniacum curtem sancti Dionysii pertinuisse. Facto sacramento coram Sigofrido auditore Grimoaldi, tandem secundum actores sancti Dionysii pronuntiatum fuit, in quantum Bero comes palatii ad vicem Grimberchthi itidem comitis palatii contestatus est. Dagobertus ad vicem Angilbaldi recognovit hoc placitum, a Grimoaldo majore-domus sigillatum.

* *Lagni-ville.* * *Brische.*

Dalfinus abbas, aliique.

Ex his duobus instrumentis patet, Dalfinum abbatem tunc monasterio Dionysiano præfuisse; nempe post Chainonem, qui a Charderico Wandeberchti successore proximus abbas fuerat. Dalfino paullo post successit Chillardus regnante Dagoberto, Childeberti filio ac successore. De sacramento, in causis dubiis ad capellam sancti Martini a testibus exigi solito, alius est locus in diplomate ᵃ Theoderici regis, ubi sacramentum factum legitur *in oratorio super cappella domni Martini, ubi reliqua sacramenta percurrebant*, id est, ubi sacramenta in rebus similibus exigi mos erat. Oratorium hoc portatile fuisse putamus, quale describit monachus sancti Galli in libro primo de vita Caroli Magni, agens de capella regia: *quo nomine*, inquit, *Francorum reges, propter cappam sancti Martini, quam secum ob sui tuitionem & hostium oppressionem jugiter ad bella portabant*, SANCTA *sua appellare solebant.*

Sacramentum ad capellam S. Martini.

a *Ibid. p.* 470.

LXII. S. Galli cellæ direptæ; & status.

Anno superiori Godefridus seu Gotofridus, dux Alamannorum & Suevorum, obiit, eique Willeharius successit: qui defectionem a decessore inchoatam persecutus, Pippinum contra se commovit, eidemque victoriæ ac triumphi materiam præbuit. Cum nihilo minus in defectione contumax persisteret Willeharius, eum Pippinus hoc ipso anno denuo aggressus est, & provincia igne ferroque vastata, magno hominum capto numero, præda onustis copiis, victor domum revertit. Tunc contigit id, quod Walafridus Strabo ᵇ narrat de Pippino majore domus, qui, copioso exercitu ad devastandam Alamannorum provinciam, & Francorum ditioni denuo subjugandam ducto, terram totam hostili contrivit incursu; tumque avidi ejus exercitus prædones, Arbonensem pagum percurrentes, ad cellam sancti Galli venerunt, & quoscumque ibi invenere, qui plurimi eo confugerant, captivos duxerunt. Tunc cellæ sancti Galli præerat Magnulfus, qui *presbyter & pastor sancti Galluni* dicitur in charta Godefridi Alamanniæ ducis, quo vicum Biberbacum ad Neccarum fluvium eidem cellæ ad *luminaria sancti Galluni ecclesiæ* tradit. Magnulfum forte præcesserat diaconus quidam, nomine Stephanus, qui in ejusdem sancti patris ecclesia *custodis officio* functus est, teste ᶜ Walafrido. Uterque ante Othmarum, qui abbatis nomine hanc cellam, ab se magnificentius auctam, rexit. Quid pastoris, quid custodis nomine hic intelligatur, non una est auctorum sententia. Vadianus & Stumpfius de curione seu rectore ecclesiæ sancti Galli id interpretantur. Rectius de titulari præposito intelligas, qui hoc nomine eamdem cellam in beneficium a comite loci impetrare solebat, quemadmodum Othmarus eam re vera impetravit a Victore tunc Curiensium comite, qui ipsi hanc *cellulam* ᵈ *cum omnibus ad eam pertinentibus commendavit*, antequam in abbatiale monasterium ab eodem Othmaro erecta fuisset. Idem postmodum consilio Nebi ducis ad principem Carolum, Martellum cognomine, accessit, eique eamdem cellam proprietatis jure tradidit, & ut Othmarum presbyterum eidem loco præficeret, rogavit, cujus petitioni annuens princeps, Othmaro locum commisit, præcipiens ut regularem inibi vitam instituere studeret.

b *Walafrid. de mirac. S. Galli c.* 3.

c *Ibid. c.* 4.

d *Ibid. c.* 11.

ANN. CHR. 711. LXIII. Childeberti regis obitus & sepultura.

CUm duabus continuis expeditionibus nondum attrita esset Willeharii contumacia, tertia anno sequenti suscepta est, & Walarico cuidam onus totius belli a Pippino commissum, qui postquam exercitum Francorum in fines Alamannorum introduxit, subito nuntius affertur, Childebertum regem decessisse, quo nuntio turbatus, exercitum in Franciam reduxit. Obiit Childebertus XVIII. kalendas Maias, anno regni decimo-septimo, ætatis fere tricesimo; sepultusque est in basilica Cauciacensis * monasterii sancto Stephano sacra, ad Axonam fluvium, paullo supra Compendium villam regiam. Princeps bonus, qui ob æquitatis studium Justi cognomen meruit. Is moriens Dagobertum filium regni heredem reliquit, annorum circiter duodecim puerum, quem Sigebertus & Albericus Chlodoveum etiam vocant. Sic postremi illi stirpis Merovingicæ reges avi nomen retinere amabant, ut de Chlodoveo Dagoberti senioris filio, & de Chlodoveo ejus nepote paullo ante observavimus.

* Choisy.

LXIV. Ingoaræ donatio S. Petro Senonensi.

Anno primo Dagoberti mox dicti Ingoara inlustris Deo sacrata, Ebbonis episcopi Senonensis soror altera, (nam de Lotheria seu Mummia superius egimus) portionem, quam habebat in villa pagi Tornodorensis Fontanis, & in aliis pagi Ladscensis, donat monasterio sancti Petri, sito in suburbio Senonum, cui tunc Chrodolinus abbas præerat, Viraiboldi successor, quem Clarius monachus Viraiboldo male anteponit. Charta donationis [a] data est apud Senonas, eique post Ingoaram subscribunt Ebbo episcopus, Boso & Leotarius abbates, præter alios.

[a] Acta sanct. Bened. to. 4. p. 616.

ANN. CHR. 712. LXV. S. Paterni vitæ compendium.

DUm Chrodolinus monasterium sancti Petri administraret, eo accessit Paternus monachus, civitate Constantia in *Armoricana regione* oriundus. Hic primum a puero monachus in Saxiaco seu Sessciaco monasterio, angelico monitu ad Senonicum sancti Petri cœnobium profectus est. In itinere cæco lumen reddit, in pago Vilcassino cujusdam viduæ filium exanimem excitat, Parisiis ab episcopo humanissime excipitur. Dehinc ad cœnobium sancti Petri, in villa Ionna ad Sequanam positum, divertit, errore nominis adductus, hoc esse sancti Petri monasterium, ad quod accedere jussus erat. Verum errore animadverso, Senonas venit, ibique admissus est in suburbanum sancti Petri monasterium, cui tunc præerat, ut mox dicebam, Chrodoliuus abbas, religione inclytus, ait Clarius, & sanctitatis opinione famosus. Postquam ibidem aliquamdiu substitisset, subiit animum revisere Ionnense monasterium, ab urbe Senonum quindecim passuum millibus distans. Illuc iter erat per quamdam densissimam silvam, vico Serginiæ proximam, latronum infestam insidiis: in quorum manus cum incidisset, illi ejus increpationem & salutaria monita ægre ferentes, viro Dei cervicem fregerunt. Unus ex eis, Tresulfus nomine, arreptus a dæmone, ad sacrum liberatur Paterni corpus, quod Ebbo episcopus in loco proximo honorifice sepelivit. Dein super ejus tumulum idem Tresulfus insignem basilicam exstruxit. Processu temporis, id est sub finem sæculi decimi, nobilis quidam miles, nomine Burchardus, cum uxore sua Hildegarde, Brajaci * ad Sequanam cœnobium monachorum exstruxit in honorem Salvatoris, ibique corpora sanctorum Paterni martyris, & Pavacii confessoris reposuit. Burchardo mortuo, quidam miles, Boso nomine, arcem Burchardi apud Brajacum invasit, qua re indignatus Rainardus comes, arcem ipsam incendit, Bosonem cepit, sacrasque ecclesiæ sancti Salvatoris reliquias in urbem Senonum asportavit: verum eas postmodum loco restituit rogatu Thetbaldi comitis, ad cujus dominationem idem locus pertinebat. Nunc prioratus est, a Bonæ-vallis monasterio diœcesis Carnutensis pendens. Passus est necem idibus Novembris sanctus Paternus, quem martyrem pro more illorum temporum venerantur Brajacenses.

* Bray.

ANN. CHR. 713. LXVI. S. Suidbertus episcopus obit.

ANno subsequenti e vivis excessit kalendis Martii sanctus Suidbertus episcopus, nulli sedi addictus, ejusque corpus in Werdensi ad Rhenum monasterio, cujus ipse auctor, informatorque fuerat, humo conditum est. Fabulis totus scatet liber, Marcellinum mentitus auctorem, qui de vita ejus circumfertur. Ejusdem sunt farinæ & auctoris litteræ de ejus canonizatione, ante me a viris doctis explosæ indubiis argumentis, quæ hoc loco repetere nil juvat. Cave ne cum nebulone illo Werdam ad Rhenum confundas cum Werda seu Ferda ad confluentes Aleræ & Visurgis, adeoque Suidbertum hunc Frisiorum apostolum cum Suidberto Werdensi in Saxonia

xonia episcopo, qui annis amplius septuaginta posterior fuit. Sermonem de seniori Suidberto habuit Radbodus Trajectensis ad Rhenum antistes; sed in eo præter eâ, quæ ex Beda refert, nihil historicum, neque etiam in carmine, quod de eodem sancto composuit. Sufficiant sequentes versus in specimen, ne brevius, quam par esset, tantum virum præteriisse videamur.

Lux nova Swisbertus Francos lustravit & Anglos,
Quo clarum fidei lumen utrisque daret.
Saxonicos adiit cultor memorabilis agros,
Ut sereret Christi semen amoris ibi.
Nec sterili ac vacuo Fresonum defuit arvo,
Idque novi fecit germinis esse ferax.

Mirum est antiquos martyrologiorum scriptores nullam de Suidberto fecisse mentionem, nequidem Wandalbertum, qui propius ad Werdam accedebat. Ejus tamen cultum sæculo decimo receptum fuisse sermo & carmen Radbodi eo tempore episcopi testantur.

LXVII. Ursmarus item episcopus & abbas Laubiensis.

Suidberto ad breve tempus supervixit sanctus Ursmarus episcopus & abbas Laubiensis. quippe qui obiit eodem anno, XIII. kalendas Maij, postquam Erminum successorem, omnibus gratum & acceptum, designasset. Ejus exsequias Laubienses devote celebrarunt, eumque honorifice sepelierunt in basilica sanctæ Mariæ, quam ipse in cacumine montis ad conditorium fratrum ædificaverat. Primus ejus gesta posterorum memoriæ mandavit Anso tum monachus, postmodum abbas Laubiensis, libellumque suum nuncupavit Theodulfo episcopo & abbati, Ermini successori, quem Anso ipse excepit. In eo libello laudantur versus quidam, distincti secundum ordinem alphabeti, quos Erminus de Ursmaro condiderat. Ansonis scriptionem expolivit sæculo decimo Ratherius episcopus Veronensis, & paullo post eum Fulcuinus abbas in chronico Laubiensi.

LXVIII. Ermino ei succedit.

Ermino seu Erminus oriundus fuit in pago Laudunensi ex nobili genere Francorum, in vico, qui ejus nomen * hactenus retinet. Hunc propter incomparabilem vitam ac religionem presbyteratus honore Madelgarius Laudunensium episcopus decoravit. Cum ad aures Ursmari abbatis pervenisset Erminonis fama, eum ad suum colloquium subinde invitare amabat: tandemque, ut sibi daretur, a Madelgario episcopo flagitavit, impetravitque per amicum suum Hailedaldum optimatem, qui apud Pippinum principem magna auctoritate pollebat. Quam ægre amissus ab episcopo, tam jucunde in monasterium admissus ab Ursmaro est. *Tum secundum morem ibidem degentium* spopondit *observare regulam, obedientiam majoribus exhibere, caritatis dilectionem minoribus.* quod accurate postea implevit. Tanta ei cura de sancta humilitate & obedientia erat, ut, cum presbyter esset, modestia & summissione pæne omnes antecederet. Nihil arrogantia, nihil superbia de ejus moribus usurpabat, sed omnibus benevolum ac gratum se exhibebat. Unde tantam apud omnes, cum clericos, tum laïcos, gratiam obtinuit, ut, cum Ursmarus pastoralem curam in eum rejicere animo destinasset, nemo unus Erminonis electioni non assensus sit. Mox ergo abbatis onus ei imponitur cum dignitate episcopi, quæ ab Ursmaro ad successores aliquot derivata est. Cum dignitate crevit in eo virtutis studium, præsertim orationis, cui pæne assidue vacabat. Nec mirum, si prophetiæ dono claruisse traditur. Cum aliquando Ragenfredus cum Carolo de summa Palatii præfectura decertaret, Erminoni post matutinas laudes in oratione persistenti revelatum est, Caroli victoriam esse. Idem Radbodi ducis Frisonum interitum longe absens vidit; idem Pippini ex Carolo ortum ac fortunam prævidit. Forte Carolus præmissis famulis suis Laubacum se cito venturum dixerat. Omnibus ad excipiendum principem ferventibus & sollicitis, solus Ermino recitandis psalmis persistebat in oratorio beatæ Mariæ & sanctorum Johannis Evangelistæ & Andreæ, quod ipse sibi ædificaverat. Sollicitatus demum a Martino cœnobii præposito, ut se suosque ad Carolum excipiendum accingeret, ejus ministris necessaria omnia exhiberi jussit: ceterum principem eo anno in monasterium haud venturum. quod ita, ut dixerat, probavit eventus. Cum aliquando versaretur in Elnonensi sancti Amandi monasteriu, quod millibus

* S. Ermo.

ANN. CHR. 713.

fere triginta distat a Laubiensi, Winebertum monachum hic obiisse cælitus intellexit, & pro eo sacras hostias Deo mox offerri præcepit.

LXIX. Liutwinus episcopus Trevirensis Mediolaci sepultus.

Liutwinus Trevirorum pontifex circiter hunc annum itidem humanis excessit. Illud argumento est, quod Milo ejus filius, sedisque Trevirensis tyrannus potius quam episcopus, annis circiter quadraginta eidem Trevirensi ecclesiæ atque Remensi incubavit, testante Hincmaro [a] episcopo Remensi. Weomadus vero Miloni legitime suffectus est ante mortem sancti Bonifacii episcopi Moguntini, quem anno septingentesimo quinquagesimo-quinto affectum martyrio constat. Hinc refellitur sententia eorum, qui Liutwinum Remensi ecclesiæ atque Laudunensi præfuisse dicunt: cum ante hunc annum Remensem ecclesiam pacate rexerit Rigobertus, qui non ante annos abhinc quatuor Caroli principis indignationem incurrit [b] ob negatum illi in urbem Remorum ingressum: quam ob rem episcopatu ab eodem dejectus, locum Miloni fecit. Certe Frodoardus, gravis auctor, episcopium Remense Miloni datum fuisse tradit; non Liutwino, præferendus hac in re scriptori [c] historiæ Trevirensis, utrumque asserenti, ex quo alii recentiores id acceperunt. De Liutwino, ejusque filio Milone ita scriptor ille anonymus. *Hic primum Belgica Galliæ dux, omnia monasteria hujus urbis largissimis honoravit donariis, & prædiis auxit. Postea super fluvium Saroam in suo proprio congregationem monachorum instituit, nempe Mediolaci, ubi & ipse monasticæ vitæ habitum suscepit.* & post pauca: *Remis obiit, & a Milone filio & Treberensibus relatus, divino dato indicio ad Mediolacum sepultus est. Post quem Milo filius ejus sacerdotali functus est officio apud Treberos & Remos, primo quidem imitator patris, deinde tyrannus effectus; nihilque in eo de clericali honore vel vita, nisi sola tonsura, enituit.* Liutwinum ut sanctum colunt Trevirenses ac Mediolacenses nostri III. kalendas Octobris: quo die in veteri kalendario collegii Claromontensis apud Parisios scriptum invenio: *In Medeloco depositio sancti Liutvvini Treverensis archiepiscopi.* In eodem kalendario, ut id obiter observem, XIV. kalendas Novembris legitur: *Obiit Nithadus abbas Mediolacensis.* Liutwinus Mediolaci in sacello, seorsim ab ecclesia præcipua posito, insigne conditorium habet, cum epitaphio rudi & impolito, quod apud Browerum editum reperies.

a Hincm. præfat. in vitam S. Remigii.

b Frodoard. lib. 2. c. 12.

c Spicil. tom. 12. p. 222.

LXX. Virginis arreptitiæ curatio in monasterio ad Aquas-Salvias.

A Gallia Belgica transeundum in urbem Romam, ubi illustre spectaculum in monasterio sanctorum Vincentii & Anastasii ad Aquas-salvias hoc anno per multos dies editum est ad imaginem & reliquias sancti Anastasii Persæ monachi & martyris, quæ superiori sæculo ex urbe Cæsarea Palæstinæ istuc translatæ fuerant. qua de re testantur acta secundæ synodi Nicænæ, in cujus actione quarta vicarii Hadriani papæ veteris Romæ dixerunt, sancti martyris imaginem cum pretioso capite Romæ in monasterio ad illum diem asservari. quod utrumque nos ante aliquot annos conspeximus. Tunc vero mos erat, ut ex diversis orbis partibus arrepti a dæmone Romam mitterentur, ad sacras ejusdem martyris reliquias liberandi. quod de Sicilia Johannes episcopus Tauromenii in prædicta synodo testatur. Idem factum de arreptitia virgine Syra, cujus historiam hoc anno a Baronio fuse relatam paucis accipe. Imperante Anastasio augusto, qui & Artemius dicebatur, principatus ejus primo, & post consulatum ejusdem serenitatis anno itidem primo, pontificatu Constantini papæ, Theopentus episcopus Constantiæ, Syrus natione, Romam profectus, filiam suam unicam secum adduxit, tradiditque monasterio ad discendas sacras litteras. Post paullo, cum ob formæ venustatem & opes a multis procis in matrimonium peteretur, hanc Deo pater offerre maluit, & facultatibus ejus in pauperes effusis, in monasterio sancti Cassiani inter ancillas Dei consecravit. Vix menses decem & octo in monasterio expleverat, cum a dæmone arripi & vexari cœpit. Variis remediis & phylacteriis incassum adhibitis, pater ad sanctum Anastasium confugere statuit. Locus est quinque fere passuum millibus ab urbe; ibique tunc basilicæ duæ erant, una sanctæ Dei genitricis Mariæ, ubi sancti Anastasii reliquiæ cum imagine ejus asservabantur, cujus aditus mulieribus penitus interdictus erat ob religionem monachorum: altera sancti Johannis Baptistæ, utrique sexui communis. Arreptitia in hanc basilicam adducta, rogatus ab episcopo abbas sancti martyris caput & imaginem super altare profert. Id factum kalendis Octobris, indictione duodecima a mense Septembri inchoata. Appensus ad puellæ collum dens unus sancti Anastasii. Hinc dæmon fremere, jactare convicia, puellam supra modum vexare. Jussus edicere, eccur in virginem invadere ausus esset; id tandem factum ait instinctu cujusdam, qui puellam

ANN. CHR. 713.

deperibat, dolebatque sibi in matrimonium negatam; ob idque veneficium in foliis ficus ligatum sub ejus pedes conjecisse, dum illa iret ad balneum; eoque calcato, hanc in sui potestatem venisse. Tum inchoati adversus dæmonem, sæpiusque repetiti exorcismi: ad quos ille nil nisi sannas & procacia verba regerebat. Sic res ad kalendas Novembris producta est. Tunc rogavit abbatem episcopus, ut tota congregatio monachorum ipsa nocte in basilica sancti Johannis vigilias celebraret. Abbas annuit. Dein reversis ad reficiendum monachis, cum episcopus una cum presbytero & diacono, tribusque monachis illic remansisset, iterati cum precibus exorcismi ad horam tertiam noctis; tandemque dæmon egressus puellam sanam & incolumem dimisit. Mox illa suscepit corpus & sanguinem Domini nostri Jesu-Christi; & sic plane compos sui cum patre in urbem reversa est.

LXXI. Hispanias invadunt Sarraceni.

Idem hic annus Hispaniarum clade longe infestissimus exstitit, quæ clades per Sarracenos in Africa tum dominantes inflicta est. Occasio rei gerendæ hæc fuit. Hujus sæculi initio Flavius Witiza solus regnare cœperat, vir sævus, libidinosus ac nequam, qui pernicioso indomitæ libidinis exemplo ad omne flagitiorum genus Gothorum proceres ac populum adduxerat; episcopisque, presbyteris, ac clericis denique omnibus, ut sibi uxores adjungerent, præceperat. At veritus ne ab ipso civitates demum optimatesque deficerent, omnium regni sui urbium muros, Toleto, Legione & Asturica exceptis, subvertit, ac proceres sibi suspectos e medio sustulit. Successit pessimo regi haud melior Rudericus Theodefredi filius, cujus patrem Witiza oculis privaverat. Hujus memor injuriæ Rudericus, Witizæ filios Hispania expulit. Pulsi patria, non tantum regno regii juvenes, in Africam transeunt, & ad Julianum comitem Tingitanæ provinciæ, quæ Gotthorum regibus adhuc parebat, se conferunt, virum strenuum, sed Ruderico infestissimum, quod ejus filiam ipsi nuptam, non justæ uxoris, ut decebat, sed concubinæ loco haberet. Ille ulciscendi sui occasione captata, Muzam Africæ pro Sarracenis præfectum sibi adjungit, conjunctisque simul copiis Hispaniam invadit, Tarico Sarracenorum ac Maurorum duce a Muza misso. Rudericus subitario comparato exercitu hostibus occurrit, commissoque prælio, acie victus, desertusque a Deo & a suis, in acie cecidit. Sic Mauri victores facile urbibus & opidis plerisque, nullo murorum militumve præsidio munitis, facile potiuntur; alias urbes nullo fere negotio expugnant. Tum excisa monasteria, sacri libri flammis consumti, & in ecclesiis, in quibus Christus Dominus antea colebatur, Muhammedis infandum nomen audiri cœptum. Denique Hispaniarum pars maxima intra duos annos, cum Tingitana Africæ provincia, subacta ac tributaria facta est a Sarracenis, qui Cordubæ regiam sedem fixerunt. Gotthi, qui ex tanta clade superfuerant, pars per Gallias fuga dissipati sunt, pars in aridos & arduos Asturiarum & Galliciæ montes confugerunt, Sarracenis plana quæque circum obtinentibus: donec Pelagio duce paullatim se in libertatem asseruerunt. Ex tanta clade vix quidquam veterum monumentorum superfuit: ut mirum non sit, quod passim in rebus nostris ad Hispaniam pertinentibus hæreamus, nobisque desit quod scribamus: cum præter Isidorum, Hildefonsum, Julianum, & quædam Hispaniæ concilia, & diplomata, nihil nobis reliqui sit præter fabulas, quas falsa & subdititia Maximi, Lucii, Dextri, Liutprandi, Auberti, aliorumque similium chronica & scripta in orbem litterarum ab uno sæculo intulerunt. His omnibus colophonem imposuit Hispaniæ Martyrologium, auctore Johanne Tamayo, qui fabularum portentis totam sanctorum Hispanicorum, immo & multorum aliorum historiam deformavit, omnique fide indignam præbuit. In hac veterum monumentorum inopia patres nostros Vallisoletanæ congregationis consuluimus, scriptisque ad eos litteris flagitavimus, tabularia monasteriorum suorum lustrari, discuti, ac revolvi, si qua ex iis instrumenta nondum edita erui in rem nostram possent. Verum sollicitatus hac de re a nobis domnus Josephus Peresius, Linguarum in Salmanticensi universitate professor, hoc nobis responsi dedit, quod referre hoc loco non pigebit.

Hinc nostra in rebus Hispanicis penuria.

Diu jam erat R. A. P. quod superiorem epistolam ad vos, cum se prima daret occasio, transmittendam conscripseramus, cum vestra ad nos monita, an exhortationes, ad aliquid Hispana, Benedictinaque gloria dignum aggrediendum Roma afferuntur. Ac vellemus profecto nobis otium aut ingenium suppetere, quo vestris æquissimis votis ac postulatis facere satis possemus. Sed enim cum vitæ, tum instituti nostri rationes, quo minus id a nobis perfici posse speremus, valide obsistunt. Hic enim Salmanticæ ad nostra

ANN. CHR. 713. *linguarum cathedra moderationem, velut ad molam trussatilem, sic religati sumus, vix ut nobis per æstivas ferias ad proximorum cœnobiorum (quæ sane haud ita multa in hujus urbis & academiæ vicinia sunt) tabularia excutienda excurrere liceat. tantum abest, ut ad ecclesiarum primariarum, aliorumque longinquiorum cœnobiorum monumenta per otium, uti rei dignitas exposcit, discutienda divertere liceat. Ac profecto per has omnes difficultates perrumperemus, veniamque a regio senatu hac illac discurrendi haud ægre impetraremus, spes modo aliqua quippiam tanto dignum molimine præstandi se se nobis ostenderet. Sed enim hæc jam pridem nobis decoxit. Nam clades illa Sarracenica, usque adeo nostræ Hispaniæ exitiabilis, omnia vetustiora ejus monumenta ita funditus absumsit, vix ut ex iis aliquod tenue vestigium ei superfuerit. Hanc tempestas excepit, qua omnia armorum fragore usque adeo strepebant, ægre ut nostris hominibus spiritum trahere daretur; nedum illos posteritatis, ad quam jam cum suæ, tum superioris ætatis memoriam transmitterent, cura tangeret. Nec feliciora sane, quod ad rem litterariam spectat, tempora sunt consecuta. Nam & gladius barbaricus diu nostris cervicibus imminuit, & militares nostrorum animi mirum quantum ab omni mansuetiori disciplina abhorrebant. Quæ labes tam altas in Hispanorum animis radices egit, ut vix in duorum sæculorum alta pace, Sarracenicorumque armorum diutino justitio, hoc emunctissimo isto sæculo veternum excusserit. ut spes inanes fovere minime debeamus, nos aliquid insigne, vestrisque antiquis monimentis æquiparandum, quantovis labore aut industria detecturos. Nec panicus iste noster timor, aut desperatio est. Nec enim, cum hocce, tum superiori sæculo, viri gnavi & industrii nostræ Hispaniæ defuere, quibus veteres schedas, antiquaque scrinia excutere curæ fuit. Id egregie in primis a nostris Sandovalio, Tepesio, Moralio, item Garybaio, Mariana, Maricta, Zurita, Gundisalvio de Avila, Romano Augustiniano, Domeneco, Padilla, aliisque haud sane paucis, nec vulgaris palati, præstitum fuit. At par fructus labori improbo non respondit. quamvis non est cur nos aut illos rei tam præclaræ navatæ operæ magnopere pæniteat. Id itaque unum nobis in animo est, nec porro desperamus cum bono Deo perfecturos, ut quidquid ad nostrum Ordinem in Hispania privatim spectat, id in unum volumen conjiciamus; aliudque sanctorum Benedictinorum, quæcumque detegere detur, actis decemus, vestra vestigia, industriamque secuti.*

Hæc ante anno M DC LXXXIII. nobis rescribebat vir doctus, qui post aliquot annos decessit, editis aliquot dissertationibus ecclesiasticis, monasteria Hispanica spectantibus, quæ non parum lucis rebus nostris afferunt.

ANN. CHR. 714. LXXII. ANno insequente septingentesimo quarto cum Pippinus Heristallensis, major-domus in Austria, in villa Jopila super fluvium Mosam ægrotaret, ad eum

Grimoaldi & visitandum Grimoaldus filius ejus, major-domus in Neustria, protinus accessit.
Pippini obitus. Tum ad basilicam sancti Landeberti martyris, orationem facturus pro sospitate patris profectus, cum ibi precibus insisteret, a nequissimo Frisone, Rantgario nomine, interfectus est mense Aprili. Theudoaldus ipsius filius præfecturam palatii loco patris in Neustriæ regno obtinuit. Pippinus convaluit ad breve tempus, & pœnas de filii interfectoribus interim sumsit. Non multo post in graviorem morbum relapsus, extremum diem Jopilæ absolvit medio mense Decembri, hoc est XVII. kalendas Januarii. In extremo illo morbo prædium Swestram, ad rivum cognominem, in pago Mosariorum situm, Willibrordo concessisse traditur, eidemque

Swestrensis monasterii origo. nepotes suos, Grimoaldi ac Drogonis filios, commendasse. Cumque propter morbi magnitudinem instrumento subscribere non potuisset, illud per Plectrudem conjugem suam subnotari curavit, quod instrumentum sibi lectum fuisse Browerus [a] testatur. Willibrordus eo in loco sanctimonialium cœnobium instituit, quod postea in nobilium canonicarum collegium conversum est. Exsistit in ducatu Juliacensi haud procul a Mosa, a quo Mosariorum pagus nomen accepit, auctumque est opido, quod vulgus Susteram * vocat. Ex prædicto instrumento colligitur, Pippino ante obitum reconciliatam fuisse Plectrudem, abjectamque Alpaïdem concubinam, cujus filium Carolum Pippinus Willibrordo non dicitur commendasse, haud dubie instinctu Plectrudis, quæ cum Theudoaldo nepote, puero septenni, aut potius sola sibi hoc pacto regnatura videbatur. quod maxime cupiebat. Hinc, mortuo Pippino, Carolum juvenem egregium, Pippini ex Alpaïde filium, quem minime hoc passurum intelligebat, dolo deceptum comprehendi, ac Coloniæ Agrippinæ custodiæ publicæ

[a] Brower annal. Trevir. lib 7.

* Susteren.

mandari jussit, ex qua gnavus strenuusque adolescens brevi postea se extricavit.

LXXIII. Willibrordus Pippinum baptizat.

Willibrordus nihilo minus Carolo acceptus fuit. Illud argumento est, quod ejus ex Rotrude filium baptizavit, eique nomen avi imposuit. Hic est Pippinus parvus corpore, sed rebus gestis maximus, qui paratum sibi a majoribus regnum iniit, & secundæ Francorum stirpi regiæ originem dedit. Futuram ejus potentiam vaticinatus est Willibrordus, discipulis suis, forte cum eum baptizaret, hæc effatus, testante Alcuino : Scitote, hunc infantem sublimem & gloriosum fore, omnibusque, qui « ipsum præcessere, Francorum ducibus majorem. Idem de eo recens nato Ermino « abbas Laubiensis prædixisse perhibetur. Natus est Pippinus ante avi sui obitum, circiter hunc annum, siquidem obiit anno ejusdem sæculi sexagesimo-octavo, annos natus quatuor & quinquaginta,

LXXIV. Corbinianus episcopus Frisingensis.

Necdum etiam Pippinus Heristallius e vivis excesserat, cum Corbinianus a Romano pontifice ordinatus est episcopus. Is patre Waldechiso natus est in vico seu castro pagi Melitonensis seu Melodunensis, Castris * appellato, a quo pagus Castrensis nomen habet, posito in via, quæ ex urbe Lutecia fert Aurelianos. Ab ineunte ætate orationi, vigiliis, lectioni, ac continentiæ in primis deditus, prope ejusdem castri ecclesiam, sancto Germano Parisiorum episcopo sacram, cum aliquot discipulis se reclusit, quos sacris informabat disciplinis. Ex his unus memoratur Ansericus, cellario præfectus, testis miraculi, quod vir sanctus servando musto patravit. Hactenus exstat illa sancti Germani ecclesia parœcialis extra muros ejusdem opidi, cujus intramurana parœcialis ecclesia sanctum Clementem patronum agnoscit, pendetque a monasterio Fossatensi ; altera vero a monasteriu sancti Germani Parisiensi. Quam regulam eo in loco observaret cum suis vir Dei, inde intelligitur, quod cum mustum recens rupto vase ne efflueret, orando de nocte prohibuisset, hoc ministris seu discipulis suis indicare, *silentium suum ut servaret*, distulit post matutinas laudes, nempe ad mentem sancti Benedicti, qui rigidum, præcipue *nocturnis horis*, silentium in regula ª sua præscribit. Non diu intra ejus loci angustias se continuit Corbiniani fama ; quæ cum ad Pippinum ipsum majorem-domus pervenisset, is unum ex optimatibus suis ad viri Dei cellulam misit, seque ejus precibus commendavit. Ad eum etiam nobilium & ignobilium utriusque sexus non modica turba confluebat, æternæ vitæ ex ore illius verba cupiens audire : alii sua ei munuscula, ut pro ipsis oraret, mittebant. Quicquid vero ille ex oblatione fidelium suscepisset, excepto victu necessario, pauperibus erogabat. His adventantium turbis interpellatus, magnopere dolebat, se ab amica solitudine & tranquillitate abstrahi, sibique deesse tempus, quo solitis orationibus vacaret. His molestiis se relevare volens, post quatuordecim reclusionis annos Romam ad limina beatorum apostolorum orationis ac voti causa proficisci statuit. Verum longe gravius sibi onus impositum sensit, ubi summi pontificis jussu episcopalem sarcinam subire coactus est. Inde pallio accepto reversus in Galliam, verbum Dei omnibus prædicare cœpit. Forte, dum ille ad Pippinum accersitus pergeret, quidam latro, Adalbertus nomine, ad patibulum ducebatur. cujus confessione audita, vir sanctus judices oravit sibi ut eum relaxarent. Illis negantibus, profectus ad principem, ab eo obtinuit, ut quomodocumque de illo homine actum esset, sibi illum donaret. Gratia obtenta, festinus eodem ad vesperam rediit, reum in patibulo suspensum invenit ; oratione facta salvum & incolumem recepit, quem omnes exanimem putabant. Tunc idem Adalbertus, quasi passer ereptus e laqueo pœnarum, habitum cum vita mutavit, & in sanctæ conversationis proposito sub disciplina viri Dei reliquum vitæ peregit. Ex hac rerum serie Baronius emendandum censet Aribonem vitæ sancti Corbiniani scriptorem, ubi ait, Corbinianum a Gregorio secundo fuisse ordinatum. quod parum veri simile esse illustrissimus annalista existimat. siquidem hoc ipso anno, die nona mensis Aprilis, ut ipse opinatur, Constantinus papa, Gregorii secundi decessor, mortuus est paullo ante Pippinum, quem Corbinianus in Galliam reversus adhuc viventem reperit. Verum ad annum sequentem superstes fuit Constantinus, ut postea videbimus. Dein cum pristinæ solitudinis desiderio teneretur Corbinianus, cellulam suam apud Castras repetiit, ibique continuis septem annis cum aliquot clericis seu monachis permansit.

* Chatres.

ª S. Bened. reg. c. 42.

LXXV. Eveshamensis monasterii primordia.

Hoc eodem anno in Anglicana provincia Merciorum dedicatio facta legitur Eveshamensis monasterii, quod auctorem & conditorem habuit sanctum Egwinum epis-

ANN. CHR. 714. copum Wicciorum, id est Wigorniensem. Hic regali stirpe ortus, postpositis sæculi honoribus & illecebris, totum se divino cultui a primis annis mancipavit. Tum per singulos ordinis ecclesiastici gradus ad sacerdotium promotus, Wigorniensem ecclesiam post Ostforum regendam suscepit. Verum tum populi rebellis odio, qui pastorem vitiis suis haud assentantem, sed contrarium ferre non poterat; tum regio livore ad Romanum pontificem delatus, causa tandem discussa purgatus ad sedem suam revertit. Locus erat in pago Wigorniensi, dumis & vepribus condensis obsitus, Athamne olim, a recentioribus dictus Eoveshamium, ubi monasterium in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, quod ipsa velle significaverat, ædificare in animum induxit. Hunc ergo locum ab Ethelredo Merciorum rege petiit, nec ægre obtinuit. Postea Romam cum Coënredo rege Merciorum, & Offa orientalium Saxonum regis filio perrexit, privilegium novo condendo monasterio a pontifice postulaturus. Id facile concessum a Constantino papa, duobus illis regibus præsentibus, anno septingentesimo-nono. quem annum signat vulgatum privilegium, tum apud Spelmannum, tum in libello de vita sancti Egwini, tum in Monastico Anglicano, ubi characteribus Saxonicis impressum legitur, nescio an penitus sincerum.

Eodem anno Beda venerabilis consignat Romanum iter eorumdem regum: sed miratur non immerito Willelmus Malmesburiensis, cum nullam de Egwino fecisse mentionem. » Diploma pontificium inscriptum est Britwaldo Britannicarum ecclesiarum » primati, qui venerabilem virum Egwinum episcopum bis Romam ad apostolicam » sedem misisse dicitur. Ei vero mandat pontifex, ut in illis partibus, in quibus bea- » tissima virgo Maria Egwino apparuisse refertur, concilium totius Angliæ cogat, » in quo episcopi simul & optimates regni cum proceribus conveniant, iisque congre- » gatis denunciet, quemadmodum duo reges Angliæ, Kenredus & Offa, quibus- » cum dictus episcopus ad limina apostolorum venerat, eidem loco multa beneficia » regia liberalitate contulerint, auctoritate apostolica confirmata: cum eo, ut congre- » gatio monachorum secundum regulam memorandi patris Benedicti, quæ minus ad- » huc in illis partibus, nempe Merciorum, habetur, possit ibidem institui, & Christo » indesinenter famulari. Ad nutum pontificis synodum generalem in loco, qui Alno dicitur, habitam tradunt, cui Bertwaldus Cantuariensis ac Wilfridus Eboracensis antistites interfuerint: in qua donationes illæ omnes confirmatæ, missusque Wilfridus ad locum consecrandum. Verum hæc stare non possunt. siquidem Wilfridus senior ante tres annos, quam hæc consecratio facta dicitur, decesserat; nec Wilfridus junior tunc sedi Eboracensi, sed Johannes episcopus præerat.

Institutis in novo cœnobio Benedictinis monachis, Egwinus & ipse, rebus omnibus abdicatis, se adjunxit, ac deinceps totum se spiritalibus exercitiis usque ad exitum applicavit, beatissimæ virginis Mariæ in primis cultor eximius. Tandem post aliquot annos plenus virtutum obiit III. kalendas Januarii, miraculis post obitum illustris. Sepultus est in monasterio suo, cujus ecclesia temporibus Edgari regis sub abbate Oswardo corruisse traditur. Unicum erat ante id tempus in Wigorniensi diœcesi monasterium Ripadunense, ubi sanctus Guthlacus habitu monastico indutus est. Unde Constantinus papa non immerito ait, regulæ sancti Benedicti, ante conditum Eoveshamense monasterium, raros in illis partibus cultores fuisse. quod de toto Merciorum regno, in quo quinque episcopatus erant, intelligendum non esse, patet ex actis sancti Wilfridi senioris, regulæ Benedictinæ propagatoris eximii, qui illius regni monasteria pleraque rexit, aut emendavit. Non immoror refutando errori centuriatorum Magdeburgensium, Egwinum infamare conantium, quasi primus imaginum cultum in Anglo-Saxonum ecclesias invexerit, collocata scilicet Deiparæ virginis in ecclesia sua imagine; mandaveritque ut a populo coleretur. quod quam gratis confingant Centuriatores, demonstrat Spelmannus ipse in tomo primo conciliorum Angliæ; nec difficile erat hanc calumniam refellere ex Beda venerabili, qui Salvatoris imaginem ab Augustino, dum Cantuariam primo cum suis ingrederetur, cum vexillo crucis prælatam fuisse testatur; multasque sanctorum imagines a Benedicto Biscopo Roma in suum monasterium allatas.

LXXVI. S. Guthlaci gesta & obitus. Eoveshamense monasterium illud in primis commendat, quod ex eo loco nova colonia in Croylandensem educta sit. Croylandam seu Crulandam insulam, incultam prius & inhospitam, primus incoluit sanctus Guthlacus, eximiæ virtutis anachoreta.

ANN. CHR. 714.

Natus est apud Mercios Penwaldo patre regalis originis, & Tetta matre, non sine cælesti indicio futuræ sanctitatis. Guthlacingas ejus tribus homines vocabant, unde inditum Guthlaco nomen, quod latine Belli-munus significat. Is a primis annis respuens pueriles nugas, militiam sectatus est adolescens. Quadam nocte, dum quieti fessa membra dare vellet, occurrerunt animo antiquorum suæ stirpis regum per transacta sæcula miserabiles exitus, & fluxæ rerum omnium imagines; statuitque quantocius eximere se se ex hujus sæculi fluctibus, & ad portum vitæ monasticæ confugere. Mox, relictis omnibus, annos natus quatuor & viginti, ad Ripadunense monasterium se contulit, quod duplex erat; ibique Romanam tonsuram, & *clericalem* (sic monasticum vocat vetus auctor) habitum sub abbatissa Elfrida suscepit. Falluntur qui hoc monasterium pagi Wigorniensis confundunt cum Riponensi agri Eboracensis, quod virorum tantum erat, *Ripandum* etiam nonnumquam appellatum. Famosum olim erat illud Ripadunense apud Mercios monasterium, sed in villam comitis Cestrensis redactum tempore Willelmi monachi Malmesburiensis.

Ab ineunte vitæ monasticæ proposito Guthlacus nihil liquoris inebriantis aut tantisper delicati, *excepto communicationis tempore*, degustavit. Tanta illa vitæ asperitas primo quidem sociis molesta & gravis erat, qui id in censuram mollioris vitæ suæ reputabant. Sed, tentata mentis ejus sinceritate ac modestia, omnibus probata demum & accepta evasit. Sacris litteris & monasticis disciplinis apprime eruditus, ceteris tamen studiis psalmorum meditationem & vitas patrum præferebat. Post annos duos secessit in Crulandam insulam, in finibus agri Lincolniensis & Cantabrigiensis positam inter Ninam & Wellandum fluvios, haud procul ab Eliensi monasterio & Medesvamstedensi seu Petroburgensi, ibique reliquos vitæ suæ dies transigere decrevit. Eo accessit habitaturus IX. kalendas Septembris, die festo sancti Bartholomæi apostoli, quo protectore usus est adversus dæmones, qui insulam illam infestabant. Illic durissimam sibi vitam indixit, pellibus corpus tegens instar Ægyptiorum monachorum, & magnam omnibus de se opinionem reliquit. Consecrata insula, sacerdotio initiatur. Wilfrido cuidam *librario*, cum Hedda episcopo ad faciendum Guthlaci sanctimoniæ periculum illuc profecto, quid animo ille agitaret aperuit vir sanctus, qui hoc pacto non dubium de vitæ suæ sinceritate argumentum dedit. Ethelbaldo regio juveni, a Ceolredo rege Merciorum pulso, restitutio in regnum ab ipso prædicta. Post aliquot annos venerabilis virgo Egburga, abbatissa Tanetensis, plumbeum ei sarcophagum, in quo post mortem sepeliretur, cum linteo funerali submisit, magnopere eum rogans, ut futurum ejus successorem sibi indicaret. Cissam ille designavit, necdum christianis mysteriis imbutum, qui post aliquantum temporis sacrum baptismatis lavacrum in Britannia suscepit. Tandem cum annos quindecim in Crulanda insula exegisset vir Dei, quarta feria ante pascha ægrotare cœpit, & quarto post pascha die ad Dominum migravit, quem ille mortis suæ diem Beccelino fratri prædixerat. Sacro die paschæ, etsi viribus debilitatus, dominici corporis & sanguinis sacrificium obtulit Deo. septimo sui morbi die Beccelino mandavit, iret ad sororem suam Pegam, quæ quatuor ab eo leucis reclusa degebat, excusaturus, quod ejus adspectum in hoc sæculo vitaverat, ut mutuo conspectu in cælo ambo fruerentur. simul eidem præciperet, ut corpus suum, quod nullo lineo indumento vivens texerat, in sarcophago & sindone ab Egburga transmissis componeret. Dein sciscitanti Beccelino, ecquem in cellula cum ipso vespere & mane colloqui solitum audivisset; confessus est, se ab anno secundo, ex quo hanc eremum inhabitare cœperat, angelico illis horis colloquio recreatum fuisse. quod nulli alii, præterquam Pegæ & Egberto anachoretæ, manifestari voluit. Ad ortum solis diei sequentis, cum mortis hora instaret, extensis ad altare manibus, *munivit se communione corporis & sanguinis Christi*, erectisque in cælum oculis ac manibus, animam emisit anno ab incarnatione Domini septingentesimo quarto-decimo, ut legitur in epitome Saxonica Bedæ adjuncta, apud Matthæum Westmonasteriensem aliosque; tametsi primarius ejus vitæ scriptor Felix monachus, & post eum Ordericus annum sequentem assignant. Verum si III. idus Apriles, ut recentiora martyrologia habent, eum decessisse constet, præferenda est sententia de hoc anno septingentesimo quarto-decimo, quo anno pascha in sextum idus Apriles incidebat. Post triduum Pega ejus funus, uti jussa fuerat, explevit, corpusque sacrum in oratorio viri Dei humavit. Idem anno revoluto repertum incorruptum eadem Pega repo-

fuit in monumento, quod paullo post Ethelbaldus rex mirifice ornavit.

ANN. CHR. 714. LXXVII. Felix monachus ejus vitæ scriptor. a Beda lib. 3. c. 18. b V. epist. 89. inter Bonifac.

Librum de sancti Guthlaci vita primus scripsit Felix, non episcopus ille orientalium Anglorum a Beda [a] laudatus, ut quidam volunt, sed monachus sancti Bedæ congregationis, nempe Girwensis an Wirensis, ut ipse asserit in præfatione, quam eodem fere modo inscribit ac Huetbertus abbas Wirensis epistolam ad Gregorium secundum. *In Domino dominorum domino meo, mihi præ ceteris regalium primatuum gradibus dilectissimo, Athelvvaldo regi orientalium Anglorum, Felix catholicæ congregationis sancti Bedæ vernaculus.* Sic enim antiqui plerique [b] Bedæ vocabulum absque casuum flexione efferebant, alii *Bedan.* In illa præfatione Felix ait se id operis aggressum fuisse jussu Athelwaldi regis; & ea quæ scripsit, accepisse *a reverendissimo quodam abbate Vvilfrido, & a presbytero puræ conscientiæ Cissan,* & ab aliis, *qui diutius cum viro Dei conversati, vitam illius ex parte noverant,* haud dubie a Tatwino, Beccelino & Egberto, qui *in singulis casulis, non longe ab oratorio sancti Guthlaci, de licentia Kenulfi abbatis, usque ad vitæ terminum separatas mansiones habuerunt,* ut scribit Ingulfus abbas in historia monasterii Crulandensis, biennio post mortem viri Dei ab Ethelbaldo rege conditi, cujus primus abbas fuit Kenulfus mox laudatus, quem rex e monasterio Eoveshamensi istuc evocavit. Tatwinum, Beccelinum, & Cissam sanctos appellat Ingulfus, sed eorum tumulos a Danis violatos fuisse testatur. Idem auctor ait se collegisse quidquid de sancto Guthlaco reperire potuit; & post eum Ordericus Vitalis ejusdem vitam in historiam suam retulit, quam itidem Petrus Blesensis, & Gnillelmus Rameseiensis monachus celebrasse perhibentur. Ceterum Æthelwaldus rex orientalium Anglorum, cujus jussu Felix monachus res a sancto Guthlaco gestas litteris consignavit, hoc exemplo pietatem suam prodit, eamdemque testatam facit in epistola sancto Bonifacio Moguntino archiepiscopo scripta, quæ inter Bonifacianas est septuagesima-sexta: qua ipse, simulque *tota abbatia cum omni congregatione servorum Dei* in sua provincia degentium, pollicentur se ejus memoriam *in septenis monasteriorum suorum synaxibus* facturos: idemque ipsi vicissim ab eo pro se petunt. quod an de Eliensi ejus provinciæ monasterio interpretandum sit, non definio.

LXXVIII. S. Petri Lucense monasterium conditur. c V. append. Aliud S. Michaelis.

Apud urbem Luccam in Italia hoc anno conditum est monasterium sancti Petri, in vico, qui vocatur Caviana, favente Talerperiano episcopo, cum gratia Walperti ducis. Monasterii auctor Fortunatus, civis Luccensis, cum filio suo Bonualdo seu Monualdo presbytero, qui ambo *chartulam dotalium* [c] per Socheradacem presbyterum, ex jussione Talerperiani venerabilis episcopi, scribendam curarunt anno secundo Liutprandi regis per indictionem duodecimam: qui characteres chronologici huic anno apprime conveniunt. Erat & aliud per id tempus sancti Michaelis monasterium, quod Ratchis abbas una cum germano suo Asfredo construxerat in loco, cui vocabulum est Apuniano, amboque ex rebus suis dotaverant. Exstant hac de
» re litteræ in archivo cathedralis ecclesiæ Luccensis, quibus Ratchis venerabilis ab-
» bas & presbyter doctissimo in Christo filio suo Walprando, filio Walperti ducis
» mox laudati, tradit prædictum monasterium post suum obitum gubernandum ac re-
» gendum, ut nihil ex ipso depereat, sive in luminaribus, sive in officio divino; im-
» mo in omnibus augeatur. Scriptum est hoc instrumentum regnante Liutprando rege, anno regni ejus sexto-decimo, indictione undecima, id est anno Christi Domini septingentesimo vicesimo-octavo. Subscribunt inter alios *Talerperianus eximius episcopus*, ita de se ipse loquitur, & Altprandus abbas, forte prædicti monasterii sancti Petri.



ANNALES



ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

ANN. CHR. 715.

LIBER VICESIMUS.

Ab anno Christi 715. ad annum 730.

UNC librum aperiet sancti Bonifacii apostolatus in Frisiam, qui ab anno septingentesimo quinto-decimo initium sumsit. Fervebat tunc bellum atrox inter Radbodum ducem Frisiorum, quem veteres passim regem appellant, & Carolum principem, Pippini ex Alpaïde filium: qui e custodia Coloniensi, ubi jussu Plectrudis detentus fuerat, elapsus, præfecturam palatii contra Ragenfredum sibi asserere tentabat. Ragenfredus a Neustrasiis, fugato Theudoaldo Grimoaldi filio, major-domus electus, fœdus cum Radbodo contra Carolum inierat, ut dignitatem sibi oblatam tutaretur. Ragenfredi molimina non parum retardavit Dagoberti regis immatura mors, quæ hoc ipso anno contigit, relicto Theoderico filio impubere, qui ob imbecillam ætatem regno ad tempus exclusus est, retrususque in monasterium Calense, unde Calensis cognomen accepit. Chilpericus, regiæ stirpis adolescens, in ejus locum suffectus ex-clerico. Interea Winfridus, is qui postea Bonifacius dictus est, animo agitabat discessum e patria, simul ut parentum, affiniumque suorum consortia fugeret, simul ut his, qui in tenebris & umbra mortis residebant, infidelibus verbum Dei prædicaret. Communicato cum Winberto abbate suo, id est Nutscellensi, consilio, ægre tandem discedendi facultatem obtinuit ab illo, qui & duos ei socios adjunxit, & necessaria quæque pro viatico liberaliter suppeditavit, prospera eis omnia imprecatus. His fultus adminiculis, primo in urbem Lundoniam, nobile emporium, venit; dein Tamesi fluvio cum suis impositus, e Britannia insula solvit, ac ventis secundis in opidum Frisiæ Dorcestatum appulit, ubi aliquamdiu commoratus est. Verum, ingruente paganorum in christianos procella ob bellum Radbodi contra Carolum, loco cedere compulsus, ad Trajectum * inferius, quod Frisia citeriori, Francis subjecta, tunc continebatur, se recepit. Hæc urbs etiam Radbodi violentiam passa est, uti & subjecta provincia, quæ, illius persecutione incumbente, vastata ac fere destructa fuit, servis Dei fugatis & expulsis, & idolorum cultu, ubi abrogatus fuerat, restituto. Cum Trajectum Radbodus aliquando venisset, tentavit eum Winfridus, utrum sibi per eum in illis partibus prædicandi verbum Dei facultas concedenda esset. Sed ubi ferocis ducis animum emolliri non posse intellexit, arentes illas & spiritalis fertilitatis impatientes plagas reliquit, & ad na-

I. S. Bonifacii profectio in Frisiam, & reditus.

* Utrecht.

ANN. CHR. 715.

tale solum remigravit, postea quam æstatem totam usque ad medium autumni illic sine fructu expenderat.

Reversus itaque ad Nutscellense monasterium, fratres ob imminentem Winberti abbatis obitum consternatos invenit. Eo mortuo, una omnium sententia fuit, neminem unum Winfrido digniorem esse, qui in demortui locum succederet. Solus omnium votis restitit Winfridus, qui de relinquenda iterum patria, simulque de verbo Dei apud exteras nationes disseminando cogitabat. Hunc tamen ab eo consilio nonnihil revocabat ejulantium fratrum orbitas & commiseratio, qui in uno Winfrido spes suas repositas arbitrabantur. Has inter angustias alium desolato gregi pastorem provideri curavit per Danielem diœcesanum, id est Wentanum, antistitem, qui bonæ indolis virum, Stephanum nomine, Nutscellensi congregationi abbatem præficiendum curavit. Rebus ita compositis, Daniel Winfridum abire volentem dimisit cum litteris commendatitiis, unis encyclicis ad omnes, alteris ad Romanum pontificem Gregorium secundum, qui hoc anno septingentesimo quinto-decimo in Constantini locum suffectus fuerat, non præcedente, ut Carolus Cointius [a] contra Baronium probat. Verum quia hæc Winfridi secunda profectio paullo serius contigit, tantisper differenda est. Is quippe reversus e Frisia in patriam vertente autumno anni insequentis sexti-decimi, imminentem illic exegit hiemem, cum toto anno subsequente; non ante autumnum anni consequentis septingentesimi decimi-octavi ex Anglia iterum Romam discessurus.

a *Coint. an. 715. num. 54. & seqq.*

II. Eadburgæ abbatissæ scribit.

Haud scio an in Frisia versabatur Winfridus, (sic Bonifacium ante episcopalem ipsius ordinationem appellare pergemus) cum epistolam scripsit ad Eadburgam abbatissam, ut mihi videtur, Tanetensem, de visis illius monachi redivivi, qui nuper in monasterio Milburgæ abbatissæ, id est Wenlocensi, mortuus, postea revixerat, prout a veneranda Hildelita Berkingensi abbatissa primum hæc acceperat, postea ab ipso *fratre redivivo, dum nuper*, inquit, *de transmarinis partibus ad istas pervenit regiones.* In illis visis fit mentio de Ceolredo rege Merciorum adhuc vivente, cum hæc visa sunt: cui dæmones, rejecto quod boni angeli prætendebant defen-
» sionis umbraculo, horribilem ac nefandam multitudinem flagitiorum imputabant,
» ob quæ dirissimis inferorum claustris recludendus, & æternis doloribus cruciandus
» esset. Cum vero hanc epistolam scriberet Winfridus, Ceolredus jam mortuus erat, ut epistolæ hæc verba testantur: *Subsequens autem & citus scelerati regis exitus, quæ de illo visa fuerunt, vera esse procul dubio probavit.* Eum vero anno septingentesimo sexto-decimo defunctum fuisse Beda in epitome tradit. Willelmus Malmesburiensis addit, eum immatura & miserabili morte, post annos regni non amplius octo, interiisse, ac Liccidfeldæ conditum fuisse, relicto Ethelbaldo herede, pronepote Pen-
» dæ ex Alwio fratre, qui alta pace, & multo tempore, id est quadraginta uno an-
» nis, rerum summa perfruitus, novissime a subjectis occisus fuit. De Ethelbaldo deinceps sæpe recurret oratio.

III. Picti Romanos ritus suscipiunt per Ceolfridum abbatem.

Hoc anno, ejus sæculi decimo-quinto, Picti populi, qui septemtrionales Britanniæ plagas incolebant, abjectis Scotticis ritibus, Romanos susceperunt, agente Naitono ipsorum rege, qui frequenti [b] ecclesiasticorum scriptorum meditatione veteres errores agnovit, & se suosque ad catholicum celebrandi paschatis morem reduxit. Quod ut facilius ac majori cum auctoritate exsequeretur, nuntios misit ad venerabilem Ceolfridum abbatem Girwensis monasterii, quod ad ostium Wiri fluminis a Benedicto Biscopo conditum diximus, postulans ab ipso litteras, quibus errantes efficacius convinceret, tum de tempore celebrandi paschalis sollemnitatis, tum de tonsuræ modo, quem a clericis observari oporteret; simulque architectos petens, qui Romano more ecclesiam ex lapide construerent, quam in honorem beati Petri apostolorum principis dedicari volebat. Piissimi regis postulatis paruit Ceolfridus abbas, scripta ad eum prolixa & erudita epistola, qua catholicum pascha contra Scotticum morem adstruebat, & Romanam tonsuram simoniacæ præferendam demonstrabat. Sic vero stilum suum ad captum adversariorum moderatur, ut viros ejusdem sectæ, alias sanctissimos, non damnet. *Neque vero*, inquit, *me hæc ita proferentum æstimes, quasi eos, qui hanc tonsuram habent, condemnandos judicem, si fide & operibus unitati catholicæ faverint: immo confidenter profiteor, plurimos ex eis sanctos ac Deo dignos exstitisse: ex quibus est Adamnanus abbas & sacerdos Columbiensium*, id est Hiiensium, *egregius: qui, cum legatus suæ gentis ad Alfridum regem mis-*

b *Beda lib. 5. c. 22.*

ANN. CHR. 715.

sus, nostrum quoque monasterium videre voluisset, miramque in moribus ac verbis prudentiam, humilitatem, relegionem ostenderet; dixi ille inter alia colloquens: Obsecro, sancte frater, qui ad coronam te vitæ, quæ terminum nesciat, tendere credis, quid contrario tuæ fidei habitu terminatam in capite coronæ imaginem portas? & , si beati Petri consortium quæris, cur ejus, quem ille anathematizavit, tonsuræ imaginem imitaris; & non potius ejus, cum quo in æternum beatus vivere cupis; etiam nunc habitum te, quantum potes, diligere monstras? Respondit ille: Scias pro certo, frater mi dilecte, quia etsi Simonis tonsuram ex consuetudine patriæ habeam, simoniacam tamen perfidiam tota mente detestor ac respuo: beatissimi autem apostolorum principis, quantum mea parvitas sufficit, vestigia sequi desidero. Sic erant sanctissimorum virurum mores. Addit Ceolfridus Adamnanum ad Scotiam reversum suæ gentis turbas ad catholicam paschalis temporis observationem adduxisse, exceptis Hiiensibus monachis, quibus præerat. Hanc epistolam Naitonus rex in frequenti subditorum suorum conventu legi jussit, eaque lecta, actis Deo gratiis supplex professus est, se hoc paschæ tempus cum tota sua gente deinceps observaturum, daturumque operam, ut clerici ac monachi omnes Romanam tonsuram admitterent. quod statim regia auctoritate exsecutioni mandari curavit.

IV. Boboleno abbati S. Benigni facta donatio. a V. lib. 31. n. 30. b Perard p. 9.

Tunc temporis Divionense sancti Benigni monasterium regebat Bobolenus abbas, eo nomine [a] secundus, cujus sub regimine Ermenoara Deo sacrata dedit sancto Benigno, quidquid in villa pagi Atoariorum sive Besuensis Rufiaco possidebat. Exstat apud Perardum[b] hujusce donationis instrumentum, inscriptum *Domino sacrosanctæ basilicæ sancti Benigni martyris, sub opido Divione constructa, quo apostolicus vir Astoricus* (is episcopus erat Lingonensis) *tenet regimen.* Prædictam autem villam Ermenoara Deo sacrata tradit jam dictæ basilicæ ac monachis & matriculariis pro animæ suæ remedio. *Actum Rufiaco publice ante kalendas Madias, defuncto domno Theoderico, & electo Karolo majore-domus.* Carolus Cointius id refert ad hunc annum, suspicaturque legendum esse *defuncto domno Theudoaldo*, post cujus mortem plerique Burgundionum, qui viciniores erant Austrasiæ, Carolum majorem-domus elegerint. Verum nihil prohibet, quo minus id interpretemur de Theoderico Calensi, quo mortuo Franci summam rerum Carolo jam majori-domus detulerint.

V. Adonis abbatis benefacta in S. Remigium. c Frod. lib. 2. c. 11. * Autre.

Varias Frodoardus [c] donationes commemorat Adonis abbatis, Rigoberti episcopi pontificatu factas, tum in ecclesiam Remensem, tum in sancti Remigii basilicam: cui idem abbas hoc anno portionem suam in vico Altro *, ad fluviolum cognominem, in pago Vongensi donavit; necnon appendicem apud Crisciacum super fluviolo Bebroprico, si bene duas ultimas syllabas semesas legimus. Actum Remis mense Aprili, anno quarto Dagoberti regis, uti legimus in authentico mutilo, Francogallicis scripto litteris, cui Ado auctor donationis, atque Allinus abbas cum Rodfrido servo Dei, aliique varia manu cum propriis tesseris subscribunt. Ado ille basilicæ sancti Remigii abbas fuisse videtur. Fluviolus Altrus, cujus his in litteris mentio, oritur a vico, qui Summa-Altri * dicitur, defluitque per sancti-Petri-montem, mihi natalem, & in amnem Bairum devolvitur supra Briolium * opidulum, ad vicum Altrum, cui nomen suum amittendo confert. Crisciacus * forte is locus est prope vicum *Bruyeres* dictum, ad rivulum, qui in Axonam influit prope Vosarium *, forte Bebropricus olim appellatus: ubi hactenus cella est juris abbatiæ Bellæ-vallis Ordinis Præmonstratensis, beatæ Margaritæ sacra, modo unita Seminario Remensi. Prædicti instrumenti exemplum in Appendice referemus.

* Sommautre. * Brienl. * Crecy. * Vousier.

Hugonis in S. Arnulfum.

Hugonis sacerdotis non impar munificentia fuit in suburbanam basilicam sanctorum apostolorum sen sancti Arnulfi Mettensem, cui Leutbertus seu Liutbertus abbas præfectus erat. Hugo sacerdos, Drogonis quondam Campaniæ ducis filius, villam juris sui nuncupatam Vidiacum *, sitam in pago Mettensi, quam Drogo pater ipsius, Pippini avi sui munere habuerat, tradit basilicæ sanctorum apostolorum *clericis vel pauperibus alimoniam ibidem accipientibus, aut lectoribus ibi deservientibus*, pro remedio animæ genitoris sui, quem in illa basilica, Leutberto abbate annuente, sepeliri curaverat. *Actum Mettis publice sub die octavo kalendas Julis, anno quinto regni domni Dagoberti regis*, qui annus Dagoberti extremus fuit. Ex quo intelligitur, Dagobertum post hunc diem obiisse. Editum est non semel hujus donationis instrumentum, quod viris eruditis nonnihil negotii facessit ob Drogonis ducis filios in eo memoratos in hæc verba. *Ideo nos in Dei nomine Hugo sacerdos, & germanus*

* Vigy.

ANN. CHR. 715.

meus illuster vir Arnulfus dux, necnon Pippinus & Godefridus. Dum contigit ut genitor noster illuster vir Drogo quondam de hac luce migraret, nostra fuit petitio ad venerabilem virum Leutbertum abbatem de basilica sanctorum apostolorum, qua est foris murum Mettis civitate constructa, ubi avus noster domnus Arnulfus in corpore requiescit, ut ibidem jam dictum genitorem nostrum Drogonem sepelire deberemus: & ipse Leutbertus benigno animo visus fuit præstitisse. In fine subscribunt *Hugo, ac si peccator, sacerdos; Arnulfus dux*, & post eos *Milo, Vuido, Erembertus, Lambertus, & Vuarnarius*, omnes comites, ut in vetustissimo exemplari legimus, qui comites in vulgatis desiderantur. Ex hoc instrumento, si quidem genuinum est, colligitur primo Hugonem tunc fuisse sacerdotem, quem Mettensis ecclesiæ primicerium fuisse vulgati instrumenti titulus præfert, tametsi nihil hoc de titulo habetur in vetustissimo exemplari, ex quo illud in fine hujusce voluminis sincerum recudere visum est. Deinde Arnulfum ducem Hugonis germanum, ac proinde Drogonis filium extitisse exinde etiam eruitur. nisi is est Arnoldus, qui in custodia decessit anno septingentesimo vicesimo-tertio. Major difficultas est de Pippino & Godefrido, quos Hugo post Arnulfum germanum suum memorat, an Drogonis etiam filii fuerint, quos potius nepotes, hoc est Arnulfi ducis filios, censendos esse nonnulli opinantur, propterea quod Hugo eos germanos non vocat, nec instrumento cum Arnulfo illi subscribunt. quod postremum mihi quidem veri similius videtur. Alii recentiores hunc Arnulfum inter Drogonis filios nolunt admittere; atque adeo hoc instrumentum falsi postulant. Ego vero illud verum ac genuinum præstare non dubitem, tum quia vetustissimum, quod in archivo sancti Arnulfi legimus, exemplar hoc mihi persuasit: tum quia stilus ejus cetera nihil a veritate ac genio temporis alienum habet. Porro hæc donatio fit *ad basilicam sanctorum apostolorum clericis vel pauperibus alimoniam ibidem accipientibus*, id est *monachis & matriculariis*, prout in superiori Ermenoaræ instrumento pro monasterio sancti Benigni legitur, *aut lectoribus inibi deservientibus.* quo lectorum nomine monachorum præceptores designari existimo, qualis fuit in Lindisfarnensi Eandmundi monasterio Higlacus lector ac monachus, in superiori libro laudatus: qualis Colcu lector ab Alcuino laudatus in epistola decima-octava inter Hibernicas. Porro Hugo, ejus donationis auctor, is est qui postea multorum monasteriorum abbas, multarumque ecclesiarum episcopus fuit, ut suo loco videbimus.

VI. Thomæ abbatis Farfensis mors, & successores.

In Italia cum venerabilis Thomas abbas Farfensi monasterio annos amplius triginta-quinque præfuisset, jam senex plenusque dierum migravit ad Dominum, sepultus in basilica sanctæ Dei genitricis Mariæ, ubi annuo cultu honoratur. Obiit IV. idus Decembris, ut in ejus actis legitur ab anonymo scriptis, non IV. idus Septembris, ut apud Ferrarium. Habes in appendice hujusce voluminis litteras Faroaldi ducis Spoletani ad Johannem papam eo nomine septimum, quibus pontifici supplicat, ut donationes confirmet a se factas monasterio Farfensi nuper instaurato, quod Thomæ abbati commendatum erat. Annuit pontifex dato diplomate pridie kalendas Julii, imperante Tiberio augusto anno octavo, post consulatum ejus sexto; sed & Theodosio atque Constantino. quæ notæ anno septingentesimo-sexto respondent. Diploma pontificium inscriptum est „*Thomæ abbati religioso presbytero*, & „congregationi venerabilis monasterii sanctæ Dei genitricis semper virginis Mariæ, „quod est in fundo Acutiano. Thomam excepit Haunepertus, secundus ejus loci abbas, in Gallia ortus ex civitate Tolosa; præfuitque monasterio annis septem ac dimidio, successorem sortitus Lucerium Maurigenam, a beato Thoma sacris litteris a puero eruditum. Hujus tempore Transmundus gloriosus dux Spoletanus, filius Faroaldi ducis, monasterio contulit ecclesiam sancti Getulii martyris, cujus corpus illic requiescebat. Ad hæc Liutprandus rex confirmavit omnes donationes, quas duces Spoletani, vel quilibet alii eidem loco fecerant, cum libera facultate eligendi abbatis.

VII. Senatoris monasterium Papiæ.

Hoc ipso anno collocanda sunt primordia monasterii Senatoris, quod Papiæ sub titulo sanctæ Mariæ & sancti Aureliani tunc condidit quidam vir præpotens, Senator nomine, a quo nomen loco pro more gentis inditum est, *filius honorandi Albini & Theodelindæ*, uti vetus instrumentum habet, datum *regnante Liutprando, anno tertio regni ejus, V. kalendas Decembris, indictione tertia-decima.* quæ notæ chronologicæ præsenti anno conveniunt. Superest etiam nunc hoc monasterium, quod

hodie quoque possident sanctimoniales Benedictinæ, uti & aliud Theodotæ in eadem urbe, de quo in superiori libro egimus.

ANno circumacto, postquam Picti, insulæ Britanniæ populi septemtrionales, Romanos ritus receperant; & ipsi tandem Hiienses monachi iisdem accesserunt, qui aliorum hac in re duces esse debuerant. Sic fit non raro, ut qui magis spirituales videntur, serius deponant errores, quos semel imbiberint. Idquippe anno septingentesimo sexto-decimo contigisse Beda [a] venerabilis auctor est, quo anno, Osredo rege occiso, Coënredus Northanimbrorum regnum iniit. Hos autem ritus admisere cum subjectis sibi Scotticæ nationis monasteriis Hiienses, agente Egberto venerando patre ac sacerdote, id est episcopo, sub Dunchado abbate, post annos circiter octoginta, quo Aidanum antistitem ad prædicandum Anglis evangelium miserant. Sic factum est, ut qui scientiam divinæ cognitionis ultro ac sine invidia populis Anglorum communicaverant; ipsi quoque postmodum a prædicatore Anglicano (Egbertus enim genere Anglus erat) ad rectam vivendi normam adducerentur. quod Brittonibus secus accidisse docet Beda, qui, cum Anglis adhuc infidelibus Christum prædicare supersedissent, Anglis jam credentibus, in pristino errore, qui ipsis cum Scottis communis erat, obfirmati persistebant. Ad Hiienses itaque accedens Egbertus ex Hibernia, ubi diu peregrinus vixerat, honorifice ab eis, & multo cum gaudio susceptus est; ac pro sua doctrina, benignitate, ac sanctimonia libenter auditus ab universis, piis ac sedulis adhortationibus apud eos fategit, ut inolitam illam parentum suorum traditionem abjicerent, catholicosque susciperent ritus celebrandi paschatis & clericalis coronæ. Mansit autem Egbertus annos tredecim in illa insula, quam ipse, veluti nova quadam ecclesiasticæ communionis & pacis gratia, Christo consecraverat.

ANN. CHR. 716. VIII. Hiienses monachi recipiunt ritus Romanos.

a Beda lib. 5. c. 23.

Eodem anno contigit obitus venerabilis Ceolfridi abbatis Wirensis ac Girwensis monasteriorum, cum Romam ad apostolorum limina proficisceretur. Is post accuratam vitæ regularis disciplinam, quam ipse cum suis servaverat; post assiduam orandi psallendique instantiam, post mirabilem in coercendis improbis, relevandisque infirmis dexteritatem ac prudentiam, denique post raram & insolitam in rectoribus cibi potusque parcitatem & habitus vilitatem; cum jam senior subditis doctrina vel exemplo non ultra se sufficere posse intelligeret, rectius existimavit hanc curam in alium regerere, & ad beatorum apostolorum limina proficisci, ubi liberius ac quietius reliquos deficientis vitæ dies expleret. Quapropter fratribus præceptum dedit, ***ut juxta sui statuta privilegii, juxtaque regulam sancti abbatis Benedicti***, ex suis ipsi sibi patrem eligerent, qui aptior esset ad regendum. Illi contra obniti, in lacrymas gemitusque prorumpere, supplices & ad genua ejus provoluti obsecrare, ne ipsos desereret. Verum cum flecti non potuisset, factum est quod voluit: tantaque fuit viro sancto accelerandi itineris cupido, ut tertio die, quam animi sui propositum fratribus aperuerat, iter arriperet, timens, quod evenit, ne priusquam Romam perveniret, vita euntem deficeret; simul ne ab amicis & viris præpotentibus iter ipsius retardaretur. Ipso discessus ejus die, id est quinta feria pridie nonas Junias, missa prima luce ***cantata*** in ecclesia beatæ Dei genitricis, & in ecclesia sancti Petri apostoli ***communicantibus omnibus qui aderant***, in quibus haud pauci erant sine dubio presbyteri, continuo ad iter se accingit. Conveniunt omnes in ecclesiam sancti Petri: ipse thure incenso, & dicta oratione ad altare, ea scilicet, quæ pro iter agentibus ex regulæ nostræ præscripto dici solet, in gradibus altaris stans, cum thuribulo pacem dat omnibus. Inde, fratribus cum multo fletu litanias cantantibus, processum est in oratorium beati Laurentii martyris, quod dormitorio fratrum obvium erat: ubi, salute accepta & reddita, de conservanda mutua dilectione, & delinquentibus secundum evangelium corripiendis eos admonet; omnibus, si quid deliquissent, veniam offert; omnes pro se orare, sibique placatos exsistere, si quos durius redarguisset, obnixe petit. Tum venitur ad ripam Wiri amnis, ubi rursum osculo pacis inter mutuas lacrymas dato & accepto, omnibus in genua procumbentibus orationem impendit, fluvium cum sociis trajicit: mox adorata cruce, quam diaconi cum cereis ardentibus ferebant, conscendit equum, discedit, relictis in utroque monasterio fratribus, numero ferme sexcentis.

IX. Ceolfridi abbatis discessus e Britannia.

Illo sic discedente, redeunt in ecclesiam omnes, se ac sua Domino fletibus ac

X. Huætberti abbatis electio.

ANN. CHR. 716.

oratione commendantes. Utriusque monasterii fratres diem futuræ electioni constituunt. Die condicta, nempe die Dominico pentecostes, simul conveniunt, & unanimi omnium consensu eligitur abbas Huetbertus, qui a puero inter eos in summa regularis vitæ districtione vixerat, Romam quoque pontificatu Sergii papæ profectus; & non parvo ibidem demoratus spatio, multa illinc descripta retulerat. Electus statim cum aliquot fratribus ad abbatem Ceolfridum properat, qui opportunam transfretaturus navim opperiebatur; eique factam electionem renuntiat. Hanc ille probat confirmatque, & a novo abbate commendatitiam, apostolico papæ Gregorio deferendam, epistolam accipit, cujus hæc inscriptio: *Domino in Domino dominorum dilectissimo, terque beatissimo papæ Gregorio, Hvvetbertus humilis servus vester, abbas cœnobii beatissimi apostolorum principis Petri in Saxonia, perpetuam in Domino salutem.* In ea epistola, præmissis Deo gratiarum actionibus, quod talem ac tantum ecclesiæ suæ pontificem præficere dignatus esset, eidem commendat Ceolfri-
„ di patris, nutritoris, tutorisque sui venerabiles canos, qui ea, quæ juvenem se adiis-
„ se, vidisse, atque adorasse cum gaudio recordari solebat, etiam senio defessus beato-
„ rum apostolorum limina devotus repetere induxisset animum; & post longos anno-
„ rum amplius quadraginta labores, ac monastici regiminis continuas sollicitudines,
„ incomparabili pietatis studio, etsi ultima confectus ætate & propediem moriturus,
„ nihilo minus fervore quodam novitio novam pro Christo peregrinationem aggressus
„ esset, quo liberius veteres sæcularium sollicitudinum spinas igne ferventis compun-
„ ctionis consumeret. Reverso Huetberto, rogatus accedit Acca episcopus Hagustaldensis, qui solitam novo abbati benedictionem impertit.

Inter ea vero opera, quæ tempore regiminis abbatialis fecit, illud in primis gratum fratribus acceptumque fuit, quod ossa Easterwini abbatis, quæ in porticu ecclesiæ beati Petri jacebant; necnon & ossa Sigfridi abbatis, magistri quondam sui, extra sacrarium ad meridiem condita, e tumulis sustulit, & utraque *una in theca*, sed medio pariete divisa, reclusit, atque intra *ecclesiam beati patris Benedicti* composuit. Hæc translatio facta est die natalis ipsius Sigfridi, id est XI. kalendarum Septembrium: quo etiam die mira Dei providentia contigit, ut venerabilis Dei famulus Witmer, vir religiosus ac eruditus, qui Ceolfridi abbatis tempore jam veteranus ad conversionem venerat, e vivis excederet, & eodem in loco, ubi prædicti abbates prius sepulti fuerant, ipse, qui eorum imitator fuerat, humaretur.

XI. Ceolfridi abbatis obitus.

Interim, dum Ceolfridus Romam iter persequitur, in morbum incidit; perveniensque in urbem Lingonas circa horam diei tertiam, decima ipsius diei hora migravit ad Dominum, & die crastino in ecclesia beatorum Geminorum martyrum honorifice sepultus est, non solum Anglis, qui amplius octoginta numero in ejus comitatu erant, sed & illius loci accolis lugentibus, quod venerandi senis desiderium mors intercepisset. Inter hæc miserabile erat videre comites ipsius, partim cœptum iter persequi, partim domum reflectere, partim ad tumulum defuncti inter eos, quorum nec linguam noverant, mærentes residere. Obiit vir Dei VII. kalendas Octobris, anno ab incarnatione Domini septingentesimo sexto-decimo, feria sexta post horam nonam, in pratis memoratæ civitatis, die centesimo quarto-decimo, ex quo de monasterio suo discesserat. In itinere nihil pristini rigoris, prætextu vel ætatis, vel infirmitatis, vel ipsius itineris, remisit a discessu suo usque ad obitum, id est a pridie nonas Junias, usque ad septimum kalendarum Octobrium: immo præter canonicas divini officii horas, quotidie bis psalterium decantare, id est recitare, curabat, & cum per infirmitatem eo devenisset, ut equitare non valens, feretro caballario veheretur; nihilo minus *quotidie missa cantata salutaris hostia Deo munus offerebat*, excepto uno, quo trajecit oceanum, & tribus ante obitum diebus. Erat autem quando obiit annorum septuaginta quatuor, presbyterii officio functus annis quadraginta-septem, abbatis vero annis triginta-quinque, vel potius quadraginta-tribus, si tempus computes, ex quo Benedicto Biscopo comes individuus & cooperator adhæsit, id est a primo tempore, quo Benedictus Wirense sancti Petri monasterium ædificare cœpit. Sepultus est ad australem plagam civitatis Lingonicæ, uno ab urbe milliario, in monasterio Geminorum, quod tunc monachorum videtur fuisse, nunc prioratus, ut vocant, conventualis canonicorum regularium. In libello [a] societatum monasterii Augiensis, scripto paullo post initium sæculi noni, commendantur canonici apud sanctos Geminos: at ibidem sub finem ejusdem sæculi restituti

[a] *Analect.* tom. 4. p. 645.

ANN. CHR. 716.

sunt monachi, qui demum canonicis regularibus cesserunt. Porro Gemini martyres, in quorum monasterio & ecclesia conditus est, Speusippus, Eleusippus, Meleusippus, uno partu editi, eadem ecclesiæ fide renati, simul cum avia Leonilla, dignam loco illi sui martyrii reliquere memoriam. Processu temporis Ceolfridi reliquiæ in Wirense monasterium relatæ, inde tempore Danicæ vastationis in monasterium Glastoniense translatæ sunt.

XII. Crulandense monasterium conditur.

Exstincto hoc anno Ceolredo Merciorum rege, Ethelbaldus regnum capessit secundum sancti Guthlaci oraculum; vatisque sui memor, mox construendo Croylandensi seu Crulandensi monasterio animum, manusque admovit. Et primo quidem amplissimum surgenti monasterio spatium in insula concessit, liberum ab omni servitio & exactione; atque hac de re diploma scribi jussit, suo ipsius sigillo, episcoporumque ac procerum suorum signis corroboratum. Et quia palustris illius insulæ humus lapideam molem sustinere non poterat, ingentes ex quercu palos innumeros humo infigi curavit, duramque terram novem milliariis scaphis eo deferri, & paludibus commisceri; ibique lapideam basilicam erexit oratorii loco, quod sanctus Guthlacus ex ligno sibi exstruxerat. Deinde Kenulfum, probatæ religionis virum, ex monasterio Eoveshamensi arcessivit, eumque novæ congregationis constituit abbatem *sub norma sancti Benedicti*, præbens eis de thesauro suo primo anno trecentas libras legalis monetæ, & per decem annos proxime sequentes quolibet anno centum libras, uti legitur in ipsius Ethelbaldi litteris apud Ingulfum, in quibus primum fit mentio *nigrorum monachorum*, si tamen locus iste genuinus est. Datum est *chirographum* seu diploma hoc anno ab incarnatione Christi septingentesimo sextodecimo: cui post Ethelbaldum subscribunt Brithwaldus Dorobernensis archiepiscopus, Winfridus Merciorum episcopus, qui Egwino Eoveshamum secedenti suffectus fuerat; Ingualdus Londoniensis, Adwinus Lichefeldensis, Tobias Rofensis, episcopi; abbates vero Ethelredus Bardeneiensis, & Egbaldus Medeshamstedensis; denique ex comitibus Egga comes Lincolniensis, qui videtur non alius esse ab Egiga Ethelbaldi exsulis comite, quem sanctus Guthlacus, dum in vivis adhuc esset, a vexatione maligni spiritus liberasse, & sanæ menti restituisse traditur. Quin etiam idem rex Ethelbaldus tertio regni sui anno sancivit, ut omnia monasteria, omnesque ecclesiæ regni sui a publicis vectigalibus & oneribus eximerentur; haberentque famuli Dei libertatem in proficuo silvarum, in fructu agrorum, in captura piscium; nec munuscula præberent regi vel principibus, nisi voluntaria; sed liberi Domino servirent in contemplatione pacifica per totum regnum suum. Ea vero hujus loci fortuna fuit, ut cum omnia fere Britanniæ monasteria aut eversa, aut violata sint a Danis; Crulandense intemeratum & illæsum perstiterit usque ad Henrici octavi defectionem a catholica ecclesia. Nec illud omittendum, quod Cantabrigiensis academia ejusdem cœnobii monachis originem suam refert acceptam, ut suo loco dicturi sumus. Kenulfo primo abbati Crulandensi successit Patricius abbas secundus.

XIII. Chilperici regis varia diplomata pro S. Dionysio.

a Diplom. p. 485.

b Ibid. p. 486.

Regnabat tum in Gallia Chilpericus, cognomento Daniel, cujus non pauca exstant diplomata, in quorum nonnullis patrem suum prodit Childericum, Chlodovei junioris filium, recentioribus ante paucos abhinc annos obscurum. Primum est ipsius Chilperici [a] placitum, quo Bacivum superius sancti Dionysii monasterio adstruitur contra Friulfum quemdam aulicum, qui superioris Bacivi portionem, quasi ex parte soceri sui Edronis sibi debitam, vindicare conabatur. Verum contra Martinus præpositus basilicæ Dionysianæ, prolato instrumento contendebat, Chrodcharium, venerabilem quondam monasterii sui abbatem, eam portionem ab Eodone filio Edronis dato pretio comparasse. Assensit Warno palatii comes; sicque secundum sancti Dionysii partes sententia dicta est Compendii septimo die Martii, Chilperici regis anno primo. Ermedramnus referendarius placitum recognovit. Ejusdem regis [b] præceptum est de centum vaccis, eidem monasterio a fisco inferendis ex pago Cenomannico, prout olim Dagobertus rex jam litteris suis concesserat. Id vero confirmat Chilpericus rogatu Chillardi abbatis, exhibitis sibi litteris donationis a Dagoberto factæ, simulque confirmationis, quæ ab avo suo Chlodoveo, *& bonæ memoriæ genitore suo Childerico*, & avunculo, id est patruo, suo Theoderico, seu & consobrinis suis Chlodoveo, Childeberto & Dagoberto emanaverant. Datum Compendii die sexto-decimo ejusdem mensis Martii, anno itidem primo regni sui. Chilpericus ipse diplomati subscribit, quod Actalius jussus obtulit vice summi referendarii.

ANN. CHR. 716.

XIV. Dionysiani abbates.

Chillardus seu Helardus abbas Dionysianus Dalfino Chainonis successori suffectus fuerat regnante Dagoberto tertio. nam in quodam diplomate * Pippini majoris-domus, nondum regis, fit mentio de nonnullis rebus, de quibus *Chillardus abbas ante Dagobertum quondam regem acceperat judicium evindicatum.* Hic est Helardus abbas, de quo hæc leguntur in veterrimo codice Remensis ecclesiæ de miraculis sancti Dionysii, quæ alibi jam a me relata, hic repetere non gravabor, quod sancti Landeberti martyrium illustrent. Sic habet vetus codex. *Sub Carolo Francorum principe, majore-domus, ut tunc moris erat, vocato, quidam, nomine Godobaldus, ortus provincia Asbanensi, villa quæ dicitur Arbrido, cum in necem beatissimi viri Lantberti episcopi cuidam comiti, Dodoni nomine, se consortem & conscium præbuisset, Deo pœnam exigente, claudus effectus est. Itaque divini flagelli admonitu reatum suum agnoscens, diu sanctorum loca circumiens, & admissis veniam, & membris incolumitatem restitui flagitabat: tandemque ad beatissimi Petri limina Romam veniens, divina revelatione cognovit sanitatis recuperandæ locum in Galliis sibi apud sanctorum martyrum Dionysii, Rustici, & Eleutherii memorias esse concessum. Regressus igitur ab urbe, designatum cælitus locum expetit, ibique optatam, diuque quæsitam sanitatem recuperat. Erat tunc loci abbas Helardus, qui divino miraculo congratulans, locum ei & alimenta communia concessit. sicque in eodem loco vitam degens, cum in multis probus omnibus appareret, præcipiente Carolo principe, abbatis inibi officium suscepit, ac per viginti quinque annos strenue administravit.* nempe post Berthoaldum, de quo inferius agemus. Sic ergo abbatum Dionysianorum series ordinanda est post Wandebertum, quem Chlotharii tertii principatu abbatem fuisse diximus. Huic successere Chardericus, qui & episcopus fuit; tum Chaino, Dalfinus, Chillardus seu Helardus mox laudatus; & post eum Turnoaldus ex episcopo Parisiensi monachus, dein abbas Dionysianus; Hugo, Berthoaldus, dein prædictus Godobaldus, tum Amalbertus, & Fulradus, quos inferius commemorabimus.

a ibid p. 489.

XV. Abbates Corbeienses.

Tunc temporis Corbeiense monasterium regebat Sebastianus abbas, qui a Chilperico rege præceptum obtinuit, seu confirmationem donationis a Chlodechario rege & Baldechilde regina monasterii conditoribus factæ, nimirum annuæ pensionis olei, vini, cervisiæ, piperis, cumini, carigarum, amandolarum, aliarumque id genus specierum, ex teloneo Fossensi: quæ omnia Chilpericus ab *avunculo* seu patruo suo Chlodechario & avia sua Baldechilde concessa dicit, & confirmata *a domno & genitore suo Childerico quondam rege.* Datum Compendii sub die tertio kalendas Maii, anno primo regni ipsius Chilperici. Itaque hoc anno Sebastianus Corbeiensibus præerat, successor Eremberti, adeoque ejus loci abbas quartus. Primus enim fuit Theodefredus; quo facto episcopo, electus Chrodecharius, & post eum Erembertus, tum Sebastianus, cui successit Grimo, inferius memorandus.

XVI. Benigno abbati Fontanellæ Wando suffectus.

Hoc ipso anno, testante chronographo Fontanellensi, Benignus ejus loci abbas, jussu Ragenfredi majoris-domus, regimine monasterii privatur, propterea quod Caroli ejus æmuli partibus faveret; & Wando monachus, filius Baldrici, in locum ejus subrogatur in annos tres, id est ad annum Christi septingentesimum undevicesimum, quo Ragenfredus in agro Soessionensi victus est a Carolo, ad quem Benignus se receperat. Wando Fontanellam ad conversionem veniens anno secundo Childeberti regis, multas eidem loco possessiones contulerat, positas in pagis Vimnacensi * & Talogiensi *, ex quo ortus erat. Idem cum esset diaconus, Wlframnum in Frisiam comitatus fuerat. Vir probis moribus, nec indignus abbatiali dignitate, quam postea meliori conditione sortitus est. Ante suam ipsius exauctorationem Benignus abbas a Chilperico rege obtinuit præceptum, quo superiorum regum privilegia, aliorumque fidelium donationes Fontanellensibus factæ confirmantur. Hoc Chilperici præceptum ex chartario Fontanellensi in appendice a nobis refertur, in quo Beni-
» gnus abbas monasterii Fontanellæ, quod in honorem sanctorum apostolorum Petri
» & Pauli & sancti Laurentii martyris constructum est, *ubi abba cum turma plurima*
» *monachorum sub sancta regula conversari videtur*, Childerico regi suggessisse dicitur,
» ut præceptiones avi sui Chlodovei regis, suique *avunculi* seu patrui Chlotharii, &
» Theoderici, qui iidem ipsius patruus erat, ac genitoris sui Childerici, necnon *paren-*
» *tum* seu propinquorum suorum, Childeberti & Dagoberti, atque etiam quaslibet do-
» nationes eidem loco factas, in his *forestam* seu silvam Gemeticensem, confirmare
dignaretur. quod rex benigne annuit. *Datum quod fecit mensis Martius dies* XXV.

* Le Vimeux.

* Le Talou.

anno

anno primo regni nostri feliciter. Hoc, ut jam dixi, factum videtur ante Benigni abbatis exauctorationem.

ANN. CHR. 717. XVII.

Benigni abbatis restituendi occasio.

QUæ fuerit causa & occasio restituendi Benigni abbatis, ex illo auctore paucis accipe. Sequenti anno, id est dominicæ incarnationis DCC. XVII. bellum plusquam civile gestum est inter Carolum *exarchum*, & Ragenfredum *intartam* seu rebellem, ut eum vocat chronographus, & quidem die dominico, XII. kalendas Aprilis, quintodecimo ante sacram paschæ sollemnitatem, in pagi Cameracensis loco, qui Vinciacus * appellatur. Wando monachus cum Chilperico & Ragenfredo interfuit huic prœlio, in quo Carolus victor evasit. Cum vero Ragenfredus victus, fususque cum Chilperico fugam arripuisset, tandem post longa terrarum spatia pervenit ad villam Fontanellæ, Noviomum dictam, ubi Wandonis unum equum pascentem reperit, eoque conscenso, Sequana fluvio ad portum Devennam transmisso, celeri cursu in urbem Andecavorum se recepit. qua re comperta, Carolus Wandonem monasterii Fontanellensis regimine exclusit, quod ejus equo Ragenfredus fuga evasisset; eumque relegavit in castrum Trajectum, quod de Wiltaburgo seu opido Wiltorum, id est de Trajecto ad Rhenum, chronographus Fontanellensis hoc in loco [a] perperam interpretari videtur, restituto in Wandonis locum Benigno abbate, qui ipsius ob causam monasterio pulsus fuerat, ejusque regimen per annos quatuor retinuit. Non tamen statim post pugnam Vinciacensem ejectus est Wando, sed anno hujus sæculi undevicesimo, cum Ragenfredus in prœlio Suessionico denuo victus est a Carolo, ad quem Benignus confugerat. unde non sine fundamento Carolus Cointius censet, hanc Wandonis fugam post pugnam, non Vinciacensem, sed Suessionicam contigisse. Benigni abbatis propinquus erat Gennardus, vicedominus ecclesiæ Rotomagensis, & cœnobii Flaviacensis seu sancti Geremari abbas, quo mortuo Benignus Flaviacensis cœnobii rector factus est. Huic Gennardo frater erat Benignus monachus, ad discrimen Benigni abbatis senior dictus, qui Benigno abbati largitus est mansum unum in Magaciaco villa pagi Veliocassini, quem ipsi Ragenfredus major-domus quondam donaverat. Idem Ragenfredus fiscum Wintlanam Fontanellensibus concessit anno secundo Chilperici regis.

* Vincy.

[a] Chron Fontanell. c. 3.

Abbas is fuit Flaviacensis post Gennardum.

XVIII.

Turnoaldus episcopus abbas S. Dionysii.

Turnoaldus hoc anno jam successerat Chillardo in regimine monasterii sancti Dionysii prope Parisios, ut probat Chilperici regis diploma apud Dubletum. quo diplomate iste princeps, rogatu Ragenfredi majoris-domus, silvam Roveritum super fluvium Sigonam seu Sequanam tradit basilicæ sancti Dionysii peculiaris patroni sui, ubi Turnoaldus episcopus custos tum præerat. Fuerat is Parisiorum antistes sub Chlodoveo tertio, & Childeberto itidem tertio, uti horum regum diplomata adstruunt, edita in libro sexto de re diplomatica. Chilperici diploma mox laudatum datum est Compendii pridie kalendas Martias, anno secundo regni sui. Roveritus silva ea est, quæ ad Novigentum opidum sancti Chlodoaldi pertinebat. Ex hoc aliisque Chilperici regis diplomatis patet, eum in villa regia Compendio versari solitum fuisse. Post hoc tempus Turnoaldus sancti Dionysii monasterium non diu rexit. siquidem Hugo, regnante Chilperico, abbas nominatur in Pippini regis placito, ubi Pippinus [b] monasterio Dionysiano asserit, *quæcumque Foba per suum testamentum ad casam sancti Dionysii condonavit, vel jam ante Chilpericum regem antecessorem suum, & Hugonem antecessorem ipsius Fulradi abbatis auctrix affuit.* quod non de proximo præcessore intelligendum est. Neque etiam Hugo diu regimen tenuit, sed jam Berthoaldo locum fecerat anno ejus sæculi vicesimo-tertio: sive id factum fuerit ob breves eorum vitæ dies, sive ob factiones principum Caroli & Ragenfredi, qui ut sibi faventes promovebant ad dignitates, sic etiam adversantes locis suis exturbabant. Sic Carolus princeps Rigobertum Remorum antistitem sede sua expulit, ejusque in locum subintrusit Milonem, quod Rigubertus ipsi urbis suæ aditum interclusisset.

Hugo ejus successor.

[b] Diplom. p. 491.

XIX.

Fossatensis privilegii confirmatio.

His addendum est præceptum Chilperici pro monasterio Fossatensi agri Parisiensis, obtentum a Waldomaro abbate, qui ob infirmitatem corporis sui & fre- « quentes infirmitates, quibus illum Dominus castigabat, a rege confirmationem obti- « nuit privilegii, a superioribus regibus & pontificibus eidem monasterio concessi, « ut in ipso monasterio nulla extranea vel opposita persona sine voluntate abbatis vel « fratrum suorum ad dominandum vel competendum ingredi præsumat: sed quem «

AN. CHR. 717.

„ abbas elegerit, & melior pars monachorum de ipsa congregatione, vel, si necessitas „ fuerit, de quolibet monasterio post decessum abbatis, vel quandocumque ipse abbas „ voluerit, licentiam habeant constituendi abbatem, sicut in eorum privilegio mani„ festissime designatur: ita tamen, ut talis eligatur, qui corpore sit castus, mente „ devotus, sacris scripturis eruditus, & conversatione regulari instructus. quod ideo „ a se exemplo Dagoberti consobrini sui, & ad preces Ragenfredi majoris-domus con„ cessum ait princeps, ut ipsi monachi sub quieto ordine viventes, nihil inquietudi„ nis patiantur, sed pro statu regni & salute totius populi melius eos orare delectet. „ Chilpericus rex subscripsit; Ado jussus, mendose in editis Adonissus, obtulit. Data „ sub die octavo kalendas Maias, anno secundo regni sui, Parisius civitate in Dei no„ mine feliciter. Hujus privilegii, quod integrum in libro sexto [a] de re diplomatica retulimus, fragmenta profert Labbeus inter Miscellanca curiosa, sed perperam monasterio Glannafoliensi tribuit. Carolus Cointius hæc fragmenta itidem refert, observatque hoc in privilegio Dagobertum Chilperici *consobrinum* appellari minus proprie pro agnato: cujus rei multa alia exempla occurrunt.

a Diplom. p. 486.

XX. Chilperici donatio S. Arnulfo.

Ex præmissis intelligitur, Chilpericum, Compendii ante pugnam Vinciacensem commorari solitum, paullo post accessisse in urbem Parisiorum: qua ex urbe iterum Compendium remigravit, ut fidem facit ejusdem diploma, quo villam pagi „ Mollensis, Martem * vocabulo, confert basilicæ domni Arnulfi vel sanctorum „ apostolorum, sub opidum Mettensium civitatis, ubi venerabilis vir Leutbertus ab„ bas *una cum norma plurima clericorum* deserviebat. Datum octavo die mensis Junii, „ anno secundo regni ejus, Compendio palatio.

* Marville.

XXI. S. Winnoci abbatis obitus.

In Belgio sanctus Winnocus abbas, meritis annisque maturus, obiit VIII. idus Novembris in Woromholtensi sancti Martini monasterio, ubi & sepultus est. Ejus quippe obitum Johannes Iperius collocat ipso anno, quo Carolus contra Chilpericum apud Vinciacum in pago Cameracensi pugnavit. Non multo post ejus excessum, cum meridianæ quietis tempore monasterium incendio conflagraret, ad ejus tumulum flamma quasi victa resedit, nec ulterius progressa est. Monasterium instauravit Gerardus comes, sancto Winnoco impense devotus, qui & Spirliacam ei villam dedit, exstruendo ibidem oratorio: in quo vitreus calix fractus, ad usum sacrificii divina virtute reparatus traditur. Ejus sancti *cambuta* seu baculus pastoralis olim in supplicationibus publicis cum crucibus ac reliquiis deferri solebat. Librum de vita sancti Winnoci scripsit sæculo decimo anonymus auctor, aut potius novo stilo expolivit rogatu Winnobergensium monachorum. Libros de ejus miraculis duos edidit Drogo monachus Winnobergensis, de quo agendum suo loco. Alius fuit Winnochus, sancti Judoci *nepos* dictus in ejus vita, qui una cum Arnocho in patrui, an avunculi, locum successit. Antiquior fuit Winnocus Britto, de quo non semel agit in historia sua Gregorius episcopus. quod notare superfluum videretur, nisi Molanus, vir doctus, hunc cum sancto Winnoco abbate confudisset. Verum tam remotus sanctus noster ætate, quam dissimilis vitæ fuit ab illo Winnoco Brittone, qui ex nimio mero periit. His omnibus alium adde Winnocum presbyterum, a Jona laudatum in libro de vita sancti Columbani abbatis.

Winnoci plures.

XXII. Johannes episcopus Eboracensis locum cedit Wilfrido juniori.

Postquam Johannes Eboracensis antistes triginta-tribus amplius annis ecclesiam suam administraverat, ordinato in sui locum Wilfrido presbytero, ipse consilio sancti Brithuni abbatis secessit in Beverlacense monasterium, ut reliquos vitæ suæ dies meditanda morte transigeret. De Wilfrido juniore ejus successore vix aliud præter nomen ex Bedæ historia discimus. Eum Johannis presbyterum præcise vocat Folcardus monachus vitæ sancti Johannis scriptor: sed longe plura de Wilfrido nos docet anonymus poëta ejus temporis, quem ex codice sancti Theoderici primum [b] protulimus. Fuit quippe Wilfridus ante episcopatum, uti poëta ille testatur, Eboricæ ecclesiæ *vicedomnus & abbas*, gradumque meritis amplissimis ornavit. In primis ecclesiam ornamentis, vasisque sacris instruxit, laminis argenteis altare crucesque decoravit; in summa, opes suas in ornatum ecclesiarum impendit. Nec minor illi cura de erudiendo & augendo grege, quem doctrinæ monitis & illustribus exemplis informabat, egenis manu, ceteris ore & opere prodesse sollicitus. Demum post annos regiminis fere undecim, deposito pastoralis officii onere, decessoris sui plurimorumque aliorum ejus temporis exemplo secessum petiit, contemplativæ deinceps vitæ totum se daturus, variis & inanibus mundi curis penitus abjectis. In ejus locum suc-

a Sæc. 3. Bened. parte 2. p. 560.

cessit Egbertus eximius antistes, non semel nobis commemorandus. Quod Wilfridus vicedominus & abbas Eboracensis ecclesiæ fuisse dicitur, hinc conjicere licet, monachos ibidem, ut in pluribus aliis Britanniæ cathedralibus ecclesiis, exstitisse. Sane *monasterium* vocat Turgotus seu Simeon [a] Dunelmensis, cum ait anno septingentesimo quadragesimo-primo *monasterium in Eboraca civitate* succensum fuisse; & venerabilis Beda ibidem præceptoris officium gessit, ut de se ipse testis est in epistola ad Egbertum. De Johannis secessu ita canit vetus ille poëta.

ANN. CHR. 717.

a Sim. Dunelm. p. 103.

Consenuit postquam præfatus episcopus ille,
Tunc alio juveni sedem concessit honoris,
Atque monasterium devoto c.rde petivit,
Condignamque Deo vitam complevit ibidem.

SI calculus noster de accessu sancti Rudberti episcopi in Bajoariam admittatur, ejus obitus sequenti anno reponendus est. siquidem vir sanctus, designato successore, *inter verba orationis reddidit spiritum in die resurrectionis Domini nostri Jesu-Christi*, testante antiquiori anonymo in ejus vita. Non raro veteres quamlibet diem dominicam vocant diem resurrectionis Domini. verum ipsum diem paschæ hoc loco intelligunt auctores omnes, qui de sancto Rudberto commentarios ediderunt. Si ergo ejus accessus in Bajoariam recte a nobis constitutus est anno superioris sæculi nonagesimo-sexto; cum ex tabulis Saltzburgensibus constet eumdem VI. kalendas Apriles obiisse; ejus certe obitus consignandus est anno septingentesimo decimo-octavo, quo paschalis solemnitas in ipsum diem incidebat. Mendosus est episcoporum Saltzburgensium a sancto Rudberto index apud Hundium, quem emendat veterrimus annorum octingentorum poëta, cujus versus olim a nobis ex codice Ratisponensis monasterii sancti Emmerammi descriptos, & in tomo quarto Analectorum cum aliis editos, huc referre juvat.

ANN. CHR. 718.
XXIII.
S. Rudbertus episcopus moritur.

Dicta Juvavo fuit quondam metropolis ista,
Quam primo fundans HRodbertus rexerat almus.
Post hunc Vitalis antistes rexit eamdem.
Ipsius inde Flobargisus qui est fultus honoris.
Quartus Johannes fuerat sedemque regendo.
Advena Virgilius statuens quam plurima quintus.
Multo plura gerens Arno super omnia sextus.
Septimus hinc successit Adalram pastor opimus,
Tempore namque suo statuens quam plurima pulcre.
Octavus veniens Liuphrammus præsul ovilis,
Officium Domini renovans formosius æque.

Ex hoc indice confirmatur calculus noster de tempore sancti Rudberti adventus in Bajoariam, nempe a principatu Childeberti tertii: quem adventum ut ad Childebertum secundum summoverent Hundius, aliique recentiores; Ansalogum, Savolum, & Ezium post Vitalem episcopos intruserunt, quos tantum abbates monasterii sancti Petri fuisse constat. Ceterum primi Saltzburgenses episcopi, plerique monachi fuere, ut suis locis observatum.

Temporibus Chilperici Francorum regis, testante [b] Frodoardo, Moderamnus seu Moderandus, Redonensis in Armorica episcopus, nobili oriundus prosapia, rege annuente Romam ad limina beatorum apostolorum iter instituens, divertit ad monasterium beati Remigii, positum in suburbio Remensi. Illic *a fratribus ejusdem* loci liberaliter acceptus, a Bernardo sacrorum custode reliquias de stola, cilicio, atque sudario sancti Remigii impetravit. His acceptis, iter inceptum persequens, dum permeat Italiam, in Monte-Bardonum quadam nocte substitit, suspensis ad ilicis ramum reliquiis, quas nulla potuit arte sequenti die recipere, donec missa in monasterio, quod ibidem exstabat, Berceto nomine, celebrata, se partem earumdem reliquiarum illic depositurum pollicitus est. Hoc audito, Liutprandus rex amore ductus sancti Remigii, monasterium Bercetum, quod in honorem sancti Abundii martyris exstructum erat, cum omnibus possessionibus suis, id est mansis octingentis,

XXIV.
Moderamni episcopi Redonensis gesta.

b Frodoard. lib. 1, c. 10.

ANN. CHR. 715.

Moderamno tradidit, dato diplomate, & facta de more sollemni investitura. Moderamnus antem Roma remeans, sancti Remigii sepulcrum denuo adiit, eique Bercetum monasterium subjecit. Deinde ad sedem suam reversus, successorem sibi ordinari curavit, & salute suis impertita, Bercetum repetiit monasterium, ubi reliquum vitæ, *ut servus Dei*, religiose peregit. Ibidem monasticam vitam amplexus est Raduinus, qui postea in sancti Remigii cœnobio floruit Ludovici augusti principatu: quo fere tempore sancti Abundii corpus in monasterium Bercetense translatum est. Moderamnus Berceti obiit XI. kalendas Novembris sub annum septingentesimum tricesimum, ubi miraculis clarus a Ferrario prædicatur. Ex hac Frodoardi narratione contracta colligimus, hoc tempore *fratres* seu monachos in Remensi sancti Remigii basilica exstitisse. quo tempore Ado abbas sancto Remigio donat portionem suam in villa *Altro* * *super fluviolo Altro*, ubi is influit in Bairum * amnem, sita *in pago* » *Vongensi*; itemque *appendicem Crisciaci super fluviolo Bebroprico*. Actum Remis in » mense Aprili, anno quarto regni domni Dagoberti regis. Verum hac de re » plura superius [a], quæ hic repetere nihil juvat. Hic est Ado abbas, qui pontificatu Rigoberti episcopi ecclesiæ sanctæ Mariæ Remensis dedit res suas, sitas in pagi Laudunensis vico, qui dicitur Raosidus *; item matriculæ sancti Remigii res quasdam in pago Tardonensi, in villa Corneciaco constitutas, testante [b] Frodoardo, apud quem *Ado quidam abbas* appellatur, haud dubie non satis ipsi notus. In prædicto Adonis instrumento non integro fratres seu clerici basilicæ sancti Remigii appellantur: quos monachos fuisse infra probabimus.

* Autre.
* Bar.
a Supra n. 5.
* Rosby.
b Frodoard. lib. 2. c. 13.

XXV. Erlefrido abbati Sithiensi succedit Erkembodus.

Hoc eodem anno Erlefridus abbas Sithiensis jam locum fecerat Erkembodo, ut patet ex diplomate Chilperici regis, quo immunitatem confirmat ab antecessoribus suis regibus, nempe Chlodoveo avo, Chlodochario & Theoderico avunculis, id est patruis, & Childerico genitore suo, atque a consobrinis Chlodoveo & Childeberto concessam. Datum anno regni ejus tertio. Exstat hoc privilegium in libro sexto [c] de re diplomatica, cum aliis duobus a Theoderico rege eidem Erkembodo concessis, quorum unum est ejusdem ac superius argumenti; altero continetur privilegium de omnibus terris, quas domnus Bertinus a præcedentibus regibus de fisco emerat, in primis a Theoderico rege, quem Theodericus iste Calensis *tritavum* suum vocat, quem proavum dicere debuerat. qua de re consule Cointii [d] tomum quartum. Datum est hoc posterius diploma die decima Novembris, anno primo regni Theoderici in castro Confelentis. Conradus jussus recognovit. Ex superiori porro Chilperici diplomate confirmatur id, quod jam antea probavimus, Childericum genitorem ejus fuisse: ut nemini hac de re in posterum legitima suspicio suboriri possit.

c Diplom. p. 608.
d Annal. Franc. an. 721. n. 48.

XXVI. Winfridus Romam petit.

Autumno hujus anni jam adulto, Winfridus, is qui postea Bonifacius dictus est, ex insula Britannia solvit, Romam profecturus, ut a Gregorio secundo prædicandi in Germania verbi Dei facultatem obtineret. Discedenti Daniel, Wentanus apud occidentales Saxones episcopus, binas litteras commendatitias dedit, unas *involutas* seu clausas ad Gregorium papam; alteras encyclicas, universis regibus, ducibus, episcopis, abbatibus, presbyteris, ceterisque fidelibus inscriptas, quibus, proposito Abrahæ & Loth exemplo, eos hortatur, ut religiosum presbyterum, Deique omnipotentis famulum Winfrithum ea qua par est caritate cum suis excipiant, divinæ promissionis oraculo & cælesti mercede confisi. Exstat hæc epistola inter Bonifacianas, ordine tertia: quæ vero papæ Gregorio directa erat, desideratur. His litteris instructus Winfridus, ex Lundoniæ portu in oceanum scapha delatus, dein navi conscensa Quentavicum appulit, ibique itineris sui socios exspectavit. Tum, omnibus coadunatis, multas Galliarum ecclesias, sanctorum reliquiis illustres, orationis causa perlustrant, ut iter suum Deo commendarent. Romam tandem ingressi, sancti Petri basilicam adeunt, peccatorum suorum veniam postulaturi, & varia eidem basilicæ munera offerunt. Paucis post diebus Gregorium pontificem convenit Winfridus, suique itineris causam ei aperit, datis eidem litteris, quas Daniel episcopus pontifici scripserat. His lectis Winfridum benigne accepit pontifex, eumque sæpius ad colloquium suum admisit, dum tempus profectioni opportunum adesset.

ANN. CHR. 719.

XXVII. A Gregorio papa in Germaniam mittitur.

MAio proximo appetente, benedictione a pontifice accepta, Winfridus in Germaniam dirigitur cum litteris pontificiis, *Bonifacio religioso presbytero* inscriptis, quas Hadrianus Valesius ait se pro suspectis habiturum fuisse, nisi ex Zachariæ pa-

AN. CHR. 719.

pæ ad ipsum Bonifacium epistola eis accederet auctoritas. Cur enim, inquit, Gregorius præsenti, & ipsum per se se consulenti scripsit, ac non potius litteras commendatitias ad proceres abeunti dedit? Verum responsio proclivis est, nempe ut ostensis papæ litteris, ejus missioni fides adhiberetur. Hic observare licet, litteras illas non Winfrido, sed Bonifacio inscriptas esse. quod argumento est, tum Winfrido nomen a pontifice mutatum fuisse, dictumque Bonifacium, ominoso sane nomine, cujus præsagium rerum subsequentium eventus confirmavit. Epistola hæc data est idibus Maii, anno tertio imperii domni Leonis augusti, indictione secunda, hoc est anno Christi septingentesimo undevicesimo, in qua scribit exigere pium ejus propositum, fidemque sinceram mereri, ut ad prædicandum verbum Dei eo adjutore uteretur, quippe qui sacras ab infantia litteras didicisset, & ad augendum, aliisque impendendum talentum sibi creditum promtior & expeditior esset. Proinde se præcipere auctoritate beati Petri Apostolorum principis, ad quem, tamquam ad caput ecclesiæ, accesserat, ut gentes idolorum cultui etiam tum deditas, quascumque adire potuerit, fidem christianam edoceat, catechumenosque ritu Romano christianis sacris initiet, id est secundum *formulam officiorum sanctæ sedis apostolicæ*. His litteris acceptis, Bonifacius primo quidem adiit Liutprandum Langobardorum regem, a quo benigne acceptus est; tum transscensis alpibus, Bajoariæ ac Germaniæ populos perlustravit: deinde in Turingiam accessit, ubi aliquamdiu moratus est, gentis mores exploraturus, ubi omnes illius provinciæ principes ad veræ fidei tramitem, sacerdotesque sceleribus deditos ad meliorem frugem revocavit.

XXVIII. Radbodo mortuo Frisiis prædicat.

Cum inde in Franciam accessisset, audita Radbodi ducis morte in Frisiam se contulit, ut gentem illam, prædicationis evangelicæ avidam, verbi Dei pabulo, quod olim tentaverat, tandem reficeret. Ejus desiderium ac votum spontaneus secutus est effectus, favente in primis Carolo principe, cujus imperium in Frisios ex ducis interitu confirmatum est. Sic illis in partibus adjutor factus est Willibrordi sanctissimi præsulis, qui jam dudum illic eidem operi strenuam navaverat operam; eversisque idolorum fanis, & ecclesiis eorum loco exstructis, non parvum Domino populum acquisiit. Ad id tempus referenda est Buggæ epistola ad Bonifacium, inter Bonifacianas tricesima-quinta, cujus hæc inscriptio est, *Venerando Dei famulo, & plurimis spiritalium charismatum ornamentis prædito Bonifacio seu Vvinfredo, dignissimo Dei presbytero.* quo ex titulo intelligitur id, quod mox dicebamus, Winfrido nomen aliud Bonifacii ante episcopalem ordinationem a pontifice impositum fuisse. Hac epistola Bugga ei gratulatur, gratiasque Deo agit, quod ipsum, per ignotos pagos transeuntem, piissime conduxerit, prout ex scriptione suæ beatitudinis ipsa cognoverat. Deinde quod pontificem gloriosæ sedis, id est Romanæ, ad animi ipsius desiderium explendum inclinaverit. Ad hæc, quod inimicum catholicæ ecclesiæ Rathbodum coram ipso prostraverit. Denique quod per somnium ipsi revelatum sit, eum multam Dei messem in illis partibus messurum, & sanctarum animarum manipulos in horreum Regis cælestis congregaturum. Addit se passiones martyrum, quas ille sibi transmitti petierat, adhuc minime potuisse impetrare; sed quam primum liceret, id ex secuturam. Hæc vero vicissim ab eo postulat tum collectiones sanctarum scripturarum, quas ille sibi promiserat; tum sanctarum missarum oblationes pro anima cujusdam propinqui sui carissimi, nuper defuncti. In fine ait, se eidem transmittere quinquaginta solidos & pallium altaris, majora munuscula dare cupiens, si facultas sibi adfuisset. Hæc sine dubio est Bugga abbatissa, ad quam duæ exstant Bonifacii epistolæ, nempe secunda & vicesima. sed neutra est illa, ad quam hæc Buggæ epistola respondet. An autem eadem sit Heaburg seu Bugga abbatissa, quæ una cum Eangitha matre, iisdemque abbatissa eidem Bonifacio scripsit epistolam tricesimam-octavam, quamquam id veri simile videtur, definire non ausim. Plura de Bugga alias. Ex hac vero epistola intelligimus, quibus rebus animum occuparet sanctissimus ille verbi Dei præco, nempe lectione sacrarum scripturarum, & passionum sanctorum martyrum, quorum exemplo ipse ad subeundum martyrium divinitus erudiebatur. Hinc in epistola vicesima-octava Eadburgam abbatissam rogat, ut ipsi *cum auro* describi curet per Eobanum presbyterum, a se ejus rei causa missum, epistolas domini sui Petri apostoli, eas semper ob oculos habere cupiens, & exponere ante oculos carnalium in prædicando. Certe etiam nunc in sacrario Fuldensi asservatur codex sancti Pauli apostoli continens epistolas, quem codicem secum ipse habebat Bonifacius, cum martyrio affectus est.

ANN. CHR. 719.
XXIX.
Suessionica pugna.

Post pugnam Vinciacensem Carolus victor Chilpericum regem & Ragenfredum majorem-domus necdum plene debellatos videns, eos persequi porro instituit, objectoque novo rege Chlothario, quem Theoderici tertii filium, fratrem Chlodovei tertii ac Childeberti itidem tertii tradunt, de summa rerum cum adversariis confligendum curavit. Eo animo, collectis ex universa Austria ingentibus copiis, Remos accedit, urbisque portas sibi referari petiit. Negavit Rigobertus episcopus, qui tum supra portam Basilicarem versabatur. Neganti Carolus minas intentat, ac Suessionas exercitum promovet. Occurrit ex adverso Chilpericus cum Ragenfredo, conjunctis Eudonis Aquitaniæ ducis viribus, quas hic ex tota Aquitania contraxerat. Victis Neustrasiis & Aquitanis, & in fugam conversis, Chilpericus cum Eudone in Aquitaniam magnis itineribus, Ragenfredus in urbem Andecavorum se recipit. Tunc contigisse videtur id, quod Fontanellensis chronographus post pugnam Vinciacensem commemorat, Ragenfredum fugiendo devenisse in villam Fontanellensium Noviomum, usumque equo Wandonis abbatis, quem postea ob eam causam Carolus in castrum Trajectum ad Rhenum relegaverit, ubi exsul mansit ad mortem usque Caroli principis, quo mortuo Fontanellam reversus, monasterii regimen denuo recepit. Carolus Cointius existimat eum potius Trajectum * ad Mosam relegatum fuisse, propter ea quod ab exsilio revertens, Fontanellam retulisse dicitur reliquias sancti Servatii Tungrorum episcopi, ad quos Trajectum ad Mosam pertinebat. Favet huic conjecturæ ipse chronographus Fontanellensis, in capite undecimo, quod duodecimum censeri debet, ubi Wando exsul fuisse dicitur in castro Trajecto, in monasterio videlicet beati Servatii confessoris Christi. quod de Trajecto ad Mosam sine dubio intelligendum est.

Wando abbas Fontanellensis exsulat.
* *Utrecht.*
* *Mastrich.*

XXX.
Cælestinus item abbas Blandiniensis.
* *Ronay.*

Post eamdem Suessionicam pugnam accidit, Cælestinum Scottum, Blandiniensis apud Gandavum monasterii abbatem, virum sanctum & innocentem, a Carolo in exsilium mitti in monasterium Rotnacum * pagi Tornacensis, insimulatum, quod Ragenfredi partibus favisset, & ad eum litteras scripsisset adversus Carolum: qui Cælestini exsilio haud contentus, monasterii villas suis divisisse fertur, ex quo factum sit, ut monachi egentes ac palabundi sine pastore in diversa abierint. Cælestinus obiisse creditur XVI. kalendas Junii in monasterio Rotnacensi, quod modo collegium est canonicorum sæcularium: nec dubito quin idem sit sanctus Cælestinus, quem Rotnacenses pro martyre habent, tametsi Cælestinum papam ipsi malint, qui martyr non fuit. Post multos deinde annos monachi, ad sua reversi, Scoranum abbatem elegisse perhibentur.

XXXI.
Hadulfus abbas fit episcopus Atrebatensis.

Sub idem tempus Hadulfus abbas Nobiliacensis apud Atrebatas, id est monasterii sancti Vedasti, mortuo Hunoldo episcopo, promotus est ad sedem Atrebatensem, eamque tenuit ad annum septingentesimum duodetricesimum, quo anno ad cælum migravit XIV. kalendas Junii. Annum hunc ejus obitus signant veteres Francorum annales, non expresso passim ejus sedis nomine: quod argumento est eum per ea tempora celebrem extitisse. Sepultus fuit in ecclesia beati Petri vir sanctus, quem miraculis illustratum Engrannus, ex-abbate Corbeiensi Cameracensis episcopus, paullo post medium sæculum decimum e tumulo extulit, eumque sanctorum numero pro more illius temporis adscriptum declaravit, testante Balderico * in chronico Cameracensi. Nobiliacensis monasterii regimen episcopus retinuisse dicitur, nec nisi post ejus obitum Madelbertus abbas electus fuisse: cujus successores recensentur, Ragenfridus, Gogislenus, Adalricus, Sigibertus, Radfridus, & Rado Caroli Magni cancellarius, qui Vedastinum monasterium magnopere decoravit. At post Gogislenum chronographus Fontanellensis substituit Widonem & Romanum, in vulgatis indicibus omissos: ex quibus Romanus annos dumtaxat tres abbas fuisse dicitur. In libro de miraculis sancti Vedasti temporibus Pippini & Carolomanni principum celebratur Adalricus ejusdem monasterii abbas, *qui fuit probatissimus illis temporibus medicus*: quo abbate Theutbaldus, Atrebatensis provinciæ comes, hortum quemdam a Carolomanno concessum monasterio subripere tentavit, sed brevi restituere coactus est.

* *Balderic. lib. 1. c. 16.*

Vedastini abbates.

ANN. CHR. 720.
XXXII.
Gregorii secundi studium in rem monasticam.

JAm tandem post longa temporum intervalla revertendum est ad sacrum montem Casinatem, ex quo exeisi sumus, ubi incensi jam pridem monasterii cineres ac reliquias, atque intermortuum sanctissimi patris Benedicti spiritum Gregorius papa

ANN. CHR. 720.

secundus excitari curavit per Petronacem, quem, veluti alterum Esdram, templi ac sanctæ ibidem legis instauratorem merito agnoscere possumus. Jam multa dederat pontifex suæ in rem monasticam propensionis haud dubia in urbe argumenta. Is nempe, teste Anastasio, monasteria, quæ circa sancti Pauli basilicam erant pæne ad solitudinem redacta, instauravit, monachorum cœtu ibidem restituto, qui die ac nocte divinas laudes frequentarent. Ad hæc in *gerontocomio*, seu diversorio senum, pone absidam sanctæ Dei genitricis ad Præsepe monasterium instituit, ut ejus loci monachi in illa basilica singulis diebus ac noctibus Deo laudes concinerent cum monachis cœnobii sancti Andreæ, Barbaræ nuncupati, quod itidem restituit. Denique mortua genitrice sua, re ac nomine Honesta, domum propriam in monasterium convertit sub invocatione sanctæ Agathæ martyris, cui prædia urbana & rustica in usum monachorum liberaliter assignavit.

Casinas monasterium instauratur per Petronacem.

Hoc pontifice Petronax, nobilis Brixiensis, divino amore ductus Romam venit, non alio forte animo, quam ut sacra urbis loca veneraretur. Verum alia erant divinæ providentiæ consilia. nam ubi ad salutandum pontificem venit, Gregorius probata ejus religione ipsi auctor fuit, Casinum montem ut adiret, & quod forte exstruendi alicubi novi monasterii consilium agitabat animo, ibidem exsequeretur. Nec mora ille Casinum castrum petit, incertum an jam monachus, qui a Paulo Warnefridi tantum *civis Brixianæ urbis* dicitur: *ad sacrum corpus beati patris Benedicti*, id est ad ejus tumulum, in quo cineres sacri adhuc forte reliqui erant, pervenit. Ibi aliquot simplices viros residentes, seu anachoretas, reperit, qui ipsum sibi rectorem præfecerunt. Petronacis in sacrum montem accessus contigit ante hoc biennium, si bene calculos subduximus, id est anno septingentesimo decimo-octavo, cum anni circiter centum quadraginta ab incenso per Langobardos monasterio effluxissent. Non post multum temporis, (quod hoc anno septingentesimo vicesimo factum credimus,) favente Deo, & suffragantibus sancti patris Benedicti meritis, regulares ædes cum ecclesia in eum statum restitutæ sunt, ut sacer ille locus, qui hactenus a clade Langobardorum *habitatione hominum destitutus erat*, monachorum congregationem haud modicam posset capere. Non multi tamen illic monachi erant, cum eo accessit sanctus Willibaldus, qui, ut sanctimonialis ejus consanguinea scribit, nonnisi paucos ibi reperit monachos, & abbatem, nomine Petronacem. Hic brevi multorum monachorum, testante Paulo, nobilium & mediocrium ad se concurrentium, pater effectus, *sub sancta regulæ jugo & beati Benedicti institutione* vivere cœpit, & in augustiorem forte, quam tempore sancti patris Benedicti, statum locum illum extulit. ut sacra illa domus se quodam modo gauderet olim corruisse, auctior ejus, aliorumque subsequentium beneficiis. Mirum dictu, inquit cardinalis [a] Baronius, « quanta mox ex nova plantatione Petronacis fuerint propagata eo in loco germina « monachorum, & aucta ipsorum examina, instar apum, quæ ex turgescentibus alveariis prodeuntes, in diversa loca ad fetus multiplicationem volaverint. Sed & illud « secure, absque trepidatione mendacii asseri jure potest, nullum umquam toto christiano orbe exstitisse aliquando monasterium, ex quo tot viri sanctitate conspicui « atque doctrina, tanta numerositate ad regimen sanctæ apostolicæ sedis adsciti fuerint: ut plane dici possit, fuisse idem aliquando seminarium sacrorum antistitum, prout « quæ suo loco dicturi sumus, manifeste docebunt. Hactenus illustrissimus annalista. «

a Baron. an. 716.

Duplex Casini monasterium ab eo exstructum: unum in monte ipso, ubi tempore sancti Benedicti steterat: alterum prope Casinum castrum ad radices montis, eo in loco, ubi opidum sancti Germani hodie quoque cum ipso monasterio cernitur, olim civitas [b] sancti Petri dicta. Ex veteri illo monasterio sancti Benedicti sola turris restabat, etiam nunc superstes, ubi pleraque sancti patris miracula patrata superius [c] observavimus. In ipsa turre omni anno, ut in veteri codice legitur, in « sancti.... (an Benedicti festo) *faciebant officium Græci & Latini*, sicut præceperat « Petronax abbas Casinensis. Hinc dubium suboritur, an monachi Græci ab eo instituti fuerint in inferiori monasterio; an mista in superiori ex Græcis Latinisque congregatio fuerit; an denique Græci illi monachi ex vicino quopiam monasterio acciti fuerint ad celebrandum ejusmodi officium. Consimile factum legimus in libro de vita sancti Nili junioris, qui e suo fugatus monasterio, cum suis sexaginta numero, Casinum accessit sub finem sæculi decimi, Aligerno abbate, a quo eidem concessum fuit ad habitandum sancti Michaelis monasterium, quod ejus vitæ scriptor

b Chron. Casin lib. 1 c. 32.

c Lib. 4. n. 10.

ANN. CHR. 720.

Vallelucium vocat; rogatusque a præposito & fratribus Casinatibus, ascendebat cum omnibus suis in maximum monasterium Casinense, ibique græco sermone officium canebat. Verum ad ritum illum Petronacis id propius accedit, quod apud Leonem Marsicanum legitur [a] de concursu monachorum utriusque cœnobii feria tertia post pascha in ecclesiam sancti Petri parœcialem urbis sancti Petri, modo sancti Germani: ubi missam celebrabant ***cum cantu promiscuo, græco, ac latino, usque ad completum evangelium.*** Hæc ***grandis festivitas*** erat apud Casinates jam tempore Theodemari abbatis, ut fidem facit ejus epistola ad Carolum Magnum: nec forte alia fuerit illa sollemnitas, quam Petronax cum cantu illo promiscuo instituisse dicitur.

[a] *Chron. Casin. lib. 1. c 32.*

XXXIII. Lateranenses monachi an Casinum reversi.


Leo Marsicanus, monachus Casinas & cardinalis, agens de hac instauratione, quam hoc anno septingentesimo vicesimo factam scribit, quædam addit ad Pauli Warnefridi narrationem. Paulus ait, Petronacem, civem Brixiensem, Romam ve-
» nisse pontificatu Gregorii, cujus hortatu Casinum castrum petierit, ubi cum aliqui-
» bus simplicibus viris, jam ante illic residentibus, habitare cœpit, qui eum sibi *se-*
» *niorem*, id est abbatem, statuerunt. Illic vero Petronacem brevi post tempore, evo-
» lutis fere centum & decem annis, ex quo locus ille habitatione hominum destitutus
» erat, multorum ibi monachorum sub sanctæ Regulæ jugo patrem exstitisse: cui Za-
» charias papa multum adjutorii contulerit. Leo Marsicanus addit, Gregorium pa-
» pam ***aliquantos de Lateranensi congregatione fratres*** cum Petronace direxisse Casi-
» num, & nonnulla illi alia adjutoria contulisse. Petronacem vero, tam cum illis, qui
» secum venerant, quam cum aliquot simplicibus viris, quos inibi jam dudum rese-
» disse reperit, habitare cœpisse anno septingentesimo vicesimo. Hoc loco adductus Angelus de Nuce fatetur, Petronacem a Gregorio secundo missum: at monachos ex Lateranensi congregatione accepisse putat a Gregorio tertio, qui monasterium Lateranense, ac monachorum inibi congregationem restituit, auctore Anastasio,
» qui ait, monasterium sanctorum Johannis evangelistæ, Johannis Baptistæ, & sancti
» Pancratii, secus ecclesiam Salvatoris antiquitus institutum, quod ordine monachico
» ex incuria omnino destitutum erat, renovatum fuisse a Gregorio tertio, eidemque
» ab eodem prædia & dona collata, & alienata reddito pretio restituta: ubi & con-
» gregationem monachorum & abbatem constituerit ad persolvenda quotidie sacra of-
» ficia laudis divinæ in basilica Lateranensi. Verum Anastasius sic videtur interpretandus, ut prædictum monasterium Lateranense, quod ipsum esse existimant, ubi Casinates monachi post eversionem cœnobii sui coustiterint, tum cœtu monachorum omnino destitutum fuerit; propterea quod monachi, qui vix ac ne vix quidem illic ob alienata prædia vitam utcumque sustentare puterant, cum Petronace Casinum remigrassent: at Gregorins tertius monachorum congregationem in illo Lateranensi monasterio, collatis restitutisque prædiis, denuo collocaverit. Addit insuper Leo Marsicanus, Petronacem sexdecim fere cubitis auxisse sancti Martini ecclesiam, quam parvulam reperit, & in abside a se exstructa statuisse altare in hono-
» rem beatæ Mariæ & sanctorum martyrum Faustini & Jovitæ, in quo brachium unius
» illorum, quod secum Brexia asportaverat, decenter recondidisse. quod brachium etiam nunc servant nostri Casinates. Ad hæc sancti patris Benedicti cineres, quos in ejus tumulo reliquos, translatis in Galliam ossibus, colligere potuerunt primi illi Casinates, in loculo repositos studiose ac devote asservarunt, ***donec nuper***, ait Notkerus monachus [b] in martyrologio, ***infestatione Sarracenorum in omnem ventum dispersi sunt.*** Hinc est quod Paulus Warnefridi, qui translationem sancti Benedicti corporis in Galliam, uti & Notketus, agnoscit, ait nihilo minus Petronacem pervenisse Casinum ***ad corpus sancti patris Benedicti***, id est ad ejus cineres, qui ex deflu-
» xa carne ibidem reliqui erant. Denique Leo Marsicanus auctor est, Paldonem, Ta-
» sonem, & Tatonem germanos fratres, qui ante quindecim circiter annos monas-
» terium sancti Vincentii ad Vulturnum construxerant, Petronaci ad restaurationem
» loci Casinatis plurimum adjumenti contulisse.


[b] *Notker. 5. id Julii.*

XXXIV. Paldo abbas S. Vincentii obit.

Atqui hoc ipso anno Paldo, abbas cœnobii sancti Vincentii primus, præsentis vitæ finem fecit v. idus Octobris, testante Ambrosio Autperto, ejus vitæ scriptore subæquali, qui nonnisi annos præfecturæ tredecim Paldoni tribuit, nempe ab anno septingentesimo septimo, quo sacri cœnobii sancti Vincentii regimen iniisse dicitur. Verum Leo ita cum Autperto conciliari potest, ut is calculum duxerit ab inchoato

sancti


To. 2.. Annal
1 Scala lignea qua in hortum descenditur.
2 Atrium cum Cisterna et porticus ab ingressu 2.ae januae
3 Peristylium cum Cisterna ante templum.
4 Templum
5 Sacrarium.
6 Conclave Sacrae Supellectilis.
7 Turris Campanilis.
8 Cubicula artificum, subtus vero Agasonum, & Stabula.
9 Hortus Novitiorum.
10 Hospitale pauperum peregrinorum, Sub quo officinae ejusdem.
11 Hospitium peregrinorum, Sub quo alia cubicula pro eisdem.
12 Atrium & porticus ante hospitium peregrinorum
13 Ambulacrum subdiale, vulgo paradisus.
14 Atrium et porticus ante hospitium Nobilium
15 Hospitium Nobilium, sub quo Valetudinarium.
16 Ianua prima Monastery.
17 Triclinium magnum, subquo Cella vinaria.
18 Atrium et porticus prope Archivum
19 Triclinium parvum.
20 Culina.
21 Cubicula prohospitibus.
22 Gymnasium
23 Cubiculum P. Lectoris S.tae Theologiae.
24 Cubicula Monachorum.
25 Dormitorium Tyrocinij.
26 Capitulum.
27 Bibliotheca.
28 Aula calefactoria
29 Atrium cum cisterna.
30 Xystus.
31 Scala vel gradus
7
27
28
24
24
24
Archang
D. Hilar. Champion. delin.


To. 2.
Civitas S.ti Germani.
1. Arx.
2. Ecclesia olim titulo S.ti Salvatoris, nunc S.ti Germani Collegialis.
3. Hospitium Monachorum.
4. Seminarium puerorum diœcesis Casinensis
5. Ecclesia et monasterium S.tæ Scholasticæ.
6. Ecclesia et conventus P.P. Prædicatorum.
7. Ecclesia et conventus P.P. Conventualium.
8. Porta Neapolitana
9. Villa Marci Varonis, ad quam procul ille a curis Romanis, Solatij causâ interdum Roma veniebat.
10. Porta Romana.
11. Ecclesia et Conventus P.P. Capucinorum.
12. Ecclesia S.S. Crucifixi.
13. Fons e monte Scaturiens.
14. Amphitheatrum.
15. Theatrum.
16. Balnea antiqua.
17. Thermæ antiquæ.
18. Ascensus ad montem.
19. Sacellum S.tæ Crucis, ubi Saxum cum impressione coxæ et cruris Iumenti dum ei S.P. Benedictus insideret.
20. Ædicula S.ti Severi.
21. Crux lignea juxta quam Saxum cum impressione genu S.P. Benedicti
22. Ecclesia S.tæ Agathæ.
D. Hilar. Champion delin.

ANN. CHR. 720.

Taso ejus successor.

sancti Vincentii monasterio : Autpertus vero Paldonis præfecturæ initium ab eodem absolutio deduxerit. Certe idem Autpertus septemdecim ei regiminis annos in versibus tribuit : qui, ut sibi ipse constare possit, numerandi sunt ab anno septingentesimo tertio, inchoati monasterii fortasse primo. Paldoni successit in sancto regimine Taso germanus ejus, minor quidem annis, at ceteris in sancto proposito ferventior. Is nimium fortasse innatæ severitati indulgens, ita discipulorum, qui ipsius districtionem assequi non valebant, animos exasperavit, ut fratrem ejus natu majorem loco ejus constituerint. Verum, hujus discidii relatione ad summum pontificem missa, Gregorius secundus factum improbat, monachos contra canones peccasse arguit, eisdemque rigidam imponit pœnitentiam, quam vix, *obsistente æris ardore*, perficere potuerunt. Verum Deus nequaquam hac placatus pœnitentia, abbatem ipse etiam ultus est, inflicta mortis sententia in rebelles, ex quibus nullus fere superfuit, abbate ipso paullo post subsecuto. quod se idcirco scribere ait Autpertus, ut a tali deinceps seditione & pastor, & grex, alieni exsistant : qui, licet pastorem ex « zeli fervore errasse non diffiteatur; non tamen seditiosos excusat, etsi damnare non » audeat, utpote quos pœnitere incipientes mors intercepit. incertum putans, utrum « eos hæc judicii pontificii sententia reatus crimine expurgaverit; an *purgatoris ignis* « post mortem supplicio fuerint absoluti. »

XXXV. Casinatis monasterii descriptio & status.

Redeo ad Casinense monasterium, cujus notitiam etsi in superiori tomo jam præmisi, hic tamen paullo accuratiorem hodierni status descriptionem hoc loco exhibere lubet. Mons Casinus in duos scinditur vertices, ceu geminos montes : unum eminentiorem ad septemtrionem, cui Caïrus vocabulum, ubi nulla ædificia; alterum paullo depressiorem, Casinum dictum, in quo monasterium positum est. Sed quoniam hujus montis fastigium angustius erat, quam ut omnes regulares ædes posset capere; monasterium totum in triplici planitie, triplicique concameratione constituere visum est. Ad hunc montem ad tria fere millia per sinuosos tramites patet ascensus. Ubi ad primam portam perveneris, occurrit subobscurus fornix, ex quo quadraginta gradibus ascenditur ad primam aream, quadraris stratam lapidibus, porticibusque ornatam. Inde in basilicæ atrium, columnis & statuis insigne, per totidem fere gradus, ac demum in ipsam basilicam subitur. In hac quadriporticu exstant statuæ summorum pontificum & episcoporum, e Casinate monasterio eductorum : tum ex una parte ecclesiastici, ex alia sæculares benefactores. Ad portam ecclesiæ uterque parens sancti Benedicti exhibetur cum columna ex lapide serpentino, cui impositum fuisse tradunt Apollinis simulacrum, quod comminuit beatissimus Pater. Ecclesia, ut in loco angusto, ampla & eximia; cujus bipatentes portæ majoris valvæ ex ære, in quibus universas Casinatium possessiones Desiderius abbas, is, qui postea Victor III. dictus est, litteris argenteis describi curavit. Ex utroque navis latere octo sunt omnino sacella cum suis convexis hemisphæriis. Chorus navi supereminet pone majus altare, ab Alexandro II. consecratum. Hinc Vidi Feramoscæ, inde Petri Medicei mausolea. Sub principe ara & choro jacet crypta cum ara sancti Benedicti, duabusque aliis, sancto Placido & sancto Mauro nuncupatis. Ibidem sella pertusa ex porphyriride visitur, forte balnearia, cujus generis sellam veteres *folium* appellabant. Ad dextram ecclesiæ, qua meridiem spectat, consistunt regulares ædes; capitulum cum adjuncta bibliotheca, atrium seu claustrum, eique adhærens refectorium : dormitoria, ædes abbatis & hospitum nobilium, desinentes in turrim, eam ipsam, ut creditur, quam sanctus Benedictus inhabitavit, insigni oratorio & picturis exquisitissimis ornatam. Ad frontem ecclesiæ exstat dormitorium novitiorum : cui adhæret sanctæ Annæ ædicula, in qua monachorum conditorium est. Ad sinistram ecclesiæ partem habetur vetus sancti Martini ædicula, in qua sepeliuntur pauperes peregrini, quorum hospitium & nosocomium ex eadem parte ad primum atrium conspiciuntur. Hæc de recentiori monasterii statu. Ad radices montis situm est opidum sancti Germani cum altero monasterio & palatio abbatiali : nec multum procul antiqua Casini civitas cum reliquiis veteris amphitheatri. Hæc omnia hoc loco exhibere juvat in æs incisa ad egregia specimina, quæ summa diligentia, nec modico sumtu nobis procuravit admodum reverendus pater domnus Erasmus a Caïeta bibliothecarius ac prior sacri monasterii Casinensis, amicus noster cordatissimus. Ex hoc diverticulo ad ordinem redeo.

XXXVI. S. Hermenlandi abbatis Antrensis obitus.

In Armorica tum florebat Hermenlandus Antrensis abbas, cujus obitum ipso

ANN. CHR. 720.

anno septingentesimo vicesimo contigisse videtur. Post annos aliquot, quam is, abdicato regimine, se in privatam cellulam ad sancti Leodegarii oratorium recluserat, eum ad eximium perfectionis gradum pervenisset emeritus senex, prænuntiato discipulis mortis suæ die, se ipse dominici corporis sanguinisque sacramento munivit, ac tandem placida morte, quasi in somnum resolutus, inter orandum obdormivit VIII. kalendas Aprilis. quo die in Usuardi & Adonis martyrologiis ejus memoria celebratur, ejusque conversatio miraculorum conlaudatur præconio. Sacrum ejus corpus in basilica sancti Pauli apostoli, juxta oratorium sancti Wandregisili, in abside meridiana sepultum, post aliquot annos, revelatione facta Sadreverto ejusdem loci monacho, translatum est in principem sancti Petri basilicam a Davide abbate, nescio an successore Donati abbatis, quem post interitum Adalfredi Hermenlandus abbatem designaverat. Excisum est a Normannis Antrense monasterium, monachis cæsis aut fugatis.

S. Menelei abbatis Menatensis.

Circiter idem tempus etiam mortem subiit sanctus Meneleus abbas Menatensis, qui terminum vitæ imminentem præsagiens, discipulos convocavit, eosque ad servandam pacem & caritatem hortatus est. Sub hæc Genesius comes Arvernensis ex villa Combronita istuc accedens, eidem castrum Montem-Maurum, inter fluvium Sivolis & Circiarum amnem positum, sponte donavit. Sancti Menelei obitus in martyrologio Usuardi notatur XI. kalendas Augusti. Ei successit Savinianus in regimine monasterii Menatensis, quod hactenus subsistit sub ordine ac regula sancti Benedicti. Menelei vita scripta est duobus libris ab auctore anonymo parum accurato, cujus ætas, uti & nomen, ignoratur.

XXXVII. Item S. Odiliæ abbatissæ Hoemburgensis.

Nec certiora nobis argumenta suppetunt de tempore obitus sanctæ Odiliæ seu Othiliæ virginis & abbatissæ Hoëmburgensis, quam tempore sanctorum Hildulfi & Deodati episcoporum natam, ac sacro fonte renatam fuisse superius diximus. Morti proxima ad sancti Johannis Baptistæ ecclesiam perrexit, convocatisque sororibus dilectionem Dei commendavit, easque, ut tam pro se, quam pro patre suo & ceteris Deum sedulo precarentur, obtestata est. Dimissæ ab ea sorores in oratorium ad psalmodiam celebrandam, cum postea rediissent, eam fere exanimem invenerunt. At spiritu resumto, *calicem, in quo dominicum corpus cum sanguine habebatur*, sibi afferri jussit, eoque propriis manibus accepto, animam exhalavit idibus Decembris. quo die in kalendario psalterii Hemmæ reginæ fit commemoratio *sanctæ Odiliæ virginis. Ipse autem calix*, ait anonymus ejus vitæ scriptor, *in eodem monasterio, ob in memoriam illius venerabilis facti, eatenus permanet.* Odiliæ corpus in ipsa ecclesia sepulturæ traditum est ante altare sancti Johannis Baptistæ. Eidem in monasterii regimine successit Eugenia ejus neptis. Fuit & alia sæculo undecimo Odilia *abbatissa ancillarum Dei in monte sanctæ Odiliæ*, Herimanni comitis & Mathildis filia, quæ aliquando profecta Virdunum, ut diem paschæ cum parentibus & propinquis celebraret, prænuntiato sibi per beatum Richardum abbatem inopinati obitus die, in cinere & cilicio exspiravit in monasterio sancti Vitoni, ibidemque sabbato-sancto sepulta est in claustro monasterii, ut tradit Hugo abbas Flaviniacensis. Jam eo tempore sanctimonialibus successerant canonicæ, aut potius illæ in canonicas degeneraverant, retenta nihilo minus regula Benedictina, cujus collapsam disciplinam Rechilindis abbatissa, e cœnobio Bergensi diœcesis Eistatensis evocata, sub medium sæculum duodecimum restituit. Huic successit Herradis abbatissa, quæ latina lingua Hortum deliciarum (sic librum ipsius vocant) scripsisse traditur, ac Montis-sanctæ-Odiliæ virginibus dicasse. Subsequenti sæculo vivebat Richerius monachus Senoniensis : apud quem Odilia *claustrum sanctimonalium ordinis sancti Benedicti in castro Hoemborch auxilio & voluntate patris instruxisse* memoratur. Nunc locum occupant, ut jam dixi, canonici Præmonstratenses strictioris disciplinæ.

XXXVIII. Attala abbatissa Argentoratensis.

Hoc ipso tempore Argentoratense sancti Stephani monasterium regebat Attala, filia ducis Adalberti Odiliæ fratris, qui hoc cœnobium inter rudera veteris Argentorati exstruxerat. Is sagittæ ictu interiisse dicitur, tresque filios reliquisse, Liutwinum, paterni ducatus successorem; Masonem, cognominis auctorem monasterii, & Eberhardum conditorem cœnobii Murbacensis; ad hæc filias quinque, Eugeniam, Attalam seu Ataliam, Gutlindem, Savinam, & Liutgardem : ex quibus Attala, ut mox dicebamus, prima fuit abbatissa parthenonis sancti Stephani apud Argentoratum; Eugenia vero & Gutlindis sub Odiliæ amitæ suæ disciplina religiosam vitam

ANN. CHR. 720.

duxerunt in monasterio Hoemburgensi ; ubi ipsa pariter Attala educata fuerat. Hæc in vetustis kalendariis & breviariis colitur III. nonas Decembris : quo die in Monasteriensi sancti Gregorii kalendario annorum amplius sexcentorum, sancta Attala virgo celebratur, uti & in veteri breviario Argentoratensi. Plura de ea in superiori [a] tomo, ubi ejus effigiem in æs incisam exhibuimus. Ejus pallium, si tamen ipsius est, ostenditur in eodem sancti Stephani monasterio, quod a Bucero deformatum diu possederunt canonicæ Lutheranæ : quarum tamen abbatissa hactenus cælibatum professa est, ab episcopo etiam institui solita. Nuperrime in earum locum substitutæ sunt sacræ virgines ex ordine Visitationis. Incertum est quænam post Attalam abbatissæ locum illum rexerint usque ad sæculum nonum fere medium : quo tempore Ruatbada abbatissa (Ruadrudem alii appellant) nova privilegia a Lothario augusto & Ludovico Germaniæ rege obtinuit.

a Lib. 15. n. 61.

XXXIX. Honaugiensis monasterii origo & abbates.

Præter hoc monasterium Adalbertus aliud sancti Michaelis in insula Rheni Honaugia supra urbem Argentoratum condidit, dotavitque ; ibique munachos Scottos instituit, non canonicos, ut probant vetera ejus loci documenta : in quibus dux Adalbertus ejusque propinqui ac posteri fundum ac dotem condendo monasterio suppeditasse ; Benedictus vero abbas illud construxisse traditur. Annum conditi monasterii non ita præcise assignant domestica instrumenta : at ex his colligitur, initio statim principatus Theoderici Calensis id factum esse. Jodocus Coccius [b] diploma refert ipsius Theoderici regis, Liutfrido duci & Eberhardo domestico, ac venerabili in Christo patri Benedicto abbati inscriptum, quo rex novi monasterii regimen eidem committit Benedicto, quem etiam Tubanum vocat, eique commendat hunc locum, ejusque congregatiunem *ac sanctam regulam & stabilitatem monachorum.* quo ex diplomate, insolitæ quidem formæ, sed tamen haud omnino suspectæ, intelligitur, tum primum conditum fuisse monasterium, eique Benedictum, alio nomine Tubanum, primum rectorem præpositum. Annum non signat prædictum diploma, at ex aliis instrumentis satis perspicue eruitur. Hæc instrumenta continentur in codice membraneo, anno M LXXIX. per Leonem Honaugiensem canonicum non indiligenter conscripto. Hujus exemplum nobis pro sua humanitate suppeditavit reverendissimus Hyacinthus-Alliotus Mediani-monasterii abbas, cui ejusdem codicis copiam fecerat vir humanissimus Johannes *le Laboureur* canonicus ecclesiæ sancti Petri-veteris apud Argentoratum, quo Honaugiense collegium translatum est. In hoc porro codice variæ exstant donationes, a propinquis & posteris ducis Adalberti factæ, quas omnes in appendice referemus. Prima est Borani filii Bothelunis, qui fuit frater ducis Adalberti, prædicto sancti Michaelis monasterio, cui tum *Benedictus sive Tubanus* abbas præerat, facta anno tertio regni Theoderici. Secunda est Haïchonis fratris ejusdem Adalberti. Tertia Liutfridi & Eberhardi ipsius Adalberti filiorum : quibus litteris Eugenia Hoemburgensis abbatissa post sanctam Odiliam, cujus neptis erat, subscripsit. Hi omnes portionem, quam quisque in illa insula habebant, monasterio conferunt anno tertio Theoderici regis, quo tempore dux jam mortuus fuisse videtur. Quarta donatio est prædicti Borani, facta anno VI. Hilderici seu Childerici regis, Theoderici filii ac successoris. Alias donationes, a posteris Adalberti factas tempore Childerici regis, prætereo. Has sequuntur diplomata regum, Pippini, ejusque filiorum Carolomanni ac Caroli Magni, qui eidem monasterio patrocinium suum impenderunt. Porro Benedicto-Tubano abbati successit Dubanus abbas & episcopus, qui monasterii possessionum confirmationem a Pippino rege obtinuit. Consimilem a Carolomanno rege Stephanus abbas, Dubani successor, impetravit anno ipsius regis secundo. Stephanum excepit Beatus, cui Carolus Magnus quatuor privilegia contulit, in quibus monasterium illud *Scottorum* vocat. In his unum est placitum Caroli Magni de quibusdam ejusdem monasterii rebus, quas Corbeienses in Gallia monachi ei restituere compulsi sunt. Sequitur donatio, quam fecit anno decimo imperii Caroli Beatus abbas suo monasterio de omnibus rebus, quas acquisierat. Ejus litteris subscribunt septem episcopi, quos omnes Scottos fuisse barbara eorum nomina satis arguunt. Ejusdem porro monasterii aliqui abbates dicti sunt episcopi, quod dignitati sive horum virorum, sive ipsius loci, sive denique moribus gentis datum est. Sic Laubiensis monasterii primi abbates itidem episcopi erant ob prædicatiunem evangelii ipsis commissam. quod etiam in aliis cœnobiis contigit. Somniantur proinde qui

b Cocc. Dagob. p. 131.

ANN. CHR. 720.

episcopalem Honaugiæ sedem eo tempore institutam putant. Primus ejus loci abbas Benedictus vocatur episcopus tantum in tertio diplomate Caroli Magni, fidem reddens amissis instrumentis prædicti monasterii, *quod Benedictus episcopus in honore sancti Michaelis novo construxit opere, ubi ipse venerabilis pater corpore requiescit.* Eodem episcopi titulo præditus fuit Dubanus ejus successor. at qui eos sequuntur Stephanus & Beatus, quibus Thomam [a] præponit Coccius, episcopi non dicuntur. Jam sæculo nono ad sæculares canonicos deflexerat hoc monasterium, cum Carolus imperator, cognomento Crassus, ejus possessiones confirmavit. Jam pridem hoc canonicorum collegium Argentoratum translatum est ad seniorem sancti Petri ecclesiam, non ad sancti Thomæ, ut fallit Guillimannus.

[a] ibid. p. 133.

XL. S. Galli cellæ Othmarus præficitur.

Hoc anno, quem præ manibus habemus, septingentesimo vicesimo, Othmaro demandata est cura cellæ sancti Galli, ubi is cœnobialem vitam, testante Hermanno, instituit, locumque quadraginta per annos nobiliter rexit. Hic Alamannorum genere oriundus, adhuc puer a fratre suo ductus est ad Rætiam Curiensem, cui tum Victor comes præerat; ejusque obsequio mancipatus, sacerdotii gradum subiit, ac demum cuidam sancti Florini titulo præficitur. Cum vero motum ejus probitas & sanctimonia longe diffunderetur, in notitiam venit Waltramni cujusdam, qui vastam eremum, in qua sanctus Gallus cellulam sibi exstruxerat, a parentibus hereditario ad se jure tunc transmissam, possidebat. Ille Othmari virtute commotus, eum a Victore comite sibi dari postulavit, cellæ sancti Galli præficiendum. Voti compos effectus, hanc cellam cum omnibus ad eam pertinentibus Othmaro sollemni more tradidit ac commendavit; petiitque a Carolo Francorum principe, ut id regia auctoritate confirmaretur, eidemque loco Othmarus abbas præficeretur. Postulatis se facilem præbuit Carolus, cellamque viro venerabili commendavit, jussitque ut regularem inibi vitam institueret. Regressus ab aula vir sanctus, confestim id exsequitur, congrua monachis habitacula exstruit, monachorum cœtum congregat, rem familiarem ex eorum præcipue, qui ad conversionem veniebant, facultatibus plurimum auget, ita ut commoda quæque ad divinum cultum necessaria illis abunde suppeterent. Ita rem commemorat in libro de vita ipsius Othmari Walafridus, qui id paullo aliter exponit in libro de miraculis sancti Galli, ubi Victor consilio cujusdam Nebi ducis ad principem Carolum cum eodem duce profectus dicitur, ipsique Carolo cellam sancti Galli proprietatis jure contradidisse, &, ut Othmarum presbyterum eidem præficeret, exorasse. Ex quibus emendatur locus ejusdem auctoris in libro vulgato de vita sancti Othmari, ubi pro Carolo Pippini nomen intrusum est. Quamquam Iso monachus in libro primo de miraculis ejusdem Othmari utrumque habet, traditque, Othmarum a Victore primum quidem ad Carolum, postea Carolo mortuo ad Pippinum ejus filium fuisse deductum, ut in concessi loci possessione confirmaretur.

Othmari virtutes.

Hanc adeptus præfecturam vir Dei, ita se in virtutum studio, quasi novus tiro, exercuit, ut ad summum demum perfectionis gradum evectus sit. Parsimoniæ sectator, frequenti corpus inedia macerabat, adeo ut in præcipuis jejuniorum diebus bidui abstinentiam continuaret. In vigiliis & oratione assiduus, eximia etiam humilitatis & paupertatis gratia præditus erat. Si quando foras eum progredi necessitas exigebat, nonnisi vilis aselli dorso vehebatur. Pauperum cura ei sic cordi erat, ut vix cuiquam hac in re secundus haberetur, eis per se ipse ministrare solitus. Quin etiam leprosis hospitiolum, a xenodochio ceterorum pauperum sejunctum, instituit, eisque curam ipse impendebat, de nocte furtim e monasterio se proripiens, ut suam eis operam impenderet. Si quem in via pauperem nudum offendisset, plerumque suis eum vestibus tegebat, ita ut interdum sine tunica, *sola cappa*, id est cuculla aut pallio viatorio, tectus, ad monasterium reverteretur, ob id appellatus pauperum pater.

XLI. Babo abbas S. Germani Parisiensis.

Apud Parisios in suburbano monasterio sanctorum Vincentii ac Germani Thedelmaro abbati jam hoc anno successerat Babo, quem Jacobus Brolius, aliique post eum, perperam hoc loco expungunt, eum confundentes cum Baboleno abbate Fossatensi. At veteres hujus monasterii abbatum indices, expuncto Baboleno, inter Thedelmarum & Lantfredum medium Babonem interponunt. Id vero manifeste probatur ex charta cujusdam Chulbertæ feminæ, inscripta *domno & in Christo venerabili patri Baboni abbati, vel omni congregationi monasterii sancti Vincentii vel sanctæ*

Crucis & domni Germani, ubi ipse pretiosus domnus in corpore requiescit: ubi testatur Chulberta, se venditionis titulo cessisse *monasterio sanctæ Crucis & domni Germani* res suas in villa Bodasio & in villa Mantla, easque *tempore famis* precario recepisse. Hæc charta data est *anno quinto Chilperici regis*, qui annus convenit cum anno Christi septingentesimo vicesimo. ANN. CHR. 720.

XLII. Eucherius fit episcopus Aurelianensis.

Sub hoc idem tempus Eucherius ex monacho Gemeticensi factus est episcopus Aurelianensis, cujus urbis nobilis indigena erat. Ejus ortum genitrici ab angelo prænuntiatum fuisse testatur anonymus æqualis, qui id se accepisse refert ab ejus sororibus germanis, quæ in monasterio, Aurelianis proximo, sanctitate præcellebant. An id intelligendum de puellari monasterio sancti Petri, nunc intra, sed forte olim extra muros posito, in quo collegium sanctimonialium virginum Domino deservisse Glaber [a] Rodulfus tradit. Infantem sacro fonte lustravit Ansebertus episcopus Augustodunensis. Septennis litteris discendis adhibitus, brevi scientiam adeptus est viro ecclesiastico dignam. Relicto itaque sæcularis militiæ cingulo, sanctioris disciplinæ cultores prætulit, & in monasterio Gemeticensi ingenitam nobilitatem Christo mancipavit. Regebat tunc Aurelianensem ecclesiam Soavaricus, ejus patruus: quo mortuo, cives Aurelianenses de Eucherio substituendo consentiunt. Eorum votis annuit Carolus princeps, missoque Gemeticum nuntio, electum, si non spontaneum, invitum e monasterio educi, & cathedræ Aurelianensi imponi jubet. Non impar fuit fratrum de ablato Eucherio, quam ipsius Eucherii de se electo ac rapto dolor. At civium votis parendum fuit, ac principis voluntati, quæ non multo post ab Eucherio abalienata est. Ubi sedem iniit vir sanctus, mox clerum monitis & exemplis informare instituit, plebem adhortationibus emendare, ecclesias & cœnobia circumquaque posita perlustrare, omnia denique ad ordinem redigere, qua re nemini infensus, sed universis acceptissimus fuit.

[a] Glab. lib. 1. c. 5.

XLIII. Willibaldus & Wunebaldus Romam profecti.

Paullo ante hoc tempus Willibaldus & Wunebaldus germani fratres, genere ac pietate apud occidentales insulæ Britannicæ Saxones clarissimi, Romam iter aggrediuntur cum patre suo, quem secundus vitæ sancti Willibaldi scriptor, aliique recentiores Richardum vocant. Willibaldum trimulum parentes, cum in desperatam valetudinem incidisset, expositum ad crucem, qualis apud Saxones in prædiis nobilium ad eorum domos, ecclesiæ loco, erigi solebat; ac voto facto de eo vitæ monasticæ consecrando, sospitem & incolumem recuperarunt. Vix quinque annos attigerat, cum pii parentes, voti haud immemores, Deo filium offerunt in monasterio Waltheimensi, cui Egbaldus abbas tum præerat. Crevit in eo citius pietas & sacra eruditio, quam corporis moles; totusque in Dei amorem conversus, nonnisi de rebus cælestibus, & de vitæ monasticæ perfectione cogitabat. Hæc animo identidem agitanti non alia visa est compendiosior ad perfectionem via, quam, relicta patria & cognatione, quæ ingenita popularium devotio erat, in ignotas terras peregrinari. Idem consilium patri suggerit persuadetque, ac Wunebaldo fratri, jam annos ætatis novemdecim nato, qui & ipse vitam monasticam meditabatur. Omnes itaque secundum fluvium Hameleam * in oceanum delati, ac per Sequanam appulsi Rotomagum, varias Galliæ basilicas sanctorum perlustrant, se suamque peregrinationem precibus Deo commendaturi. Gallias permensi, Lucæ in Italia patrem amittunt, mortuumque in basilica sancti Fridiani sepeliunt, ubi ejus tumulus hactenus cernitur. Romam inde profecti ambo germani, sancti Petri basilicam in primis adierunt, in eaque urbe a festivitate sancti Martini ad paschæ sollemnitatem morati sunt, monasticæ disciplinæ vitam ducentes. Ex quo intelligitur, Wunebaldum in Urbe hoc propositum amplexum fuisse. Certe *in externis barbarorum finibus* vitam monachicam profiteri cupiebat, *quod postea devote implevit*, inquit sanctimonialis ejus consanguinea, quæ utriusque fratris acta litteris mandavit. Adelbertus abbas id factum in Turingia scribit, ubi sanctus Bonifacius Wunebaldum monastico habitu induerit: at Romæ id contigisse videtur innuere sanctimonialis illa, asserens ibi duos germanos, ut mox dicebamus, vitam monasticam duxisse. Clarius in actis ipsius Wunebaldi, Romæ tonsuram accepisse, nempe monasticam, & Dei servitio se subjugasse traditur.

* Hamble.

ANN. CHR. 721.

XLIV. Willibaldus Jerosolymam adit.

Ut ut est, dum Romæ versantur, insequenti æstate morbo alternis pulsati, mutua alter alteri officia, dum vicissim morbus remitteret, impendebant. Ubi

ANN. CHR. 751.

convaluere, Romæ perstitit Wunebaldus ad annos septem, dum Willibaldus cum duobus sociis Jerosolymam profectus est. Is, navi conscensa, Calabriam, Siciliam, ac Samo insulam, prætervectus, in Asiam appulit ad urbem Ephesum, ubi sancti Johannis Evangelistæ & septem Dormientium tumulos invisit. Hieme Pateræ exacta, venit Militenam, ubi duo solitarii stylitæ erant. Emessæ septem alios contribules suos offendit: qui omnes a Sarracenis comprehensi, in carcerem detrusi sunt, quasi exploratores. Illic a mercatore quodam benigne tractati, qui ipsos identidem e carcere ad ecclesiam & ad balneum educebat, immo etiam ad forum, ubi necessaria eis pro libito comparabat: demum favore Hispani hominis, cujus frater regis Sarracenorum cubicularius erat, liberati sunt. Itaque e Cypro insula, in qua duodecim episcoporum parœciæ erant, profecti, inde Damascum, Nazareth, montem Thabor, ubi monasterium monachorum tum erat, sæculo duodecimo duplex, unum Græcorum, aliud Latinorum a Cluniacensibus nostris [a] inhabitatum; postea Tiberiadem, Magdalum, Cæsaream, aliaque loca insigniora perlustrarunt; in his monasterium sancti Johannis, ubi viginti monachi erant, monasterium sancti Eustachii, & Lauram sancti Sabæ, quod Magnum-monasterium vocatur. In Jordane, ipso in loco, ubi Christus Dominus baptizatus est, ecclesia erat, columnis suffulta; & subtus ecclesiam crux lignea, & terra ferme arida, præter rivuli fluentum, in quo baptizandi abluebantur. Ibidem super Jordanis fluvium ex utraque ripa extensus erat funis, ad quem se suspendebant infirmi, qui sanitatis causa in aquam se se immergebant, e quorum etiam numero mulieres steriles erant. Jerosolymam ubi primum pervenit Willibaldus, nempe in festo sancti Martini, ibidem usque ad nativitatem Domini infirmatus est. Profectus Gazam, in ecclesia sancti Mathiæ, ubi erat *magna gloria in Dominica*, post sacra missarum sollemnia, lumen oculorum amisit, fuitque cæcus ad duos menses, dum Jerosolymam reversus, in ecclesia sanctæ Crucis lumen recepit. In reditu Constantinopolim adiit, ubi postquam biennio moratus est, *cum nuntiis papæ & cesaris*, id est Gregorii secundi & Leonis Isaurici, in Siciliam transmisit; indeque Neapolim & Capuam prætergressus, venit in urbem Teanum, cujus loci episcopus eum ad sanctum Benedictum, id est ad Casinense monasterium, direxit. Autumnus erat cum eo pervenit, post annos septem, quam ex urbe Roma, ac post annos omnino decem, quam ex patria discesserat.

a Petrus Ven. lib. 2. ep. 44.

XLV. Johannes episcopus Eboracensis obit.

Revertor in Britanniam, ubi Johannes episcopus Eboracensis, cum abdicata dignitate quatuor annos in monasterio Beverlacensi privatus vixisset, ibidem feliciter vitam absolvit nonis Maii hoc anno, ab incarnatione Domini septingentesimo vicesimo-primo, sepultus in porticu sancti Petri, teste Beda, qui hunc annum, & locum sepulturæ assignat; aut certe sancti Johannis Evangelistæ, ut scribit Folcardus, undecimo sæculo monachus Sithiensis, vitæ sancti Johannis scriptor; & anonymus recentior, qui ecclesiam sancti Johannis parœcialem Beverlaci fuisse dicit, quam Johannes convertit in monasterium, ac monachis assignavit. Idem fabricasse dicitur ad australem ejus ecclesiæ partem oratorium sancti Martini, ubi sanctimoniales collocatæ, associatis utrique monasterio septem presbyteris & totidem clericis in navi prædictæ sancti Johannis ecclesiæ. Itaque duplex Beverlaci monasterium erat, unum præcipuum virorum, alterum virginum, quas inter laudatur Yolfrida, filia comitis Puch, ejus loci benefactoris, cujus uxorem Johannes [b] aqua benedicta sanavit, mortua III. idus Martii anno septingentesimo quadragesimo-secundo, tempore Winwaldi abbatis Beverlacensis secundi, qui Brithuno primo abbati ab anno tricesimo-tertio successerat. Hunc excepit Wlfethus abbas tertius ad annum septuagesimum-tertium, cujus successores ignorantur. Beverlacense monasterium, destructum a Danis anno centesimo sexto-decimo a depositione sancti Johannis, triennio desolatum, quodam modo repararunt clerici, dum Athelstanus rex illud pro canonicis in integrum restituit ante medium sæculum decimum. Alfricus decimus-septimus Eboracensis antistes ossa sancti Johannis in decentiorem locum transtulit anno Domini millesimo tricesimo-octavo, in cujus sepulcro inventus est anulus cum fragmentis libri evangeliorum. Mendosus est annus in Monastico [c] Anglicano, ex quo hæc retulimus. Ibidem translata pariter leguntur post annos quinquaginta a translatione sancti Johannis ossa sancti Brithuni abbatis. Laudatur sanctus Johannes in carmine veterrimi poëtæ de episcopis [d] Eboracensibus, ubi multa alia signa, præter ea quæ Beda commemorat, ab eo facta dicuntur. Ad res Gallicanas revertor.

Beverlaci monasterium duplex.

b Beda lib. 5. c. 4.

Beverlacenses abbates.

c Monast. Anglic. to. 1 p. 170

d Acta Sanct. Bened. sæ. 4 p. 160.

ANN. CHR. 731.

XLVI. Reomaënses abbates.

Post Hunam abbatem Reomaënsem, de quo superius egimus, nihil fere certi & explorati de ejus successoribus in historia Reomaënsi a Petro Roverio scripta nobis occurrit, præter nuda abbatum nomina, si tamen & ipsa eorum series rata est. Hunæ abbati subjiciuntur Celsus, Mascara, qui privilegium a Sigoaldo episcopo Lingonensi de consecratione abbatis, de fraterna dilectione & fratrum emendatione obtinuisse dicitur; Deodatus, Samuel, *custos regius*, forte quod regis mandato monasterium procuraret, non legitima electione & auctoritate; Astorieus seu Eustorgius, qui postea in sedem Lingonensem evectus traditur post annum Christi septingentesimum; Christianus, ex abbate episcopus, Roverio incompertæ sedis, Cointio Ambianensis; Maurellus, & Valdo, cui primus e Lingonensibus episcopis Waldricus quasdam ecclesias ad monachorum sustentationem addixit, quod magnum monasticæ rei familiari attulit incrementum. Valdonem sequitur Heirardus, filius Adalardi ducis principatu Caroli Magni, & post eum Cammundus, corruptum, ni fallor, nomen; ac demum Apollinaris, qui synodo Aquisgranensi sub Ludovico augusto interfuit.

XLVII. Quintilianus abbas fit episcopus Autisiodorensis.

Ad hunc annum septingentesimum vicesimum-primum Carolus Cointius revocat promotionem Quintiliani abbatis sancti Germani ad sedem Autisiodorensem, nempe post Theodrannum successorem Hainmari episcopi in prœlio Tullensi occisi, qui Abundiacum villam pagi Autisiodorensis basilicæ sancti Germani, aliasque villas xenodochio ejusdem basilicæ largitus est. Quintilianus, ejus post Theodrannum successor, nobilis genere fuisse traditur, cujus pater item Quintilianus [a] monasterium Meleretense, in editis mendose Miterense, construxit, propriisque dotavit rebus, ac xenodochium Brittonum Romam pergentium esse voluit. Quintilianus ejus filius ex abbate monasterii sancti Germani, ob vitæ meritum & generis nobilitatem in locum Theodranni episcopi subrogatus: de quo id unum addunt acta episcoporum, quod in basilica sancti Germani sepultus sit juxta antecessores suos. Tempus, quo sedem iniit, colligere possumus ex actis trium ejus successorum, quorum primus Chilianus sedit annos sex, menses duos; Clemens annos quinque, mensem unum; Aidulfus annos quindecim. cui successit Maurinus circa exordium Caroli Magni, qui Pippino patri successit anno hujus sæculi sexagesimo-octavo. Ex hac summa si detrahas annos sex & viginti, qui prædictorum episcoporum fere tempus constituunt; Quintilianum anno præter-propter ejus sæculi vicesimo-septimo decessisse conficies. Aidulfi tempore res ecclesiasticæ a Carolo principe abstractæ in manus laïcorum cesserunt, centum tantummodo mansis episcopo relictis, ceteris villis in sex principes Bajoarios distributis: abbatiæ vero abbatibus sæcularibus concessæ: quam *ecclesiæ humiliationem*, ait vetus auctor, idem religiosus pontifex tam graviter tulit, ut præ animi ægritudine totius corporis membrorum officio privatus sit. Ab eo tempore nobile sancti Germani ea in urbe monasterium communem subiit fortunam, adeo ut, accedente Sarracenorum in illas partes impressione, nibil ferme reliqui monachis fuerit. unde a Quintiliano abbatum successio penitus defecit ad sæculum nonum.

[a] *Labbe to.1. bibl. nova p. 430.*

Meleretense monasterium.

Ad Meleretense seu Meleredense monasterium quod attinet, conditum est a Quintiliano Puisayæ dynasta sub patrocinio sanctissimæ virginis Mariæ in gratiam Brittonum peregrinorum, atque abbatiæ sancti Germani subjectum: ubi viginti-sex monachos olim exstitisse tradunt. Illic jacet Quintilianus monasterii conditor, quem sanctum Quinquelinum vulgus vocat. Hoc cœnobium genti Brittonum, Romam infatigabiliter expetenti, pervium ac familiare fuisse testis est Hericus monachus in libro de miraculis sancti Germani episcopi Antisiodorensis, cui majorem illius cœnobii ecclesiam sacram fuisse dicit. Thealdus abbas sæculo decimo reformavit idem cœnobium, quod modo proprie Monasterium * nuncupatur.

* *Moutier.*

XLVIII. Chilperico regi succedit Theodericus Calensis.

Circa finem hujus anni, quo Eudo dux Aquitanorum, fuso cæsoque Zamane, Sarracenos ex pago Tolosano sibi subjecto expulerat, Chilpericus rex, cognomento Daniel, in urbe Noviomago seu Noviomo ad Isaram ex morbo interiit, ibidemque sepultus est. Huic in regno successit Theodericus ejus nominis quartus, quem Dagobertus ipsius pater, Chilperici decessor, moriens infantulum reliquerat. Hic post parentis sui obitum, regnante Chilperico, in monasterio Cala enutritus est jussu Chilperici, sive ut clericus fieret, ut Hadrianus [b] Valesius censet, præsertim si « quis ipsi Chilperico filius nasceretur, sicut ipsemet ante principatum clericus fue- «

[b] *Vales rer. Franc lib. 24.*

AN. CHR. 721.

„ rat ; ſive ut apud monachos loci tuto , ſimulque religioſe educaretur : uti poſtea
„ Ludovicum Craſſum , regis Philippi filium , cum puer tenellus eſſet, veteri regum
„ Francorum more in monaſterio beati Dionyſii nutritum eſſe affirmat Sugerius. Tunc
„ quippe , addit vir doctus, (& nos ſæpe monuimus) in Gallia & in inſula Britannia,
atque etiam in Hiſpania inter utrumque ſexum diviſa erant pleraque monaſteria ,
„ (ea ſcilicet quæ virginum cauſa condita erant) & ex viris feminiſque ſeorſum ha-
„ bitantibus ſingula conſtabant. Quidam recentiores Theodericum in regia Calenſi
„ (nam illic villa regia & palatium erat) enutritum intelligi malunt. Verum vete-
res Francorum annales unu conſenſu eum *in Cala monaſterio* enutritum tradunt,
unde & Calenſis cognomentum conſecutus eſt.

ANN. CHR. 722. XLIX. Widradus condit monaſterium Flaviniacenſe.

ANno primo regni ejus Widradus abbas , filius Corbonis inluſtris viri , primum teſtamentum condidit pro monaſterio Flaviniacenſi , quod in Burgundiæ pago Alexienſi exſtruxit. Falluntur qui id referunt ad principatum Theoderici ſecundi , Sigiberti ac Brunichildis ex Childeberto nepotis , quod ad Theodericum Calenſem revocandum eſſe alias probavimus , hoc maxime argumento , quod monaſterium conſtructum ſit *ad honorem ſancti Præjecti*, qui inclinante ſæculo ſeptimo affectus martyrio eſt. Widradus domo Burgundus , filius , ut jam dixi , Corbonis viri inluſtris , duo condidit teſtamenta , unum prolixius , alterum brevius , quibus multas poſſeſſiones

Primum ejus teſtamentum.

ſuas legat tribus baſilicis , nempe ſancti Andochii Sedelocenſi , ſanctæ Reginæ Alſinſi ſeu Alexienſi , & ſancti Ferreoli , quas baſilicas ſeu abbatias in titulum poſſi-
„ debat. Has vero donationes facit eo pacto , ut rectores illarum baſilicarum mona-
„ ſterium Flaviniacum , quod in honorem ſancti Præjecti in agro Burnacenſi pagi Al-
„ ſinſis * condiderat , ejuſque jura & inſtrumenta in omnibus conſervare ſtuderent ,
illudque conſtituit heredem reliquarum poſſeſſionum ſuarum. Poſſeſſiones illæ omnes ſitæ erant in pagis Burgundiæ ſubjectis , ex qua Widradi originem haud inani conjectura licet deducere. Cum primum teſtamentum ab eo conderetur , jam inſtituti erant in monaſterio Flaviniacenſi Magoaldus , an Magnoaldus , abbas atque monachi , quibus idem privilegium conceſſum , atque Lirinenſibus , Agaunenſibus & Luxovienſibus ; nempe in eligendo abbate , in immunitate monaſterii ab omni epiſcopi , archidiaconi , & cujuſvis clerici dominatu aut exactione. Primum teſta-
„ mentum factum eſt Sinemuro caſtro , quinto-decimo kalendas Februarii , & ſcrip-
„ tum per manum Haldofredi notarii , ſigillante perinluſtri viro Amalſindone ſigillo
„ regio , anno domni Theoderici regis primo , adſtante nobili , & firmante vulgari
„ populo , una cum defenſore Gerefredo , clariſſimo viro.

* L'Auſſois.

L. Alterum teſtamentum.

In ſecundo teſtamento , quod tantum in gratiam Flaviniaci monaſterii conditum eſt , eaſdem donationes confirmat eidem monaſterio factas , aliis inſuper adjectis : quas inter legat curtem Cadoniacum , *qua fuit de dono , quod domnus Theodericus rex genitori* , inquit , *meo* conceſſit. quod quidem non de Theoderico Calenſi , cujus anno primo Widradi parens jam e vivis exceſſerat , ut patet ex priori Widradi teſtamento , ubi is ſe filium dicit *viri inluſtris Corbonis quondam* : ſed de Theoderico Chlodovei junioris filio intelligendum eſt. Atque inde novum eruitur argumentum ad confirmandum calculum noſtrum de tempore conditi monaſterii Flaviniacenſis. Ad hæc in poſteriori hoc teſtamento novi abbatis electio facienda præſcri-
„ bitur *ſecundum regulam ſancti Benedicti* ex numero & cœtu Flaviniacenſium , aut cer-
„ te ex ſanctioribus aliorum cœnobiorum monachis , ſi inter Flaviniacenſes idoneus ad
„ hoc officium defuerit. Quod ſi *ordo ſanctus* , id eſt diſciplina regularis , aliquando
„ illic intepuerit , & ipſe abbas aut monachi id emendare neglexerint , tunc qui ex ip-
„ ſis recto ordine ſecundum regulam vivere cupierint , monachos obſervantiores ex
„ proximis monaſteriis accerſant , & ſalubri eorum conſilio ſanctum ordinem regulari-
„ ter emendare ſtudeant. Actum Auguſtnduno civitate publice , anno quarto regni
„ domni Chilperici regis , legendum Childerici , die ſabbato proximo ante kalendas Junias. Subſcribunt poſt Widradum abbatem Moderannus Chriſti dono vocatus epiſcopus , Chebroaldus & Donatus itidem epiſcopi , & Gauderannus abbas. Illud vero in primis obſervatu dignum eſt in hoc teſtamento , quod Widradus omnino ſibi licere ait , conſentientibus epiſcopis , ut monaſterium ab ſe conditum in fundo proprio , a cujuſvis dominatione eccleſiaſtica immune præſtaret , præterquam in dando chriſmate , in conſecrandis altaribus , aut ſacris ordinibus conferendis : quæ omnia

dioœceſano

ANN. CHR. 722.

diœcesano episcopo reservata erant. Verba ejus huc adscribere juvat. *Et dum omnes præsules & nobiles personæ agnoscunt, & comprovincialibus nostris cognitum est, quod ego Vvidradus in mea re propria, jam denominato monasterio & cœnobiolo sancto, ibidem propter Deum instituto, quidquid exinde facere volo, præsenti tempore in omnibus mihi libera manet potestas :.. propterea per præsentem paginam cum consensu supra-memoratorum pontificum constituo, ut nullus episcopus ullius civitatis, aut archidiaconus, vel quilibet ex clero, aut actores ecclesiæ, nullum ibidem exerceat dominatum, aut ad mansiaticos aut repasticos exigendo, aut ad ministeria describendo, non ad abbatem mittendo.* Ea quippe facultas ab ecclesia facile concedebatur conditoribus ecclesiarum ac monasteriorum, ut hanc libertatem ecclesiis a se conditis cum consensu episcoporum impertirent. Hæc de conditu monasterii Flaviniacensis, quod sancti Petri dictum est a secunda ejus dedicatione, facta per Johannem VIII. An Widradus abbas illud rexerit, quod Hugo Flaviniacensis abbas tradit, merito dubitari potest. Mihi certe persuasum est Magoaldum seu Magnoaldum primum fuisse abbatem, cui successit Gaironus, de quo infra; Widradum porro nonnisi honorarium loci abbatem fuisse, tametsi abbas ordinatus fuisse dicitur XI. kalendas Maii in chronico Hugonis abbatis.

LI. Bertrandus abbas Castrensis.

Hoc anno septingentesimo vicesimo-secundo Bertrandus abbas Castrensis monasterii in Septimania regimen iniit post Citruinum, laudaturque his versibus [a] ab anonymo poëta.

Dulce jugum Christi teneris portavit ab annis,
Evitans caute dæmonis insidias :
Centum terque duos vitam produxit in annos
Bertrandus, summi plenus amore Dei.
Hanc tandem subita, at prævisa morte precando
Ejicit, æterna ut luce frui valeat.

[a] *Spicil. tom. 7. p. 339.*

LII. Corbinianus Romam iterum pergit.

Eodem tempore Corbinianus episcopus, cum apud Castras opidum pagi Milidunensis septem annos denuo reclusus vixisset, rursus Romam adire statuit, ut cum iterata pontificis benedictione in artiorem solitudinem secedere sibi liceret. Hoc vero iter per Alamanniam, Bajoariam, atque Italiam confecit. In Noricum seu Bajoariam progressus, verbum Dei per aliquod tempus rudi illi genti, quam sanctus Rudbertus nuper Christi mysteriis imbuerat, non sine fructu prædicavit, favente Theodone duce, qui provinciam illam sibi, liberisque suis in quatuor partes diviserat, tametsi Arnolfus, ex-comite monachus, duos tantum ejus filios successores nominat, Diotpertum ac Grimoaldum. Post navatam apostolicæ functioni operam, cum oblatos a Theodone & Grimoaldo honores recusasset, cœptum iter persequitur. Papiæ a Liutprando rege per septem dies retentus, totos in sacram prædicationem impendit. Romam ubi pervenit, votis ad apostolorum limina persolutis, Gregorium adit, petitque ab eo supplex, sibi ut in remotiorem silvam aut cellulam, aut certe in abditum quoddam monasterium secedere liceret, ubi procul ab immensis, qui se ubique circumsedebant, sæculi fluctibus quietus degeret. Verum jubente pontifice ad consuetum prædicationis officium reverti coactus, ad Bajoarios redit. Cum ad Magiense * castrum pagi Tirolensis, ad Athesim * flumen positum, pervenisset; oratione ad sancti Valentini martyris tumulum facta, ad Grimoaldum ducem invitus deducitur. At ducis conspectum abnuit, nisi prius Piltrudem, viro Theodoaldo ipsius ducis fratre orbatam, forma excellentem feminam, ortam e Gallia, repudiasset. Repugnantem principem nihilo minus post quadraginta dies ad colloquium una cum Piltrude admisit, ambosque ad resipiscentiam hortatus est, atque in speciem pœnitentibus manus imposuit. Sub hæc in castro Frisinga ad Isaram fluvium ecclesiam exstruxit, prædiisque acquisitis locupletatam in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique Benedicti consecravit, erexitque in episcopalem sedem, cujus ipse primus episcopus exstitit. Otto, ejusdem ecclesiæ sæculo duodecimo antistes, auctor est, Corbinianum in monte *Frisingen* ecclesiam, quæ usque hodie, inquit, cernitur, « in honorem beati Benedicti construxisse, ac monachorum ibi sacrum conventum adu- « nasse. Utrumque patronum, & sanctam Mariam, quam Aribo episcopus Corbiniani « vitæ scriptor solam memorat, & sanctum Benedictum habent litteræ [b] donationis Hittoni episcopo factæ initio sæculi noni *ad domum sanctæ Mariæ in Frisingam, ubi*

* *Maise.*
* *l'Adige.*

[b] *Metrop. Salis'. tom. 1. p. 126.*

ANN. CHR. 722. *electus & pretiosus in corpore requiescit Christi. confessor Corbinianus, ut memoria ejus multis temporibus in domo sancta Maria & sancti Benedicti confessoris permaneat, & ut oratores sui, videlicet monachi & episcopi successores, hujusmodi possideant.* Itaque ab initio cathedralem illam ecclesiam insederunt monachi nostri: sed quam diu hanc retinuerint, non satis exploratum. Prima canonicorum diserta occurrit mentio in diplomate [a] Henrici Magni imperatoris, quod anno millesimo secundo datum est. nam in superioribus litteris tantum *fratres* appellantur, quod nomen etsi magis proprium monachis, canonicis tamen per ea tempora etiam non raro tribuebatur.

a *ibid p.* 140.

Interim perseverabat Grimoaldi prava consuetudo cum Piltrude: quæ Corbiniani reprehensionem continuam ferre non valens, velut altera Herodias, ei necem machinatur. Submonitus hac de re vir sanctus per Erimbertum fratrem suum, incestæ feminæ furori fuga se subtrahit, & in castrum Magiense cum suo clero se recipit. Turbatus ejus abscessu Grimoaldus, nuntios ad eum misit supplicatum ut rediret. At ille pessimæ Jezabelis insidias cavendas respondit. Non diu tantum facinus inultum sivit Deus. nam & Grimoaldus a sicariis interfectus, & Piltrudis a Carolo principe in Franciam abducta, sed postmodum ab eo repudiata, amissis omnibus demum in Italia misere vitam finivit. Hæc Caroli in Bajoarios expeditio post triennium facta est, cum illi provinciæ præesset Hucbertus dux, Theodonis ex Theodoberto filio nepos, cui Corbinianus acceptissimus fuit. Contra Hucbertum, cum Bajoarii a Francis descivissent, Carolus exercitum movit, ducem vicit, ac regionem subegit, & matronam quamdam, nomine Bilitrudem, ac neptem ejus Sonichildem secum abduxit, ut testantur veteres Francorum annales. quæ Bilitrudis non alia est ab illa Piltrude, de qua modo agebamus.

LIII. Bajoariis itidem multum infestus fuit Liutprandus, religiosissimus alioqui princeps, qui maxima semper cura Francorum amicitiam coluit. Hic per singula, in quibus degere solebat, loca basilicas exstruxit, quas inter præcipuum fuit monasterium sancti Petri extra muros Ticinenses, Cælum-aureum appellatum, sancti Augustini corporis translatione hoc tempore illustratum. In summa quoque montis Bardonis alpe Bercetum monasterium ita auxit, ut a Paulo [b] Warnefridi ejus conditor habeatur. Ad hæc in Olonnæ *probastio* seu suburbio monasterium sancti Anastasii martyris ædificavit. Denique in suo ipsius Ticinensi palatio domini Salvatoris oratorium erexit, in eoque sacerdotes & clericos instituit, qui ei quotidie divina officia celebrarent. Monasterii sancti Petri conditio procul dubio præcessit sancti Augustini corporis e Sardinia insula translationem Ticinum, quæ hoc anno in veteri chronico Germanensis hujus monasterii, facta legitur. Mendosum est Liutprandi regis diploma [c] nobis lectum, in quo hæc anno ejus regni primo facta supponitur. Hujus translationis occasionem præbuere Sarraceni, qui, cum infestis incursionibus late maria omnia pervagarentur, exscensione in Sardiniam facta, insulam, quæ exiguo Græcorum præsidio tenebatur, in potestatem adduxerunt, ac sævire in ecclesias & tumulos sanctorum institerunt. Nec parsum loco, in quo sacra beatissimi Augustini Hipponensis episcopi ossa ex Africa olim translata fuerant a catholicis episcopis, cum, sæviente Wandalorum procella, ab Transamundo rege in eam insulam relegati sunt.

Liutprandi regis pia opera

b *Paul. diac. lib.* 6. *c.* 58.

c *Iter Ital. p.* 221.

Id ubi Liutprandus accepit, magno repente dolore exarsit, quod sacer thesaurus barbara impietate irreligiose tractaretur, legatisque instinctu Petri episcopi Papiensis eo missis, magno illum pretio a Sarracenis redemit, ac Papiam ad se transportari curavit. Postquam vero Genuam appulsum audivit, Papia egressus, obviam ei cum civitatum suarum clero & episcopis processit usque ad fines agri Dertonensis. Cum ad locum, ubi sanctum corpus substiterat, appropinquaret; depositis regiæ dignitatis insignibus, nudato capite, pedibus ad sacrum loculum accessit, & venerabundus procubuit, editorum miraculorum fama perculsus. Ventum est postridie ad prædium Savinariense, ubi sacrum corpus tanta mole humo defixum fuisse traditur, ut a ministris, nulla neque vi, neque arte inde moveri posset. Liutprando ea re vehementer commoto, scissa veste & deformata facie supplicanti, suggessit sanctæ memoriæ Gratianus Novariensis ecclesiæ præsul, vir multa virtute & doctrina insignis, non solis exterioribus illis pietatis officiis, sed maxime factis Dei misericordiam flecti oportere. Tum rex votum edidit, si Deus sacrum corpus Papiam propitius efferri sineret, se ipsum prædium ecclesiæ beati Petri, ad quam sanctum corpus transferre

S. Augustini translatio Papiam.

volebat, perpetuo jure concessurum. Quæ ubi vota concepit, loculum sacrum nullo molimine inde sustulit, & Papiam effusa obviam civitate devexit, quem anno præsenti in basilica sancti Petri ad Cælum-aureum, a se prius condita, pretioso in monumento recondidit pridie kalendas Martii. Tanta vero ejusdem regis ab eo maxime tempore in illum locum pietas ac devotio fuit, ut non modo illum prædiis & possessionibus, vasisque aureis & argenteis ac vestibus sacris locupletaverit; sed etiam diebus ac noctibus in psalmis & canticis in illa ecclesia cum clericis & sacerdotibus seu monachis pernoctare solitus sit, uti auctor est Petrus Oldradus Mediolanensis antistes, qui rogatu Caroli Magni hujus translationis historiam scripsit anno septingentesimo nonagesimo-sexto. Sane quam religiose illic divina celebraret Liutprandus, ex Anastasio patet, qui de Zachariæ pontificis Papiam adventu agens, ait, ipsum regem in vigilia festi beati Petri apostolorum principis, hora orationis nona, in basilicam ejus, quæ vocatur Ad-cælum aureum, pro celebrandis missarum sollemniis accessisse; & in natali ejus festo pontificem a rege invitatum fuisse, ut in eadem ecclesia sacra perageret. Ceterum basilica illa non multo post eam translationem sancti Augustini vocabulum accepit: cujus rei testis est anonymus sancti Galli monachus initio libri primi de gestis Caroli Magni, qui e duobus Scottis eruditis unum, scilicet Clementem, in Gallia residere præcepit: alterum in Italiam direxit, « *cui & monasterium sancti Augustini juxta Ticinensem urbem delegavit*: ut qui vellent, illic ab eo litteras possent ediscere. Multæ sunt circa hujus translationis tempus & Oldradi scriptionem difficultates, quas apud summæ eruditionis ac pietatis virum Sebastianum *Le-Nain-de-Tillemont* in libro de vita S. Augustini videre licet. ANN. CHR. 722.

LIV. S. Cummianus obit Bobii.

Effulsit etiam Liutprandi pietas, etsi tenui in opere, ornando sepulcro Cummiani sanctissimi e Scottorum grege episcopi, qui ejus principatu supremos dies absolvit in monasterio Bobiensi. Is septuaginta-quinque annos natus, Dei amore ductus patriam deseruit, venitque in Italicos fines, reliquum vitæ sub instituto beati Columbani exacturus. Illic ad viginti amplius annos strenue, quasi novus tiro, militavit, vir mansuetudinis in fratres, & prudentiæ singularis, in jejuniis ac vigiliis indefessus, ut in ejus epitaphio legitur, quod Liutprandus, ornato ejus tumulo, lapidi, etiam nunc superstiti, incidi curavit, poscens ab eo preces his versibus, epitaphii extremis.

At, pater egregie, potens intercessor existe,
Pro gloriosissimo Liutprando rege, qui tuum
Precioso lapide tymbum decoravit devotus.
Sit manifestum, almum ubi tegitur corpus:
Opertus est hic domnus Cummianus episcopus.
XIIII *kal. Septembris. fecit Johannes.*

Attamen in kalendariis monasterii festum ejus assignatur v. idus Junii, qui forte elevationis est dies. Lapis ejus reliquias continens hactenus cernitur ad sinistram partem præcipui altaris cryptæ Bobiensis, quo in altari ossa beati Columbani rudi item lapide continentur. Duæ hinc inde aræ continent reliquias sanctorum Attalæ & Bertulfi abbatum. Nihil est in tota illa supellectile, quod prædonum avaras & impias manus allicere possit, multa quæ piorum animos excitent.

ANN. CHR. 723. LV. Bonifacii in Turingia prædicatio.

Volvebatur annus septingentesimus vicesimus-tertius, cum Winfridus seu Bonifacius, quem olim idem Liutprandus Papiæ humanissime exceperat, relicta Frisia, in Hessos accessit, juxta mandatum pontificis apud illam gentem prædicaturus. Repugnabat Willibrordus, qui-cum tres illos annos multo cum profectu christianæ religionis in Frisia exegerat, eumque venerabilis senex sibi in sede Trajectensi successorem ordinari cupiebat. Verum ætatis suæ rudes annos, & indignitatem obtendit Winfridus cum auctoritate sedis apostolicæ, quæ ipsum ad Germaniæ populos erudiendos prædicatorem delegaverat. Ægre itaque a Willibrordo dimissus, ad Hessos, quos Chattos vocabant, se contulit; duosque fratres, qui genti illi præerant, Dieticum & Dierolfum, a sacrilega idolorum cultura, quam sub quadam christiani nominis specie impie miscuerant, ad sinceram Christi fidem revocavit: quorum exemplo subjecti populi, patefacta veritatis via, consimiles etiam errores ac superstitiones penitus abjecerunt. Atque ut prædicationis suæ fructus, ipso absente, non

ANN. CHR. 723. deperiret; Amanaburgi monasterium exstruxit vir Dei, in eoque non parvam fratrum congregationem instituit, qui fidem ac pietatem illis in partibus proseminatam conservarent. Quin etiam in extremis versus Saxones Hessorum finibus multa hominum millia a paganica superstitione convertit, & sacro baptismate abluit. Tam prosperos christianæ religionis progressus visum est pontifici exponere, ejusque rei causa, unum e suis, Binnam nomine, Romam direxit, qui rem Gregorio secundo referret, variisque de dubiis, quæ ipsum in negotio missionis suæ sollicitum tenebant, pontificem consuleret.

LVI. Romam iterata profectio, ejusque ordinatio. Hoc nuntio recreatus pontifex, Winfridum ad se venire jussit, tum ut ipse missionis suæ rationem præsens redderet, tum ut episcopus ordinaretur, sicque majori cum auctoritate ad continuandum prædicationis suæ munus in Germaniam remitteretur. Ille, ubi Romam advenit, pontifici in omnibus fecit satis, & fidei suæ ratione exposita, apostolica auctoritate compulsus est, ut episcopalis benedictionis gratiam non recusaret. Itaque ordinatus est ab ipso pontifice nullius certæ sedis episcopus pridie kalendas Decembris, die natali sancti Andreæ apostoli; nomenque Bonifacii loco Winfridi deinceps accepit, quod quandoque ipsi antea tributum fuisse jam diximus. Deinde ut ad sinceram fidem conservandam & obedientiam sedi apostolicæ exhibendam artius adstringeretur, exactum ab eo est jusjurandum ad sepulcrum beati Petri, anno Leonis augusti septimo, Constantini ejus filii quarto, » quo pollicetur, se numquam ab ecclesia catholica desciturum, sed beato Petro, ejus» que Vicario (sic tum pontifices appellari mos erat) Gregorio, ac successoribus fidem » atque opem per omnia exhibiturum; episcopos vero, qui ab institutis & disciplina » majorum recederent, defugiturum; immo repressurum, si posset, aut statim ad » pontificem delaturum. Si secus faxit, diras sibi ipse imprecatur. Hac professione

Reditus in Germaniam cum litteris pontificiis. edita, libellum institutionum ecclesiasticarum a Gregorio Bonifacius accepit, cum eo, ut tam clerus, quam populi ei subjiciendi talibus institutis informarentur. Tum pontifex litteris, eodem anno kalendis Decembris datis, Bonifacium primo Domino glorioso Carolo Francorum duci, nulla habita Theoderici regis ratione, commendavit; oravitque, ut expertæ religionis ac probitatis virum, ordinatum ab se episcopum, missumque ad prædicandum transrhenanis gentibus evangelium, in omnibus adjuvaret, & a quibuslibet adversariis, quos Carolus ipse divina ope subegisset, diligenter tueretur. Alias item ejusdem argumenti epistolas ad episcopos, presbyteros, diaconos, ad gloriosos duces, ad magnificos gastaldios seu actores dominicos, & ad comites, universosque christianos idem pontifex scripsit, quibus omnes hortatus est, ut Bonifacium benigne exciperent, & viatico instruerent ac commeatu necessario. Ad hæc viros magnificos Asolfum, Godolaum, Wilarium, Guntharium, & Alvordum Turingos, aliosque ejusdem provinciæ christianos laudat, quod, cum a paganis compulsi essent ad simulacra colenda, constanter respondissent, prius se morituros, quam fidem christianam violarent; & ut Bonifacio episcopo ad ipsos a se misso deinceps obedire pergant, hortatur. Scripsit eodem tempore Gregorius universo populo Turingorum, se sanctissimum Bonifacium episcopum ad eos in fide christiana erudiendos, baptizandosque direxisse: quem auscultare debeant, & tamquam patrem honorare, præbendo ei domum, in qua habitet, ac subsidia necessaria ecclesiis construendis. Ejusdem ferme argumenti est epistola, directa populo provinciæ Altsaxonum, hoc est veterum Saxonum, in Germania sedes habentium, quos a colendis deinceps idolis dehortatur; eos, qui ex ipsis Christo jam nomen dederant, paterne admonens, ut in fide perseverarent, nec fallacibus philosophorum sermonibus faciles aures præberent. Omnes denique hortatur, ut neminem a suscipienda christiana religione prohibeant, neu jam initiatos ad idola denuo reverti cogant; & ut Bonifacium coepiscopum suum ea qua par est humanitate excipiant.

Quod attinet ad libellum institutionum ecclesiasticarum, quem Bonifacius a pontifice post suam ordinationem accepit, non alium esse puto, quam epistolam ejus» dem Gregorii, *clero & plebi, dilectissimis filiis* inscriptam, qua eos monet, se fratrem » ac coepiscopum suum Bonifacium eis ordinasse sacerdotem; eique dedisse in man» datis, ne umquam ordinationes præsumat illicitas, id est ne bigamum, aut qui vir» ginem non sit sortitus uxorem; neque illitteratum, vel in qualibet corporis parte » vitiatum, aut ex-pænitente, vel curiæ aut cuilibet servili conditioni obnoxium, no-

AN. CHR. 723.

taque infami inustum, ad sacros ordines admittat; neque etiam Afros, quod quidam eorum Manichæi, quidam etiam rebaptizati reperiantur, nempe Donatistæ. Ad hæc ut ministeria, id est sacram supellectilem, & ornamenta ecclesiæ, & quidquid ad eam pertinet, non minuat, sed potius augere studeat. De reditibus vero ecclesiæ, vel oblatione fidelium quatuor faciat portiones, quarum unam sibi ipse retineat; alteram clericis, tertiam pauperibus ac peregrinis distribuat; quartam ecclesiasticis fabricis reservet. Porro presbyterorum & diaconorum ordinationes, præterquam quarti, septimi, ac decimi mensis jejuniis, & initio quadragesimæ, ejusque medio, & sabbato-sancto, idque vespere, nequaquam celebret: baptismi autem sacramentum, nonnisi in paschali festivitate & pentecoste, exceptis his, quibus ob urgens mortis periculum quantocius subveniri necesse esset. Tot litteris ac documentis instructus novus episcopus, Germaniam versus iter relegit: ubi quantum deinceps profecerit, in consequentibus exponemus. Cum hæc canonum instituta de bigamis ad ordines sacros non admittendis recolo, in mentem venit id, quod apud Livium [a] legitur de ara pudicitiæ apud profanos Romæ olim sacra, ut nulla nisi spectatæ pudicitiæ matrona, *& quæ uni viro nupta fuisset*, jus sacrificandi haberet.

a Livius lib. 10.

LVII. Caroli Martelli donatio monasterio Trajectensi.

Ineunte hoc anno, Carolus major-domus in Gallia Trajectense * ad Rhenum monasterium insigni munificentia donavit. Exstat apud Willelmum Hedam ejus rei diploma, quo Carolus, vir inluster, ita enim more regio se dicit, Pippini filius, casum humanæ fragilitatis recogitans, ad abluenda peccata sua donat monasterio, infra muros Trajecti castri constructo, ubi apostolicus vir dominus & in Christo pater Willebrordus archiepiscopus *sub sancta conversationis cœnobitali ordine* custos præerat, quidquid in ipso castro ad fiscum pertinebat. Actum Heristallio villa publica, ipso die kalendarum Januarii, anno secundo regnante glorioso domino Theoderico rege. His litteris apponitur signum inlustris viri Caroli majoris-domus, & Carlomanni filii ejus, aliorumque optimatium. Has litteras etiam refert Carolus Cointius, atque ex Miræo, qui eas partim itidem retulit, observat, monasterium, cujus hic Carolus mentionem facit, esse ecclesiam Trajecti cathedralem, in qua proinde tunc monachi *cœnobitali ordine* vivebant. His processu temporis præfuit Gregorius abbas, suo loco laudandus.

* d'Utrecht.

Ejusdem morbus & curatio per S. Maximinum.

Eodem anno Carolum in morbum incidisse docent veteres Francorum annales, quo de morbo, deque restituta Caroli per sanctum Maximinum valetudine agit Lupus in libro de vita sancti Maximini episcopi Trevirensis, cum ait, Carolo diuturna febre, & cibi potusque fastidio usque ad mortis periculum redacto, visum in somnis sanctum Maximinum, hortantem, ut se ad suam abeuntem *memoriam* (sic tumulos sanctorum vocabant) sequeretur. tum Carolum lectica se ad tumulum sancti antistitis deferri jussisse; atque in somnis ab eodem admonitum, ne se vitiis amplius dederet, exsurrexisse; votisque factis, statim atque in sacrarium secesserat, cibos poposcisse, qui per dies triginta nihil fere præter aquam hausisset; moxque viribus receptis, accepti beneficii non immemorem, cœnobium sancti Maximini tribus prædiis auxisse; ac sancto Petro, quæ cathedralis est ecclesia, villam Andaclanam obtulisse.

LVIII. Benigno abbati Fontanellæ succedit Hugo.

Hoc etiam anno duo ducis Drogonis filii *ligati*, id est in carcerem conjecti, memorantur, ex quibus Arnoldus, qui solus nominatur, in custodia mortuus est. Alterum Hadrianus Valesius non alium putat quam Hugonem, duos tantum Drogonis filios agnoscens superstites, Arnoldum & Hugonem, quos Carolus patruus, ne rebus novis studerent, aut paternas dignitates reposcerent, comprehendi, vincirique jusserat. At Carolus Cointius præter hos duos alium anonymum, qui in carcerem conjectus sit cum Arnoldo, admittit: propterea quod nihil de incarceratione Hugonis legatur in ejus vita, quippe qui nuntium rebus sæcularibus ante aliquot annos remiserat, & anno proxime elapso jam factus fuerat episcopus Rotomagensis ex monacho Gemeticensi, & quidem ope ac favore ipsius Caroli. Accedit quod hoc anno factus est abbas Fontanellensis post Benignum abbatem, qui decessit XIII. kalendas Aprilis. De Drogonis Campaniensium ducis filiis nihil addendum succurrit præter ea, quæ superius [b] diximus ad instrumentum Hugonis ejus filii, qui se jam sacerdotem vocat. Sane is ad suggestionem nutricis & aviæ suæ Ansfledis terrena cuncta despexisse traditur in chronico Fontanellensi, & patrimonia sua ecclesiis tra-

b Supra n. 5.

ANN. CHR. 723.

didisse, nempe Rotomagensi, Parisiacæ, & Bajocassensi, quas regendas acceperat, & monasterio Fontanellensi : at quo tempore nuntium sæculo remiserit, obscurum. Id factum traditur in monasterio Gemeticensi, ubi & sepeliri voluit. Argumento sunt donationes eidem monasterio ab ipso factæ, quantas nullus ante eum ejusdem cœnobii rector, nec post eum fecisse memoratur, teste chronographo Fontanellensi. Ejusdem etiam Gemeticensis monasterii abbas fuit, & quidem ante Dructegangum, ut constabit ex iis, quæ de eo inferius dicentur; forte post Coschinum, cujus jussu vita sancti Filiberti abbatis primum litteris mandata est. Certe non ante mortem Pippini avi sui sæculo nuntium remisit, id est non ante annum septingentesimum decimum-quartum. Hic enim adhuc laïcus Benigno abbati Fontanellæ Vierlaicum villam [a] largitus est anno ab incarnatione Domini septingentesimo tertio-decimo. Porro jam sacerdos erat, ut dictum est, anno Dagoberti regis quinto, quo basilicæ sancti Arnulfi donationem [b] fecit pro anima patris sui Drogonis. Post annos duos Witslanam villam Wandoni abbati Fontanellensi, in Benigni locum intruso, contulit anno primo Chlotharii regis, quem Carolus post fugam Chilperici ac Ragenfredi regem sibi statuerat.

[a] Chron. Font. c. 8.

[b] Supra num. 5.

Restitutus, ita ut diximus, in Fontanellæ regimen Benignus, superstes fuit ad Theoderici regis annum tertium, quo anno contra Bertharium comitem evindica-
» vit villam, quæ vocatur Montecellis, sitam in pago Oximensi, coram Carolo ma-
» jore-domus, mediante advocato suo, nomine Roberto : quo in conventu interfuerunt Ebbo, Baldoinus, & Milo episcopi cum multis optimatibus. Ex his Ebbo Senonensis antistes erat, Milo Trevirensis & Remensis ecclesiarum invasor, Baldoinus
» incertæ sedis episcopus. Hæc evindicatio facta dicitur anno tertio regnante Theo-
» derico juniore rege, quarto-decimo kalendas Augusti, Tulpiaco castro. ubi Carolus Cointius legendum censet *anno secundo*, propterea quod Benignus abbas anno insequenti decessit XIII. kalendas Aprilis. siquidem Hugo, testante chronographo, post Benignum hujus cœnobii regimen suscepit hoc ipso anno dominicæ incarnationis vicesimo-tertio, illudque rexit per annos, non novem, ut in editis, sed septem, menses duos, & dies tredecim, id est usque ad annum septiogentesimum tricesimum. Hic præsulatum ecclesiæ Parisiacæ, simulque Bajocassinæ cum Rotomagensi tenuit, agente Carolo principe patruo suo, *contra decreta canonum*, quibus parva tum reverentia erat. Exemplum aliud nobis suppeditat Milo mox memoratus, qui, cum esset sola tonsura clericus, nihilo minus cum Trevirensi Remcosem episcopatum invaserat. At in hoc longe excusabilior Hugo, qui ecclesiis sibi commissis usus est, non ad explendam cupiditatem, sed ad procurandam, quoad in se fuit, earum ecclesiarum utilitatem, cum spiritualem, tum temporalem.

LIX. Milo & Baga monachi Fontanellæ piissimi.

Tempore Benigni abbatis floruere in Fontanellensi cœnobio multi monachi insignes, in primis Milo anachoreta & Baga monachus. Milo cum patre Rotmundo illuc ad conversionem venit anno Domini septingentesimo tertio-decimo, amboque monasterio largiti sunt proprietatis suæ prædia duo, sita in pago *Tellau* seu Talogiensi, qui pars est Caletorum *, ex quo sine dubio orti erant. Milonis mater Wissa, & ipsa monacha facta est, ac mater monasterii Logensis ad Sequànam, haud procul a Fontanella, prope Calidum-beccum; ac multa eidem parthenoni ornamenta & prædia acquisivit. Post non longum tempus a sua conversione Milo, permittente Benigno abbate, secessit in quamdam specum Fontanellæ proximam, quæ viginti fere homines capere poterat, Milonis-crypta a posteris dicta; cui subjectum erat exiguum oratorium, in quo sacra missæ sollemnia, nam is presbyter erat, solebat celebrare. In latere montis, in cujus rupe specum sibi vir Dei exciderat, erant vites ac vitiferæ arbores, quas ipse propria manu plantaverat, & excolebat. Hunc Milonem *reclausum* appellat chronographus Fontanellensis, tametsi cellula non ita reclusus erat, ut ex ea non egrederetur. sed hoc nomine anachoretam designare voluit. Ejus æqualis fuit Bagga itidem presbyter, vir sanctæ cooversationis, Saxonico genere ex insula Britannia ortus, qui Fontanellam accessit forte jam monachus, ibidemque non parvo tempore vitam ita irreprehensibilem duxit, ut ceteris exemplo esset. Ejus obitus Benigno abbati in ecclesia oranti cælitus revelatus fuit : qui Benignus calicem aureum cum sua patena ecclesiæ sancti Petri donasse traditur.

* Le pays de Caux.

LX. Erkembodus abbas Sithiensis fit episcopus Teruannensis.

Anno tertio Theoderici regis, qui præsenti anno incarnationis respondet, Ravengero episcopo Teruannensi suffectus est Erkembodus abbas Sithiensis monaste-

ANN. CHR. 713.

rii, cujus curam ac regimen etiam episcopus retinuit. Edita est a Malbranco charta cujusdam Rigoberti, quasdam villas suas vendentis *Domino & apostolico patri Erkembodo episcopo atque emptori, & ejus congregationi ibidem consistenti*, data Sithiu monasterio publice IV. kalendas Septembris, anno tertio regni Theoderici, qui Erkembodi episcopatus primus erat.

LXI. Theoderici privilegium Berthoaldo abbati Dionysiano concessum.

Insigne est ejusdem anni privilegium, sancti Dionysii monasterio a Theoderico rege concessum, quo superiorum regum ac pontificum Parisiensium privilegia confirmat princeps, prout venerabilis vir, fidelis suus Berthoaldus, abbas ejusdem sancti Dionysii basilicæ, missa petitione seu supplicatione per illustrem virum Carolum majorem-domus suggesserat. Datum est ipsa die kalendarum Martiarum Valentianis, anno tertio ipsius Theoderici regis. In hoc diplomate, quod libro sexto de re diplomatica editum est, illud observatu dignum, quod sancti Dionysii, ejusque sociorum missio refertur ad beatum Clementem papam. Deinde, quod rex ideo hanc confirmationem a se factam dicit, ut, sicut temporibus anteriorum regum in ipsa sancta basilica jugis psalmodia, monachis in turmas distributis, fuerat instituta; ita etiam perenniter deinceps in ipso sancto loco celebretur. Non diu post datum diploma abbas fuit Berthoaldus, cui hoc ipso anno videtur successisse Godobaldus, is quem ad tumulum sancti Dionysii sanatum fuisse, ibidemque sub abbate Helardo seu Chillardo perhumane acceptum fuisse superius [a] diximus. qui, cum in eodem loco vitam degens, in multis probus omnibus appareret, præcipiente Carolo principe, abbatis inibi officium suscepit, sive mortuo, seu expulso Berthoaldo; locumque per viginti-quinque annos strenuissime administravit, ut ex libro de miraculis sancti Dionysii alias retulimus.

Godobaldus abbas.

a Supra num. 14.

ANN. CHR. 714.

LXII. Bonifacius patrocinio Caroli munitus,

Reversus ex Italia Bonifacius anno insequenti, antequam ad transrhenanas provincias, Francorum imperio subjectas, progrederetur, primum omnium adiit Carolum principem, quem invidi quidam in virum sanctum commovere frustra conati sunt; eique litteras pontificias reddidit. Ille his lectis viro sancto, sicut petierat, favorem ac patrocinium suum pollicetur, & ad episcopos, duces, comites, vicarios, domesticos, atque ad omnes agentes, missos discurrentes, amicosque suos scripsit, se Bonifacium episcopum in tutelam suam, quam mundeburdem vulgari vocabulo appellat, recepisse sub ea conditione, nemini ut injuriam faciat, accipiat a nemine; &, si quam habuerit controversiam, quæ legibus dirimi non possit; a quoquam eum lædi, dum ipse de ea cognorit, damnarique vetuit. Exstat hæc epistola inter Bonifacianas tricesima-secunda, iis sane concepta verbis, quæ regem potius, quam majorem-domus, qualem se vocat, designent. Atque ut huic epistolæ certior habeatur fides, eam manu propria subscribit Carolus, & de anulo suo subsignat. Hoc munitus præsidio Bonifacius, primum Hessos aggreditur, quorum alii arbores & fontes, etiam post acceptum baptismum, colere cœperant; alii haruspicinæ, augurio, divinationi, & incantamentis dediti erant; excisaque arbore, quam Robur-Jovis appellabant, plerosque ad rectam fidem revocavit, aliis confirmationis sacramentum impositione manuum impertiit; ibidemque sancti Petri oratorium erexit. Deinde in Turingiam pergit, ubi principes ac seniores, qui magna ex parte a christiana religione desciverant, ad sinceræ fidei professionem reduxit. Erant in illis quidam sub nomine christiano pestiferi homines, fornicatores & adulteri, qui variis erroribus gentem illam inficiebant. Hos verbis & increpationibus revincere conatus est vir Dei; sed rebelles ac contumaces ab ecclesiæ gremio rejecit. Hos puto illos esse sacerdotes & episcopos, quos Bonifacii ordinationi restitisse tradit Liudgerus in actis sancti Gregorii abbatis, qui tum adolescens Bonifacio adhærebat. Cum vero Bonifacii prædicatio multum profecisset, crevissetque fidelium multitudo; congregata servorum Dei turba, monasterium exstructum ab eo est in loco, qui dicitur *Ordorf*, illudque sub invocatione sancti Michaelis dedicavit, concedente locum Hugone seniore, ad quem is pertinebat: cujus exemplum secutus Albotus quidam, aliique, multa eidem cœnobio prædia contulerunt. Denique instauratæ ubique ecclesiæ, novæque erectæ, & prima demum religionis facies provinciæ reddita est. His de rebus Bonifacius certiorem fecit Gregorium papam, qui eo successu lætus, litteris pridie nonas Decembris, octavo imperii Leonis anno, Constantini ejus filii quinto, indictione octava datis, Bonifacio gratulatus est ob egregie navatam rei christianæ operam in

Hessos & Turingos denuo convertit.

Ordorfense condit monasterium,

ANN. CHR. 724.

partibus Hesperiarum ; quo nomine occidentales Germaniæ regiones intelligit ; aitque se Carolo excellentissimo principi scripsisse, ut episcopum quemdam, desi-
» dem & ignavum, compesceret, qui, cum Turingis evangelium haudquaquam præ-
» dicavisset, partem tamen ejus provinciæ sibi vindicabat, ac parochiam suam esse
» dicebat. De cetero eum monet, cœpto labori ut insistere pergat ; ac Dei virtute
» confisus, nec minis terreatur, aut terroribus dejiciatur. adfuturam quippe ex
» divino adjutorio perfectionem operi, si voluntas non deficiat, aut remittatur.

LXIII. Adjutores adsciscit.

Verum quia tantæ molis operi ministrorum copia idonea non suppetebat, utriusque sexus operarios vir sanctus, plerosque ex gente sua, quosdam etiam ex Francis evocare curavit, præcipue lectores, scriptores, aliosque eruditos viros, quibuscum impositum sibi prædicandi evangelii, aut conservandæ religionis munus communicaret. In his fuere Wigbertus, Denevaldus, Lullus, Burchardus, & Megingozus, Willibaldus ac Wunebaldus germani fratres, ipsius Bonifacii consanguinei ; Gregorius etiam ex nobili prosapia Francorum : ex feminis vero Chunihilda & filia ejus, scilicet Berathgit, Chunidrut, Tecla, Lioba, & Waltpurgis, soror Willibaldi & Wunebaldi. qui omnes instituto monastico addicti erant, neque simul ac semel, sed variis temporibus Bonifacio adjuncti sunt, ut in consequentibus videbimus. Addit Othlonus, Chunihildem & filiam ejus Berathgidem, utpote quæ in liberalibus scientiis eruditæ erant, in Turingia constitutas fuisse magistras ; Chunitrudem in Bajoariam missam, ut verbi divini semina ibidem spargeret ; Teclam in Franconia institutam ; Liobam vero, quæ & ipsa Bonifacii propinqua erat, apud Bischofesheimium, ut virginibus illic congregatis præesset. Huc referenda est Bonifaciana epistola quinta, quam Denevaldus, Lullus, & Burchardus, primis tantum litteris designati, ex Germania scribunt *dominæ dilectissimæ, Christique religiosissimæ abbatissæ Kanebada, regalis prosapia generositate prædita* : cui, præmissa sinceræ dilectionis significatione, re-
» nuntiant, se ad Germanicas gentes transivisse, atque a venerando Bonifacio archie-
» piscopo susceptos fuisse in monasticæ conversationis regula, ipsiusque laboris adju-
» tores factos ; rogantque abbatissam, ut se in ejus congregationis communionem ad-
» mittere dignetur. In fine munuscula ei exigua mittunt, thuris, piperis, & cinna-
» momi : qualia tunc temporis a viris etiam summis mitti mos erat.

LXIV. Danielem episcopum Wentanum consulit.

Eodem anno, quo in Turingiam reversus est Bonifacius, de quibusdam dubiis emergentibus scripsit ad Danielem Wentanum apud occidentales Britanniæ Saxones episcopum. Et primo quidem de falsis illis sacerdotibus, qui varios errores in ea
» regione disseminabant : quorum alii solo melle & lacte utentes, ceteros cibos reji-
» ciendos dicebant : alii affirmabant (quod populo grave offendiculum erat) homi-
» cidas, adulterosve, in ipsis sceleribus licet perseverantes, nihilominus sacerdotes
» fieri posse. Eorum tamen communionem ac societatem, propterea quod populis
» illis permisti sint, juxta præceptum canonum, vitare sibi non licere, sed tantum in
» sacris mysteriis cum eis non communicare, nec consentire. quod an sibi sufficiat,
» se magnopere anxium esse : quippe qui in sua ordinatione ad corpus sancti Petri san-
» cte promiserit, se ab ejusmodi communione recessurum. Neque vero id sibi licere
» innuit per principem Francorum, cujus sine patrocinio nec populum regere, nec
» presbyteros, vel diaconos, monachosve & ancillas Dei tueri valeat, nec ipsius pa-
» ganorum ritus & profanos cultus prohibere & abrogare. Ad hæc ab eodem petit
» codicem, sex prophetarum libros continentem, quem Winbertus abbas & magister
» quondam suus, *claris, discretis & absolutis litteris*, non minutis & breviatis, scribi
» curaverat, qualem in Germaniæ partibus reperire non potuerat ; sibi tamen valde
» necessarium, quod *caligantibus jam oculis*, minutas ac connexas litteras legere non
» posset. In fine eidem Danieli condolet ob ejus orbitatem oculorum, eidemque per
» Forthereum presbyterum ait se mittere has litteras & munuscula quædam pro in-
» dicio puræ caritatis, id est casulam, non bolosericam, sed caprina ex lana confe-
» ctam & villosam, ad ejus pedes abstergendos. Hæc epistola ordine tertia est inter
Bonifacianas. ad quam respondet Danielis epistola, in notis a Serario relata, cu-
» jus hæc summa est. Secundum præcedentium sanctorum exempla, per patientiam su-
» stinendum ac tolerandum esse, quod corrigendo curari nequit. Si homicidis jugem
» agentibus pænitentiam tantum sub exitum vitæ communionis gratia conceditur :
» incorrectis qua ratione curam sacerdotalis regiminis tribuendam ? Quod si secun-
» dum statuta Innocentii papæ, qui viduam aut secundam uxorem duxerint, clerica-

tu

AN. CHR. 714.

tu excluduntur : qua consequentia adulter, quem nec sero culpæ suæ pœnituit, sacerdotale sibi officium arrogaturum ? In titulo hujus epistolæ Daniel Bonifacium vocat archiepiscopum, non quod Moguntinæ jam ecclesiæ, aut alteri cuilibet metropoli addictus esset ; sed quod pro commissæ sibi legationis potestate quodam modo episcopis Germanicis a Romano pontifice prælatus fuisset.

LXV. Pirminius Augiense monasterium instituit.

Dum hæc in Turingia geruntur, Pirminius in Augiam venisse traditur, ibique ad tres annos persistens, vitam monasticam instituisse. Certus annus apud Hermannum ejus loci monachum, Hepidannum, aliosque : sed incerta Pirminii patria & dignitas. Ejus vitæ scriptor, parum diligens & accuratus, scribit, Pirminium obtinuisse sedem episcopatus *in castello Meltis appellato*, tempore quo Theodericus rex sceptra Francorum tenebat ; tum Sintlacem, Augiæ insulæ dominum, ad eum forte aliquando divertisse ; ac sanctitatis ejus, necnon prædicationis fama commotum ab ipso petiisse, ut genti suæ prædicationis officium impenderet. Pirminium vero non prius consensisse, quam Romani pontificis assensum & facultatem simul Romam profecti obtinuissent. Hac demum facultate accepta, Theoderici règis permissu, cum Sintlace in Alamanniam venisse, & in loco, qui vocatur Sintlacis-Ouwa, aliis præcise Augia, substitisse ; fugatisque inde serpentibus infestis, ibidem cœnobium monachorum, fundum largiente Sintlace, constituisse : qui primus locus sit a venerabili sacerdote constructus ad commodum Christi famulorum. Ex his plerique inferunt, Pirminium in urbe Meldis, alii Mettis, episcopum exstitisse, reclamantibus utriusque loci indicibus ac monumentis, in quibus nulla mentio Pirminii episcopi occurrit. ut omittam infra utriusque urbis dignitatem esse, ut *castellum* dicatur. Propius ad Pirminii ætatem accedit Rabanus episcopus Moguntinus, in cujus epigrammate centesimo primo Perminius præsul patriam gentem, simulque propinquos deseruisse dicitur, & peregrina petens, gentem Francorum, nempe Austrasianorum, adiisse, ubi plurima Deo loca sancta construxerit. Clarius & certius omnibus Hermannus, ex-comite monachus Augiensis, Contractus cognomento, Pirminium abbatem & chorepiscopum vocat : qui a Berchtoldo & Vehi principibus ad Carolum Francorum principem ductus, Augiæque insulæ ab eo præfectus, serpentes inde fugaverit, & cœnobialem inibi vitam tribus annis instituerit. Quo vero in loco chorepiscopi gesserit officium, an Meldis ortus, sive Mettis, in Alsatia tantum id officii obtinuerit, sane divinare non ausim. Tantum Francum fuisse mihi constat ; &, si solum chorepiscopus fuit, certe cum episcopali charactere. Sane Theodericus rex in suo diplomate, immo & Widegernus Argentoratensis præsul in suo privilegio, eum absolute episcopum vocant, forte regionarium, qualem fuisse necesse est, ut sacramentum confirmationis conferre potuerit. Ad Augiam quod attinet, duplicem illius nominis insulam efficit Rhenus, superiorem, & inferiorem : unam supra Constantiam, ad lacum Potamicum, quæ Major dicta : alteram duabus infra eamdem urbem leucis, quæ Cellensis dicta ab opido Cella ; sive Augia simpliciter, aliis Ouva seu Auva, quæ vox germanice pratum seu agrum significat ; a fundi domino Sintlacis-Ouva ; denique ab opibus Augia-dives, seu *Richenaw* appellata, quam Pirminius tribus annis præsentia sua illustravit, & monasterio, quod multorum sanctissimorum ac doctissimorum virorum seminarium, & insignis academia exstitit. Bartholomæus Scobingerus in additionibus ad Joachimum Vadianum testis est, Carolum Francorum principem dotasse hoc monasterium ex bonis fiscalibus circumjacentium locorum pagorumque, in primis regia villa *Erfmustingen* : ex cujus vinetis voluit præstari vinum in usum sacrificii ; idque constare ex litteris conditi monasterii *in honorem beatæ Mariæ virginis & apostolorum Petri & Pauli, juxta regulam sancti Benedicti*. Pirminium ad tres dumtaxat annos eo in loco perstitisse, præter Hermannum, tradit illustris ejus loci alumnus Walafridus Strabo, altero post Pirminium sæculo, in carmine de visione Wettini ejusdem loci monachi, ubi de Augia, deque Pirminio ita canit.

Rhenus ab Ausoniis quo ducitur alpibus, æquor
Miscet in occiduis diffusus partibus : ingens
Illius in medio suspenditur insula fluctu,
Augia nomen habens : jacet hanc Germania circa.
Hæc solet egregias monachorum gignere turbas.

ANN. CHR. 724.

Primus in hac sanctus construxit mœnia præsul
Pirminius, ternisque gregem protexerat annis.
Hujus quisque velit sanctam cognoscere vitam,
Ipsa sepulcra petat : satis ipse probabit in Hornbach.

Non tamen ita ingens est hæc insula, quippe quæ in longitudinem tantum patet dimidium milliarii Germanici, in latitudinem unum dumtaxat quadrantem, tres-habens paræciales ecclesias præter monasterium. Et nos locum illum ante aliquot annos invisimus, mirati tantam loci famam in tam exiguo quod superest monasterio, cujus restant tenues admodum census in usus tredecim monachorum, ceteris episcopo Constantiensi addictis. Bibliothecæ reliquiæ insignes magis loci dignitatem indicant, quam ædes monasticæ, perquam humiles & angustæ, ne quidem excepta ecclesia, in qua Caroli Crassi imperatoris sepulcrum visitur. De hoc monasterio sæpius recurret dicendi occasio : de aliis vero a Pirminio conditis pro temporum ratione differemus.

*ANN. CHR. 725. LXVI. Mauri-monasterium instauratum. * Saverne. a Cocc. p. 56.*

HUjus discipulus fuisse traditur Maurus abbas, qui Cellam-Leobardi, ad Vosagi montes, haud longe a Tabernis-Alsaticis * olim a sancto Leobardo conditam, instaurasse dicitur, unde loco nomen Mauri-monasterio accessit. Jodocus Coccius [a] Theoderici regis privilegium eidem Mauro abbati concessum vulgavit, inscriptum Liutfrido Alemannorum duci, quo notum facit, ut venerabilis Maurus de monasterio domni Leobardi quondam abbatis, in honorem sanctorum apostolorum Petri & Pauli & sancti Martini constructo, regiæ clementiæ suggessit, quod antecessori suo domno Leobardo quondam abbati, qui ipsum monasterium suo opere a fundamento ædificaverat, inclytæ memoriæ parens suus Childebertus quondam rex ad opportunitatem monasterii terram illam desertam, quam ad excolendum & commanendum præoccupaverat, concessisset; eaque donatio a Theodeberto, Chlothario, Dagoberto, Sigiberto, itemque altero Dagoberto confirmata fuisset. Unde Theodericum rogabat Maurus abbas, sibi ac monasterio suo ejusdem privilegii confirmationem a rege dari cum regali mundeburdio & defensione. quod quidem ratum habet princeps, jubetque ipsum abbatem, ejusque monachos *secundum normam domni Benedicti & domni Columbani* quietos residere atque securos. Datum Mettis in cœnobio sancti Arnulfi, sub die kalendarum Maii, anno regni ejusdem Theoderici quinto. Annus incarnationis septingentesimus vicesimus-quartus & indictio tertia, additamenta sunt imperiti interpolatoris; nec conveniunt simul, nec cum anno quinto Theoderici regis, qui anno ejus sæculi vicesimo-quinto respondet. Liutfridus dux, in hoc diplomate laudatus, Alsatiæ præerat, patre natus Adalberto Athici ducis filio, de quibus in superiori volumine fuse actum est. In superiori Alamanniæ seu Sueviæ parte dux erat Lantfridus, ex patre Gottefrido, a recentioribus nonnullis perperam dictus Liutfridus, qui non alio nomine quam Lantfridus donatur in annalibus Nazarianis, Petavianis, & Tillianis. quod notasse convenit, ne is cum Liutfrido seu Luitfrido confundatur.

LXVII. Danielis episcopi epistola ad Bonifacium. b Bonifac. ep. 67.

Paullo post Bonifacii ex Italia reditum in Germaniam, Daniel Wentanus antistes ei scripsit [b] epistolam, *venerando & amando antistiti Bonifacio* inscriptam, qua prudentissimus & sanctissimus antistes amico salutaria dat monita, ut secundam prædicationis ejus evangelicæ palmam hoc pacto, si fieri posset, consequeretur, & indefessi communionem laboris, quo *saxea, sterilisque gentilium corda* in obsequium fidei subigere enitebatur. In primis eum monet, ne contraria eorum opinioni de falsorum genealogia deorum adstruere studeat, immo potius eos ex complexu maris & feminæ generatos concedat, quo eos initium habuisse, nec semper exstitisse probet. Deinde interrogandos esse paganos illos, an mundus initium habuerit, necne? Quis ante natos deos mundo imperaret? an & quando genitus primus deorum? denique an generare pergant, & quis eorum potentior, & an infinitus eorum numerus, & multa id genus similia. Ad hæc, quid sacrificiis suis apud illos se efficere credant? His præmissis, comparanda christianorum sacra dogmata cum illis fabulis, ut ex hac comparatione nostræ religionis gravitas & majestas amplius elucescat. Præter ea sæpius gentilibus illis exponendam orbis christiani auctoritatem & amplitudinem, in cujus comparatione illi paucissimi, in antiqua nihilo mi-

ANN. CHR. 725.

nus vanitate & superstitione perseverabant. Hæc aliaque similia Bonifacio modeste suggerit christianæ fidei studiosissimus antistes, dum ipse tribulationis igne, nempe amissione luminis, divinitus expurgabatur. Eodem tempore Bonifacius Pethelmum Candidæ-casæ episcopum consuluit [a] de matrimonio contracto cum vidua, cujus quis antea filium in baptismo adoptivum suscepisset: quod Franci & Romani sacerdotes illicitum esse dicebant. Pethelmi responsio ad nos non pervenit.

a *Id. ep.* 11.

LXVIII. Berta abbatissa Blangiacensis obit.

Sub hoc tempus apud Morinos, Belgicæ secundæ populos, Berta Blangiacensis abbatissa, cum esset annorum sexaginta-novem ad cælestem Sponsum migravit, postquam aliquamdiu reclusa vixisset, filia sua Deotila in ipsius locum abbatissa instituta. Obiit vero IV. nonas Julii, ejusque corpus in Blangiaci templo sepultum est. Normannorum tempestate monasterio in favillas redacto, sanctimoniales palabundæ cum patronæ suæ reliquiis in Germaniam perfugerunt, in parthenone Herasteno humanissime hospitio exceptæ a Rotrude loci abbatissa. Hoc est *Herasten* seu *Erstein*, nobile virginum Benedictinarum cœnobium, ab Irmingarda Ludovici Augusti conjuge exstructum paullo supra urbem Argentoratum. Postmodum sæculo undecimo Blangiacense monasterium ab Hersende, nobili ac pia femina, restitutum est, quod monachis Benedictinis traditum, hactenus sub eodem instituto perseverat.

LXIX. Theoderici placitum pro Godobaldo abbate S. Dionysii

Ad hunc annum aut insequentem referendum est placitum Theoderici regis pro monasterio sancti Dionysii, Theoderico Chlodovei junioris filio perperam a Dubleto & Cointio tributum: quo rex Pontigone palatio suo una cum suis fidelibus ad universorum causas audiendas residens, villam pagi Cameliacensis Baudrinum, super fluvium Iseram * sitam, Godobaldo abbati Dionysiano adjudicavit, assentiente de more comite palatii, adversus Ermentheum, cui hæc a genitore suo Nordeberto & germano Guntechario legitime obvenerat, postmodum ab eodem vendita Godobaldo abbati. Actum Puntigone die tertio Martii, anno sexto Theoderici regis. Ubi notare juvat, illis temporibus id in more positum fuisse, ut eum aliquis terram quamdam alteri vendidisset, relatione venditionis factæ, pretiique ab emtore accepti ad principem facta, annuente comite palatii, venditio rata haberetur. Baudrinus villa non alia videtur a Baurano * seu Borano, prope Bellum-montem ad Iseram fluvium, quo in loco exstat sancti Martini cœnobium virginum Benedictinarum, Paraclitensi abbatiæ subjectum.

* *l'Oise.*

* *Boran.*

ANN. CHR. 726.

LXX. Martinus monachus Corbeiensis, Caroli Martelli confessarius.

ANno proximo, ejus sæculi vicesimo-sexto, Martinus mortuus est, ut docent veteres [b] annales Francorum. Illustrem per ea tempora necesse est fuisse Martinum illum, de cujus obitu tam absolute annales illi pronuntiant: at quis ille fuerit, diu ignoratum est, donec tandem id ex aliis annalibus Labbeanis [c] didicimus. Fuit quippe Martinus ille Corbeiæ monachus, vir vitæ continentissimæ, apprimeque eruditus, quem Carolus dux, cognomento Tudes seu Martellus, in summa veneratione habuit, eidem peccata sua confiteri solitus. In miscellaneis historicis [d] Bernardi Guidonis episcopi Lutevensis ex ordine Prædicatorum, laudatur sanctus Martinus confessor, idemque capellanus Caroli fuisse dicitur, cujus corpus apud sanctum Præjectum * prope Axiam * opidum apud Lemovices requiescit. Sancti Præjecti opidulum positum est ad Vigennam fluvium, duabus leucis ab urbe Lemovicis, ubi sancti Martini festus dies VI. kalendas Decembris celebratur, ejusque caput frequenti populo ostenditur.

b *Chesnii to.* 2. *p.* 7.
c *Labbe to.* 2. *biblioth. nova p.* 733.
d *Id. to.* 1. *p.* 632.
* *S. Priech.*
* *Aixe.*

Non minor fuit Caroli veneratio in Alfonsum abbatem Castrensem, qui principi morienti adfuisse memoratur. Ante hos duos sanctus Ansbertus episcopus Rotomagensis regi Theoderico a confessionibus fuit. quod historiæ illustrandæ causa observare mihi est animus, non muneris ambiendi. Tunc temporis Corbeiense monasterium regebat Grimo abbas, quem idem Carolus ad Gregorium papam tertium una cum Sigeberto recluso postea legatum direxit.

LXXI. Gregorii papæ responsa ad consulta Bonifacii.

Identidem revertendum est ad Bonifacium episcopum, qui hoc anno Denualem presbyterum e Germania Romam misit, Gregorium papam de nonnullis dubiis, in ministerio evangelico sibi occurrentibus, consulturus. Quænam fuerint illa dubia, discimus ex responsione pontificis ad singula capita, numero duodecim, quorum septimum est de pueris Deo a parentibus oblatis in monasteriis, utrum liceat eis, post- «
quam pubertatis annos impleverint, e monasterio egredi, & matrimonio copulari. «
Respondet pontifex nefas esse, ut oblatis Deo a parentibus filiis voluptatis frena la- «

ANN. CHR. 726.

xentur. Vigebat ergo saltem apud Italos ad id tempus perpetua puerorum Deo a parentibus oblatorum obligatio, cui a patribus decimi concilii Toletani derogatum jam fuerat in Hispania, statutumque canone sexto, ut pueri usque ad decimum tantum ætatis annum (alii quartum-decimum legunt) Deo a parentibus offerantur, relicta eis facultate sæculum repetendi in adulta ætate, si quidem eis libuerit. Undeci- » mum caput est, an, si pestifer morbus aut mortalitas in ecclesiis vel monasteriis ir- » repserit, liceat his, qui nondum ea labe contacti sunt, luco fugere causa periculi » evitandi. Negat Gregorius, idque fatuum esse dicit, propterea quod non valet quis- » quam Dei manus effugere. Et certe non modo fatuum, sed & inhumanum fuerit in ejusmodi pestiferis morbis sanos omnes aufugere, nemine relicto, qui ægris ac pestiferis opem ferat. Mitto alia capita, quæ non sunt nostri instituti.

LXXII. Willibrordo factæ donationes.

Aliquot ante mensibus Carolus major-domus villam quamdam, vocabulo Helis- » te, Willibrordo episcopo donaverat ad basilicam Salvatoris & beatæ Mariæ sancto- » rumque apostolorum, quæ in pago Batua sita erat, quantumcumque in illa villa pos- » sederat Everardus, ob cujus infidelitatem in reges Francorum hæc in fiscum redacta » fuerat. Actum Tulpiaco, nona die mensis Julii, anno sexto Theoderici regis. Eodem anno, die vicesima Octobris, Rohingus vir pius ac dives, ejusque conjux Bebelina, eidem apostolico viro domno Willibrordo episcopo tradunt ecclesiam, infra » castrum Antuerpis super fluvium Scalde constructam a sancto Amando pontifice in » honorem sanctorum apostolorum Petri & Pauli, quam ipse Rohingus facta commu- » tatione locelli Tumme, a Firmino abbate monasterii Quercolodoræ * (ignotus lo- » cus) comparaverat. Ad hæc eidem etiam telonii partem, quam ibidem habebat, » largitur, ea ratione, ut ex eo thus & luminaria procurentur ad usum illius ecclesiæ, » & presbyteri ejus pro peccatis ipsius Deum exorent. Actum publice Weimodo regia villa, Octobris die vicesima, anno sexto Theoderici regis. Hæc ecclesia modo est veteris burgi Antuerpiensis, ut notavit Miræus, qui hanc chartam in codice donationum ex tabulario Epternacensi vulgavit.

* al. Quortolodra.

Testamentum ejusdem.

Ex eodem etiam ab ipso desumtum est ipsius Willibrordi testamentum, quo vir sanctus res suas omnes legat monasterio Epternaco, cui etiam tum præerat, & ubi corpus suum requiescere statuerat, hoc est quidquid ipsi donaverant ingenui Franci, in primis domnus Pippinus & conjux ejus Plectrudis, necnon Carolus ipsius Pippini filius; quidquid etiam prædictus Rohingus ipsi Willibrordo tradiderat, in his ecclesiam illam Antuerpiensem; quidquid denique alii, quos singillatim commemorat, ipsi dederant, in quibus ecclesiæ non paucæ recensentur. Ex quo, aliisque jam relatis apparet falli eos, qui ecclesiarum donationes primas monachis factas referunt ad tempus sacrarum expeditionum, quæ sæculo undecimo labente fieri cœptæ. Hæc autem omnia tradit Willibrordus casæ Dei Epternaco & sanctæ congregationi fratrum Deo ibidem servienti, anno ipso sexto regnante Theoderico rege.

ANN. CHR. 727.

LXXIII. Pirminius Augia pulsus.

ANno sequenti sanctus Pirminius, uti Hermannus tradit, a Theodebaldo, Gotifredi seu Godofredi Alamannorum quondam ducis filio, Carolo Francorum principi infesto, ob ipsius Caroli, qui Pirminio favebat, odium, Augia insula, novoque monasterio suo expulsus est. Carolus Cointius ab Hermanno, ejusque sequacibus recedit, vultque Pirminium ad sex annos Augiæ perstitisse, nec nisi anno septingentesimo tricesimo inde ejectum fuisse. Verum Hermanni sententiam confirmat Walafridus Strabo, sæculi noni domesticus scriptor, & quidem gravis, qui tres tantum Pirminio annos in Augia tribuit in carmine de visione Wettini, cujus quidem versus aliquos jam retulimus, sed hic repetere juvat.

Primus in hac sanctus construxit mœnia presul
Pirminius, ternisque gregem protexerat annis.

Morbacum struit Theoderico rege probante.

Augia discessurus, Eutonem seu Ethonem pro se abbatem constituit; indeque Alsatiam petiit, alia ibi cœnobia conditurus. Primum ex his occurrit Murbacum seu Morbacum, cui construendo hoc anno animum adjecit. Locus est, si quis alius, horridus ac solitarius, vastis Vosagi montibus circumseptus in Alsatiæ pago Sugintensi, diœcesis primum Argentoratensis, dein Basileensis. Hunc locum Pirminio concessit, impensasque exstruendo monasterio suppeditavit Eberhardus comes, Adalberti filius,

ANN. CHR. 727.

cujus donationem rex Theodericus confirmavit. Regias hac de re litteras, quarum fragmentum Bruſchius ediderat, & nos alibi dimidiatas retulimus, nunc demum integras ex archivo Morbacenſi in appendice referemus. In hoc autem diplomate, quod epiſcopis & illuſtribus viris ducibus, patriciis, comitibus, omnibus agentibus inſcriptum eſt, rex ait, quod venerabilis vir Perminius ſeu Pirminius epiſcopus regiæ celſitudini ſupplicaverit, ut monaſterium virorum, quod ipſe in vaſta pagi Alſacenſis eremo, quæ Voſagus dicitur, in loco, qui ante appellabatur *Muorbach*, tunc Vivarius-peregrinorum, in alodio Eberhardi comitis, cum ejus adjutorio conſtruxerat in honorem ſanctæ Dei genitricis Mariæ, ſanctique Michaëlis, ac ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, necnon ſancti Leudegarii martyris, ubi famuli Dei monachi ſub ſancta regula ſolitariam vitam agerent; regali præcepto, ejuſque poſſeſſiones confirmare ne gravaretur. cui ſupplicationi rex facilem aſſenſum præbuit. Ad hæc ratum habet privilegium, haud dubie Romani pontificis, quo prædictum monaſterium ab epiſcopali ditione immune redditum eſt, eidemque conceſſa libera facultas eligendi ſecundum regulam abbatis; ipſumque in ſuam, regumque ſuccedentium tutelam recipit. Datum & actum die duodecimo menſis Julii, anno VII. Theoderici regis, in Gundulfi-villa. *Gerbaldus obtulit.* Cum hoc inſtrumento conſentit Hermannus, qui Pirminium hoc anno, Theoderici regis ſeptimo, a Theodebaldo Alamanniæ duce ex Augia inſula pulſum, in Alſatiam veniſſe tradit, ut alia cœnobia inſtrueret.

Cur ſancto Leodegario dicatum.

Cur autem Murbacenſe monaſterium in honorem ſancti Leodegarii conditum ſit, id in cauſa fuit, quod Eberhardus ipſum ex materna linea propinquitate attinebat. Aviam quippe habuit Bereſwindam, Sigradæ Leodegarii genitricis ſororem. unde a monachis Maxentianis facile obtinere potuit caput ejuſdem ſancti martyris, quod Murbaci ab ipſa monaſterii origine depoſitum eſt, atque etiam nunc aſſervatur. Quapropter Murbacenſes ſcriptorem quemdam anonymum eo tempore induxerunt ad emendandam Urſini de ſancto Leodegario lucubrationem, quod hæc Ebroinum cum ſancto illo antiſtite in nonnullis æquiparare videretur. Auctor ille anonymus Francus Leodegarii parentes ait fuiſſe clariſſimos Francorum principes, ex quorum proſapia complures adhuc in regno Franciæ principarentur. Opus illud duobus libris conſtat, uno vitæ, altero miraculorum, tam eorum, quæ auctor ipſe facta in Gallia viderat, quam quæ didicerat *in finibus Alamanniæ, ubi*, inquit, *glorioſum caput inclyti martyris dignus laudibus, ſancti patres*, (ſic Murbacenſes alloquitur) *veneramius*. Lapſu temporis ceteris loci patronis prælatus eſt ſanctus Leodegarius, ut in diplomatibus Caroli Magni & Lotharii auguſti, qui monaſterio Luciariæ & monachis ibi degentibus, quoſdam ingenuos homines, a Ludovico patre ſuo conceſſos, confirmavit ad petitionem Sigimari abbatis monaſterii, quod dicitur Vivarium-peregrinorum, ſitumque eſt in ducatu Alſenſi ſuper fluvium *Morbach* (unde inditum loco priſcum nomen) & conſtat eſſe conſtructum in honore ſancti Leodegarii, & ſancti Petri apoſtolorum principis. Quantum dotando monaſterio contulerit Eberhardus comes, patet ex ejus litteris in appendice referendis, Theoderici regis anno octavo datis, in quibus tamen ſancti Leodegarii expreſſam mentionem non facit. His litteris ait ſe monaſterium *ante hos annos* condidiſſe in loco, qui dicitur Maurobacus, cum conſenſu germani ſui Leuthofredi ducis, & conjugis ſuæ Emeltrudis.

LXXIV. Widegerni epiſcopi privilegium.

Eodem anno, Theoderici octavo, Widegernus Argentoratenſis epiſcopus, in cujus parochia primitus hoc monaſterium conſiſtebat, inſigne eidem loco privilegium conceſſit, a Theoderico rege ſuperius laudatum, quo eum a ditione epiſcopi penitus eximit cum conſenſu canonicorum ſuorum, & quorumdam epiſcoporum, procerumque, qui ejus litteris ſubſcribunt. Integrum hoc privilegium exſtat in appendice noſtra, quo Widegernus exemplo nobilium Galliæ cœnobiorum, Lirinenſis, Agaunenſis & aliorum, quæ in univerſo mundo *ſub regulis beatorum patrum, maxime beati Benedicti & ſancti Columbani abbatum*, Deo militabant, Morbacenſi cœnobio ſub regula beati Benedicti conſtructo, omnimodam libertatem impertit, ne quidem reſervatis, uti mos erat, chriſmatis conceſſione, conſecratione altarium, & ordinationibus clericorum. quæ omnia per unum e ſuis epiſcopum, ſi inter eos talis occurrat; aut per quemvis alium epiſcopum fieri permittit, conceſſa inſuper libera eligendi abbatis facultate. *Actum Straſburgo civitate publice, die tertio-decimo menſe Madio, in aſſcenſione Domini, anno octavo regnante domino noſtro Theoderico rege.* quæ

ANN. CHR. 717.

notæ chronicæ in aliquo vitiosæ sunt, forte in assignando die mensis Maii. Tuto enim principatu Theoderici regis ascensio Domini minime incidit in tertium-decimum diem istius mensis. His litteris primo loco subscribit Widegernus episcopus, in editis Wiegernus, cujus ætas, alias incerta, ex hoc instrumento intelligitur. Deinde subscribunt canonici ecclesiæ Argentoratensis, & quidam præcipui cives; quidam item episcopi incertarum sedium, ex quibus unus notissimus est Willibrordus; nonnulli abbates, itidem ignoti, scilicet Hariboldus, Hagnaldus, & Hagino. Præter hos omnes subscribunt dux provinciæ Leodofredus seu Liutfredus, Ebrohardus seu Eberhardus comes ejus frater, Morbacensis cœnobii auctor, & Wlfoaldus comes, qui non alius esse videtur quam conditor monasterii sancti Michaelis ad Mosam. Pirminio in Morbacensi regimine successit Baldebertus, qui confirmationem omnium possessiunum a Pippino rege obtinuit, uti & Haribertus ejus successor a Carolo Magno.

Masonis-monasterium. Eberhardi cumitis frater fuisse dicitur Maso, qui monasterium, de suo nomine Masonis-monasterium * nuncupatum, una cum uxore sua construxit: ubi filius eorum unicus, amne Olruna * inter balneandum submersus, aquisque oppressus fuit.

* *Masmunster.* * *Toder.*

LXXV. Swarzahense & Kengenbacense monasteria. Swarzahense & Kengenbacense seu Genginbacense monasteria in Suevia itidem condidit Pirminius, fundum & impensas suppeditante Ruthardo, quem recentiores Alsatiæ ducem dicunt, nullo, ut eruditis videtur, fundamento, cum in illa Sueviæ parte ducis tum officium gereret Liutfridus, ut mox vidimus, Eberhardi comitis frater. Prioris monasterii, quod primitus *Arnolfesaw* dictum fuisse litteræ Ludovici augusti [a] probant, originem referunt ad annum ejus sæculi vicesimum-quartum, Theoderici regis tertium. Verum hæc nec satis comperta, nec tanti momenti, ut iis frustra disquirendis immoremur. In libello societatum [b] Augiensium pervetusto memorantur ex monasterio Swarzaha Job, Agoaldus, & Lupus abbates; Dato, an Doto, episcopus; insuper, Bruningus, Albricus, Ebroïnus, & Waltu abbates, qui potius huic monasterio assignandi videntur, quam alteri cognomini, quod sæculo nono conditum est in diœcesi Wirziburgensi. Ex monasterio vero *Keginbach* Germund abbas: & inter fratres conscriptos sancti Galli apud Goldastum, Emilo & Alfram abbates de *Kenginbach*; omnes ante finem sæculi noni. Aliud fuit Swarzacense virorum in Francia orientali seu Franconia, aliud item virginum; at serius constructa.

a *Infra lib.* 29 *n.* 83.

b *Analect. to.* 4. *p.* 643.

LXXVI. Pirminii alia monasteria. Pirminio item non originem, sed profectum debent Scutteranum, Weissemburgense, & Mauri-monasterium Alsatiæ monasteria. De Mauri-monasterio mox egimus, de aliis in superioribus libris. Ad hæc monasteria quatuor de integro erexit Pirminius, Hornbacense & Novum-villare in Austrasia, Fabariense in Rætia, diœcesi Curiensi, & Altahense apud Bajoarios.

Hornbacense. Hornbacensi fundum & impensas contulit Werinherus, alta Francorum editus progenie, qui Pirminii sanctitatis famam odoratus, eumdem rogavit, ad se ut venire ne gravaretur. Tum ei dedit optionem quem vellet locum in suis possessionibus eligendi, exstruendo monasterio aptiorem. Arrisit viro sancto præ ceteris locus, in confinio diœceseon Trevirensis & Mettensis, ob duorum confluxum rivulorum Gamundium sive Gamundiæ, aliis *Hornbac*, appellatus: cujus amœnitate & opportunitate sic captus est Pirminius, ut requiem sibi perpetuam illic statuerit. Expurgato a sordidis venatorum usibus loco, monasterium insigne condidit cum æde sacra in honorem & memoriam beatissimæ virginis Mariæ. Monasterium tamen sancti Petri titulo [c] insignitum erat. Illuc ad sancti viri prædicationem confluebat utriusque sexus infinita multitudo, cui sanctæ confirmationis sacramentum in remotis a monasterio tabernaculis conferebat. quæ res episcopalem ejus probat dignitatem. Deficiente aliquando oleo sacro, ampullæ cælitus repletæ fuisse memorantur.

c *Bonifac. epist.* 113.

Weissemburgense. Hinc profectus est vir Dei ad instaurandum Wissemburgense monasterium, quod *Vvizaburc* ejus vitæ scriptor appellat, qui de Hornbacensis monasterii origine, excepto Augiensi, plura quam de aliis monasteriis differit. In libello societatum Augiensium nominantur ex monasterio *Hornbac* Amalhart abbas, & Wirundus itidem abbas. Is est Amalardus, cujus est epistola ad Riculfum Moguntinum episcopum inter [d] Bonifacianas, an Amalharius, qui libros de officiis ecclesiasticis scripsit. In eodem necrologio laudatur ex monasterio Weissemburgensi Justulfus episcopus, forte

d *Bonifac. epist.* 113.

Spirensis, Gerboh abbas, & Bernarius episcopus & abbas. Hoc monasterium, olim locupletissimum, sæculo proxime elapso Spirensi ecclesiæ unitum est. Processu temporis Wido, ex Werinheri stirpe progenitus, Hornbacense monasterium ornavit, ædificiis ac rebus auxit. ANN CHR. 717.

Novum-villare seu Nova-villa diœcesis Argentoratensis, sancto Pirminio acceptam quoque originem refert; at dotationem & impensas Sigibaldo Mettensi episcopo, quem Paulus diaconus Novæ-cellæ conditorem agnoscit, ubi Sigibaldus ipse suam elegit sepulturam. In libello jam sæpe laudato societatum Augiensium memoratur ex monasterio Novo-villari Ratramnus abbas: ex cœnobio vero Favariensi seu Fabariensi Audomar, Werdo, & Crespio abbates ejus loci, de quo paullo accuratius nunc agendum. Novum-villare.

Fabariense * monasterium, unum e præcipuis sancti Pirminii monasteriis, positum est in pago Curiensi, apud Rucantios, ut tum vocabant, seu Rætos populos, in loco, quem veteres Curwallam vocant, haud procul a Langaro * amne, qui in Rhenum paullo infra devolvitur. Priusquam Pirminius istuc accederet, hæc loca inculta, vasta & inhospita erant, montium jugis circumvallata, quæ paullatim ad humanos usus religiosorum incolarum improbo labore accommodata, & quodam modo mansuefacta sunt. Basilica beatissimæ virgini Mariæ sacra. De tempore conditi a Pirminio monasterii non convenit inter auctores. Id constat, paullo antiquius esse Augiense, ex quo religiosa duodecim monachorum colonia Fabariam a Pirminio adducta, qui primus non modo ejus loci institutor, sed etiam abbas habitus est. Subsequentium abbatum seriem, haud satis accuratam, exhibet Bucelinus, in qua Audomarus & Werdo, mox laudati, desiderantur: Crespio decimus recensetur. Mirum si tot abbates a condito monasterio fuerint ad annum septingentesimum octogesimum-septimum, quo is decessisse fertur. Ceterum locum illum post sanctum Pirminium illustrarunt Adelbertus & Baldobertus abbates, Wiggerus episcopus, sanctus Fintanus, aliique complures. Floret etiam nunc hoc princeps monasterium sub congregatione Helveto-Benedictina: at Novum-villare ante annos ducentos ad canonicos sæculares migravit. De Altahensi monasterio inferius agemus. LXXVII. Fabariense. * Pfevers. * Marschlinn.

Willibaldus anno subsequenti ex Jerosolymitana peregrinatione in Italiam redux, ex qua ante annos octo discesserat, post decennium a suo egressu ex insula Britannia, autumno in hiemem inclinante, in Casinas sancti Benedicti monasterium, quod paullo ante Petronax instauraverat, accessit, ibique religiosa humanitate exceptus substitit ad annos decem, cœnobiticæ vitæ formam a Casinatibus accipiens, iisdemque ipse præbens exemplum. Itaque, omnium in se amore provocato, raro pro regionis indole exemplo, primo postquam illuc accessit anno ecclesiæ cubicularius seu æditaus factus est: insequenti monasterii decanus; postmodum per octo consequentes annos janitor, quatuor quidem annis in monasterio superiori, totidemque in inferiori. Neque mirum cuiquam videatur, quod ex decano factus sit januæ monasterii custos: cum ad id officii sanctus pater Benedictus exigat senem sapientem, & maturum moribus. Quamquam ea esse debet monachorum pro regulæ suæ genio propensio & quasi nativa indoles, ut ex superioribus ad ima quæque officia ac munia se se faciles atque ultro demittant, nec ullam aliam ad exaltationem quærant viam, quam per modestiam & humilitatem. Interim Wunebaldus, Willibaldi germanus frater, Romæ degebat monachus, nullo habito cum fratre congressu nisi post decem illos annos, cum Hispano cuidam presbytero, haud dubie monacho, qui Casini cum illo manserat, Romam profecturo socius adjunctus est, annuente abbate. ANN. CHR. 718. LXXVIII. Willibaldus Casini monachus.

Inter ea rex occidentalium in Britannia Saxonum Ina, cum triginta & septem annis regnasset, regnumque Ethelardo cognato, Cerdici prosapia oriundo, tradidisset; Ethelburgæ conjugis suæ instinctu Romam ad limina beatorum apostolorum se recepit, ibidem reliquum vitæ confecturus, eo se regno cælesti propiorem fore existimans, quo sanctis locis esset vicinior. Sunt [a] qui tradant, Ethelburgam reginam cum eo illuc accessisse: ubi rex, ne conversionis suæ pompam faceret, sed soli Dei placeret oculis; amictu plebeio tectus, clam consenserit, & tam ipse, quam regina, non sine magna miraculorum coruscatione vitam clauserint. Verum alii malunt, reginam secessisse in Berkingense pagi Londinensis monasterium, cui LXXIX. Ina rex Romæ fit monachus. a Monast. Anglic. p. 14. col. 1.

ANN. CHR. 718.

deinde præfuisse dicitur. Sed vereor ne confundatur cum Ethelburga prima ejus loci abbatissa, de qua superius actum est. Ut ut sit, Ina Romæ factus est monachus, & quidem Benedictinus, ut Henschenius ipse probat in ejus elogio: tum quia sancti Benedicti regulam, in Glastoniensi servatam monasterio, ipse commendaverat: tum quia Aldhelmi Benedictini abbatis monitis plurimum tribuebat. Monasticas vestes haud dubie a Gregorio secundo accepit. Sed quo in monasterio vixerit, non constat. forte in monasterio sancti Martini, basilicæ sancti Petri proximo; an potius in Schola Anglorum, quam ibidem haud procul ab eadem basilica instituerat. Non dubito quin eidem Romæ tum degenti scripta sit sancti Bonifacii epistola quadragesima-octava, cujus inscriptio sic restituenda videtur: *Reverendissimo fratri, Christique emerito militi regi Ina, antea Domino glorioso, divina sospitatis salu-*

Bonifacii ad eum epistola.

» *tem.* Tum subdit Bonifacius, se quorumdam venerabilium servorum Dei relatu di-
» dicisse, quod acerbo morborum genere graviter affectus, non tamen defectus aut
» confectus esset. qua de re se grates spiritali Patri agere, quod eum cælesti gratia visi-
» tatum, divino ditatum munere, & spiritali specie ornatum intellexisset. Istam ve-
» ro flagellantis Domini visitationem eum invitare, ut ingenti desiderio & immar-
» cessibili atque indefessa caritate Deo jungatur. Porro, licet ad tempus manu fla-
» gellantis & amantis Domini infirmetur, sciat se hoc modo ad æternam animæ sa-
» lutem præparatum: quia *flagellat Deus omnem filium, quem recipit.* Proinde gra-
» tulabundus lætusque dicat cum Apostolo: *Quando infirmor, tunc potens sum.* &; *Vir-*
» *tus in infirmitate perficitur:* ut imbecillitas corporis fortitudo sit spiritalis; & ut me-
» reatur esse filius Altissimi, qui ipsum ad cælum invitat. Ceterum Inæ Romam se-
cessum hoc anno reponit chronologia Saxonica Bedæ adjuncta; idque facile ex Beda venerabili colligi potest. Quamdiu ibi vixerit, incompertum. Certe ibidem sanctissime decessit, uti & ipsius conjux, sive Romæ, sive in Berkingensi monasterio.
» Ita mutua caritate connexi, inquit Willelmus Malmesburiensis, temporibus suis
» viam hominum ingressi sunt, non sine magnis miraculis, ut accepimus, quibus di-
» vina dignatio felicium conjugum sæpe respondet meritis. Hinc sanctus Ina celebratur a Ferrario, itemque in martyrologiis Anglicanis & Benedictinis VIII. idus
» Februarii. Et quidem, ut Johannes Bromton scribit in chronico, Ina Romæ mona-
» chus factus, moriens cælestia stipendia merebatur.

LXXX. Coëngislus abbas Glastoniensis.

Eodem anno Echfrido abbati Glastoniensi successit Coëngislus, cui Ethelardus rex, Inæ successor, cum uxore sua Fridogida, multa prædia contessit. Coëngislo abbati in primis directa est Bonifacii epistola quinquagesima-secunda, qua ei gratias agit Bonifacius ob communionem orationum; uti & sequens Wiethberti presbyteri, inscripta *dominis sanctis & in Christo desiderandis fratribus in monasterio Glestingaburg constitutis.* Wiethbertus presbyter non alius videtur a Wigberto, Fritislariensi postmodum abbate, qui ex Britannia in Germaniam cum aliis ad Bonifacium accessit. Hoc de itinere mentionem facit hæc epistola, in qua Wiethbertus Deo gratias

Wiethberti presbyteri epistola & secessus in Germaniam.

» agit, quod iter suum in illas provincias, in confinio paganorum Hæssonum ac Sa-
» xonum positas, ultra mare, & per hujus mundi pericula, Glestingaburgensium li-
» centia & orationibus, ac misericordia sua direxerit; seque in futurum eorum pre-
» cibus denuo commendat. quippe cum valde periculosum sit ac laboriosum inter pa-
» ganos degere, in rerum fere omnium penuria, in fame, siti & algore. Ceterum,
» archiepiscopum suum Bonifacium, cum adventum suum in illas partes accepisset,
» per semetipsum longa via obviam illis venisse, ac perbenigne excepisse. Tum salu-
» tari jubet fratres in gyro, *primo,* inquit, *Ingeldum abbatem, & congregationem no-*
» *stram;* ac significari matri suæ Tettan, ejusque congregationi prosperum iter suum.
Tetta abbatissa erat monasterii Winburnensis, ubi etiam alterum de more cœnobium virorum erat. Illic primum vixerat Wigbertus sub Alduno abbate, antequam ad Glestingaburgense seu Glastoniense transferretur, quo ex loco in Germaniam accesserat *cum licentia* fratrum Glestingaburgensium, ad quos superior epistola scripta est. Quinam fuerint ejus in illo itinere socii, difficile est accurate percensere. In eorum numero videntur fuisse Lullus presbyter, Megingozus diaconus, Sturmius, forte etiam Burchardus; ex feminis Lioba, ejusque asseclæ, omnes instituto monastico addicti. An vero eorum adventus in Germaniam hoc anno contigerit, an paullo superius, postquam scilicet Bonifacius a Gregorio tertio archiepiscopus Moguntinus creatus est, res mihi videtur meræ conjecturæ. nam quod Bonifacius

nifacius in prædicta Wiethberti epistola *archiepiscopus* vocatur, id non evincit eum jam Moguntinæ sedi signanter impositum fuisse: cum archiepiscopus dictus sit nonnumquam ab ipsius ordinatione episcopali a Gregorio secundo facta: quo titulo eum honestat Daniel Wentanus antistes io responsione ad ejus epistolam tertiam. ANN. CHR. 728.

Ad Wigbertum quod attinet, quatuor ejus nominis ad vitandam confusionem distinguere necesse est: unum seniorem, qui post Egbertum ex Hibernia in Frisiam accessit evangelii prædicandi gratia; atque inde a Radbodo pulsus, in Hiberniam reversus est: alterum Wibertum seu Winberchtum abbatem Nutscellensem, sub cujus disciplina Bonifacius adolevit: tertium Fritislariensem abbatem, de quo agimus in præsens: quartum Wigbertum presbyterum, ac monachum Fritislariensem, cui simulque Megingordo diacono Bonifacius [a] regulæ curam ac sollicitudinem commendat post mortem Wigberti abbatis, non Nutscellensis, ut quibusdam videtur, sed Fritislariensis, ut suo loco demonstrabimus. Fuit & alius quiotus Wigbertus presbyter, & quidem, ut puto, secularis, qui ex Germania in Britanniam reversus, duas Lullo episcopo Moguntino scripsit epistolas; in quarum altera, quæ centesima-decima est inter Bonifacianas, Lullo a se consulto de suo ipsius in Germaniam reditu, exponit cootrarios propinquorum & amicorum obsistentium conatus, qui ipsum apud se retinere cupiebant, hereditatem ei suam promittentes. quod potius seculari presbytero convenit, quam monacho. tametsi monachi tunc temporis patriæ hereditatis haud expertes erant.

LXXXI. Wigberti plures.

a Bonifat. ep. 83.

ANNOS insequens, dominicæ Incarnationis vicesimus-nonus supra septiogentesimum, insignis fuit in primis obitu Egberti sanctissimi sacerdotis, qui primus viam apostolicis in Germaniam præconibus exemplo suo aperuit. Decessit autem in insula Hiiensi, cujus incolas monachos ad catholicos ritus adduxerat: quo ex tempore tredecim annos in eadem insula permansit, quam ipse velut nova quadam ecclesiasticæ societatis & pacis gratia illustraverat. Obiit VIII. kalendas Maii, ipso die sancto paschæ, cum missarum sollemoia de eadem dominica resurrectione celebrasset; sicque contigit mira Dei providentia, ut ea die transiret de hoc mundo ad Patrem, perenoe illud paschæ festum io cælis celebraturos, quod novo & catholico ritu in terris cum fratribus a se conversis colere cœperat. Hunc sacerdotem Beda ejus encomiastes, Alcuious io libro de gestis Willibrordi episcopum vocat. Eumdem pontificem appellat Ethelwolfus, monachus ejus temporis, in carmine de abbatibus novi monasterii Lindisfarneosis, cujus auctor & primus abbas Eaodmundus Egbertum de recte instituenda disciplina regulari consuluerat. Nulla itaque dubitatio superesse potest, quio Egbertus fuerit episcopus, tametsi nulli forte addictus ecclesiæ. Neque audiendus pseudo-Marcellinus io vulgatis actis Suidbertinis, qui hunc dicit archiepiscopum Eboracensem, confundens eum scilicet cum alio Egberto, qui anno post hujus Egberti obitum tertio, Wilsrido juniori successit io regimine Eboracensis ecclesiæ. Non prætererim hoc loco metricum Bedæ [b] martyrologium, in cujus mense Aprili Egbertus noster hoc distieho celebratur.

ANN. CHR. 729. LXXXII. Egberti episcopi obitus.

b Spicil. to. 5.

Egbertus digna virtutum laude coruscens
Astriferum octavis veneranter scandit olympum.

Egberto adjungendus est, tametsi longo terrarum disparatus intervallo, Taso abbas secundus monasterii sancti Vincentii ad Vulturnum apud Samnites, qui paullo aote Egbertum obiit, id est III. idus Jaouarias ejusdem anni, teste Ambrosio Autperto, cum annos amplius octo eidem monasterio præfuisset. In ejus locum suffectus est tertius Paldonis & Tasoois germanus frater Tato, Tasone natu-major, cujus tempore paullo lætiora & jucundiora successere, exstincta lue & discordia, quæ Tasonis regimen perturbaveraot. Tatoni quippe etsi zelus noo deerat, major tamen inerat discretionis cautio: qui dum semetipsum laboribus durissime exercebat, gregi parcebat ut pius pater; sic inter mites mitis exsistens, ut inter elatos ac superbos districtionis studio se se erigeret. De ipso memoriæ proditum est, eum, ex quo monachum induit, numquam balneis usum fuisse, numquam caput lavisse, numquam crinem aut barbam novacula resecari passum esse; &, cum

LXXXIII. Tasoni abbati S. Vincentii succedit Tato.

interdiu laboribus corpore insudaret, noctu perpetuis vacaret vigiliis, lineam ad cutem semper gestasse, aut, deficiente corpore, ejus loco circulum ferreum, quem usque ad diem obitus sui retinuit. Idem etiam lectisterniis abstinuisse dicitur, & aliquando totam hebdomadam jejunio peregisse.

ANN. CHR. 730

LXXXIV. Hugo episcopus Rotomagensis moritur.

SEquentem etiam annum infestavit mors duorum antistitum, Hugonis Rotomagensis, & Corbiniani Frisingensis. Hugo, annis vitæ suæ laudabiliter expletis, migravit ad Dominum VI. idus Aprilis, anno dominicæ incarnationis septingentesimo tricesimo, uti habet chronographus Fontanellensis, in hoc emendandus, quod annos ei novem regiminis Fontanellensis tribuat ab anno vicesimo-tertio ad hunc annum, cum septem tantum anni intercedant. Corpus ejus in Gemetico monasterio, ubi decessit, sepulturæ traditum est in ecclesia beatæ Mariæ, exstructa super illius tumulum *repa* seu ædicula, diversis decorata metallis, *ob amorem videlicet, sanctitatem, ac reverentiam illius*, teste chronographo, qui in ejus rei argumentum affert varias ab illo factas eidem monasterio donationes, quantas nullus ante eum ejusdem cœnobii rector fecerat, nec post eum facturus sit. Præter ea laudatur in eodem chronico, quod pervigilem curam de constructione, propagatione & administratione seu exaltatione ecclesiarum sibi commissarum habuerit. quod argumento est, eum non ex cupiditate tot ecclesias sibi accumulasse, sed ex temporum ac rerum necessitate, ne in manus laicurum hominum, hoc est prædonum, quales permulti tunc aliis ecclesiis incubabant, devenirent. Eodem animo prædia & possessiones multas tum a regibus, tum a patruo suo Carolo accepit, *non causa perversæ cupiditatis, aut aliquo seculari fastu*, sed ut ex eis ecclesias sibi commissas locupletaret, hoc scriptum animo repetens, *quod ea hereditas bene reconditur, quæ Deo custode servatur*. Denique non illustris familiæ locupletandæ, sive lautius, ut fit, vivendi, sed illarum ecclesiarum utilitatis causa id fecisse creditur. His argumentis, chronographus Fontanellensis purgare conatur immensam illam beneficiorum, ut vocant, multitudinem *contra decreta canonum*, quam non valeret approbare bonus eorum usus, nisi id vitiositatis ab Hugone extorsisset temporum conditio, ac major ecclesiæ utilitas. Ob hanc causam Hugo nihilo minus sanctus colitur in ecclesia Rotomagensi & in Gemeticensi monasterio, qui perversarum aliorum cupiditatum patronus habendus non est. Idem erga cœnobium Fontanellense etiam valde munificus fuisse traditur, eidemque præter multa prædia tribuisse calicem aureum & patenam argenteam ponderis librarum quatuor, duarumque unciarum; turriculam item auream librarum sex, & capsam auro ac gemmis decoratam, reliquias multorum sanctorum continentem. Ceterum longe a vero aberrant qui Hugonem hunc confundunt cum altero cognomine Caroli Magni filio naturali, & cum Hugone abbate Novaliciensi, si tamen diversi, quos numquam Rotomagenses fuisse episcopos mihi persuasum est.

LXXXV. Lando abbas Fontanellæ.

Hugonis in Fontanellensi regimine successor in annos tantum tres Lando episcopus fuisse traditur in prædicto chronico: verum quod idem archiepiscopus Remensis dicitur in titulo capitis noni, erratum est, uti & in contextu, ubi *Lando episcopus de urbe Remensi* appellatur, eum ad modum quo Bainus episcopus *de civitate Tyroenda* seu Teruanna apud eumdem auctorem. Certe Lando inter Remenses episcopos numeratur, sed uno fere sæculo ante Landonem abbatem Fontanellensem, cujus tempore Milu, sola tonsura, aut potius solo nomine clericus, sedem Remensem occupabat, Rigoberto expulso, qui eodem, quo Lando abbas, anno decessit. De Landone abbate id unum memoriæ proditur, quod a Carolo principe immunitatis privilegium impetraverit, quo Funtanellam cœnobium, resque ejus omnes sub suam defensionem ac tuitionem recepit, ne a quoquam diripi, aut contaminari, lædive in aliquo possent. Jam vero quis Hugoni in regimine Gemeticensi successerit, non satis liquet. Landricum quidem substituunt vulgati abbatum indices, sed Dructegangus interponendus, in editis & apud Cointium Hugoni perperam præmissus, ut qui concilio Attiniacensi subscripsit anno septingentesimo sexagesimo-quinto, idemque missus est a Carolo Magno ad Paulum papam.

Dructegangus abbas Gemetici.

LXXXVI. Corbinianus episcopus Frisingensis obit.

Redeo ad Corbinianum episcopum Frisingensem, qui cum tempus mortis suæ imminere sentiret, Erimbertum fratrem suum in Italiam misit ad Liutprandum re-

gem Langobardorum, in cujus dominationem tunc Magiense castrum cesserat, al eo postulaturus, ut suam juxta Magias possessionem Frisingensi beatæ Mariæ ecclesiæ confirmaret. Id factum octavo ante ejus obitum die, quo simul tempore aliun nuntium ad Hucbertum Bajoariorum principem direxit, qui suum ei obitum nuntiaret, ab eoque peteret, ut ipsius corpus in sancti Valentini oratorio sepeliri permitteret. Ubi exitus ejus illuxit dies, balneum sibi præparari jussit, & abluto e more corpore, capillos sibi tonderi, caputque ac mentum radi. Tum vestibus sacris indutus, Deo missæ sacrificium obtulit, & viaticum propriis manibus accepit Postea domum reversus, modicum vinum libavit, & nihil doloris præ se ferens fronte signo crucis signata, Deo spiritum reddidit VI. idus Septembris. Corpus ejus contra quam præceperat, in Frisingensi beatæ Mariæ ecclesia sepulturæ mandatum est. verum ob ingruentes ventorum, imbriumque procellas, inde post triginta dies Hucberto duce, delatum est in Magiense castrum, ibique jubente Liutprando honorifice susceptum, demum in sancti Valentini oratorio humatur. Puer quidam festo die sancti Corbiniani præceps e castri Magiensis muris, quos Passaris amnis alluit, inter saxorum scopulos lapsus, ob sancti viri meritum illæsus repertus est futurus postea ejusdem in Frisingensi ecclesia successor, haud dubie Joseph, ortu Veronensis, Erimberti Corbiniani fratris successor, ac decessor Aribonis, qui Corbiniani gesta litteris mandavit, idemque sancti viri corpus e Magiensi castro in Frisingensem beatæ Mariæ ecclesiam, agente Tassilone duce, revehendum curavit. Rem fuse narrat Aribo ipse sub finem vitæ sancti Corbiniani, in hunc fere modum. Dum a Langobardorum gente corpus beati Valentini confessoris Christ de castro Magiensi ablatum fuisset, & in Tridentinam urbem deportatum, ac post modum a Tassilone duce Patavium honorifice relatum; cœpit Aribo animo agitare quid de sancti Corbiniani ageret corpore, quod absque debito honore in prædicto castro jacebat. Itaque habito cum suis coëpiscopis & ecclesiasticis viris consilio statuit, ut ad Frisingensem ecclesiam transferretur, illic debito cultu honorandum Præmisso igitur triduano jejunio, quod per totam diœcesim observatum est, continuo psalmorum cantu ab ipso castro Frisingam usque translatum fuit. Cum vero ad portum Æni * fluminis sacrum corpus appulisset, effusis obviam clericis, innumerisque laïcis promiscui sexus, magna pompa, & assidua litaniarum modulatione, occurente cum multis episcopis Tassilone duce, tandem in principem Frisingæ ecclesiam illatum est.

Post sancti Corbiniani obitum interpontificium fuit ad annos octo: quibus elapsis, Bonifacius Erimberto ejus fratri Frisingensis ecclesiæ curam demandavit Hinc Marcus Velserus in historia Boïorum existimat, Corbinianum nulli peculiari ecclesiæ addictum fuisse, sed regionarium a Gregorio secundo ordinatum episcopum, ut ubique prædicationis officium exerceret. Verum, etsi hanc prædicandi ubique evangelii facultatem acceperit, eum nihilo minus primum ecclesiæ Frisingensis episcopum ac conditorem fuisse constat, idque diserte Aribo testatur, inter alia scribens, Corbinianum multa bona contulisse ecclesiæ Frisingensi, *ubi cathedram tenuit pontificalem*, cujus & se ipse heredem ac successorem dicit. Id autem manifeste evincitur ex veterrimo ejus ecclesiæ catalogo episcoporum, qui desinit in Annone sexto episcopo, cujus tempore scriptus est. Hunc, etsi alias * a me editum hic denuo exhibere non gravabor.

Frigisiensis enim sedis hac aula vocata est,
Corbinianus ovans quam primus rexerat almus.
Inde Dei famulus Ermperhtus nomine sedit.
Tertius hinc Joseph, praclarus nempe magister.
Arpeo quartus erat, facundo famine fretus.
Quintus apostolicam tenuit pius Atto cathedram.
Post hunc Hitto pater sedem jam rexerat almus.
Exhinc successit Erchanperht pastor amatus.
Ecce pius sedens præsens nunc Anno gubernat.

Arpeo idem est qui Aribo, alio nomine Cyrinus dictus, qui se Heredem etiam

ANN. CHR. 730.

vocat, appellativo, ut puto, cognomine, quod heres ac successor esset sancti Corbiniani. In veteri codice sæpe laudato societatum Augiensium recensentur nomina fratrum de *Frisigingun*, nempe Ercambertus episcopus, Herolf chorepiscopus, Atto episcopus, & Sigiharth chorepiscopus. Primos ejus loci antistites ex monachorum gremio electos fuisse veri simillimum est. Aribo ipse in libro de vita sancti Corbiniani miraculum pluviæ, a sancta Scholastica cælitus obtentæ, commemorat, & de sanctissimo ejus fratre Benedicto honorificam mentionem facit; idemque monasterium constituit sub regula sancti Benedicti: alteri vero abbas præfuit, antequam episcopus crearetur.

LXXXVII. Ursicinus abbas Desertinensis.

Per id temporis Ursicinus, in Rætia superiore clarissimis Curiensium comitum prognatus natalibus, animum adjecit instaurando Desertinensi monasterio, quod jam pridem Avarum seu Hunnorum irruptionibus vastatum atque eversum jacebat. Huc inductus traditur loci religione, quam ejus animo injecerat in primis equorum interitus, quos Caroli majoris-domus Franciæ milites fortuito casu illic stabulaturos incluserant. Restitutis ædificiis, gregi novo præfectus est hoc anno Ursicinus, cujus incredibilis abstinentia, mira in se severitas, in alios eximia caritas & mansuetudo prædicantur. His meritorum gradibus nolens pervenit ad dignitatem episcopalem, quam processu temporis in ecclesia Curiensi assecutus est, ac sanctitatis suæ lumine illustravit.



ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

ANN. 731

LIBER VICESIMUS-PRIMUS.

Ab anno Christi 731. ad annum 743.

I. Gregorii secundi obitus beneficia in monachos

INEUNDUS est hic liber, atque annus procedentis sæculi tricesimus-primus, a commemoratione Gregorii papæ secundi hoc anno mortui, cujus memoria in Ordine nostro æternum vigebit ob eximium ejus studium in rem monasticam, quam si non ipse per se se ante pontificatum excoluit cum nostris in patriarchio Lateranensi, ubi adolevit; certe multis aliis sectandam & excolendam & verbis, & factis proposuit. Quod enim Gregorius Magnus in ordinem monasticum, idem fere hic præstitit in eumdem; nullamque sacri instituti promovendi occasionem prætermisit. Nimirum Petronacem ad instaurandum Casinense monasterium induxit, adjuvitque; monachorum cœtus prope destitutos Romæ restituit, novosque instituit, & suam ipsius domum, Gregorii Magni exemplo, in religiosas ædes convertit. Ceterum quam favorabilis ac munificus fuerit erga evangelicos Ordinis nostri præcones, manifestum est ex his, quæ de Bonifacio & Corbiniano superius retulimus. His recte factis meruit, ut in fastis nostris ejus memoria inscriberetur, idibus quidem Februarii in veteri breviario Oderisii abbatis Casinensis, quo die litteris aureis fit commemoratio *Gregorii papæ secundi*, eodemque die in martyrologio Romano; apud Notkerum vero pridie kalendas Februarias, uti & in fastis Benedictinis: a quibus multum recedit Anastasius, scribens eum sepultum fuisse ad sanctum Petrum *tertio idus Februarii*, & quidem indictione quarta-decima, Leone & Constantino imperatoribus, quod huic anno respondet. Hunc Gregorium *juniorem* veteres non raro appellant præ Gregorio tertio ejus successore, habito respectu ad Gregorium Magnum; eoque nomine Leo quartus in epistola ad episcopos Britanniæ *beati Gregorii junioris decreta* laudat, ea scilicet, quæ Gregorius secundus de copula inter cognatos sancivit in epistola quadam ad Bonifacium, quæ inter Bonifacianas centesima vicesima-sexta est; itidemque Hincmarus Remorum antistes in litteris nomine synodi Tusiacensis ad Rodulfum & Frotarium episcopos, ubi profertur epistola *beati junioris Gregorii per Denualdum presbyterum directa ad Bonifacium Moguntinum episcopum*, non alia sane ab ea, quam Leo IV. laudat, ubi vides Gregorium utrobique *juniorem* simul & *beatum* dici. Denique in chronico Fontanellensi *Gregorius Junior* ad Dominum migrasse dicitur anno primo Landonis abbatis; ei-

AN. CHR. 731.

» demque successisse Gregorius alter, miræ sanctitatis vir, qui claves ex confessione » sancti Petri Carulo principi direxit, ut Romanam rempublicam ab oppressione Lan- » gobardurum liberaret. Hæc obiter retulimus, ut caveatur quorumdam recentiorum error, qui synodum Romanam, sub Gregoriu secundo habitam, Gregorio tertio tribuunt, quod *Gregoris junioris* nomine insignita legatur. Ad hujus discrimen Willibaldus in actis Bonifacii Gregorium tertium *juniorem·secundum* vocat.

II. Gregorius tertius succedit, in monachos itidem bene affectus.

Paullominus erga monachos affectus fuit Gregorius tertius ejus successor: qui non tantum festa vigiliarum a monachis trium monasteriorum, Vaticanæ sancti Petri basilicæ adjacentium, atque natalitiorum missas in eadem basilica celebrari præcepit: verum etiam monasterium circa titulum sanctorum martyrum Stephani, Laurentii atque Chrysogoni exstruxit, ibidem abbatem instituens, & monachorum congregationem, ad persolvendas in eodem titulo divinas laudes, à jure & potestate presbyteri titularis exemtam: ad cujus sustentationem prædia, dona, & familiam largitus est. Ad hæc renovavit monasterium sanctorum Johannis Evangelistæ, Johannis Baptistæ & Pancratii, juxta Lateranensem Salvatoris basilicam antiquitus institutum, sed monachis tum ex incuria destitutum: ubi, assignatis, redemtisve prædiis ac possessionibus, cœtum monachorum cum abbate restiruit ad celebranda pari modo quotidie divinæ laudis officia in ipsa basilica Salvatoris juxta ritum ecclesiæ beati Petri. Hoc monasterium illud ipsum esse creditur, quod monachis Casinatibus post eversionem monasterii sui a Pelagio pontifice assignatum fuerat, sed tunc, monachis Casinum reversis, in solitudinem redactum. Ad eumdem pontificem transmissæ sunt, ejus pontificatus initio, litteræ sancti Bonifacii, forte ejus decessori scriptæ, in quibus variæ quæstiones explicandæ proponuntur. Exciderunt litteræ illæ: sed ex responsu Gregorii tertii quid in eis contineretur intelligimus. Hæc responsio inscripta est *reverentissimo ac sanctissimo fratri Bonifacio coëpiscopo, ad illuminationem gentis Germaniæ, vel circumquaque in umbra mortis morantibus gentibus in errore constitutis, ab hac apostolica sede directo.* Principio ei gratulatur pontifex, quod plurimos a gentilitatis errore ad veræ fidei agnitionem converterit; eique ob id pallium mittit, quo indutus inter archiepiscopos censeatur. Ob eam causam nonnulli Mettenses episcopi, nempe ob acceptum a pontifice pallium, archiepiscopi dicti sunt. Deinde, quia scripserat Bonifacius, tantæ Germanorum ad fidem accedentium multitudini se unum parem non esse; eidem facultatem dat Gregorius instituendi alios in » Germania episcopos, modo ut non vilescat dignitas episcopatus, qualem admoni- » tionem Amphilochio episcopo pro Isauria magnus Basilius[a] dabat. Ad hæc, presby- » terum quemdam, qui se a pontifice absolutum dicebat, nihilo minus vitandum esse » ait ac corrigendum, si pravi ejus mores sint, aut erronea doctrina. Alia epistolæ capita prætermitto, quæ baptismum spectant, matrimonium, pænitentiam, & ordinationem episcoporum, ad quam duos vel tres episcopos convenire præcipit. In fine, cœpto negotio eum insistere jubet, mittitque privilegium, quod petierat: sed quale illud fuerit privilegium, ignoramus. nisi si hoc est privilegium legati ac præconis evangelici, quod sibi a pontifice forsan confirmari petierat.

Bonifacio scribit, mittitque pallium.

a *Basil. ep.* 406.

III. Monachorum coloniæ ex Augia deductæ.

Hermannus, ex-comite monachus Augiensis, Contractus vulgo dictus, hoc anno tria cœnobia, id est Altaham, Morbacum, & Favarias, ex Augiensibus fratribus instructa fuisse auctor est, duodenis ad singula fratribus deputatis, totidemque Augiæ remanentibus. Non crediderim tamen tria hæc monasteria simul hoc eodem anno monachis instructa fuisse. Quamquam si tantum anno hujus sæculi vicesimo-septimo Pirminius Morbacensi manum admovere cœpit, vix ante hunc annum absolvere potuit opportuna monachis ædificia. De Favariensi seu Fabariensi nihil retractandum occurrit: verum Altahensis originem Lambertus Scafnaburgensis monachus differt ad annum quadragesimum primum: cui accedit Hundius in metropoli Salisburgensi; ideoque eam ad eum annum differimus,

IV. Beda historiam absolvit.

Non ultra hunc annum tricesimum-primum venerabilis Beda historiam ecclesiasticam gentis Anglorum produxit, ut colligirur tum ex ipso auctore, tum ex melioris notæ codicibus scriptis, in primis nostro Germanensi, in quo ejus epitome in hoc anno desinit. Hanc Beda historiam, quinque libris scriptam, nuncupavit Ceolwlfo gloriosissimo regi Northanimbrotum, cujus imperio suberant Wirense & Girwense monasteria, Bedæ commoratione illustrata. Ceolwlfus vero illi genti imperavit ab anno septingentesimo vicesimo-octavo, quo Osrico regi successit in annos novem:

ANN. CHR. 731.

quibus exactis regiam vestem cuculla mutavit, monachus factus in monasterio Lindisfarnensi. Hunc si non inchoandæ, saltem absolvendæ historiæ incentorem habuit venerabilis Beda, factæque approbatorem, uti ipse testatur in præfatione eidem regi inscripta: in qua præcipuum ipsius opusculi (sic ille ex modestia vocat) adjutorem, immo auctorem laudat Albinum abbatem Cantuariensem, virum per omnia doctissimum, qui monumenta omnia, ad Cantuariorum spectantia provinciam, aliasque contiguas regiones ipsi suppeditaverat. Quo tempore Beda historiam suam absolverit, intelligere possumus tum ex capite duodecimo libri quinti, tum maxime ex capite vicesimo-quarto & ultimo. nam in capite duodecimo Wilbrordus, cognomento Clemens, adhuc superesse dicitur, longa jam venerabilis ætate, utpote tricesimum & sextum in episcopatu habens annum, quem ibidem idem auctor episcopum die festo sanctæ Cæciliæ a Sergio papa Romæ ordinatum asserit fuisse anno sexcentesimo nonagesimo-sexto: quibus si addas annos triginta sex decurrentes, annum septingentesimum tricesimum-primum facile colliges, aut insequentem. Sed res dilucidior apparet ex capite ultimo, ubi totius Britanniæ brevem conspectum exhibens auctor, omnesque cujusque parochiæ recensens episcopos, Wilfridum, scilicet juniorem, in Eboracensi ecclesia præsulatum tenere dicit, quem constat anno sequenti tricesimo-secundo episcopatu cessisse solitariæ vitæ studio, ejusque in locum Egbertum suffectum fuisse. Certe ipsius Bedæ epitome, historiæ subjuncta, in antiquioribus & melioris notæ codicibus, ut in nostro Germanensi, desinit, ut jam dixi, in anno tricesimo-primo. Quod cum auctores nonnulli Beda posteriores animadvertissent, Bedam non ultra hunc annum vitam produxisse, atque adeo anno septingentesimo tricesimo-primo decessisse tradiderunt: quo in numero, vel potius errore versantur plerique rerum Anglicarum scriptores, in primis Alcuini vitæ scriptor perantiquus, qui Bedam nonagenarium asserit obiisse anno septingentesimo tricesimo-primo. Utrumque falsum, idque facile ex ipso Beda emendari poterat, scribente se eo anno, scilicet tricesimo-primo, quo historiam absolvebat, annorum dumtaxat quinquaginta-novem fuisse. Quid pluribus moror? Idem in fine ultimi capitis historiæ suæ diserte adstruit annum, quo eam absolvit, in hæc verba: *Hic est in præsentiarum universæ status Britanniæ anno adventus Anglorum in Britanniam circiter ducentesimo octogesimo-quinto, dominicæ autem incarnationis anno septingentesimo tricesimo-primo.* Nihil clarius: ac proinde quæ in ejus epitome historiæ ab eodem subjuncta leguntur, additamenta sunt aliorum, saltem ab anno tricesimo-quinto, quo anno Bedam e vivis excessisse infra demonstrabimus.

V. Britanniæ status & episcopatus.

Britanniæ status describitur in historiæ capite ultimo, ubi numerus sedium episcopalium, & singulorum, qui singulas occupabant ecclesias, episcoporum nomina referuntur. Tunc in Britannia sexdecim erant episcopales ecclesiæ: archiepiscopatus duo tantum erant, Cantuariensis & Eboracensis. Eboracensi tres tantum ecclesiæ subjacebant: ceteræ Cantuariensi. In Cantuariorum provincia episcopales ecclesiæ duæ, Cantuariensis primas, & Roffensis. In Northanimbrorum regione Eboracensis metropolitana, Lindisfarnensis, Hagustaldensis, & Candidæ-casæ. Apud orientales Saxones Londinensis; apud orientales Anglos Domucensis & Helmonensis; apud occidentales Saxones Schireburnensis & Wentana seu Wintoniensis; apud Mercios Liccidfeldensis. Trans Sabrinam fluvium Herefordensis; in provincia Wicciorum Wigorniensis: in Lindisfarorum, Lincolniensis: denique apud australes Saxones Selesiensis, quæ tunc vacabat, ac ministerium episcopale a vicino episcopo occidentalium Saxonum Wentano quærebat. Processu temporis octo ex illis ecclesiis monachorum nostrorum fuerunt; Beda hæc scribente Cantuariensis, & Lindisfarnensis, Hagustaldensis & Selesiensis monachis parebant, & fortasse quædam aliæ, ut Eboracensis, utpote cujus abbas Wilfridus junior fuisse traditur. Cantuariensem regebat Tatwinus, ex-presbytero monasterii Briudunensis provinciæ Merciorum, qui anno superiore Berthwaldo successerat; Lindisfarnensem Ethilwaldus; Hagustaldensem Acca, Bedæ diœcesanus episcopus & singularis amicus; &, quæ his duabus præponenda erat, Eboracensem Wilfridus junior, qui anno sequenti Egberto locum cessit. Tatwinus anno superiore a venerabilibus patribus Daniele Wentano, Ingualdo Londoniensi, Alduino Liccidfeldensi, & Aldulfo Roffensi præsulibus, decima die mensis Junii Cantuariæ consecratus [a] fuerat, vir religione & prudentia insignis, sacrisque litteris apprime eruditus. Ceterum Pictorum nationem, quæ

[a] Beda lib. 5. c. 24.

ANN. CHR. 731.

magis ad septemtrionem vergebat, Hiienses monachi administrabant, aut potius episcopi ex eis assumti: cum inter eos semper quidam episcopali charactere insigniti essent, qualis fuit Egbertus, de quo superius egimus. Ad religionem quod attinet, Picti & Scotti omnes cum Anglis & Saxonibus in Romanis ritibus tum concordabant: soli Brittones, qui Walliam incolebant, innato sibi odio a ceteris dissidebant, nec catholicum pascha cum aliis celebrabant. Et ita quidem hoc tempore Britannicæ res se habebant.

ANN. CHR. 732. VI.

Sarracenorum in Gallias impressiones.

SArraceni, qoos Wandalos & Agarenos passim illorum temporum scriptores vocant, ex Hispania in Gallias effusi, in primis utramque Aquitaniam, Provinciam & Burgundiam sæpe repetitis cladibus attriverunt, maxime hoc anno & sequenti, quorum alter præcedentis clades insigni demum victoria temperavit. Prima eorum in Galliam impressio, post Zamanem ducem, qui Illiberim, Ruscinonem, Narbonemque ceperat, Ambiza duce facta est, teste Anastasio Bibliothecario, post annos decem, quam Hispanias penitus subegissent, hoc est anno hujus sæculi vicesimo-quarto aut subsequenti. siquidem anno duodecimo ex Africa in Hispaniam transierant, post biennium rerum in Hispania potiti. Anno abhinc undecimo per Septimaniam sibi subjectam moventes ad Rhodanum, ut Franciam totam occuparent, Eudo Aquitaniæ dux cum numeroso exercitu assecutus, incredibilem de eis victoriam reportasse memoratur, Sarracenis ad trecenta septuaginta-quinque millia (sic numerat Anastasius) interfectis, cum mille tantum & quingenti Francorum, id est Aquitanorum, & Francorum Eudoni parentium, in hoc prœlio occubuissent. Post annos tres, accepti dedecoris infamiam abstergere cupientes Sarraceni, iterum in Gallias irrumpunt, easque igne & ferro depopulantur, ut Beda [a] venerabilis perhibet, qui cometas duos in ejus rei portentum anno septingentesimo vicesimo-octavo a mense Januario ad duos menses apparuisse scribit, eodemque tempore Gallias *misera cede* vastatas a Sarracenis, qui & ipsi non multo post *in eadem provincia* dignas suæ perfidiæ pœnas luisse dicuntur. quod de victoria Pictavensi dictum existimarem, nisi Beda historiam suam anno præcedenti absolvisset. Post hæc, anno ejus sæculi tricesimo-primo, cum Abdiraman Hispaniarum præfectus Arelate obsedisset, ibique Francos devicisset auxilio profectos; laxis secundæ victoriæ habenis, Francorum regiones populabundus ingreditur, Provinciam scilicet ac Burgundiam, attinentesque regiones, & Senonas usque victorem exercitum perducit, eamdemque civitatem obsedit. Verum divina virtute per Ebbonem loci antistitem repulsus, pedem referre coactus est, non sine multa strage obviarum provinciarum. Sane hunc vastatæ Burgundiæ annum assignat Johannes monachus in chronico cœnobii Besuensis, » quod tertia vice hoc anno devastatum fuisse traditur a Sarracenis, quando Augusto» dunum eivitatem destruxerunt. De hac etiam Burgundiæ vastatione, præter Adonem, testimonium perhibet sanctus Bonifacius episcopus in epistola decima-nona ad Ethelbaldum Merciorum regem, qui ejusmodi cladem Hispaniæ, Provinciæ & » Burgundionum populis ait contigisse propter adulteria & stupra sacrarum virginum, » atque sodomitica flagitia: quibus iratus Deus omnipotens, talium criminum ultri» ces pœnas per ignorantiam legis Dei, & per Sarracenos venire, & sævire permisit. Quarta Sarracenorum irruptio in Aquitaniam facta est anno tricesimo-secundo, quo anno Abdiraman Eudoni, ob ejus cum Munuza Cerretanorum Pyrenæi accolarum præfecto, qui ab ipso defecerat, affinitatem, summopere infensus, Aquitaniam infesto ingenti exercitu ingreditur, obvia quæque igne ac ferro vastat, Eudonem sibi cum subitariis copiis occurrentem acie fundit. Eudo cum cladis suæ reliquiis & quotquot in itinere tumultuarie contrahere potuit copiis, Ligerim versus fugit, Carolum Francorum principem auxilio advocat: quem Abdiraman insecutus, per agrum Santonum in fines Pictonum irrumpit, cunctis quaqua ierant direptis, vastatis, incensis. Cum ad urbem Pictavos accessissent, sævitum in loca sacra, in sancti Hilarii basilicam ignis injectus, monasterium sanctæ Crucis concrematum. Turonos procedenti, ac basilicam sancti Martini, opulentis regum ac privatorum donis refertam, jam spe quasi certa devoranti, cum Eudone occurrit Carolus, qui Sarracenos occidione occidit, & ducem ipsorum Abdiramanem interfecit. Pugnatum est hoc anno mense Octobri apud Pictavos, ut veteres Francorum annales docent. Sunt qui existimant, cladem illam Burgundicam eodem anno contigisse, Abdira-

mane

a Beda lib. 5. c. 24.

mane cum duobus exercitibus in Gallias ingresso, quorum alter in Aquitaniam, alter in Provinciam & Burgundiam proruperint. Sed de anno parum interest, cum de re ipsa constet.

ANN. CHR. 731.

VII. Quanta inde monasteriis clades.

In illa Provinciæ & Burgundiæ clade pleraque Ordinis nostri monasteria incensa ac pessumdata, monachi passim cæsi, sacra loca in solitudinem redacta. Et primo quidem in Lirinensi monasterio ingens facta est monachorum cædes, ubi quingenti monachi erant sub Porcario abbate, qui & ipse martyrio affectus creditur apud Montem-Virdunum in pago Forensi. Dein multæ urbes a Sarracenis captæ, scilicet Avenio, Vivarium, Valentia, Vienna, Lugdunum; & loca sacra ubique violata. Duserense monasterium diœcesis Tricastioensis eversum. Vivarii cœnobium puellarum erat, quod Fredegundis Deo sacrata in loco, Melotis dicto, ædificaverat in honorem sancti Stephani & sancti Saturnini, ut docet vetus polyptychum ecclesiæ Vivariensis, a Johanoe Columbi vulgatum. Viennæ pleraque monasteria (quod sanctus Clarus abbas futurum prædixerat) conflagrarunt, in primis Grinianensia suburbana, in quorum maximo sancti Ferreoli martyris ossa custodiebantur, quæ, incenso monasterio, Wilicarius antistes in urbem transferri curavit. Apud Lugdunum Insulæ-barbaræ monasterium itidem eversum. Nec hujus cladis expers pagus Vesontionensis, ubi monasterio Luxovio tum præerat abbas Mellinus numeroso cœtui monachorum, qui una cum abbate cæsi sunt. sicque ibi cessavit laus perpetua, nec abbas illic quisquam fuit per quindecim annos. In pago Atoariorum prope Divionem exstabat monasterium Besuense, quod etiam funditus eversum est. Non dubium quin eamdem sortem pertulerint suburbana monasteria sancti Martini & sancti Symphoriani apud Augustodunum, quæ urbs a Sarracenis itidem destructa fuit, ut ex Johanne monacho Besuensi discimus. In Segestrensi monasterio sancti Sequani, Altigianus & Hilarinus monachi ab iisdem gladio animadversi perhibentur x. kalendas Septembris. quod tempus recte convenit cum martyrio sancti Porcarii abbatis Lirinensis, qui pridie idus Augusti colitur. Porcarium in ejus monasterii regimine præcesserat Silvanus, Silvanum sanctus Amandus, abbas, ut tradunt, monachorum ter millium ac septingentorum, cujus obitus festive recolitur xiv. kalendas Decembris.

Luxoviensium martyrium.

Porcarii item abbatis & Lirinensium.

Porcarius Silvani successor de adventu Sarracenorum divinitus admonitus, discipulos ad perferenda strenue tormenta hortatur; imbelles pueros sexdecim, adolescentes triginta-sex fuga sibi consulere suadet; Columbum & Eleutherium trepidantes in quoddam vicinum antrum recludi præcepit. Interim barbari, adita insula, in monasterium subeunt, reliquos præcipiti cæde mactant, unaque cum eis Columbum, qui martyrii desiderio tandem incensus, ex suo latibulo processerat. Ad hæc illi ecclesias, omniaque sacra ædificia funditus evertunt, ac solo æquant. His peractis, in navi secum abducunt juniores quatuor monachos, a se de industria servatos, qui in loco, cui nomen Agathon, facta sibi in terram exscendendi potestate, in nemoris condensi latebras confugiunt, totaque nocte per secretos nemorum recessus se proripientes, demum Arlucum perveniunt. Inde navigio Lirinum revertuntur, & adjutore Eleutherio corpora sanctorum martyrum sepeliunt, qui, ut mox dicebam, pridie nonas Augusti passi fuerant. Porcarius, nescio quo casu tum neci subductus, in opidum pagi Segusiani seu Forensis, Montem-Virdunum appellatum, se recepisse dicitur, ibique a Sarracenis quaquaversum grassantibus denuo comprehensus, lancea confossus interiisse. Id non facile de Porcario omnium duce crediderim. sicut proditur tamen res, ne Montis-Virdunensium traditioni fidem abrogarem, exponenda fuit, judicio æquis lectoribus relicto. Cointius ne Porcarium abbatem Lirinensem, uti ignavum ac timidum, traducere videretur, duos admittit Porcarios abbates, unum Lirini, alterum Montis-Virduni. At forte satius foret dicere, Porcarii abbatis Lirinensis reliquias Montem-Virdunum translatas fuisse, qua translatione lapsu temporis obscurata, illic martyrium pertulisse creditus sit. Verum hac de re sentiat quisque quod volet: nobis ad alia properantibus his minutiis immorari non licet.

VIII. Theotfredi abbatis Calmeliacensis martyrium.

Eadem haud dubie procella Theotfredum Calmeliacensem abbatem corripuit. quamquam alia occasione id factum legitur in ejus actis parum accuratis, quæ hac in re cum vetustis Francorum annalibus non consentiunt. In his quippe legitur, Eudonem, a Carolo majore-domus bello non semel lacessitum, Sarracenos ex His-

ANN. CHR. 731.

pania in auxilium evocasse, pacto cum Abdiramane facto, qui duobus a Carolo prœliis fusus, hac occasione captata, injuriam suam ultus sit, obvia quæque a Burdegala ad urbem Pictavos ferro ac flamma devastando; immo Septimaniam totam cum Gabalitanensi & Vallavensi comitatu conterendo, quo tempore Theotfredus a Sarracenis cæsus sit. quasi Burdegala & Pictavi ad Carolum, & non ad Eudonem pertinuerint; & Septimania ipsa imperio Sarracenorum subjecta non fuerit. Longe probabilius est id quod legitur in libello de gestis sancti Pardulfi abbatis, Sarracenos hoc anno a Carolo ad Pictavorum urbem cæsos fuisse, ejusque cladis reliquias in Gothiam seu Septimaniam se recepisse, & obvia omnia igni ac ferro corrupisse. quo tempore in Calmeliacense forte monasterium se intulerint, & Theotfredum necaverint, monachis in vicinos montes confugere jussis; aut forte illi sint, qui soluta obsidione urbis Senonensis in Septimaniam se receperunt. Utrumlibet horum verum sit, Theotfredum lapidibus obrutum tradunt paullo post exspirasse, & quidem XIV. kalendas Novembris. quod tempus non male congruit cum tempore pugnæ Pictavensis, quæ mense Octobri facta est. Librum de vita sancti Theotfredi abbatis scripsit anonymus auctor parum diligens & accuratus, cujus tempus ex hoc solo conjici potest, quod interdictum, quo feminis in basilicam monasterii aditus olim prohibitus erat, ad suum tempus viguisse testatur. Theotfredo abbati Savinianum successisse tradunt, cujus dies festus VI. idus Junii celebratur in monasterio nunc dicto sancti Theotfredi *, qui non solum in suo, sed etiam in vicino Casæ-Dei monasterio colitur XIV. kalendas Novembris. In kalendario proprio Calmeliacensi notatur XV. kalendas Decembris *translatio sancti Theofredi abbatis.*

a Monastier S. Chafre.

IX. S. Marini eremitæ.

Ad eamdem cladem referendum videtur sancti Marini monachi & eremitæ martyrium, quantum ex corruptis ejus actis elicere nobis licet. Is temporibus Alexandri papæ Romæ educatus & institutus dicitur ab Ellidio episcopo. quo mortuo in Burgundiæ partes accesserit, ad locum, qui Juga-montium vocabatur, prope urbem Maurianensem, ubi erat Candorense monasterium Dei genitricis Mariæ sacrum, in quo sub norma beatissimi Benedicti maxima monachorum multitudo degebat: in his beatus Eusippius sub Erilio abbate. Illic commoratus aliquamdiu Marinus, postmodum cælesti monitu secessit in Montem-magnum prope urbem Maurianensem, super rivulum Suriæ: ubi a Wandalis, quorum dux Acquirinus, Engaldus rex fuerit, necatus est. In his quædam falsa, incerta quædam, cetera fere obscura; sed tamen quæ non visa sunt prætermittenda, ut ex his occasio saltem sumatur ad excutiendam veritatem. Falsum est Marinum Romæ exstitisse tempore Alexandri papæ, non primi, qui procedente æræ christianæ sæculo secundo vixit; neque secundi, qui undecimo, cum ante Normannorum tempestatem Savinenses nostri reliquias sancti Marini possederint. Ignotum Candorense monasterium prope Mauriennam Sabaudiæ urbem. Neque magis notus apud veteres Marinus, qui nihil commune habet cum Amarino abbate, sancti Præjecti martyris socio, de quo alias diximus. Festus sancti Marini dies VIII. kalendas Decembris celebratur in monasterio sancti Savini apud Pictones, cujus origo Carolo Magno tribuitur.

X. Eusebia abbatissa Massiliensis.

Huc etiam revocant nobile factum sanctimonialium quadraginta cœnobii sancti Cyrici, prope Massiliam a beato Johanne Cassiano erecti, quæ, hortante Eusebia matre & abbatissa, ne suæ pudicitiæ vis a Sarracenis inferretur, nasum sibi præcidisse traduntur. Exstat in sancti Victoris monasterio Eusebiæ tumulus, cui imposita est ejusdem heroinæ effigies, dimidia facie & naso mutila, cum hoc epitaphio, præfixo Christi monogrammate, in hunc modum mendosissime scripto.

Hic requiescet in passe Eusebia religiosa,
Magna ancela Domini,
Qui in seculo ab beneunte etate sua venit
Seeolares, annus XIII. & ubi a Domino
Electa est, in monasterio sanctorum Cyrici
Servivet annus quinquagenta; recesset
Sub die pridie kall. Octobris. indictione sesta.

Sanctimoniales aliæ quadraginta ejus sociæ jacent in medio sacello beatæ Mariæ de Confessione, ut vocant: cujus aditus mulieribus interdictus. In eodem sacello cer-

nitur ſepulcrum & epitaphium Tilliſiolæ ejuſdem loci abbatiſſæ, quæ nominis ſui decus vita, factiſque ſervaſſe dicitur; ac VII. idus Aprilis deceſſiſſe, indictione octava. Habes illud epitaphium ſub finem voluminis quarti actorum Benedictinorum, ſed mendoſum.

Eadem, ut jam dixi, tempeſtate Sarraceni, qui ex clade Pictavenſi reliqui erant, cum alii Septimaniam, alii alio palantes ac turmatim ſe reciperent, late omnia in itinere vaſtantes, ad Waractenſe Lemovicenſis pagi monaſterium pervenerunt. Horum adventu nequaquam territus Pardulfus abbas, cibum eis ac potum præparari juſſit. Fratribus vero ex metu in deſerta loca refugientibus, ſolus in monaſterio impavidus perſtitit vir Dei, cujus precationibus Sarraceni tenebris occæcati aufugerunt. Hic eſt Pardulfus apud Lemovices in vico Marchiæ-ſuperioris Seredinno obſcuris parentibus natus, qui adhuc puer, cum ex ictu rami arboris oculorum lumen amiſiſſet, infirmis ſalutem cæleſti virtute refundebat. Unde ejus ſanctitate adductus Lantarius comes, monaſterium eidem regendum commiſit, quod in proximo loco, cui Waractum * ſeu Guaractum vocabulum erat, ad expianda facinora ſua extruxerat. Illic rigidiſſime vixit Pardulfus, numquam ab ea die cellæ ſeu monaſterii oſtium egreſſus, numquam eſu carnium, nequidem volatilium, uſus, numquam lineo indutus, nec uſus balneo, ferrum acutum ad cutem geſtare ſolitus, quo membra minutatim incidebantur. Nonniſi ſemel in hebdomada comedebat, & quidem aridiſſimam eſcam. Quadrageſimæ tempore a diſcipulo ſe virgis cædi præcipiebat. Noctibus ſingulis toto corpore humi proſtrato, extenſis brachiis orare conſueverat: & poſt orationem tantiſper ſomno indulgebat. Poſt nocturnas vigilias, quod ſibi lectum fuerat, memoriæ commendabat: poſt matutinas vero laudes reſponſoria vel antiphonas de ſanctis martyribus & confeſſoribus decantando meditabatur. A tertia hora ad ſextam vacabat orationi, a ſexta ad nonam ſilentium ſervabat. Poſt nonam, pauperes vel infirmos, qui ad ipſum confluebant, verbo Dei reficiebat. Nec deerat infirmis cæleſtis medicina, quam oleo adhibito vel aqua, precibuſve adhibebat. Forte boletos ſeu lemigas, fungi genus, viro Dei ad eſcam a quodam ruſtico præparatas, ſurripuerat Ragnaricus quidam, conſiliarius inluſtris viri Chunoaldi ſeu Hunoldi Aquitanorum principis, idemque *legatarius* præcelſi majoris-domus Francorum Caroli. verum, gutture ipſius & capite intumeſcente, furtum confeſtim reſtituit. Nec impune ceſſit Arnulfo ejuſdem Chunoaldi miniſtro, qui annonam viri Dei abſtulerat. Multæ id genus virtutes ab eodem patratæ. In his claudus quidam erectus, teſte Blandoleno preſbytero ejus cellulæ cuſtode, a quo id miraculi vitæ ſcriptor accepit. Ad eum aliquando acceſſit quidam homo territorii Bituricenſis, Leodulfus nomine, magnopere rogans, ut filium ſuum e fonte baptiſmi ſuſciperet. Roganti acquievit vir ſanctus, infantemque e fonte levatum, albiſque indutum deoſculatus, genitori ad nutriendum commendavit. Infantis agitarium, quod vulgus *bertiolum* vocat, quod ſponte ſua cælitus moveri crederetur, pro reliquiis aſſervatum, ab igne intactum reſtitiſſe dicitur, cum Franci urbem Bituricas incendio conſumſerunt. Id factum videtur eo anno, quo Carolomannus atque Pippinus Chunoaldum * Aquitaniæ ducem, Eudonis filium, rebellantem perſecuti, Bituricarum ſuburbana igne combuſſerunt.

Convenit huic loco id, quod in Turonico ſancti Martini monaſterio contigiſſe legitur in prædicto libro vitæ ſancti Pardulfi de quodam paralytico, omnium membrorum impote, qui per quinquennium in porticu baſilicæ Martinianæ jacuerat. Hic aliquando in ſomnis uſque tertium admonitus, ut in pagum Lemovicenſem ad ſanctum Pardulfum ſe deportari curaret, ſoſpitatem ſine dubio recepturus; viſum *uni ex monachis iſtius monaſterii* indicavit, idque prædictus monachus *domno Audelando abbati* retulit. Abbas vero eidem paralytico aſellum, quo illuc veheretur, cum duobus famulis commodari præcepit. Cum eo perveniſſet infirmus, vir Dei ſuper eum crucis ſignum impoſuit; & poſt paucos ille dies ſanus factus, eo, unde venerat, regreſſus eſt. Ex hoc loco ſcriptoris æqualis manifeſte conſtat, tunc in baſilica ſancti Martini extitiſſe monachos, quibus Audelandus abbas præerat. Is eſt Audelandus abbas, Guntramni, non deceſſor, ſed ſucceſſor, in vulgatis Autlandus ſeu Odelandus dictus, qui res quaſdam proprietatis ſuæ in patria Alamannica, pago Briſgaugienſi, Martinianæ baſilicæ donaſſe perhibetur in veteri charta, data anno tertio-decimo Theoderici regis; non alius ſine dubio quam Autlandus, qui in

ANN. CHR. 732.

editis Guntramno præponitur. Ex illo porro instrumento non dubia elicitur conjectura, Audelandum origine Alamannum fuisse, natumque in pago Brisgaugiensi. Huic vero successit, non Wlfardus, ut in libris editis, sed Teutsindus, & post Teutsindum *Vuicterbus* [a] *episcopus & abbas sancti Martini*, gente *Baugoarius*, *genere Heilolvingus*, id est Bajoarius de genere Agilolfingico, ex quo duces Bajoariorum veteres oriundi: qui Wicterbus senex & octogenario major diu ibidem mansit, propria manu scribens libros. De Teutsindi præfectura ac tempore luculentum est testimonium chronographi Fontanellensis, quod monasterium Teutsindus etiam post mortem Landonis abbatis obtinuit. Sic itaque series abbatum Martinianorum ordinanda. Post Agiricum Guntramnus, Audelandus, Teutsindus, Wicterbus mox dicti, & post eos Wlfardus & Hiterius, de quibus inferius.

a Labbe to. 2. Bibl. nova p. 736.

Defensor monachus Locociagensis.

Circiter hoc tempus vixisse videtur Defensor monachus in Locogiacensi apud Pictones monasterio, de cujus origine in superiori volumine [b] actum est. Tunc eidem loco præerat Ursinus, haud scio an ille Ursinus, qui vitam sancti Leodegarii episcopi Æduensis post anonymum sub finem sæculi septimi scripsit. In illo monasterio Defensor monachus collectaneum ex sententiis Patrum edidit, quem *librum Scintillarum* inscripsit, præfatus, id se suscepisse jussu ejusdem Ursini, quem *nutritorem* suum vocat. Hic liber constat capitulis octoginta in codice Casinensi, ex quo ejus præfationem in Appendice referemus. Prima capita sunt *de caritate*, *de patientia*, *de dilectione Dei & proximi*, *de humilitate*, omnia denique de rebus moralibus. Patres, ex quorum sententiis contextus est liber, sunt Clemens, Origenes, Cyprianus, Basilius, Augustinus, Eusebius, Joseppus, Cæsarius, Gregorius, Isidorus, vitæ Patrum; sed nullus Isidoro posterior. Ex Eusebio hæc referuntur; in capite XXX. de cupiditate: *Pecuniæ cupiditas populorum* * *corda mortalium superat, etiam & fraternam societatem violat.* In capite XXXV. de gratia. *Sicut gratis gratia accipitur a Deo, ita gratis a Deo ministratur.* Item in capite LXX. de mansuetis & temerariis: *Bestiarum feritas Dei virtute mansuescit: humana vero rabies nec ferarum mitescit exemplo.* & in capite LXXII. de simplicitate: *Ea, quæ apud homines desperata sunt, & in contemtu habentur, in magna gloria apud Deum sunt. Caritas Dei, quæ fragilia sunt per naturam, per gratiam facit esse firma.* Hæc ex Eusebio, forte illo, quem Emissenum vocant. Denique ex Joseppo inter alia in capite XLII. de muneribus: *Non debemus recusare vitæ istius munus, quod dedit nobis Deus. Si hominis data rejicimus, contumeliosi sumus; quanto magis servare debemus, quod a Domino accepimus?* Item in capite LXX de mansuetis: *Joseppus dixit: Inconsulta temeritas nescit consilium exspectare judicis.* Hæc referre visum est in specimen libri, alias obscuri: ad alia pergamus.

b Lib. 1, n. 21.

* f. plerumque.

XIII. Eucherii episcopi Aurelianensis exsilium.

Cum Carolus princeps ab expeditione Sarracenica victor reverteretur, prandia sibi Aurelianis parata contingere noluit, propterea quod Eucherio ejus urbis episcopo infensus esset: sed recta Luteciam-Parisiorum tendens, Eucherium se subsequi jussit, & in Vernum villam regiam accessit. Eodem mox Eucherius jussus venit, non dubius de insidiis sibi præstructis. Hunc vero princeps cum propinquis suis primum Coloniam-Agrippinam relegavit: deinde celebritate loci, & incolarum in exsulem benignitate offensus, ne quid novaret, tutius in Hasbaniensi pago Rodberto duci custodiendum commisit. Non minus tamen gratiæ apud Rodbertum invenit Eucherius, cui ab eo concessa facultas est consistendi quo vellet in Hasbanii pago; simulque pro arbitrio utendi rebus omnibus, quæ ducis erant. Petiit autem vir sanctus, ut sibi cum suis subsistere liceret in monasterio sancti Trudonis, ubi & vitam cum exsilio consummavit. Actus est in exsilium anno suæ ordinationis sexto-decimo: sed quæ fuerit exsilii causa, veteres diserte non produnt. Id optimatum invidiæ tribuit ejus vitæ scriptor: at Theodericus abbas Trudonianus unam hanc affert probabilem causam, quod ecclesiarum religionem resque tueretur, prohibens scilicet, ne Carolus res ecclesiasticas in urgentes belli causas pro libito expenderet. quæ res vulgandæ apud posteros Caroli damnationi locum & occasionem dedit.

XIV. Ettonis etiam abbatis Augiensis.

Carolo contra Sarracenos occupato, Theodebaldus seu Theobaldus, qui Lantfrido patri in superioris Alamanniæ ducatum successerat, ut Pirminium ante biennium, ita hoc anno Ettonem Augiæ abbatem in odium ipsius Caroli monasterio expulit, quem Ettonem paullo post Carolus, victor ex Aquitania reversus, in pristinum locum restituit. Ideo vero Theobaldus Augiensibus abbatibus adeo infestus fuisse vi-

ANN. CHR. 732.

detur, quod Pirminius Caroli favore ac patrocinio monasterium illud exstruxisset, repugnante ipso duce, aut certe ipsius assensu non prius petito, aut exspectato. Accedebat, quod Pirminius, nescio an etiam Etto, Francus erat, Carolo utique favens adversus Theobaldum, qui animum semper rebellandi gerebat.

XV. Bonifacius monasteria duo construit.

Interim Bonifacius in Germania verbo Dei prædicando, ecclesiis, monasteriisque extruendis strenuam navabat operam. In primis Fritislariæ ad fluvium Odranam * in Hassia ecclesiam cum adjuncto monasterio in honorem sancti Petri apostolorum principis erexit: alteram cum suo quoque monasterio Hamanaburgi, quod hodie Omenburgum, Marpurgo vicinum, ad fluvium Amanum. Fritislariæ præfectus Wigbertus abbas, quem Bonifacius recens ex Britannia cum aliis evocaverat. Idem etiam præpositus fuit Ordorfensi, de cujus conditione superius egimus. Apud anonymum vitæ Bonifacianæ scriptorem dicitur Bonifacius Wigbertum quoque in monasterio, *qu d nuncupatur Hernolasfelde, fratrum constituisse procuratorem*, id est abbatem in monasterio, ut puto, Herveldensi seu Hersfeldensi, de cujus origine postea dicemus. In summa, ubique ecclesias & monasteria ædificabat Bonifacius sancti Martini episcopi Turonensis exemplo, qui, teste Sulpicio, ubi fana destruxerat, ibi aut ecclesias, aut monasteria construebat. Ceterum Lupus abbas Wigbertum *secundi ordinis sacerdotem* vocat, non quod esset chorepiscopos, ut putavit Browerus, sed quod presbyter & abbas esset. quo nomine presbyteros non raro antiquitus insignitos illustrissimus Petrus [a] de Marca, & ex eo Baluzius in hunc locum docet. quippe sacerdotis nomen, episcopis & presbyteris commune, primo quidem episcopis, secundo presbyteris convenit. sic sancto Sequano, ad presbyteri gratiam promoto, alii clerici ætate superiores contra mussitare cœperunt, videntes ac invidentes sibi præponi Sequanum *secundi ordinis sacerdotis honore*, uti antiquus auctor in ejus vita scribit.

* l'Eder.

Wigbertus abbas Fritislariæ.

a Concord. lib 2. c. 14. § 5.

XVI. S. Rigoberti episcopi Remensis obitus.

Hoc fere anno e vivis excessit sanctus Rigobertus Remorum antistes, qui Orbacense monasterium post Rigomarum primum abbatem recepisse, & rexisse dicitur. Id contigit ante ejus expulsionem e sede Remensi per Milonem, quem Carolus princeps ejus loco in illam sedem intrusit. In Wasconiam, vel potius Aquitaniam primo relegatus, dein ipso Milone procurante revocatus est in ecclesiam suam: cujus res quasdam cum ipsi nollet cedere, id tantum ab eo obtinuit, ut sibi ad altare sanctæ Mariæ sacra celebrare liceret, & de reliquo degere in Gerniaca-curte *, ubi supremos absolvit dies, devotionis causa basilicam sancti Remigii, ejusque tumulum frequentare solitus, identidem etiam sancti Theoderici monasterium Remis proximum. Illuc Hincmarus pontifex ex Gerniaca-curte, ubi is sepultus fuerat, postea corpus ejus transtulit, nimirum anno incarnationis octingentesimo sexagesimoquarto, indeque ad Remensem sancti Dionysii basilicam, ubi asservatum est non longo tempore, dum Fulco Hincmari successor illud in majorem sanctæ Mariæ basilicam inferri curavit. Quo titulo Rigobertus Orbacense monasterium rexerit, archiepiscopi an abbatis, non ita exploratum. Sane ab eo tempore in potestate Remensis archiepiscopi, propterea quod a Reolo ejus sedis antistite conditum fuisset, perstitit hoc monasterium, quod postmodum ad proprii episcopi Suessionensis ditionem partim revocatum est, ut in superiori tomo [b] diximus. Hadrianus papa de Rigoberto relationem [c] se accepisse dicit a Tilpino Remorum pontifice, ut, faciente discordia inter Francos, e sede contra canones dejectus & expulsus fuit, sine ullo crimine, & sine ullo episcoporum judicio, & sine ullo apostolicæ sedis consensu vel interrogatione: sed solommodo, quod antea non concessit in partes illius, qui postea partem illam de regno in sua potestate accepit, in qua parte Remensis civitas est; & donatus, atque magis usurpatus contra Deum & ejus auctoritatem fuit ille episcopatus, simul cum alio episcopatu & aliis ecclesiis, a sæcularibus potestatibus, Miloni cuidam, sola tonsura clerico, nihil sapienti de ordine ecclesiastico; & alii episcopatus de ipsa diœcesi Remensi diverso modo essent divisi, & aliqui ex magna parte sine episcopis consistentes; & ad alios metropolitanos episcopi & clerici ordinationes aliquando accepturi concurrebant, & refugia indebita habebant, & a suis episcopis judicari & distringi non sustinebant; & clerici & sacerdotes, & monachi & sanctimoniales sine lege ecclesiastica, pro voluntate & licentia vivebant. Hic erat infelix Belgicæ secundæ status. Inter alia Rigoberti opera unum est oratorium sancti Michaelis, supra portam Basilicarem exstructum, ex quo in contiguam [d] monaste-

* Gernicourt.

b Lib 17. n. 25 v p 698.

c Frodoard. lib. 2. c. 13.

d Ibid. c. 11.

ANN. CHR. 732.

ru sancti Petri ecclesiam orationis gratia descendebat; a Begone Parisiorum comite postea eversum.

XVII. Wilfrido Eboracensi episcopo suffectus Egbertus.

In majori Britannia hoc anno Wilfridus junior Eboracensis antistes, Johannis decessoris sui exemplo, dignitatem abdicavit, vitæ contemplativæ deinceps se totum daturus. Annum notat vulgata Bedæ epitome, in qua legitur, hoc ipso anno Egbertum pro Wilfrido Eboraci episcopum factum, & Cymbertum episcopum Lindisfarorum obiisse. De Wilfridi secessu ita canit anonymus ejus temporis poëta, qui veterum unus res ab eo gestas posteris commendavit.

At sua facta bonus postquam compleverat ille
Pastor in ecclesiis, specialia septa petivit,
Quo servire Deo tota jam mente vacaret:
Contemplativæ seseque per omnia vitæ
Dans, mundi varias curasque reliquit inanes.
Et quamvis ipso resideret corpore terris,
Attamen ex omni jam mente manebat olympo,
Pervigil exspectans cælestis præmia vitæ.
Tempore quæ certo, vita præsente peracta,
Sumserat, angelicis cælo transvectus in ulnis.

Quænam sint *specialia illa septa* seu claustra, quæ repetivit Wilfridus, incertum. Vixit ad quatuor annos in illo secessu, si Thomæ Stubbio [a] credimus, eodemque anno dicitur obiisse, quo Wilfridus Wigorniensis episcopus, id est anno septingentesimo tricesimo-sexto. Ejus obitus tertio kalendas Maii notatur in metrico Bedæ [b] martyrologio.

Vvilfridus ternis superam penetravit in aulam,
Tempore posterior, non morum flore secundus.

a Stubbs col. 1694.
b Spicil. to. 10. p. 117.

Qui ei successit Egbertus, Eadberti Northanimbrorum regis frater, *in infantia a patre Eata in monasterium traditus fuerat*, ait Simeon Dunelmensis [c] monachus, non aliud forte quam Eboracense. Romam aliquando profectus, ibidem diaconatus ordinem suscepit. De eo præclara canit idem poëta, cujus hæc omnino summa est. Ubi pastoralis curæ onus deposuit Wilfridus, Egberto cathedram concessit, eumque sibi pontificem succedere curavit. Egbertus vero regali stirpe procreatus fuit, sed coram Domino meritis præclarior, qui quas possedit opes, miseris atque egenis dispersit, ut cælo dives fieret. Mitis erga bonos, severus in pravos. Noctes ac dies in certas ad precandum vices partiri solitus, noctes quidem fere totas in precibus transigebat, diebus vero singulis sacra missarum sollemnia celebrabat. Ad hæc, ecclesias Dei variis ornamentis & sacra supellectile, tam aurea, quam argentea, decoravit, probatosque ministros sacris altaribus adhibuit, qui divinas laudes statis vicibus persolverent. Ut ille ecclesiam, sic Eadbertus rex ejus frater regnum strenue ac sapienter administrabat, concordibus ambo animis, alter alterum se se mutuo juvantes; ille pallio ab apostolica sede accepto, hic patrio diademate insignis. Ecclesiam denique suam Egbertus triginta-quatuor annos rexit, paterna vero regni sceptra viginti & unum tenuit Eadbertus: ambo meritis felices, in pace mortui ac sepulti. Hactenus ex anonymo poëta. Ineunte Egberti pontificatu rerum summa erat penes Ceolwlfum regem ejus propinquum: cui regnum post annos quinque abdicanti Eadbertus successit. Egberti eruditionem non satis attendisse videtur ille anonymus, quam Willelmus Malmesburiensis tanti fecit, ut eum omnium liberalium » artium, ut ita dicam, armarium fuisse dicat, & nobilissimam bibliothecam Eboraci » constituisse, cujus rei idoneum testem advocat Alcuinum, qui in epistola ad Carolum augustum petit sibi dari exquisitiores eruditionis libellos, quales in patria quondam habuerat, per bonam & devotissimam magistri sui Egberti archiepiscopi industriam collectos. Ex quo intelligitur, Alcuinum, cui Albinus-Flaccus adventitium nomen erat, Egberti discipulum fuisse, nequaquam vero Bedæ, ut plerisque recentioribus visum est, quem ætate longe superiorem nequidem puer videre forsan potuit.

c Sim. Dunelm. col. 11.

XVIII. Albinus abbas Cantuariensis obit.

Longe antiquior fuit Albinus abbas Cantuariensis monasterii suburbani octavus,

quem hoc anno decessisse Willelmus Thornus auctor est. Sepultus fuit in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ juxta beatum Hadrianum decessorem suum, postmodum in majorem beati Petri basilicam cum sancto Augustino, aliisque antecessoribus suis translatus. Vir sane de ecclesia vel hoc uno bene meritus, quod venerabili Bedæ non modo adjutor, sed auctor fuit, ut vidimus, scribendæ ecclesiasticæ Anglorum historiæ. Huic successit Nodbaldus nonos abbas, qui a Tatwino archiepiscopo benedictus fuit, ejusque monasterii regimen annos sexdecim tenuit. ANN. CHR. 732. Nodbaldus succedit.

ANNO ejus sæculi tricesimo-tertio, nulla alia re insigni, consignandæ videntur epistolæ duæ ad sanctum Bonifacium episcopum; una Torthelmi episcopi, inter Bonifacianas quadragesima-tertia; altera Sigebaldi regis, quadragesima-nona. Responsoria est Torthelmi epistola ad Bonifacii litteras, quæ exciderunt. Torthelmus, apud transmarinos Saxones incertæ sedis episcopus, ait se desiderabiles accepisse litteras excellentiæ suæ, ex iisque accepisse, quanta devotione, quantoque fervore corda paganorum Saxonum ad catholicam atque apostolicam fidem converti procuret. Festinare ergo pergat sua celsitudo, uti novum Christo populum conquirat ac consecret, protectorem humani generis redemtorem Dominum nostrum Jesum-Christum habitura. Ceterum se daturum operam, ut in sacris missarum celebritatibus & in quotidianis precibus ejus memoria celebretur, quod vicissim sibi ab eo præstari postulat. Alia epistola, quæ dicitur Sigebaldi regis, hoc modo inscripta est: *Reverendissimo præsuli, & piæ paternitatis prærogat va divulgando archiepiscopo Bonifacio, Sigebaldus, licet indignus & ultimus famulorum Dei famulus, optabilem in Domino salutem.* quæ inscriptio, magis episcopum sapit, quam regem; quamquam non desunt similes quorumdam regum inscriptiones. Sigebaldus occidentalium Saxonum regulus (nam tunc rex erat Ethelhardus, cui Cuthredus successit) forsan fuerit. cujus rei argumentum est, quod se optare dicat, ut Bonifacius suus esset episcopus cum suo episcopo Daniele, qui Wentanæ ecclesiæ præerat. Addit, Bonifacii nomen se adscriptum habere, cum ipse missarum sollemnia celebraret, simul cum nominibus episcoporum suorum; &, si quidem ei supervixerit, in diptychis mortuorum adscriptum cum nomine patris sui Erenwaldi, qui non alius videtur a sancto Erkenwoldo episcopo Londoniensi. Nec quemquam moveat, quod laïcus missarum sollemnia *celebrare* dicatur: cujus modi alia loca non desunt apud veteres. ANN. CHR. 733. XIX. Bonifacio episcopo scriptæ epistolæ.

ANNO proximo Landoni Fontanellensi abbati, legitimo & optimo, mortuo XVII. kalendas Februarias, successit Teutsindus, cœnobii sancti Martini Turonensis post Guntramnum, non pater, sed tyrannus, qui Fontanellense monasterium ad summam redegit inopiam, prædiis & possessionibus aut ablatis, aut in beneficia concessis: adeo ut, cum ante ejus tempus trecenti semper eo in loco monachi exstitissent, reliqui census monasterii vix paucis alendis sufficerent: dum ille pascendis canibus & militaribus ornamentis fabricandis cetera profunderet, quæ olim reficiendis pauperibus & lumini ante aram Christi fovendo adhiberi solebant. Tales rectores, ait chronographus, nequiores sunt paganis, qui, si locum cremaverint, terras tamen secum non auferunt. Sub ejusmodi abbate penitus defecisset disciplina regularis, nisi obstitisset Erinharius monasterii præpositus, regulæ studiosus cultor & amator, vir castæ ac sinceræ religionis: de quo Teutsindus Turonicæ sancti Martini ecclesiæ fratribus seu monachis dicere consueverat: Nisi vestram correxeritis vitam ac mores, Erinharium meum præpositum ex Fontinella huc adducam, qui aratra vestra rectum sulcare doceat. Erinharius iste, ex Apuliaco villa oriundus, suo tempore oratorium beati Michaëlis archangeli ædificavit, post obitum sepultus ad ingressum basilicæ sancti Petri cum brevi hoc epitapho: *Hic requiescit Erinharius præpositus.* ANN. CHR. 734. XX. Landoni abbati Fontanellæ succedit Teutsindus. Erinharius præpositus.

Divionensi sancti Benigni monasterio Goyla pia femina, consentiente viro suo Bonvaso, res suas, in pago Atoariorum seu Besuensi positas, largita est sabbato proximo ante medium mensem Aprilem, anno quarto-decimo Theoderici regis. Hujusce donationis litteris subscribit inter alios Godinus abbas, ita legit chronographus Benignianus, non Goïnus, ut in editis apud Perardum, qui has litteras ad Theodericum, Chlodovei junioris filium, retulit, quas chronographus Theoderico, XXI. S. Benigno facta donatio Godino abbate.

ANN. CHR. 734.

Childeberti Austrasiæ regis filio, assignat. Præferenda mihi videtur Caroli Cointii sententia, qui id factum censet anno quarto-decimo Theoderici Calensis: quo tempore usitatæ erant notæ illæ chronologicæ apud Benignianos, *die sabbato proximo ante medio mense Aprili*, ut quatuor instrumenta [a] consequentia probant. Itaque Godinum in hoc tempus summovere visum est, non vero duos admittere Godinos abbates, quod alterius Godini nulla subsit memoria, nullum (quod quidem sciam) ejus admittendi fundamentum. Mirum fortasse nonnullis videbitur, Godinum abbatem litteris donationis monasterio suo factæ subscripsisse. Verum eo tempore id insolens non erat, ut abbates & monachi donationum sibi factarum testes adhiberentur, quod sexcentis constat exemplis. Godino successisse videtur Thanotchardus abbas, cujus tempore Bago presbyter quædam prædia confert sancti Benigni monasterio Pippini regis principatu, ut suo loco videbimus.

[a] Perard. p. 10. 11. & 12.

XXII. *Alfonsus abbas Castrensis.*

Bertrando Abbati Castrensis in Septimania monasterii hoc anno successisse traditur Alfonsus, de quo vulgatus poëta.

Nobilium ut reparet Martellus damna virorum,
Injecit dominas in sacra feuda manus:
Castrensi gazæ parcens abbatis amore,
Cujus consilio est usus & auxilio.
Proximus est morti princeps: hunc excitat abbas,
Et Christi tinctum sanguine monstrat iter.

Ab hoc Alfonso ad Grimoaldum abbatem, qui post initium sæculi noni locum rexit, mutilus est Castrensium abbatum catalogus.

XXIII. *Sigibaldus episcopus Mettensis duo monasteria condit.*

Tunc temporis florebat Sigibaldus episcopus Mettensis, qui de salute animarum sollicitus, duo monasteria condidisse perhibetur a Paulo diacono, quorum unum Hilariacum seu Nova-cella; alterum Nova-villa nuncupatum; primum in Mettensi diœcesi, secundum in Argentoratensi. Prioris auctor primus sanctus Fridolinus abbas, qui illud in honorem sancti Hilarii, unde Hilariacum dictum, consecravit, sancti Naboris etiam appellatum, de quo alias diximus. Ejus veluti conditor habitus est Sigibaldus, qui illud a fundamentis hoc anno instaurasse memoratur. Nova-villa seu Novum-villare monasterium ab eodem conditum est in gratiam sancti Pirminii, cui illud regendum commisit, ut superius diximus. Sepultus est Sigibaldus primum in monasterio sancti Naboris, dein translatus in suburbanum Mettensis civitatis monasterium sancti Symphoriani, successoremque habuit Chrodegangum, qui multam nobis in consequentibus dicendi materiam suppeditabit.

XXIV. *Etto abbas fit episcopus Argentoratensis.*

Hoc ipso anno Etto Augiæ post Pirminium abbas, quem alii Eutonem, Hettonem, Heddumve appellant, post mortem haud dubie Widegerii seu Wiggeri episcopi, cujus pro Morbaco privilegium mox retulimus, a Carolo principe promotus est ad sedem Argentoratensem, Keba seu Geba successore Augiæ instituto, qui duobus dumtaxat anois cœnobio præfuit, Ermenfredum sortitus successorem in annos decem. De his tribus abbatibus ita canit Walafridus Strabo in carmine de visione Wettini, adstipulante Hermanno.

Postea septenis præsedit cursibus Eto.
Tum sequitur binis laudandus Geba sacerdos.
Bina Ermenfredus tum lustra peregerat abba.

Cellam monachorum a Wiggero episcopo exstructam, sed neglectam, instauravit Etto episcopus, ut fusius postea exponemus.

XXV. *Adela abbatissa Palatioli obit.*

Sub idem tempus humanis rebus excessit Adela seu Addula abbatissa Palatiolensis monasterii prope Treviros, cum annis fere triginta-quinque hunc locum administrasset. Paullo ante obitum, hoc est anno duodecimo Theoderici regis, testamentum condidit, quo donationes Palatiolo quondam factas confirmat, ubi se Dagoberti quondam regis filiam dicit, nempe Dagoberti Austrasiorum regis, Sigiberti filii, quem ex Hibernia revocatum superius vidimus. Hoc testamento Adela ratam habet donationem a se factam villæ suæ Palatioli ad Mosellam, a Pippino majoredomus commutatione comparatæ, in qua cœnobium in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ & beatorum apostolorum Petri & Pauli exstruxerat, aggregato ibidem monacharum cœtu, *sub disciplina & regula sancti Benedicti viventium.* Addit huic donationi prædium Scripuasium, in pago Mosao situm ad ipsius Mosellæ ripam, excepta insula, quam ante dulcissimo filio suo Alberico donaverat. Denique eidem monasterio

ANN. CHR. 734.

monasterio alia etiam prædia confert, quæ a germana sua Regentrude dato pretio comparaverat. Palatiolo post medium sæculum nonum præfuit Warentrudis abbatissa, Hetti Trevirorum antistitis soror, amita vero Thietgaudi ejus successoris, cujus germanus erat Grimaldus archicapellanus, Walafridi Strabonis versibus celebratus. qui ambo Warentrudi amitæ suæ epitaphium, a nobis alias ex Browero prolatum, inscribi curarunt. Non constat quo tempore vixerit Hruothildis ejusdem loci abbatissa, quæ *sub sacro velo canonica* vixisse dicitur, sed in vita vera fuisse monacha. Ex quo intelligitur, Palatiolenses virgines prius ad canonicarum mores deflexisse, quam canonici Palatiolo substituerentur. quod a Poppone archiepiscopo factum ante medium sæculum undecimum Browerus docet.

XXVI. Bilehildis abbatissa Moguntina. Ad hoc tempus revocanda est Bilehildis pia matrona, quæ viro suo orbata, ad Moguntiæ muros cœnobium virginum ædificavit, amplissimisque dotavit latifundiis. Ejus hac de re litteras retulit Nicolaus Serarius, quas mendosissimas ac fidei expertes esse constat. Verum quando meliora nobis non suppetunt, hoc unum nobis restat de Bilehilde observandum, ejus memoriam fieri v. kalendas Decembris, ubi vidua, sanctimonialis & abbatissa prædicatur. Plura de ea in breviario Moguntino & apud Serarium, sed non certiora, nisi quod Sigebertum Moguntiæ archiepiscopum avunculum habuisse dicitur. In pervetusto libro sacramentali bibliothecæ olim Fuldensis, nunc sancti Benigni Divionensis, fit commemoratio *sanctæ Bilhiltæ virginis* v. kalendas Decembris.

XXVII. Bedæ epistola ad Egbertum episcopum. Sub exitum hujus anni venerabilis Beda insignem epistolam de optimi pastoris officio scripsit ad Egbertum episcopum Eboracensem, cum per affectam valetudinem eum convenire in ejus monasterio, prout superiori anno pollicitus erat, non valeret. Epistolæ inscriptio & exordium sic habet. *Dilectissimo ac reverendissimo antistiti Egberto, Beda famulus Christi salutem. Memini te hesterno dixisse anno, cum tecum aliquot diebus, legendi gratia, in monasterio tuo demorarer, quod hoc etiam anno velles, cum in eumdem devenires locum, me quoque, ob commune legendi studium, ad tuum accipere colloquium. quod si ita, Deo volente, posset impleri, non opus esset tibi hæc per litteras scripta dirigere, cum possem liberius ore ad os loquens, quæque velim, sive necessaria ducerem, secreta tibi allocutione suggerere. Verum quia hoc ne fieret, superveniens, ut nosti, corporis mei valetudo prohibuit; agere tamen quod potui erga dilectionem tuam, fraternæ devotionis intuitu, curavi, mittendo videlicet per litteras, quod corporaliter veniendo per collocutionem nequiveram. Precorque te per Dominum, ne hanc apices litterarum arrogantiæ supercilium esse suspiceris, sed obsequium potius humilitatis ac pietatis veraciter esse cognoscas.* Monasterium illud, in quo Egbertum colloquii ac lectionis causa conveniebat Beda, non aliud videtur quam cathedrale ecclesiæ Eboracensis. Præmisso hoc exordio, primum omnium Egbertum hortatur, ut gradum sacrosanctum, ad quem divinitus provectus fuerat, sacrosancta operatione & doctrina confirmet. neutrum quippe sine altero sufficere, si aut is qui bene vivit antistes, docendi officium negligat; aut recte docens, recta operari non curet. Deinde eumdem monet, ut ab otiosis confabulationibus, detractionibus, ceterisque linguæ vitiis penitus abstineat; ut divinis eloquiis ac meditationibus scripturarum linguam simul & animum occupet, & maxime legendis beati Pauli epistolis ad Timotheum & Titum, & sanctissimi Gregorii libro pastorali & homiliis in evangelia. Verum, ut id facilius fiat, opus esse societate eorum, qui Christo totos se se dediderunt. Tertio eumdem ad disseminandum non modo in urbibus, sed etiam in vicis Dei verbum excitat, quippe qui ad hoc episcopus consecratus sit. Et quia latior & amplior erat ejus diœcesis, quam ut solus per omnes viculos & agellos discurrere, ac prædicare posset; adsciscendos sibi sacri operis adjutores, presbyteros & doctores, qui vices ejus iis in locis suppleant, tum prædicando Dei verbo, tum sacris mysteriis consecrandis, tum maxime peragendis baptismatis officiis, ubi opportunitas exigeret. In hac vero prædicatione in primis insistendum, ut populi fidem catholicam, quæ symbolo continetur, & dominicam orationem vernacula lingua memoriter discant, ac frequenter recitent. Ad hæc monendos esse, ut signaculo dominicæ crucis sæpissime se muniant adversus continuas dæmonum insidias; & quam salutaris sit omnibus christianis quotidiana dominici corporis & sanguinis perceptio, prout in ecclesia Christi per Italiam, Galliam, Africam, Græciam Egbertus ipse eam frequentari noverat. Addit se ex rumore compertum habere, complures esse

AN. CHR. 734.

» vicos ac villas suæ gentis in montibus ac locis inaccessis, ubi numquam visus sit an-
» tistes, qui manus impositione baptizatos confirmaret; immo nullus doctor, qui eos
» fidei veritate ac regulis morum imbuat: cum tamen ne unus quidem a tributis epis-
» copo reddendis sit immunis. Quarto ad recte componendum gentis ecclesiasticum sta-
» tum: qua in re promtissimum laboris adjutorem Ceolwlfum regem pro insito reli-
» giouis amore haud dubie habiturus sit, opus esse, ut plures in hac regione instituan-
» tur episcopatus, quorum Eboracensis antistes, accepto a sede apostolica pallio, me-
» tropolitanus esse debeat; ideoque, habito majorum consilio, ad episcopales sedes
» erigendas prospiciantur loca in monasteriis ad hoc opportuna, ita ut monachi, sicut
» in plerisque aliis illius insulæ ecclesiis, novos illos episcopatus occuparent. Et ne
» forte abbas vel monachi huic decreto resistant, detur eis facultas eligendi episcopum
» e suis, qui ordinatus novæ diœcesis curam cum ipso monasterio gerat. Quod si do-
» tando loco non sufficiant monasterii possessiones; innumera esse pseudo-monasteria
» utriusque sexus *stilo stultissimo* nuper erecta, & in monasteriorum adscripta vocabu-
» lum, sed nihil prorsus monasticæ conversationis habentia, neque Deo, neque ho-
» minibus utilia, quæ in supplementum dotis assumi possint. Ejusmodi quippe conven-
» ticula ab annis admodum triginta, id est a morte Aldfridi Northanimbrorum regis,
» qui anno septingentesimo-quinto humanis rebus exemtus fuerat, in provinciam suam
» invecta esse a præfectis laïcis, eorumque conjugibus, qui sæcularis præfecturæ reti-
» nentes officia, atque adeo laïci persistentes, se nihilo minus abbates simul & præfec-
» tos sive ministros famulosve regis appellant, ejusdemque farinæ monachos seu po-
» tius laïcos congregant, aut certe apostatas, *ex veris expulsos monasteriis*: qui deni-
» que ita se Dei famulos profitentur, ut non solum possessa non vendant, immo non
» habita comparent, cupiditati & avaritiæ potius, quam religioni studentes. Scripta est hæc epistola nonis Novembris, indictione tertia, quæ inchoata erat a mense Septembri, siquidem Beda mense Maio anni insequentis e vivis excessit. In pseudo-monasteria illa sæcularium editus est canon quintus concilii Cloveshoviensis, suo loco referendus, qui nullo modo canonica & regularia monasteria tangit. Similia erant, ut [a] vidimus, apud Hispanos falsa monasteria sæcularium, qui ut se a publicis tributis eximerent, conventicula ejusmodi sibi fabricabant, ubi cum uxoribus ac liberis suo arbitrio, nulla regula vivebant.

a Lib. 13. n. 40.

XXVIII. Alia epistola ad Plegwinum monachum.

Paullo ante hoc tempus scripta est ejusdem Bedæ alia epistola apologetica ad Plegwinum monachum de eo, quod hæreseos insimularetur a nonnullis Beda, quasi in libro de temporibus non recte de sex mundi ætatibus sensisset: nempe quod negaret, Christum in sexta mundi ætate carnem nostram suscepisse. Nuntio a Plegwino hac de re accepto, Beda exhorruit ad tantam calumniam, moxque se his litteris ad
» Plegwinum scriptis purgavit, professus, Christum Dominum in mundum venisse ante
» sextam mundi ætatem, computando annorum seriem juxta veritatem Hebraïcam in
» Hebræorum libris contentam, quos a scribis corruptos fuisse neque Christus Domi-
» nus, neque apostoli umquam dixerant. Hæc Plegwino innocentiæ suæ pignora, has
» amicæ caritatis indices litteras misit vir sanctus, obsecrans, ut eas religioso ac doctis-
» simo fratri suo Davidi porrigeret, quo eas ille coram venerabili domino ac patre suo
» Wilfrido antistite legeret: ut, quoniam illo præsente his conviciis appetitus fuerat,
» ipso etiam audiente ac dijudicante, quam immerito hæc convicia perpessus sit, ap-
» pareat. Ipsum quoque Davidem præ cæteris rogat, ut exemplo cognominis sui,
» hortatione sanorum verborum, tamquam dulci carmine, furorem spiritus mali ef-
» fuget a fratre illo desipiente, qui se inter pocula cœnando infamaverat. De hac epistola mentionem facit Beda in indice operum, non vero de superiori, quod illa sub extremum vitæ suæ tempus, absoluta jam historia ecclesiastica, scripta sit ad Egbertum, qui Wilfrido juniori mox laudato ante biennium successerat. Duas hasce epistolas Jacobus Waræus cum historia primorum abbatum Wirensis & Girwensis monasteriorum typis vulgavit cum dialogo Egberti episcopi, qui pallium paullo post ab apostolica sede accepit, primus post Paulinum hoc ornamento honoratus.

ANN. CHR. 735. XXIX. Bedæ obitus.

Non diu post scriptam Egberto epistolam Beda superstes fuit: sed, cum jam affectæ esset valetudinis potius quam ætatis, quippe qui annos tres ac sexaginta vix compleverat, anno insequenti, quindecim ante pascha diebus, gravissima difficul-

tate anhelitus, at sine dolore, correptus est. quæ infirmitas in dies sensim augescens usque ad diem ascensionis dominicæ, id est ad septimum ante kalendas Junii, sic eum confecit, ut dominici triumphi consortem fecerit. Inter hæc discipulis quotidie lectiones ac scriptiones præscribere, quidquid reliquum erat diei psalmis recitandis occupare non desistebat, totam noctem in lætitia & gratiarum actione pervigil ducere solitus, nisi quantum modicus somnus interciperet. Mox excitatus, statim consueta repetere, lectiones, preces, & gratiarum actiones expansis manibus Deo reddere. Huic mos erat scripturarum sententias proferre, antiphonas canere, in primis sollemnem illam de ascensione Domini, qua ecclesia precatur, ut ne Christus, cælos repetens, nos relinquat orphanos. Scripturarum sententiæ ipsi magis familiares, aliæ ad incutiendum divinorum judiciorum timorem, qualis est hæc Apostoli, *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*: aliæ ad excitandam in Deum fiduciam, ut, *Flagellat Deus omnem filium, quem recipit*: quibus identidem hanc beati Ambrosii sententiam interponebat: *Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere: sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* Lugebant inter hæc fratres, & in lacrymas solvebantur: At ille castigabat inertes lacrymas, ac potius lectioni & scriptioni operam dandam suadebat. In illis morbi angustiis publicæ utilitati, tum proximi, tum fratrum consulens, duo nihilo minus opuscula composuit, nempe evangelii sancti Johannis versionem in patriam linguam ad usum rudis populi; & excerpta ex notis Isidori in gratiam discipulorum, effatus se nolle, ut discipuli fabulis & inanibus commentis animum applicarent. Tertia feria ante ascensionem, anhelitus difficultate amplius laborare cœpit, & in ejus pedibus tumor apparere. Totum illum nihilo minus diem traduxit de more, hilarius solito discipulis scribenda dictans, eosque monens, ut discere festinarent, quippe incertum esse quamdiu superstes esset futurus. Nocte insequente insomni in gratiarum actione transacta, diem sequentem prælegendo & orando consumsit ad horam nonam, qua convocatis monasterii presbyteris munuscula distribuit, rogans & obsecrans, ut pro se missas celebrarent, dicens tempus esse, ut ad eum qui se formaverat reverteretur; tempus resolutionis suæ instare; cupere se dissolvi, & esse cum Christo. Ad vesperam unus e discipulis monuit, unam sibi scriptionis sententiam deesse. at ille cito scribi jussit. Ea scripta, dixit, Consummatum est; moxque in cellulæ suæ, ubi orare consueverat, pavimentum substrato cilicio, uti petierat, depositus, dicto *Gloria Patri*, spiritum Deo reddidit. Ita fere venerabilis Bedæ obitum descripsit Cuthbertus ejus discipulus in epistola ad Cuthwinum, quem dilectissimum in Christo *collectorem* vocat, forte quod ambo lectores & magistri aliorum essent. Cuthbertus Huetberto abbati successit in regimine monasterii Girwensis. ANN CHR. 735.

Quotquot de Beda scripsere auctores Anglicani, Turgotus, Willelmus, aliique, eum ipso ascensionis die, VII. kalendas Junii obiisse tradunt. Eumdem habent diem chronographus Fontanellensis perantiquus, & veteres fasti, in primis martyrologium Arnulfi Andaonensis monachi, quod monasterium est sancti Andreæ prope Avenionem, eodem die notantis sanctum Augustinum Anglorum apostolum, & venerabilem Bedam. Sunt tamen qui eum pridie ascensionis ad vesperam decessisse malint, ac proinde VIII. kalendas Junii. quod ex Cuthberti epistola colligunt. At vespera illa jam in sequentem diem magis inclinabat. Sed hæc leviora. De anno gravior difficultas ob vulgatam ipsius Bedæ epistolam de verno æquinoctio ad Wichredum presbyterum, in qua exemplum ponitur *de præsenti anno dominicæ incarnationis septingentesimo septuagesimo-sexto.* ad quem proinde Bedam pervenisse Baronius existimavit. Verum id sine dubio glossema est antiqui illius temporis exscriptoris, quod deest in codice Laubiensi. Certe annum tricesimum-quintum Bedæ mortalem signat Turgotus, rectius quam alii tricesimum primum, in quo Bedæ historia desinit, ulterius prosequenda, si diutius ille vitam protraxisset. Ejus epistola ad Egbertum scripta nonis Novembris præferr indictionem tertiam, quæ ante kalendas Septembris anni tricesimi-quarti inchoari non potest. Denique primis annis pontificatus Egberti, quem anno tricesimo-secundo Wilfrido successisse constat, Bedam obiisse testatur illius temporis poëta anonymi carmen de pontificibus Eboracensibus.

Temporibus primis præfati præsulis hujus
Presbyter eximius meritis, cognomine Beda,
Astra petens clausit præsentis lumina vitæ.

ANN. CHR. 735.

Sepultus est in monasterio Girwensi, & cum eo tota pæne litterarum apud Anglos gloria sepeliri visa est. Is statim ab ipsius obitu sanctus habitus, dictusque est. Bonifacius episcopus *candelam ecclesiæ* non semel; Lullus ejus successor *beatæ memoriæ Bedam* appellat, in cujus venerationem holosericam vestem ad ornandas ipsius reliquias mittit. Hincmarus Remorum antistes itidem sanctum vocat. His concinit anonymus poëta mox laudatus.

Hujus vita quidem qualis fuit ante magistri,
Claro post obitum signo est patefacta salutis.
Æger enim quidam patris dum cingitur almi
Relliquiis, penitus peste est sanatus ab illa.

a Raban. inscript. 39.

Jam sæculo nono ara in ipsius honorem in Fuldensi ecclesia erecta erat, teste[a] Rabano; idemque in litaniis metricis Hartmanni sancti-Galli monachi eodem tempore invocatur.

De universis Bedæ operibus egimus in ejus elogio, in Actis sanctorum nostrorum edito, ubi signanter de ejus homiliis accurate actum est. Adde ea, quæ initio posterioris Appendicis tomi primi horum Annalium diximus. Inter varia Bedæ opera unum est *de indigitatione*, seu de arte numerandi per digitos, ab antiquis olim usitata. Inveni in quadam membrana semilacera monasterii sancti Petri Carnutensis varias figuras, quæ totam hanc artem oculis subjiciunt. Ejus specimen hoc loco exhibere visum erat: sed forte melius in aliam occasionem differetur.

Quam ob rem dictus sit Venerabilis, alii alias afferunt causas, omnes fere aut falsas, aut dignas anilium fabularum. Qui ideo sic vocatum putant, quod ipso viveute in ecclesia ejus homiliæ legerentur, assentientes non habent veterrimos illarum homiliarum codices, quæ *domni Bedæ* titulum præferunt. In concilio tamen Aquisgranensi secundo[b] inter patres censetur *venerabilis & modernis temporibus admirabilis Beda presbyter*; & apud Amalarium[c] *venerabilis presbyter Beda* itidem nuncupatur. Ad hæc in lectionario Corbeiensi, ante annos quingentos scripto, homiliæ *venerabilis Bedæ presbyteri* inscriptæ sunt. Non ergo adeo recens hoc elogium, uti Menardo nostro visum est. Certe Hericus monachus Autisiodorensis in libro nondum vulgato de computo, libros de hac eadem re *venerabilis viri domni Bedæ presbyteri* commemorat.

b Conc. Aquisgr. 2. an. 816 præfat. lib. 3.
c Amalar. lib. 1. c. 37.

XXX. Bedæ plures.

Bedæ alii plures, & quidem sancti circumferuntur. Unus Romæ colitur in basilica Vaticana, jam dudum confusus cum Beda venerabili a Romano canonico sancti Petri, qui in descriptione ejus basilicæ ait, ibidem requiescere ante portam argenteam sub rota porphyretica, uti a majoribus traditione acceperat, venerabilem Bedam presbyterum, qui fecit homilias; & ob ejus reverentiam antiquis religionem fuisse hunc locum calcare. Ita ille ante annos quingentos. Idem Beda invocatur in pervetustis litaniis Vaticanis. At Beda noster in suo monasterio mortuus, sepultusque est; nec ejus reliquiæ extra Britanniam umquam translatæ. Alius fuit Beda junior, sed Italus, monachus Gravellensis monasterii prope Rodigium * oppidum agri Ferrariensis, cultus decima die Aprilis in urbe Genua, quo ejus reliquiæ translatæ sunt. De eo alias plura. Tertius denique, si tamen alius, maxime celebratur apud Arelate in monasterio Montis-majoris, isque in crypta sancti Trophimi sepultus creditur. Verum ad hæc probanda quis modus?

* Rovigo.

XXXI. Huetberto abbati Wirensi scribit Bonifacius pro scriptis Bedæ.

Moriente Beda venerabili, monasteria Wirense & Girwense regebat Huetbertus, Ceolfridi successor, alio nomine Eusebius dictus, quod cognomen *ob amorem studiumque pietatis* consecutus est, ex Bedæ præfatione libri tertii in Samuelem; idemque ipse est, cui nondum abbati expositionem in Apocalypsin Beda ipse nuncupavit, *fratri Eusebio* seu Huetberto inscripta. Paullo post Bedæ obitum Bonifacius » episcopus dilectissimo ac reverendissimo fratri Huetberto abbati, & universis fratri- » bus sanctæ congregationis ejus scripsit epistolam nonam, eum rogans & obsecrans, » ut se sociosque, inter feras & ignaras gentes Germaniæ laborantes, & grana evan- » gelica disseminantes, sacrosanctis orationibus adjuvarent; simulque petit, ut aliqua » de opusculis sagacissimi scripturarum investigatoris Bedæ monachi, quem nuper in » domo Dei apud eos, instar candelæ ecclesiasticæ, scientia scripturarum fulsisse au- » dierat, exscripta sibi cum clocca una transmittere ne gravaretur; eisdem ad indicium

AN. CHR. 731. Itemque Egberto episcopo.

intimæ caritatis mittens lectisternia caprina. Totidem verbis scripta est epistola centesima quinquagesima Cuthberto abbati, Huetberti successori. Eodem spectat ejusdem Bonifacii epistola ad Egbertum episcopum Eboracensem octava; itemque octogesima, qua flagitat aliquam sibi dirigi particulam vel scintillam *de candela ecclesiæ*, quæ nuper in istis regionibus illuxerat, nempe ex tractatibus, quos spiritalis presbyter & investigator scripturarum Beda composuit, maxime lectiunarium anniversarium & commentarios in proverbia Salomonis. Plura de eo in ipsius elogio, a me alias edito. Ejus reliquiæ Dunelmum translatæ sunt.

XXXII. Tatwino episcopo Cantuariensi succedit Nothelmus.

Altero post Bedam mense, id est ultimo die mensis Julii, e vivis itidem sublatus est Tatwinus Cantuariensis antistes, cum antecessoribus suis sepultus in Apostolorum basilica monasterii suburbani. Successorem habuit Nothelmum, presbyterum Londoniensis sancti Pauli ecclesiæ, *quia monachus erat*, inquit Gervasius, qui ei annos quinque regiminis tribuit, non tantum tres, ut Willelmus Thornus. Initio ejus pontificatus Bonifacius eidem scripsit epistolam decimam-quintam, obsecrans, ut sui in sacrosanctis ipsius orationibus memor esse dignaretur, navemque mentis suæ, variis Germanicarum tempestatum fluctibus quassatam, hoc præsidio stabilire, impertita communione mutuæ caritatis, quam sibi venerandæ memoriæ antecessor ejus Bertwaldus concesserat. Ad hæc flagitat sibi transmitti Gregorii Magni epistulam, in qua contineri dicuntur interrogationes Augustini pontificis & prædicatotis primi Anglorum, cum responsionibus ipsius Gregorii; idemque certior fieri cupit, utrum hæc epistola vere Gregorii sit, quia in scrinio Romanæ ecclesiæ, ut affirmant scriniarii, cum ceteris exemplaribus ejusdem pontificis (quod sane mirum) non inveniebatur. Eumdem Nothelmum consulit vir sanctus de peccato cujusdam, qui matrimonium contraxerat cum vidua, cujus ante filium e sacro fonte susceperat. qua de re etiam Pectelmum episcopum Candidæ-casæ, & Duddonem abbatem consuluit. quæ res necdum tunc temporis ubique locorum recepta, aut trita erat. In fine sibi indicari petit, quoto anno incarnationis Christi prædicatores primi a sancto Gregorio missi ad gentem Anglorum venissent. ubi mirari subit, rem tam insignem, tamque novam, jam tum obscuram fuisse. quo minus mirandum est, si illi, qui annos regum nostrorum primæ stirpis cum annis incarnationis componere voluerunt, tam longe a scopo aberraverint.

XXXIII. Fridefwida virgo obit.

Eodem anno ad cælestem Sponsum migrasse dicitur Fridefwida virgo & monacha Oxoniensis, Didano patre ejus pagi subregulo, & Safrida genitrice orta. quæ sub Alginæ, forte Algivæ, cujusdam disciplina, (Wintoniensem abbatissam fuisse putant nonnulli) multum in virtute ac litteris progressum fecit. Didaous conjugis amissæ dolore perculsus, Oxonii ecclesiam in honorem beatissimæ virginis Mariæ condidit dilectissimæ filiæ rogatu, ubi ipsa rebus cælestibus se totam mancipavit, erectoque monasterio, ibidem se se cum aliis duodecim virginibus demum inclusit. Victis aliquando dæmonis ludificantis insidiis, qui se Christum mentiebatur, aliæ succedunt ab Algaro rege structæ: quem insana libido ad rapiendam e claustro Fridefwidam adegit. Nuntiis a rege missis respondit pia virgo: si se mortalis cujusquam connubio sociare voluisset, regiæ petitioni facile consensuram. nunc, quoniam Regi immortali desponsata erat, sibi nefas esse, ut, eo spreto, mortali homini se traderet. Ubi blanditiæ non succedunt, vim inferre procus impatiens molitur. Fridefwida interim, hoc intellecto, fuga pudicitiæ consulit, & in silvam se abdit. Fugientem insequitur perditus amasius, quem virginis latibulum latere non potuit. Verum illa per occultos tramites nocte intempesta Oxonium teversa est. Illuc cum mane furens amasius devolasset, puella jam de fuga desperans, Dei tutelam sibi, persecutori pœnam imprecatur. Accedenti cæcitas divinitus inflicta: ac resipiscenti virginis precibus lumen denuo restitutum. Sic pia femina, virginei compos triumphi, paullo post, vocante Sponso, in cælum recepta est. Colitur multis etiam extra Angliam locis, maxime in Gallia, ubi complures nominis sui habet ecclesias, vicum unum prope Taruennam. Apud Fontanellenses nostros olim celebris erat ejus memoria. Exstat etiam nunc ejus oratorium Romæ, teste Jacobo Malbranco, qui propterea opinatur, eam aliquando Romam profectam fuisse. In chronologia Saxonica Frithogita quædam Romam perrexisse dicitur anno ejus sæculi tricesimo-sexto: quæ si Fridefwida est, in annum sequentem mors ejus differenda. Quis sit rex ille Algarus, qui eam deperibat, incertum, forte subregulus quidam Oxoniensis. Obiit Fridefwida XIV. ka-

lendas Novembris. Monasterium sæculo undecimo canonicis regularibus datum.

ANN. CHR. 736. XXXIV. Hersfeldensis monasterii initia per Sturmium.

HErsfeldensis seu Herveldensis monasterii primordia nemo unus nobis certius prodiderit, quam Lambertus Scafnaburgensis, ejus loci monachus & ornamentum, qui anno supra septingentesimum tricesimo-sexto ea collocat. Annales Gregoriani in Alsatia monasterii rejiciunt in annum sequentem. Locus est in Hassiæ regione ad Fuldam amnem, olim incultus & agrestis, nihil præter dumos, inertesque arbores producens. Hunc primus incoluit Sturmius nobilis Noricus, quem sanctus Bonifacius ex Bajoaria secum adduxerat, & Wigberto abbati Fritislariensi educandum, atque in rebus monasticis instituendum commiserat. Is presbyter ordinatus, se dignum altaris ministrum exhibuit, novos fidei tirones erudiendo & baptizando. Post annos sacerdotii tres, ejus animum subiit cogitatio, ut artiori vitæ in solitudine totum se daret. Hinc, probante Bonifacio, cum duobus sociis perrexit in Bochoniam silvam, aptum suis votis locum exquisiturus. Die tertio pervenerunt ad locum, qui tum *Hersfeld* seu *Herolfesfeld* vocabatur, ibique consistere decreverunt. Nec mora, exiguas construunt casas in suos usus, quas ex arborum corticibus tegunt, ibidemque jejuniis, vigiliis, ac precibus tempus non modicum vacant. Dein Sturmio visum est adire Bonifacium, eique solitudinis ac vitæ suæ statum exponere. Complexus *eremitam suum* vir sanctus, (sic eum, teste Candido, appellare solebat) & loci situ & incommodo cognito, quippe qui ferocium Saxonum excursibus obvius erat, tutiorem in solitudine habitationem inquirere persuasit. Reversus ad locum Sturmius, conscensa cymba, per adversum Fuldæ alveum superiora loca lustrat. Cum nullus occurrisset opportunus locus, reditum ad pristinas casas. Hoc comperto, Bonifacius ad se accersit Sturmium, qui Fritislariæ ipsum convenit. Jussus nonnihil de jejunio ac vitæ severitate remittere, ac novas quærere sedes monasterio aptiores, asino incedens eremum denuo circuit, ubi nihil præter feras & arbores reperit, & oberrantes forte quosdam Sclavos, qui Moguntiam negotiandi causa pergebant. Tandem optatum reperit locum, ubi postea sacrum Fuldense monasterium erectum est. Mox ad Bonifacium redit, qui, probato loco, Carolomannum principem adit, ut eum obtineret. Id factum anno nono, quam Sturmius Hersfeldensem solitudinem incolere cœperat: quo ex tempore repetita Hersfeldensis monasterii primordia, tametsi nonnisi post aliquot annos locus ille in justi monasterii formam coaluit, ut postea dicemus, Lulloepiscopo procurante, qui centum quinquaginta monachos ibidem instituisse traditur. Hinc corrigendus Bruweri calculus, qui longe serius ejus monasterii constructionem rejicit.

XXXV. Harlindis & Reinula abbatissæ Eikenses.

In Gallia Belgica eodem tempore floruerunt duæ piissimæ sorores, Harlindis & Reinula, quæ parentes æque pios ac nobiles, Adalhardum & Grinuaram, habuere. Postquam in monasterio, *quod vulgo Valencina* vocabatur, recte institutæ fuerant, atque eruditæ in legendo, modulando, scribendo ac pingendo, denique in omni artium genere, quæ muliebrem sexum decent; subiit parentum animum, ut eis monasterium in propriu fundo construerent. Erat haud longe a Mosa fluvio, Trajectum * inter ac Ruræmundam, exigua silva, quæ præ ceteris locis huic proposito visa est opportunior, maxime ob amœnum fontem inde ubertim manantem. Illic construi cœptum monasterium, cui operi accelerando ipsæmet Harlindis & Reinula materias comportabant. Inditum loco Eika vocabulum, ubi ambæ virgines a beatis episcopis, Willibrordo & Bonifacio, consecratæ, *secundum normam sanctæ regulæ & ecclesiastica instituta* abbatissæ ordinatæ sunt, coadunatis principio duodecim virginibus, quæ omnes nigro tectæ velamine, Christo certatim servire contendebant; dignæ habitæ, quæ innumerabiles sacri instituti imitatrices, veluti totidem soboles, post se relinquerent. Omnium una cura erat, otiositatem ut vitarent, tamquam mortiferam pestem. unde pars contexendis propriis manibus palliolis, ac vestibus ecclesiasticis ex auro & margaritis ornandis; pars scribendis codicibus sacris operam dabant: quorum ex operibus quatuor evangelia, necnon psalterium aureis fulgentia litteris & operculis, suo tempore superfuisse auctor anonymus testatur, qui medio sæculo nono vixit. Inter operandum earum mos erat, ut labores psalmorum modulatione relevarent, quod antiqui patres, teste [a] Cassiano, atque adeo majores nostri solebant facticare. Ita quippe Fructuosus in primæ regulæ capite sexto, ita sanctus Adalhardus [b] abbas Corbeiensis in suis statutis, ita nostri Cluniacenses apud Udal-

* Mastrich.

a Cassian Inst. lib 3. c. 12.
b Adelhard. stat. lib 2. c. 4.

ricum[a]. Nec mirum videri debet, virgines illas tam probe inſtitutas fuiſſe, quippe quæ magiſtros ac inſtitutores habuerint ſanctiſſimos antiſtites, Willibrordum ac Bonifacium, qui ad eas identidem ventitabant.

a Udalric lib. 1. c. 30.

ANN. CHR. 737.

XXXVI. Ermino abbas Laubienſis obit.

PErvenit ad hoc tempus ſanctus Ermino ſeu Erminus epiſcopus & abbas Laubienſis, qui provectus ætate, plenuſque dierum in cælum migravit VII. kalendas Maii, anno ſeptingenteſimo triceſimo-ſeptimo; vir tam inflexæ conſtantiæ, ut nulli umquam, quantumvis potenti, ſuccubuerit, timendo, vel adulando, teſte Anſone ejuſdem cœnobii abbate, qui primus res ab eo geſtas poſteris mandavit. Ejus obitum ſignantius exprimit interpolator anonymus, cum ait, ipſum rexiſſe monaſterium Laubienſe viginti-quinque ferme annorum tempore, obiiſſe vero VII. kalendas Maias, feria quinta ante hebdomadam rogationum, anno dominicæ incarnationis ſeptingenteſimo triceſimo-ſeptimo, principatus Caroli ſenioris viceſimo-tertio, indictione quinta; ſepultumque fuiſſe in oratorio ſanctæ Dei genitricis Mariæ, in montis cacumine, ſecus beatum Urſmarum, relicto Theodulfo epiſcopo ſucceſſore. Hinc corrigendus videtur Fulcuinus abbas, qui ait, Erminonem tribus annis ſub Pippino principe vixiſſe, & VIII. kalendas Maii deceſſiſſe: at forte in hoc præferendus, quod Theoduinum abbatem Erminoni ſubſtituit, Theoduino Theodulfum, cui Anſo, vitæ ſancti Erminonis ſcriptor, ſucceſſit. Quid rerum geſſerit Theoduinus, incompertum. Nec fere plura de Theodulfo epiſcopo ejus ſucceſſore, niſi quod ejus tempore multa Laubienſi monaſterio prædia accreviſſe dicuntur.

Theoduinus & Theodulfus ſucceſſores.

Erminone abbate Laubiis floruerunt in primis Abel, Wlgiſus, & Amulwinus epiſcopi, qui ſancto Erminoni rebus ſpiritualibus occupato collaborarunt; atque Anſo, abbas poſtea Waſlerenſis, de quo ſuperius egimus. Abel, origine Scotus, S. Rigoberto Remenſi epiſcopo poſt aliquot ab ejus obitu annos ſubſtitutus, ut inferius dicturi ſumus. De Wlgiſo id unum habemus, quod in perantiquis martyrologiis, teſtante Fulcuino, Laubaci *depoſitio ſancti Wlgiſi epiſcopi* notatur pridie nonas Februarii; ejuſque mauſoleum ibidem Fulcuini tempore, id eſt ſæculo decimo, cernebatur. Is mihi videtur Wiligiſus præſul, qui in actis ſancti Servatii Tungrorum epiſcopi nondum editis, a Carolo principe Trajectum miſſus fuiſſe dicitur, ut, ſi qua eſſent dilapſa, in ſancti Servatii templo reſtauraret, & ſuper ſancti viri ſepulcrum erexiſſe ciborium, auro & gemmis decoratum. Wlgiſi corpus e tumulo elatum ante ſæculum decimum, poſtea in opidum Hannoniæ Binchium tranſlatum eſt.

Laubienſes viri illuſtres.

XXXVII. Erkembodo abbati Sithienſi ſuccedit Waimarus.

Hoc ipſo anno Theodericus rex Francorum deceſſit, nullis relictis liberis, nullo ſucceſſore, qui Carolo principi regnum præripere auderet. Carolus ipſe regia poteſtate contentus, regis nomine abſtinuit. Sic interregnum fuit uſque ad ejus obitum, qui poſt annos quatuor accidit, immo ad duos poſt ejus obitum annos. Theodericus in baſilica Dionyſiana ſepultus eſt. Eo decedente, inquit Iperius, ſanctus Erkembodo ſeu Erkembodus, epiſcopus Taruennenſis, ſimulque Sithienſis abbas, mundo exceſſit, & in monaſterio ſancti Audomari ſeu baſilica ſanctæ Mariæ, ubi Sithienſium conditorium erat, ſepultus eſt. Ejus reliquiæ ſummo altari impoſitæ ſunt in eadem eccleſia, in qua ſanctus Erkembodo colitur pridie idus Aprilis. Huic in epiſcopatu ſucceſſit Adalgerus; in monaſterii regimine Waimarus, qui a Childerico rege privilegium impetravit anno regni ejus primo.

XXXVIII. Mors S. Pardulfi abbatis Waractenſis.

Ad hunc etiam Chriſti annum revocanda eſt mors ſancti Pardulfi abbatis Waractenſis. ſiquidem obiit pridie nonas Octobris, quæ dies dominica erat, cum Hunoldus Eudoni patri in ducatum Aquitaniæ ſucceſſiſſet. Ipſa ejus obitus hora Theodorus ipſius diſcipulus voces in cælo pſallentium audiviſſe perhibetur ab anonymo auctore ejus æquali, qui ſancti Pardulfi acta in commentarios retulit, eoſque Berthemario abbati nuncupavit. Sacrum ejus corpus conditum eſt in baſilica ſancti Albini: in qua, cum Liframnus præpoſitus gradus facere vellet, lignum ad hoc brevius Pardulfus miraculo auxiſſe traditur. Waractenſe ſeu Garactenſe monaſterium in opidum converſum eſt, atque ex eo loco ſancti Pardulfi reliquiæ primum in Sarlatenſe monaſterium tranſlatæ ſunt, poſtea in Arnacenſe, ubi hactenus aſſervantur. Hoc monaſterium redactum eſt in præpoſituram ſeu prioratum, qui locus apud Lemovices, opido Arnaco inſignis, prope Pompedorium ſitus eſt, inter Voſienſem abbatiam & urbem Tutelam.

XXXIX. S. Benigno facta donatio.

Eodem anno Ermenoara Deo ſacrata tradidit baſilicæ ſancti Benigni apud Di-

ANN CHR. 737.

vionem, ubi apostolicus vir Astoricus regimen tenebat, adeoque *monachis & matriculariis, qui ibidem conversari noscuntur*, quidquid in villa Rufiaco, quæ in pago Atoariorum sita est, ipsa possidebat, ea condirione, ut si quis hæc a basilica sancti Benigni abstrahere vellet, cuncta revertantur ad suos heredes, Ermenarium & Ermenricum, eorumve filios, prout a Boboleno germano suo statutum fuerat. quos idcirco hic notare visum est, quod Ermenoara illustris generis fuerit. Litteris Rufiaei datis subscribit inter alios Falago ejus nepos. Artaldus ad vicem cancellarii scripsit *ante kalendas Madias, defuncto domno Theoderico, & electo Karolo majore-domus.* Ex quo intelligitur, Theodericum ante hunc mensem decessisse, & Carolum principem, qui eo regnante major-domus erat, in locum ejus a Francis regem electum fuisse, tametsi regium nomen numquam usurpavit. Benignianus chronographus hanc donationem factam tradit, cum Astoricus episcopus Lingonum erat, & Bobolenus regebat sancti Benigni cœnobium, tametsi nulla de Boboleno mentio est in ipso instrumento relato apud Perardum, ubi *Assoricus* mendose legitur, quem Divione episcopum, non abbatiæ Benignianæ rectorem seu abbatem indicare videtur instrumenti formula, his concepta verbis: *Domino sacro-sanctæ basilicæ sancti Benigni martyris, sub opido Divione constructæ, quo apostolicus vir Astoricus regimen tenet.* quod ad opidum, non ad basilicam referendum videtur. Neque tunc temporis monasterii abbas tum fuisse videtur Bobolenus, sed Godinus, cui Thanotardum successisse superius [a] conjiciebam. Falsus est chronographus, qui Ermenoaræ donationem peregrino loco reposuit, nempe inter principatum Childeberti tertii & Dagoberti ejus filii ac successoris. At minutiarum satis, tametsi forte haud inutilium.

[a] Supra n. 21.

XL. Ceolwlfus rex fit monachus.

In Britannia majori Ceolwlfus Northanimbrorum rex, parum tutum existimans turbulentis regiæ dignitatis negotiis immori, consultius existimavit, regno abdicato monachum profiteri, ut totum se divino cultui manciparet. Itaque hoc anno, qui principatus ejus nonus erat, regnum Eadberto, filio patrui sui, reliquit, secessitque in monasterium Lindisfarnense, voluntaria paupertate Christum secuturus, ut cum eo aliquando in cælesti gloria ditaretur. Ita vero mores ibidem suos instituit, ut post mortem sanctus habitus sit. Quamquam ejus occasione nonnihil laxamenti invectum est in disciplinam monasterii. nam cum ante id tempus Lindisfarnenses monachi nonnisi lac & aquam bibissent; deinceps, Ceolwlfo rege sive suadente, seu occasionem præbente, vinum ac cervisiam bibere cœperunt. Ex quo intelligimus, maxime cavendum esse, ne ex principum ac primorum virorum admissione in monasteria, quantumvis pietatem colere videantur, a primaria severitate degeneretur, dum ad delicatos eorum mores temperatur communis monasterii disciplina. Si quid laxamenti concedendum, id paucorum sit ob manifestas infirmitates, non universorum, ut sancto Arsenio, Arcadii præceptori, nonnihil indultum legitur. Quam diu in monasterio superstes fuerit Ceolwlfus, non convenit inter auctores: alii duos tantum annos superfuisse dicunt, alii viginti duos. quæ posterior sententia est Johannis Bromtonis, & Florentii Wigorniensis, qui ejus obitum collocat anno septingentesimo sexagesimo. Sæculo insequenti Egredus Lindisfarnensis antistes ecclesiam apud Northamum Dunelmensium opidum ædificavit in honorem sanctorum Petri apostoli & Cuthberti episcopi atque sancti Ceolwlfi regis ac monachi, cujus corpus eo transtulit, postea Dunelmum illatum. Hæc ecclesia, testante Cambdeno, hodie quoque exsistit.

XLI. Thomas ex monacho episcopus Placentinus

b Ughel to. 2, c. 249.

Placentina monasteria.

In Italia nostris adnomeratur ab Ughello [b] *Thomas monachus sancti Benedicti*, qui Placentinæ ecclesiæ regimen hoc anno iniisse traditur. Is anno episcopatus sui nono litteras a Ratchiso rege obtinuit, quibus præcedentium regum privilegia, adeoque ecclesiæ suæ possessiones confirmantur. Eidem etiam asseruntur ecclesiæ & monasteria, Placentinæ matri ecclesiæ hactenus subjecta: in quibus recensentur monaste-
» ria beati Thomæ apostoli, atque Syri confessoris prope civitatem ipsam Placenti-
» nam; tum venerabilia loca seu monasteria, Florentiola, Tolla & Gravacum. Actum
» Ticino palatio, quarto die mensis Martii, anno Christi Domini septingentesimo
» quadragesimo-sexto, Ratchisi regis secundo, indictione quarta-decima. Hæc monasteria fere omnia aut incognita, aut exstincta sunt: nisi si Gravacum monasterium est abbatia *Gravar* appellata, congregationis modo Casinensis, ex Lubino. Idem videtur esse Graciacum, de quo diploma Hildeprandi, in fine hujus libri compendio

ANN. CHR. 737.

compendio referendum. Gravacum monastérium ecclesiæ Placentinæ denuo asseruit Ludovicus augustus rogatu Podonis episcopi, dato diplomate anno imperii septimo, indictione tertia decima, relato apud [a] Cointium ex historia Petri Mariæ Campi de ecclesia Placentina. De monasterio Tolla, quod erat diœcesis Mediolanensis, alias agemus. Mirum vero est in hoc Ratchisi diplomate prætermitti monasterium sancti Sabini virorum, & puellare sancti Michaëlis, quæ tum exstitisse probat vetus monumentum apud Ughellum [b], si tamen genuinum est. In eo legitur, Maurum episcopum Placentinum, ordine tertium, in basilicam duodecim apostolorum, a sancto Sabino decessore suo consecratam, transtulisse corpora sanctorum Gelasii, Victoris atque Sabini: ad cujus latus sepulta fuisse dicitur sancta Victoria virgo soror ipsius, quæ fuit abbatissa monasterii sancti Michaëlis in civitate Placentia. deinde ad pedes sancti Sabini exstitisse altare sancti Martini confessoris, & sancti Eusebii monachi, cujus festivitas est in conceptione sancti Johannis-Baptistæ. Verum tota hæc relatio Ruffini monachi sancti Sabini, qui medio tertio-decimo sæculo scripsit, vel ex hoc suspecta redditur, quod in ea Maurus episcopus se *de Lotherio regno* esse dicit. quod manifeste posteriora tempora sæculi noni sapit.

a Coint. to. 7. p. 529.

b Ital. sac. to. 2. c. 147.

ANN. CHR. 738.

XLII.

Bonifacii tertium iter Romam.

POstero anno Bonifacius, multis Turingorum & Hessonum millibus ad fidem conversis & ablutis, multis in utraque provincia exstructis ecclesiis, orationis causa tertium ad limina beatorum apostolorum cum aliquot discipulis suis venit: ubi benigne acceptus a Gregorio tertio, quem *juniorem-secundum* Willibaldus vocat, omnibus etiam, non modo Romanis, sed & advenis, nimirum Francis, Bajoariis, Saxonibusque transmarinis, ob catholicam doctrinam singularemque pietatem, venerationi fuit. De prospero sui itineris & adventus successu visum est viro sancto commonefacere discipulos in Germania relictos. Quapropter epistolam ad eos omnes scripsit, quæ vicesima-septima est inter Bonifacianas, inscripta *dilectissimis filiis Geppan & Eoban, Tatwino & Wigberto, & omnibus fratribus ac sororibus* suis, quibus præcipit, Deo ut gratias agant, tum quod prospere ad limina beati Petri apostolorum principis pervenerit, tum quod gratanter & cum gaudio susceptus sit ab apostolico pontifice, qui de legatione sua læta responsa reddiderat, jusseratque, ut rursum in Germaniam reverteretur, & cœpto operi insisteret. Interim sibi exspectandum sacerdotum concilium, quod pontifex indixerat. quo finito, confestim ad eos reverteretur. Proinde fraternam caritatem, unitatemque fidei servare sollicìti sint, ut cum gaudio eos revisat. In hoc sacerdotum concilio definitum videtur, ut Bonifacius, qui jam ætate provectus erat, presbyterum sibi successorem futurum eligeret, qui cœptam missionem prosequeretur. sic enim ille in epistola ad Zachariam: *Venerandæ*, inquit, *memoriæ præcessor vester, sicut audistis, in præsentia vestra præcepit, ut presbyterum post obitum meum, Deo volente, in ecclesiastico ministerio heredem & successorem constituere deberem*. quod in causa fuit, ut Lullum ante obitum suum in sede Moguntina successorem institueret. Ex discipulis in superiori epistola memoratis ignotus est nobis Geppan, alius sine dubio a Geba abbate Augiensi, cui ante biennium Ermenfredus abbas successerat. Eoban erat chorepiscopus Trajecti ad Rhenum, postea martyrio cum Bonifacio affectus: Wigbertus Fritislariensi monasterio præerat. Tatwinus itidem abbas erat, laudatus in Bonifaciana epistola decima-septima, forte Ordorfensis monasterii rector.

XLIII.

Reditus in Germaniam cum litteris pontificiis, & facta inde consecuta.

Dum Bonifacius Romæ versaretur, ei adjunctus est Wunebaldus ejus cognatus, qui tum Romæ vitam monasticam ducebat. Non tamen statim cum eo in Germaniam profectus, sed paullo post subsecutus videtur. Bonifacius Roma discessurus, epistolas tres accepit a Gregorio papa. Prima scripta erat, *dilectissimis omnibus episcopis, venerabilibus presbyteris, & religiosis abbatibus omnium provinciarum*, quibus virum sanctum commendat, eosque hortatur, ut eum consilio & auxilio juvent; & si quis ex eorum ministris ei se socium adjungere velit, ne prohibeant. Eidem dedit pontifex alteras litteras ad cunctos optimates, populosque Germaniæ, Turingos, Hessos, aliosque adjacentes populos, quos monet, ut ne jam baptizati lucis & fontibus sacrificia facere perseverent; neu sortibus, auguriis & phylacteriis amplius se dedant; aut divinis, incantatoribusque & veneficis aures faciles præbeant; præcipiens insuper, ut episcopos & presbyteros, quos Bonifacius ordinavisset, recipiant; &, si quos forsitan a recta fide descìscentes coercuisset, nulla ratione tueantur. Tertias denique litteras scri-

ANN. CHR. 738.

psit Gregorius episcnpis Bajoariæ & Alamanniæ, Wigoni Augustann, Liudoni « Nemetensi seu Spirensi, Rudolfo seu Rudolto Constantiensi, Viviloni Bajoariæ, » & Addæ seu Heddoni sive Ettoni Argentoratensi, ut Bonifacium coëpiscopum, suas » agentem vices, condigno honote exciperent, doctrinamque & morem catholicæ & » apostolicæ ecclesiæ, a qua missus, edoctusqne fuerat, tenerent; profanos idololatriæ ritos damnarent; Brittones, falsos sacerdotes & hæreticos nec audirent ipsi, » nec a suis audiri paterentur; & ad ripam Danubii, aut ad Augustam-Vindelicorum, ant quemcumque alium in locum Bonifacius legatus concilium episcoporum » indixisset, convenire non recusarent. His fretus litteris Bonifacius, cum in Germaniam rediret, Ticini apud Liutprandum Langobardorum regem aliquamdiu substitit; inde invitatu Odilonis ducis venit in Bajoariam: ubi expulsis qui se falso episcopos & presbyteros ferebant, provinciam totam, in qua unus erat Vivilo episcopus, consensu ducis & optimatum distribuit in quatuor episcopales sedes; tribusque nrdinatis episcopis, Johannem Juvavensi seu Saltzburgensi, Erembertum Frisingensi, Goibaldum Reginensi seu Ratisponensi Bajoariæ metropoli coostituit; Viviloni, qui ab ipso Gregorio papa consecratus fuerat episcopus, Pataviensi ecclesia relicta. Johannes quartus a sancto Rudberto episcopus Saltzburgensis fuit, intermediis Vitali & Flobargiso; Goibaldus seu Gauv'paldus Ratisponensis secundus, Wicterpi successor; Frisingensis item secundus Erembertus post Corbinianum; Vivilo seu Vivolus primus Pataviensis. Hæc constant ex genuinis indicibus [a] a nobis editis, ex quibus vulgati emendandi sunt. Ceterum Sabionensis apud Noricos episcopatus paullo serius erectus est, nec ei ullus proprius præfuit episcopus [b] ante Ingenuinum & Mastulonem. In his aliisque immane apparet apud Hundium discrimen.

a Analect. to. 4. p. 325. & seq.
b Ibid. p. 327.

XLIV. Eucherius episcopus Aurelianensis obit.

Cum Eucherius episcopus Aurelianensis in Hasbaniensi sancti Trudonis monasterio exsul sex circiter annos egisset, ex hujus tandem sæculi exsilio liber in cælum evolavit x. kalendas Martii, & in basilica sancti Trudnnis merito cum honore humatus est. Ad anniversarium ejus obitus diem cum frequens clericorum populorumque turba convenisset, nec cibaria tantæ multitudini suppeterent abbati monasterii; unus e clericis, sancti viri olim familiaris, ad præfluentem Asindriam amnem venit, tantamque in eo piscium copiam abundare *abbati fratribusque* significavit, quanta nunquam illic visa fuerat. Itum est, jactisque retibus, tanta piscium moltitudo uno momento capta, ut non solum clericis, sed etiam universo popolo reficiendo satis fuerit. Trudonensi monasterio tunc præerat Grimo abbas, cujus tempore Rotbertus comes, is qui Eucherium custodiendum a Carolo principe acceperat, quasdam alodii sui possessiones contulit basilicæ sancti Trudonis, cui *venerabilis abbas, Grimo nomine, regulariter præfuisse* dicitur. quæ vox *regulariter* nonnisi de collegio monachorum illis temporibus significare solet. sic in capitulari Aquisgranensi [c] sub Carolo Magno præcipitur, ut monachi *monachice & regulariter* vivant; canonici vero *canonice*. Eucherius multis miraculorum signis post obitum clarus fuisse memoratur. unde patres synodi Carisiacensis eum sanctum vocant in epistola synodica ad Ludovicum Germaniæ regem, uti etiam Hincmarus, Adrevaldus, aliique ejusdem ævi scriptores. quo tempore sacrum ejus corpus, una cum sancto Trudone, e tumulo elatum est a Francone episcopo Leodicensi. De die & anno Eucherii obitus discrepant auctores. Diem nonum ante kalendas Martii assignant Rabanus & Notkerus; præcedentem fasti Trudonenses, martyrologium Romanum, aliique, quibus subscribimus. Idem obiisse dicitur *sexto exsilii sui anno.* ita enim diserte habet anonymus ejus vitæ scriptor æqualis. Eucherius relegatus est a Carolo post victoriam de Sarracenis reportatam. Id de Pictavensi interpretor, quæ anno ejus sæculi tricesimo-secundo patrata est: Carolus Cointius de Narbonensi, quæ tricesimo-septimo. At certe mihi videtur magis concordare anonymi narratio cum Pictavensi. Carolus, collecto Francorum & Burgundionum exercitu, procedit dimicaturus contra Sarracenos *Aquitaniam ingressos*. Obtenta victoria, revertens venit Aurelianos, atque Eucherium loci episcopum, sibi suspectum, Luteciam-Parisiorum se subsequi jussit, quem inde Coloniam-Agrippinam ablegavit. Sane hujus itineris series potius ad Pictavensem expeditionem, quam ad Narbonensem videtur referenda. qua sententia semel admissa, evanescit fabula de Caroli principis damnatione ab Eucherio visa, cujus infra mentio recurret.

c Capitul. Aquisgr. c. 73.

ANN. CHR. 738.

XLV. Leutfredus quoque abbas.

Hunc etiam annnm prope attigit Leutfredus abbas Madriacensis. Is febre correptus, ubi se deficere sensit, *ciborum benedictionem* pro eulogiis ad loca sanctorum circumquaque posita misit, rogans, ut religiosorum virorum precibus apud sanctorum memorias indulgentia sibi & delictorum remissio obtineretur. Urgente morbo, noctem nihilo minus ultimam in Dei laudibus totam, recitato integro psalterio, duxit. Matutinorum synaxi cum fratribus peracta, exitum suum sacramentorum perceptione munivit, & inter verba orationis, complexus fratres, ultimum diem absolvit xi. kalendas Julias, postquam per annos circiter quadraginta-octo præfuisset Madriacensi monasterio, quod primum absolute monasterium Crucis seu Crucis-sancti-Audoëni, aliquando Crucis-Heltonis, demum Crucis-sancti-Leutfredi vocabulum obtinuit. Sepultus est in basilica sancti Pauli, postea translatus in majorem basilicam sanctæ Crucis & sancti Auduëni.

Eo mortuo monasterium illud communem aliarum ecclesiarum pertulit sortem, expositum rapacitati hominum secularium & laïcorum, qui sanctorum locorum possessiones devorabant. Unus ex his fuit principatu Caroli Magni Hunbaldus abbas, non exiguæ in sæculo dignitatis, qui ministro usus Beterico quodam, cujus cura monasterii res administrarentur, eo monachos redegit, ut necessaria eis alimenta vix suppeditarentur. Forte quadam die, cum sollemnis sancti Leutfredi depositio celebranda erat, eumdem œconomum convenit Odo decanus, ut nonnihil lautioris obsonii die festo sancti Leutfredi exhiberetur. Ille vero superbiæ spiritu plenus: Ecquis est Leutfredus ille? inquit, sic & subulcus patris mei vocatur. Sed scito, me nihil præter solitum ejusmodi nominis causa largiturum. Postridie sedenti ad mensam cum uxore, oblatus est piscis: &, Omnino, ait, ex hoc non comedent clerici Leutfredi. Mox eidem apparens monachus quidam, Hercus nomine, dudum vita perfunctus, hominem baculo percussit, qui sanguinem ex ore naribusque plurimum fundens, ilico fratribus necessaria omnia honestissime præparari mandavit; at nihilo minus, vulnere ingravescente, post modicum humanis rebus excessit. Plura ad sancti Leutfredi tumulum patrata miracula dicuntur: in quibus mulier quædam oculorum orbata lumine, cum nullum feminis illuc aditum patere intellexisset, candelam eo misit; & candela accensa, statim illa visum recepisse traditur. In necrologio Augiensi pervetusto memoratur *ex monasterio Crux-sancti-Audoëni Purchartus abba*, qui ante medium sæculum nonum eidem loco præfuit. Eodem tempore vixit anonymus, qui vitam sancti Leutfredi litteris mandavit post medium sæculum nonum, quo ejus translatio e tumulo facta est.

XLVI. Abbates Fontanellenses & Vedastini.

Hoc ipso anno Teutsindum Fontanellensem improbum abbatem excepisse traditur Wido, cujus præfectura hoc uno melior fuit, quod brevior. Hic Caroli principis propinquus, clericus re ac nomine secularis, gladio semper accinctus incedebat, sagoque pro cappa clericali utebatur. Ad hæc magnam copiam canum semper habens, venatione magis, quam lectione delectabatur, sagittandi peritior, quam ecclesiasticæ disciplinæ. Nec contentus Fontanellensis abbatiæ proventu, etiam Atrebatensem sancti Vedasti abbatiam usurpavit post Gogislenum abbatem. Verum cum uno dumtaxat anno utrumque monasterium tenuisset; initæ conspirationis apud Carolum principem accusatus, cum in regiam domum custodiæ causa duceretur, in territorio Viromandensi multatus capite est, ibidemque traditus sepulturæ. Hunc annum incarnationis dominicæ signat chronographus Fontanellensis, eumque cum anno primo Childerici regis componit, ratus, Childericum statim mortuo Theoderico successisse. In fine addit, Raginfridum quemdam patrem-familias Widoni largitum fuisse portionem suam ex villa pagi Constantini, nomine Laxtra, anno primo ejusdem regis Childerici. Corrigendus in alterutro chronographus, nempe vel in anno incarnationis, vel in anno Childerici, sed potius in posteriori. siquidem capitis damnatus est Wido jussu Caroli, qui ante initium a Childerico regnum decessit. Widoni successit Romanus in cœnobio Vedastino, in Fontanellensi Raginfridus præsul ecclesiæ Rotomagensis post Grimonem, ex nobili Francorum prosapia oriundus, qui utramque ecclesiam parum digne administravit, ignarus prorsus litterarum, uti duo ejus antecessores. Is ab initio Fontanellæ regimine, vel potius tyrannica dominatione, omnia pro arbitrio inconsultis fratribus agebat; immo alimenta corporis ac indumenta eis negans, omnia in proprios usus convertebat. Qua re commoti monachi, ad Pippinum principem confugerunt, ut inferius dicturi sumus.

ANN. CHR. 738. XLVII. Masciacense monasterium condi cœptum.

Exstat apud Labbeum [a] breve chronicon, in quo ponitur hoc anno *initium monasterii Masciacensis ab Egone comite*. Situm est hoc monasterium in Biturigibus prope Carum fluvium, haud longe a Virizione, in honorem sancti Martini consecratum. In eodem chronico differtur ad annum octingentesimum quartum-decimum adventus monachorum Masciacum. Tantæ dilationis causa nobis incomperta. Forte destructo monasterio, aliud novum ædificatum est Carolo Magno imperante, eoque colonia monachorum ipso anno introducta. Certe Carolum Magnum ejus monasterii conditorem fuisse tradunt. Illustris fuit in primis Abbo ejusdem loci abbas sub Carolo Calvo. In veteri martyrologio monasterii [b] sancti Laurentii Bituricensis XVII. kalendas Junii fit mentio sancti Victurini martyris in Masciaco monasterio.

a Bibl. nova to. 2. p. 732.

b Ibid. p. 699.

ANN. CHR. 739. XLVIII. Willibaldus in Germaniam venit.

SUb finem hujus anni Willibaldus monachus, qui a sua Jerosolymitana peregrinatione per decem annos in Casinate monasterio versatus fuerat, Romam adiit, atque illuc in festo sancti Andreæ profectus, ibidem ad insequens pascha demoratus est. Urbis adeundæ occasio nata ex quodam Hispano presbytero & monacho, nomine Diaperru, qui Romam aditurus, Willibaldum itineris sui socium a Petronace abbate Casinensi petiit, & obtinuit. Dum Romæ versarentur, venit in notitiam Gregorii tertii Willibaldus, jam pridem forte ipsi notus. Hunc ad se accitum pontifex blande affatus, hortatusque est, ut in Germaniam se conferret ad Bonifacium episcopum, qui eum evangelicæ prædicationis socium & adjutorem summopere expetebat. Willibaldus ad hæc, se quidem ad exsequendum pontificis mandatum paratum esse respondit, ubi abbatis sui permissum ac consensum obtinuisset. Tum pontifex securum, ejusque rei minime sollicitum ire jussit, cum ne Petronaci quidem ipsi hanc provinciam defugere liceret, si a se mitteretur. Dictis mox Willibaldus acquievit, & se ad pontificis jussionem quovis locorum ire paratum esse professus est. Nec mora, Diaperto Casinum revertente, Roma discessit a paschate vir sanctus; & primo quidem urbem Luccam, ubi pater ipsius sepultus erat, dein Ticinum ac Brixiam prætergressus, inde venit in locum, qui dicitur Carinta. Illic Odilonem Bajoariæ ducem adiit, apud quem una hebdomada demoratus est. Exinde Bonifacium convenit cum Suitgario comite, ambosque Bonifacius Eistetum misit ad lustrandam regionem, cujus curam Willibaldo committere animo proposuerat, vastam illam quidem, & ita christianæ religionis expertem, ut nulla illic ecclesia esset, præter exiguum beatæ Mariæ oratorium. Lustrata regione, Willibaldus cum Suitgario adit Bonifacium, qui tunc Frisingæ versabatur; & statu provinciæ eidem exposito, omnes simul Eistetum reversi sunt, ubi Willibaldus a sancto antistite presbyter ordinatus est XI. kalendas Augusti, natali die sanctæ Mariæ Magdalenæ & sancti Apollinaris, anno insequenti episcopus consecrandus.

Presbyter ordinatur.

XLIX. Bonifacius factorum rationem reddit Gregorio papæ.

His ita gestis, Bonifacius Gregorio pontifici litteris significavit, ex gentibus Germaniæ, quas Deus dominatione paganorum liberaverat, centum hominum millia, sua, Carolique Francorum principis opera, in sinum sanctæ matris ecclesiæ adducta esse, eumque de episcopis a se in Bajoaria constitutis certiorem fecit. Quod vero Bonifacius Caroli principis hoc in negotio operam laudat, nemo mirari debet, nimirum subactis ab eo magna ex parte Saxonibus nomini christiano infestissimis, iisdemque tributariis factis, Francorum ditioni restituti erant Turingi, quorum partem Saxones occupaverant. Hessi vero eorumdem quotidianis incursionibus exemti erant, ita ut ex utraque natione, quicumque adhuc idolis addicti fuerant, facilius ad christianam religionem adduci potuerint. Acceptis Bonifacii, quæ exciderunt, litteris, Gregorius tam fortunatis successibus gratulatus est, hortatusque Bonifacium, ut cœpta prosequeretur; Bajoariæ quatuor in parochias episcopales divisionem a Bonifacio factam comprobavit, & ut ad ripam Danubii synodum episcoporum cogeret, episcoposque, ubi ipsi visum esset, vice sua constitueret, potestatem fecit, scripta epistola IV. kalendas Novembris, imperii Leonis augusti anno vicesimo-tertio, Constantini imperatoris ejus filii vicesimo, indictione octava, qui characteres huic anno conveniunt.

L. S. Emmerammi monasterium episcopale.

Ex his episcopalibus Bajoariæ sedibus non sola Frisingensis monachorum erat, sed etiam Ratisponensis, quæ ab ipso fere principio instituta est in basilica sancti Emmerammi, de cujus origine hic agendum. Emmerammus Pictavis in Gallia ortus,

ANN. CHR. 739.

jam episcopus Bajoariam adiit, & Noricos fidei christianæ mysteriis imbuit: sed tandem a Lamberto tyranno, quem ob scelera increpare non cessabat, morte multatus, atque ab ejus satellitibus membratim sectus est. Tum collecta ejus membra in villa Ascheimo ab incolis sepulta, inde in urbem Ratisponam translata sunt Theodone principe, & in ecclesia beati Georgii martyris sepulta. Postea curante Gaubaldo seu Gowibaldo, quem ejus urbis episcopum Bonifacius instituerat, in novum monumentum elatæ sancti Emmetammi reliquiæ, novæ extra urbem ecclesiæ martytis titulum ac famam indiderunt. Illic ad tumulum ejus colendum instituti sunt monachi, atque ad augendam loci celebritatem ibidem locata est episcopalis sedes, quæ antea in ecclesia sancti Petri intra muros urbis posita fuerat. Ea vero fuit illius monasterii consuetudo, ut fidem facit Arnolfus ex-comite monachus ejus loci, ut qui antistites, iidem essent & abbates, veritis scilicet episcopis, ne, si monasterio peculiarem præesse abbatem sinerent, sibi debitum minueretur obsequium. In eligendis autem episcopis hic ritus erat, ut vicissim in episcopatu sibi succederent monachi atque canonici: ita ut, si decessor fuisset canonicus, ejus successor monachus esset, quam consuetudinem ad sua usque tempora, id est ad finem sæculi decimi, perseverasse idem Arnolfus tradit. Non tam diu episcopalis sedes fuit apud sanctum Emmerammum, quippe quæ tempore Caroli Magni in pristinum intra urbem locum restituta est ab Adalwino antistite. Ex his colligimus, plerosque Ratisponenses ante sæculum undecimum episcopos instituti fuisse monastici seu Benedictini: cum constet non aliam apud sanctum Emmerammum principio receptam fuisse regulam, quam sancti Benedicti. Id diserte testatur Arnolfus, auctor gravis ac domesticus: quo referente, monachi sancti Emmerammi promissionem faciebant secundum regulam sancti Benedicti coram episcopo abbatis vices agente. Lineis indusiis utebantur seniores, ceteri laneis ob penuriam cilicinarum vestium. Præpositus & decanus monasterium regebant post episcopum, ita ut præpositus rerum temporalium exteriorumque gereret curam; decanus spiritualium & interiorum. Antiquiores habebant cellas peculiares cum camino, junioribus inter se divisis propter custodiam & disciplinam. Ob pauperem annonam volatilia edebant. quæ cum sancto Wolfgango displicuissent, ille hæc omnia sub finem sæculi decimi emendavit, Ramvoldo abbate instituto. Hæc ex Arnolfo monacho in libris duobus, quos de sancto Emmerammo composuit, Henricus Canisius vulgavit.

II. Abbonis patricii testamentum pro monasterio Novaliciensi.

Ad hunc annum sine dubio referendum est Abbonis patricii testamentum pro monasterio Novaliciensi, conditum *sub die tertio nonas Maias, anno vicesimo-primo gubernante inlustrissimo nostro Karolo regna Francorum, indictione septima.* quod de Carolo principe, cognomento Tudite seu Martello, haud dubie intelligendum est, non de Carolo Magno, uti hactenus intellectum fuit. quippe cujus regni anno vicesimo-primo indictio septima haud quaquam consentit, sic vero majoratui Caroli principis, qui hoc anno regna Francorum solus, exstincto Theodetico, gubernabat. Neque cum Cointio existimes, indictionem falso intrusam fuisse, quasi nondum in usu tunc temporis esset apud Francos. quod verum quidem est de diplomatis regum, secus de instrumentis privatis, immo & publicis conciliorum, quibus non raro indictio etiam ante hoc tempus apposita legitur. Jam ante huncannum exstabat Novaliciense monasterium, in valle Segusiana ad montem Cinisium positum: cujus primum auctorem Abbonem patricium seniorem, qui Theoderici senioris ptincipatu, vivente sancto patre Benedicto, floruerit; instauratorem alterum Abbonem juniorem, itidem patricium, cujus hoc testamentum sit, recentioribus perperam visum est. Hunc enim Abbonem ptimarium esse Novaliciensis monasterii conditotem vel ex ipsius testamento [a] satis superque patet, in quo nullam fictitii illius primi conditoris mentionem facit, immo ait, se sacrosanctam ecclesiam beati Petri apostoli, ac monasterium Novaliciis in valle Sigusina opere suo in re, id est in fundo, ptoprietatis suæ construxisse: ubi normam monachorum sub religionis ordine spiritali, & regula sancti Benedicti conlocaverit, ubi tunc venerabilis Abbo præerat. Abbas hic erat secundus, alter a Godone, qui primus in vulgatis abbatum Novaliciensium indicibus ponitur. Primam hanc certam epocham de hoc monasterio habemus: alteram desumimus ab Aseoarii sexti abbatis subscriptione in Attiniacensi conventu anni septingentesimi sexagesimi-quinti. Ex quibus intelliginir, Novaliciense monastetium sub initia hujus sæculi conditum fuisse. Abbo patticius se quædam acquisi-

[a] Diplom. p. 507.

ANN. CHR. 739.

visse scribit in pagis Diensi, Vapincensi, & Gratianopolitano, *per preceptionem domni Theoderici regis, & inlustris viri domni Karoli*, id est Theoderici quarti, cognomento Calensis, & Caroli Martelli, quod recentiores de Theoderico seniore falso interpretati sunt. Abbo patricius in suo testamento parentes suos memorat Felicem & Rusticam; avos paternum & maternum Maurinum seu Marronem, & Dodinam: qui Marro villam Memianam in pago Cavellico dicitur acquisivisse a domno Chramnelino episcopo, forte Ebredunensi, quem Theoderici tertii principatu publica in synodo in ordinem redactum & in monasterium sancti Dionysii retrusum superius [a] diximus. Ad hæc idem Abbo patruum suum vocat Symphorianum episcopum Vapincensem, in vulgatis indicibus desideratum, quem a malis hominibus honore dejectum fuisse dicit. Præterea avunculum suum Dodonem; parentes, id est consanguineos, laudat Wandalbertum abbatem incerti loci, & Godanam. Immensæ ac propemodum infinitæ sunt possessiones, quas Novaliciensi monasterio idem Abbo legat in pagis Segusiano, Mauriennensi, Lugdunensi, Matisconensi, Viennensi, Gratianopolitano, Arelatensi, Vendascino, Diensi, Massiliensi, Tolonensi, Aptensi, Reiensi, & Tareotasiensi: ita ut mirum non sit, quod de illo monasterio traditur, quingentos olim monachos in eo exstitisse, quod nunc ad pauculos Fulienses redactum est. Walchunum episcopum totius operis adjutorem Abbo ipse agnoscit, eumque, dum vixerit, ejusdem monasterii provisorem & gubernatorem esse jubet: ita ut rerum omnium dispositio, ipsiusque electio abbatis citra ejus consilium & consensum non fiat. Si qui vero monachi ei rebelles exstiterint, *juxta canonicam regulam sancti Benedicti* coercendos ac judicandos esse; immo etiam ejiciendos, si contumaces fuerint. Non omittendum id, quod in eodem testamento legitur de quodam, nomine Rustico, qui genti Sarracenorum *ad infidelitatem regni Francorum* se adjunxerat. In vulgatis indicibus Novalicienses abbates primi hoc ordine recensentur: Godo, Abbo, Joseph, Guillelmus, Gerardus, Asenarius, Witgarius episcopus & abbas, sanctus Frodoinus. Josepho Carolus Magnus villam Bardonissam dedisse fertur, quod admitti non potest, si Asenarium præcessit, cum Asenarius Pippino regnante abbas fuerit. De his alias.

[a] Lib. 16. n. 79.

LII. *Tato abbas S. Vincentii obit.*

Interim in Italia Tato abbas Vincentini ad Vulturnum monasterii supremum diem absolvit, vir magnæ in alios discretionis ac prudentiæ, magnæ in se districtionis ac severitatis; obiitque III. idus Decembris hoc anno, cum undenos monasterio annos præfuisset post duos germanos fratres, Paldonem & Tasonem, quorum gesta uno libello Ambrosius Autpertus descripsit. Tatoni abbati successere Atto, Hermepertus, & Johannes, cui suffectus Autpertus, qui in fine libelli sui mores suos cum primitivo illo statu conferens, de suo, suorumque tempore ingemiscit vir modestissimus, nec ipsum suppuder enarrare vitia, in quibus se, suique similes jacere confitetur, sperans se ex humili ista confessione veniam a Deo promeriturum, ac salu-
» brem correctionem. Omni ex parte, inquit, sanctum a nobis propositum violatur,
» & pæne nihil nobis superest, nisi quod sanctus pater prædixit Benedictus, per tonsu-
» ram & habitum nos Deo mentiri. Videmur pæne omnes ad superbiam promti, ad
» contentionem, ad scandalum, ad detractionem, ad mendacium, ad gulam, ad orna-
» tum vestium, similesque ejusmodi pestes; & ea, per quæ sancti cælestia consecuti
» sunt regna, id est tribulationes, persecutiones, adversitates, contumelias, humili-
» tatem, subjectionem, paupertatem, odio habentes; quæ nostra sunt, non alterius
» quærentes, falsos honores appetentes, ac per hoc invicem invidentes, invicem mor-
» dentes. Quidquid ad præsens delectat, tota mente requirimus; & nescio per quod
» aliud iter, a sanctorum calle deviantes, ad vitam nos posse pervenire confidimus.
» denique subdit, nequaquam beatos fore, qui induti sunt *cappa*, vel qui usque ad
» horam nonam jejunant, sed qui pauperes spiritu fuerint, superiorum pauperum
» exemplo, trium scilicet illorum fratrum, quorum exempla proposuit. Neque porro
» sufficere patriam, divitias, parentesque reliquisse, nisi nosmetipsos mortificemus, &
» vitia resecemus.

ANN. CHR. 740.

LIII. *Lucerio abbati Farfensi succedit Fulcoaldus.*

ANNO insequenti, ejus sæculi quadragesimo, Lucerius Farfensis abbas decessit post annos regiminis sexdecim ac dimidium, cum ante annos quinque monasterium sancti Salvatoris, octo a Farfa passuum millibus, exstruxisset. Ejus obitus in chronico monasterii ponitur VIII. kalendas Julii. Fulcoaldus ejus successor, nobilis

ANN. CHR. 742.

Aquitanus, a Lupone duce multa obtinuit, in his monasterium sancti Petri in Classicella. Idem ab eodem præceptum impetravit, ut nec mulieres in Farfense monasterium, nec in cellas ei subjectas ingredi auderent, immo nec secus monasterium, nisi per vias ipsis designatas incederent. Literas ducis, utpote breves, quoddam operæ pretium fuerit huc referre. *In Dei nomine, ego domnus Lupo gloriosus dux, dum perrexissem in monasterium sanctæ Mariæ, ubi habitus monachorum inesse videtur, postulavit nos Fulcualdus abbas, ut nos contextum faceremus, & nostra jussione præciperemus, ut nulla mulieres licentiam habeant transeundi per vias, que secus monasterium percurrunt; nec ad monasterium ambulandi, nec infra fines, qui prope designati sunt. quod & fecimus. Datum in curte nostra ad Varianum, anno ducatus nostri quinto, indictione tertia*, id est anno supra septingentesimum quinquagesimo. Eodem abbate conditum est ab ipso Lupone duce cœnobium virginum prope Reate, ac Farfensi monasterio subjectum, ut inferius videbimus. Hujus tempore Adwaldus abbas erat prædicti monasterii sancti Salvatoris, cujus loci monachus Teudo, cum abbatis sui consensu casalem Longitiam vendidit pretio viginti librarum argenti.

LIV. Lantfredus abbas in Aquitaniam legatus.

In Gallia Lantfredus abbas, Babonis successor, Parisiensi sancti Vincentii monasterio jam ab annis quinque tum præerat, & de corpore beati Germani e porticu in interiorem basilicam transferendo cogitabat: cum a Carolo principe in Aquitaniam legationis causa missus est ad Hunoldum ducem. Is Eudoni patri ante annos quinque successerat, postquam Carolo, potestate regia omnia gerenti, ejusque filiis Carolomanno ac Pippino fidem promisisset. Forte Hunoldus jugum excutere moliebatur: quæ causa fuerit mittendi ad ipsum Lantfredi, quem virum prudentia & rerum agendarum peritia insignem fuisse oportet, ut ejus opera princeps ipse prudentissimus uteretur. Dum res sibi commissas cum Hunoldo tractat abbas, Carolo morte intercepto, in custodiam, tamquam explorator, ab Hunoldo conjicitur, & in ea per tres annos ac dimidium detinetur: donec tandem Pippini auctoritate absolutus, firmata inter ambos principes pace, in suum reversus est monasterium, quod ipso absente dissipatum per annos duodecim instaurare non destitit. Hic est Hunoldus seu Huneldus princeps, cujus *per prava consilia* Gideon quidam, haud dubie præpotens Aquitanus, clericis sancti Juliani Brivatensis Maceriacum villam pagi Limanici abstraxit, quam postea *cælesti auxilio monitus* restituit anno XII. Waifarii principis Hunoldi successoris, ut fidem facit ejus charta, inscripta *domnis sanctis Donidio honorifico, Unoberto, Betoleno presbyteris, diaconibus*, ceterisque clericis sancto Juliano servientibus.

LV. Wilicarius episcopus Viennensis fit monachus.

Hoc etiam anno Wilicarius episcopus Viennensis ecclesiam suam a laïcis direptam indignatus, relicto episcopatu secessit in monasterium Agaunense, ubi *vitam venerabilem*, ut Adonis verbis utar, id est monasticam, duxit. Sic ab Audoëno in libro primo de vita beati Eligii, Buchinus ex gentili conversus, postea *venerabilis*, id est monachus, extitisse, ac Ferratiensi cœnobio præfuisse dicitur; & Tillo, Eligii vernaculus, postmodum *venerabilem vitam* seu monasticam duxisse; denique Eligius, si quibus servis suadere poterat, ut *venerabilem monachorum vitam* arripientes « claustra cœnobii expeterent, hos tamquam dominos insigniter honorabat. Processu « temporis Wilicarius Agaunensis monasterii abbas creatus est, eoque nomine synodo Attiniacensi subscripsisse reperitur. Sunt qui existimant eumdem esse Wilicarium, qui eodem tempore Sedunensem ecclesiam rexit. Erant itaque ad hoc usque tempus in cœnobio Agaunensi monachi, qui nonnisi Ludovici augusti principatu sub Adalongo abbate in canonicos mutati sunt.

LVI. Acca episcopus moritur.

In majori Britannia mortuus est Acca episcopus Hagustaldensis XIII. kalendas Novembris; discipulus quondam senioris Wilfridi episcopi Eboracensis, eoque mortuo creatus antistes Eboracensis ecclesiæ monachis addictæ, quam porticibus, picturis, & amplissima bibliotheca exornavit. Idem venerabili Bedæ auctor fuit, ut commentarios scriberet in hexaëmeron, in Samuelem, in Esdram, & in evangelium tum Marci, tum Lucæ, quod videtur esse Bedæ opus secundum: nam expositio in actus apostolorum prior est. Præmissa est commentario in Lucam ejusdem Accæ invitatoria ad Bedam epistola, simulque Bedæ excusatoria, quod, impellente proprio antistite, secundum Ambrosium beati Lucæ evangelium exponere ausus esset. Porro sede sua, nescio quam ob causam, pulsus vir sanctus, tandem hoc anno in cælum receptus est, sepultusque in ecclesia Hagustaldensi, miraculis post obitum clarus. De

ANN. CHR. 740.

ejus successuribus legendus Richardus prior Hagustaldensis inter decem scriptores Anglicanos, ubi fusius de Acca episcopo agitur.

LVII. Nothelmo Cantuariensi succedit Cuthbertus.

Idem etiam annus supremus fuit Nothelmi pontificis Cantuariensis, quo itidem hortatore & adjutore Beda ecclesiasticam gentis suæ historiam, scribere aggressus est. Eidem etiam opus triginta quæstionum in libros regum nuncupavit, fratrem absolute appellans. Ejus mors triduo ante obitum beati Accæ contigit, nempe XVI. kalendas Novembris. Sepultus est cum antecessoribus suis in suburbana basilica monasterii sancti Petri seu sancti Augustini.

ANN. CHR. 741.

Hunc excepit Cuthbertus, ante episcopus Herefordensis, anni insequentis initio consecratus, qui sepulturam Cantuariensium pontificum in cathedralem ecclesiam transtulit, exstructa ejus rei gratia ecclesia in honorem sancti Johannis Baptistæ prope majorem Salvatoris ecclesiam. Hæc translatio non sine tumultu facta est, sive pontificio, sive regio edicto. Nam hac de re dissentiunt Gervasius cathedralis monachus, & Willelmus Thornus cœnobita sancti Petri, pro sua uterque ecclesia digladiantes, dum alius Cuthbertum ob hoc factum laudat, alius vituperat, quod priscam consuetudinem mutaverit, ab Augustino ipso institutam, & Romanorum pontificum auctoritate comprobatam.

LVIII. Willibaldus ordinatur episcopus Eistetensis.

Eodem quo Cuthbertus anno Willibaldus in Germania consecratus est a Bonifacio episcopus Eistetensis, assistentibus Burchardo Wirziburgensi & Wizone episcopis, forte Witta Buriburgensi apud Hessos. Ordinatus autem est Willibaldus anno ætatis suæ quadragesimo-primo. Hanc ordinationem ad septimum annum differunt Hermannus & Annales Pithœani, Gretserus ad quintum: at præferenda est auctoritas synodi Germanicæ anno sequenti habitæ, cui Willibaldus jam episcopus interfuit. Paullo ante ipsum ordinatus fuerat Burchardus episcopus Wirziburgensis, ex consecratoribus ejus alter. Willibaldi ordinatio facta est in Turingiæ loco, nomine Salpurgo, & quidem autumnali tempore, tribus ante natalem sancti Martini hebdomadis. Hunc locum adeundo hospitatus est apud fratrem suum Wunebaldum, qui paullo ante ipsum ex urbe Roma, ubi monasticam aliquamdiu vitam excoluerat, cum altero fratre suo in Germaniam accesserat ad sanctum Bonifacium, qui eidem presbytero ordinato septem in Turingia ecclesiarum curam commisit. Ipse nihilo minus monasticæ vitæ districtionem observabat, a vino prorsus abstinens, nisi corporis infirmitas aliud suaderet. Reversus in sedem suam Willibaldus, monasterium ibidem instituit, monachis collocatis in cathedrali ecclesia Eistetensi, quam alii Aichstadiensem, recentiores quidam Aureacensem vocant. In vetertima notitia, scripta [a] tempore Caroli Magni, *castrum Rubilocus, quod Eichsteti dicitur.*

Wunebaldus ejus frater.

a Goldast. rerum Alam. to. 3. p. 123.

LIX. Altahæ monasteria duo.

Bajoariæ tunc præerat dux Odilo seu Utilo, qui monasteria sex instinctu sancti Pirminii condidisse perhibetur. In illa regione exstant Altahæ duo monasteria, Superius & Inferius, utrumque in Bajoaria inferiori juxta Danubium, a vetere quercu sic nuncupatum. Utriusque conditorem Odilonem agnoscunt Hundius, aliique recentiores. Id exploratius videtur de Altaha Inferiori, quam de Superiori, de quo nulla supersunt illorum temporum monumenta. Inferioris antiquitatem probant Caroli Magni, aliorumque principum diplomata ab Hundio [b] relata. Arnoldus monachus ejus initia ad hunc annum refert initio vitæ sancti Godehardi episcopi Hildensheimensis, qui præcipuum fuit ejus loci ornamentum. Unicum Altahense monasterium a Pirminio conditum perhibet Hermannus, ad cujus oram codicis id de Altaha Inferiori explicatur. Primus ejus loci abbas occurrit Eberswindus anno sexto Tassilonis ducis, Odilonis filii: secundus Wolfbertus anno ejusdem tricesimo; & quadragesimo-secundo tertius Urolfus. Amplissimum hactenus est idem monasterium, post varios casus, sub patrocinio sancti Mauricii, ejusque sociorum. De Altaha Superiori nullum monumentum occurrit ante ejus instaurationem, sæculo duodecimo factam. Multi tamen recensentur ejus abbates ante vastatum ab Hungaris decimo sæculo monasterium: quos inter laudatur Otgerus abbas ex necrologio, qui forte non alius fuerit ab Otkario abbate, de quo in pervetusto libello [c] societatum Augiensium: *De monasterio Altaha Urolfus abba, Otkarius abba.* Urolfus abbas erat Altahæ Inferioris principatu Ludovici Pii; nec ullus per id tempus, quo libellus ille scriptus est, occurrit Otkarius ejus loci abbas. Si is est

b Metrop. Salisb. to. 2. p. 9. & seqq.

c Anal. to. 4. p. 643.

ANN. CHR. 741.

Orgerius abbas Altahæ Superioris, consequens est, unius Altahæ nomine utrumque monasterium comprehendi. non sic tamen apud Hermannum, ubi ad annum ejus sæculi tricesimum-primum tria cœnobia, id est Altaha, Morbach & Favarias, ex Augiensibus fratribus instructa fuisse dicit, duodenis ad singula fratribus deputatis; dicturus quatuor, si de duplici Altaha locutus fuisset.

LIX. Bajoariæ alia monasteria.

Præter duo hæc monasteria dux Odilo quatuor alia ædificasse memoratur, Manseam scilicet, Nidroburgense, Papho-monasterium, & Austraviam. Mansea, alio nomine Lunæ-lacus, situm prope Menem lacum Noricorum, conditum est sub titulo sancti Petri apostolorum principis, & sancti Michaëlis archangeli; eique præfectus primus abbas Opportunus, Casino, ut perhibent, evocatus, qui anno ejus sæculi octogesimo-primo kalendis Januarii decessisse fertur: secundus Hunricus, aliis Henricus, sic laudatus in libello societatum Augiensium: *Ex monasterio Manhinsio Hunrih abba*, de quo alias plura. Nidroburgense virginum cœnobium sanctæ Crucis urbe Patavia * inclusum est: quod Otto secundus imperator Pataviensi ecclesiæ tribuit ob constantem in ipsum fidem Piligrini ejus urbis episcopi. Papho-monasterium virorum in Pataviensi diœcesi supra Straubingam, nunc collegiata ecclesia canonicorum est, sub sancti Tiburtii martyris patrocinio. Austraviense denique seu Osterhovense diœcesis Ratisponensis obscurum est usque ad tempus Heinrici primi imperatoris. His alia quinque adjunguntur monasteria itidem apud Bajoarios, sed paullo serius excitata, ut postea dicturi sumus.

* *Passau.*

LX. Caroli principis legati ad Gregorium papam, Grimo abbas & Sigobertus reclusus.

Inter ea Gregorius papa tertius claves venerandi sepulcri sancti Petri, unaque ejusdem apostoli vincula cum multis magnisque muneribus per legatos Carolo Francorum principi misit, epistolamque decreto ac nomine procerum Romanorum, ut ejus patrocinium adversus Liutprandum Langobardorum regem, & Hildebrandum, qui res sancti Petri in exarchatu Ravennate ducatui Romano diripiebant, postularet. Lætus bis Carolus, legatos honorifice exceptos multo majoribus, pretiosioribusque muneribus oneravit; & religiosos ac fidos viros, Grimonem abbatem monasterii Corbeiensis, non Corbionensis, ac Sigobertum sancti Dionysii basilicæ apud Parisios monachum, ex his, quos *reclausos* seu reclusos vocant, cum magnis donis Romam ad limina sanctorum apostolorum misit cum epistola, qua ad directas sibi litteras respondebat. Quid inter eos conventum sit, auctorum silentium ignorare nos cogit. Grimo abbas successerat Sebastiano abbati, cui Chilpericus rex diploma concessit, successoremque habuit Leudgarium abbatem. Porro ex hac Sigoberti reclusi legatione colligimus, reclusos non usque adeo reclusionis legibus fuisse adstrictos, ut aliquando sibi ex cella sua egredi, saltem ob publicam utilitatem, non liceret. Hanc legationem hoc anno factam produnt annales Mettenses, quam Baronius, aliique recentiores referunt ad annum ejus sæculi vicesimum-sextum.

LXI. Caroli ejusdem obitus ac sepultura.

Non diu supervixere Gregorius pontifex & Carolus princeps. Primus decessit Carolus, qui, dimissis legatis, cum in morbum incidisset, principatum suum inter filios divisit: Carolomanno natu-maximo Austriam, Sueviam seu Alamanniam, Turingiamque; Pippino Neustriam, Burgundiam, ac Provinciam; Gripponi seu Grifoni partem aliquam Neustriæ, Austriæ ac Burgundiæ assignans. Tum sancti Dionysii basilicam petiit, fusisque ad beati martyris sepulcrum precibus, multa loco munera concessit. Inde in regiam villam Carisiacum pagi Noviomensis ad Isaram pervenit, ubi Cliplacum [a] villam pagi Parisiensis, ad consequendam peccatorum veniam, sancti Dionysii basilicæ donavit decimo-septimo die Septembris, anno quinto post defunctum Theodericum regem; ibidemque, id est Carisiaci, exstinctus est XI. kalendas Novembris, annos natus circiter quinquaginta, rebus gestis quam ætate longe major. Morienti adfuisse, & *viam Christi sanguine tinctam* vivis sermonibus exhibuisse traditur Alfonsus abbas Castrensis. Sepultus est honorifice in basilica sancti Dionysii, quem vivens maxime coluerat, uti principatus sui auctorem. Pietatem ejus probant multæ ab eo factæ ecclesiis ac monasteriis donationes: verum eamdem elevant bonorum ecclesiasticorum, ipso vel donante, vel dissimulante, invasiones ac direptiones a laïcis factæ, quas forte ab eo potius temporum ac bellorum necessitas & conditio extorsit, quam voluntas. Simili quippe ratione Sulpicius [b] Severus censet facile excusari posse Maximum imperatorem, qui exhausto rei publicæ ærario, pæne semper in expeditione atque procinctu bellorum civi-

a *Doublet. lib.* 3. *c.* 4.

b *Sulpic. dial.* 3. *c.* 11.

lium constitutus, quibuslibet occasionibus subsidia imperio paravit.

ANN. CHR. 741.

Fabula de ejus damnatione.

Hinc tamen in vulgus jactata est fama de æterna Caroli damnatione, quam asserunt Hincmarus Remorum antistes, tum in libro de vita sancti Remigii, tum in epistola nomine synodi Carisiacensis ad Ludovicum Germaniæ regem missa, cujus auctorem eum facit Frodoardus; & post Hincmarum Adrevaldus, & auctor quidam anonymus vitæ sancti Eucherii episcopi Aurelianensis, qui in monasterio sancti Trudonis jussu Caroli detentus, ejus animam *in inferno inferiori* tortam vidisse dicitur. Verum id non legitur in melioris notæ codicibus, & Eucherium ante Carolum e vivis abiisse Baronio visum est, cujus sententiæ facile subscribimus, nisi quod paullo serius ejus obitum reponimus. Hincmaro Baronius opponit Ludovici augusti epistolam ad Hilduinum, libris areopagiticis præfixam, in qua proavi sui Caroli pietatem laudat, maxime erga beatum Dionysium, cujus patrocinio principatus apicem sibi divinitus concessum fuisse contestabatur: cui corpus proprium in magni die judicii suscitandum, & animam Deo præsentandam fideliter commendaverit, quibus sane indiciis suam erga peculiarem patronum devotionem ac fiduciam manifeste ostendit. Majoris esset in oppositum auctoritatis epistola sancti Bonifacii ad Ethelbertum Merciorum regem, si de ejus sinceritate constaret. Verum interpolatam causatur Baronius, aliique post eum, ubi Carolus princeps Francorum multa
» monasteria evertisse, & ecclesiasticarum pecuniarum in usus proprios convertisse
» dicitur; ob idque *longa tortione ac verenda morte consumtus* fuisse. Certe hæc verba non leguntur in editione Serariana, quæ ad tres codices exacta est: at reperiuntur in exemplari veterrimo Saxonicis exarato litteris, quo usus est Spelmannus vulgandis actis concilii Cluveshoviensis; & in eo, quod exscripsit Willelmus Malmesburiensis in libro secundo de regibus Anglorum, capite quarto; denique in Romano, quo usus est Baronius. Ut ut est, locus ille Caroli longam ante obitum tortionem ac verendam mortem probare potest, damnationem æternam nequaquam probat. Denique in clausula, vivente Pippino, & quidem supremo vitæ ejus anno, apposita in codice Dionysiano, quam inferius [a] integram referemus, honorifica mentio fit *Caroli beatæ memoriæ principis.* quod elogium non appositurus fuisset monachus ille Dionysianus, si de ejus damnatione tum constitisset.

a *Infra lib. 23. n. 1.*

Præter Carolomannum & Pippinum, quos ex Rotrude; & Grifonem, quem ex Sonechilde conjugibus suscepit Carolus, filios etiam habuit Bernardum, Hieronymum, ac Remigium, quos ex illegitimo thoro progenitos plerique existimant, quod in divisione principatus nulla eorum ratio habita sit: tametsi non desunt alii, quos inter Carolus Cointius, qui eos legitime natos asserunt. Mortuo Carolo, divisio ab eo facta regni optimatibus displicuit, conquerentibus, Grifonem consilio Sonechildis, improbæ mulieris Bajoariæ, quam contumeliæ causa concubinam appellabant, in consortionem principatus venisse, quasi duo Carolo heredes, duo Francis principes non sufficerent. Neque hæc optimatum querimonia Carolomanno & Pippino displicebat, quibus tandem Grifo Lugduni-clavati mœnibus inclusus, & ab eis obsessus, se dedidit, a Carolomanno in Novo-castello Arduennæ proximo deinceps custodiri jussus. Sonechildi ejus matri Calense monasterium datum, non ut ei præesset, sed ut monasterii parietibus includeretur.

LXII.

S. Salvii monasterium, an ab eo dotatum.

b *Balderic. lib. 2. c. 31.*

Baldericus episcopus in chronico [b] Cameracensi Carolo-Martello tribuit dotationem monasterii sancti Salvii prope Valentianas ad Scaldim: ubi sanctus Salvius episcopus sepultus est in oratorio quondam sancti Martini, quod ab ipso deinde nomen & incrementum accepit. Miraculis eo in loco patratis commotus & attonitus Carolus princeps, locum ipsum fisco Valentianensi, aliisque rebus auxisse dicitur, ac stipendio deputato canonicos ibidem instituisse, qui postea in monachos Benedictinos mutarunt. Sunt tamen qui id factum Carolo Magno potius tribuant, cujus principatu Salvium episcopum martyrio affectum tradit Sigebertus, aliique post eum recentiores, quibus liber passionis ac vitæ sancti Salvii attestatur. Verum, ut recte observat in hunc locum Colvenerius, non minor hac in re fides Balderico, quam Sigeberto, æquali ac viciniori habenda est, donec constet de contraria sententia. In divisione facta inter filios Ludovici augusti notatur abbatia sancti Salvii post sancti Gaugerici Cameracensem ecclesiam & Crispinium monasterium, quod itidem infra Valentianas prope sanctum Salvium ad Scaldim positum est. In libro quarto de miraculis sanctorum Petri & Marcellini apud Surium, memoratur ab Eginhardo Geor-

gius presbyter & rector monasterii sancti Salvii martyris, quod in pago Fanomartensi *, in vico Valentianis appellato, ad ripam Scaldis fluvii situm est, qui Georgius sanctorum martyrum quasdam reliquias per Theodardum diaconum suum accepit. Hic est Georgius Veneticus, qui de patria sua ad Ludovicum imperatorem venisse, & in Aquensi palatio organum hydraulicum mirifica arte composuisse dicitur in annalibus Eginhardi ad annum octingentesimum vicesimum-sextum. Post eum ipsius loci rector exstitit Hugo, filius cujusdam abbatissæ, quæ reliquias [a] sancti Salvii a filio petiit, obtinuitque, easque Centulensi monasterio concessit. Ex abbatia postmodum factus est prioratus ordinis Cluniacensis.

ANN. CHR. 741.

* de Famars.

a Spicil. to. 4. p. 504.

LXIII. Gregorio papæ succedit Zacharias.

Altero post Carolum mense e vivis itidem sublatus est Gregorius papa tertius, sepultusque in basilica beati Petri apostoli IV. kalendas Decembris. In ejus locum electus Zacharias, natione Græcus, peculiari studio sanctum Benedictum, nostrosque Casinates prosecutus est. nam, teste Leone [b] Marsicano, sacro illi monasterio non solum codicem sanctæ Regulæ, quem sanctus Pater propria manu scripserat, ac pondus libræ panis & mensuram vini ab eodem constituta, Romamque quondam allata, restituit; sed etiam libros aliquot sacræ scripturæ, & varia concessit ornamenta, necnon privilegium insigne, ut idem monasterium cum omnibus cellis suis, ubicumque terrarum exstructis, a quorumvis episcoporum ditione liberum esset, nulliusque juri subjaceret, nisi solius Romani pontificis. Ad hæc libros Dialogorum Gregorianos græce vertit, in quibus nonnihil aliquando de suo addidit ad illustrandum sanctum Benedictum.

b Chron. Casin. lib. 1. c. 4.

LXIV. Willibrordus episcopus obit.

Dum Bonifacius rem christianam in Germania strenue promovet, Willibrordus, cognomento Clemens, missionis suæ in Frisia cursu defungitur, multiplicem laborum suorum fructum in cælo percepturus. De die & anno ejus obitus non convenit inter auctores. Si annos quinquaginta integros in prædicationem evangelicam apud Frisios expendit, ut ex sancti Bonifacii epistola mox referenda colligitur; ejus obitum hoc anno, aut certe præcedente collocandum esse consequens est: si quidem anno sexcentesimo nonagesimo illuc accessit. Obiit octogenario major, teste Alcuino, qui ei annos ætatis octo lustra cum uno anno, in summa octoginta & unum annos tribuit, atque eumdem obiisse *die sexto mensis Novembris, id est* VIII. *idus* ejus mensis. Ejus ætatem atque obitus diem ita exprimit in libello metrico.

Qui postquam vita meritis, perfectus in annis,
Bis octena pius complevit lustra sacerdos,
Ter quater & menses; mensis jam jamque Novembris
Idibus octenis cæli migravit ad aulam.

Rabanus in assignando die convenit cum Alcuino, sed ab eo dissentiunt Wandalbertus, Usuardus, Ado, & recentiora martyrologia, Romanum & Benedictinum, quæ diem sequentem assignant. Præferendus videtur Alcuinus, qui ex domesticis Epternacensis monasterii monumentis vitam sancti Willibrordi prosa & metro composuit, ac prosam orationem nuncupavit Beornredo archiepiscopo, nempe Senonensi, ut plerique existimant. Theofridus, sæculo undecimo desinente abbas Epternacensis, libellum de eodem patrono suo edidit, ejusque obitum statuit anno septingentesimo tricesimo-nono. Hunc olim auctorem secutus eram: sed movet me Bonifacii auctoritas, Willibrordum *quinquaginta per annos* in Frisia prædicasse asserentis. Cum Bonifacio non bene consentit Alcuinus, qui Willibrordum anno ætatis tricesimo-tertio in Frisiam accessisse dicit, eumdemque obiisse annos natum octoginta unum. quo calculo admisso, nonnisi quadraginta octo anni ad ejus prædicationem restant. Verum Bonifacius totum illud rotundo numero forte expresserit.

Quo in loco vir sanctus supremos absolverit dies, nullus veterum discrte expressit. Videtur obiisse in monasterio suo Epternacensi, cujus regimen sibi retinuerat, ubi & sepultus est in monumento marmoreo, quod cum dimidio brevius esset, ad ejus molem corporis divinitus aptatum fuisse Alcuinus tradit. Idem virtutes ejus commemorans, in primis ejus caritatem prædicat. Hanc satis superque probat assiduus labor, quem per annos quinquaginta pro Christo sustinuit. Eum quippe annorum numerum signat, ut jam dixi. Bonifacius in epistola [c] ad Stephanum papam, ubi Willibrordum miræ abstinentiæ & sanctitatis virum laudat, qui per quin-

c Bonifac. ep. 97.

AN. CHR. 741.

" quaginta annos prædicans, gentem Frisonum maxima ex parte ad fidem Christi " convertit, fana & delubra destruxit, ecclesias construxit, ac sedem episcopalem & " ecclesiam in honorem Salvatoris in castello Trajecto ad Rhenum constituit: ubi præ- " dicans usque ad debilem senectutem permansit, tandemque, coëpiscopo sibi subs- " tituto, in pace migravit ad Christum. "

Non constat de ejus successore in Trajectensi ecclesia Salvatoris, quæ etiam sancto Martino sacrata erat. Cointius suggerit Dadanum episcopum, qui anno sequente synodo Germanicæ interfuit. Alcbertus seu Albertus post Willibrordum suscepit regimen monasterii Epternacensis, quod in vetustis codicibus Asternacum vel Esternacum dicitur. Hoc abbate contigit, ut, recurrente anniversaria depositione beati Wilgisi Willibrordi patris, cum ex quatuor vini flasconibus una tantum ad cœnam quadraginta virorum superesset, tantum vini ex ea depromtum sit, quantum cœnaturis sufficiens erat. Beornredus Alberto successisse perhibetur, idemque archiepiscopus, ut putant, Senonensis, cui Alcuinus libellum metricum nuncupavit. Multa etiam miracula ad sancti Willibrordi tumulum patrata refert idem auctor. Pænitentes in primis circulis ferreis constricti, ruptis divinitus circulis, ibidem soluti sunt: cujus rei testes circulus pendentes in ecclesia suo tempore superfuisse Alcuinus affirmat. Plura in consequentibus de Epternacensi monasterio, cujus historiam Johannes Bertelius abbas brevi compendio retulit in historia Luxemburgensi.

LXV. Adalbertus diaconus ejus discipulus.

Duodecim Willibrordo socios tribuit venerabilis Beda, quorum numina singulatim neque ille, nec quisquam veterum accurate recensuit. Undecim tantum notat Alcuinus, Willibrordum haud dubie duodecimum ratus. Hos inter Suidbertus episcopus, Adalbertus diaconus, & Werenfridus numerandi videntur. Nihil moror pseudo-Marcellinum, qui Accam, Wigbertum, Willibaldum ac Winebaldum huic numero falso adjungit. Edita est apud Surium Adalberti diaconi vita, sed locis communibus atque incertis factis contexta. Is mihi videtur Aldbercht diaconus, cujus mentio in epistola [a] cujusdam Treceæ ad Lullum episcopum Moguntinum, ab eo preces flagitans, ut sancti gradus ministerium olim acceptum digne exerceat. Sancti Adalberti corpus, in locum *Hallem* dictum a Theoderico comite translatum, originem dedit monasterio Egmondensi, quod ineunte sæculo decimo exstructum est.

[a] Bonifac. ep. 79.

ANN. CHR. 742.

LXVI. Caroli M. nativitas.

ANnus insequens quadragesimus-secundus multis rebus insignis fuit, nempe Caroli Magni ortu, duobus minimum conciliis, variisque factis & epistolis scriptis. Francorum regnum tunc moderabantur Carolomannus & Pippinus germani fratres, ambo in rem publicam & christianam probe affecti. Pippinum Carolo filio auctum fuisse hoc anno Lambertus Scafnaburgensis tradit, præferendus utique vetustioribus auctoribus, qui Caroli nativitatem quinquennio differunt: cum septuagenario major, testante Eginhardo, decesserit anno octingentesimo quarto-decimo ineunte. Dies ejus nativitatis notatur in veterrimo kalendario quondam Laureshamensi, nunc collegii Claromontensis Parisiensis, his verbis: IV. *nonas Aprilis nativitas domni & gloriosissimi Karoli imperatoris & semper augusti.* Locum, ubi natus est, indicat Browerus [b] in confinibus Turingiæ Saxoniæque ad flumen Unstrudam, quam *terram conceptionis* suæ idem princeps ibidem vocat: verum, ut hic locus ejus conceptionis sit, præferendus sancti-Gallensis monachus in libro primo de ipsius vita, ubi Aquisgranum Caroli *genitale solum* [c] vocat.

[b] Brower. lib. 3. antiq. Fuld. c. 12.

[c] SanctiGall. lib. 1. c. 30.

LXVII. Episcopatus a Bonifacio erecti.

Ad Carolomanni ditionem pertinebat Turingia, Hassia, & Bajoaria, ubi potissimum Bonifacius missionem & legationem suam apostolicam exercebat. Eo permittente tres in Germania episcopatus erexit, unum in castello Franciæ orientalis seu Franconiæ Wirziburgo, alterum in opido Buraburgo, tertium in urbe Turingiæ Erpesfurto: quæ duo postrema loca non multo post episcopalis sedis honore privata sunt. Wirziburgo impositus primus antistes Burchardus, Bonifacii popularis ac discipulus; Buraburgo seu Buriburgo Wintanus, Adelharius Erpesfurtn. Tum quoque Carolomannus accersitum Bonifacium rogavit, ut in quo vellet suæ ditionis loco synodum congregaret ad sarciendam ecclesiasticam disciplinam, quæ ab annis octoginta, nullis conciliis habitis, magnopere labefactata fuerat. Per id quippe tempus canones omnino neglecti; episcopatus majore ex parte laïcis, aut libidinosis clericis a Carolo dati; episcopi, presbyteri & diaconi haud pauci licentius viven-

ANN. CHR. 742.

tes; ita ut Bonifacius quosdam diaconos quaternas, quinas, aut etiam plures sibi concubinas adjunxisse dicat. Ante omnia Bonifacio visum est scribere ad Zachariam papam [a], tum ut suam observantiam novo pontifici profiteretur: tum ut erectorum episcopatuum confirmationem ab eodem obtineret: tum ut cum ejus permissu synodus celebraretur: tum denique ut de variis dubiis pontifex consuleretur. Hæc epistola per Deneardum ad Zachariam perlata est: in qua etiam Bonifacius petit, ut sibi in ecclesiastico ministerio heredem ac successorem, cum consilio servorum Dei, eligere ac constituere liceret. Ad singula respondet Zacharias, ac Bonifacii petitionibus facit satis: nisi quod successorem eidem viventi substitui vetat, quod id contra ecclesiasticas regulas & instituta patrum esset. Ita vero synodum fieri permittit, quasi nondum hæc celebrata fuisset. quamquam si ejus epistolæ ac synodi chronologicas attendamus notas, synodus epistolam præcessit.

a Bonifac. ep. 132.

LXVIII. Synodus Germanica.

Habita quippe est in loco incerto Germaniæ hoc anno, & quidem XI. kalendas Maii: epistola vero pontificis data est kalendis Aprilis, indictione undecima, ac proinde anno insequente. Sed facile ad nutum Carolomanni principis ante Zachariæ responsum celebrari potuit synodus: cum non ita necessarius tunc esset pontificis permissus ad convocanda concilia, quæ veteres canones quotannis saltem semel celebranda esse constituerant. Neque audiendus videtur Cointius, qui hanc synodum, ob eam levem admodum causam, in annum sequentem ad undecimum kalendas Aprilis differendam censet. quam opinationem revincit constans lectio synodi actorum, quorum in præfatione præsens annus quadragesimus-secundus notatur cum die undecimo kalendas Maias, qui iterum in ipso actorum corpore repetitur. Itaque volente Carolomanno in unum Germaniæ locum convenere Bonifacius archiepiscopus, Burchardus Wirziburgensis, Regenfridus Coloniensis, Wintanus seu Witta Buriburgensis, Wilbaldus seu Willibaldus Eistetensis, Dadanus forte Trajectensis ad Rhenum, Eddanus seu Heddo sive Etto Argentoratensis, aliique episcopi cum presbyteris suis. Secundo canone cavetur, ne servi Dei seu monachi arma gerant, aut in exercitum pergant, *nisi illi tantummodo, qui propter divinum mysterium, missarum scilicet sollemnia adimplenda, & sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt*; adeoque permittitur, *ut unum vel duos episcopos cum capellanis presbyteris princeps secum habeat; & unusquisque præfectus unum presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus indicare pœnitentiam possit*. Præiverat exemplum Constantini Magni, Eusebio [b] teste. Ultimo canone statutum est, ut presbyteri vel diaconi non sagis seu breviori veste laïcorum more, sed casulis, id est talaribus tunicis, utantur ritu servorum Dei, seu monachorum: & ut monachi & ancillæ Dei monasteriales *juxta regulam sancti Benedicti* cœnobia vel xenodochia sua ordinare ac gubernare, ac vitam suam componere studeant. Nulla hic mentio de canonicabus, quæ nondum eo tempore institutæ erant, ne quidem in Germaniæ aut Belgii partibus, ubi major earum frequentia postmodum fuit. Ad xenodochia quod attinet, observandum est in omnibus fere monasteriis utriusque sexus exstitisse tunc temporis ejusmodi hospitia ex regulæ præscripto, & ex pia ac liberali monachorum ac monacharum ordinatione instituta, alia ad infirmos, alia ad peregrinos excipiendos: quorum cura & sollicitudo penes solos monasteriorum ministros erat. Hæc itaque xenodochia secundum regulam sancti Benedicti, non secus ac monasteria ipsa, gubernari synodus statuit, quæ nostris temporibus a monasteriorum jure avelluntur contra primariam institutionem. Sicque monachi ac sanctimoniales quodam modo excluduntur ab illo christianæ caritatis officio, cui non minus olim, quam propriæ regulæ addicti erant. Confirmata fuit hæc synodus anno sequenti in concilio Liptinensi.

b Euseb. lib. 3 de ejus vita c. 36.

LXIX. Cloveshoviensis conventus.

Hoc ipso anno habita est in regno Merciorum conventus Cloveshoviensis sub Cuthberto archiepiscopo Cantuariensi, præsente Ethelbaldo rege, quo in conventu lectum est privilegium Withredi Cantii regis de libertate regni ejus ecclesiarum ac monasteriorum, hoc est de facultate eligendorum abbatum; statutumque, ut tam prudens ac religiosum decretum apud Mercios in posterum servaretur. Additum insuper, ut liberæ ac immunes essent ecclesiæ, & omnes terræ ad illas pertinentes, ab omnibus sæcularibus servitiis, *exceptis expeditione, pontis & arcis constructione*. quæ exceptio non legitur in Withredi decreto, addita hac in synodo ab Ethelbaldo. Hujus exceptionis prætextu vexata sunt monasteria, dum operibus & ædificiis regalibus subsidia conferre cogebantur. qua de re conqueritur Bonifacius in epistola [c] ad

c Bonifac. ep. 105.

ANN. CHR. 742.

Cuthbertum archiepiscopum Cantuariensem, in hæc verba. *De violenta quoque monachorum servitute, operibus & adificiis regalibus, quæ in toto mundo christianorum non auditur facta, nisi tantum in gente Anglorum: quod sacerdotibus Dei non tacendum, nec consentiendum est.* Id paullisper emendavit Ethelbaldus, dato diplomate post annos septem, relato apud [a] Spelmannum.

[a] *Spelman. to. 1. p. 256.*

LXX. Glastonienses abbates.

Sub idem tempus defuncto Coëngislo abbati Glastoniensi successit Tumbertus: cui quædam prædia concessit Cuthredus rex occidentalium Saxonum, qui anno præcedente in locum Ethelardi suffectus fuerat. In idem etiam monasterium hoc abbate munificus fuit Ethelbaldus rex Merciorum, præter Lullam quamdam Christi ancillam. Post Tumbertum abbates fuere Tictanus, Gubanus, Walduous, cui post annos regiminis trigiota-duos successit Beadwlfus, mortuus anno octingentesimo. Hunc excepit Cumanus in annos duos, sub quo nihil memoria dignum actum est, neque sub ejus successuribus Mucano & Guthlaco, præter quasdam donationes, de quibus consulat qui volet Monasticum [b] Anglicanum.

[b] *Monast. Anglic. to. 1. p. 14.*

LXXI. Raginfrido pulso suffectus Wando abbas Fontanellæ.

In Gallia Fontanellense monasterium tunc vexabat potius quam regebat Raginfridus abbas & archiepiscopus Rotomagensis. Hujus iniquitate commoti Fontanellenses, precibus primo apud Deum causam suam commendant, ut ipse virtutum Domious conversus respiceret de cælo vineam suam, ne periret quod dextera sua plantaverat. Tum, inito inter se se consilio, tres ex seipsis fratres eligunt, qui querelas apud Pippinum principem deponerent, monerentque, ut memor sancti Wandregisili, ac genitoris sui invicti Caroli, qui hunc locum privilegiis decoraverat, ab infesta dominatione ipsos liberaret. Missi hanc in rem Wldebertus Meldico ex pago ortus, Laurentius ex Benevento, Austrulfus præpositus, postmodum abbas futurus. Supplicantibus benignas ac faciles aures præbuit Pippinus, petiitque, ecquem sibi rectorem præfici optarent. Wandonem illi suggerunt, abbatem olim suum, qui ab annis tribus ac viginti hactenus Trajecti ad Mosam exsul degebat *in monasterio* [c] *sancti Servatii confessoris.* Nec mora, hunc accersitum Pippinus Fontaoellæ denuo præesse jussit. Reversi nuntii cum regiis ministris, qui rem exsequerentur, Fontanellenses gaudio ac lætitia cumularunt. Revertenti demum Wandoni obviam occurrit cum vexillis & crucibus universus monachorum cœtus, effusus in divinas laudes. Ita summa pax & tranquillitas Fontanellæ reddita. Expulso Raginfrido reservatus dicitur ad tempus archiepiscopatus, id est ad quatuor annos: quibus exactis, eadem etiam dignitas, agentibus clericis Rotomagensibus, qui ejus pravus mores ferre non poterant, eidem abrogata est, dataque Remigio Pippini principis fratri, quibusdam dumtaxat villis Raginfrido in vitæ subsidium relictis, in quarum una, nomine Clovialu, ad Sequanam posita, vitam finivit. Cointius Raginfrido episcopatum Rotomageosem serius tributum fuisse putat. Sed hæc alii viderint. Restitutus in suam dignitatem Wando, Fontanellæ basilicam exstruxit in honorem sancti Servatii confessoris juxta ecclesiam beati Petri ad meridianam plagam, solariumque in ea condidit, id est superiorem ædiculam, ad quam per gradus ascendebatur; ibique altare erexit ad reponendas in eo beati Servatii reliquias, quas Trajecto attulerat. Hæc basilica, cum proxima sancti Petri ecclesia igne tota deflagrasset, illæsa remansit, persistente in ea Wandone abbate, qui ut ex ea ob periculum ignis egrederetur, adduci non potuit.

[c] *Chron. Fontanell. c. 11.*

LXXII. Cairada monasterium conditur.

In Gallia cisalpina conditum est hoc anno cœnobium virginum, vocabulo Caïrada, ad fluvium Olonam in diœcesi Ticinensi. Ejus conditrix quædam Dei ancilla Langobarda, Manigunda nomine, *veste monialium induta*, quæ res suas omnes eidem monasterio tribuit, ea conditione, ut sint *in potestate & consecratione Annextasis* seu Anastasii *episcopi Ticinensis*, ejusque successorum, quibus abbatissa singulis an-
» nis per ferias nativitatis Domini debeat dare candelas duas, valentes denarios qua-
» tuor; cannadas duas vini, duasque oblatas, nempe de pane, ut quidem existimo.
» Si quid vero amplius exigeret Ticinensis episcopus, tunc monasterium sub eadem
» conditione veniret in potestatem Mediolanensis ecclesiæ. Quod si etiam hujus ec-
» clesiæ antistes hoc annuo censu contentus non esset, quemcumque vellet episcopum,
» abbatissa sibi eligeret. quod mihi sane singulare videtur. Conditum est hac de re instrumentum anno vicesimo-tertio regni Liutpraodi & Hildeprandi, mense Julio, indictione quinta, editum in appendice hujus voluminis ex quodam exemplari Mediolani a nobis descripto, in cujus titulo Manigunda regina vocatur. Persistit etiam

nunc hoc monasterium, vulgo *Cairati* appellatum, viginti-duobus passuum millibus distans ab urbe Mediulano versus occidentem æstivum, ad fluvium Olonam seu Olenam.

ANN. CHR. 743.

LXXIII. Liptinensis synodus.

POstero anno kalendis Martiis celebrata est synodus Liptinis *, qui locus est pagi Hainoënsis prope Binchium opidum, vico duplici cognomini illustratus, quorum vicorum unus Superiores, alter Inferiores Liptinæ appellantur. Superioris vici ecclesia sancto Remigio, Inferioris sancto Martino nuncupata. In ea synodo confirmati sunt canones præcedentis synodi Germanicæ; totusque ecclesiastici ordinis clerus, id est episcopi, presbyteri, aliique clerici, *suscipientes antiquorum patrum canones*, promiserunt se velle ecclesiastica instituta moribus & doctrina recuperare. *Abbates vero & monachi receperunt regulam sancti patris Benedicti ad restaurandam normam regularis vitæ.* Quo in loco iniquiores mihi videntur critici quidam severiores, qui hoc primum tempore sancti Benedicti regulam a monachis Gallicanis receptam & admissam existimant. quasi longe ante id tempus sanctus Leodegarius episcopus, & cum eo Gallicani episcopi non præcepissent in synodo Augustodunensi, ut ea in monasteriis Gallicanis observaretur. quod tamen non de prima receptione, sed de accuratiori regulæ observatione intelligendum esse ex aliis monumentis constat. Verum si auctores illi rem æquius perpendant, concedent utique synodi Liptinensis testimonio id tantum significari, quod, quemadmodum clerici susceperunt antiquos canones ad reformandos suos mores: ita etiam abbates & monachi *receperunt* regulam sancti patris Benedicti ad instaurandam monasticam disciplinam; & sicut nemo dixerit, tunc primum canones a clericis fuisse admissos ac receptos; ita etiam de regulæ Benedictinæ admissione sentiendum, quam non primum tunc a Gallicanis monachis admissam fuisse ipsa rerum comparatio & loquendi modus manifeste probant: immo signantius dicuntur monachi regulam sancti Benedicti *recepisse*, id est denuo admisisse: clerici canones *suscepisse*. quod de prima receptione longe veri similius posset explicari, si in nudis verbis, & non in ipsa verborum æqua significatione hærendum esset. In eadem synodo statutum est, ut in bellorum undequaque imminentium supplementum, pars ecclesiasticarum possessionum a militibus precario ad tempus retineri posset sub annuo censu unius aurei seu duodecim denariorum, pro *unaquaque casata*, id est pro unoquoque prædio: eoque mortuo qui prædium precario accepisset, possessionem suam ecclesia reciperet; iterum, si necessitas cogeret, aut juberet princeps, altera precaria epistola alteri conferendam. Verum illud in primis observandum præcipitur, ut, sub colore adjuvandi exercitus, ecclesiæ vel monasteria ne graventur, &, si ex hoc penuriam patiantur, eis suæ omnes restituantur possessiones. Quinam illi synodo interfuerint episcopi, acta ipsa non produnt, in quibus tantum legitur, omnes venerabiles sa- «
cerdotes Dei, & comites, & præfectos, eidem interfuisse: adeo ut generalis hæc sy- «
nodus dici possit, ex toto Carolomanni principatu, aut saltem ex Gallia Belgica convocata. Illud constat, Bonifacium eidem synodo, uti & Germanicæ, præsedisse, atque utrique Carolomannum principem præsentiam suam exhibuisse. Acta harum synodorum Zacharias papa commendavit, approbavitque epistola omnibus episcopis, presbyteris, diaconis, abbatibus, ducibus, comitibus, ceterisque fidelibus per Gallias & Francorum provincias directa; omnesque ad ea observanda cohortatus est. De iisdem etiam scripsit Bonifacius in litteris [a] ad Cuthbertum episcopum Dorovernensem seu Cantuariensem.

LXXIV. Cenomannicæ dioeceseos infelix status sub Gauziolено.

Cenomannicam tunc temporis sedem occupabat Gauziolenus episcopus, ut ferrea illa ferebant tempora, iniquissimus: cujus opera & instinctu multa perperam gesta, locum tamen in nostris annalibus pro rerum atrocitate merentur. Ante omnia definiendum est tempus eius episcopatus, quem inire non potuit ante annum Christi septingentesimum vicesimum-secundum, regni Theoderici Calensis secundum. quo anno idem princeps Herlemundo Gauzioleni decessori diploma [b] concessit. Herlemundo mortuo, non statim pontificatum adeptus est Gauziolenus, intruso ad tempus aliquod ante eum Charivio, Rotgarii comitis filio, qui patris potestate abusus est in ecclesiæ perniciem. Subornatus cum eo Gauziolenus, quasi unus miseræ illi ecclesiæ tyrannus haud sufficeret, alter alteri nequaquam dissimilis, a quo direptæ ecclesiarum possessiones, atque in precariam, aut potius in prædam

* Lestines.

a Bonifac. ep. 105

b Analect. to. 3. p. 287.

ANN. CHR. 743. laïcis concessæ ; destructa aut expilata monasteria : ita ut ex triginta [a] sex, quæ in illa parochia ante eum extiterant affatim dotata, vix ullum ejus tempore superfuerit, quod alendæ justæ congregationi par esset, monachis pæne omnibus aut ejectis, aut præ inopia cedere coactis. Is ministro utebatur Abrahamo vicedomino, quem magnificum [b] ille fratrem appellat, cui multas ecclesiæ possessiones in beneficium concessit, in his monasterium Buxidum, a sancto Lonegisilo quondam exstructum : ex quo pulsi monachi, & locus in solitudinem redactus. Ita pari modo ex una parte in episcopatu illo grassabatur Charivius cum Rotgario patre ; ex altera Gauziolenus cum Abrahamo suo. His auditis, Pippinus rex afflictæ consulturus ecclesiæ, Herlemundum, virum genere nobilem, bonisque ornatum moribus, Colonia-Agrippina Cenomannos direxit, eumque tyrannis illis substitui præcepit. Sic regia fultus potestate Herlemundus [c] in eam sedem admissus est, cedentibus ac dissimulantibus Charivio & Gauzioleno, qui in speciem ei suffragari visi sunt. Post novem annos Herlemundus ad epulas invitatus a Gauzioleno, nihil doli suspicatus ad convivium accessit ; sed inter ferales epulas, oculis ab eodem privatur. Sic orbatus miser in reliquum vitæ secessit in monasterium pagi Bajocassini, Duorum-Gemellorum nuncupatum, cui frater ipsius abbas præerat.

a ibid. p. 242. & seqq.

b ibid. p. 235.

c ibid. p. 239. & seqq.


Tam diro exacerbatus facinore Pippinus rex, Gauziolenum Parisios accersitum talionis pœna multavit, sed tamen excæcatum in suam ecclesiam redire permisit, cum eo, ut Seufridum ordinaret chorepiscopum, qui vices ejus in illa parochia suppleret. Seufrido in beneficium a Gauzioleno concessum sancti Symphoriani monasterium, Tillidus appellatum, quod toto vitæ suæ tempore tenuit. Seufrido mortuo successere unus post alterum, Desideratus & Berthodus itidem chorepiscopi sub eodem Gauzioleno, qui post Berthodi obitum alium sibi chorepiscopum ordinari a Carolo Magno postulavit. Rem princeps retulit ad synodum episcoporum, quibus abnorme visum est quod apud Cenomannos hactenus gestum fuerat, cautumque, ne chorepiscopi deinceps chrisma conficerent, virgines sacrarent, Spiritum-sanctum traderent, ecclesias seu altaria sacrarent, oleum denique ad infirmos ungendos benedicerent, nisi a tribus episcopis essent ordinati ; sicque ordinati a titulo villano chorepiscopi nomen, non episcopi ab ordinatione sortirentur, nec quidquam in ecclesia citra consensum episcopi aggrederentur. His conditionibus a Carolo permissum, ut Gauziolenus sibi chorepiscopum ordinare posset. Electus ad id officii Merolus sacerdos ex monasterio Avrionno seu Ebronio, atque a tribus episcopis ordinatus ad titulum ecclesiæ sancti Petri exstructæ in vico canonico, nomine Salico, quem Gauziolenus cum aliis beneficiis ei ad stipendium & victum concessit. Hoc munere rite perfunctus est Merolus, atque ita omnibus gratus & acceptus fuit, ut post Hodingum, qui Gauzioleno ad biennium successit, ex chorepiscopo episcopus, præcipiente Carolo rege, creatus sit.

Extincto Gauzioleno, Abrahamus, cui Buxidum monasterium datum fuerat in beneficium, omnes ejusdem farinæ sodales suos, tam clericos, quam laïcos, convocavit, eisque auctor fuit, ut Carolum Magnum una convenirent, & ab eo res ecclesiæ in beneficium acciperent, ejus homines deinceps, non ecclesiæ futuri. Sic auro & argento, pretiosisque vestibus bene suffarcinati, principem adeunt, eumque in suam sententiam pertrahunt. Itaque monasteria, cellæ, vici & villæ, possessiones denique fere omnes, quæ a Cenomannensi parochia pendebant, in beneficium cessere munere principis, exceptis paucis villulis, ad canonicorum victum & vestimentum reservatis, ea tamen conditione, ut ex illis beneficiis nonæ & decimæ, censusque legitimi quotannis eidem ecclesiæ ad sarta-tecta facienda persolverentur. Hinc factum est, ut ecclesiæ pessum irent, clerici ac pauperes inopia conficerentur, ac luminaria ecclesiis atque ornamenta necessaria penitus deficerent. quo intellecto, Carolus præcepit, ut, iis mortuis qui res ecclesiasticas precario a se vel ab episcopis obtinuerant, universæ possessiones ecclesiæ restituerentur. Atque ita paullatim Cenomannensis parochia in pristinum statum refloruit. Ea erat tum conditio ecclesiæ Cenomannensis sub Gauzioleno per annos quinquaginta.

LXXV. Childericus rex Francorum salutatus.

Ante finem hujus anni Carolomannus & Pippinus Childericum regem a Francis consalutandum curarunt, sive ut ambo minori cum invidia regnarent, sive hæc fuerit modestia Carolomanni, qui Pippinum fratrem, regnandi, ut ex eventu patuit, magis avidum, ad constituendum supra se regem induxit. Childericum itaque throno

throno imponunt, quem alii Theoderici Calensis, alii Chlotharii, ejus quem Carolus princeps Chilperico victo regem opposuit; alii denique Dagoberti tertii filium existimant. Mihi vero jam dudum persuasum est, eum Chilperico patre progenitum esse, utpote qui in tribus, quæ ipsi asserui, diplomatibus, Cenomannensi concessis ecclesiæ, Dagobertum *sobrinum* suum, ejusque præcessores *parentes* suos vocat. Idem in diplomate pro monasterio Sithiensi Theodericum Calensem *parentem* suum dicit, quo nomine veteres illi consanguineos & cognatos suos significabant. Si ergo Dagobertus, Theoderici Calensis pater, consobrinus fuit Childerici; certe Childericus ipse neque Theodericum, neque Dagobertum ipsum patrem habuit; neque demum Theodericum nescio quem, Dagoberti Austrasiorum regis, ut Henschenio visum est, filium, qui consobrinus ejus dici non potuisset, utpote multis consanguinitatis gradibus ab ipso remotus. tametsi, ut ingenue fatear, consobrini vox hoc sensu aliquando sumitur. Fuerit ergo filius Chilperici, qui ex altero Childerico, Chlodovei junioris filio exortus, uti alias probatum, Childerico filio avi nomen imposuerit, ut avum ex nomine, quod tunc non infrequens erat, referret. Sic enim Childericus recte Dagobertum tertium appellare potuit sobrinum suum, natum scilicet ex fratre patruele Chilperici patris sui, nempe Childeberto, filio Theoderici Chlodovei junioris filii, atque adeo patrui Chilperici regis, quem Childerici nostri patrem esse existimo. Sed hæc melius oculis subjiciet paradigma sequens. ANN. CHR. 743.



Ex tribus diplomatis [a] Cenomannensi ecclesiæ, seu Gauziolено episcopo a Childerico datis, unum est ad confirmandam precariam, quam idem Gauziolenus Didoni abbati Aninsulensi fecisse dicitur. Subsequitur exemplar precariæ ab eodem factæ Sicbaldo abbati Didonis successori, iisdem a Childerico rege confirmatæ. His omnibus subjicitur confirmatio domni Childerici regis, sobrini Dagoberti, de Arduno villa pagi Pictavensis, facta Gauzioleno episcopo, qui non ante annum secundum Theoderici Calensis Cenomannensem ecclesiam, ut superius vidimus, occupare cœpit ad annos quinquaginta; ac proinde omnia hæc instrumenta non Chilperico, ut aliquando veteres codices fallunt, sed Childerico tribuenda sunt. [a] Analect. to. 3. p. 230. & seqq. Aninsulenses abbates.

Exstat in libro sexto de re diplomatica ipsius Childerici præceptum pro monasterio Sithiensi, quo præcepto idem rex Waimaro abbati confirmat donationes *parentis* sui Theoderici regis, eidem cœnobio factas tempore Erkembodonis abbatis. Hoc præceptum datum est anno primo regni sui, Aprilis die vicesima tertia, in palatio Crisciaco. Nesciebat tum, infelix princeps, an potius ipso felix suo infortunio, se non multo post retrudendum fore in idem monasterium, cui hoc benevolentiæ suæ argumentum dabat. Waimarus abbas Erkembodoni successerat, idemque paullo post successorem habuit Nantharium: cui Felix quidam presbyter cellam tradidit sui juris propriam, vocabulo Hrocasamum *, Theovaldo loco pagi Flandrensis, quam Felix ipse in honorem sancti Michaëlis archangeli, & sancti Johannis Baptistæ, ac sanctæ Mariæ genitricis domini nostri Jesu-Christi, ceterorumque sanctorum, opere suo exstruxerat. Hanc vero donationem facit ea conditione, ut nomen ipsius *in libro vitæ* sacerdotes, In ipso degentes monasterio, habere dignarentur: quod de martyrologio, vel potius de diptychis intelligendum, quæ tempore sacrificii sacerdotibus ob oculos poni ac recitari solebant, ut post videbimus. Actum est hoc in monasterio Sithiu publice, VIII. kalendas Augusti, anno tertio regni domni Childerici regis. Bertinus primus Sithiensis abbas sancti nomine primum donatur in hac charta, in qua monasterium Sithiu consecratum dicitur in honore sanctorum Petri & Pauli apostolorum, ac sancti Martini, *vel sancti Bertini confessoris, ubi ipse domnus in corpore requiescit.* LXXVI. Sithienses. * Rextem.

ANN. CHR. 743

LXXVII. Altonis monasterium a S. Altone conditum.

Hoc fere tempore in Bajoariam venit sanctus Alto, nobilissima Scottorum gente progenitus; secessitque in quamdam Frisingensis pagi silvam, cujus magnam partem a Pippino, an potius a Carolo Magno principe, obtinuit, ubi monasterium, ex ejus nomine postea nuncupatum, ædificavit. Basilicam dedicaturus Bonifacius, eam *more solito* feminis interdictam volebat: at repugnanti Altoni assensit ea conditione, ut ad fontem quemdam basilicæ proximum nulli mulieri accedere liceret. Quamdiu eo in loco vixerit Alto, quove anno decesserit, ignoravit ejus vitæ scriptor sæculi decimi anonymus, qui acta ejus furtive sublata conqueritur. Sancti Altonis memoria in ecclesia Frisingensi colitur v. idus Februarii, qui mortalis ejus dies in tabulis Alto-monasteriensibus notatur, teste Radero. Direptum a quodam Alamanniæ seu Sueviæ comite monasterium, sæculo decimo instauratum est, traditumque aliquanto post tempore Altorfiensibus sanctimonialibus Benedictinis, quæ cœnobium suum Altu-monasteriensibus monachis cesserunt. Altorfio deinde in parœcialem ecclesiam commutato, Altorfienses in novum Weingartense monasterium translati: ac demum sæculo quinto-decimo Altonis-monasterium Birgittanis concessum est.

LXXVIII. Babinchova monasterium apud Alamannos.

Exsistebat hoc tempore apud Alamannos monasterium virginum, Babinchova dictum, cujus ecclesia sanctæ Mariæ, sanctisque Petro, Martino, Leudegario, & Petronillæ sacra erat. Id constat ex charta tricesima-nona inter sancti-Gallenses apud Goldastum, in qua hujus monasterii situs ponitur *in insola minore, quæ juxta Hupinavia est*, ubi Hata & Beata cum aliis ancillis Dei conversabantur. Actum est hoc instrumentum *in monasterio, quod dicitur Babinchova*, die vicesima-octava mensis Novembris, *regnante Carlomanno duce, & Bebone comite*. Subscribit inter alios testes Arnefridus abbas. Idem etiam reperitur cum aliis testibus in charta quinquagesima-octava, quæ itidem data est *in Bainchova monasterio, anno tertio regnante Hiltricho rege, sub Carlomanno majore-domus, & Bebone comite*, cujus nomen etiam inter testes adscriptum est. Hæc posterior charta donationem continet, Othmaro abbati & monachis sancti Galloni seu Galli factam a quadam femina, nomine Pieta, filia Rekinberti & Atanai ejus uxoris: quæ Pieta haud alia videtur a Beata seu Bietana, prioris donationis auctore, quæ Rechiberti filia dicitur. In posteriori donatione illud observandum, quod Pieta quasdam possessiones monasterio sancti Galli
" tradit, eo pacto, ut ab Othmaro abbate, ejusque monachis accipiat auri & argenti
" solidos septuaginta & cavallos quinque, cum saumis, aliisque rebus ad iter suum Romanum: io reditu easdem res in beneficium pro vitæ suæ tempore ab eisdem acceptura. Nec plura de monasterio Bainchova, seu Babinchova, forte legendum Bahinchova, quod prope Brigantium positum fuisse conjicio; nec forte aliud esse ab Augiæ-majoris cœnobio, nunc virorum, quod duplex quondam fuisse Bruschius & Crusius opinantur, monachorum unum, alterum sanctimonialium, quibus primam abbatissam beatam Haberillam seu Habriliam a sancto Gallo institutam tradunt. Plura de ea lege-sis [a] apud Bollandum. Si hæc conjectura valet, prædictus Arnefridus abbas fuerit monasterii virorum ejusdem loci.

[a] Bolland. to. 2. Jan. p. 1033

LXXIX. Benedict-burani monasterii origo.

Burense seu Benedictoburanum superioris Bajoariæ monasterium ad alpes Tirolenses, diœcesis Frisingensis, sub hæc tempora conditum est a tribus germanis, Lantfrido, Wldrammo seu Waltrammo, & Gundramno, quos ex Pippini aula Dei amor ad Christi militiam adduxit, ut in subjecto Lantfridi epitaphio legitur. Hinc inferas, illius monasterii originem non posse referri ad annum ejus sæculi quadragesimum, quo Pippinus rerum nondum potiebatur. Quamquam id de duobus Lantfridi fratribus explicari potest. Tres illi germani fratres genere illustres haud dubie erant, quos *primis natalibus ortos* fuisse idem epitaphium docet. Bajoarios facile crediderim ex amplissimis prædiis, quibus hoc monasterium dotarunt; ne quid dicam de aliis ejusdem provinciæ cœnobiis, quorum constructio & dotatio iisdem tribuitur. Lantfridus in exsilium a Pippino rege actus est, sed a Carolo Magno revocatus. Ejus obitus VI. idus Julii contigit. Unum e duobus [b] ejus epitaphiis huc referre juvat.

[b] Analect. to. 4. p. 533.

En Lantfrid dominus, primis natalibus ortus,
Debita solvit humo, quæ sibi debet homo.
Ætatis flore Sponsi currens in odore,
Pluribus exemplum præbuit ipse bonum.

ANN. CHR. 743.

Fratres germanos, Wldram, Gundramque vocatos,
Aula Pippini traxit ad arma Dei.
Plures huc arte trahit ad consortia vitæ.
Ad bona, ceu speculum, quisque tenebat eum.
Insons exsul erat: rex Carolus hunc revocabat.
Regum summe Deus, solve sit unde reus.

In altero epitaphio prima Burensis constructio Lantfrido præcipue tribuitur, illudque variis modis decorasse memoratur.

Istud cœnobium qui jusserat hoc fore primum,
Prudens consilio, strenuus obsequio.
Fervens cottidie Christi properavit amore,
Cœnobium variis hoc decorare modis.
Qui dum vivebat, monachos in honore regebat.
Qui legis hæc, oro, funde preces Domino.

Lantfrido successere unus post alterum Waltrammus, & Elilandus quartus eorum frater: Gundrammus monachus tantum, non etiam abbas videtur fuisse, ut colligitur ex sequentibus versibus, qui de tribus primis ejusdem loci abbatibus scripti sunt.

En tres abbates, meritis & germine fratres,
Muro defuncti sunt modo suppositi.
Hi dum vixerunt, hoc cœnobium statuerunt,
Multos thesauros cui dederant, & agros.
Ex his Lantfridus cluit abbas vice primus,
Qui vir perprudens, hic bona plura studens.
Jam sextus Julius mensis dum continet idus,
Exutus carne, debita solvit Adæ.
Frater Waltrammus cui successit venerandus,
Huic qui contulerat quodque boni poterat.
Idibus at Februi quinis de carc.re mundi
Emigrans; animam reddidit ille piam.
Tunc Elilant fratrum suscepit municipatum,
Germanos gestis æquiparando b.nis.
In novis-decimis Septembris & ipse kalendis
Mortuus est membris, vivitat ast meritis.
Duxerat en vitam Cundhram pater iste sucrutam,
Qui, Benedicte, tui sollicitusque gregis:
Augebatque locum cum fundo largiter istum,
Et suu trudendo fœnore pro supero.
In novis-decimis Februis sed & ipse kalendis
Ad Dominum rediit, qui dedit esse sibi.

In constitutione Ludovici Pii de monasteriis, monasterium Buria censetur inter ea, quæ tantum dona sine militia debebant.

Cum Liutprandus rex Langobardorum hoc anno Ravennæ obsidionem molire- LXXX.
tur, Gregorius pontifex ad prævertendum ejus consilium ipsum adire, & ab incœpto revocare constituit. Ubi ad Padum accessit, ibi a regiis optimatibus obviam missis exceptus, IV. kalendas Julii in ipsa beatorum Apostolorum vigilia, Papiam pervenit, ac, basilica monasterii sancti Petri ad Cælum-aureum lustrata, urbem intravit. Postridie, qui dies festus Apostolorum erat, in eamdem basilicam cum rege ipso regressus, magna pompa sacris est operatus. Tertio die pontifex ægre a rege obtinuit, ut a Ravennatium ditione manus abstineret, & ademta Æmiliæ loca, in primisque Cæsenam restitueret. Vix Romam redierat Gregorius, cum nuntius affertur, Liutprandum regem repentina morte sublatum esse. Is sepultus est in basilica sancti Petri in Cælo-aureo, quam ipse condiderat. Huic successit in regno Hildeprandus ejus nepos, quem a populo jam designatum avus ante confirmaverat. Intra

Gregorius Papiæ a Liutprando ut exceptus.

Liutprando regi succedit Hildeprandus.

ANN. CHR. 743. breve septem mensium regnum rex novus pia nihilo minus quædam opera gessisse memoratur. Exstat in appendice hujus voluminis ejus diploma, quo Flavius Hilprandus rex ecclesiæ beatissimi martyris & confessoris Christi Antonini & Victoris, sitæ foris muros ecclesiæ Placeotinæ, ubi sancta eorum corpora requiescunt humata, supplet omnia ejus ecclesiæ monimenta, quæ in funesto urbis incendio cremata fuerant, atque universas possessiones eidem ecclesiæ confirmat. In hoc vero diplomate inter alia recensentur monasteria illius diœceseos, nempe monasteria beatissimi apostoli & martyris Thomæ, atque Syri confessoris prope civitatem Placentinam, ac monasteria Florentiola & Tolla, atque Gravacum. Actum Ticino in palatio pridie kalendarum Aprilium, anno regni ejus nono, indictione duodecima, id est anno insequenti Christi Domini, qui nonus erat Hildeprandi annus, ex quo in consortium regni adoptatus fuerat. De his monasteriis superius * actum. Ipso anno Langobardi, quibus invisus erat, hunc post septem a Liutprandi obitu menses regno dejecerunt, idque Ratchiso duci Forojuliensi ob virtutis ejus præstantiam detulerunt.


* a Supra num. 40.

In Liutprando definit liber sextus & ultimus Pauli Warnefridi, diaconi ac monachi Casinensis, de gestis Langobardorum, ubi ait, eum postquam triginta & uno anno, septemque mensibus principatum obtinuisset, jam ætate maturum vitæ cursum explevisse; corpusque ejus in basilica beati Hadriani martyris, ubi & ejus requiescebat genitor, sepultum fuisse. Omnes tamen in æde sancti Petri ad Cælum-aureum humatum fuisse consentiunt. Favet ejus epitaphium, a Sigonio aliisque relatum, in quo post bellica ejus facta laudatur & ipsius pietas his versibus.

Rege sub hoc fulsit, quod mirum est, sancta frequensque
Relligio, ut recolunt alpes, ecclesia quarum
Hinc habuit, vivente ipso, prægrandia templa,
Quæ vivens struxit.........
Præcipue Petro cælesti hac sede locata
Clavigero, statuit Cælo quam providus aureo,
Augustinus ubi, huc aliunde abductus eodem
Rege jacet, cujus doctrina ecclesia fulget.

Illud in primis ejus pietatem commendat, quod plus semper orationibus quam armis fideret, teste Paulo, maxima semper cura Francorum, Avarumque pacem custodiens.





ANNALES

ORDINIS

S. BENEDICTI.

ANN. CHR. 744.

LIBER VICESIMUS-SECUNDUS.

Ab anno Christi 744. ad annum 753.



PRÆCLARUM huic libro exordium dabit Fuldense monasterium, quo nullum in Germania nobilius aut illustrius: cujus fundamenta hoc anno jacta fuisse, Eigilis abbas, annales Fuldenses, Hermannus, Marianus, aliique plerique tradunt. Jam dudum Bonifacius archiepiscopus & sedis apostolicæ legatus, qui munachus monachis in prædicatione evangelii, ceterisque negotiis adjutoribus passim utebatur, summupere cupiebar, nobile cœnobium aliquod in Germania exstruere, in quo sacræ suæ expeditionis comites & adjurores collocaret. Jam quidem Ordorfense & Fritislariense monasteria hujus rei graria condiderat: sed hæc fortasse non sufficiebant tantæ multitudini vel discipulorum, vel candidatorum, qui ad conversionem in dies veniebant. Ad hæc viro sancto displicebat, Sturmium, carissimum in primis discipulum suum, ingrata in solitudine versari; optabatque ut in commodiori loco sedem figeret suam, relicta Hersfeldensi eremo, in qua jam per novem annos cum pauculis sociis commoratus fuerat. Oprarum randem locum Sturmius invenit in solitudine silvaque pagi Grapfeldiei Buchonia, Hassiam inter ac Turingiam intermedia, quæ a fagis arboribus, quibus repleta est, nomen accepisse dicitur. Probato loci situ, Bonifacius Carolomannum principem adiit, dixitque sibi esse in animo, ipso volente & adjuvante, in orienrali ejus regno monasterium statuere. Rogare, ut locum quemdam in solitudine Buchonia, jacentem ad ripas Fuldæ fluminis, qui locus ad ipsum pertinebat, & ad exstruendum cœnobium aptissimus videbatur, sibi donaret, Deum ejus beneficii memorem & remuneratorem habiturus. Grata fuit sancti antistitis petitio optimo principi, qui eam omnibus palatii sui primoribus & optimatibus congregatis exposuit, approbavitque; eisdemque præsentibus locum, & quidquid ibi proprii habebat, ad quatuor circum millia passuum Bonifacio dedit, & diplomati hac de re facto subscripsit. Insuper omnes ejus regionis nobiles viros cohortatus est ad augendam monasterii dotem. quod cum ab universis haud impigre factum esset, Sturmius septem monachos eum in locum deduxit hoc ipso

I. Fuldense monasterium a Bonifacio conditur.

ANN. CHR. 744. anno, IV. idus Martias; ac post duos menses, jussu Bonifacii cæsis silvis, una cum basilica condere monasterium cœpit, quod a flumine præfluente Fulda; ab auctore monasterium sancti Bonifacii nuncupatum est; brevique ita monachis & opibus crevit, ut ante Sturmii primi abbatis obitum quadringentos monachos contineret.

Disciplina ejus monasterii. Dum hæc fierent, Bonifacius precibus ac lectioni sacrorum librorum sedulo vacabat in vicino monte, qui ob id Mons-episcopi a posteris appellatus est. Tum novellos monachos artissimis institutis informare curavit secundum sanctæ scripturæ traditionem & monasticæ regulæ disciplinam; præcepitque, ut ab omni potu, qui inebriare posset, abstinerent, tenui cervisia contenti. quæ institutio, crescente familia, propter ægrotos & imbecilles, tempore Pippini regis synodali decreto temperata est, permissusque vini usus, quo tamen fratres aliqui usque ad finem vitæ suæ abstinere perseverarunt. Hanc fuisse primariam Fuldensis monasterii disciplinam non modo Eigilis ejus loci abbas quartus, sed etiam Bonifacius ipse testatur in epistola ad Zachariam papam, sic ut illic degerent monachi *sub regula sancti patris Benedicti viventes, viri strictæ observantiæ, absque carne, & vino, & servis, proprio manuum suarum labore contenti.* Addit Rudolfus monachus in libro de vita sanctæ » Liobæ abbatissæ, eidem loco, ex quo a monachis habitari cœpit, feminis ingressum » negatum fuisse, præterquam ipsi Liobæ, cui a Bonifacio, ejus populari ac consanguineo, concessus fuerat aditus in Fuldensem basilicam, in qua ejus corpus sepeliendum decreverat. quod institutum tam sancte coluere posteri, ut privilegiis a Marino papa Hadamaro abbati sæculo nono, & insequente Erkembaldo abbati a Silvestro secundo, ac consequenter ab aliis pontificibus concessis, & speciatim insertum sit, & religiose observatum: ita ut Lotharii regis uxori die sancto pentecostes sacris interesse in primario monasterii templo non licuerit; idemque negatum uxori Friderici imperatoris, cui, quod regina in ejus comitatu erat, urbem Fuldam ingredi haud visum est. Hac vero disciplina semel emollita ex indulgentia Bonifacii papæ noni, Johanni Merlavio abbati concessa, anno supra millesimum duo dequadringentesimo, basilica Fuldensis fulmine de cælo tacta conflagravit. id quod in pœnam violatæ disciplinæ accidisse posteri crediderunt, teste Browero. Carolus Cointius Fuldensis initia monasterii rejicit in annum sequentem: at præferenda mihi videtur scriptorum æqualium ac domesticorum auctoritas, ex quibus Eigilis, abbas ejus loci quartus, in libro de vita Sturmii abbatis primi, diserte asserit, eum cum fratribus septem commigrasse Fuldam *anno incarnationis Christi septingentesimo quadragesimo-quarto, regnantibus in hac gente Francorum duobus fratribus, Karlmanno atque Pippino, indictione duodecima, mense primo*, seu Martio; *duodecimo die mensis ejusdem.* Huic auctori adstipulantur annales Fuldenses, ut jam dixi, Hermannus, Marianus, aliique, a quorum sententia recedere nefas puto.

II. Concilium Suessionense. Hoc ipso anno supra septingentesimum quadragesimo-quarto, Childerici regis secundo, VI. nonas Martii, Suessione habita est synodus episcoporum, præsente » Pippino, qui initio synodi præfatur, se una cum consensu episcoporum, sive sacer» dotum, vel servorum Dei consilio, comitum quoque & optimatum Francorum col» loquio, hoc concilium facere decrevisse, nulla regiæ auctoritatis, nisi ad inanis regni annum signandum, facta mentione. Huic concilio tres & viginti interfuerunt episcopi, præsidente Bonifacio, tametsi eorum nomina, uti & abbatum ac presbyterorum, in vulgatis actis desiderantur. Ordinati sunt tertio canone legitimi in civitatibus episcopi, super quos Abelem Remensem & Ardobertum archiepiscopos synodus instituit. De monachis statutum canone tertio, *ut ordo monachorum vel ancillarum Dei secundum Regulam sanctam stabilis permaneat.* nempe secundum Regulam sancti Benedicti, hoc elogio in conciliis insigniri solitam, quam antea synodi Germanica & Liptinensis post Augustodunensem diserte commendaverant. Ad hæc eodem canone vetiti abbates in militiam proficisci, & homines tantum suos mittere ad bellum jussi. quod antea synodus Germanica canone quinto servis Dei universim interdixerat. Septimo canone damnatæ & reprobatæ cruciculæ, quas Adalbertus quidam hæreticus episcopus per parochiam suam in campis plantaverat, ad quas orationis causa frequentandas populos circumpositos invitabat. Statutis subscripsere vir illustris Pippinus major-domus, Radbodus, Heribertus, & Helmigaudus Franci optimates. Nulla reperitur episcoporum, ut jam dixi, in actis subscriptio, ne quidem Bonifacii archiepiscopi, quem huic synodo præfuisse constat ex

Zachariæ papæ epistola, qua Abelem & Ardobertum seu Artbertum metropolitanos episcopos ab ipso institutos confirmat ; & Adalbertum una cum Clemente jure ab eodem damnatum ac custodiæ mancipatum dicit. ANN. CHR. 744.

Adalbertus, aliis Aldebertus, natione Francus, ab indoctis episcopis ordinatus antistes, sanctus & apostolus appellari volebat, in campis ad fontes oratoria & cruciculas erigere solitus, ubi publicas preces peragi jubebat, eoque vulgi multitudinem, spretis episcopis suis, ac relictis legitimis ecclesiis, convenire. Idem nota sibi omnium peccata dicebat, nec opus esse, ut advoluti pedibus suis fideles, ut fiebat, ea confiterentur. proinde abirent de absolutione securi. Inserebat etiam orationi cuidam suæ ignota ceteris mortalibus septem angelorum nomina. Quin & capillorum unguiumque suorum præsegmina pro reliquiis sacris distribuebat. Alter, Clemens nomine, natione Scotus, sacros canones, & sanctorum Hieronymi, Augustini, ac Gregorii scripta nihili faciebat; & in multis aliis, quæ commemorare superfluum est, delirabat.

III. Ebbo episcopus Senonum in solitudinem migrat.

Ad id usque tempus Senonensi ecclesiæ sanctissime præfuerat Ebbo antistes: cur vero eidem hoc anno in synodo Suessionensi suffectus sit Ardobertus, ex ejus actis, & ex Clarii monachi chronico intelligimus. Quippe vir sanctus, jam grandævus ætate, antecessorum suorum Gundeberti & Wlframni exemplo, abdicata dignitate in solitariæ vitæ portum se recipere summopere cupiebat, ubi soli Deo, animæque suæ saluti totus intentus, ad imminentem exitum se accingeret. Hinc porrectæ Suessionicæ synodi patribus preces, suam ut senectam miserati, successorem sibi providerent. Successore dicto, in villam, quæ Arcea * dicitur, sexdecim ab urbe Senonum millibus passuum distantem, duabusque ecclesiis, nempe sanctæ Mariæ & sancti Michaëlis, illustrem secessit: ubi orationi & abstinentiæ deditus, ita carnem spiritui subjecit, ut jam cælestem in terra vitam agere videretur. Hactenus in colle Arceæ proximo visitur vestigium speluncæ, in qua vir sanctus delituisse traditur: ad cujus radicem aquæ vena fluit, a febricitantibus celebrata. Ex hoc loco in cælum abiit Ebbo, obiitque VI. kalendas Septembris, incertum quo anno. Sacrum ejus corpus delatum est in Senonense monasterium sancti Petri, ubi monasticen professus fuerat; sepultumque in oratorio beatæ Mariæ prope duas ipsius sorores, Ingoaram & Leoteriam, quarum superius meminimus: demum post ducentos amplius annos e tumulo elatum fuit a Sevino archiepiscopo, tempore Rainardi abbatis ejus nepotis, inventaque integra est infula seu casula sacerdotalis, qua corpus ejus obvolutum erat, hactenus in eodem cœnobio asservata cum ejus corpore, excepto capite, quod possident Cælestini Meduntenses.

* Arce.

IV. Abel fit archiepiscopus Remensis.

Alia omnino ratio patres Suessionenses movit ad constituendum Abelem in metropoli Remensi. Huic nempe jam ab annis bene multis incubabat Milo, sola tonsura clericus, sed moribus omnino sæcularis. Idolum ejusmodi e sede Remensi tollendum patres merito judicarunt. Electus ad eam dignitatem fariendam Abel, Scottus genere, vir sanctus, monachus Laubiensis. De hoc cum inter se se confabularentur aliquando Adalbero Remorum antistes & Fulcuinus abbas Laubiensis, & de ejus gestis & obitu invicem percontarentur; infit Adalbero, in gestis pontificalibus ejus « urbis legi, multa eum illi ecclesiæ acquisivisse, multa item ordinasse; at quis ejus exi- « tus fuerit, scriptorem gestorum, scilicet Frodoardum, aut nescisse, aut tacere vo- « luisse. Ceterum ductam ad id usque tempus in Remensi ecclesia consuetudinem, ut « inter missarum sollemnia, in ea speciali commemoratione defunctorum, quæ supra « diptycha dicitur, quotidie in aurem presbyteri sacra celebrantis, recitante tacite sub- « diacono, singulorum ejus sedis episcoporum nomina recitentur: qua in commemo- « ratione mirari se ait Abelis nomen non comparere. Ex quo conjiciebat Adalbero, « eum vacanti sedi ad tempus impositum, paullo post dignitate ex amore Dei cessisse. « Hæc fere Fulcuinus ipse in chronico Laubiensi, qui & suum, id est Laubiensem, monachum fuisse Abelem asserebat, & Scottum genere, & dignitate episcopum. Certe hunc ei titulum tribuit Bonifacius in epistola decima-nona ad Ethelbaldum Merciorum regem, in cujus inscriptione *Abel coepiscopus* cum aliis nominatur. Pallium an umquam acceperit, dubitare licet ex Zachariæ epistola ad Bonifacium, in qua pontifex queritur, quod Bonifacius, qui primo tria pallia pro totidem archiepiscopis petierat, postea nonnisi unum pro Grimone Rotomagensi petat, Abele Remensi & Harberto Senonensi prætermissis. Quæcumque ejus rei causa fuerit, Abe-

ANN. CHR. 744.

lem aut sede sua pulsum, aut sponte cedentem, secessisse tradunt in monasterium Laubiense, ubi sanctissime supremos absolverit dies, mortuus nonis Augusti. qui dies festus agitur Binchii in pago Hainoënsi, ubi ejus corpus in ecclesia collegiata servatur. Carolus Cointius, ut dixi, synodum Suessionensem differt in annum sequentem, ob probabiles quidem, at non certas conjecturas, quas in medio relinquere visum est.

V. Lantfredus abbas S. Germani liberatus. Hunoldus Aquitaniæ dux monasterium petit ac deserit.

Post hæc Carolomannus & Pippinus, communes ulturi injurias, Hunoldo Aquitanorum duci, qui ipsis Bajoarico bello occupatis Neustriam lacessierat, transito Ligeri vicem regerere properant, eumque ad deditionem ac pacem compellunt. Tunc Hunoldus Lantfredum, Parisiensis monasterii sanctorum Vincentii ac Germani abbatem, quem, ad se ante triennium a Pippino missum, contra jus captivum retinuerat, ex pacto dimisit, & in monasterium redire sivit. Idem mox Waifario filio, ætate ac viribus, ingenioque præcellenti, principatum Aquitaniæ tradere constituit, & relictis rerum habenis in monasterium secedere; felix, si insons intrasset, & numquam a proposito defecisset. Erant illi fratres duo, Hatto & Remistagnus: e quibus Remistagnum minime suspectum habebat: Hattonem vero, qui Pictavos regebat, Waifario filio suo æmulum futurum verebatur. Hunc data fide ad se venire jubet, miserumque effossis oculis custodiæ mandat. Ipse non post multos dies, uxore cœnobio virginum inclusa, in monasterium quoddam Santonum, positum in insula Radis, se recepit: ex quo vicesimo-quinto post anno, Waifario filio ac Pippino mortuis, egressus, conjuge in thorum revocata, denuo principatum recepit, ut posterior appendix Fredegariana & annales Mettenses tradunt.

ANN. CHR. 745. VI. Zachariæ ad Bonifacium epistola.

Anno ejus sæculi quadragesimo-quinto Zacharias papa Bonifacio archiepiscopo scribit placere sibi, ut Coloniensi ecclesiæ, Ragenfredi episcopi morte tunc vacanti, incardinaretur, ibique metropolitanam sedem haberet, ex qua facilis aditus esset ad Germanicas gentes, quibus antehac evangelium prædicaverat. Eidem gratulatur pontifex, quod a Francis, quibus Sarraceni, Saxones, ac Frisii eo ipso tempore infesti fuerant, nihilo minus impetrare potuerit, ut pro singulis servis conjugatis, vertente anno, duodecim denarii ecclesiis monasteriisve penderentur in censum eorum prædiorum, quæ in beneficium possidebant. quippe restituta pace spem esse, ut prædia ipsa restituerent. Et quoniam Bonifacius litteris questus erat, quosdam a se propter adulterium vel homicidium gradu sacerdotali dejectos, nec sub pœnitentia monachos esse volentes, palatium regis Francorum adire, ut ipsi possessiones ecclesiarum, monasteriorumve, laïcam vitam victuri acciperent, in maximum sanctorum locorum detrimentum; Zacharias se hac de re ad principes Francorum scripsisse respondet. Data est hæc epistola pridie kalendas Novembris, imperante domino Constantino augusto anno vicesimo-septimo, post consulatum ejus anno quinto, indictione quarta-decima. quæ notæ huic anno quadragesimo-quinto conveniunt. Et Bonifacius quidem non diu, si tamen aliquamdiu, Coloniæ-Agrippinæ archiepiscopus fuit; sed mutato consilio Moguntiam a Pippino, Francisque optimatibus anno sequenti translatus est in locum Geolcobi seu Gervilionis, de quo in sua ad Zachariam epistola conquestus fuerat, propter homicidium & venationis studium in ordinem redacti. quo etiam tempore Agilulfus abbas Stabulensis in sedem Coloniensem promotus est, vir genere nobilis, nec minus pietate conspicuus, post quatuor annos reversus in monasterium suum, cujus regimen cum episcopatu retinuerat. Is demum in Arduenna silva impiorum manu obtruncatus, pro sancto habetur, uti & Florbertus ex abbate, itidem ante eum Stabulensi, episcopus Leodicensis, qui hoc anno decessisse creditur. Moguntiacensi ecclesiæ a Zacharia restituta est metropolitica dignitas, eique ad tempus Coloniensis subjecta fuit.

Hic Moguntiæ fit archiepiscopus. Agilulfus episcopus Coloniensis. Florbertus Leodicensis.

VII. Harlindis abbatissa Eikensis obit. Reinula ejus soror succedit.

Circa idem tempus ad immortalem Sponsum migravit sancta Harlindis Eikensis abbatissa in Belgio, quæ morti proxima sorores suas efficacibus verbis adhortata est, ne post suum discessum degenerem ac deturpatam vitam ducerent, neque aliis in scandalum fierent ac ruinam, sed potius seniores ac matres suas, a quibus in vita spiritali institutæ fuerant, imitarentur. quod illæ pro modulo exsequi studuerunt. Obiit Harlindis xv. idus Octobris. Ei successit in monasterii regimine Reinula germana soror, ejus virtutis æmula, quæ exemplo sancti Benedicti ætatem moribus transscendisse, & nulli animum voluptati dedisse memoratur. In hoc agone ad decrepitam

ANN. CHR. 745.

crepitam usque ætatem perduravit, ac demum ad æternam quietem migravit VIII. idus Februarii, miraculis post obitum illustrata. Ambæ sorores sepultæ sunt in ecclesia, quam ex lignea lapideam fecit Ava medio sæculo nono abbatissa, quæ prædictarum sanctarum virginum corpora e tumulis in orientalem novæ ecclesiæ plagam, pone altare beatissimæ Mariæ virginis, per Franconem Leodicensem episcopum x. kalendas Aprilis transferri curavit. Vastatum a Nortmannis anno octingentesimo octogesimo-primo Eikense monasterium, Richarius Leodicensis episcopus post annos quinquagiuta instaurare aggressus est, in eoque clericorum collegium sub abbate sæculari constituit, qui superiori patrum nostrorum sæculo Masacum ob metum Calvinistarum migrarunt. Acta sanctarum Harlindis & Reinulæ in litteras retulit auctor anonymus post medium sæculum nonum.

ANN. CHR. 746. VIII.

Aldebertus & Clemens iterum damnati in concilio Romano.

ANno insequente Bonifacius archiepiscopus Deneardum presbyterum, & quidem, ut puto, monachum, Romam ad Zachariam papam direxit, petiturus, ut damnatio Aldeberti & Clementis, in synodo Suessionensi facta, a pontifice confirmaretur. Ejus rei causa indictum ad diem vicesimam-quintam Octobris concilium in patriarchium Lateranense, ubi in frequenti episcoporum & presbyterorum consessu prædicti hæretici denuo damnati sunt. Bonifacius ea de re itidem scripserat Gemmulo seu Jammulo, ecclesiæ Romanæ archidiacono, cui per Deneardum munuscula quædam submiserat. Gemmulus, peracta synodo, Bonifacium de rebus in ea gestis certiorem [a] fecit, pollicitus se curam & sollicitudinem habiturum venerandarum sororum & ancillarum Dei, quas ille sibi commendaverat. Exstat una Bonifacii epistola ad Jammulum archidiaconum, nempe decima-octava; sed alia ab ea, cui Jammulus hoc loco respondet, haud dubie amissa. Quænam sint illæ ancillæ Dei seu monachæ Gemmulo commendatæ, non liquet. Forte una ex his est Bugga abbatissa, quæ Romam voti causa eo tempore profecta est, ut patet ex litteris [b] Ethelberti regis ad Bonifacium, cujus consilium hac de re postulaverat, scripta [c] ad eum epistola per amicum suum Denewaldum, qui tum ad Bonifacium ex Britannia majori pergebat.

a Bonifac. ep. 148.

b Ibid. ep. 40.

c Ibid. ep. 38.

Bonifacii consilium de peregrinationibus Romanis.

Communis est hæc epistola Eangythæ abbatissæ, & filiæ ejus Heaburgæ seu Buggæ, quæ ambæ jam de relinquenda patria, & de Romano itinere cogitabant ob multiplices causas, quas in epistola sua exponunt, nempe ob sæcularium rerum tumultus, quibus obnoxiæ erant; paupertatem & penuriam rerum temporalium, regis infestationem, amissionem amicorum & propinquorum suorum: quæ res earum animis imprimebant desiderium orbis dominam petendi Romam, sicut plurimi ex necessariis & cognatis fecerant, maxime ut delictorum suorum veniam illic impetrarent, adhortante ad hanc peregrinationem Wale, abbatissa quondam sua & matre spiritali, & filia unica, Bugga scilicet, ipsius Eangythæ filia. Sed quia multi ejusmodi peregrinationes improbabant, proferebantque synodales canones, quibus præcipitur, ut unusquisque in eo loco, ubi votum suum voverit, permaneat, ibique vota sua Deo reddat; ideo se rogare Bonifacium, ut suam hac de re sententiam ipsis aperiat. Scripta est hæc epistola Winfritho seu Bonifacio nondum episcopo, sed tantum presbytero, cujus responsionem ignoramus. Exstat quidem ejus argumenti epistola ipsius vicesima, sed jam episcopi, ad Buggan abbatissam, quæ matre sua mortua, idem animo consilium denuo agitabat. Respondet Bonifacius se hoc iter peregrinum nec interdicere, nec suadere audere. Si tamen in patria libertatem quietæ mentis nequaquam habere possit; satius esse, ut per peregrinationem acquirat libertatem contemplationis, qualem Wiethberga seu Wectburga soror sua, id est monacha, ad limina sancti Petri invenerat. At exspectandum esse, donec infestationes ac minæ Sarracenorum, quæ apud Romanos nuper emerserant, conquievissent. Postea sententiam mutavit Bonifacius de illis peregrinationibus, quas valde improbat in epistola [d] inferius citanda ad Cuthbertum episcopum Cantuariensem.

d Bonifac. ep. 105. V. infra. n. 19.

IX.

Tegernsensis monasterii origo.

Hic locus nos admonet quorumdam barbarorum, e transmarinis partibus effusorum in Italiam, quos a germanis duobus fratribus Adalberto & Otkario comitibus Francis, qui hoc tempore in Italiam ad conquirendas sanctorum reliquias profecti fuerant, suadente Zacharia pontifice, impugnatos, fusos ac domitos fuisse Quintus Metellus poëta in Quirinalibus auctor est. Quippe duo illi fratres direptam a transmarinis barbaris Urbem & patriam ulti esse dicuntur; atque in ejus facti præ-

ANN. CHR. 746.

mium sancti Quirini reliqnias a pontifice obtinuisse, quas in Tegernsensi monasterio, hoc anno ab se condito, deposuerint. Hoc monasterium, unum e præcipuis Bajoariæ, situm est ad lacum cognominem alpibus proximum, inter fluvios Iseram * & Ænum * in diœcesi Frisingensi, sanctis Petro & Paulo apostolis primitus dicatum, quibus deinde sanctus Quirinus martyr novus patroous accessit. Occasionem condendi cœnobii hanc fuisse Metellus, aliique tradunt. Pippini principatu duo germani fratres, ejus consanguinei, Adalbertus & Otkarius, alter Bajoariam, Burguodiam alter, comitis potestate regebant. Otkario filius unicus erat, Rochus nomine, in aula educatus, qui inter ludendum a filio regis interfectus sit. Fabulas narrare videor, sed post Metellum, poëtam quidem, sed non spernendum auctorem. Ita orbatus herede Otkarius, res suas in divinum cultum expendere constituit, atque ex his duo dotare monasteria, Tegernsense & Ilmioense: quorum alterum Adalberto fratri, qui fraterni luctus particeps mundo nuntium remiserat; alterum Audoni seu Utoni, sororio suo, regendum commisit. Ilmus vicus est satis amœnus medio fere intervallo Monachium inter & Ingolstadium, primarias Bajoariæ urbes. Necdum cucullam induerat Adalbertus, cum fratri ad Romanum iter se adjuogit. Patrata, ut præmisimus, de barbaris victoria, reliquias sacras in præmium referunt sanctorum martyrum Quirini, Arsacii, & Hippolyti. Quirini reliquiæ Tegernsensi monasterio concessæ; Arsacii Ilminensi, Hippolyti tertio monasterio, quod ambo fratres in diœcesi Pataviensi construxerant, sancti Hippolyti * nomine deinceps insignitom. Sacræ Quirini reliquiæ lapideo mausoleo in crypta inclusæ, inter bis geminas binc inde arcas aliorum Metello incognitorum. Tunc ambo fratres amplissimas possessiones præcipue Tegernsensi monasterio contulerunt, nihil sibi reliqui in Bajoaria facientes, præter centenos mansos, quos Altahensibus dedisse perhibentur. Hinc, gladiis suis aræ Tegerosensi impositis, abjectis trabeis & chlamyde, monasticas vestes ambo induerunt. Otkarius sibi prætulit Adalbertum fratrem, quo abbate sic floruit Tegernsensium fama & disciplina, ut monachorum numerus ad centum quinquaginta excrevisse dicatur. Dux provinciæ Arnaldus, ausus manus inferre in monasterii possessiones, morte scelus piavit. Instauratum sæculo decimo Tegernsense monasterium, bactenus inter alia ejus provinciæ cœnobia eminet. Ilminense ab Hungaris eversum, ab iostauratione traditum fuit sæcularibus canonicis, qui postea Monachium translati sunt. Erat sancti Quirini particula reliquiarum cum sancti Arsacii corpore in monasterio Ilminensi.

* Isar.
* Iln.

Ilminensis item & S. Hippolyti.
* S. Polten.

S. Quirini miracula.

Forte in Tegernsense monasterium venerat Aran seu Arno, post medium sæculum nonum Wirziburgensis episcopus, Megilonem abbatem, suum jam dudum amicum, invisurus, petiitque ab eo portionem sancti Quirini reliquiarum, cujus fama virtutum in Franciam orientalem diffusa erat. Reclusam & obsignatam esse arcam, nec temere aperiendam abbas reposuit: sed esse in Ilminensi monasterio particulam ejusdem reliquiarum, quam facile antistes obtineret. Ilmum itaque ambo contendunt: sed aperta capsula, lumen oculorum, & tantum-non vitam amittunt. Restituta vero in locum suum capsula, itum in preces: nec prius inde discessum, quam oculis lumen, & vigor sensibus denno rediisset. Mos erat apud Tegernsenses, ut infirmi pro reparatione appenderentur in statera cum panibus, caseolis, aliisque id genus donariis, in egenos distribueodis; & post septenas (necdum forte novenarum usus iovaluerat) in loco preces, salus passim ægris refundebatur. Ibidem etiam homicidii rei, qui circulis ferreis nexi ad loca sanctorum pænitentiæ causa circumire solebant, divinitus solnti memorantur a Metello Tegernsensi monacho, qui sancti martyris passionem, translationem, ac miracula multigenis versibus, a Canisio editis, medio sæculo undecimo cecinit. Ceterum quæ de Tegernsensis monasterii origine retulimus, auctoritatem habent a diplomate Ottonis secuodi, dato anno Domini
» nongentesimo-septuagesimo nono, quo in diplomate cœnobium Tegarinse duo ger-
» mani fratres & illustres comites, Adalbertus & Otgarius, temporibus Pippini re-
» gis Francorum condidisse perhibentur, & a sancto papa Zacharia corpore beati Qui-
» rini martyris impetrato venerabile reddidisse: ubi omni patrimonio suo contradito,
» ipsi, coma capitis deposita, monachico habitu suscepto, unus e duobus fratribus Adal-
» bertus centum quinquaginta monachorum primus abbas exstiterit. Hoc est monas-
» terium *Tegnauser*, quod dona & militiam regi debebat, ex constitntione Ludovici
» augusti.

ANN. CHR. 747.

X. Carolomannus princeps sæculo valedicit.

ILlustre alterum spreti sæculi exemplum nobis eodem tempore suppeditavit Carolomannus princeps, Pippini frater natu-major, qui hoc anno principatum abdicare, & mundo nuntium remittere, ac monasticen profiteri statuit, idque postero anno quadragesimo-septimo Romæ exsecutus est. Hujus propositi auctorem habuit Bonifacium archiepiscopum tunc Moguntinum, cujus consilio multa recte in suo principatu seu majoratu constituerat, maxime ad restituendos mores & ecclesiasticam disciplinam. Verum id consilii exsecutus non est ante mensem Martium, cujus die vicesimo-secundo, principatus anno sexto, termini monasterii Fuldensis definiti sunt. Exstant ejus rei litteræ in libro primo antiquitatum Fuldensium, a Carolo Cointio ad hunc annum relatæ, quibus post Bonifacium Burchardus episcopus Wirziburgensis, Sturmius abbas, aliique, signo crucis apposito, subscribunt. Carolomannus Romam monasticæ professionis causa discessurus, Pippino fratri liberos suos commendat, in primis Drogonem natu-maximum, quem Austriaci principatus successorem designaverat. Drogonem hac potestate aliquamdiu sub patrui tutela potitum fuisse intelligimus ex Bonifaciana epistola quadragesima-secunda ad Andhunum abbatem, in qua scriptor epistolæ anonymus postulat sibi « aliquid indicari de « suo episcopo, an ad synodum ducis occidentalium provinciarum, id est Pippini, « perrexisset; an ad filium Carlomanni, qui orientalibus provinciis præerat. Verum non diu penes Drogonem steterit principatus ille, quem brevi Pippinus sibi vindicavit, tonsis Carolomanni filiis, ut docent Petaviani annales; nec multo post ipse in regnum Francorum, quod jam regia potestate & auctoritate administrabat, relegato in Sithiense monasterium Childerico, sublimatus est. Quæ causa Carolomannum ad sæculi contemtum impulerit, non satis exploratum. Walafridus Strabo [a] id factum ait *ob amorem regni cælestis, & causa vitæ quietioris.* Aliam afferunt causam annales Masciacenses apud [b] Labbeum, « nempe quod anno superiore in Alamannico « bello multa hominum millia occidisset: qua de re compunctus regnum reliquerit. Certe Fredegarii continuator testatur, « Carolomannum principatus sui anno sexto « Alamannis bellum intulisse, & cum magno furore, quod ipsi fidem fefellissent, in « eorum regionem ingressum, plurimos eorum gladio trucidasse. quibus gestis, de- « votionis causa, divino instinctu succensus, principatu una cum filio suo Drogone « manibus germani sui commisso, ad limina beatorum apostolorum Petri & Pauli profectus sit, in monachorum ordine perseveraturus. Porro Carolomanni secessum hoc anno reponunt annales Fuldenses, nec citius collocare licet, cum litteræ de finibus Fuldensis monasterii mense Martio ejusdem anni a Bonifacio conditæ sint, Carolomanno adhuc principe.

a Walafrid. de mirac. S. Galli c. 11.

b Biblioth. nova to. 1. p. 734.

XI. S. Galli monasterium instaurat.

Walafridus [c] Strabo auctor est, Carolomannum, dum causa quietioris vitæ Romam tenderet, ad sancti Galli monasterium causa orationis accessisse; eumdemque loci miraculis celebris tenuitatem miseratum, fratri scripsisse, ut sui amoris intuitu eidem monasterio quoddam regiæ largitatis solatium impendere dignaretur. Hujus rei causa Othmarum abbatem Pippinum adiisse, qui, accepta fratris epistola, *libellum, quem Benedictus pater de cænobitarum conversatione composuerat, eidem abbati tradiderit* cum regiis donis, præcipiens, ut illic regularis vitæ ordinem ad supplendas beati Galli excubias institueret, quod hactenus propter monachorum paucitatem accurate fieri non potuerat; ob idque assignans tributarios ex eodem pago ad construendas necessarias fratrum officinas, & ad eorum victum annua vectigalia, concesso etiam campano ad sancti loci usum & ornatum. quibus de rebus diploma conscribi jussit. Addit Walafridus, ex eo tempore monasticæ vitæ in cœnobio sancti Galli exordium cœpisse, ac *cænobitali dignitate adornatum*, deinceps augmentum ac profectum accepisse in dies ad suum usque tempus, id est ad medium sæculum nonum; atque Victorem comitem Rætiæ-Curiensis, qui sancti Galli corpus inde auferre moliebatur, ab ejus infestatione loci cælitus repressum. Quinam fuerit libellus [d] ille sancti patris Benedicti de conversatione cœnobitarum a Pippino traditus Othmaro abbati, non bene capio. Id potius intelligendum videtur de libello, qui inscribitur *Ordo conversationis monasticæ*, quam de regula sancti Benedicti, cui etiam libellus ille a multis tribuitur. Sane verba, quibus usus est Walafridus, potius libellum illum, quam regulam designant. Quod si ita est, libellus iste tribui non potest, ut nonnullis tribuendus videtur, Benedicto Anianensi, quem Pippinus tempore præcessit.

c Ubi supra.

d V. lib. 19. n. 12.

ANN. CHR. 747.

XII. *Romæ fit monachus.*

Digressus e sancti Galli monasterio Carolomannus, Romam cum honestissimo Francorum comitatu ad Zachariam pontificem concessit, multaque eximia dona beato Petro apostolo obtulit, in his majorem arcum argenteum librarum septuaginta, suspendendum ante ejus monumentum. Ibi studio religionis accensus, mutata veste, a Zacharia pontifice tonsus, *clericatus*, ut verbis Anastasii utar, id est monachatus, jugum ab eodem suscepit. Id clare explicat Eginhardus, apud quem Ca- » rolomannus conversationis contemplativæ amore Romam se contulisse dicitur, ibi- » que habitu permutato *monachus factus* fuisse. Exstat haud ita procul ab urbe mons Soracte, Apollini quondam sacer, quem sancti Silvestri montem appellant, quod in eo sanctus Silvester tempore persecutionis Maxentianæ delituisse dicatur. Eum in montem, suadente Zacharia, secessit Carolomannus, ibique ad sancti Silvestri basilicam monasterium adjunxit, ubi aliquamdiu optata quiete perfruitus est. Verum post breve inde tempus nobilium Francorum, qui Romam voti causa commeabant, & dominum quondam suum insalutatum præterire nolebant, frequentia offensus, locum reliquit, & in Casinense monasterium, fama ac religione celeberrimum, se recepit, optata quiete fruiturus.

Soracte monasteria condit.

Legimus quoddam chronicon Benedicti monachi Soractensis, sæculo decimo scriptum, in quo Carolomannus ad monasterium Soractis jam conditum secessisse dicitur, ibique ad radicem montis in loco, nomine Amariano, ædificasse monasterium in honorem beati Stephani martyris, ubi cum aliquot fratribus commoratus sit. Ad hæc aliud item cœnobium ad radices montis Grisianelli, juxta castrum Babianum, condidisse sub patrocinio beati Petri apostolorum principis & sancti Benedicti, & sub titulo sancti Andreæ, comparatis plurimis fundis, quos auctor ille recenset, & monasterio sancti Andreæ attributis. Denique absoluto hoc monasterio, cunctisque rebus necessariis instructo, ut vidit mores gentis ac fratrum sui monasterii non bene cum suis congruere, inde discessisse ad Samnii provinciam in monasterium sancti Benedicti, positum in monte Casino, ibique permansisse. Id confirmat Pauli papæ epistola [a] ad Pippinum Francorum regem, cui pontifex concedit monasterium beati » Silvestri, cum aliis tribus ei subjacentibus, id est beati Stephani, atque beatorum » Andreæ, & Victoris, cum omnibus ad ea pertinentibus, pro sustentatione peregri- » norum, & alimoniis Christi pauperum, atque monachorum illic spiritalem vitam » degentium. Postea hoc ipsum monasterium Pippinus restituit eidem Paulo pontifici, qui hoc subjecit [b] novo cœnobio sancti Stephani papæ & martyris & sancti Silvestri, Romæ in ædibus suis a se constructo, ubi corpus sancti Silvestri deposuerat.

Casinum se recepit.

a *Chesnii to. 3. p. 725. ep. 12.*

b *ibid. ep. 16.*

Non multo tempore Carolomannus versatus est in monte Soracte, quippe qui jam Casini degebat ante annum ejus sæculi quinquagesimum-primum, quo Pippinus ipsius frater rex Francorum dictus est. Argumento sit istuc Zachariæ pontificis epistola ad omnes sacerdotes & presbyteros Francorum, rogatu Optati Casinensis abbatis & Carolomanni monachi scripta, qua eos hortatur ad pacem reformandam inter Pippinum *excellentissimum majorem-domus*, & Grifonem ejus fratrem, & ad restituendum Casinatibus corpus sancti Benedicti. Petronacem abbatem Casino tum præfuisse, cum eo Carolomannus accessit, Leo Marsicanus auctor est. Optatum præferunt annales Mettenses, qui anno supra septingentesimum quinquagesimo Petronaci succedere potuit, si annos triginta duos regiminis Petronacis ab anno duodevicesimo, quo Casinum primum accessit, numeremus.

XIII. *Varie probatur.*

Casinensis abbas, sive is Petronax fuit, sive Optatus, variis modis Carolomanni patientiam probasse dicitur. Si Leoni Marsicano credimus, is primum ovium gregi pascendo adhibitus est. quod humile ministerium dum ille sedulo exsequitur, forte aliquando in latrones incidit. Hos ab ovium rapina compescere pro viribus cum tentaret, vir pristinæ strenuitatis haud oblitus; illi hominem deinminime repugnantem exspoliant, nudumque destituunt. Sic reversus in monasterium, abbati & monachis quid sibi acciderit narrat. Tum abbas, vera an simulata esset ejus patientia, experturus, acriter eum increpare, segnem ac stolidum appellare. quod cum Carolomannus modeste, ac nullo reddito verbo, tulisset, pecoris curam resumere jubetur. Forte quondam oves citato cursu agens, ut ad horam constitutam posset occurrere, claudicantem oviculam humeris imposuit, & in caulam cum aliis revexit. Abbas tanti viri demissionem ac patientiam admiratus, eum ab ovium custodia cessare, & horto excolendo insudare præcepit. quod ille, uti cetera, haud segniter

ANN. CHR. 747.

exsecutus est. Neque id insolitum apud majores nostros, ut viri etiam principes gravibus humilibusque ejusmodi officiis occuparentur. Sic Adalhardo, qui & princeps erat, in Corbeiensi monasterio horti excolendi; sic Ratchiso itidem Langobardorum regi vineæ apud Casinates excolendæ cura demandata. Aliud factum de Carolomanno circumferri solitum narrat Regino abbas Prumiensis. Ea lex est regulæ Benedictinæ, ut nullus fratrum a coquinæ officio excusetur. Cum ex monasterio Soractensi ad Casinense ignotus cum uno socio accessisset Carolomannus, dum culinæ vice sua humillime fungitur, sed artis culinariæ ignarus in multis offendit; coquus, igne potius quam mero fervens, ei colaphum impingit. Carolomannus nihilo commotior: Tibi, inquit, ignoscat Deus, & Carolomannus. Iterum eidem eamdem ob causam iterum se se pulsanti eadem precatus est. Cum vero tertio atrociter a coquo cæsus esset; Francus alter ipsius comes, facti indignitate commotus, rapto pistillo coquum repercussisse fertur, exclamans: Nec tibi Deus parcat, serve nequam, nec Carolomannus ignoscat. Id ubi rescivit abbas, Francum custodiæ mandari jubet, ac sequenti die coram omnibus eductum interrogat, cur ita fratrem ministrum pulsavisset. Ille id a se ita factum respondit, quod servus nequam virum, omnium mortalium optimum ac nobilissimum, non solum verbis dehonestare, sed etiam plagis afficere ausus esset. Hunc quippe esse Carolomannum, quondam principem Francorum, qui Christi amore principatum ac pompam sæculi abjecerat: quo audito, monachi supplices veniam facti postulant; atque ita demum cognitus omnibus, cum magna est reverentia observatus in posterum. Sunt qui hæc pro vanis fabellis habent, parum veri simile rati, tantum ac talem virum Casinense monasterium cum unico adiisse comite, eumque velut ignotum ibidem latere potuisse, quem sua magnitudo, priorque fortuna proditura fuerit vel invitum. Mihi vero hæc, uti produntur, breviter exposuisse sufficit, judicio æquis lectoribus permisso. Venit in mentem hoc loco id, quod legere memini in libello de vita beati Amedei Altæ-cumbæ comitis, cui ad conversionem cum sociis venienti Johannes Bonævallis apud Viennenses abbas objecisse traditur: *Non est nostri moris Ordinis quippiam relaxare nobilibus viris. Ingenuus servo non præfertur in Ordine nostro. Si vero recipimus, subulcos constituemus: tondebitis oves, hortum stercorabitis. Omnes cogitate.* Hæ leges in schola humilitatis, nobilibus cum primis necessariæ.

XIV. Bonifacius dissidet a Virgilio.

Orta est hoc tempore simultas Bonifacium inter ac Virgilium religiosum presbyterum non unam ob causam. Prima erat circa vitiosam baptismi formam, qua presbyter quidam imperitus usus erat, baptizans *in nomine Patria, & Filia, & Spiritua sancta*. Bonifacius invalidum ejusmodi baptismum, Virgilius cum Sidonio quodam validum esse contendebat. Re delata ad Zachariam pontificem, secundum Virgilium lata est sententia, cui protinus Bonifacius acquievit. Ortæ deinde aliæ, ut fit, inter eos controversiæ. Virgilius accepta lætus sententia, Romam hoc anno profectus est. Inde reversus in Bajoariam, statim jactavit sibi concessum esse a pontifice, ut moriente uno e quatuor Bajoariæ episcopis, ipse in demortui locum succederet; ob idque Odilonis ducis gratiam occupaturus, adversus Bonifacium, quem sibi adversaturum timebat, in ducis animum discordiæ scintillas insinuabat. Re comperta, Bonifacius per Burchardum Wirziburgensem episcopum scriptis ad pontificem litteris questus est, quod ille discordiam inter se & Odilonem ducem disseminaret, & prava quædam sentiret de altero mundo, qui altero sole & altera luna illustraretur; jactaretque se a pontifice designatum episcopum primæ sedis in Bajoaria vacaturæ. Postremum negavit pontifex: de aliis duobus corripiendum Virgilium respondit; &, si in errore contumax esset, sacerdotii honore privandum. Baronius, Marcus Velserus, aliique post eos, hunc esse Virgilium existimant, qui post Johannem factus est episcopus Saltzburgensis: Carolus Cointius duos statuit Virgilios, unum, qui cum Bonifacio rixatus sit; alterum, qui Johanni in sedem Saltzburgensem successerit. Probabilior mihi videtur communis sententia, nec sufficiens causa duos distinguendi Virgilios. Unus [a] itaque Virgilius, natione Scottus seu Hibernus, qui forte cum Sidonio ex patria in Germaniam accessit ad Bonifacium, atque ab eo in Bajoariam prædicandi causa evangelii missus. Post quasdam altercationes reditum in gratiam, ut inter bonos solet, neque ullum deinceps ejus dissensionis vestigium apparet toto illo septennio, quo Bonifacius supervixit.

[a] V. infra lib. 23. n. 25.

XV. Sidonius abbas Augiæ & episcop Constantiensis.

Alius sine dubio fuit Sidonius monachus, qui anno superiore Augiæ abbas simul &

ANN. CHR. 747.

episcopus Constantiensis creatus est. Carolus Cointius ejus episcopatus initium differt in annum sequentem, fretus Hermanni monachi editione Pistoriana, eumque ex abbate factum episcopum existimat. Verum eruditorum aliorum judicio præferenda est editio Canisiana, in qua Sidonius abbas simul & episcopus anno quadragesimo-sexto institutus memoratur his verbis: *Sidonius Augiæ monachus, quintus ei loco abbas, Constantiæque episcopus factus, præfuit annis tredecim.* Hermanno subscribit Hepidanous. Sane eum anno prædicto Augiæ abbatem factum fuisse manifeste colligitur ex Walafridi versibus de somnio Wettini, in quibus Augiensium abbatum series hoc modo instituitur. Pirminio primo Augiensis monasterii auctori & abbati, qui anno vicesimo-septimo in exsilium pulsus est, successit Etto in annos septem, hoc est ad annum tricesimum-quartum: Ettoni Geba sacerdos in biennium: & post eum Ermenfridus abbas per *bina lustra*, hoc est ad annum quadragesimum-sextum. Sidonius episcopus longe iniquior fuit in sanctum Othmarum cœnobii sancti Galli abbatem, quem falsis criminationibus a Warinn & Ruadhardo Alamanniæ comitibus oneratum damnavit, & in exsilium egit, ejusque locum invasit. Comites illi sua potestate abutentes, cum res ecclesiarum in suum dominium convertissent, etiam sancti Galli possessiones sibi vindicare moliebantur. Injustæ molitioni obsistens Othmarus, Pippinum majorem domus adiit, eique tyrannicam eorum vexationem exposuit. Hos ad se vocatos Pippinus acriter corripuit, rerumque ablatarum restitutionem sub gravi interminatione fieri jussit. At illi reversi, jussione posthabita, Othmarum in vincula conjiciunt, eique per Lambertum quemdam pseudomonachum turpis sceleris crimen imponunt. Dum in palatio Potamo inclusus teneretur abbas sanctus, Sidonius hac occasione usus, instigantibus prædictis comitibus, monasterium S. Galli episcopatui adjunxit, eisdemque comitibus quædam prædia in beneficium concessit, itidemque Miloni ejus loci advocato data quadam villa gratificatus est. Hunc primum lego monasterii advocatum. Verum quam male demum hæc vexatio Sidonio cesserit, inferius eventus docebit.

S. Othmaro abbati infestus.

XVI. Wigbertus abbas Fritislariensis obit.

Hunc annum haud excessit Wigbertus abbas Fritislariensis, contra quam sentit Cointius, ejus obitum summovens in annos septem, repugnante inter alios Lamberto Scafnaburgensi, qui hoc ipso anno quadragesimo-septimo Wigbertum decessisse testatur. Lamberto præiverat Servatus Lupus in libello de ejus vita, in cujus præfatione ait se hæc scribere *octingentesimo tricesimo sexto anno dominicæ incarnationis*, atque *ante nonaginta annos acta* repetere. Certe ex Liudgeri scriptione de vita Gregorii Trajectensis abbatis constat, Wigbertum & Burchardum ante Bonifacium obiisse. Id vero luculenter probat ipsius Bonifacii epistola decima-septima, qua post Wigberti
» abbatis obitum Fritislariensis monasterii familiam ita disponit, ut Wigbertus pres-
» byter & Megingordus diaconus regulam monachis insinuent, & magistri sint infan-
» tium; Hiedde sit præpositus, & servos admoneat & Hunfridus adjuvet illum;
» Stirme in coquina sit, & Bernhardus operarius ejus domunculas ædificet. De ceteris Tatwinum abbatem consulendum monet. Wigbertus presbyter, hic laudatus, alius erat a Wigberto abbate, de quo agitur hac in epistola, inscripta carissimis filiis Tatwino & Wigbertho presbyteris, Bernhardo, Hiedde, Hunfritho, & Stirme,
» quos hortatur Bonifacius, ut eo majore cura monasterialis normam vitæ custodire studeant, *quo pater vester*, inquit, *Wigbertus defunctus est*. quod non de Wigberto Nutscellensi Britanniæ insulæ abbate, sed de Fritislariensi intelligendum esse constat. Cujus loci abbas fuerit Tatwinus, incertum, forsan Ordorfensis monasterii, aut Hersfeldensis. Stirme hic non confundendus cum Sturmi seu Sturmio abbate Fuldensi. Megingordus post Burchardum promotus est ad episcopatum Wirziburgensem. Ei, dum viveret, hæc solemnis consuetudo erat, ut, cum a quolibet fideli rogatus *confessionem auditum* pergeret, non temere cum quibusvis sermonem consereret, salutationibusque vacaret; sed morarum impatiens, confestim ad monasterium redire festinaret. Forte aliquando, dum rem divinam de more faceret, vinum, *sine quo sanguis Domini non conficitur*, incertum quo casu, defuit. Tum ille ecclesiam egressus, pendentem in vite botrum vellit, ejusque liquorem in calicem expressit, excepto uno grano ex attritu illæso, quod ante ecclesiam pactum intra novem annos tot propagines jecit, ut gratissimæ porticus tecta præbuerint. Ex Ordorfensi monasterio, cujus mores correxit, ad suum Fritislariense reversus, quod supererat vitæ quasi feriatus exegit; & veluti repuerascens atque juvenescens, præte-

ANN. CHR. 747.

ritorum secundum Apostolum oblitus, rudimenta denno sanctitatis & artissimi certamina propositi, quasi nihil hactenus egisset, strenue aggressus est. Quamvis autem corpus illius graviori morbo urgeretur, nihil sibi laxamenti aut lautioris cibi indulgebat; tametsi alios, qui sibi remissius in morbis consulerent, nequaquam culpandos arbitraretur. Dum in extremis esset, avis quædam specie pulcherrima supra exspirantis corpus, ad indicium vitæ ejus mundissimæ, ter advolasse visa est. Ejus corpus ante Fritislariensem ecclesiam sepultum fuit in conditorio nullius ambitionis, miraculis subinde illustratum; postea ob metum Saxonum translatum in vicinum opidum Buriburgum, fluvio ac valle interjectis discretum a Fritislaria, quæ non eo in loco, ubi nunc cernitur, utramque Adranæ ripam ponte jungens, sed ea regione situm erat, cui nomen *Frauve-munster*, versus Fuldam & Visurgim amnes. De altera sancti Wigberti corporis translatione in monasterium Hersfeldense suo loco agendum. Librum de gestis ejus composuit Lupus, nondum abbas Ferrariensis, eumque Buno abbati Hersfeldensi nuncupavit anno Christi, ut diximus, octingentesimo tricesimo-sexto.

XVII. Bonifacii epistola ad Ethelbaldum regem. a *Bonifac. ep.* 19.

Hoc fere tempore Bonifacius archiepiscopus ad Ethelbaldum Merciorum regem epistolam [a] scripsit cum coepiscopis suis, Wera, Burchardo, Warbertho, Abele & Wilibaldo, eumque hortatus est ad errata corrigenda, quæ in regno ejus plurima perpetrabantur. Initio ei gratulatur de prosperitate, eleemosynis, aliisque operibus bonis; quod furta, rapinas, perjuria, multasque iniquitates prohibeat, defensor viduarum & pauperum: sed hanc malæ æstimationis famam de eo circumferri « subdit, quod numquam legitimam in matrimonio uxorem duxisset, non causa casti- « tatis, sed vagæ libidinis. quod Bonifacius magnopere reprehendit, eumque ad resi- « piscentiam hortatur, tempus esse dicens, ut multitudini pereuntis populi parcat, « quæ sequendo exempla peccantis principis, in puteum mortis cadebat. Hanc sibi « noxam genti Anglorum in Francia & Italia, immo ab ipsis etiam paganis impro- « perari; timendumque, ne illi eamdem cladem incurrant, quæ Hispaniæ, Provin- « ciæ, & Burgundionum populis divina animadversione a Sarracenis nuper inflicta « fuerat. Ad hæc sibi nuntiatum esse, quod multa ecclesiarum & monasteriorum pri- « vilegia infregisset, quæ a tempore Augustini ad tempora Ceolredi & Osredi regum « inviolata permanserant; & quod facultates ex sacris illis locis abstulisset. quod præ- « fecti & comites ejus majorem violentiam ac servitutem monachis & sacerdotibus ir- « rogarent, quam ulli ante eum christiani reges. Verendum porro esse, ne similis eum « pœna maneat, quæ Ceolredo antecessori suo contigit, quem una cum suis comiti- « bus splendide epulantem malignus spiritus in amentiam converrit, ut sine pœniten- « tia & confessione furibundus de hac luce ad tormenta inferni migraret. Eidem « etiam exponit funestum excessum Osredi Deirorum & Berniciorum regis, qui ob « stupra nonnarum & sacratarum virginum adhuc juvenis infanda morte perierat. « Hanc epistolam Ethelbaldo regi in manus tradi curavit Bonifacius per Herefridum presbyterum, quem litteris [b] rogat, ut eam regi recitet ac interpretetur, utpote qui hominem non timeat, cum de causa Dei agitur, ejusque monita rex ipse aliquando benigne audiat. Huic epistolæ subscripserant octo episcopi, qui ad unam synodum paullo ante convenerant, iidem scilicet, qui in epistola ad Ethelbaldum cum Bonifacio inscripti reperiuntur. qui locus intelligi non potest de synodo Germanica, cui non iidem omnino episcopi interfuisse memorantur, ut ex nominum [c] collatione manifestum est. Certe synodi Germanicæ tempore necdum episcopus erat Abel in superiori laudatus epistula, quippe qui nonnisi post annos tres in sedem Remensem promotus fuit in synodo Suessionensi. Hanc epistolam tantum compendio retulit Willelmus [d] Malmesburiensis, excusans brevitatem, quod ad historiæ ordinem festinantibus velocitate dictionis consulendum erat. Eamdem excusationem mihi quoque afferre licet, quod rarissime integra monumenta in decursu annalium proferam, ne aut voluminum moles, numerusve nimium crescat, aut narrationis series passim interrumpatur.

b *Id. ep.* 10.

c *Sup. lib.* 21. *n.* 61.

d *Willelm. lib.* 1. *c.* 4.

XVIII. Alia ejusdem epistola ad Cuthbertum episcopum. e *Bonifac. ep.* 105.

Ad idem tempus referenda est ejusdem Bonifacii epistola [e] ad Cuthbertum archiepiscopum Cantuariensem, in qua eum de corrigendis pariter Anglorum vitiis, & convocanda hanc in rem synodo admonet, eidemque compendium synodi Germanicæ submittit. Ex variis monitis unum est, viris probatissimis opportunum videri consilium, si synodus & principes mulieribus & velatis feminis interdicerent fre-

AN. CHR. 747.
» quentes illas ad Romanam urbem [a] concursationes, propterea quod magna ex par-
» te earum pudicitia periret, paucis remanentibus integris: adeo ut in plerisque ci-
» vitatibus Langobardiæ, Franciæ & Galliæ, ejusmodi prostibula ex gente Anglorum
» cernantur, in maximum scandalum & propudium totius ecclesiæ. Illud deinde re-
» darguit, quod reges, præfecti, comites, aliique laïci præpotentes, per vim mona-
» steria rapiant de potestate episcopi, abbatis, aut abbatissæ; atque in suam domina-
» tionem redigant monachos, eorumque facultates Christi sanguine comparatas. Dein-
» de vestium luxum corrigendum monet, atque ebrietatis vitium, quod peculiare est
» paganorum & suæ gentis hominum, cui nec Franci, nec Galli, nec Longobardi,
» nec Romani, nec denique Græci obnoxii sint. In fine queritur de violenta mona-
» chorum servitute in operibus & ædificiis regalibus, qualis toto in orbe christiano
» haud facta auditur. Huc spectat decretum Ethelbaldi regis in superiori concilio [b]
Cloveshoviensi, in quo ecclesia declaratur libera ab omnibus sæcularibus servitiis,
exceptis expeditione, militari scilicet, *pontisque & arcis constructione*.

a V. supra num. 8.
b Supra lib. 21 n. 69.

XIX. Cloveshoviense concilium.

Bonifaciana hæc epistola occasionem præbuit convocando ex tota fere insula Clo-
veshoviensi concilio, in quo plerisque erratis illis obviam itum est. Nihil tamen sta-
tutum de peregrinationibus Romanis, quæ gentis illius animo ac genio altius infixæ
erant, quam ut facile evelli possent. In hac synodo multa de monasteriis, mona-
chisque ac sanctimonialibus decreta sunt, observatione digna. In primis canone
» quarto definitum, ut episcopi in suis quique parochiis moneront abbates & abba-
» tissas, ut se ipsos exemplum bene vivendi exhibeant, ac sibi subjectos ad regularem
» vitam agendam adducant; sic tamen, ut non instar servorum, sed filiorum eos ha-
» beant, necessaria eis suppeditando secundum morem monasticæ disciplinæ, prout
» facultates ipsis suppetebant: atque ut præpositi, præpositæque monasteriorum,
» procurandis temporalibus vacantes, munus sibi injunctum fideliter dispensent, ca-
» veantque ne quidquam ex rebus monasterii subripiant. Canone quinto provisum est,
» ut episcopi consulerent novi generis monasteriis, quæ sæculares quidam sibi ædifica-
» verant ad se eximendum publicis oneribus, ut alias [c] explicatum est.

c Supra lib. 21 n. 26.

» Canone septimo, ut episcopi, abbates, & abbatissæ diligenter curent per fami-
» lias suas lectionis studium accurate observari. nam dictu dolendum esse, quod tunc
» perpauci invenirentur, qui ex animo sacræ scientiæ darent operam, & vix ulli quid-
» quam laboris ad discendum vellent insumere: quin potius a juvenili ætate vanis &
» inanibus rebus occuparentur, præsenti vitæ fluxæ & instabili amplius, quam sacra-
» rum scripturarum lectioni ac scientiæ addicti. Proinde ejusmodi coërcendos, exer-
» cendosque in scholis pueros, & inflammandos ad sacræ scientiæ amorem, ut eru-
» diti demum fiant ad omnimodam ecclesiæ utilitatem. Denique monendos rectores,
» ne sic terrenis negotiis se dedant, ut domus Dei defectu spiritalis cultus omnino
» vilescat.

» Quartus-decimus canon sancit, ut dominicus dies legitima veneratione a cunctis
» celebretur, sitque divino tantum cultui dedicatus: omnesque abbates ac presby-
» teri isto sacratissimo die in suis monasteriis & ecclesiis maneant, missarumque sol-
» lemnia agant; omissisque exterioribus negotiis ac sæcularibus conventibus atque
» itineribus, nisi causa inexcusabilis urgeat, religiosæ conversationis ac bene vivendi
» normam, sacræ scripturæ doctrinam sibi subjectis prædicando, insinuent.

» Decimo-septimo præcipitur, ut dies natalitius beati papæ Gregorii; & dies quo-
» que depositionis, qui est VII. kalendas Junii, sancti Augustini archiepiscopi & con-
» fessoris, qui ad gentem Anglorum apostolus a prædicto papa Gregorio missus est,
» honorifice celebretur, ita ut uterque dies ab ecclesiasticis & monasterialibus feria-
» tus habeatur; nomenque ejusdem beati Augustini in litaniæ decantatione post sancti
» Gregorii invocationem semper dicatur.

» Nono-decimo præceptum est, ut monachi seu *nunnones*, id est sanctimoniales, suo
» majori legitime instituto humiliter subjaceant, & quietam ac regularem vitam abs-
» que dissensione agant; nec pompaticis sæcularium more utantur indumentis, sed
» simplici habitu, suoque proposito congruente.

» Vicesimo episcopis curandum præcipitur, ut sint monasteria, juxta vocabulum
» suum, honesta silentium, quietorum, atque pro Deo laborantium habitacula; non
» vero ludicrarum artium, hoc est poëtarum, cytharistarum, musicorum, scurrarum
» receptacula; sed orantium, legentium, Deumque laudantium. Neque liceat sæcu-

laribus

AN. CHR. 747.

laribus per inconvenientia sibi loca, seu per interiora monasterii discurrere ac vagari, ne materiam aliquando reprehendendi inde sumant, si qua, contra quam decet, intra claustra videant, audiantve. Nempe valde noxiam esse hanc laïcorum familiaritatem, maxime in *nunnonum* seu sanctimonialium minus regulariter conversantium monasteriis: ubi multæ inde suspicionum causæ, immo & culpæ oriuntur in suæ professionis infamiam. Decere itaque, ut sanctimonialium domicilia sint continentium, sobrieque viventium ac legentium & psallentium habitationes; magisque legendis libris, vel canendis psalmis, quam texendis & plectendis vario colore inanis gloriæ vestibus studeant operam dare. Non tamen improbandæ omnino in sanctimonialibus texendi, aliæque similes artes, dummodo ad ecclesiæ ornatum, aut laudabilem usum insumantur; non vero ad munuscula conficienda, quæ, præterquam quod religiosæ paupertati minime conveniunt, vanæ occupationis loco, ne quid amplius dicam, haberi debent.

Vicesimus-secundus monet monasteriales quosque & ecclesiasticos, ut communioni corporis & sanguinis Domini dignos se *indesinenter* præparent; & ut ipsi rectores diligenter animadvertant, ne quis de subditis suis tam perdite vivat, ut ob culpas altaris participatione excludi mereatur, nec sua confiteri, aut emendare curet peccata.

Vicesimo-quarto sancitum est, ut si quis sæcularium sanctæ professionis, id est monasticæ, statum subire cupit, non antea tonsura insigniatur, quam illius vita & mores probentur *secundum monasticæ* [a] *regulæ definitionem*, juxta Apostoli præceptum dicentis, *Probate spiritus si ex Deo sint*; nisi aliqua probabilis causa suadeat, eum antea in congregationem suscipi & admitti. Ceterum unumquemque ante cœnobialem conversationem seu professionem, adhuc in laïco habitu constitutum, eo diligentius tentari ac probari debere, quo post susceptionem eum tolerari, qualiscumque demum fuerit, necesse sit; nec ullo modo abjicere qualibet ex causa, nisi talis sit, qualem, si id contingat, a synodali decreto expellendum esse definitum est, utique anathematizandum ab omnibus ubique locorum, nisi ad satisfactionem & resipiscentiam redeat. Ubi observandum est, novitios ex regulæ nostræ præscripto tunc in laïco habitu usque ad professionem perseverasse; nec ejici posse professos, nisi ea causa subesset, quæ synodi judicio digna visa fuisset expulsione.

Vicesimo-octavo, ut in locis sacris major congregatio non recipiatur, quam loci facultas ferat; & vestibus consuetis, juxta formam majorum, tam clerici quam monachi, deinceps utantur; non crurum fasciolis, aut cuculis capiti sæcularium more circumdatis. Idem sancitum de sanctimonialibus, quibus semel a sacerdote velatis, & sanctæ professionis indutis habitu, cum ornatis ac nitidis vestibus, instar laïcarum puellarum, incedere non licet: cum e contrario studere debeant accepta servare vestimenta, quæ pudicitiam, humilitatem cordis & contemtum mundi significant; ac sollicite cavere, ne illarum adspectu aliorum corda polluantur; atque ex hoc reæ coram Deo fiant.

Vicesimo-nono denique capitulo decretum est, ut ne clericis, monachis aut sanctimonialibus in domibus sæcularium posthac habitare liceat; sed hi repetant monasteria, ubi primitus nomen sanctæ professionis sumserant, ex quibus sive sponte exierant, sive aliorum violentia disturbati, ut in plurimis locis factum constat. Si qui autem cum permissu in aliud monasterium adscripti fuissent, in posteriorem locum reverterentur.

XX. Martyrologium Romanum, & pœnitentiæ redemtio.

Præter hæc statuta, quæ ad res monasticas in illo concilio pertinent, duo nobis observanda veniunt in præsens ad ecclesiasticam disciplinam. Unum est ex capitulo seu canone tertio-decimo, in quo inter alia statuitur, ut per circulum totius anni natalitia sanctorum uno eodemque die *juxta martyrologium Romanæ ecclesiæ* cum cantu sibi convenienti recolantur. quo ex loco alias [b] mihi visum est inferendum, in usu jam tum fuisse in ecclesia Romana peculiare martyrologium, illud ipsum scilicet, quod designat Gregorius Magnus in epistola [c] ad Eulogium episcopum Alexandriuum, & quod *venerabile & perantiquum martyrologium* vocat Ado, qui eo usus est ad martyrologium suum concinnandum, contra quam vir clarissimæ memoriæ Henricus Valesius opinatus fuerat. Alterum desumo ex capitulo vicesimo-sexto, in quo reprobatur *nova adinventio* seu consuetudo periculosa, qua fiebat eleemosyna ad minuendam vel commutandam satisfactionem, per jejunium & reliqua ex-

[a] S. Bened. reg. c. 58.

[b] Præfat. 2. in Sæc. 4. n. 174.

[c] Greg. lib. 7. ep. 29. ind. 1.

AN. CHR. 747.

» piationis opera fieri solitam ex canonum præscripto. Nam bonum est omnino, in-
» quiunt patres, psalmodiæ insistere; bonum est genua sæpius flectere, bonum est elee-
» mosynas quotidie dare: sed pro his non est abstinentia remittenda, nec jejunium
» relaxandum semel impositum secundum ecclesiæ regulam, *sine qua non remittantur*
» *ulla peccata*. & capitulo sequenti redarguitur factum cujusdam divitis, qui pro ma-
» gno quodam facinore ejusmodi expiationem ita sibi commutatam aiebat, ut, si dein-
» ceps trecentorum annorum spatio vivere posset, per aliorum psalmodiam, jejunium
» & eleemosynas pro se satisfactum esset, quamvis ipse vix paullulum jejunaret. Ergo,
» inferunt patres, si ita placari per alios potest divina justitia; cur divites, ô stulti pro-
» missores, qui pro suis flagitiis aliorum jejunia suis possunt redimere præmiis, diffi-
» cilius, voce Veritatis, regnum intrare cælorum, quam per foramen acus camelum
» transire dicantur? Hæc de concilio Cloveshoviensi satis ad hunc locum.

XXI. *Wandoni abbati Fontanellæ suffectus Austrulfus.*

In Gallia Wando abbas Fontanellensis cum post resumtum ab annis quinque regimen præ senio lumen oculorum amisisset, in venerabilem Austrulfum ejusdem cœnobii præpositum, cum generali fratrum consensu, annuente Pippino principe, præfecturam transmisit, privatamque per novem annos vitam duxit; totoque illo tempore bonis operibus insistens, in ecclesia beati Petri sedulo residens, agonem suum triumphatori Christo jejunando, orando, vigilando commendabat. Austrulfus vero novus abbas, patre Sindulfo, matre Wilberta, in territorio Curtriacensi ortus, cœnobium optime ac strenue rexit, curamque maximam de statu regulæ & observatione divinæ legis habuit, quemadmodum præposituræ officium cum magna moderatione & cautela sub Wandone abbate gesserat. Denique in omnibus se ita irreprehensibilem exhibuit, ut castos ejus mores imitari cuperent boni omnes, nullus redargueret. Ejus tempore in pago Coriovallensi, quem tunc Richwinus regebat comes, vas quoddam instar turriculæ in medio mari, juxta locum, qui Portus Ballii vocatur, super aquam ferri visum est. quo reserato, inventus in eo pulcherrimus codex evangeliorum, Romanis litteris eleganter scriptus, una cum capsa, continente partem maxillæ sancti Georgii martyris, aliasque diversorum sanctorum reliquias, & particulam ligni sanctæ Crucis. Indicto jejunio, vas illud plaustro imponunt, duabus vaccis applicito, ut, quo Domini decrevisset voluntas, perferretur. Tum sine ductore plaustrum advectum est in locum, qui Brucius appellatur, ubi basilica in honorem sancti Georgii martyris exstructa est, cum aliis duabus in honorem beatissimæ virginis Mariæ & sanctæ Crucis, ibique repositæ sacræ illæ reliquiæ, ad quas crebra miracula facta esse chronographus Fontanellensis testatur, additque hunc locum postea Fontanellensi monasterio cessisse. Hoc Coriovallum in Neustria positum[a] erat ad Oceanum, distingundum proinde ab alio Coriovallo, quod Æthicus in suo Itinerario a castello Morinorum Coloniam, inter Aduacam-Tungrorum & Juliacum ponit.

a V. Valesii Notit. Gall. p. 138.

XXII. *Widradi abbatis posterius testamentum & mors.*

Eodem anno, quo Wando abbas Fontanellæ regimen Austrulfo cessit, posterius testamentum condidit Widradus abbas in gratiam maxime Flaviniacensis in Burgundia monasterii, quod ipse condiderat. Eædem fere donationes, atque in priori testamento, factæ sunt in posteriori, dato Augustoduni anno quarto regni Childerici regis, non Chilperici, sabbato proximo ante kalendas Junias. Subscripsere post Widradum abbatem Moderannus episcopus, forte Æduensis, Chebroaldus Nivernensis, Donatus incerti loci episcopus, Gauderannus abbas, an sancti Martini Augustodunensis. Quam diu post conditum testamentum Widradus vixerit, nobis incompertum. Obiit v. nonas Octobris, sepultusque est in sancti Petri ecclesia Flaviniacensi, ubi hactenus ejus reliquiæ asservantur, at sine publico cultu, tametsi in veteri ejus loci martyrologio ad prædictum diem, *depositio beati Guidradi* notatur, in necrologio *sancti Widradi* *. & xii. kalendas Novembris, *Obiit Decia soror sancti Widradi, quæ fecit monasterium sancti Andochii, & alia.* ubi legendum videtur, *qui*, ut id ad Widradum referatur. nisi si Decia ejus soror sancti Andochii monasterium restituit, quod nunc collegium est sæcularium canonicorum in opido Sedeloco *. Flaviniaco tunc præerat Magoaldus seu Magnoaldus abbas, cui paullo post successit Gayroinus, qui episcopus dicitur, an chorepiscopus. Exstat Pippini adhuc majoris-domus epistola, Gayroino & toti congregationi sancti Petri & sancti Præ-
» jecti Flaviniacensis monasterii inscripta, cui tabulas eburneas mittit, donatque pis-
» cinam, nomine Glennonem, ad opus fratrum, ut habeant inde refectionem, &
» orent pro ipso & pro tota progenie sua; rogans, ut singulis diebus psalmum pro ipso

* S. Ward.

Abbates Flaviniacenses.

* Saulieu.

ANN. CHR. 747.

canant. In Sirmundi [a] analectis Baio & Cilinia matrona dant basilicæ Flaviniacensi
& Gaguino abbati ac monachis, quæ habebant in villa pagi Alsensis * Pruviniaco,
cum ecclesia sancti Symphoriani, anno septimo Childerici regis. Gaguinus abbas
haud alius est a Gayroino. Hunc excepit anno quinquagesimo-quinto Manasses ab-
bas, de quo inferius.

[a] Labbe Bibl. to. 1. p. 170.
* l'Ansfoy.

ANN CHR. 748

XXIII. Pippini placitum pro S. Dionysio. Amalbertus abbas Godobaldi successor.

ANno insequente quadragesimo ejus sæculi octavo, cum Pippinus major-domus
Verno in palatio publico ad audiendas universorum causas & justo judicio
dirimendas una cum fidelibus suis & optimatibus resedisset; eo venit femina quæ-
dam, Christiana nomine, quæ res quasdam, in villa Marolio sitas, adversus Amal-
bertum Parisiacensis sancti Dionysii monasterii abbatem, ejusve advocatum Hrut-
garium repetebat. Intercessit ipse Hrotgarius, exhibens instrumenta, quibus Vit-
gaudius quidam prædictas res monasterio sancti Dionysii donaverat. Iis lectis acquie-
vit Christiana; resque prædictæ sancto Dionysio adjudicatæ sunt die undecima Fe-
bruarii, anno quinto Childerici regis: cujus rei litteras Wilecharius jussus reco-
gnovit, editas in libro sexto de re diplomatica. Annus hic primus erat Amalberti
abbatis, qui ipso anno successerat Godobaldo abbati, de quo superius actum est.

XXIV. Nodbaldo abbati Cantuariensi succedit Alchunus.

Eodem anno, mortuo Nodbaldo Cantuariensi abbati non ɔ successit [b] Aldhunus,
vir prudens, ipsoque anno a Cuthberto archiepiscopo benedicitur; non confunden-
dus cum Aldhuno, monasterii Winburnensis duplicis abbate, cujus epistola exstat,
ordine quinquagesima-secunda inter Bonifacianas; distinguendus item ab Andhuno
abbate, ad quem scripta est epistola quadragesima-secunda a quodam anonymo,
qui eum arguit, quod promissa vestimenta *de Fresorum provincia* non misisset. Erra-
tum est in Thorni vulgatis exemplaribus, in quibus [c] Cuthbertum episcopum Can-
tuariensem hoc anno decessisse dicitur, quem ad decem annos superstitem fuisse ex
aliis Anglicanis auctoribus constat.

[b] Willelm. Thorn. col. 1772.
[c] Id. col 1773.

XXV. Monachorum indumenta sint lanea.

In responsis Zachariæ papæ ad capitula Pippini seu Gallorum hoc anno missis,
quædam monachos spectant, strictim hoc loco commemoranda. In primo decer-
nitur, ut episcopi, presbyteri-cardinales cujusque ecclesiæ, & monachi convenien-
tibus suo statui indumentis utantur, ita ut tamen illi plebi sibi subjectæ, "*preclariori
veste induti*, debitum prædicationis persolvant, & in secreto propositum cordis ser-"
vent: quippe quos non honor aut pompa commendat vestium, sed splendor anima-
rum. Monachi vero *lanea indumenta*, juxta normam & regulam monasticæ discipli-
ne, atque traditionem sanctorum patrum gerant. ubi *præclarioris vestis* nomine intel-
ligere videtur pontifex vestem lineam, superpelliceum vocant, quam episcopis ac
presbyteris ad verbi prædicationem concedit; monachis vero laneam vestem. Quinta
Gallorum interrogatio erat, an monachabus seu ancillis Dei liceret ad missarum sol-
lemnia aut sabbato sancto publice lectiones legere, & ad missas psallere, aut *alleluia*
vel responsum canere. Respondet pontifex verbis Gelasii papæ, nefas esse feminis
sacris altaribus ministrare, vel aliquid ex his quæ virorum sunt, præsumere. Usus
tamen antiquus obtinuit, ut, exceptis lectionibus ad missam recitari solitis, *alleluia*
& responsoria cantent. In responsione sexta ex Innocentio primo statuitur de mo-
nachis, qui ad clericatus ordinem promoventur, eos non debere a proposito devia-
re, ne, quod diu in monasterio servarunt, in meliori gradu amittant. quæ respon-
sio longe aliena est a quorumdam opinatione, qui monachos, ad clericales & eccle-
siasticas dignitates, de quibus hic agitur, promotos, regularis instituti legibus abso-
lutos existimant. Sane si nec ipsis ad episcopatum provectis habitum mutare licet,
ut in sequentibus videbimus: quanto minus ab instituto vivendi modo resilire licet?
Vicesimo-sexto capitulo ex Siricii decreto præcipitur, ut monachi ac monachæ,
qui abjecto proposito ad illicitos complexus deflexerint, monasteriorum clericorum-
que conventibus eliminentur, & in ergastula retrusi tantum facinus continua la-
mentatione sic defleant, ut eis saltem ad mortem, solius misericordiæ intuitu, per
communionis gratiam possit indulgentia subvenire.

Sanctimoniales non legant ad missam.

Monachi clerici habitum servent.

Monachi lapsi retrusi.

XXVI. Grifoni scribit Bonifacius.

Interim Grif, seu Gripo, quem in castello Arduennæ inclusum fuisse diximus,
e custodia elapsus, defectionem a Pippino fratre molitur, atque ad Saxones profe-
ctus, ad suæ defectionis partes gentem alias perfidam ac mobilem facile pertrahit.
Mox Pippinus nascenti bello occurrendum ratus, contracto ex Francis, Abodri-
tis, aliisque confederatis populis exercitu, in Saxones pergit, eosque vincit, & ad

ANN. CHR. 748. pacis conditiones, quales olim Chlotharius magnus eis imposuerat, nempe ad quingentas boves quotannis inferendas, adducit.

Dum apud Saxones versaretur Grifo, veritus Bonifacius, ne ex hac belli contagione Turingi & Hessi finitimi populi aliquid discriminis paterentur, eidem *Griponi, filio*, ut ipse loquitur, *Carli*, litteras [a] scribit, rogans eum & obsecrans, ut, » si quid posset, servos Dei *sacerdotes-presbyteros*, id est secundi ordinis sacerdotes, » qui in Turingia erant, simulque monachos & ancillas Dei foveret, atque ab omni- » bus Saxonum defenderet maleficiis & injuriis, nec christianum populum a paganis » opprimi sineret; pollicitus se memoriam ejus in orationibus suis facturum, quemad- » modum ejus olim parentes ab ipso petierant.

[a] Bonifac. ep. 26.

Saxonibus subactis, Grifo quorumdam Francorum sibi adhærentium manu comitatus, ad Bajoariam perfugit, quæ tunc, Odilone duce mortuo, cum eam Tassilo ejus filius necdum per ætatem regere valeret, sub Chiltrudis sororis suæ tutela erat. Sic facile acceptus Grifo, & ipse Bajoaria matre natus, Bajoarios Tassilonemque cum matre sibi facile subjicit, suisque partibus Lantfridum Alamannorum ducem & Swigarium comitem, eum qui Eistetensem vastam regionem ad instituendum in Willibaldi gratiam episcopatum Bonifacio tradiderat, ultroneos adjungit. Verum nihilo minus a Pippino in potestatem redactus, jurat se in potestate fratris deinceps futurum; ab eoque clementer acceptus, urbe Cenomannis, ac duodecim in Neustria comitatibus donatur. At ille fraternæ fidei diffisus, transito Ligere ad Waifarium Aquitaniæ ducem, hominem Pippino infestissimum, recipere se maluit, prima quaque occasione, si posset, injurias suas ulturus. Post bellum tamen Bajoaricum Francia duobus annis a prœliis quievisse dicitur: postea vero Pippinus rex factus, Aquitaniæ bellum intulit. Inde fuga elapsus Grifo, cum ad alpes pervenisset, interficitur. Fraternæ discordiæ rumor in solitudinem Casinensem pervenit ad Carolomannum amborum germanum, qui, cum eos ad concordiam adhortationibus suis revocare non posset, Zachariam pontificem pacis conciliatorem adhibendum existimavit. Litteras hac de re scripsit pontifex ad sacerdotes & presbyteros Francorum, quas suo loco referemus.

XXVII. *Sturmius Italiæ monasteria lustrat.* Fuldensis monasterii ædificiis absolutis, cum jam monachorum numerus ad justæ congregationis corpus crevisset, unum eos studium tenuit fundandæ ad regulæ amussim monasticæ disciplinæ, sine qua nihil juvat tota illa regularium ædificiorum moles aut elegantia. Quapropter omnibus in commune visum est, ut ex ipsis aliqui ad magna mitterentur monasteria, ubi monasticæ leges accuratius servarentur, exploraturi eorum regularem disciplinam. Hoc eorum consilium magnopere probavit, laudavitque Bonifacius, qui hanc provinciam Sturmio abbati injunxit. Is, assumtis secum duobus fratribus, quarto ex quo locum illum ingressus erat anno, Romam profectus est, lustratisque circumquaque cœnobiis, monachorum in eis consistentium mores, ritus ac traditiones studiose indagavit; atque ut ne quid inexploratum relinqueret, integro apud eos anno demoratus est, ac secundo tantum inde anno, plenus & instructus iis quas viderat virtutibus, ad suos reditum maturavit.

In reditu ægrotat in Chitzingensi parthenone. Ubi in regionem suam pervenit, morbo correptus est in Chitzingensi virginum monasterio, cui Tecla prima abbatissa præerat, ex Britannia majori oriunda. Situm erat hoc monasterium in Francia orientali ad Mœnum fluvium, idque in oppidum sensim accrevit, in manus nuper traditum Marchionis Ansbacensis, hæretica labe infecti; sicque cum vera religione hoc decus etiam virginitatis amisit. Cum per menses quatuor Sturmius illic ægrotasset, ubi primum convaluit, ad Bonifacium, qui tunc in Turingia versabatur, perrexit, legationis suæ rationem ei redditurus. Hunc de moribus Italicorum monasteriorum pluribus interrogavit sanctus antistes, iisque intellectis: Vade, inquit, & novellum monasterium Fuldam ad mores & normam eorum monachorum, quorum vitam contemplatus es, quoad licebit, instituere satage. Digressus a viro sancto Sturmius, quarto demum die ad suam eremum pervenit, cum magno acceptus gaudio a fratribus, quibus ea, quæ in Italiæ ac Tusciæ monasteriis instituta a sanctis patribus didicerat, & verbis congruis exposuit, & exemplo in se ipse demonstravit.

Fuldæ florens status. Hinc desiderium ac studium ingens omnium fratrum animis insedit, ut sanctorum exemplis, qualia sibi proposita fuerant, mores suos pro virili accommodarent, & sancti Benedicti regulam, quam professi erant, in omnibus servarent. Cum sic

ANN. CHR. 748.

multos annos in ea religione perseverarent, Fuldense monasterium abunde crevit magno illuc secedentium numero, qui se ad serviendum Deo, suasque possessiones eo conferebant. Non pauca etiam eidem loco prædia Bonifacius, aliique ejus regionis incolæ contulerunt, uti Fuldensium traditionum veteres libri probant; stimulati nimirum exemplo & adhortatione Carolomanni ac Pippini principum, quorum non mediocris in Fuldenses munificentia fuit. Sic ex vasta & inculta solitudine locus ille adeo excoli & inhabitari cœpit, ut populosa evaserit Buchonia silva, quæ antea nonnisi steriles & infructuosas arbores ac myricas ferebat. Idem factum etiam in Belgio, Vosago, aliisque vastis & efferatis regiunibus, quæ Benedictino ordini suum cultum & ornamentum referunt acceptum. Itaque tantum brevi Fuldensis monasterii fama in universas circumquaque regiones diffusa est, ut ad remotiora etiam monasteria pertingeret. Multum item incrementi attulit eidem locu celebris academia ibidem instituta, quæ, Rabano in primis magistro ac præceptore, eximios discipulos protulit. Sed hæc inferius pluribus explicanda.

XXVIII. Quænam monasteria a Sturmio lustrata.

Quænam monasteria in Italica illa peregrinatione lustraverit Sturmius, signanter non exprimit Eigil abbas in libro de ejus vita, sed tantum Italiæ ac Tusciæ monasteria generatim designat. Apud Rudolfum monachum in actis sanctæ Liobæ, Bonifacius diserte *in Casinum montem* dicitur misisse Sturmin discipulum suum, virum genere & moribus nobilem, ut in illo monasterio, quod beatus pater Benedictus olim instituerat, disciplinam & vitam regularem moresque monasticos coram agnosceret, pastorque futurus discipulus fieret, atque in subjectione disceret, quo modo aliis præesse deberet. Quod speciatim Tusciæ monasteria Eigil memorat, id argumento est, in ea provincia monasticam regulæ nostræ disciplinam tunc apprime viguisse. Erant eo tempore sex minimum in Tuscia monasteria virorum, Galactense ab Hilaro abbate sæculo sexto conditum; Pistoriense auctore Barouto monacho, Lucense sancti Fridiani in ipsa urbe Lucca, & alia duo in ejusdem urbis territorio, nempe sancti Petri in villa Caviana, & sancti Michaelis in vico Apuniano, de quibus superius egimus. Aliud item in Tuscia cœnobium, vocabulo Palatiolum, hoc tempore conditum est a Valfrido abbate prope Montem-viridem * in diœcesi olim Populoniensi, de quo agendum in præsens.

* *Monte-verdi.*

XXIX. Walfridus abbas Palatioli auctor.

Walfridus seu Waltfredus, vir non minus pietate quam genere illustris, ex Tuscia oriundus, cum quinque filios in casto ac legitimo conjugio procreasset, cum conjuge æque religiosa de relinquendo sæculo tractare cœpit. Accessit in eorum propositi consortium vir sanctus, nomine ac re Fortis, qui ex insula Cyrno seu Corsica identidem ad eos divertebat. Adjunctus his tertius nobilis Lucensis, Gundualdus nomine, ipsius Walfridi cognatus, cui unicus filius erat Andreas, tertius Palatioli rector futurus. Hi triplici caritatis funiculo constricti, locum secessui suo aptum sedulo investigare cœperunt. Hæc animo agitantibus occurrit locus, Palatiolus vocabulo, sexaginta ab urbe Lucca passuum millibus secus Viridem-montem positus, quem Deus ejus loci episcopo per visum designavit. Erat illic fons uberrimus, limpidissimas emanans aquas inter frutecta. quibus exstirpatis, ædificatum est oratorium in honorem sancti Petri, cum magno monasterio, in quo Walfridus cum sociis habitavit. Distabat hic locus a Tyrrbeno mari millibus passuum non amplius duodecim; ab urbe & portu Populonio milliaribus fere triginta. Monasterium in arduo positum non nisi per artam & angustam viam adiri poterat. Fodem tempore ab iisdem constructum est alterum monasterium Salvatoris & beatæ Mariæ in loco dicto Pytiliano, duobus a mari passuum millibus, ad radicem montis, secus fluvium Versiliam*, Cluverio Vesidiam, haud longe ab arce Motronis ditionis Lucensis, octoginta-quinque millibus a Palatiolo disparatum, quod conjugibus suis, pari devotionis ardore succensis, incolendum tradiderunt. Illæ, in novum ingressæ monasterium, religiosas vestes ac sacrum velamen acceperunt, & data sibi regula, se ipsas regulari disciplinæ mancipaverunt. Geminum illud monasterium tum piorum illorum conjugum facultatibus, tum episcopi munificentia dotatum. Palatiolo præfectus est abbas Walfridus, *habens secum sanctam regulam*. Sed quia sancti illi viri regularis vitæ omnino expertes erant, opportune eis occurrit quidam peregrinus monachus, re ac nomine Magnus, ex monasterio sancti Vincennii, haud dubie ad Vulturnum, doctus & miræ conversationis vir, qui Walfrido abbati ejusque fratribus magnum præbuit monasticæ disciplinæ exemplum. Post paullo ex fama vulgatæ eorum religionis ita monachorum nume-

* *Versiglia.*

ANN. CHR. 748.

rus auctus est, ut fere sexaginta ibi degerent. De Walfrido id memoriæ proditum est, eum, licet multis jejuniis, vigiliis & orationibus attritum, gravibus nihilo minus carnis tentationibus vexatum fuisse: at suis precibus a Deo id demum obtinuisse sexto ante suum obitum anno, ut ab omni ejusmodi labe ac vexatione immunis esset. Tempus conditi Palatioli monasterii accurate non expressit Walfridi vitæ scriptor Andreas loci abbas tertius, quem Gundualdi filium fuisse jam præmonuimus. Ex ejus tamen verbis colligitur id factum anno plus-minus quarto Haistulfi regis, quo tempore Walfridus claruisse memoratur. Hoc admisso, ejus monasterii conditio in annum hujus sæculi quinquagesimum-quartum vel insequentem differenda esset, nec Sturmius abbas Fuldensis lustrandis Tusciæ monasteriis Palatiolense adire potuisset.

XXX. Liobæ virginis prima facta.

Rudolfus in actis sanctæ Liobæ virginis innuere videtur, eodem tempore legatos a Bonifacio in patriam missos cum litteris ad Tettam Winburnensem apud occidentales Saxones abbatissam, rogaturos, ut ad suæ missionis levamen & auxilium Liobam ei virginem transmitteret, quam, fama vulgante, sanctitatis ac doctrinæ dotibus excellere intellexerat. Carolus Cointius eodem etiam tempore alias sanctimoniales inde missas fuisse putat. Verum hanc piarum feminarum missionem ante id tempus contigisse illud facile suadet, quod Sturmius ex Italia post biennium revertens, acceptus est in monasterium Clitzingense, cui Tecla, una ex his quæ ex Britannia venerant, prima abbatissa jam tum præerat. Lioba seu Lieba, alio nomine Truthgeba, Anglis orta parentibus, patrem Dimonem seu Timonem, aliis Tinnam, Ebbam genitricem habuit, Bonifacio consanguinitate conjunctam: quæ sterilis cum esset, Liobam precibus impetravit, eamque, prout voverat, a teneris Deo consecravit in monasterio Winburneosi sub Tettæ abbatissæ disciplina. Illic tanta cura & sollicitudine cum in litteris, tum in virtutibus erudita fuit, nihil ut præter monasterium & cælestis disciplinæ studium cognosceret. Hæc a jocis ineptis, aliisque ludicris ac puerilibus nugis abhorrens, legendo vel audiendo uni verbo Dei intentum habebat animum. Inter legendum operabatur manibus quæ sibi injuncta erant; lectioni tamen & prædicationi verbi Dei, quam labori addictior. In summa sic vitam instituit, ut ab omnibus discens, omnibusque obediens, proprias singularum gratias & virtutes studeret captare. Exstat Liobæ ante suum e Britannia discessum epistola [a] ad Bonifacium, cui patrem Tinne, ante annos octo defunctum, commendat, matremque Ebbam adhuc superstitem, *quæ tibi*, inquit, *consanguinitatis nexibus copulatur*; seque unicam ambobus parentibus filiam esse ait, Leobgytham se dicens in titulo epistolæ, ultimam leve jugum Christi portantium famulam. In aliis item ipsius Bonifacii epistolis [b] Leobgytha nuncupatur.

a *Bonifac. ep.* 36.

b *Id. epist.* 25. 31. 46.

XXXI. Præpositæ nimia rigiditas ut punita.

Cum adhuc in Winburnensi parthenone versaretur, contigit mori quamdam monasterii sanctimonialem, quæ ob disciplinæ studium & artioris vitæ observantiam, qua ceteris præcellere videbatur, identidem præpositæ vel decanæ munus gerebat; sed ita dure & indiscrete, ut omnium fere, & maxime juvenum, in se odia excitaret. Verum illa earum rancorem atque maledicta parvi pendens, usque adeo contra eas rigida perseveravit, ut nec in extremo vitæ suæ articulo earum commotionem cordis ulla satisfactione amovere sategerit. Defuncta est ergo in hac pertinacia, & sepulturæ tradita, tumulusque super sepulcrum ejus congesto terræ aggere compositus. Ea mortua, non statim conquievere aversantium animi, immo juniores conscendentes super ejus tumulum, & quasi funestum cadaver conculcantes, in solatium doloris sui amarissimis conviciis mortuæ insultabant. Hoc comperto, Tetta venerabilis mater temerarium juvencularum audaciam increpuit, & ad tumulum profecta, terram super eum congestam usque ad semipedis spatium subsedisse non sine gravi dolore animadvertit, tacite secum reputans & pœnam sepultæ, & justam divini judicii severitatem ex injuria sepulcri. Convocatis ergo in unum sororibus, vehementer eas redarguit, quod ob factam sibi, ut putabant, injuriam essent implacabiles, & propter momentaneam disciplinæ acerbitatem perpetes animo gererent discordias; &, cum sit christianæ perfectionis pacificum esse etiam cum ipsis pacis inimicis, illæ e contrario non solum inimicos non diligerent, sed etiam sororem, quam viventem contra præceptum Domini exosam habuerant, quasi quodam impietatis studio, jam mortuam exsecrarentur. Jam demum tempus esse, ut ab inimicitiis abstinerent ad indolgentiam faciles, & offensiones ex corde relaxarent: obsecrare, ut, condonatis ex animo injuriis, secum pariter orationi incumberent, &

ANN. CHR. 742.

mortuæ divinam clementiam propitiam reddere conarentur. Omnibus unanimiter assentientibus, triduanum jejunium cum precibus ac vigiliis pia mater injunxit. Die tertia, expleto jejunio, in basilicam tota procedit congregatio litanias decantans, dum Tetta, cum lacrymis ante altare prostrata, pro anima defunctæ sororis ferventius orabat: cum ecce fossa sepulcri, quæ prius pæne vacua videbatur, humo sensim excrescente tota repleta est, manifesto indicio, defunctæ animam cælitus absolutam esse.

XXXII. Lioba Bischofesheimio præficitur.

Liobam ad Bonifacii preces ægre a se amisit Tetta venerabilis abbatissa; hanc vero in Germaniam advenientem lætus excepit Bonifacius, ut famulas Dei monasticis disciplinis informaret. Ejus gratia in diœcesi Moguntina loco *Bischofesheim* dicto, quod episcopi-domum significat, ad Tuberam amnem, conditum est monasterium, in quo non exiguus ancillarum Dei numerus collectus est. quæ ad exemplum piæ magistræ ita cælestis disciplinæ ac doctrinæ studiis institutæ sunt, ut complures ex illis postmodum factæ sint aliarum magistræ. Hæc vero sic in arrepti vigore propositi constans perseveravit, ut nec patriæ, nec suorum meminisset affinium; ita se affabilem omnibus exhibens, ut nullum personarum respectum haberet; ita lætam & jucundam, ut numquam resoluta esset in risum. Cibum ac potum, cum aliis summa humanitate affatim exhiberet, ipsa parcissime sumebat. Cum vero ab ipsis infantiæ rudimentis grammatica & reliquis liberalium artium studiis imbuta esset; ea sedulitate lectioni, tum veteris ac novi testamenti, tum sanctorum patrum ac canonum, incumbebat, ut nisi orationi aut necessitatiæ corporis refectioni vacaret, numquam sacros codices e manibus deponeret, atque etiam dormienti lectionem sorores continuarent. Sic tamen modum in omnibus servabat, ut tota æstate post prandium ex regulæ indulgentia, tam ipsa, quam cunctæ sibi subjectæ sorores pausarent, nec ulli earum indiscrete vigilare volenti consenserit, effata, ademto somno sensum adimi etiam legendi. Hospitalitatem exercebat adversus omnes, quorum benevolentiam sibi facile conciliabat. Hinc hostis humani generis tantas in ea virtutum glorias impatienter ferens, & tam præclara ejus discipularum incrementa & profectum, carnalibus illecebris eas impugnare adortus est, ut vel unam a propositi sui vigore posset avertere.

Calumniam ut diluit.

Verum cum piæ matris consilio jejuniis ac precibus contra hæc tentamenta se se munissent, ad calumniæ artes dæmon se convertit, ut sanctam illam congregationem infamaret. Forte quædam misella, quæ stipe monasterii ad januam alebatur, fetum ex stupro enixa, infantulum de nocte projecit in amnem, qui per medium monasterii influebat. Ubi crastinus illuxit, mulier quædam ad hauriendam aquam profecta, conspecto infantuli cadavere, factum exhorruit, & sanctis virginibus improperando imputavit. Ejus criminis atrocitate commota monasterii mater, sorores omnes convocat, unicamque deesse videns Agatham, quæ ante paucos dies a parentibus invitata, pro quadam necessitate ad domum eorum cum suo permissu perrexerat; hanc statim revocat in monasterium. Illa tanti sceleris noxam sibi absenti imputatam ingemuit, Deoque teste invocato, se innocentem professa est. Tum mater de ejus integritate secura, omnes oratorium ingredi jussit, &, extensis in crucis modum brachiis, totum psalterium recitare; ad hæc per tres in die vices, id est hora tertia, sexta, & nona, vexillo crucis prælato, canendis litaniis monasterium circumire, & pro sui purgatione divinam exorare clementiam. Cum id tertio fieret ad horam nonam, omnibus in ecclesiam regressis, matre ad altare prostrata, mox dira illa muliercula, a dæmone occupata, abbatissæ nomen inclamat, seque perpetrati criminis ream confitetur. Tum vero clamore in cælum sublato, plebs obstupescit ex miraculo; ancillæ Dei præ gaudio in lacrymas effusæ, matris meritum extollentes gratias Deo referunt, qui sic innocentiam suam purgaverat. Multæ aliæ de sancta Lioba virtutes memorantur. Incendium adspersione aquæ, sale a sancto Bonifacio benedicto consecratæ, restinctum: tempestas precibus ejus sedata, invocata sancta Dei genitrice Maria, & cappa ipsius Liobæ tempestati objecta. quod hortante in primis Tecla ipsius consanguinea fecisse dicitur. Bonifacii epistola vicesima-quinta *Carissimis sororibus Leogythæ & Teclæ, necnon & Cynehildæ, & omnibus in Christo diligendis sororibus eis cohabitantibus* inscripta est, ad flagitandas ab eis preces pro se & orationes.

XXXIII. Tecla, Chunehildis, aliæque Liobæ comites.

Hæc Tecla ea ipsa videtur, cujus hortatu Lioba sanctam Dei Genitricem ad dis-

ANN. CHR. 748.

pellendam tempestatem invocavit. Epistola hæc a Bonifacio scripta est tum, cum Lioba Bischofesheimensi monasterio præesset, simulque cohabitarent sub ea Tecla & Cynehilda, ut epistolæ titulus ipse iodicat, ambæ ex Britannia in Germaniam cum ea advectæ. Othlunus tamen Teclam in monasteriis Chitzingensi & Ochsnofruttensi diœcesis Wirziburgensis juxta Mœnum fluvium collocatam fuisse dicit: Chunehildem vero, ejusque filiam Berathgitem, in liberalibus scientiis valde eruditas, in Turingorum regione constitutas magistras. At forte primum in Bischofesheimensi parthenone cum Lioba conversatæ sunt, dum illa monasteria ædificarentur. Trithemius Teclam confundit cum saocta Hadeloga, quæ Ochsnofruttensis monasterii conditrix & prima abbatissa fuisse dicitur. At si hæc, ut ferunt, Caroli Martelli filia fuit, omnino alia est a Tecla, quæ ex insula Britannia oriunda erat. Forte utrumque monasterium, Chitzingense & Ochsnofruttense, informavit Tecla, quæ posterioris regimen Hadelogæ postea reliquerit. Libellus de vita sanctæ Hadelogæ vulgatus est [a] apud Bollandum, at scriptus ab auctore levioris auctoritatis quam ut ei tuto fidere possimus. Forsan hæc est Ruadlauga abbatissa monasterii sanctæ Mariæ, de qua in fine libri vicesimi-tertii mentionem faciemus. Addit Othlonus Chunitrudem, Liobæ itidem ex Britannia comitem, a Bonifacio in Bajoariam destinatam fuisse, ut verbi divini semioa ibidem spargeret: Liobam vero ad *Bischofesheim*, ut illic multitudini virginum congregatæ præesset. quæ verba innuunt, hoc monasterium jam conditum, & a virginibus multis inhabitatum fuisse, antequam Lioba illi præficeretur. Ceterum sanctimoniales illæ Anglicanæ omnes cum Lioba eductæ videntur ex Winburnensi parthenone, in quo monachas quingentas simul vixisse ex Rudolfo discimus.

[a] *Bolland.* 2. *Febr.*

XXXIV. Unum hoc loco de Lioba nobis addendum, quod præterire silentio Rudolfus impium putavit. Quædam ex sororibus ejus monasterii, nomioe Willeswinda, vitæ merito & morum probitate insignis, graviter eo morbo laborabat, quem medici hæmuroïdem vocant, & profluente sanguine, gravissimo intestinorum dolore cruciabatur. Crescente languore in dies, cum jam præ fœtoris molestia in communi cella monasterii manere non posset, in proximam parentum domum in lectica deportata est. Non multo post invalescente morbo venit ad extrema; eoque invitatur a parentibus abbatissa, ut precibus suis ejus transitum Deo commendaret. quæ cum venisset, jussit auferri velamen sen linteum, quo, cadaverum more, jam cooperta erat; parvumque cochlear, quo ad mensam uti solebat, sibi afferri. Tum allatum sibi lac benedixit, atque in os jacentis guttam ex eo cum cochleari instillavit. Mox ejus guttæ infusione ita infirma convaluit, ut sequenti die cibo consortata vires receperit, atque ante diem septimum pedibus remeaverit ad monasterium, multosque post hæc annos vixerit. Ad cjusmodi virtutum famam multi nobiles & præpotentes viri filias suas, Deo illic sub perpetua virginitate servituras, tradebant; multæque matronæ, relicto sæculo, castitatem, & suscepto velamine sacro, monasticam vitam profitebantur. Ex hoc loco & ex alio superius [b] relato perspicuum est, sanctimoniales illas clausuræ non tam rigide adstrictas fuisse, ut aliquando pro certis causis necessariis e monasterio non excesserint.

Lioba virginem desperatam sanat.

[b] *Num.* 32.

XXXV. Optandum esset, ut, sicut Modestus monachus priscum Fuldensium habitum pictura expressit, a nobis suo loco exhibendum: ita etiam Eigil abbas aut Rudolfus monachus primariam illam descripsisset disciplinam, qualem Sturmius Fuldæ instituerat, ad normam scilicet sacri monasterii Casinatis. Nec dubium quin disciplina illa scripto tradita sit ad posteros transmittenda: tametsi ao ad nos usque pervenerit, non liquet. Ejus specimen videre mihi videor in fragmento illo, quod a me relatum est in tomo [c] quarto Analectorum ex veterrimo codice sancti Udalrici, scripto ante annos fere nongentos, ubi *Ordo officii in domo sancti Benedicti ante pascha* præscribitur, quod non de Frisingensi sancti Benedicti ecclesia, uti olim mihi visum est, sed de Casinensi monasterio interpretandum existimo. Subsequitur ibidem [d] *Ordo regularis apud eos, qui in arce regulari pollent.* quod prioris Ordinis supplementum censeri potest. In hoc ordine summum silentium a vespertinis horis ad capitulum insequentis diei præcipitur. Post matutinas non reditur ad lectulos, nisi quando plenarium, id est sollemne, officium celebratur, vel ante horam solitam surrexisse contigerit, exceptis infirmis, & forte ex itinere aut ex graviori labore fatigatis. Post capitulum labor cum psalmorum modulatione, vel collocutione spirituali. Post missam

Casinatium antiqua disciplina & privilegium.

[c] *Analect.* to. 4. p. 454. &c.

[d] *Ibid* p. 459.

fum lectio communis usque ad refectionem. A prandio silentium, dum nona completa fuerit, quam opus manuum rursus sequitur. Circatores duo monasterium omnibus horis circumire soliti, ut in tabulis notarent, si quis officio suo defuisset. In oratorio, sacrario, refectorio, & in claustris hora lectionis summum silentium. In dormitorio fratrum & hospitum nihil pictum aut variatum, nihil lineum. Si quid in oratorio loqui necessitas exigeret, tacto abbatis vel præsidentis vestimento ad petendam facultatem, exitur ad unum e duobus locis, quæ ad loquendum deputata erant. Loca hæc auditorium seu locutorium & capitulum fuisse puto. In triduo ante pascha iidem fere ritus ac modo apud nos, nisi quod feria sexta tres legebantur passiones, nempe ad tertiam secundum Matthæum, ad sextam secundum Marcum, ad nonam secundum Johannem. Secunda feria post pascha fit processio cum cruce ac reliquiis sanctorum *per Labores*, id est per agros; tertia feria ad sanctum Petrum in civitate, quod de castro Casino interpretor ad montis radices olim posito, cui oppidum sancti Germani successit. In majoribus festivitatibus duodecim lectiones ad vigilias nocturnas; octo tantum in aliis. Sollemnitates illæ sunt, pascha, ascensio Domini, pentecostes, sancti Johannis Baptistæ, sancti Petri, sancti Laurentii, sanctæ Mariæ, sancti Martini, nativitas Domini, & epiphania, cum suis utraque octavis, purificatio sanctæ Mariæ, natale sanctorum Faustini & Jovitæ, & depositio sancti Benedicti, sancti Gregorii papæ, & sancti Germani episcopi, scilicet Capuani. Non servabatur jejunium ad vesperam in vigiliis sequentium festivitatum, nempe octavæ Domini, octavæ epiphaniæ, & purificationis sanctæ Mariæ. Ex quo intelligitur, in aliis servatum fuisse. In recensione prædictarum festivitatum illud notandum, quod a paschate incipit enumeratio, quoniam anni initium ab eo festo repetebatur. Duo tantum festa sanctissimæ Virginis indicta. Sanctorum Faustini & Jovitæ festum celebre erat apud Casinates ab instauratione monasterii per Petronacem Brixiensem, qui ex ea urbe brachium unius illorum secum attulerat. In priori Ordine mentio fit non semel de ecclesia sancti Petri, ex quo dubium oritur, an is pertineat ad Casinense monasterium, io quo nulla sancti Petri ecclesia fuisse legitur, præterquam io Casino castro, ubi Scauniperga, uxor Gisulfi ducis, templum idolorum in beati Petri honorem convertisse [a] memoratur. Verum, cum cetera Casino in hoc ordine conveniant, hujus ecclesiæ memoriam abolitam fuisse dicendum est. Nimius videar in his minutiis explicandis: at earum observatio non aliena a proposito nostro visa est. Casinensi monasterio ad hoc tempus præfuisse videtur Petronax abbas, qui a Zacharia pontifice privilegium primus [b] accepisse dicitur, ut hoc monasterium, cum omnibus cellis ad ipsum pertinentibus, ab omnium episcoporum ditione sit liberum, ita ut nullius juri subjaceat, nisi solius Romani pontificis. quod privilegium hactenus illibatum, inviolatumque permansit. Vulgatum ejus privilegii exemplum a Baronio, Boschio, & Gallonio vexatum, sed defensum a Matthæo Laureto, denuo in scenam producere non videtur operæ pretium. Plura de spirituali jurisdictione Casinensi lege sis in excursu historico Angeli de Nuce ad hunc locum.

ANN. CHR. 748.

a *Chron. Cas. lib. 1. c. 5.*

b *Ibid. c. 4.*

POstero anno, ejus sæculi quadragesimo-nono, Ovo presbyter ac monachus Fontanellensis, genere Frisius, is quem sanctus Wlframnus suspendio ex sorte addictum liberaverat, decessit e vita. Hic in arte scriptoria eruditus erat, plurimosque codices manu sua in eodem monasterio transscripsisse perhibetur, sed & testamenta seu litteras donationum complures, quas fideles tunc temporis eidem loco fecerunt. Illic magno confectus senio supremos vitæ dies piissime absolvit sub Austrulfo abbate, magistri sui Wlframni eximius imitator. Non dubito, quin multi ex plurimis illis codicibus, quos Wando abbas, Austrulfi antecessor, Fontanellæ contulit, ipsius Ovonis manu exarati sint. Quosdam tantum ex illis codicibus memorat chronographus [c] Fontanellensis. In his laudat unum codicem, in quo continebantur regulæ sancti Benedicti & sancti Columbani cum martyrologio. quod argumento est, utramque regulam simul in illo monasterio primitus observatam fuisse. Norunt quippe rerum monasticarum periti, regulam monasterii una cum martyrologio simul compingi solitam, addito necrologio, ut ad manum essent lectori, qui ea in capitulo recitaturus erat. De ceteris codicibus dicere supersedeo.

Hic annus erat Childerici regis sextus, quo anno Chrodegangus Mettensis an-

ANN. CHR. 749.

XXXVI. Ovo monachus Fontanellensis obit.

c *Spicil. to. 3. p. 210.*

XXXVII. Gorziensis monasterii primordia & S. Petri.

ANN. CHR. 749.

tiſtes Gorzienſis monaſterii fundamenta poſuiſſe memoratur. Erat is ex pago Haſbanienſi, primæ nobilitatis parentibus Sigramno & Landrada progenitus, qui nutritus in palatio Caroli principis, ejuſdemque referendarius, poſtmodum Metteoſem pontificatum promeruit *temporibus Pippini regis*, inquit Paulus Warnefridi, tametſi Pippino necdum rege epiſcopus creatus eſt. Vir fuit, ſi quis alius, in monachos, remque monaſticam optime affectus, ob idque ab eodem Paulo *ſervorum Dei nutritor* appellatus. Argumento ſunt monaſteria duo ab ipſo exſtructa in parochia Metttenſi: unum in pago Moſellenſi in honorem beati Petri apoſtoli, quod magnis opibus ditavit: ubi monachos *ſub regula ſancti patris Benedicti* in una caritate conjunxit. Alterum Gorzia dictum, ſitum ad amnem cognominem, haud procul a Moſella, in pago Scarponenſi, ſanctis Petro & Stephano primitus ſacrum fuit: cui a tranſlatione reliquiarum ſancti Gorgonii martyris tertius patronus acceſſit. Inſtrumentum dotis Meuriſſius [a] refert, ac privilegium eidem monaſterio ab eodem antiſtite indultum, cujus ſummam ſuo loco referemus. De hoc inſigni monaſterio, quod patrum noſtrorum memoria ſæcularibus canonicis mutavit, multa erit ſubinde dicendi materia. De priori ſancti Petri monaſterio nulla ſuperoſt memoria, niſi ſi hoc ipſum eſt monaſterium Hilariacum, alio nomine Nova-cella dictum, ubi Chrodegangus ſancti Naboris martyris, qui poſtmodum nomen loco dedit, reliquias repoſuit. Cur enim hunc ei locu honorem præ alio tribuiſſet, niſi is ad ipſum præcipue, tamquam ad conditorem, ſpectaſſet? Quamquam illud obſtare videtur, & quod Sigibaldus ejus deceſſor Hilariacum exſtruxit, & quod baſilica ejus loci titulo Salvatoris fuerit inſignita. Verum illud idem monaſterium augere, novoque opere conſtruere ſub titulo ſancti Petri potuit Chrodegangus, ob idque conditoris nomen obtinere. Certe in chronico Lauriſhamenſi *monaſteria Hilariacenſe, Gorzienſe, & Lauriſhamenſe, a fundamentis* exſtruxiſſe traditur.

a Meuriſſe p. 161.

XXXVIII. Gregoriani in Alſatia monaſterii abbates.

Eodem Childerici regis anno ſexto Bodalus, Hugonis filius, pro animæ ſuæ remedio, & pro filio ſuo Eberhardo, villam *Hidulfesham* donat monaſterio ſancti Gregorii, *in Vogeſo* ſeu Alſatia pridem exſtructo: ubi tum Agoaldus abbas cum monachis ſuis regulariter degebat. Datum in ipſo monaſterio *Confluentes* dicto, ob duas Fæchinas illic in unum concurrentes. Hic eſt Bodalus, filius Hugonis, filii Bleoni, qui fuit filius fratris ducis Adalberti, quorum donationes, Honaugienſi monaſterio factas, ſuperius [b] retulimus. Agoaldo Gregoriano abbati ſucceſſerunt Remigius, Reſtwinus, Urolfus, Rachio *abbas & Argentinæ epiſcopus*, & poſt eum Godefridus, de quo inferius. Hæc ex brevibus annalibus ejus loci, in quibus Agoaldus abbas deſideratur: cujus loco ponitur *Heddo abbas & Argentinæ epiſcopus*, neſcio an abbas Gregoriani monaſterii, an Augienſis, quod ante epiſcopatum rexerat, an Etinheimenſis, quod jam epiſcopus inſtauravit. Certe in necrologio [c] Augienſi pervetuſto laudatur, *ex monaſterio Etinheim Uto epiſcopus vel abba*, non alius haud dubie quam Heddo, qui alias Etto ſeu Etho ſcribitur.

b Lib. 20. n. 39.

c Analect. t. 4. p. 643.

XXXIX. Ethelberti regis epiſtola ad Bonifacium.

Ad hoc idem tempus referenda videtur epiſtola Ethelberti [d] regis ad Bonifacium epiſcopum, ejus qui rex Cantiæ anno ſuperiori creatus eſt poſt Eadbertum, ad annum ejus ſæculi ſexageſimum regnaturus. Hac epiſtola Ethelbertus ſancto antiſtiti gratias agit ob dona ab eo ſibi tranſmiſſa, conceſſamque orationum communionem, uti reſcierat ex venerabili abbatiſſa Bugga, ipſi conſanguinitate conjuncta, quæ in reditu ex Romano itinere Bonifacium in Germania obiter inviſerat. Hinc accepti beneficii memor Ethelbertus, Etheldum monachum cum litteris ad eum direxit, quibus gratias eidem his de rebus agit; gratulaturque quod innumeram multitudinem gentilium ad Chriſti fidem prædicationis verbo & labore converti‍ſſet. Eidem etiam per eumdem bajulum quædam munuſcula rependit, id eſt *caucum* argenteum (id pateræ genus) intus deauratum, pendentem tres libras & ſemis, duoque *repta*; non aliud præmium repoſcens, quam preces & orationes. In fine tamen duos falcones ex Germania poſtulat, utpote ad venationem habiliores & aptiores, quam qui in Cantia reperiebantur.

d Boniſac. ep. 40.

XL. Caſinatibus donationes factæ.

Jam repetendum eſt Caſinenſe monaſterium cum Giſulfo Beneventano duce, qui hoc tempore in arcem Caſini, quæ tunc Mello [e] vocabatur, aſcendit, atque Caſinatium religione tactus, cuncta circum loca, tam campeſtria, quam montana, ſancto Benedicto, ejuſque diſcipulis in perpetuum contulit. Ducis pietatem æmulata eſt uxor ejus Scauniperga, quæ templum idolorum, quod antiquitus in caſtro

e Chron. Caſin lib. 1. c. 5.

Casino exstructum a paganis fuerat, in beati Petri apostoli honorem convertit, eidemque imagines & cetera ecclesiasticis officiis congrua ornamenta liberaliter concessit.

ANN. CHR. 749.

XLI. Monasterium in Cingla.

Hujus etiam ducis tempore quidam Beneventanus sculdais seu minor judex, Sarracenus nomine, in territorii Alifani loco, Cingla dicto, ecclesiam sub patrocinio sancti Cassiani exstruxit, eamque cum omnibus, quæ ibidem acquirere potuit, prædicto beati Benedicti obtulit monasterio. qui locus cum Petronaci abbati multum arrisisset, cum consensu & adjutorio ejusdem ducis ejusque uxoris, ibidem cœnobium puellarum in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ ædificavit: cui vicina sanctæ Crucis ecclesia, quam Gisulpertus a quodam abbate, Deus-dedit nomine, comparaverat, cum aliis ecclesiis ac prædiis attributa est. Hoc monasterium idem dux tribus ancillis Dei, uni post aliam, regendum commisit, id est Gausani, Pancritudæ, & Garipergæ, quæ, relictis parentibus universisque opibus suis, istic pro amore Dei peregrinari elegerant. Post earum excessum ejusdem loci jus & ordinatio ad Casinates rediit. Ad hæc idem Gisulfus Beneventi ecclesiam sanctæ Sophiæ inchoavit, quam morte præventus cum absolvere non potuisset, Arichis ejus successor mirifice perfecit; ibique sanctimonialium cœnobium instituit, quod deinde Casinatibus traditum est.

Beneventi S. Sophiæ.

ANN. CHR. 750.

XLII. Ratchis rex monasticen professus Casini cum uxore & filia.

Annus insequens magnis rerum conversionibus originem dedit. Initium ductum a Ratchiso rege Langobordorum. Hic decessoris sui exemplum secutus, ut regni fines amplificaret, Pentapoli bellum intulerat, multisque jam opidis captis, Perusiam oppugnare cœperat. Tum Zacharias pontifex imminenti calamitati obviam profectus, regem in castris Perusinis convenit, tantaque gravitate officii admonuit, ut ille religione perfusus, non modo a Perusiæ oppugnatione recesserit, verum etiam Zachariæ monita secum animo postea reputans, abdicandi regni consilium inierit. Et primum quidem sancta Apostolorum limina visitare, ac pontificem venerari constituit. Itaque uxore Tasia & filia Ratrude, quibus idem propositum suggesserat, secum assumtis, Romam adiit, ibique reciso a Zacharia capillo factus clericus, ipse cum uxore & filia, monastico habitu indutus est, stupente Roma ad inopinatum juvenis regis exemplum. Mox ille, pontificis consultu, in montem Casinum exemplo Carolomanni concessit, ut reliquum vitæ sub beati Benedicti legibus transigeret. Novum tironem Petronax abbas summa humanitate complexus, nulla tamen pristinæ dignitatis ratione habita, sub regulari disciplina, prout regula jubet, severe probandum, instituendumque suscepit. Extat hodie[a] quoque vinea monasterio proxima, vulgo Ratchisi dicta, quam Ratchisus ipse & plantasse, & excoluisse traditur. Paullo ante hunc secessum Ratchisus monasterium Salvatoris in monte Amiato prope Clusinum Etruriæ civitatem ædificari concesserat Ersoni abbati ejus loci primo, cui amplissima prædia largitus est. Ejus rei diploma refert Ughellus[b] cum narratiuncula de origine monasterii, quæ fabulam sapit. Annum conditi cœnobii septingentesimum quadragesimum-secundum prætert diploma, quod ex authentico descriptum Ughellus existimavit. quod omnino sincerum esse pervelim. De Usualdo ejus loci abbate inferius.

a Chron. Casin. lib. 1. c. 8.

Amiatini monasterii auctor.

b Ital. sacr. to. 3. c. 672.

Tasia ejus conjux Plumbariolæ monasterium struit.

Ratchisum uxor, filiaque Casinum secutæ, Petronace concedente atque adjuvante, monasterium puellarum non longe a Casino, in loco, qui Plumbariola seu Plumbarola vocatur, propriis sumtibus construxerunt, ibique vitam sanctissime traduxerunt. Hunc locum esse perhibent, ubi sancta Scholastica, beatissimi Benedicti soror, vixerit ac decesserit. Editum a nobis[c] est ex libello diurno Romanorum pontificum vetus privilegium, a Romano pontifice concessum abbati venerabilis monasterii sanctæ Dei genitricis Mariæ, ejusque monasterio, sito in loco, qui vocatur Plumbariola, territorio Aquinensi, omnem cuilibet episcopo interdicens in hunc locum auctoritatem, atque universas ejusdem monasterii possessiones confirmans. Ex quo intelligitur, duplex eo in loco monasterium olim exstitisse, unum virorum, alterum puellarum, nisi dixeris, abbatem illo in privilegio memoratum non alium fuisse a Casinensi, cui puellaris monasterii jurisdictio competebat. Verum illud in contrarium occurrit, quod puellare ejus loci monasterium non virgini Deiparæ, sed sanctæ Petronillæ nuncupatum legitur in sequentium temporum monumentis, in quibus Bernardus abbas Casinensis missale quoddam misisse dicitur sororibus monasterii

c Museum Ital. to. 1. p. 33.

ANN. CHR. 750.

ſui S. Petronillæ de Plumbarola; & in necrulogio obitus Beatricis abbatiſſæ monaſterii S. Petronillæ de Plumbarola anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo-quinto in menſe Junio; & in Novembri, obitus ſororis Marottæ abbatiſſæ monaſterii ſanctæ Petronillæ de Plumbarola notatur. Nulla modo ſuperſunt ullius monaſterii eo in loco veſtigia, quod ſimplex prædium eſt monaſterii Caſinenſis.

XLIII. Pippinus Zachariam conſulit de regia dignitate.

Aliud humanæ viciſſitudinis exemplum nobis ſuppeditat Childericus rex, qui non ſua ſponte, ut Ratchiſus, ſed neceſſitate coacte in monaſterium retruſus eſt, quod hoc anno meditatum a Pippino principe, nonniſi anno inſequenti perfectum fuit. Quippe Pippinus, qui hactenus majoris-domus nomine contentus fuerat, cum poteſtate regia ſibi dudum tributa, ipſum etiam regis nomen ſibi facile omnium Francorum conſenſu tribuendum eſſe non dubitavit. Atque ut rei novæ aliquam religionis ſpeciem induceret, miſſis Romam legatis, Burchardo Wirziburgenſi epiſcopo & Fulrado archicapellano, Zachariam pontificem conſuluit, uter ei regio faſtigio dignior videretur, iſne qui præ ſocordia nihil ad rei publicæ utilitatem ageret; an qui dies noctesque de regni ſalute atque procuratione cogitaret. Ad quod Zacharias, forte ex compoſito, reſpondit, omnino ſe regem illum judicare, qui regni commodis & utilitati totum ſe daret. Hujus legationis meminerunt Eginhardus & veteres Francorum annales, qui Zachariæ auctoritatem abdicando Childerico intervenisse tradunt. His atteſtatur clauſula, Gregorii epiſcopi Turonenſis libro de gloria confeſſorum eo tempore [a] appoſita in veterrimo codice olim Dionyſiani monaſterii, ſcripto anno ab incarnatione Domini ſeptingenteſimo ſexageſimo-ſeptimo, in quo Pippinus *per auctoritatem & imperium ſanctæ recordationis domni Zachariæ papæ* in regni ſolium ſublimatus fuiſſe memoratur. Novam hanc auctoritatem ſibi arrogaturus non fuiſſet Zacharias, niſi eam Pippinus ipſi obtuliſſet: at oblatæ occaſioni deeſſe non ſuſtinuit. Sic pontifex dignitati conſuluit ſuæ, non ſatis regiæ Pippinus, ut ſuæ cupiditati ſatisfaceret. Non tamen ante annum inſequentem id exſecutioni demandatum eſt, etſi hoc anno factum ſcribit in annalibus Eginhardus, qui anno ſuperiori hanc legationem collocat.

a Diplom. p. 384.

XLIV. Fulradus abbas S. Dionyſii.

Apud eumdem auctorem Fulradus, unus e legatis, non abbas, ſed tantum *presbyter-capellanus* appellatur. quamquam jam Dionyſiani monaſterii abbas erat hoc anno, antequam Pippinus regium nomen ſibi vindicaſſet. Id patet ex diplomatibus hujus anni ac ſequentis, ſub Pippino majore domus datis, quæ in archivo Dionyſiano aſſervantur. Unum eſt placitum ſeu decretum Pippini majoris-domus, editum [b] in villa Atriniaco: ubi Fulradus, jam abbas monaſterii ſancti Dionyſii, oratorium ſancti Martini, Crucem appellatum, & multa prædia pagi Hainoavi ſeu Hainoënſis, præſertim in villa Solemio, evindicavit adverſus Hormungum abbatem monaſterii Marigili ſeu Maricoleuſis, qui ipſum oratorium monaſterio ſuo ab inluſtri viro Rodberto donatum aſſerebat: cum ex adverſo Fulradus oratorium, aliaque omnia ſibi ex conceſſione regum competere probaret idoneis inſtrumentis, prout jam antea Chillardus abbas in præſentia Dagoberti regis probaverat, ſuoque monaſterio hæc aſſeruerat. Chillardo litteræ hac de re conceſſæ coram Childeberto id actum præferunt. Hoc placitum datum legitur die decima-ſeptima menſis Augusti, anno octavo regni Childerici glorioſiſſimi regis. Alterum [c] datum eſt anno nono ejuſdem regis, Junii viceſima die, in palatio itidem Attiniaco, ubi Pippinus major-domus Curborium vicum pagi *Tellau* Fulrado abbati adjudicavit, non obſtante interceſſione Raganæ abbatiſſæ monaſterii apud Septem-molas. Utrumque placitum Wineramnus recognovit. Omnia porro ſequentium annorum diplomata, pleraque authentica & primaria, Fulradum abbatem monaſterii ſancti Dionyſii præferunt. Non audiendus itaque Cointius, qui Conſtramnum hoc loco abbatem ex vitioſo apud Dublettum diplomate obtrudit, Fulradumque prædicti monaſterii abbatem ante annum ſeptimum Pippini regis exſtitiſſe negat, hac potiſſimum adductus ratione, quod Bonifacius in procinctu poſtremæ ſuæ in Friſiam profectionis, quæ anno ſeptingenteſimo quinquageſimo-quarto accidit, epiſtolam nonageſimam-ſecundam inſcribit *conſacerdoti Fulrado presbytero;* dicturus, ut vir doctus putat, abbati, ſi Fulradus tum abbas fuiſſet. quaſi ſexcentis non conſtet exemplis, abbatis titulum paſſim omiſſum fuiſſe, ubi quis abbas ſacerdotio præditus erat. Invalidum eſt etiam aliud ejuſdem auctoris argumentum ex eo, quod litteræ Stephani papæ, datæ indictione decima, quæ anno quinquageſimo-ſeptimo reſpondet, inſcriptæ ſunt *Ful-*

b Diplom. p. 489. & ſeq.

c Ibid. p. 490.

ANN. CHR. 750.

rado Dei amabili archipresbytero & abbati venerabilium monasteriorum ab eodem, Deo auspice, fundatorum, nulla mentione facta Dionysiani, quod ille non fundaverat. At si ejusdem epistolæ contextum attentius legas, hunc titulum Fulrado tributum invenies disertis verbis, quibus Fulradum pontifex sic alloquitur : *Per hanc apostolicam auctoritatem tibi, ceterisque successoribus tuis abbatibus cœnobii sanctorum martyrum Dionysii, Rustici, & Eleutherii, licentiam & potestatem concedimus ædificandi monasteria.* quæ verba sibi contraria obelo transfigere placuit doctissimo annalistæ, non ob aliam rationem, quam quia Constramnum abbatem ad eum annum pervenisse opinatus est. Verum satius est Constramnum, vitiosum nomen, nec nisi in vitioso diplomate repertum, ex numero delere abbatum Dionysianorum, in quibus Amalbertus, Godobaldi successor, proxime Fulradum præcessit. Certe in prælaudata clausula codicis Dionysiani, Folradus archipresbyter & abbas ejus monasterii fuisse dicitur eo anno, quo Pippinus rex denuo in regem, & patricium una cum duobus filiis suis, Carolo & Carolomanno, unctus & benedictus est, id est anno septingentesimo quinquagesimo-quarto.

XLV. Ejus patria, parentes & quædam gesta.

Fulradum ex Alsatia oriundum fuisse probant amplissimæ ejus possessiones illo in pago consistentes, quas sancti Dionysii monasterio contulit ; nempe monasterium Lebraha, cella sancti Hippolyti, aliaque prædia, de quibus alias agendum erit. Hinc Carolomanno, Pippini regis filio in Austria dominanti, adhæsit, fuitque ejus capellanus, &, sicuti aiunt, in Lebrahensi monasterio sepeliri voluit. Parentes habuit clarissimos, Riculfum & Ermengardem ; fratrem Gaustbertum, sororem Waldradam seu Waldradanam. Quantum apud Pippinum regem valeret Fulradi auctoritas, discimus in primis ex Bonifacii epistola nonagesima-secunda ad ipsum, qua eum rogat, ut suis verbis gloriosum & amabilem regem Pippinum salutet, & illi magnas gratias referat de omnibus pietatis operibus, quæ secum fecerat ; & ut imminentem sui ipsius obitum ei indicet, discipulosque commendet, Lullum in primis, quem sibi in episcopatu Moguntino successorem substitui postulat. Magni etiam ponderis erat apud Romanos pontifices Fulradi nomen, ad quos varias obivit legationes, quibus egregie perfunctus est. Prima fuit illa, cum ad consulendum de novo rege creando Zachariam missus fuit. Idem etiam Stephano tertio in Galliam accedenti obviam a Pippino missus, eumdemque postea Romam reduxit. Inde Roma cum papæ litteris ad Pippinum reversus, iterum eo proficiscitur, ut Pentapolim & Æmiliam, quas Aistulfus, Pippino compellente, restituere pontifici promiserat, ipse in manus Stephani resignaret. Aistulfo exstincto, Desiderius, cum per Ratchisi factionem Langobardorum regnum obtinere non valeret, misso Fulrado cum valida Francorum manu, conatus adversariorum compressit. Ad hæc Fulradus apud Hadrianum papam satis egit, ut is pallium Tilpino Remorum antistiti per ipsum mitteret, quod Abeli ejus decessori antea obtinere tentaverat Bonifacius. Denique eumdem etiam ad Hadrianum ipsum a Carolo cum Adone abbate legatum fuisse docet epistola nonagesima-prima codicis Carolini. In his omnibus quam recte & integre se gesserit, Stephani & Pauli Romanorum pontificum ad Pippinum litteræ probant, necnon privilegia monasterio Dionysiano ab iisdem pontificibus concessa. His in litteris, aliisque monumentis honoris causa nuncupatur Pippini consiliarius, capellanus palatii, Franciæ archipresbyter, id est archicapellanus : cujus officium erat, totum palatii regum Francorum clerum sub cura & dispositione sua habere, ut Hincmarus [a] tradit ex Adalhardi abbatis libro de ordine palatii. Hinc Fulradus Alcuino *pastor sacræ capellæ* appellatur in ipsius epitaphio : quod munus usque ad obitum, uti mos erat, videtur retinuisse, quidquid Peyratus in contrarium dicat.

a Hincm. epist. 14.

XLVI. Burchardi episcopi Wirziburgensis vitæ compendium.

Alter e legatis Pippini ad Zachariam papam Burchardus, professione monachus, testante [b] Egilwardo, ex insula Britannia, ubi Deo a puero devotus fuerat, in Germaniam ad Bonifacium profectus, primus ab eodem Wirziburgensis episcopus ordinatus est anno ejus sæculi quadragesimo-secundo. Non diu post hanc Romanam legationem superstes fuit, quippe qui ante Bonifacii episcopi martyrium e luce subtractus est. Idem sancti Kiliani episcopi, ejusque sociorum martyrum corpora e tumulo extulit, quorum vestimenta, cum libris in eorum tumulo appositis, integra reperta sunt. Hinc villam Michelenstatum, quam ei Carolomannus princeps olim largitus fuerat, iisdem martyribus cum aliis prædiis dono dedit. Ejus pontificatu quædam virgo, genere nobilis, Deo devota, cum sodalibus suis in Monte-sanctæ-Mariæ,

b Vita lib. 3. c. 1.

ANN. CHR. 750.

qui Wirceburg-antiqua dicebatur, continentissimam agebat vitam. Imminæ nomen erat, filiæ Hettani, Gozberto duce, sancti Kiliani interfectore, progeniti. Hæc ad vitandum adventantium tumultum, in locum ab urbe remotum cum suis secedere cupiens, castellum Carloburgum a Burchardo sibi precario dari petiit, obtinuitque, eoque in loco monasterium ædificavit. Hic locus situs est ad Mœnum, ab urbe Wirziburgo distat tribus passuum millibus, Carlostatum vulgo appellatus, quem sancta Gertrudis virgo, quæcumque demum illa sit, suo illustrasse secessu dicitur. Burchardus illic Imminam abbatissam sepelivit, idemque sancti Kiliani reliquias in Montem-sanctæ-Mariæ, ab Immina commutatione acceptum, transtulit, cathedralem ibidem ecclesiam instituere cogitans, quam tamen alio in loco posuit, sancti Kiliani reliquiis in eam illatis. Tandem & ipse solitudinis amore in ejusdem montis recessu monasterium sibi, suisque sequacibus condidit in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ sanctique Andreæ, collatis prædiis, quæ duodecim fratribus alendis sufficerent. Inter præcipuos ejus discipulos sanctus Gumbertus seu Guntpertus celebratur. Sub finem vitæ Megingaudum seu Megingozum sibi subrogari curavit, quem puto esse Megingordum illum diaconum & monachum cœnobii Fritislariensis, de quo mentio est in Bonifaciana epistola decima-septima. Ordinato successore, ipse cum sex monachis secundo Mœno flumine in castellum Hohemburgum recepit se se; codices, quos vel ipse descripserat, vel undequaque conquisierat, secum deferens, ibique reliquos vitæ dies in divina contemplatione, precibus, vigiliis & inediis exegit, cogitans de condendo apud Michelenstatum monasterio, quod morte præventus exsequi non potuit. Obiit II. nonas Februarii, Wirziburgi a successore sepultus. Ejus vitæ scriptor post anonymum Egilwardus monachus, virum sanctum ait obiisse anno Christi Domini septingentesimo nonagesimo-primo, post initum episcopatum quadragesimo. quod falsum esse constat, tum ex Liudgero auctore æquali in libro de vita sancti Gregorii abbatis Trajectensis, ubi Burchardum tradit e vita decessisse ante sancti Bonifacii martyrium, quod anno quinquagesimo-quarto accidit, aut insequenti: tum ex eo quod Wunebaldus abbas Heidenheimensis tertio ante obitum suum anno, (obiit vero anno septuagesimo-primo) Wirziburgum accessit, ibique cum Megingozo episcopo, Burchardi successore, colloquium habuit. Missa facio alia hanc in rem argumenta. Non ergo quadraginta, sed tantum novem aut decem annos episcopatum tenuit Burchardus, cui Marianus Scottus, Egilwardo ætate superior, novem tantum regiminis annos tribuit.

Carloburgense monasterium.

Aliud S. Burchardi.

XLVII. Megingozus Burchardi successor.

Megingozus Burchardi successor, Bonifacio valde familiaris fuit, testante Lupo in libello de gestis Wigberti abbatis monasterii Fritislariensis, ubi Bonifacius *cum Megingo* seu Megingozo *suo, qui postea culmen episcopale subiit,* diu conversatus perhibetur, laxamque antehac ac fluidam fratrum conversationem ad normam vitæ suæ coërcuisse. Extant duæ Megingozi episcopi litteræ [a] ad Lullum Moguntinum antistitem inter Bonifacianas, quarum in priori consilium a Lullo petit, quid facto sibi opus esset post mortem instantem sororis suæ, cujusdam suæ diœcesis abbatissæ, forte Carloburgensis, anxius & sollicitus de alia in ejus locum substituenda. Ipsa ejus verba hic referre juvat. *Notum vero fieri venerandæ caritatis vestræ dignationi desideramus, quia exitum sororis nostræ, extremum spiritum agentis, mœroribus ac timoribus undique depressi præstolamur; mortem videlicet carnis illius, instinctu naturalis conditionis, velut propriam dolentes; & pro animæ illius eventu incerto, & soli judici piissimo noto, & insuper familiæ loci illius tenerrimæ, & propemodum sine ulla consilii firmitate, dissicissionem, vel, quod gravissimum est, animarum interitum pertimescentes. Quapropter magnitudinis vestræ pietati humili intentione supplicantes obsecramus per Christum salvatorem, resurrectionemque mortuorum, ut nobis supra dictis cruciatibus afflictis, quid post obitum illius sit pro stabilitate salutari monasterioli faciendum, prout Domino juvante colligere valeatis, litteris indicare per hunc nuntium non dedignemini. Sunt enim, sicut scitis, illic filiæ fratris nostri velatæ, in quas fortasse intentio ignorantium conversa est. Sed nulla ex his adhuc vel ætate, vel sensus aliqua firmitate, ad suscipiendum tale pondus congrua poterit judicari. Et formidamus dispersionem inconsultam familiæ, nisi celeriter ordo ac stabilitas per abbatissam collocetur.* Ex his aliisque verbis manifestum est, quanta sollicitudine gregem sibi commissum procuraret Megingozus, & quam expers fuerit projecti in consanguineos amoris, utpote qui fratris sui filias, regimini monasterii necdum idoneas, refugit

[a] Bonifac. ep. 80. & 87.

adhibere, Lulli metropolitani hoc consilia, ut in re non levis momenti, cum multa prece deposcens.

ANN. CHR. 710.

XLVIII. Petronaci abbati Casinati successus Optatus.

Sub hoc tempus e vita excessit Petronax abbas & instaurator sacri monasterii Casinensis, post annos regiminis triginta-duos, quos illi uno consensu veteres indices tribuunt. Obiit pridie kalendas Maii, sepultusque est in portico juxta basilicam sancti Martini. Casini abbas sextus a Paulo Warnefridi numeratur, quippe post beatum Benedictum sacro loco præfuerunt Constantinus, Simplicius, Vitalis, & Bonitus, sub quo monasterii destructio a Langobardis facta est, vacuo inde spatio usque ad Petronacem, qui sacro monti pristinum decus, avitæque religionis formam restituit, non immerito in fastis Benedictinis tum ob hanc causam, tum ob præclara pietatis merita celebratus, tametsi nullo hactenus ecclesiæ cultu honoratus etiam in monte Casino. Is, Paulo teste, multorum ibi monachorum, nobilium ac mediocrium, ad se concurrentium pater effectus est; quos inter Carolomannus princeps Francorum merito primas tenet. Istuc monasticæ perfectionis causa in multis accesserunt Petronace abbate Willibaldus, qui per annos decem ibidem versatus est, ac Sturmius Fuldensis abbas a Bonifacio missus, ut exemplum inde sumeret ad componendam monasterii sui disciplinam. Sub eodem abbate Casini floruit Cyprianus presbyter & monachus, qui de sancti Benedicti miraculis hymnum, in ejus festivitate cantandum, composuit, testante Petro [a] diacono, eum scilicet, qui sic incipit: *Aureo solis radio perennis*, &c. in antiquis nostri ordinis ecclesiasticis libris facile obvius.

[a] Petr. diac. de vir. illust. c. 7.

S. Benedicti corpus repetitur.

Petronaci successit Optatus abbas in annos decem. Is ab ipso prælaturæ exordio cum Carolomanno consilium cepit repetendi corporis sancti patris Benedicti, quod ante annos fere centum in Galliam translatum fuerat. Missi ejus rei causa Romam monachi ad Zachariam pontificem, ut ejus litteris & auctoritate muniti, facilius id impetrarent. Alia etiam Carolomanno ejus legationis causa erat, ut scilicet Pippinum ac Grifonem, ab invicem dissidentes, ad pacem & concordiam revocaret. Annuit postulatis Zacharias, ac monachis e Casino missis ad omnes episcopos, presbyterosque Francorum ecclesiæ litteras dedit, quibus eos hortabatur, primum, ut germanos fratres ad concordiam reducere conarentur: deinde ut sancti Benedicti corpus Casinatibus restituendum curarent. Exstant hæ litteræ apud Adrevaldum, qui eas a Carolomanno ipso delatas scribit; additque ejus restitutionis curam Pippini jussu demandatam fuisse Remigio episcopo Rotomagensi, qui ab efferendo sacro corpore, offusis densissimis tenebris, divinitus impeditus sit. Verum id per se non præstitit Carolomannus, qui non nisi Zacharia mortuo in Galliam venit jussu Stephani papæ, ut a Pippino fratre auxilium adversus Aistulfi regis vexationes obtineret. Neque vero Zacharia pontifice sedem Rotomagensem obtinuit Remigius, sed tantum post annos quinque: at scriptoris oscitantia facile id tribui potuit jam episcopo, quod necdum episcopus exsecutus est.

XLIX. Floriacenses abbates.

Regebat eo tempore Medo abbas Floriacense monasterium, in quo sacræ beati Patris reliquiæ servabantur, servanturque etiam nunc. Hic, accepto Pippini mandato, reddi a se ait non licere sacrum depositum, quod cælitus sibi commissum fuisset. Urgent nihilo minus principis mandatum missi proceres; &, ubi nihil preces obtinent, rem per se ipsi exsequi properant. Verum ubi ad sacrum loculum, qui in basilica sanctæ Mariæ asservabatur, accedunt; oborta subito caligine turbati, ab incœpto manus abstinent, ac veniam a Medone abbate monachisque precati, re infecta redeunt ad Pippinum. Idem refertur in actis episcoporum Rotomagensium, in quibus tamen additur, Remigium rogasse abbatem, ut vel modicam partem sacrarum reliquiarum Casinatibus concederet, ne sacer locus, beatissimi Patris quondam illustratus præsentia, tanto thesauro omnino frustraretur: abbatem vero libenter ejus petitioni acquievisse. Hic est Medo abbas, qui, teste eodem Adrevaldo, ædiculam in honorem sancti Benedicti exstruxit in secretiori loco, ut tunc erat, Aurelianæ civitatis, quæ abbati & monachis in necessariis rebus agendis perfugium atque aptissima habitatio esset. Floriaco præfuit annos viginti-unum Medo nonus loci abbas: cujus successores in veteri indice Baluziano hoc ordine recensentur. Rodulfus seu Radulfus in annos novem decim, Ido ad novem, Magulfus ad sexdecim, Fulraldus ad sesquiannum, successorem quarto-decimo loco sortitus Theodulfum, qui per annos fere viginti abbatiam cum episcopatu Aurelianensi retinuit. De Radulfo & Magulfo seu Magnulfo inferius.

ANN. CHR. 750. L. Anselmus dux Fanani monasterium condit.

Consimile Ratchiso exemplum edidit Anselmus, qui eidem Ratchiso ex-duce regi facto in ducatum Forojuliensem successerat. Is quippe hoc anno monasterium Fanani exstruxit; atque altero post anno nuntium & ipse sæculo remisit. Fananum locus est in montibus, viginti-duobus passuum millibus ab urbe Mutina in meridiem distans, quem locum Aistulfus rex, Ratchisi successor, Anselmo, Giseltrudæ reginæ conjugis suæ fratri, concessit. Illic monasterium ab Anselmo ædificatum ad honorem Dei & salvatoris nostri Jesu-Christi, & *monachi regulares* ibidem ab eo instituti, adjuncto hospitio ad excipiendos hospites ac peregrinos, de quibus magna ei cura & sollicitudo erat, ut nullus inde absque caritatis obsequio discederet.

ANN. CHR. 751. LI. Wunebaldus Heidenheimensis monasterii auctor & abbas.

SUb finem hujus anni, aut insequentis initium, Wunebaldus Heidenheimense monasterium in pago Sualaveldorum ædificare cœpit, cum per tres annos verbum Dei apud Bajoarios prædicasset. In illo munere ita se gessit, ut nullo personarum respectu, potentibus ac divitibus nequaquam blandiendo assentaretur; sed æqualiter omnes dijudicans, immo in superbos divites erectior ac severior, morum disciplinam in illis partibus multum labefactatam, in primis adulterina conjugia, variasque e paganorum reliquiis superstitiones correxerit. Inde post tres annos Moguntiam ad Bonifacium reversus, in illa urbe subsistere noluit, maxime ob vini ubertatem, veritus, ne vini copia monachalis vitæ frangeret disciplinam. Itaque animo constituit fratrem suum adire Willibaldum Eistetensem episcopum, eoque probante & adjuvante locum incultum, silvisque obsitum, *Heidenheim* nomine, dato pretio comparavit; ibique, succisis arboribus, ac vepribus & tribulis exstirpatis, extemporaneas primum casulas, tum monasterium duplex construxit, unum virorum, cui ipse præfuit; alterum virginum, quod Walpurgi sorori regendum commisit. Illic cum suis monasticæ vitæ regularem & accuratam servavit disciplinam, qualem jam olim ab ipsa juventute in patria excoluerat, ac postmodum Romæ erat professus. Utroque cœnobio monasticis disciplinis probe instituto, emendandis dein adjacentium populorum corruptelis animum adjecit. Hinc plurima paganicæ pravitatis sublata vestigia; haruspicia, divinationes, & incantationes, aliæque malæ artes rejectæ; incestæ & adulterinæ copulationes emendatæ; sacerdotum restitutus cælibatus. Ita vero se omnibus aptabat vir sanctus, ut, sive zelum, sive clementiam adhiberet, universis se amabilem exhiberet, hoc Gregorii Magni effatum recolens: Non diligenter auditur, qui non diligitur. Neque vero soli monasterio suo in temporalibus profuit, sed etiam aliis vicinioribus, utpote cellæ Elewangensi, quæ tunc temporis modica opibus tenuisque erat; atque etiam alteri cellæ, quam sanctus Sola eo tempore condiderat. Immo in omnes egentes profusa erat Wunebaldi caritas & commiseratio: adeo ut Heidenheimense monasterium asylum & portus esset omnium quavis necessitate laborantium.

LII. S. Solæ vita & cella.

Sola seu Solus, ex insula Britannia in Germaniam profectus, a Bonifacio institutus, presbyterque ordinatus est. Solitudinis amans, unde nomen accepisse dicitur, in pagum Sualam seu Sualavaldorum secessit, substititque eo in loco, cui postea Cella-Solæ sive Solenbus vocabulum fuit. Situs est hic locus in confinio Turingiæ ac Bajoariæ, habens ex orientali plaga fluvium Altmonam seu Altmulam, piscibus copiosum & abundantem; ad occidentalem alpes; iners ac sterile solum, in quo nihil fere præter siliginem gignitur. In vasta illa eremo Sola, cum rebus pæne omnibus destitueretur, adjutores habuit Willibaldum episcopum & Wunebaldum abbatem, sanctissimos fratres, qui populari suo commeatum ac subsidia præbuere: ex quibus Wunebaldus eidem villam *Altheim* dono dedisse memoratur. Horum exemplo & Solæ sanctitate commoti regionis accolæ, cellæ ædificandæ etiam suppetias contulere, quam postea vir sanctus Fuldensi monasterio subjecit, ob amorem scilicet magistri sui Bonifacii, quem ab ineunte ætate sequendum sibi proposuerat, ejusque familiæ sanctæ illius institutionis imitatricis. Pervenit Solæ fama ad aures Caroli Magni, qui in eumdem etiam locum munificus fuit, testante Ermanrico levita

Elewangense monasterium.

& monacho, dein abbate cœnobii Elewangensis, eodem tempore conditi in diœcesi Augustana. Inter fratres-conscriptos sancti Galli nominantur ex Elehenwangia Sindoltus, an Sindolfus, & Erfinan abbates. Huic cellæ, initio tenuissimæ, Wunebaldus duo prædia donavit. Mentio identidem recurret de hoc monasterio, quod modo collegium est canonicorum sæcularium.

In

ANN. CHR. 751.

LIII. Eadburgæ Tanetensis abbatissæ obitus.

In Cantia Eadburga, Tanetensis post sanctam Mildredam abbatissa, hoc anno ex hac luce ad æternam migravit. Huic suffecta Sigeburta, quæ a Cuthberto Cantuariensi antistite consecrata fuisse dicitur apud Willelmum Thornum. Ejus tempore Dani repetitis quotannis cladibus monasterium infestarunt, ob idque sanctimonialium numerus ad paucas redactus: quem Siledrita, Sigeburtæ a rege Cudredo subrogata, & ab Athelardo archipræsule consecrata, tantisper auxit. Sed tandem sæculo undecimo ineunte destructum est a Danis Tanetense monasterium sub Leofrica abbatissa, ac non multo post, idem cum tota sua substantia, Cantuariensi sancti Augustini monasterio incorporatum, sanctæ Mildredæ reliquiis eo translatis. Eadburga an eadem sit cum Bugga abbatissa, in libro sequenti expendemus.

LIV. Rausoliacum Atano a Carissima datum.

Hoc etiam anno Carissima, nobilissima femina apud Lemovices, Odonis Biturigum principis & Basiliæ filia, Rausoliacum * cœnobium Atanensi sancti Aredii monasterio donavit ob amorem ipsius Aredii, ex cujus genere originem maternam ducebat. Hæc donatio ea conditione facta est, ut monachi Atanenses Rausoliæ corpus ejus sepelirent in mausoleo, quod ipsa sibi a Gilberto comite Narbonensi comparaverat: Rausolienses vero monachi quotannis *ad missam sancti Juliani* decem solidos super altare monasterii Atanensis persolverent. Atanensibus item concessum, ut tres aut quatuor ex illis ad festivitatem sancti Martini, vigilias celebraturi, causa honoris convenirent. Facta donatio mense Septembri, *vesano Childerico regali sede ejecto, atque Pippino rege piissimo a Francis in eodem regno pro eo constituto.* quod sub finem hujus anni, aut initiom insequentis contigit.

* *Monster-Rausolis.*

LV. Childerico rejecto, Pippinus regnat.

Accepto quippe Zachariæ favorabili consilio, Pippinus Childericum regem tonderi, ac Sithiensi monasterio includi jussit. Fontanellensis chronographus, postquam retulit Hildericum regem, Merovingorum ex genere ortum, depositum, tonsumque, ac in monasterium sancti Audomari, quod dicitur Sithiu, trusum fuisse; hæc addit observatione digna, quæ apud nullum alium auctorem legere memini: *cujus filius, nomine Theodericus, in hoc monasterio*, Sithiensi an Fontanellensi, *clericus effectus, collocatus est*. Ex quo apparet, si tamen chronographus ille antiquus non fallit, Childericum, quod alii volunt, cælibem non fuisse. Pippinum Suessione a Bonifacio Moguntino pontifice regem inunctum, ibidemque a Francis in regale solium evectum fuisse docent veteres Francorum annales. quod factum *in monasterio sancti Medardi* tradit ejus loci ᵃ chronographus. Benedictus monachus Italus, qui chronicon nondum editum a Christo nato ad annum nongentesimum sexagesimum-quintum perduxit, Pippinum de sua electione & unctione hoc modo loquentem inducit: *Ego Pippinus secundum morem Francorum electus sum in regem, & unctus per manus sanctæ memoriæ Bonifacii archiepiscopi, & elevatus sum a Francis in regnum Suessionis civitate. Ildericus vero Saxcus, qui falso rex vocabatur, tonsoratus est, & in monasterio missus.* forte quod apud *Saxonas*, seu Suessionas tonsus sit; vel quod mortuo Chilperico patre ad transmarinos Saxones, in insula Britannia degentes, quod non semel contigit, perfugisset. Cointius Pippinum Suessione a Bonifacio inunctum, ac coronatum fuisse negat contra veterum omnium auctoritatem, hac ratione, quod hoc factum sanctissimi præsulis pietati ac famæ non conveniat: alias eum participem fieri perjurii ac flagitii, in abdicando Childerico perpetrati. itaque Pippinum, ut inscio Zacharia Romano pontifice, sic absente inscioque Bonifacio, regem constitutum fuisse in conventu Suessionensi. Vellem equidem utrumque infectum: sed utrumque certum & exploratum, ne quid de Anastasio dicam, ex Eginhardo & ex vetustis Francorum annalibus, quibus elevandis ejusmodi ratio non sufficit. Viderat Bonifacius Carolum principem, per totos sex annos, sine rege, sine socio, Francis imperantem. Viderat ipsius Caroli filios Carolomannum & Pippinum mortuo patre ambos primum, dein Pippinum solum cum Childerico, solo nomine rege, itidem regnantem. Sciebat consilium, ne dicam mandatum Zachariæ papæ, & suffragia Francorum, qui communi consensu regnum Pippino deferebant, flagitantes, ut eum regem Bonifacius ipse, tonso jam Childerico & in monasterium retruso, coronaret. Factum id, quod tot & tantis præjudiciis faciendum nulli tum non faciendum videbatur. Bonifacii actionem si non probat talis rerum ac temporum conditio, saltem quodam modo excusat, quod anticipata possessio, etsi injusta, rem jam approbasse, & confirmasse reputaretur. Ceterum Pippinum hoc anno, aut proximo ineunte, regem creatum fuisse constat, tum ex vetustis annalibus Francorum, tum

ᵃ *Spicil. to. 2. p. 784.*

ANN. CHR. 711.

ex multis diplomatibus & instrumentis, ex quibus nonnulla inferius proferentur. Certe secundam ejus inaugurationem, quæ anno quinquagesimo-quarto kalendis Maii a Stephano papa facta est, prima hæc triennio integro præcessit, uti diserte habet clausula, veterrimu codici Dionysiano apposita, quam suu loco referemus. Denique Pippino hoc eodem anno Carolomannum filium natum fuisse tradunt veteres quidam Francorum annales.

LVI. Leodegarius abbas Corbeiensis.

Corbeiensi monasterio tum præerat Leutcharius, seu Leodegarius abbas, Grimonis successor. Is a Pippino jam rege diploma obtinuit, quo prædicto monasterio possessiones omnes asseruntur, abstractarum autem restitutio præcipitur. Sed quia regium præceptum in chartaceis codicibus destitutum est chronicis notis, Leodegarii tempus regiminis accurate definire non possumus. Res ab eo in præfectura gestæ æque obscuræ: nisi quod ejus nomen præfert scriptus Ambrosii commentarius in Lucam, his verbis: *Leutcharius abba jussit fieri.* & in fine:

Leutcharius jussit hunc sanctum scribere librum.

quem librum postea Ratbertus manu propria emendavit, ut ejus correctiones, & correctoris nomen codici appositum fidem faciunt. Ejus præfectura producenda est ad annum saltem sexagesimum-quintum, quo interfuit, subscripsitque conventui Attiniacensi.

LVII. S. Georgii monasterium Reate conditur.

Ad res Italicas quod attinet, hoc ipso anno conditum est a Lupone Spoletano duce, ejusque conjuge Hermelinda, monasterium sancti Georgii martyris prope » muros civitatis Reatinæ, ea conditione, ut ibidem congregatio sanctimonialium » adunaretur ex diversis provinciis, sive Langobardæ, seu Francæ essent; & ut se» cundum Deum & *sanctam Regulam* in ipso sancto cœnoblo vitam agerent, & quo» tidie pro christianarum animarum salute hostias, laudesque Deo offerrent. Prima » loci abbatissa fuit Domnolina: qua mortua, libera electio sanctimonialibus conces» sa, cum permissu tamen & consensu abbatis Farfensis monasterii sanctæ Dei genitri» cis Mariæ, cui hoc puellare cœnobium conditores subjectum esse voluerunt. Ejus » rei diploma datum est Spoleti in palatio, mense Aprili, anno Luponis ducis sexto, » per indictionem quartam, quo tempore Fulcoaldus abbas Farfensibus præerat. Extat in primo [a] volumine Musei nostri Italici ejus argumenti diploma, quod dom» nus Lupo & domna Hermelinda, gloriosi & summi duces (ipsa diplomatis verba » refero) ediderunt. Eodem anno rex Flavius Haistolfus, rogatu Leodegarii episcopi, Fulcoaldo abbati confirmat prædictum sancti Georgii puellare monasterium, quod dux Lupo exstruxerat. Datum Ravennæ in palatio, quarto die mensis Julii, » anno felicissimi regni sui tertio, per ipsam indictionem quartam. Februario insequente per indictionem quintam Rotharius abbas incerti loci, una cum conjuge » sua Hitta sanctimoniali femina, & filiis suis, concessit eidem monasterio olivas tæl» ltas quindecim, in loco, qui dicitur Mussinus. Actum Spoleti.

[a] Mus. Ital. pag. 50.

LVIII. Luponis ducis insigne placitum pro Farfa de monasterio Claudiani presbyteri.

Præ ceteris insigne mihi videtur placitum ejusdem Luponis in causa Clandiani presbyteri & monachi, qui in Terentiano monasterium sanctæ Mariæ, sanctique Michaelis ædificaverat, illudque in extremis positus Farfensi monasterio attribuerat. Huic subjectioni Vitulus ejus germanus, aliique propinqui intercessere. Auditis utriusque partis rationibus, judicium secundum Farfenses pronuntiatum est. Placitum integrum ex tabulario illius monasterii huc referre juvat.

In Dei nomine, dum residerem ego domnus Lupo, gloriosus & summus dux gentis Langobardorum in Spoletis, in palatio, una cum judicibus nostris, id est Gademarco, Arechis diacono, Perto sculdario, Hallone sculdario, Camerino gastaldo de Valva, Immo de Reate gastaldo, vel aliis pluribus astantibus; ibi venerunt in præsentia nostra Claudianus presbyter & monachus, una cum Vitulo germano suo, & nepotibus suis, id est Ansualdo presbytero, Saxoreo, Causone, habentibus cum eo altercationem de substantia sua. At ubi proponebat ipse Claudianus presbyter, dicens: Sunt modo anni non minus triginta, ex quo habuimus substantias divisas cum istu fratribus meis; & in portione, quæ mihi venit in Terentiano, ædificavi pro anima mea monasterium sanctæ Mariæ & sancti archangeli Michaelis. Postea dum mihi contigisset infirmitas, usquequo ad transitum venirem, feci per scriptum, ut omnes portiones substantiæ meæ, vel conquisitum quod habui, cum ipso monasterio post meum decessum reverterentur omnia in dominium

ANN. CHR. 751.

vel potestatem monasterii sanctæ Mariæ in Acutiano. Dum hoc factum est, fecit in me Dominus suam pietatem, & reductus sum ad medelam salutis de ipsa infirmitate. Modo vero, compungente me divina majestate, volo cum omni ipsa substantia esse servus sanctæ Mariæ, & in monasterium introire, & regulariter vitam meam ibi finire. Respondebat pars Vitali & Ansualdi, & nepotum eorum, qui causam suam, aliorumque fratrum suorum, qui in Reate remanserunt, vindicabant: Non faciat Deus, ut veritas sit, sicut proposuisti. Sed nos dicimus veritatem, qualiter acta est causa inter nos. De substantiæ nostræ divisione verum est, quod jam plures anni sunt, ex quo habuimus divisas substantias, & in quo modo dicimus. Dum ad dividendum venissemus, habuimus substantias per singula loca, & domum cultam non habebamus, nisi unam casam in Terentiano: alias casas tantum colonicias habebamus: & dum in plures partes nobis veniret ad sortiendum ipsam domum cultam, sic a nobis postulavit iste frater noster Claudianus, ut dimitteremus illi super totam partem substantiæ nostræ ipsam casam domum cultam in Terentiano, cum omnibus suis pertinentiis, in tali tenore, ut communiter nobiscum ibidem ædificare deberet monasterium, ita ut filii nostri ibi tenderent, & in ejus traderentur servitio, & ad discendum litteras: post ejus vero decessum, ipsum monasterium vel ejus partes reverterentur in nostram, vel filiorum nostrorum potestatem. Nos vero communiter cum eo construximus ipsum monasterium, & filios nostros, ut nobis repromitteret, tradidimus ei ad serviendum; & cartulam nobis in eo tenore fecit, ut post ejus obitum nobis remaneret. Modo autem vult eam subtrahere nobis, introiens cum rebus ipsis in monasterio sanctæ Mariæ. quod nobis major comparescit præjudicium esse. Sed proponebat Claudianus, dicens: Quid plura habeo dicere, quam dixi? nequaquam dixerunt verum, nec aliquando placitum istum ad eos feci de mea portione, aut scriptum, ut proponunt. Dum talia nos, qui supra, domnus Lupo eorum cognovissemus intentionem, una cum prædictis judicibus nostris interrogavimus ipsum Claudianum, si haberet cartulam, ut dixit, quam in transitu suo fecisset. At ille nobis dixit, quia ecce cartam præ manibus habeo. Ilico fecimus eam in nostra relegi præsentia. Continebat enim, qualiter prius dixerat, ut post ejus obitum reverteretur in sanctam Mariam. Iterum ipsi fratres vel nepotes ejus ostenderunt a parte sua cartam, ut dicebant, quam Claudianus eis fecisset. Fecimus & ipsam relegi. Comparuit fraudulenta, in qua re nec notarium verum habebant, nec testimonia. Comparuit nobis rectum, & decrevimus, Deo medio, una cum supra scriptis judicibus nostris, ut pars Claudiani diceret eorum justitiam, ad sancta Dei evangelia, quod suam portionem eis nullo modo obligasset, nec cartulam ipsam ad eos fecisset: sed ab illa hora liceret ei cum rebus suis in jam dictum monasterium introire. Et de præsenti præparavit se ipse Claudianus facere eis ipsum sacramentum. Ipsi vero donaverunt ei, & ammiserunt sacramentum ipsum ante præsentiam Immonis gastaldi, Odualdi sculdarii, Tuderadi presbyteri, Alfredi actionarii, Teudualdi gasendii, Gaderii seu Ursi centurionis, & Probati atque Gustantii. Et finita est inter eos causa. Quod vero judicatum, ex jussu supra scriptæ potestatis, scripsi ego Dagarius notarius, mense Decembri, per indictionem quartam feliciter. Hactenus placitum Luponis, quod lectori non ingratum fore existimavi.

LIX. Zachariæ responsa ad Bonifacium.

Inclinante hoc anno Zacharias papa responsum dedit ad varia postulata, quæ ipsi Bonifacius per Lullum proposuerat. Primum erat, sibine liceret cum malis sacerdotibus conversari, quando Gregorius ejus antecessor id ipsi interdixisset. Respondit pontifex, si id fecisset non consentiens iniquitati eorum, sive necessitate cogente, sive eorum salute exigente, nullam culpam, nullum ipsi esse coram Deo detrimentum. Altero excusat Bonifacius, quod principes Francorum nondum promissa implevissent ab ipsis facta, cum pallia quibusdam metropolitanis ab apostolica sede transmissa sunt. quod principibus illis, non Bonifacio imputandum pontifex dicit. Tertio petit sanctus antistes privilegium pro monasterio Fuldensi, quod in loco silvatico, in eremo vastissimæ solitudinis, ipse in honorem Salvatoris exstruxerat, in « medio quatuor nationum, quibus verbum Dei prædicaverat; ubi monachi a se cons- « tituti *sub regula sancti patris Benedicti* vivebant, viri strictæ abstinentiæ, absque car- « ne, & vino, & servis, proprio manuum suarum labore contenti. « Ad quod Zacharias se votis ejus acquiescere ait, & petitionem ejus implere. congruum quippe esse, ut optimus minister inchoatum opus bonum ad finem perducat. Hæc erant epistolæ Bonifacianæ capita, ad quæ Zacharias respondit, subdens alias responsiones ad alia consulta, quæ Lullus verbo ipsi proposuerat: at privilegium Fuldensi monaste-

ANN. CHR. 751. rio concedit singulari diplomate, quod mox referemus.

Ex variis illis consultis viva voce propositis unum erat, liceretne sanctimonialibus feminis in cœna Domini, quemadmodum viris, sibi ipsis pedes abluere? Responsum, licere mulieribus, non secus ac viris, dominicum præceptum implere. Alterum erat, an ante annum ætatis tricesimum fas esset sacerdotes ordinare? Ad quod » Zacharias: Rectius esse, ut hac in re canones serventur: at si necessitas ac minis- » trorum penuria cogat, a viginti-quinque annis & supra levitas & sacerdotes ordi- » nari posse. De Milone pseudepiscopo aliisque ejus similibus, qui ecclesiæ Dei multum nocebant, addit, ejusmodi arguendos & corripiendos esse, ut a nefariis operibus abstinerent. Inquisitum etiam fuerat de laridi usu, post quantum tempus co- » medi posset. Ad quod pontifex nihil hac de re a patribus statutum: at sibi videri, non » comedendum esse, priusquam fumo siccum, atque igne coctum fuisset. si tamen cui- » piam liberet incoctum manducare; nonnisi post paschalem festivitatem esse manducandum. quæ responsio ita interpretanda est, non quod laridi siccati usum quovis tempore, etiam quadragesimali, probet pontifex; sed ne recens ac crudius, aut quadam quasi sanie infectum manderetur, ejus esum post pascha remitteodum. cui Zachariæ consilio Turingi, Westfali, Hessi, & alii, qui crudo etiam nunc larido libenter vescuntur, morem gerunt, uti Serarius observavit. Mitto alia consulta, quæ non sunt nostri instituti. In fine definit pontifex, quot crucis signa in sacro canone sacerdotes facere debeant, expressa in rotulo, quem Lullo dedit. Epistola hæc data est pridie nonas Novembris, imperante Constantino augusto, imperii ejus anno tricesimo-secundo, indictione quinta a Septembri inchoata.

Aliis litteris, eodem die ac tempore datis, Zacharias Moguntiam metropolim confirmat Bonifacio, qui per annos viginti-quinque in illis regionibus verbum Dei a tempore accepti episcopatus prædicaverat. quibus verbis pontifex non novam Moguntinæ ecclesiæ dignitatem confert, quippe quam ab antiquis temporibus habuerat: sed eam Bonifacio, ejusque successoribus confirmat, attributa ipsi Colonia-Agrippina, Germaniæ secundæ metropoli, cui tamen postea antiqua dignitas restituta est. Ceterum mirari subit, enumerandis sedibus Moguntinæ metropoli ex Germania prima & secunda subjectis, scilicet Tungris, Colonia, Wormatia, Spiratia, & Trectis seu Trajecto ad Rhenum, prætermissum Argentoratum. quod casu an consilio factum sit, an vitio exscriptorum, haud exploratum. Eidem metropoli subjecti erant Sueviæ, Rætiæ, Franciæ orientalis, atque etiam Hassiæ ac Turingiæ episcopatus.

L X. Fuldæ privilegium a Zacharia concessum. Jam privilegium, Fuldensi monasterio, rogante Bonifacio, a Zacharia concessum, totidem verbis referre juvat, propterea quod a nemine in dubium revocari possit, & quædam contineat monasticæ disciplinæ illustrandæ opportuna. sic vero habet.

Zacharias papa Bonifacio episcopo, & per eum fratribus in monasterio ab eo constructo. Quoniam semper sunt concedenda, quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet, ut devotioni conditoris piæ constructionis oraculum in privilegiis præstandis minime denegetur. Igitur quia postulasti a nobis, quatenus monasterium Salvatoris, a te constructum in loco, qui vocatur Bochonia, circa ripam fluminis Fulda, privilegio sedis apostolicæ decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ, cui Deo auctore deservimus, ecclesiæ constitutum, nullius alterius ecclesiæ potestati submittatur. Pro qua re piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate id, quod exposcitur, effectui mancipamus. Et ideo omnem cujuslibet ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio ditionem ullam habere aut auctoritatem, præter sedem apostolicam, prohibemus: ita ut nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum sollemnitatem ibidem quisquam præsumat celebrare: ut profecto, juxta id quod subjectum apostolicæ sedi consistit, inconcusse dotatum permaneat. Locis quoque & rebus, tam eis, quas moderno tempore tenet vel possidet, quam quæ futuris temporibus in jus ipsius monasterii divina pietas voluerit augere ex donis & oblationibus, decimisque fidelium; absque ullius personæ contradictione, firmitate perpetua perfruatur. Constituimus quoque per hujus decreti nostri paginam, ut quicumque cujuslibet ecclesiæ præsul, vel quacumque dignitate prædita persona, hanc privilegii nostri chartam, quam auctoritate Principis apostolorum firmamus, temerare tentaverit, anathema sit, & iram Dei incurrens, a cœtu sanctorum omnium extorris fiat. & nihilo minus præfati monasterii dignitas a nobis indulta, perpetualiter inviolata permaneat.

apostolica auctoritate subnixa. Data pridie nonas Novembris, imperante domino augusto Constantino, anno trigesimo-secundo imperii ejus, indictione quinta.

ANN. CHR. 751

Hujus privilegii occasione observat [a] Thomassinus, ante Zachariam nullam summo pontifici abbatiam reservatam fuisse, eique immediate subditam. Itaque monasteria, ante id tempus jurisdictioni diœcesani episcopi exemta, vel metropolitano subjecta censebantur; vel episcopis in synodis, quæ frequentes erant, congregatis, vel certe suo patriarchæ tacita conditione, etsi in privilegiis id expressum non haberetur. De singulari Casaurensis privilegii conditione sæculo insequenti dicendum erit. Pontificio Fuldensis monasterii privilegio accessit deinde confirmatio Pippini regis, cum consensu episcoporum ac principum, præcipientis, ut nullus sacerdotum in prædicto monasterio jurisdictionem quamlibet exerceret, præter sedem apostolicam. Hoc privilegium exstat inter epistolas [b] Bonifacianas, apud Cointium, aliosque. Id confirmavit Stephanus papa secundus litteris datis Sturmioni abbati, relatis a Browero, aliisque.

a Thomassin. Discipl. parte 1 lib. 3. c. 30. n. 8. &c.

b Bonifac. ep. 132.

ANN. CHR. 752.

LXI. Zacharia mortuo suffectus Stephanus.

POstero anno Zacharias pontifex ex hac vita decessit idibus Martii, rebus gestis optime meritus de ecclesia, & de ordine sancti Benedicti, qui, præter alia beneficia superius commemorata, hoc ipsi acceptum refert, quod Dialogos Gregorii Magni, atque adeo sancti Benedicti actus, græce vertit, Græcisque legendos exhibuit. Id vero Pippinus ab eodem obtinuit, teste [c] Lupo abbate Ferrariensi, ut episcopalibus sedibus procuraret antistites: ut acerbitati temporum industria probatissimorum antistitum decedentibus episcopis mederetur. Post duodecim dies in Zachariæ locum electus est Stephanus: quo repente exstincto, nova electione subrogatus est Stephanus alter, secundus dictus, quoniam prioris, qui ante consecrationem obierat, nulla ratio habita est. Is nihil antiquius habens, quam pacem & quietem Romanæ ecclesiæ, ab Aistulfo rege Langobardorum vexatæ, procurare: tertio post consecrationem mense Paulum diaconum fratrem suum, & Ambrosium primicerium legatos ad Aistulfum misit, eumque ad fœdus in annos quadraginta sanciendum adduxit. Verum cum illud quarto post mense violasset Aistulfus, atque Romanæ ditioni, ipsique urbi, exitium minaretur; continuo pontifex Optatum abbatem sancti Benedicti, id est Casinatem, & Attonem abbatem sancti Vincentii ad Vulturnum, spectatæ vitæ sanctitatisque homines, ad ipsum Aistulfum misit cum amplissimis muneribus: verum, eo nuntios & munera superbe rejiciente, prorsus irrita hæc legatio fuit. Optatus abbas Petronaci, Atto Tatoni successerat. Exstat Bonifacii episcopi Moguntini ad Optatum [d] epistola, *Reverendissimo fratri, immo dilectissimo consacerdoti Optato abbati, & universæ sanctæ congregationi, sub cura illius regularis vitæ normam custodienti*, inscripta, qua eum hortatur ad ineundam fraternæ dilectionis & societatis spiritalis communionem.

c Lup. epist. 81.

Optatus & Atto abbates ad Aistulfum missi.

d Bonifac. ep. 106.

LXII. Anselmus ex duce abbas Nonantulæ monasterium condit.

Interim Anselmus dux Forojuliensis, Aistulfi sororius, is qui Fananum monasterium ante biennium condiderat, alterum Mutinensibus in campis trans Panarium seu Scultemnam amnem moliebatur in loco Nonantula dicto, quem ab Aistulfo acceperat; eumque, suis, monachorumque suorum manibus asperis sentibus perpurgatum, basilica, ceterisque monasticis ædificiis decorare maturabat. Duæ ibidem constructæ videntur basilicæ, quarum alteram Geminianus episcopus Regiensis in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ & sancti Benedicti; alteram Sergius pontifex Ravennas jussu Stephani papæ in honorem sanctorum Apostolorum consecravit. Inde Anselmus Romam profectus, cuculla monastica secundum sancti Benedicti regulam indutus est ab ipso Stephano pontifice, qui eidem simul & baculum pastoralem, & pedules secundum Ordinem Romanum tradidit, hoc ritu monachum simul & abbatem instituens. Aderat tum Romæ Sergius episcopus Ravennensis, cui pontifex ipsum Anselmum, ejusque monasterium commendavit, sua ipsius vice gubernandum ac regendum: ut, si quid molestiæ Anselmus, ejusve monachi a quocumque episcopo, præsertim Mutinensi, in cujus parochia monasterium conditum est, paterentur; ad sanctam Ravennatensem ecclesiam refugium haberent, cum ad Romanam propter locorum distantiam habere non possent. Insuper Anselmo sancti Silvestri corpus cum aliis sanctorum reliquiis a pontifice concessum est: unde Nonantulano monasterio sancti Silvestri nomen accessit. Inde hoc monasterium magnis Aistulfi, aliorumque regum donationibus ita locupletatum est, ut idem Anselmus

ANN. CHR. 752.

sub suo regimine *regulares monachos, mille centum quadraginta quatuor* habuisse dicatur, *exceptis parvulis & pulsantibus*, id est pueris Deo a parentibus oblatis, & novitiis seu vitæ monasticæ candidatis, quos ille paterno amore fovebat, regebatque omnes. Ad hæc ab eodem Anselmo hospitium quatuor a monasterio passuum millibus in via Æmilia est constructum, ad excipiendos debiles ac feminas, qui ad monasterium accedere non possent; idque sancti Ambrosii oratorio decoratum. Præter ea duo alia xenodochia idem abbas instituit: unum in finibus territorii Vicentini, in loco, qui Vicus-domnarici dicebatur, ubi oratoria duo, nimirum sanctæ Mariæ, & sancti Petri constructa; & monachi ad divinum cultum instituti, qui pauperum ac infirmorum curam haberent ibidem alendorum, præter ducentos pauperes, qui per singulas cujusque mensis kalendas ibidem pascebantur. Idem factum in altero xenodochio sanctæ Justinæ martyris, quod idem Anselmus in loco Susonia dicto ædificavit: ubi adventantes pauperes & hospites a monachis quotidie reficiebantur, ac ducenti pauperes per singulas mensium kalendas. Parum simile veri est id, quod de Aistulfo legitur, cum videlicet anno insequenti, quo Romanum pontificem rupto fœdere insectabatur, cum Anselmo Romam profectum, a Stephano papa benigne acceptum fuisse, ab eoque impetrasse privilegium simul & beati Silvestri corpus, quod ab eo petebant. Exstat ejusdem Aistulfi diploma, " monasterio beatissimorum " principum apostolorum Petri & Pauli, sito in territorio Mutinensi, loco, qui dici" tur Nonantula, & venerabili viro Anselmo abbati, atque monachis ibidem consistentibus indultum, quo idem princeps prædictum locum cum suis appendicibus eis tribuit, cum jure asyli, ac libera eligendi abbatis facultate; subjicitque Fananum monasterium sancti Salvatoris, multaque alia eidem monasterio confert, ea tantum conditione, ut sibi pro benedictione seu munere quotannis *in majore quadragesima* quadraginta lucios; totidemque *in quadragesima sancti Martini* persolvant, & per missum ejusdem monasterii Papiam, Mantuamve, aut Ravennam transmittant. Anselmus septem annorum exsilium a rege Desiderio pertulisse dicitur, Vigilantio interim ejus vices laudabiliter agente.

LXIII. Bonifacius Stephano papæ scribit.

Accepta Stephani papæ electione, Bonifacius episcopus ac Germaniæ apostolus, non statim litteras ad novum pontificem dedit, sed paullo serius, quod ipse excusat epistola nonagesima-prima, qua familiaritatem & unitatem sanctæ sedis apostolicæ, qualem sub tribus ejus antecessoribus habuerat, ab eo sibi concedi rogat, paratum se dicens ad ea omnia persequenda, quæ per triginta & sex annos ad ecclesiæ utilitatem facere conatus fuerat; & ad emendanda errata, quæ hoc in munere commisisset. Ideo vero se tardius scripsisse ait, quod præoccupatus fuisset in restaura" tione ecclesiarum, quas pagani incenderant, qui per titulos, inquit, & cellas no" stras plusquam triginta ecclesias vastaverunt & incenderunt.

LXIV. Fulrado item abbati pro Lullo subrogando. a Bonifac. ep. 92.

Cum vero ad vitæ exitum se properare animadverteret vir sanctus, Lullum sibi in sede Moguntina successorem ordinari optavit, ob idque Fulrado sancti Dionysii abbati [a] scripsit, ut ea qua pollebat apud Pippinum regem auctoritate id efficeret, suosque discipulos eidem commendaret. Ea est sane epistola, quæ hoc loco integra describi meretur.

Bonifacius servus servorum Dei, gratia Christi episcopus, carissimo consacerdoti Fulredo presbytero, perennem in Christo caritatis salutem.

Fraternæ dilectionis tuæ spiritalem amicitiam, quam sæpe in necessitatibus meis pro Dei intuitu fecisti, dignas gratias, quantas meruisti, persolvere non possum. Sed Deum omnipotentem deprecor, tibi in alto cælorum culmine mercedis præmia in gaudio angelorum æternaliter retribuat. Nunc autem in Christi nomine deprecor, ut quod bono initio cœpisti, cum bono fine perficias, id est, ut meo verbo gloriosum & amabilem regem nostrum Pippinum salutaveris, & illi magnas gratias referas de omnibus pietatis operibus, quæ mecum fecit; ut illi referas, quod mihi & amicis meis similiter videtur, ut vitam istam temporalem & cursum dierum meorum per istas infirmitates cito debeam finire. Propterea deprecor celsitudinem regis nostri pro nomine Christi filii Dei, ut mihi nunc viventi indicare & mandare dignetur circa discipulos meos, qualem mercedem postea de illis facere voluerit. Sunt enim pæne omnes peregrini: quidam presbyteri, per multa loca ad ministerium ecclesiæ & populorum constituti: quidam sunt monachi per

ANN. CHR. 752.

cellulas nostras; & infantes ad legendum litteras ordinati sunt: & aliqui seniores, qui longo tempore mecum viventes laboraverunt, & me adjuvabant. De his omnibus sollicitus sum, ut post obitum meum non disperdantur, sed ut habeant mercedis vestræ consilium, & patrocinium celsitudinis vestræ; & non sint dispersi, sicut oves non habentes pastorem, & populi prope marcham paganorum non perdant legem Christi. Propterea almitatis vestræ clementiam diligenter in Dei nomine deprecor, ut filiolum meum Lullum, & coepiscopum, si Deus voluerit, & sic clementiæ vestræ placeat, in hoc ministerium populorum & ecclesiarum componere & constituere faciatis prædicatorem & doctorem presbyterorum & populorum: & spero, si Deus voluerit, quod in illo habeant presbyteri magistrum, & monachi regularem doctorem, & populi christiani fidelem prædicatorem & pastorem. Propterea hoc maxime fieri peto, quia presbyteri mei prope marcham paganorum pauperculam vitam habent. Panem ad manducandum acquirere possunt: sed vestimenta ibi invenire non possunt, nisi aliunde consilium & adjutorem habeant, ut sustinere & indurare in illis locis ad ministerium populi possint, eodem modo, sicut ego illos adjuvi. Et si pietas Christi hoc vobis inspiraverit, & hoc quod peto consentire & facere volueritis; per hos missos meos præsentes, aut per litteras pietatis vestræ hoc mihi mandare & indicare dignemini: ut eo lætior in mercede vestra vivam, vel moriar.

Hactenus viri vere apostolici epistola, qua nihil illustrius ad pastoralem ejus curam & sollicitudinem pro domo Dei commendandam. Egit Fulradus, quod ille petierat; obtinuitque a rege, ut Lullus in locum Bonifacii adhuc viventis substitueretur. qua de re vir sanctus Pippino gratias agit epistola centesima quarta, æternam « eidem in cælo mercedem imprecatus, eo quod petitiones suas clementer exaudire « dignatus esset; & senectutem ipsius atque infirmitatem consolari. Addit se nihilo « minus adhuc satis validum esse, ut ad regium placitum, si quidem velit rex, per- « gar. Jam dudum Bonifacius a Zacharia postulaverat, sibi ut liceret, senectute ac imbecillitate corporis exigente, successorem in sede Moguntina ordinare, si quidem idoneum huic dignitati virum invenire posset. quod pontifex ipsi concesserat scriptis litteris ante annos quatuor, indictione prima. Nunc vero pontificiæ auctoritati regia accessit, ordinatusque est ab ipso Bonifacio Lullus, cum vir sanctus in procinctu esset ad ultimam profectionem in Frisiam, ubi martyrio affectus est. De hac Lulli subrogatione agens Othlonus, ait, Bonifacium, priusquam tanti discriminis iter arriperet, ratum non convenire, ut pro alienis ovibus salvandis laborans, proprias sibique commissas oves perire fineret; sanctum Lullum, qui fidelissimus prædicationis & laboris sui comes exstiterat, cujusque probitatem & congruas illi dignitati dotes probe noverat, cum consensu regis Pippini, necnon episcoporum & abbatum, atque canonicorum, omniumque suæ diœceseos procerum, pro se episcopum elegisse & ordinasse, prout ab apostolico præsule jam ante impetraverat. Lullus tamen pallium post annos decem nondum obtinuerat, ut patet ex litteris [a] Hadriani papæ ad Tilpinum Remensem antistitem, cui pontifex mandat, ut, assumtis secum Wiomado & Possessore episcopis, & missis gloriosi Caroli Francorum regis, diligenter inquirat de Lulli ordinatione, ejusque fidem, doctrinam, vitam, mores atque conversationem investiget: ut, siquidem episcopali cathedra dignus fuisset, pallium illi secundum consuetudinem transmitteretur.

[a] Frodoard. lib. 2. c. 17.

LXV. Campidonensis monasterii primordia.

Hoc anno quinquagesimo-secundo, ut apud Hermannum legitur, Audegarius, *primus Campidonensis cœnobii fundator & abbas*, locum illum incolere cœpit. In fabulosis actis sancti Magni, quem pseudanonymus Magnoaldum vocat, Magnoaldus Theodoro comite in locum, Campidonam dictum, situm ad fluvium Hilaram, accessisse dicitur: ubi Theodorus ab eo dimissus oratorium construxerit. Hinc Theodoro primam Campidonensis monasterii originem tribuunt nonnulli recentiores, quæ sine dubio Audegarium primum auctorem habet. Quamquam Carolus Stengelius hunc honorem concedit Hildegardi reginæ, quæ potius dotatrix, quam conditrix censenda est. Certe in sincero diplomate Luduvici augusti (nam Carolinum huc non affero) id tantum Hildegardi ejus parenti tribuitur, quod sanctorum Gordiani & Epimachi corpora Campidonensi monasterio contulerit. Positus est hic locus in Sueviæ finibus ad Hilaram amnem, a quo inditum pago Hilergovæ nomen. Nobile in primis cœnobium, nobilium Suevorum seminarium, ac totius Sueviæ monasterium facile princeps, cujus abbas inter principes imperii quatuor-viros

ANN. CHR. 752.

locum habet. Basilica consecrata est in honorem sanctissimæ Dei genitricis Mariæ, cui patroni sancti martyres Gordianus & Epimachus, translatis illuc ipsorum corporibus, postmodum accesserunt. Quis, qualisve fuerit Audegarius primus ejus loci abbas, ex solo conditoris nomine intelligi potest. nam cetera suppressit antiquitas.

LXVI. Gaubaldi episcopi Ratisponensis successores.

Sub idem tempus carnem exuit Gaubaldus, aliis Garibaldus episcopus Ratisponensis, qui corpus sancti Emmerammi e tumulo extulit, ejusque loculum laminis aureis & argenteis, gemmisque ac lapillis ornavit. Huic successit post Sigiricum Sindbertus seu Simpertus, cujus opera & impensis sancti Emmerammi cœnobium amplificatum est, episcopali cathedra inde in ecclesiam sancti Petri intramuranam translata. Carolus Cointius opinatur, Garibaldum primum fuisse episcopum ecclesiæ Ratisponensis; & Simpertum, expuncto Sigirico, secundum. At veterrimus episcoporum index metricus, in Erchanfredo sexto antistite desinens, primum Wicterpo locum tribuit, Sindberto quartum. Hos versus huc affero ex tomo quarto Analectorum, rudes quidem, sed illustrandæ illius sedis episcoporum successioni opportunos.

Hic Reginensis sedis vocitatur ab urbe,
Quam rexit primo Wicterpus episcopus ille.
Post alius, Cauvipaldus qui nomine dictus.
Tertius Sigiricus erat sacratus ad aulam.
Post hunc jam fuerat Sindbertus in ordine quartus.
Quintus Adalwinus fuerat, sedemque regendo.
Post hunc Baturicus tenuit pius optime sedem.
Erchanfredus ovans sequitur hinc pastor opimus.

De his episcopis hic agere non alienum a nostro instituto, siquidem unus post alium vicissim ex canonicis & ex monachis eligebantur, testante Arnolfo auctore gravi. Sindperto Ratisponensi æqualis fuit Sindpertus episcopus Augustanus de utroque inferius.

LXVII. Pippini regis diplomata pro S. Dionysio & aliis.

* Verberie.

Eodem anno Pippinus varia diplomata edidit, pleraque pro monasteriis nostris. Unum est placitum habitum in palatio Vermeria *, in quo Fulradus abbas adversus quemdam Gislemarum Abaciacum villam pagi Cenomannici suo monasterio evindicavit, & Sibriaci portionem in pago Matriacensi, quam Joba genitrix ipsius Gislemari sancto Dionysio donaverat. Datum Vermeriæ kalendis Martiis, anno Pippini regis primo. Ab eodem principe Sigobaldus abbas Aninsulensis præceptum » obtinuit, Dominis sanctis & apostolicis in Christo patribus episcopis, & abbatibus, » comitibus, aliisque regni proceribus inscriptum, quo rex idem monasterium suscipit sub suam tutelam, monachisque facultatem tribuit eligendi abbatis. Datum apud Haristalium palatium vicesimo-quinto Aprilis ejusdem anni. Chrodingus jussus recognovit. Sigobaldo abbati successit Nectarius abbas, qui ab eodem rege immunitatis præceptum obtinuit regni ejus anno nono, quod Widmarus recognovit. Nectarium excepit Ebroïnus, mortuus anno octingentesimo-primo. Editum est consimile privilegium in gratiam Austrulfi abbatis Fontanellensis in palatio regio Vermeria VIII. idus Junias, anno primo Pippini regis.

Aninsulenses abbates.

ANN. CHR. 753.

LXVIII. Bonifacius in Frisiam discessurus Lullo quid præcepit.

ORdinato Lullo in sede Moguntina, Bonifacius in Frisiam proficisci animo constituit, ut illic laborum suorum mercedem ac præmium perciperet, ubi prædicationis primitias posuerat. Sed antequam a Lullo discederet, quodam vaticinii præsagio imminentem sui obitus diem, genusque mortis ei prænuntiavit, simulque salutaria dedit monita de rebus agendis, quæ ad populi eruditionem & structuram ecclesiarum pertinerent. » Jam, inquit, instat resolutionis meæ dies & proximus finis, » quo, deposita carnis sarcina, æternæ retributionis præmium, Deo dante, assequar. » Tu vero, fili carissime, ecclesias in Turingia strui ceptas quantocius perfice, in » primis Fuldensem basilicam, in qua corpus meum sepeliri volo. Sed præ ceteris, eru» diendis populis tibi commissis sedulam navato operam, ut eos a paganicæ supersti» tionis præstigiis revocare pergas. Hæc aliaque locutus, cuncta ad suum ipsius iter necessaria provideri jussit, in his linteum ad corpus suum involvendum, quod in theca librorum suorum reponi curavit. Willibaldi præmissæ narrationi quædam addit

dit Rudolfus in actis sanctæ Liobæ abbatissæ, quam Bonifacius exhortatus est ad perseverandum in proposito, & ad bonum, quod cœperat, toto animo persequendum, non attendendo ad corporis fragilitatem, nec ad prolixa ætatis spatia, quæ ad æternitatem comparata brevia sint, ac veluti momentanea. Eamdem etiam Lullo commendavit, ac senioribus Fuldensium monachorum, dato eis mandato, ut post ejus obitum corpus illius in suo ipsius sepulcro componerent, ut ambo pariter diem resurrectionis exspectarent, qui pari voto ac studio in vita sua Christo servierant. His dictis, suam eidem Liobæ cucullam dedit, eam rursus admonens atque contestans de non relinquendo peregrinationis suæ loco. Hinc Liobæ concessus in Fuldensem basilicam aditus, qui muliebri sexui omnino interdictus erat.

Non multo post, presbyteris, diaconis ac monachis secum assumtis, vir sanctus per Rheni fluminis alveum in Frisiam defertur. Mox totam illam regionem perlustrans, ubique verbum Dei prædicare, paganicos ritus evellere, ecclesias loco delubrorum fabricare. Illic multa millia hominum omnis sexus & ætatis baptizavit *cum commilitone suo coëpiscopo Coëbano* seu Eobano, quem, ad subveniendum senili suæ debilitati, *Fresonibus injuncto episcopo, in urbe, quæ vocatur Trecht, subrogaverat.* Verba hæc sunt Willibaldi, ex quibus aliisque nonnulli recentiores inferunt, Bonifacium fuisse episcopum Trajecti ad Rhenum post Dadani obitum, qui anno superiori contigit, ipsique ob ætatis senio confectæ infirmitatem Eobanum subrogatum. Verum pronius est Willibaldum sic interpretari, ut Bonifacius Dadano *Fresonibus injuncto episcopo*, statim subrogaverit Coëbanum, ad regendum episcopatum Trajectensem, quem ipse præ senio administrare non valebat. Nec aliud suadet ipsius Bonifacii epistola [a] ad Stephanum papam, apud quem conqueritur, quod episcopus Coloniensis (Hildebertus is erat, Hildegarii successor) illam ecclesiam Coloniensi vindicare moliretur. In uno quidem ex duobus Pippini præceptis pro sancti Martini ecclesia Trajectensi, apud Hedam relatis, Bonifacius urbis Trajectensis episcopus appellatur: at in altero, quod magis sincerum & genuinum existimo, tantum archiepiscopus. quo nomine Trajectensis ecclesia ipsi subjecta erat, atque etiam legati apostolici jure, propterea quod hæc episcopalis sedes Romano pontifici subjecta censebatur, ut patet ex Bonifaciana epistola nonagesima-septima ad Stephanum papam. Posterius hoc diploma recognovit Widmarus, idem qui Aninsulense, datum in Vermeriæ palatio publico, die vicesima tertia Maii, anno regni Pippini secundo: quo diplomate varias avi sui Pippini, patris sui Caroli, fratrisque sui Carolomanni donationes, eidem Trajectensi ecclesiæ factas, confirmat.

[a] Bonifac. ep. 97.

Ceterum, ut ad superiora me referam, ex iis quæ Bonifacius in Frisiam discessurus Lullo mandavit, perspicuum est, Fuldensem basilicam necdum absolutam fuisse. quippe quia, Rudolfo testante, monachi locum illum inhabitantes censu pauperes erant, & necdum extranea servitia habebant, sed solo manuum suarum labore victitabant: ideo monasterii fabrica lente procedente, basilicæ nondum suprema imposita fuerat manus, quam a Lullo imponi postulat Bonifacius. qui eorum paupertatem miseratus, aliquas ante villulas ad victum eis suppeditandum tribuerat, ut Eigilis abbas in Sturmii actis auctor est.

LXIX. Pippini placitum pro S. Dionysio.

Non omittendum hoc loco Pippini regis diploma seu placitum in frequenti optimatum consessu pro monasterio sancti Dionysii, ubi Fuleradus abbas cum plurima turma monachorum degebat, editum adversus Gairchardum comitem Parisiacensem, qui quatuor denarios a singulis negotiatoribus, ex quavis natione ad nundinas Dionysianas convenientibus, exigebat, quot antea Gairefredus ejusdem urbis comes extorquere solitus erat, concedente, immo volente Soanechilde Caroli principis noverca, quæ hoc eidem comiti præmium ob insidias Carolo factas tradiderat. Contra vero reclamabant actores Dionysiani, qui, prolatis superiorum regum præceptis, ac litteris Grimoaldi majoris-domus, hujus exactionis relaxationem a Pippino rege impetrarunt. Hoc placitum Eius jussus recognovit, mendose *Equus* in editis apud Dubletum. Consimile placitum Childeberti tertii superius retulimus contra Gairinum Parisiorum comitem, qui aliud id genus tributi ab iisdem negotiatoribus extundebat. In hoc vero Pippini placito, atque etiam in superiori de Abaciaco villa, iidem ferme regni optimates, regisque assessores habentur, nempe in priori Milo, Rotgarius, Helmengaudus, Chrothardus, Charichardus, Autgarius, aliique plusculi in posteriori; idemque utrobique Wicbertus palatii comes. quod

ANN. CHR. 755.

observasse hoc loco non erit supervacaneum in sequentium fidem & illustrationem.

L X X. *Stephanus papa Pippinum auxilio advocat.*

Verum inter hæc longe majora Pippinum negotia sollicitant. Aistulfus rex Langobardorum, rupto fœdere, quod cum Stephano papa superiori anno pepigerat, ineunte vere Romanam in ditionem irrupit, atque agris villisque igne ac ferro vastatis, ipsi demum urbi exercitum admovit, Romanis excidium ac servitutem, ni sponte se dederent, intentans. In his angustiis Stephanus papa unum sibi secundum Deum perfugium & auxilium apud Pippinum superesse intelligens, confestim fidum hominem sub peregrini habitu ac specie, ne a Langobardis interciperetur, direxit „ cum litteris, quarum summa erat, cupere se cum eo de præsenti ecclesiæ statu ad „ colloquium convenire; sed, ne Aistulsi excipiatur insidiis, magnopere orare, ut „ legatos ad se suos mitteret, quorum præsidio tutus pervenire ad alpes posset. Acceptis litteris, Pippinus recentis beneficii memor, petenti pontifici facile est obsecutus, & statim Rodigandum abbatem, qui eum de promta sua voluntate certiorem faceret, præmisit, submissis dein aliis legatis, Rodigango episcopo & Autchario duce, qui pontificem in Franciam deducerent. Itaque pontifex I X. kalendas Novembris Urbe exiit, & cum legatis Papiam versus, ubi Aistulfus, laxata Romæ obsidione, residebat, iter intendit. Tum, Aistulfo postulata denegante, ægre dimissus, continuato in Franciam itinere, transscensis alpibus, ad Agaunense sancti Mauricii monasterium pervenit, quo rex quoque se conventurum dixerat. At Fulradus abbas & Rotardus dux, obviam a Pippino missi, pontificem ejus nomine orarunt, ut Pontigonem, quod pagi Pertensis ad Matronam regale palatium erat, accedere ne gravaretur. Accedenti demum pontifici Pippinus ad centum passuum millia Carolum filium, qui postea Magnus dictus est, obviam cum suis optimatibus præmisit: deinde ipse cum uxore ad tertium lapidem se se obtulit, atque ad ejus conspectum de equo descendens, & se prono vultu ad pontificem inclinans, eum in regiam Pontigonis honorifice deduxit. Ex missis illis Rodigangus ipse est Chrodegangus episcopus Mettensis; Rodigandus vero abbas non alius Cointio videtur a Droctegango abbate, qui ad Stephanum missus, ejus litteras ad Pippinum regem, aliasque ad omnes duces Francorum retulit, editas in codice [a] Carolino. Duo fuere per ea tempora in Gallia Droctegangi abbates, unus Gemeticensis, Gorziensis alter: cui Cointius hanc legationem tribuit. Verum potius Gemeticensi tribuenda videtur, quod vixdum Gorziense monasterium [b] a Chrodegango episcopo conditum esset. Denique Autcharius dux ille ipse est, qui in duobus præmissis Pippini placitis inter regni optimates censetur, Autgarius appellatus.

[a] *Carol. cod. ep. 10. & 11.*

[b] *V. supra. num. 57.*

L X X I. *Carolomannus venit in Franciam.*

Interim Aistulfus Pippini potentiam & interventum veritus, eum ab tuendo & propugnando Stephano avertere meditatur. Hæc cogitanti venit in mentem, Carolomannum Pippini fratrem in monte Casino monachum versari; eum vero nihil non a fratre impetraturum, si modo ad eum accedere, ac preces interponere voluisset. Porro ut id vellet, interpellandum hac de re Optatum abbatem, & Ratchisum ejus loci monachum ipsius Aistulfi fratrem, qui Carolomannum ad eam provinciam suscipiendam compellerent. Nec vana Aistulfi conjectura, nam Carolomannus, abbatis sui precibus & tantum-non mandato expugnatus, ægre tandem assensit Aistulfi postulato, & ad fratrem suum Pippinum rogatus accessit.

L X X I I. *Austrulfus abbas Fontanellensis obit Agauni.*

Dum hæc in Italia agitantur, Austrulfus abbas Fontanellensis, post suscepti regiminis annum sextum, igne divini amoris succensus, Romam ad limina beatorum Apostolorum iter instituit. Convocatis fratribus id consilii aperit. Illi multa contentione reclamare, se numquam eum deserturos professi. Contra hic instabat, se causa suæ salutis & illorum profecturum. Cedunt tandem fratres, dum patris obstinatum animum expugnare non possunt. Mox ille fratribus bene precatus, mutuis osculis datis & acceptis, discedit, deducentibus eum plurimis lacrymarum imbre perfusis. Ubi Romam pervenit, vota sua Deo, sanctisque Apostolis reddidit. tum in patriam iter reflectens, cum Agaunum venisset, ibidem in monasterio sancti Mauricii ex febre jam diu contracta decumbens, a consortiis humanis ad cælitum societatem transiit X V I I I. kalendas Octobris; eoque in loco honorifice pro dignitate ac merito sepultus est. Hæc de eo narrare solitus erat piæ memoriæ Hardoinus monachus Fontanellensis, cellæ sancti Saturnini monasterio incumbentis presbyter, qui ejus tempore eo in cœnobio *clericatus suscepit habitum*, ut verbis utar chronographi Frontanellensis, qui hæc ab eo acceperat. Suffectus est in ejus locum non

ANN. CHR. 753.

Widolaicus successor.

sine simoniæ labe Widolaïcus ex pago Oximensi, patre Irmino, Wirbolda matre, camerarius Teutsindi quondam abbatis improbi, ejusque sub cura educatus. Hic matriculam basilicæ sancti Martini Turonicæ beneficii titulo a Teutsindo, qui & ejus basilicæ abbas fuerat, obtinuit, atque ad id tempus retinuit. Is itaque, audita morte Austrulfi abbatis, cum plurimis auri, argentique donariis in palatium festinans, datis Pippino regi, ejusque ministris muneribus, abbatiam mercatus est, *anno secundo, postquam idem Pippinus regale fastigium adeptus fuerat, qui est annus Domini septingentesimus quinquagesimus-tertius*, inquit chronographus Fontanellensis. Ejusdem abbatis anno quarto, Pippini regis quinto, Fontanellensis basilica sancti Petri incendio cremata est, quam ipse, adjuvante rege, majori elegantia instauravit, sublimiorique fabrica decoravit. Ipsius vero tempore plurimæ res monasterio accisæ, ac regiis hominibus ab eo traditæ, ut miserandum sibi nomen conciliaret: quo ex detrimento *status sanctæ regulæ periclitari cœpit, ob inopiam* videlicet earum rerum, quas beatus pater Benedictus monachis dari præcipit. Denique eo abbate, cum Pippinus rex Fontanellam ad tumulum sancti Wandregisili accessisset orationis causa, *illam manem*, ait chronographus, *postulationem* fratres loci eidem suggesserunt, quam auctor ille omnibus notissimam, nobis incognitam, prætermisit. quamvis Pippinus ipse, addit ille, prædium quoddam eis largiri in animo haberet. Forte Pippinum rogarunt Fontanellenses, ut, abjecto Widolaico, alterius abbatis eligendi facultas sibi concederetur. quæ petitio, Pippino ingrata, ejus animum a conferendo prædio averterit.

LXXIII. Epternaco Pippinus munificus.

Præerat hoc tempore Epternacensi monasterio Albertus abbas, cujus rogatu, non solum Bonifacii archiepiscopi consilio, Pippinus rex ecclesiam, quæ in Crovia ad Mosellam sita est, cum omnibus ejus reditibus, atque etiam decimas, partemque silvæ, quæ Contella dicitur, eidem loco donavit, teloneo etiam monachis per totum regnum relaxato. Id factum legitur anno Pippini regis tertio in litteris a Browero [a] relatis, quibus annus incarnationis mendose adjectus est. In his multum laudatur sanctus Willibrordus ejus monasterii auctor: ubi monachos inter & ipse monachus angelicam vitam, omnique sanctitate præditam duxisse perhibetur, plenusque virtutibus, & insignis miraculis, ibidem ante aliquot annos quievisse, ibidemque sepultus fuisse.

a Annal. Trever. lib. 6. n. 148.

LXXIV. Miloni succedunt Weomadus in ecclesia Trevirensi, Tilpinus in Remensi.

Eodem tempore Trevirensis sedes, uti & Remensis, indigno incubatore liberata est, Milone scilicet pseudepiscopo, sola tonsura clerico, qui post annos quadraginta suæ invasionis, inter venandum apri ferino dente percussus interiit in villa, quæ dicitur Irane seu Erangium, ibidemque sepultus est; haud scio an Milo ille, qui in superioribus Pippini diplomatis inter regni optimates ad causas dijudicandas regi assedit. Eo mortuo, Trevirensem ecclesiam rexit, non Hildulfus, qui tempore superior fuit ex dictis, sed Weomadus ex abbate monasterii sancti Maximini apud Treviros, an Medelocensis; Remensem Tilpinus ex monacho Dionysiano. Verum multo æquior fuit Tilpinus in monachos, quam Weomadus, qui cellam sancti Goaris, Prumiensi monasterio a Pippino concessam, episcopali suæ sancti Petri ecclesiæ vindicare, quamquam frustra, conatus est; & præceptum regiæ [b] auctoritatis ab eodem Pippino *super cellam sancti Maximini*, atque a Carolo filio ipsius Pippini obtinuisse fertur. quamquam Carolinum diploma, hac de re editum apud Browerum, omnino suppostitium est, ut patebit suo loco.

b Spicil. to. 12. p. 113.

LXXV. Monachi apud S. Remigium a Tilpino instituti.

At vero Tilpinus, ex monasterio sancti Dionysii assumtus, ait [c] Frodoardus, in cœnobio sancti Remigii monachos ordinasse, ac in monastica vita instituisse traditur: cum canonicos prius, subdit idem auctor, idem cœnobium a tempore Gebehardi abbatis, qui eamdem congregationem ob amorem Dei & sancti Remigii reperitur aggregasse, ad hoc usque tempus habuisse feratur. Quo tempore vixerit abbas ille Gebehardus, nobis incompertum: at sine dubio eum præcessit Epiphanius ejusdem loci abbas, a Gregorio Turonensi episcopo memoratus, sub Ægidio Remorum antistite, quo in exsilium [d] acto, & ipse, qui ejus accusator fuerat, abbatis officio privatus fuit. Verum longe incertius est, an umquam in basilica sancti Remigii canonici exstiterint, cum institutum canonicorum extra cathedrales ecclesias ante Chrodegangum Mettensem episcopum his in partibus fere inauditum sit, maxime in illis ecclesiis, quibus præerant abbates. nisi forte canonicorum nomine, ut sæpe alias, intelligas monachos, qui a severiori monachorum disciplina sponte ad laxio-

c Frodoard. lib. 2. c. 17.

d Id. lib. 2. cap. 2.

ANN. CHR. 753.

rem canonicorum vitam deflexerint. Certe in libello de miraculis sancti Vedasti apud Bollandum [a], temporibus Carolomanni & Pippini principum, atque adeo ante Tilpini pontificatum, ædituus basilicæ sancti Remigii, vir bonus & justus, *monachus* appellatur a Teutbaldo comite Atrebatensi: quo hortos monasterii sancti Vedasti auferre volente, sanctus Remigius ædituo illi apparuisse, & sanctos illius pruvinciæ adversus Teutbaldi invasionem propitios fore pollicitus fuisse dicitur.

a *Belland. to. 1. Febr. p. 808. col. 2.*

LXXVI. Monasterii S. Vitoni status & abbas primus Madalveus episcopus.

Eodem tempore ad episcoparum Virdunensem promotus est Madalveus, basilicæ sancti Vitoni abbas, quo nullum alium priorem ejus loci abbatem invenimus. Hæc insignis basilica, olim extra muros, nunc in ipsa urbis arce posita, jam inde a primis receptæ christianæ religionis temporibus condita creditur, primorum illius urbis sanctorum episcoporum sepultura celebris. Illic sepulti inter alios sancti confessores ac pontifices Pulcronius atque Vitonus, quorum posterior basilicæ jam dudum nomen tribuit. Monachos sæculo decimo a Berengero episcopo in illa basilica institutos fuisse, ibique ad nostrum tempus perseverasse constat, magno loci honore & ornamento, qui sanctissimorum inde monachorum & antistitum seminarium fuit, & Congregationis ævo nostro sub sancti Vitoni titulo inclytæ caput. Qualis ejus loci status ante Berengerum fuerit, vix conjicere, nedum certo rescire possumus, deficientibus idoneis instrumentis, quæ injuria temporum perierunt, præter quædam fragmenta ab Hugone abbate Flaviniacensi, ejus loci olim monacho, relata. Unum tamen integrum superest diploma Pippini Heristallensis, ejusque conjugis Plectrudæ, editum in miscellaneis Labbeanis, quo Pippinus ejusque conjux commutationem faciunt quorumdam prædiorum cum viro apostolico Armonio episcopo Virdunensi & venerabili viro Angeberto archidiacono, qui basilicæ sancti Vitoni præerat. Et Pippinus quidem hac commutatione locum, nomine Pararitum, transfert ad partem ecclesiæ domni Vitoni, donatque iis, ***qui ibidem præfuerint, vel clericis ibidem deservientibus***: ac vicissim Armonius episcopus & Angebertus archidiaconus tradunt locum dictum Commenarias, quem Pippinus ipse ejusque conjux postea per
» chartulam cessionis sancto Vitono donaverunt. Facta est hæc commutatio sub die
» septimo-decimo kalendas Februarii, anno septimo regnante domno Childeberto:
» quibus litteris Angilusus, Angebertus, Hardericus, & Rimfredus comites subscripsere. ubi Angebertus archidiaconus basilicæ sancti Vitoni abbas non appellatur. Primus itaque ejus loci abbas, qui quidem ad nostram pervenerit notitiam, Madalveus est, qui accepto episcopatu nihilo minus abbatis [b] titulum retinuit, ut ex Hugonis chronico intelligimus, qui res ab eo gestas fuse prosequitur; idque privilegii basilicæ sancti Vitoni ab ipso sancto Sanctino primo urbis episcopo, ejusque
» basilicæ, ut putat, fundatore, concessum dicit, ut post matrem ecclesiam ipsa esset
» caput omnium Virdunensis diœcesis ecclesiarum, & ab ipsis nascentis ecclesiæ pri-
» mordiis cœmeterium episcoporum & reliquorum fidelium christianorum; atque adeo
» ut in ea fere omnes ejusdem urbis pontifices dicantur divinis aptati serviriis; nu-
» triti, edocti, consecrati, excepta ipsa inunctione pontificalis dignitatis, quam con-
» stat esse matris ecclesiæ; denique ut frequentius qui in ea functi sunt abbatis officio,
» ad solium episcopale provecti sint. Madalveo successit anno ejus sæculi octogesimo-primo Fremodo diaconus & abbas; &, ut ceteros prætercam, sub finem sequentis sæculi Dado episcopus simul & abbas exstitit. Hæc interim de insigni illa basilica, dum plura nobis dicenda occurrant a Berengeri pontificatu.

b *Labbe to. 1. Bibl. nova p. 310.*

LXXVII. Brittaniacum monasterium, & S. Hucbertus monachus.

Exsistebat tunc temporis in pago Noviomensi Brittaniacum * seu Brittennacum monasterium ad Isaram fluvium, cujus auctorem ac conditionis tempus ignoramus. Exstitisse vero jam hoc tempore constat, tum ex responsis Stephani papæ secundi, quæ, cum in Francia esset, & quidem in villa Carisiaco, Brittaniaco monasterio dedit ad varia consulta, de quibus fuerat interrogatus; tum ex qualibuscumque actis Hucberti monachi, qui principatu Childeberti, haud dubie tertii, ibidem vixisse traditur. Hunc parentes Petrus & Johanna, ejus loci domini, impetrasse dicuntur orationibus præpositi monachorum Brittaniacensium, viri eximia, ut perhibent, sanctitate præditi. Puer duodennis adjunctus est cœtui monachorum, a quibus eruditus, sacerdotio demum initiatur. Jejunium tenuisse ferunt per omnem vitam ternis cujusque hebdomadæ feriis, secunda scilicet, quarta & sexta; annisque triginta, ut diserte Piso habet, in monasterio exactis, obiisse Dagoberti regis prin-

* *Bretigny.*

cipatu III. kalendas Junias. Paucis post ejus obitum diebus quidam vir præpotens ANN. CHR.
ac nobilis, cui brachium dextrum jam dudum riguerat, e Belgio ad ejus tumulum 733.
accessit, ibique sanitatem consecutus est. Isaræ fluvii exundans alveus anno supra
millesimum tricesimo-quarto feminæ, reddendi voti anxiæ, cymbam sponte ministrasse fertur. Hæc carptim ex prolixa epistola, quam Mederico Seposio equiti &
Britanniæ admirali frater Benedictus Piso theologus inscripsit anno sexti-decimi
sæculi tricesimo-nono e Calmensi monasterio diœcesis Senonensis. Alia sancti Hucberti qualiacumque acta videre licet tomo septimo Maii Bollandiani. Positum est Brittaniacum, ut dixi, ad Isaram * fluvium, duabus supra Noviomagum leucis, in paro- * Poiss.
chia tamen Suessionensi; nunc cella ordinis Cluniacensis, Lihonio subjecta: ubi unus
residet thesaurarius monachus cum priore, ut vocant, sæculari, qui quicquid est
annui reditus, percipit, ceditque thesaurario partem oblationum, quas fideles eo
confluentes voti causa conferunt. Illic cernuntur adhuc vestigia & rudera monasticorum ædificiorum; visiturque sacellum, quod bilancium vocant, in quo sanctus
Hucbertus primo sepultus fuit, cum ara neglecta, sancto Gamoni *, an Godoni sa- * S. Gam.
era, cujus effigies aræ superposita cernitur cum insignibus abbatis. In actis synodi
Noviomensis anno octingentesimo quarto-decimo celebratæ, in qua definitur quæ
loca trans fluvium Isaram in pago Noviomensi pertinere deberent [a] ad parochiam « a Frodoard.
ecclesiæ Noviomensis, non numeratur Brittaniacum, quod proinde accenseri debet « lib. 2. c. 18.
ceteris locis trans prædictum fluvium in dicto pago sitis, quæ omnia pertinere debe- «
rent ad parochiam ecclesiæ Suessionicæ. Et tamen post id tempus Willeberti Cata- «
launensis vocati episcopi, post ipsius examinationem Carisiaci factam, futura ordinatio assignata est *in monasterio, quod Brittennatus dicitur, in diœcesi Remensi, & parochia Noviomagensi*. Ut ut est de antiquis illis temporibus, nunc hic locus adscriptus est parochiæ Suessionensi.

In Bajoaria hoc anno monasteria octo, quinque virorum, tria puellarum, con- LXXVIII.
structa feruntur a tribus nobilissimis & præpotentibus fratribus, Landefrido, Wal- Bajoariæ monasteria.
dramno & Elilando, quorum pleraque dux Tassilo amplificavit. Virorum monasteria sunt Buranum, Schlecdorfense, Wesbrunense, Siverstatense, & Sandavense:
puellarum Pollingense, Staffelseense, & Cockilseense. De Burano superius actum.
Duo postrema virorum, totidemque virginum, ab Hungaris sæculo decimo vastata
interiere. Situm est Schlecdorfense ad alpium radices in superiori Bajoaria, diœcesi Frisingensi, ab origine ordinis sancti Benedicti, ab instauratione, quæ sæculo
duodecimo facta est, Augustiniani, uti & Pollingense. Primus abbas Arno, alio
nomine Cyrinus ac Heres, is qui sancti Emmerammi & sancti Corbiniani acta litteris mandavit: secundus Atto, unus post alterum episcopi Frisingenses. Exstant b Metrop. Sa-
apud Hundium instrumenta quædam edita tempore Caroli-Magni, in quibus sancti lisb. to. 3. p.
Tertuliani corpus requiescere traditur in Schlecdorfensi sancti Petri monasterio, 321.
ubi tum Atto episcopus & abbas monachis præerat; eratque advocatus Lantfridus,
forte unus e conditoribus monasterii, quorum aliquando id officii erat. Sancti Tertuliani corpus Regimbertus ab Hadriano papa concessum eo attulisse traditur.

Wesbrunensis cœnobii amplificator dux Tassilo; primusque abbas Ilsungus, ex
Altaha-inferiori assumtus, annis quadraginta & uno locum rexit. Superest ad hoc
tempus illud monasterium sub regula Benedictina, diœcesis olim Frisingensis, nunc
Augustanæ, positum in saltu Nortwaldo, inter fluvios Amperam seu Apariam, &
Lycum. Ilsungo abbati, post annos amplius quadraginta regiminis, successores assignantur [c] septem usque ad beatum Thiemonem, qui ab Hungaris martyrio af- c Ibid. p. 436.
fectus est. Monachis tum suffecti canonici, quorum septimus præpositus Albero
monasticum ordinem ibidem restituit.

Pollingense Salvatoris monasterium diœcesis Brixinensis, ab initio virginum Benedictinarum, eosdem auctores, eumdemque amplificatorem Tassilonem habuisse fertur. Vastato ab Hungaris monasterio, sed postea refecto, substituti demum canonici regulares, qui ibidem hactenus perseverant.



ANN. CHR. 754.

ANNALES
ORDINIS
S. BENEDICTI.

LIBER VICESIMUS-TERTIUS.

Ab anno Christi 754. ad annum 764.

I. Stephanus papa apud S. Dionysium sanatur.

* Kiersy.



STEPHANUS papa Pontigonensi in palatio a Pippino, ut dictum est, honorifice exceptus, cum sui adventus causam ad regem perorasset, certus de ejus in Aistulfum auxilio, ad monasterium sancti Dionysii deductus, ibidem hiemavit. Deinde paschale festum cum rege celebravit apud Carisiacum *, villam regiam pagi Noviomagensis ad Isaram, haud longe a Brittaniaco monasterio superius memorato, ubi quædam responsa dedit pontifex ad varia consulta, de quibus interrogatus fuerat. Utrum Carisiaci, an Brittaniaci, hæc responsa edita sint, obscurum est ex titulo eis apposito : *Stephani secundi papæ responsa, quæ, cum in Francia esset in Carisiaco villa, Brittaniaco monasterio dedit ad varia consulta, de quibus fuerat interrogatus.* Brittaniaci edita existimo, qui locus villæ regiæ Carisiaci ambitu facile contineri poterat. nam ad monachos Brittaniacenses hæc capitula transmissa fuisse, non facile assentiar : cum nequaquam res monasticas spectent, sed tantum matrimonium, baptismum & clericos. In conventu Carisiacensi de bello Langobardorum actum : cui concilio affuit Pippini frater Carolomannus, monachus Casinas, qui ex Italia ad dissuadendam expeditionem, Aistulfo cogente, invitus eo venerat. Verum, nulla ejus legationis ratione habita, delectus ad eam expeditionem maturandam indictus est.

Interim Stephanus ad sancti Dionysii monasterium reversus, dum tempus inungendi ac coronandi Pippini opperiretur, in gravem morbum incidit, ex quo meritis beatorum apostolorum Petri & Pauli, quos ex eorum furcariis seu thoracidis agnovit, ac sancti Dionysii recreatur v. kalendas Augusti, cum eo, ut altare in honorem Dei atque apostolorum ejus Petri & Pauli in Dionysiana basilica consecraret.

Pippinum ibidem coronat.

Id ab eo factum inter missarum sollemnia, in quibus Pippinum, jam antea Bonifacio episcopo Suessione inauguratum, patricium dixit, eumdemque sollemni pompa, simulque ejus filios Carolum & Carolomannum reges inunxit, & uxorem Bertradam reginam coronavit, adstantes Francorum proceres sub diris adstringens, ne quando alios, quam ex superstite eorum progenie, super se reges constituerent. Hunc autem locum, id est ædem Dionysianam, amplissimis decoravit privilegiis, ac super altare a se consecratum pallium pontificale, quod hactenus ibidem asservatur, pro benedictione

sen munere reliquit, cum clavibus indicibus illius potestatis, quæ ad ligandum & solvendum beato Petro concessa est. Inde porro discessurus pontifex, reliquias sancti Dionysii accepit, Romamque secum tulit: ubi monasterium in honorem sancti martyris ædificare cœpit, quod Paulus ejus frater ac successor perfecit, dedicavitque, atque ex sententia fratris sui monachos illic Græcos constituit, unde monasterium in Schola-Græcorum appellatum. Totius hujus facti historia testis est non modo ipsius Stephani epistola de recuperata valetudine sua, verum etiam clausula, libro Gregorii Turonensis episcopi tertio-decimo post anno adscripta in codice olim monasterii Dionysiani, nunc domus professæ Societatis Jesu apud Antuerpiam, nobis olim lecta, dum Henschenium & Papebrochium doctissimos patres inviseremus. Hanc clausulam ab his editam, semelque a nobis excusam in libro quinto de re diplomatica, hic recudere non pigebit. sic autem habet in fine libri de gloria Conf.

Si nosse vis, lector, quibus hic libellus temporibus videatur esse conscriptus, & ad sacrorum martyrum pretiosam editus laudem, invenies anno ab incarnatione Domini septingentesimo sexagesimo-septimo, temporibus felicissimi atque tranquillissimi & catholici Pippini, regis Francorum & patricii Romanorum, filii beatæ memoriæ quondam Caroli principis, anno felicissimi regni ejus in Dei nomine sexto-decimo, indictione quinta; & filiorum ejus, eorumdemque regum Francorum Caroli & Carolomanni, qui per manus sanctæ recordationis viri beatissimi domni Stephani papæ, una cum prædicto patre domno viro gloriosissimo Pippino rege, sacro chrismate divina providentia, & sanctorum Petri & Pauli intercessionibus consecrati sunt, anno tertio-decimo. Nam ipse prædictus domnus florentissimus Pippinus, rex pius, per auctoritatem & imperium sanctæ recordationis domni Zachariæ papæ, & unctionem sacri chrismatis, per manus beatorum sacerdotum Galliarum & electionem omnium Francorum, tribus annis antea in regni solio sublimatus est. Postea per manus ejusdem Stephani pontificis, die uno, in beatorum prædictorum martyrum Dionysii, Rustici, & Eleutherii ecclesia, ubi & venerabilis vir Folradus archipresbyter & abbas esse cognoscitur, in regem & patricium, una cum prædictis filiis Carolo & Carolomanno, in nomine sanctæ Trinitatis unctus & benedictus est. In ipsa namque beatorum martyrum ecclesia, uno eodemque die, nobilissimam atque devotissimam & sanctis martyribus devotissime adhærentem Bertradam, jam dicti florentissimi regis conjugem, prædictus venerabilis pontifex, regalibus indutam cycladibus, gratia septiformis spiritus benedixit: simulque Francorum principes benedictione & Spiritus sancti gratia confirmavit. & tali omnes interdictu & excommunicationis lege constrinxit, ut numquam de alterius lumbis regem in ævo præsumant eligere, sed ex ipsorum: quos & divina pietas exaltare dignata est, & sanctorum Apostolorum intercessionibus per manus Vicarii ipsorum beatissimi pontificis confirmare, & consecrare disposuit. Hæc ideo caritati vestræ breviter in novissima paginula libelli inseruimus hujus, ut per succedentium temporum & vulgi relatione propago in ævo valeat cognoscere posterorum.

Hactenus veterrima illa inscriptio, quæ nulla ratione elevari potest. Porro de revelatione Stephano papæ facta, deque ejus epistola eam attestante, gestisque eidem adjectis, quæ in vetustis codicibus illi epistolæ subjici solent, argumentum suppeditat Ludovici augusti epistola, Areopagiticis præfixa, ab Hilduino petentis, ut revelationem ostensam beato papæ Stephano in ecclesia sanctissimi Dionysii, sicut ab eo dictata est, & gesta, quæ eidem subnexa sunt, Areopagiticis subjungat.

II. Patricii institutio qui fiebat.

Patricios a Stephano pontifice Pippinum, duosque ejus filios dictos fuisse, modo vidimus. Initio Romanæ rei publicæ *Patres ab honore, Patriciique progenies eorum appellati*, teste Livio [a]. Processu temporis Patricii honoris causa ab imperatoribus creati. Jam vero quid sit Patricium creari, quemadmodum Pippinum, ejusque filios creatos in superiori clausula, aliisque auctoribus legimus; quove ritu olim crearentur; discimus ex veteri codice Ottobonianæ modo bibliothecæ, ubi Pauli diaconi historiæ de gestis Langobardorum subjicitur ritus, quo patricii quondam ab imperatore crearentur, quod Romani pontifices, Stephanus & Hadrianus, sibi postea tribuerunt. Ipsa veteris codicis verba huc affero. *Patricii ergo dignitas taliter disponenda est, quatenus illa dignitas non vili personæ, nec alicui concedatur ignoto. Sit enim valde notus imperatori; sit fidelis & prudens, non elatus. Protospatarius veniens ante imperatorem, osculetur suum humerum, & dicat: Maxime imperatorum, adest quem vocasti. Tunc stet ad sinistram imperatoris illius hipparchus, quem nos dicimus præ-*

[a] T. Liv. lib. 1.

ANN. CHR. 754.

fectum, & dicat ei imperator cum protospatario : Futurum patricium adducito. Dum autem venerit patricius, in primis osculetur pedes imperatoris, deinde genu ; postremo osculetur ipsum. Tunc osculetur omnes Romanos circumstantes, & dicant omnes : Bene veniatis. Et imperator : Nobis nimis laboriosum esse videtur concessum nobis a Deo ministerium me solum procurare. quocirca te nobis adjutorem facimus, & hunc honorem concedimus, ut ecclesiis Dei & pauperibus legem facias ; & ut inde apud altissimum Judicem rationem reddas. Hinc induat ei mantum, & ponat ei in dextro indice anulum; & det ei bombacenum propria manu scriptum, dicens : Esto patricius misericors & justus. Tunc ponat ei in caput aureum circulum, & dimittat eum. Hæc referre visum est quoddam operæ pretium, ad illustrandum Patricii obsoletum nomen & officium, quod Pippino & Carolo Magno, ut maxime honorificum, a Romanis pontificibus Stephano & Hadriano concessum est : tametsi nullus eorum, præter Carolum, hoc titulo usi sunt : nec Carolus eum usurpavit ante initum Langobardorum regnum, quod qua de causa factum sit, inferius exponam.

III. Fulrado abbati privilegia concessa.

De privilegiis Fulrado a Stephano concessis exstat [a] in primis ipsius pontificis rescriptum, quo sex diaconos in basilica Dionysiana instituit, eisque usum dalmaticæ concedit ad sacrum ministerium omni tempore peragendum : & quidem ea conditione, ut ad sacras missas jugis ipsius commemoratio fiat ; & missis sanctæ Romanæ ecclesiæ, quatenus facultas feret, hospitium in prædicto venerabili monasterio exhibeatur. Aliis litteris eidem Fulrado pontifex subtalaris calceamentum, id est usum pedulium seu calceorum pontificalium, & mappuli concedit. Ad hæc eidem [b] „ ad vitam confert hospitale positum Romæ infra basilicam beati Petri, juxta „ sepulcrum beati Leonis papæ, quod tenuit Ratchis monachus ; necnon domum po„ sitam infra monasterium beati Martini, quam tenuit Nazarius monachus. quæ concessio nonnisi post annos tres facta est : quo anno eidem etiam Fulrado, ejusque successoribus [c] indulsit omnimodam libertatem eorum monasteriorum, quæ ipsi per diversa loca condiderint. Addunt nonnulla ejus privilegii vetertima exemplaria, quale est unum Thuano-Colbertinum, ante annos octingentos manu exaratum, facul„ tatem eligendi proprii [d] episcopi, qui illa monasteria provideat, & vice Romani pon„ tificis regat, & prædicationi tam in ipso principe monasterio, quam in ipsi subjectis „ operam impendat. Factum historicum refero, quod probat liber primus de miraculis sancti Dionysii, sæculo nono editus, in quo auctor anonymus agens de Her„ berto ejus generis episcopo, ait morem tunc fuisse Dionysiani monasterii, ut ha„ beret episcopos, non quidem titulares, sed vicarios Romani pontificis, qui in ipso monasterio cellisque eidem subjectis prædicta munia & alia nonnulla implerent. De Herberto episcopo id speciatim legitur, quod peregrinorum confessiones audiret. Sirmundus Hadriani papæ diploma [e] refert, hoc proprii episcopi privilegium confirmantis, eodem prorsus modo, quo Martinianum.

a Diplom. lib. 6. p. 491.
b Sirm. to. 2. conc. Gall. p. 38.
c Ibid.
d V. infra n. 25. & 26.
e Ibid p. 113.

Hoc ipso anno Pippinus Taberniacum [*] villam pagi Parisiaci, in decanatu Montis-Maurentiaci, Fulrado abbati & Dionysianis [f] restituit, quam inluster vir Guntaldus olim eisdem donaverat, Johanni cuidam postea ad petitionem illustris viri Ebroini majoris domus, aliisque subinde precario concessam. Widmarus jussus præceptum recognovit, datum anno tertio Pippini regis, Vermerio in palatio.

* Taverny.
f Diplom. p. 493.

IV. Syagrius, aliique Nantuacenses abbates.

Pippini inunctioni interfuisse fertur Syagrius abbas Nantuacensis apud Sebusios, idemque a Stephano creatus episcopus Ostiensis. cujus rei auctorem habere alios vellem, quam vulgatos indices & Guichenonem. Hic [g] Pippini regis præceptum „ refert, concessum ad petitionem venerabilis viri Syagrii abbatis monasterii Nao„ toaci, quod est constructum in honore beatæ Dei genitricis Mariæ & sancti Petri „ apostoli, ut villas ipsius monasterii nullus judex publicus ad causas audiendas vel „ freda exigenda ingredi ausit. Datum decima die mensis Augusti, anno sexto regni ejus, Artiniaco in palatio. Qui regium diploma scripsit Bardillo notarius, Bradilo dicitur in primariis litteris Pippini pro monasterio Prumiensi, rectius Baddilo seu Badilo in Dionysiano de Exona, quæ inferius referentur. In hoc vero Nantuacensi diplomate Syagrius præcise abbas, non etiam episcopus vocatur. certe nec in episcoporum Ostiensium indice locum habet apud Ughellum. Syagrio abbati successisse dicuntur unus post alterum Petrus & Godelsadus, quorum posteriori Ludovicus augustus præceptum concessit, suo loco referendum. de his plura inferius [h].

g Bugi. prob. p. 113.
h Num. 33.

V. S. Germani Parisiorum episcopi translatio.

Annus agebatur a morte sancti Germani Parisiorum episcopi centesimus duodeoctogesimus,

ANN. CHR. 754.

octogesimus, cum Lantfredus suburbani ejus monasterii abbas, qui ab annis viginti, ex quo abbas renuntiatus fuerat, de efferendo e tumulo, & transferendo in interiorem basilicam sanctissimi antistitis corpore sedulo cogitabat, accedentibus denique visis, rem protinus exsequi maturavit. Hoc consilio cum rege communicato, dies sollemni pompæ indictus est ad octavum kalendas Augusti, anno sequenti, ex quo Stephanus papa in Galliam accesserat; paucis vero ante diebus, quam Pippinus in æde sancti Dionysii cum filiis rex ab eo inungeretur. Interfuit huic celebritati Carolus Pippini filius, tum duodennis, quem translationis scriptor anonymus hac de re loquentem inducit. Convenere frequentes episcopi ac proceres cum populi multitudine propemodum infinita. Aperto pridie ejus diei tumulo, qui in cryptoporticu basilicæ exstabat, sacrum corpus cum loculo facili negotio effertur; ac perfosso basilicæ pariete, in aula seu navi ejus ad occidentalem partem sistitur: quo in loco reliquum diei, totumque noctis insequentis spatium in divinis laudibus consumtum est. Ubi crastinus illuxit dies, adfuit a prima luce Pippinus, & cum eo filius Carolus, cunctique regni proceres cum episcopis. Rex gestandi sacri corporis honorem in se suscipiens, cum proceribus feretro manus admovet: at sacrum corpus immotum redditur. Succedunt antistites, tum monachi, sed irrito itidem conatu. Pænitet incœpti propositi, quod sancto antistiti forte displicere conquerebantur. at contra Lantfredus rem ipsi gratam esse certis indiciis comprobabat. In hoc articulo adfuit qui diceret, id forte negotio obesse, quod regii *fiscalini* seu ministri, qui in villa Parisiensis agri Palatiolo * degebant, (nam hæc regia tunc villa [a] erat) vicinas monasterii villulas, Antoniacum ac Vedrarias, earumque incolas vexarent. quo audito, Pippinus conceptis verbis hanc villam cum suis appendicibus sancto Germano, ejusque familiæ addixit; tantum ut sacri corporis deferendi copia sibi fieret. Mox admotis loculo manibus, rex & optimates sacram sarcinam, levem ac translatu facilem, nullo negotio detulerunt in præparatum locum ad orientalem partem ecclesiæ, ubi pone altare sanctæ Crucis, non reserato loculo, in fossa compositum est. Hujus translationis meminit Usuardus ejus cœnobii monachus VIII. kalendas Augusti.

* *Palaiseau.*

a *V. lib. 15. n. 30.*

Multis dein miraculis locus illustrari cœpit, ab anonymo illo sæculi noni monacho relatis, qui non semel monachos ejus cœnobii *clericos* vocat. Is exponendo miraculum factum in quemdam hominem Italum, toto corpore contractum, qui eodem anno ad tumulum sancti Germani sanatus fuerat, ait morem fuisse, ut post vespertinam synaxim fores basilicæ clauderentur. quod universim in omnibus cœnobiis usu tum venisse auctor est Hericus [b] monachus Autisiodorensis. Ibidem paralysi liberatus Withbaldus chorepiscopus ex villa pagi Hasbanii Leudico, recentioribus Leodio. Aliæ item patratæ virtutes erga nobilem e Saxonia virum, Adevertum nomine; item erga Manualdum comitem, Rumaldum item & Georgium comites Madriacenses, qui villas sancti Germani infestabant. Alia miracula Aimoinus Pratensis monachus sæculo insequenti duobus libris prosecutus est. Ex anonymo illo discimus, ante hanc translationem nihil fere ornamentorum ex auro & argento fuisse in Germanensi basilica, excepta cruce, quam Childebertus olim eidem basilicæ contulerat: subinde vero multis locum pretiosis ornamentis decoratum fuisse. Quod de Palatioli donatione à Pippino facta tradit anonymus, fidem habet non modo ex antiqua inscriptione, ad ejus tumulum in ædicula sancti Symphoriani martyris hactenus parieti inserta, verum etiam ex libello censuali Irminonis abbatis, ejus, qui Caroli Magni testamento subscripsit: quo in libello enumerantur reditus a monachis nostris ex eadem villa percipi soliti, a nobis alibi relati. Quo tempore, vel quo tandem pacto Palatiolum ab hoc monasterio distractum sit, incompertum.

b *Heric. de mirac. S. Germani Autis. c. 46.*

VI. Pippini expeditio in Italiam.

Delectu faciendo, Pippinus semel atque iterum Aistulfi animum pertentavit, ut eum ad pacis conditiones absque sanguinis effusione adduceret. Verum ille absentis monita, litterasque cum muneribus insuper habuit, fretus alpium interjacentium repagulis ab se obstructis: at brevi præsenti cedere, atque obsequi coactus est. Itaque, Aistulfo pacis conditiones officiose oblatas aspernante, Pippinus convocatum exercitum per Viennensem agrum duxit, comitante Stephano pontifice cum Carolomanno monacho, qui Viennæ una cum Bertrada regina, belli eventum exspectaturus resedit. Superatis alpium angustiis, fusisque Aistulfi copiis, quibus ille Francos ab aditu in Italiam arceri posse confidebat, Pippinus Papiam in urbem pervenit,

ANN. CHR. 754.

atque Aistulfum ad restituendum exarchatum ac Pentapolim, datis obsidibus, compulit. His gestis, Pippinus in Franciam, hieme jam sæviente, revertit: Stephanus, Hieronymo Pippini fratre, & Fulrado abbate comitantibus, urbem repetiit. Pax ab Aistulfo nihilominus anno sequenti violata, iisdem conditionibus iterum refecta est, relictu in Italia Fulrado abbate, qui ab Aistulfo singula restituenda acciperet.

VII. Walprandi episcopi Lucensis testamentum.

Ad eam expeditionem Aistulfus contra Pippinum magnam copiarum molem contraxerat, ipsique episcopi non tantum eo subsidia conferre, sed ipsi ad militiam proficisci compulsi sunt. Id colligimus ex litteris Walprandi episcopi Luccensis, qui in exercitum Aistulfi jussu profecturus, testamentum condidit, quod, etsi rudi stilo scriptum, ex archivo Luccensi hic afferre juvat.

In Dei nomine regnante domino nostro Aistulfo rege, anno regni ejus quinto, mense Julio, per indictionem septimam, feliciter. Certus sum ego Walprandus in Dei nomine episcopus, quia ex jussione domini nostri Aistulfi regis directus sum in exercito ambulandum cum ipso. Unde sic dispensare prævidi de omnibus rebus meis, ut, dum advivere meruero, in mea sit potestate vendendi, donandi, & quidquid facere & adjudicare adhuc voluero. Et, si mihi occasio mortis obvenerit, volo ut omnes res meas, quæ addicata, & non vendita, aut non donata remanserit, duas partes habeat ecclesia sancti Martini, ubi nunc præses atque pontifex esse videor, & tali ter.... & una pars de ipsæ duæ portiones, quas in ecclesia sancti Martini feci, debeat esse in xenodochio, quod a domno Taleperiano episcopo hic foris muros civitatis constructum est: tertiam partem habeat ecclesia sancti Fridiani, ubi ipse sanctus corpore requiescit: & quartam partem habeat ecclesia sancta Reparata. ✠ Ego Walprandus in Dei nomine episcopus in hanc judicati paginam a me factam subscripsi. ✠ Ego Orperto exiguus dux jussus a domno Walprando episcopo in hanc paginam judicati propria manu mea subscripsi. ✠ Ego Buccio presbyter rogatus subscripsi. ✠ Ego Gualbertus exiguus clericus rogatus subscripsi. Ego ipse Orprandi subdiaconus supra dictus scriptor subscripsi.

a Lib. 18. n. 77.

Ecclesia sancti Fridiani, de qua hic agitur, monachorum erat, ut superius [a] vidimus.

VIII. Ursicinus abbas succedit Baldeberto episcopo Curiensi.

Dum Pippinus in Italiam cum exercitu progrederetur, Desertinense in Rætia monasterium adiisse traditur, eique munera contulisse cum diplomate, quo Widonis comitis donationem confirmavit rogatu Ursicini Curiensis episcopi. Hic ex abbate Desertinensi eodem anno successerat Baldeberto episcopo ex abbate Fabariensi, qui devixit VI. kalendas Julii, anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto. Widoni comiti faciendæ donationis occasio fuit ex recepta valetudine in Desertinensi monasterio per merita sanctorum Sigisberti & Placidi, qui illic præcipuo cultu honorantur. Litteræ donationis ab eo factæ apud Desertinam, confirmatio Pippini acta in loco, qui dicitur Asia, Ursicino simul episcopo Curiæ, & abbate Desertinæ. Ex locis a Widone [b] datis unum est oratorium sancti Galli, quæ cella fuit Desertinensium monachorum.

b Infra n. 20.

IX. Childerici mors & Nantharii abbatis.

Ipso anno, quo Pippinus secundo rex a Stephano papa inunctus est, Childericus in monasterio Sithiensi finem vivendi fecisse dicitur, ibidemque sepultus fuisse. Paullo post Nantharius abbas itidem e vivis excessit: in cujus locum suffectus Datbertus, quem alii Dagbertum, Dagobertumve vocant. Hunc sub finem regni Pippini decessisse probat diploma Caroli Magni, qui Hardrado abbati successori ejus immunitatem a judicibus publicis & a vectigalibus tribuit anno primo regni sui, mense Julio. Hardradum excepit Odlandus seu Autlandus, inferius commemorandus; Odlandum Nantharius secundus ineunte sæculo nono.

ANN. CHR. 755.

X. Bonifacii martyrium & cultus.

Anno supra septingentesimum quinquagesimo-quarto, vel potius insequenti, nam variant auctores etiam veteres, Bonifacius episcopus & legatus apostolicus in Germania, martyrium in Frisia consummavit. Cum vir sanctus neophytis confirmationis sacramentum imperiturus ad fluvium Burdonem, qui olim Frisios occidentales ab orientalibus dirimebat, sub tentoriis cum suis prope Dockingam oppidum consedisset; repente pagani in eum irruunt, rati magnam se ex eo prædam relaturos. Tum neophytis, qui consignandi erant, Bonifacium ejusque socios ab impetu paganorum armis defendere gestientibus, occurrit vir Dei, eisque certamen interdixit, ne inimicis malum pro malo, immo bonum pro malo redderent. Jam quippe optatum diem, & dissolutionis suæ tempus adesse. Confortarentur in Domino, spemque suam in eo reponerent, interim vero divinæ ejus voluntati ceden-

dum, & ad socios conversus: Macte animis, inquit, & oblatam vobis coronam ne « AN. CHR. 755.
rejicite. Hic vos subitus mortis articulus in cælo cum Christo regnaturos brevi con- «
signabit. Mox furens paganorum cuneus in sanctos irruit, eosque præcipiti cæde «
mactat. Tum tentoria excutiens, quidquid in eis reperit, aufert, thecas librorum, reliquiarum capsas; magnam in eis auri argentique copiam se reperturos gratulantes. Forte nonnihil vini in vasculis residuum erat: quod ipsis paganis exitio fuit, nam eo statim se ingurgitantes, orta demum dissensione, arma in se ipsos vertunt, iisdemque gladiis, quibus sanctos martyres trucidaverant, se se mutuo conficiunt. Reliqui ex illa cæde, spolia inter se se divisuri, capsas ac thecas aperiunt: at pro auro & argento nonnisi sanctorum reliquias, ac volumina librorum invenientes, omnia hinc inde irati dissiparunt. Comperta sanctorum morte, Frisiorum populi christiani arma corripiunt, beatorum martyrum cædem ulturi; ejusque auctores, alios ingenti strage prosternunt, alios in fugam convertunt, eorum uxoribus, liberis, ac servis cedentibus in prædam. Illud vero mirabile dein contigit, ut superstites gentilium accolæ, qui Bonifacii viventis doctrinam rejecerant, eo mortuo, divina correptione magistra, susceperint.

Sancti antistitis corpus secundis velis ac ventis trans fretum, quod *Elmere* tum dicebatur, cum sociorum corporibus transportatum in urbem Trajectum ad Rhenum, ibique conditum ac sepultum fuit: donec religiosi ac fideles fratres, quorum venerabilis Hadda dux erat, a Lullo Moguntiæ episcopo illuc transmissi, beati martyris corpus, uti vivens ipse mandaverat, Fuldam devexerunt, non fine multa repugnantia Trajectensium, qui tandem divinæ voluntati, sibi non dubio signo compertæ, cesserunt. Sancti Bonifacii martyrium contigit nonis Junii, anno apostolatus ejus tricesimo nono. Sacrum corpus ipsius tricesimo inde die Moguntiam pervenit, confluentibus divino instinctu ad sacram pompam innumeris undequaque populis, ipsoque Lullo ea ipsa die e palatio Moguntiam reverso, tametsi nullus diei nuntius præcessisset. Fuldam inde, Moguntinis incassum obnitentibus, cum multo apparatu & comitatu sacrum corpus delatum, in præparato ipsi arcuato sepulcro conditum est, multis subinde miraculis illustratum. Diem ejus martyrii unanimi consensu omnes consignant nonis Junii: de anno lis est inter auctores, quorum alii annum, ut mox dicebam, ejus sæculi quinquagesimum-quartum statuunt, alii insequentem. Prioris sententiæ auctores sunt Egiohardus, Eigil abbas, & cum eo annales Fuldenses, Mettenses ac Bertiniani, atque etiam Hincmarus: at posteriorem asserit Willibaldus Eistetensis episcopus in libello de ipsius vita, cui Adamus Bremensis & Lambertus Scafnaburgensis adstipulantur. Sunt qui Willibaldum ejus vitæ scriptorem & æqualem præferendum existimeat: quibus haud gravate accesserim. In eadem sententia versari videtur Othlonus monachus ejusdem vitæ scriptor secundus, tametsi hic locus apud eum mendosus est: at mendæ ac suspicionis expers est textus Willibaldi, qui præter annum incarnationis, indictionem octavam apponit. Bonifacius martyrii socios habuit quinquaginta-duos, ex quibus Eobanus episcopus, & monachi quatuor fuere, nempe Wactar, Gundecar, Illehere seu Williheri, & Batewlfus, anonymo Hadolfus, Notkero Hadowlfe.

Nuntio de Bonifacii morte in insulam Britanniam perlato, Milredus episcopus mærorem suum de sanctissimi antistitis nece Lullo Moguntino pontifici litteris [a] testatus est, dolorem ex eo mitigatum asserens, quod is, sanguine suso pro Christo, suo gloriosissimo agone martyr esset consecratus, *decus & columen omnium, quos præsens*, inquit, *protulit patria*. Eidem cultum publicum sollemni generalis synodi statuto decernendum curavit Cuthbertus [b] episcopus Cantuariensis, ejusque natalitium diem, sociorumque martyrum annuo festo sollemniter celebrandum. Fuldæ hodie quoque cum ejus reliquiis asservantur tres codices ex illis, quos barbari thecis inclusos ejus martyrii tempore dissipaverant, a fidelibus postea recollecti: unus harmoniam evangeliorum cum tabulis canonum continet; alter, gladiis punctim discissus ac martyris cruore rubricatus, epistolam sancti Leonis papæ ad Theodorum episcopum, sermonem beati Ambrosii de Spiritu-sancto, ejusdemque libellum de bono mortis; itemque libellum sancti Fausti confessoris, Agnelli epistolam ad Arminium de ratione fidei, cum notitia regionum & civitatum, in quibus apostolorum corpora requiescunt, aliaque id genus: tertius liber est evangeliorum, ipsius Bonifacii, ut tradunt, manu exaratus.

[a] *Bonifac. ep. 78.*
[b] *Ibid. ep. 70.*

ANN. CHR. 755.

Paullo post sancti martyris obitum Lullus res ab eo gestas per Willibaldum Eistetensem episcopum, ut jam dixi, litteris mandari curavit. Librum hac de re suum Willibaldus ipsi Lullo ac Megingozo Wirziburgensi episcopo nuncupavit. Othlonus monachus exeunte sæculo undecimo duobus libris idem argumentum Fuldensium rogatu retractavit, insertis epistolis, quascumque reperire potuit, ad Bonifacii acta illustranda. Hi duo præcipui fuere vitæ Bonifacianæ scriptores, præter anonymum quemdam incerti temporis auctorem.

XI. Simultas inter Lullum ac Sturmium abbatem.

Non multo post sancti Bonifacii obitum, Lullum inter ac Sturmium Fuldensem abbatem gravis simoltas orta est, cujus alii alias attulerunt causas, prout affectus erat in alterutrum cujusque animus. Qui Lullo favebat anonymus ejus vitæ scriptor Gemmelacensis, forte Sigebertus, in caosa fuisse dicit ipsum Sturmionem, virum quidem excellentis ingenii ac spectatæ sanctitatis, sed vehementis nimium ac præferocis ingenii: qui, cum Lullum videret totam operam suam in Fuldense monasterium, prout sibi mandatum a Bonifacio fuerat, intendere; fratrum suorum animis instillavit, Lulli erga se beneficia & gratiam aliorsum spectare, quam ipsi opinarentur, forte ut sibi suæque sedi Fuldam conditoris aut benefici nomine subjiceret: atque ita Fuldensium animos a Lullo abalienavit, ut non minimam ipsi conflaverit invidiam. Hinc non mediocri dolore affectus Lullus, cum videret tot tantosque labores suos incassum effluere, nec beneficiis invidiam exstingui; extremæ dementiæ esse existimavit, huic luco tantas rerum impensas sine fructu insumere, quas melius alibi collocare posset. Alio proinde convertit animum, scilicet in Hersfeldense monasterium, ab ipso Sturmio ante inchoatum, quod absolvere instituit in perenne devotionis suæ monomentum. Contra sanctus Liudgerus episcopus in libro de vita beati Gregorii abbatis Trajectensis, Lullum invidentiæ accusat in Sturmium, cujus fama & existimatio apud omnes ei gravis esset; ob idque Sturmium, Lulli instinctu, in exsilium demum a Carolo rege ablegatum fuisse: dum interim a rege non sine muneribus obtinuit, ut monasterium Fulda suæ ditioni subjiceretur. Neque sane id sine colore est, litem videlicet de jurisdictione monasterii Lullum inter ac Sturmium exortam fuisse, nec contentioni bilem, ut fit, defuisse: dumque Sturmius monasterii jura, pontificiis regiisque roborata privilegiis, strenue propugnat; pars Sturmio favere, pars Lullo; tum crimina Sturmio affingi cœpta: quæ Lullus dum nimis credulus (quod vitium in commotos facile cadit) ad regem defert, ejus exsilii causa fuit; ob idque invidentiæ notam apud Sturmii amicos retulit. Et forte ob hanc caussam male audierit apud Hadrianum papam, qui ipsum a Weomado & Possessore episcopis, ac missis Caroli regis examinari jussit, antequam ei pallium concederetur: nempe quod quædam de eo ad pontificem perlata essent, quæ examine digna viderentur, ut patet ex Hadriani [a] epistola ad Tilpinum episcopum Remensem.

a Frodoard. lib. 2. c. 17.

Lullum tamen in gratiam demum cum Fuldensibus rediisse postea videbimus.

XII. Gregorius abbas curam gerit ecclesiæ Trajectensis.

Post necem Eobani episcopi, quem Trajectensi ad Rhenum ecclesiæ a Bonifacio præpositum diximus; Gregorius Frisonum pastor & doctor institutus est, cum auctoritate Stephani papæ, tum assensu Pippini regis, adjutore Aluberto chorepiscopo, viro meritis insigni, qui ex Britannia & gente Anglorum in illas partes accesserat. Erat Gregorius ex regia Francorum stirpe oriundus, patre Albrico, aviam habens Adelam seu Addulam, Irminæ Horreensis abbatissæ sororem, quæ ambæ Dagoberto secundo Austrasiorum rege natæ erant. Adela mortuo viro monasticum induit habitum in cœnobio Palatiolensi prope Treviros, quod ipsa exstruxerat. Hæc dum illud regeret, contigit Bonifacium anno tertio-decimo, quam primum in Frisiam prædicationis causa venerat, in prædictum divertere monasterium, ubi tum versabatur Gregorius, quindecim fere annorum adolescens, qui nuper a schola & palatio reverterat. Annus erat Christi Domini septingentesimus vicesimus-secundus, cum Bonifacius, dimisso in Frisia Willibrordo, ad Hessos & Turingos accessit. Ad mensam jossus legere nobilis adolescens, & lectionem exponere; Bonifacius, sumta inde occasione, multa de rebus divinis præclare peroravit, quæ Gregorium ad se sequendum ita inflammarunt, ut ab ejus contubernio numquam deterreri potuerit, resistente quantumvis Adela ipsius avia, ceterisque consanguineis, quibus durum, ne dicam absurdum videbatur, puerum in deliciis enutritum inire tam asperum institutum, ut peregrinum & pauperem hominem sequeretur, nesciens quo iret. Verum prævaluit tandem Gregorii inflexa voluntas; & victa demum Adela,

ANN. CHR. 755.

equos illi cum honesto comitatu suppeditavit, sinens eum abire cum sancto magistro in opus, ad quod divinitus electus erat. Adhæsit itaque Bonifacio Gregorius, eumque in Turingiam secutus est; brevique adeo profecit sub ejus disciplina, ut quasi unicus filius ab ipso diligeretur. Haud veri simile est, tenerum adolescentem Bonifacio, hac illacque circumcursanti, semper comitem adfuisse; immo propius fidem est, in monasterio Fritislariensi, vel Ordorfensi ab ipso relictum, in litteris sacris & rebus monasticis erudiendum, dum ad sacrum ministerium habilis redderetur. In illis enim monasteriis pueros educatos, institutosque fuisse constat in primis ex Bonifacii epistola decima-septima, mandantis, ut post mortem Wigberti abbatis Fritislariensis Wigbertus presbyter & Megingodus diaconus *magistri sint infantium*, seu puerorum. Certe Gregorius postmodum abbas monachorum in Trajectensi monasterio, & ipse monachos ibidem postea informavit, quos inter Liudgerum *paterna in monachorum monasterio sollicitudine* erudiisse perhibetur.

Idem Bonifacium Romam comitatus est, indeque retulit plurima volumina sanctarum scripturarum: quo nomine sacri quique libri, etiam sanctorum patrum, intelliguntur: quos ad usum ac profectum propriorum discipulorum illic acquisivit, domumque non modico labore advexit. Eodem itinere duos adolescentes, cum consensu Bonifacii, in discipulatum suum secum adduxit, Marchelmum nempe & Marcwinum, de gente Anglorum. quæ quidem ad Romanam Bonifacii profectionem tertiam referenda sunt, non ad secundam. quo tempore Gregorius, nondum annorum quindecim, discipulos habere non poterat. Is est Marchelmus, qui a sancto Willibrordo a pueritia sanctis instructus moribus, ut in actis sancti Liudgeri legitur, in pseudo-Marcellinum, Suidbertinæ fabulæ personatum auctorem, transformatus fuit. Gregorii abbatis miram caritatem illud in primis testatum facit, quod duobus sicariis, qui duos ejus fratres, ex aula in patriam revertentes, in quadam silva interfecerant, facinus indulsit; eosque absolvi jussit, ac vestibus novis indutos, cibisque refectos in exteras terras ire suasit, ne a propinquis suis, qui principatum illis in locis tenebant, aliquid detrimenti aut injuriæ paterentur.

Post martyrium Bonifacii ejusque sociorum, Gregorius ecclesiæ Trajectensis adjunctique monasterii curam, ut mox dictum est, in se suscepit cum Aluberto chorepiscopo, qui cum Frisiis verbum Dei prædicare instituit. In Trajectensi vero monasterio plurimos ex variis regionibus discipulos congregavit, quorum alii ex nobili stirpe Francorum, alii ex Anglorum gente; quidam ex Frisiis & Saxonibus recens conversis, quidam etiam ex Bajoariis ac Suevis; alii ex aliis provinciis in unum sub ejus disciplina collecti erant: quos omnes diligebat ut pater, erudiebat ut doctor ac magister, communem cum illis vitam ducens, testante Liudgero ejus vitæ scriptore, qui se discipulum ejus fuisse gloriatur. Ex his discipulis non pauci ad fastigium episcopatus provecti sunt, ut Liudgerus: plurimi vero, etsi ad eam dignitatem non pervenerint, meritis ac doctrina haud impares exstitere. In illa congregatione erat collegium duplex, nempe clericorum ac monachorum, si mendæ expers est diploma [a] Pippini regis pro Trajectensi sancti Martini ecclesia, cui donationes a Pippino, Carolo, & Carolomanno principibus factas confirmat *in stipendium monachorum vel canonicorum, qui ibidem gentiles ad christianitatem convertunt*. Nec sane id veri similitudine caret, cum utrique eidem ministerio strenuam operam apud Frisios navarent. Quamquam dici potest, eosdem simul dici monachos vel canonicos.

[a] Le Cointe to. 5. p. 406.

XIII. Carolomanni monachi obitus.

Ad hunc annum Eginhardus, vulgatus Anastasius, ac plerique alii, Carolomanni Casinatis monachi obitum referunt. Hunc Pippinus frater adeundo Italiam, ut diximus, Viennæ cum Bertrada regina reliquerat, forte ne quid injuriæ pateretur, si Casinum revertisset, ab Aistulfo, quem ad restituendam Pentapolim armis compulsurus erat. Ille itaque, priusquam rex de Italia reverteretur, ait Eginhardus, « febre correptus diem obiit. Reversus est autem ab hac expeditione Pippinus hieme « sæviente sub hujus anni initium, qui autumno e Gallia in Italiam transierat. Mors igitur Carolomanni intra autumnum anni superioris, & hujus anni initium accidit; ac proinde male reponitur in fastis Benedictinis XVI. kalendas Septembris; rectius in veteri necrologio Flaviniacensi, ubi Karlomannus monachus, frater Pippini, pridie nonas Decembris obiisse dicitur. « Id si admittas, quidni vero non admittas? Carolomanni obitus anno superiori collocandus, uti certe eum collocant « annales Mettenses. Observatione dignum videtur id, quod habet Anastasius de

AN. CHR. 755.

» Carolomanno, quem pari consilio Stephanus papa & rex Pippinus, juxta id quod » ille Deo se devoverat monachicam degere vitam, in monasterio Viennensi collo» caverunt, non in comitatu Bertradæ reginæ: ubi, id est in monasterio, post aliquan» tos dies divina vocatione de hac luce migravit. Præclarum sane exemplum in monacho tantæ dignitatis, qui extra monasterium habitare sibi licere non putavit; certe nec decere pontifex & rex ipse existimarunt. Ejus corpus, teste Eginhardo, » jussu regis ad monasterium sancti Benedicti, in quo monachicum susceperat, immo » potius gestaverat habitum (nam illum ante aditum Casinum susceperat) relatum » est; & quidem in loculo aureo, ut tradit Herkempertus, cum aliis muneribus a Pippino illuc missis, & cum monachis, qui eum e monte Casino in Galliam comitati fuerant: quos Stephanus, nomine ac rogatu Optati abbatis Casinensis, scriptis ad Pippinum litteris repetiit. Idem vero Pippinus Exonam villam Dionysiano monasterio tribuit, eo pacto, ut melius delectet ejus loci monachos pro se, & pro *bonæ memoriæ germano* ipsius *Karlomanno* attentius deprecari. Sanctum vocat Regino abbas Prumiensis: & *bonæ memoriæ Karlomannus monachus* in annalibus Metensibus appellatur. Nullo publico cultu hactenus, ne quidem Casini, honoratus est: tametsi ejus reliquiæ, in urna onychina sub ara maxima nostro ævo cum sanctis abbatibus, Constantino & Simplicio, IV. kalendas Octobris inventæ, denuo cum iisdem subtus aram a Simplicio Caffarello abbate reconditæ sunt kalendis Octobris anni millesimi sexcentesimi vicesimi-octavi, cum inscriptione sequenti, in qua non regis, sed principis nomine donandus erat:

CORPUS SANCTI CAROLOMANNI REGIS ET MONACHI CASINENSIS,
QUEM CLARIOREM REDDIDIT CELLA QUAM REGIA,
CUCULLUS QUAM PURPURA, PEDUM QUAM SCEPTRUM,
OBEDIENTIA QUAM IMPERIUM:
E MONASTERIO VIENNENSI, UBI, CUM APUD PIPPINUM FRATREM
FRANCORUM REGEM,
AD ITALIÆ PACEM PROCURANDAM LEGATIONE FUNGERETUR,
VITA FUNCTUS EST, HUC TRANSMISSUM,
ET AD SANCTISSIMI PARENTIS BENEDICTI PEDES POSITUM,
SIMPLICIUS CAFFARELLUS HUJUS SACRI COENOBII ABBAS CXXVIII.
UT, QUI HONORIS INSIGNE REPULIT VIVENS,
RECIPERET MORTUUS, SOLEMNI POMPA ELEVATUM,
IN ORNATIOREM LOCULUM REPOSUIT KAL. OCTOB. AN. MDCXXVIII.
PONTIFICATUS S. D. N. URBANI OCTAVI ANNO VI.
PHILIPPO IV. HISPANIARUM REGE CATHOLICO REGNANTE.

XIV. *Pippinus iterum in Italiam profectus.*

Pippino ex Italia ita, ut diximus, in Galliam reverso, Aistulfus externo liberatus metu, brevi ad pristinum ingenium rediit, &, tumultuario exercitu contracto, adeo promissa intra præfinitum tempus non implevit, ut etiam Romanum in agrum incurreret, vastatisque in circuitu locis, urbi ipsi excidium rursus intentaret; ratus Pippinum, semel amici functum officio, alpes ad protegendum pontificem denuo non trajecturum. Sed spes eum sua fefellit. nam Stephanus, ubi nihil apud eum precibus obtinere potuit, Warnerium abbatem, ad se a Pippino missum, cum legatis suis in Franciam itinere maritimo, quo celerius ac tutius perveniret, jussit contendere, ac Pippinum per omnia sacra obtestari, ut tam urgenti necessitati adesset: » Warnerium [a] abbatem laudans, quod pro amore beati Petri, lorica indutus per » muros afflictæ urbis Romanæ vigilasset. Anastasius religiosum virum dicit Warnerium, de quo nihil amplius nobis dicendum occurrit. His acceptis, Pippinus nil moratus, subito delectu habito alpes trajecit, Aistulfum, soluta Romæ obsidione Papiam reversum, rursus obsedit, & ad promissa statim persolvenda compulit, novis etiam conditionibus in pœnam violati fœderis adjectis; nec ita multo post, Fulrado abbate, qui ab Aistulfo singula acciperet, & pontifici resignaret, relicto, ipse

[a] Steph. ep. 4.

in Franciam, ne hac quidem vice Roma adita reversus est. Exstant Stephani papæ litteræ tres de hac expeditione; una soli Pippino regi inscriptæ, quem ad eam quantocius aggrediendam hortatur: alteræ communes, sed iisdem fere verbis, *Domino excellentissimo, Pippino, Carolo, & Carlomanno, tribus regibus & Romanorum patriciis, seu omnibus episcopis, abbatibus, presbyteris, & monachis, seu gloriosis ducibus, vel cuncto exercitui regni & provinciæ Francorum*: tertiæ, quod mirere, non Stephani papæ nomine, ut duæ priores, sed nomine sancti Petri iisdem inscriptæ, ad urgendam expeditionem. In duabus prioribus epistolis graviter pontifex conqueritur, quod Beneventani Aistulfo adjuncti Romana suburbia igne ac ferro corruperint, ne quidem ecclesiis, sacrisque imaginibus parcentes, immo etiam quod munera sancta, id est corpus Domini nostri Jesu-Christi, in suis contaminatis vasis, quos folles " vocant, miserint, eaque aliis cibis expleti comederint; denique quod servos Dei monachos, qui pro officio in monasteriis morabantur, multis plagis consecerint; atque " sanctimoniales feminas & reclusas, quæ ab infantia & pubertatis tempore se se re- " clusserant, cum magna crudelitate abstractas polluerint. "

ANN. CHR. 755.

Dum Pippinus ad secundam hanc expeditionem pergeret, legati ad ipsum ab Constantino imperatore cum muneribus missi intercesserunt, ut ne exarchatum & Pentapolim pontifici, sed imperatori restitui curaret. Verum cassa eorum intercessio, atque irritæ preces fuere. Vidimus in archivo Dionysiano fragmentum epistolæ græcæ, cinnabari seu minio subscriptæ, quam forte Constantinus hac occasione ad Pippinum scripserit, cujus fragmenti ectypum, etsi nihil fere ad sensum reliqui sit, in supplemento operis de re Diplomatica, Deo dante, exhibituri sumus.

XV. Besuensis monasterii miserabilis status.

Per id tempus, cum Pippinus divortium a Berta seu Bertrada regina facere meditaretur, a Stephano tertio admonitus, cum ea in concordiam rediit, ut probat Stephani quarti epistola ad Carolum & Carolomannum reges in codice [a] Carolino. Discordiæ fomites forte ministravit Pippini consuetudo cum quadam Angla, Theodardi nescio cujus uxore, cui monasterium Besuense non [b] custodiendum, sed diripiendum dedit, quod sub quatuor posterioribus abbatibus, Waldaleno, Bercango, Ferreolo & Syranno, primariam regularis vitæ disciplinam retinuerat. Id vero indigne ferentes monachi, cœnobium deseruere plerique, seque alii Luxovium, alii in alia monasteria receperunt. Sic Angla rerum omnium domina, paucos seniores, qui illic remanserant, etiam ab ingressu basilicæ prohibuit, non verita ipsum oratorium, postquam cetera sacra loca impune temeraverat, audacter ingredi, contra generale fere interdictum illius temporis monachorum, qui muliebrem sexum ab ecclesiis suis arcebant. Verum audaciam non impune tulit infamis mulier, quæ mox, ubi pedem in oratorium misit, invisibili igne cœpit ardere, seque quantocius in proximum fontem Besuæ deportari præcepit; at, nullo ex aquis percepto refrigerio, ad fontem misericordiæ recurrit, idque piorum senum precibus obtinuit, vitæ emendatione promissa, cujus beneficii memor, prædictum locum donariis honoravit, quorum quædam Johannes chronographus Besuensis, ad suum usque tempus, in rei testimonium asservata fuisse testatur.

[a] Carolin. cod. ep. 41.
[b] Spicil. to. I. p. 503.

Tunc etiam Lingonensis episcopatus, in quo Besuense monasterium exsistit, traditus fuit Remigio Pippini regis fratri, qui hoc anno ad Rotomagensem promotus sedem, Lingonensem legitimis episcopis reliquit. Post Anglam Besuense monasterium episcopis Lingonensibus commissum fuit. Sed nulla eis cura de revocando ad ovile palabundo grege monachorum, hoc uno gaudentibus, quod res eorum in suos suorumque usus cederent. Ita monasticus ordo eo in loco penitus exstinctus, nullique succedentium episcoporum curæ fuit, ut pristinam religionem illic repararent; sed alii abbates ordinis canonici ibidem constituerunt, alii sibimet locum ipsum mancipatunt, donec ad piissimi Ludovici augusti tempus ventum est, cujus principatu restituta Besuæ monastica disciplina.

XVI. Lingonenses episcopi monachi.

Inter hos nihilo minus Lingonenses episcopos, qui Cheroaldo successit Herulfus seu Hariolfus, olim cum junioribus clericis monachos inter educatus fuisse dicitur, ac postmodum solitudinis amans in Elewangense fraternæ ditionis monasterium concessisse, baculo pastorali resignato Arwlfo, seu fratri, seu fratris filio. Hic vero cellam sancti Viti apud Suevos exstruxit, sancti Benigni quibusdam reliquiis a se decoratam, quo & ipse demum se recepit, Lingonensem cathedram cedens Waldrico seu Baldrico abbati Divionensis monasterii sancti Benigni. Ejus successor Betto epis-

ANN. CHR. 718.

copus poſſeſſiones Beſuenſis monaſterii aſſeruit: Bettonem excepit Albericus, qui monaſticam ibi diſciplinam reſtituit. Horum meminit in chronico Lingonenſi Jacobus Vignerius e ſocietate Jeſu, qui per ea tempora conditam conjicit in decanatu Moliſmeoſi ſanctimonialium Benedictinarum abbatiam, Putei-orbis appellatam, de qua plura inferius.

XVII. Glannafolienſis monaſterii everſio.

Eadem, immo longe pejor calamitas eodem tempore accidit Glannafolienſi monaſterio, quod beatus Maurus in agro Andecavenſi olim exſtruxerat. Hactenus a prima origine monaſticæ religionis obſervantia in illo ſancto cœnobio viguerat, cum honore & dignitate ac rerum omnium copia, (numerus quoque centum-quadraginta monachorum, a ſancto Mauro præſcriptus, ibidem indiminutus erat :) cum Pippinus rex locum illum cum univerſis ejus poſſeſſionibus tradidit Gaidulfo cuidam Ravennati, ſæviſſimi animi atque efferæ crudelitatis homini, qui mox exſecrabili odio monachos ibidem commorantes perſequi aggreſſus eſt. Hi autem immaniſſimam ejus oppreſſionem ferre non valentes, palabundi circumquaque diſperſi ſunt, quatuordecim tantum illic remanentibus, qui quotidianam ſtipem emendicando vix a prædicto tyranno extorquere poterant. verum illi demum, cum præ extrema inopia ſanctæ regulæ inſtitutionem ſervare non poſſent, communi conſilio monaſticas veſtes deponunt, induuntque habitum canonicorum. quod illis peſſime vertit. Occaſione namque inde accepta, Gaidulfus omnes expulit, eorumque in locum quinque tantum clericos viliſſimi nominis intruſit. tum malo genio percitus, totum monaſterium non modo ſolo tenus æqoavit, ſed ejus etiam fundamenta revellit, incipiens ab ædibus ſacris, quas funditus deſtruxit. Quin etiam teſtamenta ſeu inſtrumenta donationum monaſterio factarum partim cremavit, partim in præfluentem Ligerim projecit, paucis exceptis, quæ in archivo ſancti Albini apud Andecavos monaſterii depoſita, poſtmodum, accedente clade Nortmannorum, cum aliis perierunt. His præclaris ſcilicet geſtis ovans tyrannus, dum amicis feſtivum epulum exhibet, mero calens, inter pocula percuſſus a quodam ſibi apparente venerabilis formæ monacho interiit, vociferans, & Maurum appellans, qui ſe interficeret. Hæc ita geſta fuiſſe conteſtabatur ſæculo nono Gerannus monachus, qui hæc ſe a patruo ſuo, ipſius loci tunc monacho, ſe frequenter audiiſſe aſſerebat: cui narrationi adſtipulabantur veterani duo homines, ex quibus eadem reſcivit Odo abbas, qui hæc retulit in libro de everſione & inſtauratione monaſterii Glannafolienſis. Mortuo Gaidulfo, loci ejus poſſeſſiones in prædam factæ ſunt, tam comitis Andecavenſis, quam aliorum effrenis cupiditatis hominum, qui eas, nemine apud Carolum Magnum conquerente, in ſuos uſus, ſuumque dominium tranſtulerunt. Ita jacuit inſigne monaſterium ad tempus Ludovici auguſti, quo imperante denuo utcumque excitatum eſt.

XVIII. Concilii Vernenſis decreta pro monachis. * Vernueil.

Ejuſmodi prædones monaſteriorum notat concilium Vernenſe, in Verno * palatio ad Iſaram hoc anno habitum, cujus canone decimo ſtatutum eſt, ut, ſi monaſterium quodvis in manus laïcorum veniat, idque loci epiſcopus emendare non valuerit, liceat monachis cum epiſcopi conſenſu in aliud migrare monaſterium ad ſalvandas animas ſuas. Non omittenda hoc loco alia in rem noſtram ejus ſynodi de-
» creta. Unum eſt canone quinto, ut monaſteria, tam virorum, quam puellarum,
» ſecundum ordinem regulariter vivant; &, ſi id facere contemſerint, hoc emen-
» det epiſcopus, in cujus parochia conſiſtunt; vel, epiſcopo non valente, me-
» tropolitanus; vel denique ſynodus, quæ bis ſingulis annis fieri præcipitur. Si vero
» illi ſynodum non audierint, aut honorem ſuum perdant, aut excommunicentur;
» & tales in eorum loco in ipſa ſynodo conſtituantur cum voluntate regis, & con-
» ſenſu ſervorum Dei, id eſt aliorum monachorum, qui ipſum gregem ſecundum or-
» dinem ſanctum regant.
» Canone ſexto abbatiſſis & monachabus interdicitur diſcurſus extra monaſterium,
» ſtatuiturque, ut nulla abbatiſſa duobus monaſteriis præſit, nec extra monaſterium
» progrediatur, niſi hoſtilitate cogente, aut rege jubente, ſemel in anno, aut certe
» permittente, cum conſenſu epiſcopi ſui. Monachæ vero extra monaſterium non ex-
» eant. Si qua vero ex his in crimen lapſa fuerit, intra monaſterium cum conſilio
» epiſcopi pænitentiam agat. Quod ſi quid regi vel ſynodo ſuggerendum habeant,
» earum præpoſiti vel miſſi hoc faciant; iidemque munera, ſi qua dare velint, ad
» palatium perferant. Ad hæc, ſi qua erunt monaſteria, quæ ſuum ordinem ob paupertatem

ANN. CHR. 755.

pertatem adimplere non possint, id per episcopum regi innotescat, ut sua eleemosyna id suppleat. Denique si quæ feminæ velatæ regulariter vivere cum aliis non velint, episcopus vel abbatissa locum illis aptum provideat, ubi separatim cum custodia in pulsatorio (probationis hic locus erat) babitare debeant, vel manibus operari quod abbatissa jusserit : donec probatæ dignæ sint, quæ in congregationem recipiantur.

Canon decimus sancit, ut ne monachi, qui regulariter omnino vivunt, ad Romanam sedem, vel quovis alio vagati permittantur, nisi ex obedientia seu mandato abbatis. Si tamen ob remissionem vel negligentiam abbatis monasterium ipsum in manus laïcorum venerit, liceat monachis, ut mox observabam, salutis suæ causa in aliud migrare monasterium cum episcopi consensu. De clericis statutum est canone undecimo, ut vel in monasterio sint sub ordine regulari, vel sub manu episcopi sub ordine canonico, id est ad normam & præscriptum canonum. In canone vicesimo aiunt patres sibi perdonatum seu concessum fuisse, haud dubie a rege, ut in illis monasteriis, ubi regulariter monachi vel monachæ vixerint, abbas vel abbatissa rationes de suis rebus reddant, vel regi, si regalia monasteria fuerint; vel episcopo, si episcopalia. In fine præcipit canon vicesimus-quintus, ut nec episcopus, nec abbas, nec ullus laïcus pro justitia facienda sportulas contradictas accipiat, legendum puto *sportulas contraditas*, id est munera sibi oblata : quia ubi dona intercurrunt, justitia evacuatur. Ex quo intelligas, abbates tunc temporis jus dixisse. Illud obiter observo, canone quarto-decimo patribus non probari persuasionem populis eo tempore receptam, die dominico *cum caballis sive bubus & vehiculis itinera fieri non debere*, ne quidem ullam rem ad victum præparari, quod Judaïcum esse patres existimant, non christianum, qui mos in Anglia receptus erat, teste [a] Beda. Huc spectat quod apud Livium [b] legitur de matronis Romanis, quibus id privilegii indultum erat, ut pilento ad sacra ludosque carpentis festo, profestoque uterentur.

a Beda lib. de vita S. Cuth. c. 27. V. Præfat. in Sæc. 2. Act. n. 19.
b Liv. lib. 5.

ANN. CHR. 756.

XIX. Aistulfo regi succedit Desiderius.

POstero anno Aistulfus rex Langobardorum, cum de fœdere iterum frangendo, deque bello in Romanum pontificem instaurando cogitaret, inter venandum equo dejectus, sive, ut alii narrant, apro percussus, interiit. Ejus morte comperta, cum nemo omnium esset, cui jure hereditatio regnum competeret, Desiderius stabuli comes, qui tum ducatum Tusciæ administrabat, Tuscis suffragantibus thronum occupavit. Quod ubi Ratchisus, ex-rege Casinas monachus, accepit, usque adeo indignatione exarsit, ut monachum exuere, ac regnum iterum inire voluerit. Nec deerant ejus consilii auctores & adjutores. Id ut averteret Desiderius, ad Stephanum pontificem se contulit, atque urbes quasdam, ab Aistulfo nondum restitutas, se traditurum, ac fœdus instauraturum pollicitus, Stephanum ad suas partes adjunxit, consulto Fulrado abbate, cujus opera, adhibito Paulo pontificis fratre, pax sancita est. Hinc pontifex Ratchisum per Stephanum presbyterum monuit, ut in pristino vitæ instituto maneret, nec de sollicitando Desiderio cogitaret. Quin etiam Fulradus Francorum auxilium Desiderio, si res armis esset disceptanda, promisit. Ita Ratchiso cedere coacto, Langobardi territi regnum Desiderio confirmarunt.

XX. Widonis comitis obitus & beneficia in Desertinenses.

Eodem anno mortuus est Wido comes Langobardus, Adalberti comitis filius, cujus uxor erat Adalheidis, filia Rodoaldi Beneventani ducis, Desiderio regi sanguine conjuncta. Widonis obitum hoc anno, & quidem IV. nonas Januarii, reponunt parentales tabulæ Desertinensis apud Rætos monasterii, cui maxime beneficus exstitit. Is aliquando cum Pippino rege in Italiam proficiscens, Desertinam venisse [c] traditur, Ursicino tunc temporis episcopo Curiensi & abbate, ibique gravissime infirmatus, cum sanitatem ad monachorum preces, sanctorum loci tutelarium, Sigisberti & Placidi, meritis recuperasset, eidem monasterio multa prædia & beneficia, in his cellam sancti Galli apud Rætos, & prædium Antsonam, contulit. Donationis ibidem factæ testes recensentor Hegilo, Vitalis, Vernerus, Udalricus, aliique, haud dubie primores viri. Scio aliter ordinari a Bucelino & Cointio seriem Curiensium episcoporum : sed hæc magis convenit cum antiquis monumentis, in quibus Ursicinus sub Paschali & Victore episcopis adolevisse traditur, iisque successisse Vigilius & Baldebertus, cujus Baldeberti successor Ursicinus locum fecit Tello episcopo, de quo inferius. Si Cazziense virginum Benedictinarum cœnobium condere cœpit Paschalis episcopus Curiensis, sub initium ejus sæculi id factum

c Supra n. 8.

Curiensium episcoporum series emendata.

Cazziense monasterium.

ANN. CHR. 716.

oportuit. Victor ejus successor inchoatum opus absolvisse fertur, ejusdem, ut putant, filius, ante parentis sacerdotium ex legitimo natus matrimonio. Situm est illud cœnobium in pago Tumiliascensi, beatis apostolis Petro & Paulo nuncupatum, nunc canonicarum liberarum collegium. Idipsum est procul dubio cœnobium *de Gaczes*, de quo fit mentio in libro [a] fratrum conscriptorum sancti Galli, ubi recensentur *nomina sororum de Gaczes, scilicet Waldrada, Calumniosa & Oportuna abbatissæ; Columba, Passiva*, aliæque *monachæ*, non canonicæ. Bucelinus Catziensis monasterii antistitarum catalogum exhibet, in quo prima ejus loci abbatissa censetur Vespula, prædicti Paschalis, ut fertur, filia: sed in eo nulla mentio trium superiorum abbatissarum. quod argumento est, catalogum illum valde imperfectum esse.

[a] *Gold. to. 2. rer. Alam. p. 186.*

XXI. Johanni episcopo Saltzburgensi succedit Virgilius.

Sublato e vivis hoc anno Johanne episcopo Saltzburgensi, creatus est Virgilius episcopus ex-abbate monasterii sancti Petri ejusdem civitatis. Hunc ex Hibernia natum, ac profectum in Bajoariæ partes, testis est Alcuinus in epigrammate [b] quodam, quo ejus sanctitatem atque integritatem celebrat. Consentit vetus ejusdem epitaphium suo loco referendum, in quo humilis, doctusque sacerdos appellatur, in miseros largus, omnibus denique acceptus & amatus.

[b] *Alcuin. epigr. 138.*

Ex Hibernia in Franciam profectus a Pippino principe, tunc majore-domus, apud Carisiacum honorifice exceptus fuisse dicitur, ab eoque ob litterarum scientiam & morum honestatem ad prædicandum missus in Bajoariam, ubi processu temporis episcopatum promeruit. Hinc forte non bene ipsi convenit cum sancto [c] Bonifacio, quod ejus missionis auctorem principem haberet, faventemque Otilonem Bajoariorum ducem; nec satis, ut par erat, Bonifacio, apostolicæ sedis in illas partes legato, subjectus esset. nam eumdem esse puto, de quo agitur in epistolis Bonifacianis. Verum in gratiam tandem cum viro sancto rediit, tametsi episcopatum nonnisi post ejus obitum adeptus est. De monastica ejus professione silent veteres. Presbyter tantum appellatur in epistolis Zachariæ papæ & sancti Bonifacii; abbatem tamen ante episcopatum fuisse constat ex indiculo Arnonis episcopi ejus successoris, in quo Virgilius abbas sancti Petri monasterii Saltzburgensis de quibusdam possessionibus cellæ sancti Maximiliani cum Otilone duce disceptasse perhibetur. Ejus ordinatio hoc anno, & quidem XVII. kalendas Julii, facta memoratur. Per annos episcopatus quatuordecim multa egregie ab eo patrata. Sancti Petri monasterium ex integro magnificentius refectum; Carinthii per missos a se prædicatores conversi, ob id eorum apostolus vocatus; amplificata ab eodem cella sancti Maximiliani, quam sanctus Rudbertus exstruxerat; alia apud Ottingam cella ab ipso Virgilio instituta, sed a Guntherio comite condita & dotata, cujus ecclesiam non ante Virgilius episcopus consecrare voluit, quam Saltzburgensi ecclesiæ subjiceretur. Basilicam in honorem sancti Stephani consecravit primo suæ ordinationis anno Virgilius, *abbatemque illic & monachos ex ipsa sede* Saltzburgensi *posuit*, testante Arnone, in cujus textum intrusæ videntur voces duæ, *sive canonicos*. Tunc enim, id est primo Virgilii episcopi anno, in ecclesia sancti Petri, ubi numquam canonicos exstitisse constat, sedes erat episcopalis, quam postea idem Virgilius in novam a se erectam sancti Rudberti basilicam transtulit. Ob hæc, aliaque recte facta is nulli pietate secundus, maximusque ecclesiæ princeps ab Alcuino prædicatur. In disceptatione, quam de cella sancti Maximiliani habuit contra Otilonem ducem, producti ab eo testes sancti Rudberti discipuli, apud Arnonem memorantur. quod sane impossibile fuisset, si sanctus Rudbertus floruisset sæculo sexto, ut volunt recentiores.

[c] *V. lib. 21. n. 14.*

XXII. Mediani-monasterii abbates.

In Mediano-monasterio apud Vosagum humanis rebus exemtus est Rambertus seu Rembertus ejus loci abbas, si recte annos ei regiminis quinquaginta tribuit Johannes Bayon chronographus. Diem ejus obitus notant veteres monasterii tabulæ VI. kalendas Februarii. Huic successit in annos amplius triginta Sundrabertus, religionis studio & moribus non impar: cujus tempore fidelium donationibus locus ille auctus fuit. Eo abbate sæculi e fluctibus ad portum vitæ monasticæ se recepit germanus ipsius Madalvinus, futurus etiam ejusdem in abbatiali dignitate successor, sed meritis superior.

XXIII. Wicterbus episcopus & abbas Martinianus.

Annum quintum Pippini regis cum hoc anno dominicæ incarnationis quinquagesimo-sexto recte componunt annales Masciacenses apud [d] Labbeum, quo anno Wicterbus episcopus & abbas sancti Martini apud Turonos obiisse perhibetur. Huic successit in dignitate episcopali Andegarius, forte legendum Audegarius, in iisdem

[d] *Bibl. nova to. 2. p. 736.*

ANN. CHR. 756

laudatus annalibus; non vero in abbatiali, quæ Wlfardo seu Gulfardo abbati commissa fuit. Ex uno duos, Wlfardum & Gulfardum, intermedio Hitherio seu Itherio, perperam faciunt vulgati indices, uti de Utlando & Autlando superius[a] vidimus. Is est Gulfardus abbas, qui una cum Albino, Caroli regis *delicioso*, (sic eum vocat Anastasius) Romam ad Hadrianum papam a Carolo missus est. Hunc Hitherius abbas excepit, Hitherium Alcuinus: quos omnes in consequentibus illustrabimus. Porro in Turonico sancti Martini monasterio, uti & in Dionysiano, non quidem titularem, sed *proprium*, ut vetera monumenta loquuntur, fuisse episcopum, agnovit Urbanus papa secundus in concilio Turonensi, qui, lectis ecclesiæ Martinianæ privilegiis, fassus est id privilegii eidem basilicæ concessum, *ut proprium haberet episcopum*. Neque id insolitum ac singulare. nam, ut cetera mittam in præsens, in monasterio montis Sinai sæculo undecimo, referente Ademaro[b] monacho, quingenti amplius monachi sub imperio abbatis manebant, *habentes ibidem proprium episcopum*. qui proinde alius erat ab ejus loci abbate, uti contigit in Martiniana, ut mox observabam, ecclesia post Wicterbum, qui abbas simul & episcopus erat. Ceterum Andegarius, post eum episcopus monasterii sancti Martini, vir ob modestiam & humilitatem omnibus acceptus & amatus, fuit ex genere Anglorum: sed pater ejus, Betto nomine, negotiator fuerat in urbe Massilia, ut tradunt prædicti annales Masciacenses, in quibus Andegarius obiisse dicitur xv. kalendas Februarii, anno septingentesimo nonagesimo.

Alii abbates non episcopi.

a Lib. 21. n. 14.

b Biblioth. nove to. 2, p. 175.

XXIV. Wando abbas Fontanellæ obit.

Hoc autem anno quinquagesimo-sexto Fontanellæ diem functus est Wando quondam abbas, qui lumine oculorum orbatus, pastoralem curam in Austrulfum transtulerat. Ab eo tempore bonis operibus insistens, in ecclesia beati Petri sedulo residebat, agonem suum Christo Domino inedia, vigiliis & orationibus assidue commendans. Præter cæcitatem podagrico labore sæpius laborabat cum insigni patientiæ exemplo, Apostoli dictum recolens, flagellari a Domino omnem filium quem recipit; & castigari quem amat. Dum oculorum luce frueretur, victimam hostiæ salutaris quotidie immolasse memoratur. Multa Fontanellæ donaria fecit, ne quid dicam de plurimis rebus, quæ eidem loco sub ejus administratione accreverunt. Reliquit ecclesiæ sancti Petri offertorium argenteum cum patena, capsam auro decoratam, diversaque ornamenta; bibliothecæ autem codicum non modicam copiam, ex quibus quædam tantum chronographus Fontanellensis recenset. In veteri kalendario Breviarii Fontanellensis notatur commemoratio Wandonis abbatis xv. kalendas Maii. Sepultus est in absida basilicæ sancti Petri juxta beatos Christi confessores ipsius antecessores. Qui eum sepulturæ mandaverat Bertcaudus monachus, referre solitus erat, dum ejus corpus ipse in tumulo solito more supinum componeret, subito conversum fuisse, seque ipsum dexterum in latus, vivorum more in lecto agentium, collocasse, viventisque speciem exhibuisse. Fontanellense monasterium, primo quidem expulso Benigno, rexit triennio; deinde reversus ab exsilio annis circiter quinque: post quos annis novem superstes, (sic enim emendandus videtur Fontanellensis chronographus, qui sibi non constat) annis ferme sexaginta in monastico proposito exactis, jam senio confectus, ad æternam demum requiem hoc anno migravit, tempore Widonis laici abbatis, qui Austrulfo ante biennium mortuo successerat.

XXV. Baltherus item anachoreta.

Eodem anno Rogerius Hovedenus collocat obitum Baltheri anachoretæ, cujus gesta anonymus poëta[c] Eboracensis versibus cecinit. Locum poëta describit undis oceani circumdatum, rupibus septum horrendis & prærupto margine, ubi vir sanctus aëreas potestates sibi infestas sæpius vicit. Ad eum aliquando refugisse dicitur cujusdam levitæ anima corpore exuta: quam dæmones insectabantur ob quamdam culpam, quam ille confiteri erubuerat, nempe quod manus in sinum mulieris injecisset: at Baltheri precibus tandem dæmonum vexationi ac potestati subducta. Idem aliquando e prærupto margine in oceanum lapsus, siccis super undas plantis ambulasse perhibetur. A Turgoto monacho laudatur vir Domini & presbyter Baltherus, qui vitam anachoreticam *in Tiningaham*, qui Scotiæ locus est, duxit: ubi viam sanctorum patrum ingressus, ad Deum migravit pridie nonas Martias, Cunewlfi Lindisfarnensis episcopi anno decimo-septimo, regni vero Eadberti Northanimbrorum regis vicesimo. Et tamen in fastis Benedictinis colitur v. kalendas Decembris. quo forte die ejus reliquiæ Dunelmum translatæ sunt sæculo undecimo.

c Sæc. 3. Bened. parte 2, p. 161.

ANN. CHR. 757.

XXVI. *Fulrado abbati privilegium a Stephano papa concessum.*

a V supra n. 3. & 13.

PRoximo anno quinquagesimo-septimo Stephanus papa Fulrado abbati Dionysiano, ejusque successoribus facultatem concessit ædificandi monasteria, ubicumque vellent in regno Franciæ, sive in locis proprietatis suæ, sive in iis, quæ ex munificentia regum, vel ex concessione fidelium ipsi possiderent; eaque monasteria, uti Dionysianum, cui illa subjicit, sub apostolica ditione esse jubet, & sub providentia episcopi ab ipsis designati, qui prædicationi tam in principe monasterio, quam in sibi subjacentibus operam impendat. Hæc clausula de proprio [a] episcopo, quæ in editis conciliorum libris deest, invenitur in veterrimis scriptis exemplaribus nonnullis, habetque auctoritatem a libro primo miraculorum sancti Dionysii, ubi legitur, morem ejus aliquamdiu fuisse ecclesiæ, episcopos habere, qualis fuit Herbertus episcopus ibidem laudatus. Verum hac de re disputent alii, quantum lubet: historica facta notare nobis incumbit, non jus eorum asserere.

Monasteria ab eo structa.

** S. Bilt.*

Hoc Stephani privilegium inscribitur Fulrado presbytero & abbati, *venerabilium diversorum monasteriorum fundatori.* Id intelligendum in primis de monasteriis duobus in Alsatia ab eo conditis, nempe Lebraha, & cella sancti Hippolyti, quorum alterum reliquiis sancti Alexandri, alterum sancti Hippolyti martyrum Roma advectis, & non solum prædiis locupletavit. Et quidem cellam sancti Hippolyti in sua ipsius proprietate condidisse memoratur in quodam Caroli Magni diplomate, dato anno regni ejus sexto: cellæ vero in valle *Lebrath* sitæ Carolum Magnum conditorem agnoscit Richerius monachus Senoniensis: cujus ecclesiæ pavimentum vario marmore stratum ad suum usque tempus, eamque cellam ad monasterium sancti Dionysii etiam tum pertinuisse testatur. Verum facile auctor ille Carolo tribuere potuit, quod ejus tempore, quamquam sub Pippini, ut quidem veri simile est, principatu, Fulradus fecerat. Has cellas cum in precariam seu beneficium tradere vellet sæculo insequenti Ludovicus abbas Dionysianus, jamque re vera cellam sancti » Alexandri Chuonrado comiti tradidisset; reclamarunt monachi apud episcopos Ver» meriæ congregatos, exhibito testamento, quod sanctæ recordationis abbas Fulradus » de illis condiderat; necnon & privilegio, quod exinde sancta sedes apostolica per » beatum Stephanum papam eidem monasterio super prædicto testamento concesse» rar. quibus inspectis, patres id fieri vetuerunt, nulloque umquam tempore jam dic» tum monasterium sancti Alexandri cum rebus sibi pertinentibus a majore monaste» rio sancti Dionysii quoquo pacto avellendum sanxerunt. Monasterium Lebraha, sic dictum a præfluente amne Lebera, inter Selestadium & Markircham quondam positum, modo eversum jacet: cella vero sancti Hippolyti * cum opido cognomine prope Selestadium hactenus visitur, sed a monasterio sancti Dionysii avulsa, Fulrado-villare olim appellata. Ad hæc Fulradus alias cellas condidit, aut certe restituit, nempe cellam sancti Privati in ditione Salonensi, diœcesis Mettensis: quam cellam » in sua proprietate infra Hairebertingas super fluvium Brailiam in ducatu Alaman» norum, in comitatu Hurma, novo opere construxisse dicitur in quodam diplomate Caroli Magni. Aliam quoque cellam, suo ipsius nomine appellatam, in Vosago extruxit, ubi sancti Cucuphatis reliquias collocavit, postmodum cum sancti Hippolyti corpore in Dionysianum monasterium translatas. In libello de translatinne sancti Viti legimus, Fulradum has reliquias ex urbe Roma attulisse; & quemdam laicum ejus consanguineum, cum eo Romam profectum, obtinuisse, ut corpusculum beatissimi pueri ac sacratissimi martyris Viti, a loco, in quo positum erat, forte ex Lucania, tolleret: quas in prædio suo, ubi ecclesiam ejus nomini fabricavit, diligentissime reposuit. Nescio an is sit Arwlfus, qui cellam sancti Viti apud Suevos ædificasse [b] fertur, dein factus episcopus Lingonensis. Ut ut sit, postea sancti Viti corpus in sancti Dionysii monasterium, ac demum in novam Corbeiam translatum est.

b Supra n. 14.

XXVII. *Stephano papæ succedit Paulus.*

c Bonifac. ep. 61.

Non multum tempus post privilegium Fulrado concessum, quod IV. kalendas Martias datum legitur, superstes fuit Stephanus papa, cujus obitus hac ipsa indictione decima, VI. kalendas Maii contigit. Ejus rei nuntio in Germaniam perlato, Lullus Moguntinus antistes triginta missas ab unoquoque sacerdote pro mortuo pontifice celebrari præcepit. Habentur litteræ [c] ab eo hac de re scriptæ inter Bonifacianas ad Deneardum, aliosque presbyteros in Turingia degentes, quibus etiam mandar, ut omnes Turingiæ servos Dei & ancillas Christi, universamque plebem

AN. CHR. 757.

hortentur ad Dei misericordiam deprecandam, *quatenus ab imminenti pluviarum flagello liberentur*, atque adeo ut una habdomada a carnium esu & vino mulso abstineant omnes, jejunentque usque ad vesperum secunda feria, itidemque quarta & sexta; atque insuper, ut unusquisque servorum Dei & sanctimonialium qualibet ejus hebdomadæ die quinquaginta psalmos cantet, id est recitet; & singuli presbyteri missas, quæ pro tempestatibus fieri solent, celebrare curent. In fine: *Misimus*, inquit, *vobis nomina domini Romani episcopi, pro quo unusquisque vestrum triginta missas cantet, & illos psalmos, & jejunium juxta consuetudinem nostram.* Similiter decem missas pro duobus laicis ab unoquoque celebrari jubet. Multæ sunt aliæ ejusdem argumenti Bonifacianæ epistolæ [a] ad procurandam mortuorum requiem missis celebrandis, quas ab eo maxime tempore valde multiplicatas fuisse intelligimus, ex illa scilicet communione suffragiorum, quæ diversæ sibi invicem ecclesiæ, diversæque personæ præstabant. Ex illa porro pluviarum abundantia natam esse fructuum inopiam ac sterilitatem colligitur ex alia Bonifaciana [b] epistola, quæ est Pippini regis ad eumdem Lullum; sed tandem sterilitati successisse copiam: qua de re gratiarum actiones indictis litaniis, at sine jejunio, rex Deo persolvi mandat.

a Ibid. ep. 74. 95 &c.

b Ibid. ep. 98.

Græci monachi Romæ.

Stephano papæ successit non sine altercatione Paulus ejus germanus, de re publica monastica bene meritus: qui in suis ædibus monasterium in honorem sancti Stephani martyris & beati Silvestri construxisse ab Anastasio memoratur, multisque sanctorum corporibus e cœmeteriis allatis decorasse: ubi instituta Græcorum monachorum congregatio, qui divinas laudes græca modulatione persolverent. At in relatione adjuncta epistolæ, quam Stephanus papa de sua salute apud sanctum Dionysium recuperata scripsit, idem Stephanus hoc monasterium inchoasse traditur, quod frater ejus Paulus ac successor, eo morte prævento, nobiliter perfecerit, eoque convectis plurimorum sanctorum martyrum corporibus consecraverit, atque, uti a fratre suo mandatum fuerat, monachis, natione Græcis, attributum, monasterium ad sanctos martyres in schola Græca jusserit appellari. Eodem forsan tempore Gregorianum sancti Andreæ monasterium, quod Latinis monachis principio commissum fuerat, transiit ad monachos Græcos: quibus demum Latini monachi denuo suffecti sunt, uti Johannes [c] diaconus, cujus tempore Græci monasterium illud occupabant, optaverat. Ex illa Pauli pontificis propensione erga Græcos monachos factum esse puto, ut nomen suum græcis litteris in bullis plumbeis expresserit, cum iconibus apostolorum Petri & Pauli in antica parte, ut cernis in subjecto ectypo, quod humanissimus abbas Fauvellus ex suo museo nobis communicavit.

c Vita S. Greg. lib. 4. c. 52.



XXVIII. Giselæ nativitas & baptismus.

Præter mortem Stephani papæ, tria hoc anno in Francorum vetustis annalibus notantur, non omnino a proposito nostro alieno: videlicet nativitas Gislanæ ex Bertrada Pippini regis uxore; prima musicorum Organorum in Franciam advectio; & conventus Compendiensis. De Gislana seu Gisela nobis agere incumbit, quod processu temporis futura sit magnum Ordinis nostri ornamentum, utpote monacha & abbatissa monasterii Calensis. Audita Pauli pontificis electione Pippinus, gratulatorias ei litteras scripsit, eidemque per Wlfardum seu Gulfardum, Martinianæ apud Turonos basilicæ abbatem superius laudatum, transmisit *sabanum* seu linteum illud, quo Gislana in baptismo induta fuerat: quod Paulus pontifex inter missarum sollemnia in basilica Vaticana, juxta corpus sanctæ Petronillæ deposuit. Testes sunt ejus rei litteræ ipsius Pauli in codice [d] Carolino.

d Carol. ed. ep. 27.

XXIX. Organa allata in Franciam.

Eodem tempore, ut mox dicebam, Organa musica primum in Galliam invecta sunt, ex dono Constantini imp. ad Pippinum missa. Hinc usus ejusmodi Organorum in Gallicanis ecclesiis ad exemplum palatini oratorii, in quo sine dubio hoc primum Organum collocatum est. Ipsum erat aut simile in oratorio Aquisgranensi: ut ex Walafridi Strabonis carmine intelligimus, in quo de basilicæ Aquisgranensis apparatu agens, ita canit.

ANN. CHR. 757.

Ast alia de parte nitens fulgore corusco
Auratus discurrit eques, constante pedestri
Agmine: tintinnum quidam, quidam Organa pulsant.
Dulce melos tantum vanas deludere mentes
Cœpit, ut una suis decedens sensibus, ipsam
Femina perdiderit vocum dulcedine vitam.
Cedant magna tui superest figmenta colossi,
*Roma: velit cæsar * magnus; migrabit ad arces*
Francorum, quodcumque miser conflaverit orbis.
En queis præcipue jactabat Græcia se se
Organa, rex magnus non inter maxima ponit.

* Ludovicus.

a Vita Carol. M. lib. 2. c. 10.

Organum istud, an aliud, Constantinopoli transmissum ad Carolum Magnum describit monachus a sancti Galli, ubi ait missos Constantini imperatoris inter alia
» munera Carolo regi offerenda, etiam adduxisse omne genus Organorum, variarum-
» que rerum secum: quæ omnia Caroli Magni artifices, quasi dissimulanter observata,
« accuratissime effinxerint, præcipue illud musicorum Organum præstantissimum,
« quod doliis ex ære conflatis, follibusque taurinis per fistulas æreas mire perflanti-
» bus, nunc quidem ingenti sonitu tonitrui boatum, nunc exilitatem lyræ vel cymbali
» attemperato modulo coæquabant. Hoc autem Organum quo in loco positum fue-
» rit, vel quo modo perierit, consulto reticet auctor ille: quod in direptione Aquisgranensis basilicæ per Nortmannos accidisse puto.

Processu temporis exemplum hoc in alias ecclesias, serius in monasteria manavit. Organorum usum sub finem sæculi noni apud Italos ex Germania primum acceptum fuisse colligimus ex epistola Johannis papæ octavi ad Annonem episcopum
» Frisingensem, rogantis, ut optimum Organum, cum artifice, qui hoc moderari &
» facere ad omnem modulationis efficaciam possit, ad instructionem musicæ discipli-
» næ sibi aut deferat, aut mittat. Apod Anglos medio sæculo decimo Elfegus Wentanus antistes Organa Wentano in monasterio construi curavit, triginta follibus instructa, quos septuaginta viri agitabant, uti Wolstanus monachus in prologo ad vitam metricam sancti Swithuni episcopi testatur. Post-paullo Gerbertus in epistola ad Raimundum Aureliacensem abbatem ait, non habere se quod scribat de organis
» in Italia positis, ac monacho dirigendo qui ea conducat. Jam ergo tum monachi ejusmodi musicis organis assueverant. Eorum tamen usum non probabant monachi omnes, etiam sub finem sæculi undecimi. cujus rei testis est epistola Baldrici Dolensis antistitis ad nostros Fiscamnenses. Nec desunt etiam nostro ævo qui ea in monasteriis nostris improbent. Alii, media incedentes via, toleranda ubi jam sunt, non inducenda ubi non sunt existimant.

XXX. Gorziensis monasterii privilegium.

b Supra lib. 21. n. 37.

In synodo Compendiensi, cujus canones omnes ad matrimonium pertinent, comprobati a Georgio episcopo Romano, & Johanne sacellario, qui præsentes aderant; Tassilo dux Bajoariæ Pippino regi fidem suam obstrinxit, datis sacramentis super corpora sanctorum Dionysii, Martini, & Germani. In eadem synodo confirmatum est privilegium monasterii Gorziensis, quod recens b in diœcesi Mettensi Chrodegangus episcopus exstruxerat. Hoc privilegium edidit ipse Chrodegangus, secu-
» tus exempla priscorum patrum, id est antecessorum suorum episcoporum, quos cons-
» truendis monasteriis Deo placuisse persuasum habebat. Quapropter cum permissu
» Pippini regis ac consensu fratrum suorum canonicorum, atque spiritualium ac Deum
» timentium laïcorum fidelium sancti Stephani, ait se monasterium in loco, qui dici-
» tur Gorzia, in pago Scarponensi ædificasse in honorem beatissimorum apostolorum
» Petri & Pauli, necnon & sancti Stephani, ceterorumque sanctorum; ipsumque fun-
» dasse ac dotasse ex rebus ac possessionibus, quæ sibi legibus obvenerant, ea scilicet
» conditione, ut illic monachi *secundum ordinem & regulam sancti patris nostri Bene-*
» *dicti abbatis* perpetuis temporibus vivant, nihil penitus proprium habentes, sed
» omnia communia. Hoc vero monasterium vult esse sub mundeburde ac defensione
» sancti Stephani ecclesiæ Mettensis patroni titularis; &, cum abbas e sæculo migra-
» verit, ejus loco alium institui, quem tota illa monachorum congregatio unanimi con-
» sensu elegerit, regulis monasticis ac vitæ meritis optime instructum. Quod si ta-

AN CHR. 757.

lis in illo monasterio inveniri non possit, a Mettensi pontifice, cum monachorum « consensu, ex alio monasterio eligendum. Denique si aliquando idem pontifex illuc « accedat, expensis non gravet monasterium: ut monachi, qui solitarii nuncupantur, « quieti ac securi sub sancta regula viventes, plenius valeant attentiusque Domini miseri- « cordiam deprecari. Privilegii litteris subscribunt synodi Compendiensis episcopi mi- « nimum viginti præter Chrodegangum. Integrum privilegium habes tum in conciliis Labbeanis, tum in Cointianis annalibus Francorum, datum in Compendio palatio publice, anno sexto Pippini regis, x. kalendas Julii. Primus ejus loci abbas Rodigandus eidem privilegio subscripsit.

XXXI. Chrodegangi episcopi regula.

Chrodegangus episcopus ille ipse est, qui regulam canonicis, maximam partem ex regula sancti Benedicti desumtam, præscripsit, ea lege, ut communem inter se se vitam ducerent, in communi refectorio edentes, communi etiam conclavi quiescentes. Ad hanc vivendi normam Lefricus episcopus Exoniensis in Anglia, apud Lotharingos alitus & edoctus, canonicos in monasterio sancti Petri instituit, qui contra morem Anglorum, ait Willelmus [a] Malmesburiensis, ad formam Lotharingorum uno triclinio comederent, uno cubiculo cubitarent; habentes œconomum ab episcopo constitutum, qui eis diatim necessaria victui, annuatim amictui commoda suggereret. In ejus regulæ capite quarto-decimo statuitur, ut clerici duabus per annum vicibus episcopo peccata sua confiteantur, nempe initio quadragesimæ ante pascha, & a medio mense Augusto usque ad kalendas Novembris; aliis vero diebus confessionem suam faciant, prout opus habuerint, vel episcopo, vel alii sacerdoti, quem episcopus designaverit: omnibus vero dominicis & præcipuis festivitatibus corpus & sanguinem domini nostri Jesu-Christi, si peccata non obstant, omnes accipiant. In capite vicesimo, quod de quadragesimæ observationibus inscribitur, statutum est, ut a paschate ad pentecosten clericis carnes comedere liceat, præterquam pænitentibus, excepta dumtaxat feria sexta. A pentecoste usque ad nativitatem sancti Johannis Baptistæ bina, ut ante, refectio: sed abstinentia a carnibus præscribitur. quæ sancti Johannis quadragesima erat. A nativitate sancti Johannis ad transitum sancti Martini bina item refectio, sed abstinentia a carnibus tantum feriis quarta & sexta. Hucusque clericis separatim reficere concessum. A transitu vero sancti Martini ad natale Domini abstinentia quotidiana, & una refectio ad nonam in communi refectorio. Et hæc erat tertia quondam quadragesima. Post natalem porro Domini usque ad caput quadragesimæ, secunda, quarta, sextaque feria in refectorio ad nonam reficiebant; ceteris diebus duabus tantum vicibus in refectorio comedebant; a carnibus vero abstinebant quarta & sexta feria, nisi dies festus in has ferias incidisset, quibus prior carnium esum permittere poterat. Novum & insolens hoc videri possit de feria sexta: tametsi quoddam ejus rei vestigium hactenus restat, cum natale Domini incidit in feriam sextam. In capite sequenti septem mensæ instituuntur. Prima erat episcopi cum hospitibus & peregrinis, quibus adjungi poterat archidiaconus, aliive, quibus episcopus mandasset. Secunda presbyterorum; tertia diaconorum; quarta subdiaconorum; quinta reliquorum graduum; sexta abbatum, vel eorum, quos prior designasset; septima clericorum-canonicorum, qui extra claustra in civitate commanebant, in diebus dominicis ac festivitatibus præclaris. Capite tricesimo-secundo statuitur, ut, si quis *sacerdoti pro missa sua vel pro confessione* aliquid in eleemosynam dare voluerit, hoc sacerdos a tribuente accipiat, & ex ea quod voluerit faciat. Nihil forte antiquius hac de re alibi leges.

[a] *Willelm. Malmesb. lib. 2. pontif. c. 8.*

XXXII. Condatescenses abbates.

Condatescensi monasterio hoc tempore præerat sanctus Hippolytus, idemque episcopus Bellicensis, quartus ejus loci abbas a sancto Claudio, cujus successores intermedii fuere Rusticus & Autfredus, de quibus nihil memoratu dignum occurrit, tametsi pro sanctis habentur. De Hippolyto legitur in veteri chronico rythmico, quod is cum cœnobio episcopatum invitus regendum suscepit: cujus tempore Pippinus rex Cassonam, aliaque monasterio contulisse dicitur cum facultate cudendæ monetæ, a Carolo Magno confirmata, qui eidem loco Quintiniacum donavit, atque Hippolyti rogatu, ejus cœnobii privilegia renovavit. Idem abbas post annos abhinc octo concilio Attiniacensi subscripsit inter episcopos, in editis sic: *Hippolytus de monasterio Eugendi.* ubi haud dubie lectio sic restituenda est, *Hippolytus episcopus de monasterio Eugendi*, more scilicet aliorum episcoporum & abbatum, qui

ANN. CHR. 757.

synodo interfuerunt. Ita enim subscribunt *Theodulfus episcopus de monasterio Laubias, Jacob episcopus de monasterio Gamundias*, aliique similiter. Cointius tamen existimat, Hippolytum episcopatu cessisse ab anno sexto Pippini regis, propterea quod in variis ab hoc anno diplomatibus, quæ citantur a Sammarthanis, abbas tantum vocetur. Verum his parum tuta fides; nec, si ea certa & sincera essent, ex his Hippolyti abdicatio probaretur. Pari enim modo Johannes episcopus Constantiensis, idemque abbas sancti Galli, in vetustis instrumentis nunc episcopus simul & abbas, nunc tantum abbas appellatur, ut inferius [a] observabimus. Ceterum Hippolytus Condatescensi monasterio annis sex ac viginti præfuisse traditur, ibidem sepultus ac pro sancto habitus, notatus in vetustis tabulis XII. kalendas Decembris.

a *Infra n.57.*

XXXIII. *Syagrius abbas Nantuacensis, ejusque successores.*

Exstat apud Guichenonem Pippini [b] regis privilegium hoc anno concessum Nantoaco monasterio ad petitionem Syagrii abbatis, superius [c] jam laudati: quo privilegio cautum est judicibus publicis, ne in villas ejus monasterii ad causas audiendas vel tributa exigenda umquam ingrediantur; sed omnia sint sub dominatione abbatis & monachorum. Actum Attiniaco palatio publice, decima die mensis Augusti, Pippini regis anno sexto. In quibusdam ejusdem cœnobii tabulis Syagrii successor notatur Adalramnus, idemque episcopus Matisconensis; favetque vulgatus index Matisconensium episcoporum, eumdem collocans principatu Caroli Magni. Verum cum ad gradum sacerdotalem ab Aureliano Lugdunensi pontifice promotus dicatur, nonnisi longo post Syagrium intervallo hoc cœnobium rexit. Eum præcessit Godelsadus abbas & diaconus, cui donatio quædam facta est anno quarto Ludovici imperatoris, eo nomine, ut mihi videtur, secundi, ab Ansemundo quodam & Cæcilia ejus conjuge de villa Tedarciaco, quam iidem postea precario a Nantuacensibus receperunt. In illo temporis intervallo, quod a Syagrio ad Godelsadum effluxit, obnoxium fuit hoc monasterium extraneis abbatibus, qui monachorum substantiam expilabant & consumebant, qua de re conquesti monachi apud Lotharium augustum, facultatem eligendi abbatis ab eo impetrarunt. Ejus rei diploma refertur [d] a Guichenone, non tamen omnino sanum, ubi scilicet hoc cœnobium a Gregorio papa dedicatum falso asseritur; cetera non improbandum. In illo, inquam, intervallo abbates recensentur Petrus, qui concilio Aquisgranensi anno octingentesimo decimo-septimo interfuisse dicitur; Fulgerius tempore Lotharii imperatoris, & Guiffardus, cui Ermodus abbas a recentioribus substituitur. Verum forte rectius referendus est ad principatum Ludovici Pii, qui Pippino filio suo mandavit per Ermoldum abbatem, an Nantuacensem, res ecclesiasticas, quæ suo tempore præreptæ fuerant, ecclesiis restitui. Incertum quo tempore vixerit Teto abbas, in Nantoacensi necrologio notatus, in quo *depositio domni Syagrii abbatis Nantoacensis*, v. Kalendas Martii occurrit.

b *Bugé prob. p. 213 & 214.*
c *Supra num. 6.*
d *Ibid. p. 214.*

ANN. CHR. 718

XXXIV. *Romani ritus & cantus in Gallia recepti.*

Anno proximo ineunte scripta videtur a Paulo Romano pontifice Carolini codicis epistola vicesima-quinta ad Pippinum regem, cujus in epistolæ embolo seu appendice pontifex ait se regi transmittere antiphonale & responsale, scilicet Romanum, Dionysii Areopagitæ libros, dialecticam Aristotelis, aliosque libros græce scriptos. Duo priores, antiphonale scilicet ac responsale, ideo missi, ut cantus Romanus in Gallicanas ecclesias induceretur: sive id a Pippino petierit pontifex, sive Pippinus id ultro procurarit, ut Romanis pontificibus, quibus id semper maxime cordi fuit, admittendis Romanis ritibus gratificaretur. Et primum quidem, haud dubie Pippini rogatu, ex urbe missus ad Remigium episcopum Rotomagensem Simeon secundicerius cantorum, qui monachos ejus diœcesis Romanum cantum edoceret. Verum, mortuo Georgio primicerio cantorum, revocatus a Paulo Simeon, rem imperfectam reliquit. Unde Remigius quosdam e suis monachos Romam misit, ut a Romanis cantoribus perfecte eruditi, reversi ad suos Romanam modulationem ceteris traderent. Horum testis est epistola quadragesima-tertia codicis Carolini ad Pippinum regem, apud quem Paulus excusat, quod Simeonem revocare coactus sit, aitque se dedisse operam, ut monachi a Remedio seu Remigio fratre suo missi, in Romana modulatione accurate erudirentur. Ipsa pontificis verba huc adscribere juvat. *Susceptis in præsenti a Deo protectæ excellentiæ vestræ syllabis, atque relectis, protinus cuncta, quæ ferebantur in illis, libenter adimplevimus. In eis siquidem comperimus exaratum, quod præsentes Deo amabilis Remedii germani*

ANN. CHR. 758.

mani vestri monnehos Simeoni scholae cantorum priori contradere deberemus, ad instruendum eos in psalmodiae modulatione, quam ab eo adprehendere, tempore, quo illic in vestris regionibus exstitit, nequiverunt. Pro quo valde ipsum vestrum asseritis germanum tristem effectum, in eo, quod non ejus perfecte instruxisset monachos. Et quidem, benignissime rex, satisfacimus christianitati tuae, quod nisi Georgius, qui eidem scholae praefuit, de hac migrasset luce, nequaquam eumdem Simeonem a vestri germani servitio abstrahere niteremur. Sed defuncto praefato Georgio, & in ejus idem Simeon, utpote sequens illius, accedens locum, ideo pro doctrina scholae eum ad nos accersivimus. Nam absit a nobis, ut quippiam, quod vobis, vestrisque fidelibus onerosum exsistat, peragamus quoquo modo: potius autem, ut praefatum est, in vestra caritatis dilectione firmi permanentes, libentissime, in quantum virtus suppetit, voluntati vestrae obtemperandum decertamus. Propter quod & praefatos vestri germani monachos saepe dicto contradidimus Simeoni; eosque optime collocantes, sollerti industria eamdem psalmodiae modulationem instrui praecepimus, & crebro in eadem, donec perfecte eruditi efficiantur, pro amplissima vestra excellentia atque nobilissimi germani vestri dilectione, ecclesiasticae doctrinae cantilena disposuimus efficaci cura permanere. Hactenus Paulus papa. Sic itaque cantus Romanus in has partes, sublato Gallicano, inductus est per monachos Remigii episcopi. quod factum *ob unanimitatem apostolicae sedis, & sanctae Dei ecclesiae pacificam concordiam*, tradit Carolus Magnus in capitulari Aquilgranensi.

Postea idem Carolus animadvertens cantus modos in diversis Galliae ecclesiis discordare, duos clericos Leoni [a] papae direxit, in schola Romana instruendos, quorum alterum apud se retinuit, alterum filio suo Drogoni episcopo Mettensi assignavit: cujus Drogonis industria ejusmodi cantus per totam Franciam in tantum propagatus fuit, ut Mettensis subinde appellatus sit. Unde Amalarius non semel meminit antiphonarii Mettensis, in exemplum ceterorum: ad cujus normam etiam sancti-Gallense conformatum est. Rem fusius explicat Ekkehardus [b] monachus, aitque, Carolum Magnum, cum cisalpinas ecclesias a Romana in cantu multum dissonare animadverteret, ab Hadriano papa secundò petiisse, ut Romani cantus peritos mitteret in Franciam. Missos proin ad ejus petitionem Petrum & Romanum, in cantu Romano & in liberalibus disciplinis versatissimos, Mettensem ecclesiam primum adituros. At Romanum, ad Cumanum lacum febre correptum, ad sanctum Gallum declinavisse, ac secum antiphonarium, renitente Petro, attulisse; ibique Caroli jussu remansisse ad monachos ejus loci in cantu Romano instruendos. Eum vero perquam libenter remansisse, ibique instrumentum quoddam, quod *cantarium* vocant, ad antiphonarii authentici amussim reliquisse, ad cujus inspectionem antiphonaria facile corrigi possent; ac primum esse, qui litteras alphabeti notulis cantus apposuerit, quas postea Notkerus Balbulus petenti amico explicavit.

[a Monach. S. Galli, vita lib. 1. c. 11.]

[b Ekkeh. c. 4.]

XXXV. Liturgia item Romana Gallis accepta.

Eodem etiam tempore Liturgia Romana in locum Gallicanae apud nos recepta. Galli siquidem ab initio receptae fidei, ut loquitur Hilduinus abbas in epistola praefixa libris areopagiticis, alium missae ordinem servabant, dum ritum Romanum susceperunt. quod factum putat Hilduinus hortatu Innocentii, Gelasii, ac Gregorii Magni, quorum epistolas de more Romano in cunctis ecclesiasticis muniis imitando idem auctor laudat. At serius depositum fuisse priscum ordinem liturgiae Gallicanae intelligitur ex responsis Gregorii Magni ad Augustinum Anglorum episcopium: in quibus eo tempore *altera consuetudo missarum in Romana ecclesia, atque altera in Gallia* fuisse perhibetur. Perseverabat antiquus apud nos ritus etiam tempore Zachariae papae, qui in epistola ad Bonifacium episcopum improbat benedictiones, quas Galli in missa faciebant; aitque tenendam regulam catholicae traditionis, quam a sancta Romana ecclesia Bonifacius acceperat. Gallis praeiverat apud Anglos Cloveshoviense concilium, cujus canone tertio-decimo sancitum est, quod jam ante in usu erat, sed cum aliqua forte diversitate, ut in missarum celebratione & cantilenarum modo ritus Romani servarentur. Sed de his plura in Liturgia nostra Gallicana.

XXXVI. Liudgeri prima institutio.

Sub idem tempus Liudgerus sub disciplinam traditus est Gregorii abbatis Trajectensis. Erat is nobili genere apud Frisios ortus, avo Ursingo, qui Radbodi ducis insidias fugiens, una cum uxore Adalgarda, & filio Nothgrimo, ad Grimoaldum Francorum ducem accessit; ibique christianae religionis imbutus mysteriis, (nam hactenus paganus fuerat, tametsi aequi ac justi tenax) alterum filium, Thiadgri-

ANN. CHR. 718.

mum nomine, ac filias novem procreavit. Radbodo exstincto reversus in patriam, accepto prope Trajectum beneficio a Carolo principe, cui post Radbodi interitum largior in Frisia ditio provenerat, recepta etiam hereditate propria, Willibrordo primum illis in partibus evangelium disseminanti; deinde Bonifacio multum auxilii ac subsidii impendit, non solum ipse, sed & tota ejus progenies. Thiadgrimus natu-minor filius, mortuo patre, Liafburgam uxorem duxit. Hæc aviam habebat paganicis superstitionibus addictam, quæ in furorem conversa, quod Liafburgæ genitrix filias tantum procrearet, ipsam Liafburgam, mox ut ex utero effusa est, necari jusserat, priusquam lac sugeret matris. sic enim ferebat dira paganorum religio, ut, si infantes necari vellent, nondum sumto quovis alimento necarentur. Missus itaque, qui infantem in situlam aqua plenam immergeret. Sed mira Omnipotentis virtute actum est, ut pusiola, situlæ margine ambobus brachiolis apprehensa, restiterit ne mergeretur. In hac colluctatione supervenit vicina quædam mulier, quæ commiseratione permota, pusillam eripuit de manu conducti ad impium facinus mancipii, statimque mel in os ejus infudit; sicque alios lictores, a crudeli avia submissos, a nece infantis avertit. Quin etiam infantem occulte nutrivit, lac in os ejus per cornu instillando, dum, avia mortua, in paternam domum tandem restituta est. Hæc illa est Liafburga, ex qua Thiadgrimus Liudgerum suscepit. Is itaque Gregorii abbatis disciplinæ traditus, deposito sæculari habitu in monasterio Trajectensi, totum se contulit ad studium artis spiritalis, rerumque divinarum.

Interea vir quidam venerabilis, Alubertus nomine, ex Anglorum regione, id est ex pago Eboracensi, accessit ad Gregorium abbatem, qui, probata ejus religione ac probitate, ipsum sibi adjutorem & coëpiscopum fieri optavit: cum ipse episcopalis ordinis expers esset, qui semper in presbyteri gradu perseveravit. Visum est proinde Gregorio, ut Alubertus Eboracum ab episcopo suo ordinandus mitteretur, adjunctique ejus itineris comites Liudgerus & Sigibodus, quorum alterum diaconum, alterum presbyterum ordinavit Aluberti consecrator episcupus Eboracensis, scilicet Egbertus. Tunc scholis Eboracensibus præerat magister Alcuinus, in cujus notitiam venit Liudgerus, dum Eboraci moraretur. Vix anno elapso in Frisiam Alubertus cum sociis reversus erat, Gregorii adjutor futurus, cum Liudgerus Gregorium, patremque suum Thiadgrimum interpellavit, ut ad Alcuinum magistrum eruditionis gratia sibi reverti liceret. quod ægre tandem obtinuit. Hunc cum magno gaudio complexus est illustris magister, cujus sub disciplina per annos tres ac sex menses in doctrinæ studio multum profecit, ob probos & ingenuos mores omnibus, sed maxime Alcuino carus & acceptus; mansissetque diutius sub ejus magisterio, nisi ob cujusdam comitis filium, a quodam Frisone per rixam interfectum, cum ceteris Frisonibus in patriam redire coactus esset. Non passus est Alcuinus carissimum discipulum solum abire, sed dato ei comite ac duce quodam diacono, nomine Putul, qui Romam profecturus erat, eum a se dimisit. Sic prospero cursu revertit in patriam Liudgerus, librorum copiam secum deferens; patri Gregorio ac ceteris tanto gratior & acceptior, quanto *in monasticis eruditionibus* illustrior erat.

XXXVII. Alcuinus Eboraci docet litteras.

Jam ergo Scholis Eboracensibus præfectus erat Alcuinus pontificatu Egberti episcopi, qui nonnisi post octo abhinc annos decessit. Alcuino varium nomen fuit, qui Saxonico vocabulo Alcwin primum dictus, dein molliori ac latino Albinus, addito prænomine Flaccus. unde non raro epistolis suis inscribit nomen suum, Flaccus-Albinus, passim Alcuinus, nusquam Albinus-Flaccus. Quocirca operæ pretium est advertere, quod scite observavit Jacobus Sirmundus in notis ad Apollinarem Sidonium, apud mediæ ætatis homines morem obtinuisse, ut, cum multis fere nominibus nobiliores illustrioresque viri uterentur, proprium tamen cuique nomen fuerit, quod postremum semper collocarent, contra veterum Romanorum usum, quibus proprium id nomen fuit quod primum, id est prænomen. Id observandum in Paschasio-Radberto, Servato-Lupo, uti & in Flacco-Albino, quorum id proprium nomen quod postremum est; adscititium quod primum. Sed cave ne hunc confundas, sive cum Albino seniori abbate Cantuariensi; sive cum Albino Leonis papæ tertii cubiculario, sive denique cum Albuino sæculi undecimi monacho Hersfeldensi, quæ errata sunt virorum etiam eruditorum. Ortus est Alcuinus in provincia Eboracensi ex nobili gentis Anglorum prosapia, tametsi parentum ejus nomina ignorantur. Fra-

trem habuit Aquilam Juvavensem seu Saltzburgensem episcopum, ut constat ex titulo epistolæ ejus sexagesimæ-sextæ, *Carissimo germano* suo *Aquilæ antistiti* inscripta. quod alterum nomen erat Arnonis episcopi Saltzburgensis. Eboraci educatus est a puero Alcuinus in monasterio, primariæ ecclesiæ adjuncto. cujus beneficii gratum ac memorem se exhibet in epistola nonagesima-octava, ad fratres Eboracensis ecclesiæ scripta, quos ita compellat. *Vos fragiles infantiæ meæ annos materno fovistis affectu, & lascivum pueritiæ tempus pia sustinuistis patientia, & paternæ castigationis disciplinis ad perfectam viri edocuistis ætatem, & sacrarum eruditione disciplinarum roborastis.* Præceptores illic habuit, non venerabilem Bedam, ut fallit Alcuini vitæ scriptor, cum Beda ante ortum Alcuinum decessisse videatur; sed Egbertum & Ælbertum, unum post alterum episcopos Eboracenses. Certe Alcuinus ipse Egbertum non semel magistrum in epistolis suis vocat, ut in duobus fragmentis apud Willelmum [a] Malmesburiensem relatis. De Ælberto, præter Alcuini vitæ scriptorem, id etiam attestatur anonymus poëta in carmine de episcopis Eboracensibus. quamquam jam ante Ælberti episcopatum Alcuinus scholis Eboracensibus præerat. His præceptoribus didicit linguam non tantum latinam, sed etiam græcam; & hebraïcam tantisper delibavit.

ANN. CHR. 718.

a Willelm. Malmesb. lib. 1. de reg. Angl. c. 3.

XXXVIII. Monastica ejus professio.

Quale institutum in Eboracensi ecclesia sectatus sit, inde colligitur, quod in ea, ut in Caotuariensi, servaretur monastica professio. unde monasterium vocat Beda in epistola ad Egbertum; ibidemque vigebat *regularis vitæ disciplina*, in qua ut concordes sint, Eboracenses [b] fratres hortatur Alcuinus, quos etiam servos Dei appellat. Atqui regularis vitæ nomine in ejus epistolis monastica intelligi solet, uti apud alios ejusdem ævi auctores, qui monachos itidem servos Dei pracise passim [c] vocitant. Non mirum proinde, si fratres illos Eboracenses in eadem epistola idem auctor admonet, ut *per passus obedientiæ*, quæ peculiaris monachorum virtus est, ad cælestia regna conscendant. Hinc est quod Liudgerus Eboraci sub Alcuino præceptore *in monasterio monachorum* per tres annos eruditus fuisse perhibetur ab auctore suppari anonymo in libello de vita sancti Liudgeri: & ante eum Wilfridus junior *Eboricæ vicedomnus & abbas* appellatur in poëmate mox laudato de episcopis Eboracensibus: quos inter Ælbertus, Wilfridi hujus post Egbertum successor, in Eboracensi monasterio monachus vixit, docuitque litteras ante episcopatum; & post annos decem pontificatus eadem monasterii septa repetiit, ibi reliquum vitæ exacturus. Jam vero Alcuinus ejusdem ecclesiæ alumnus, & diaconus erat, ut docet in primis epistolæ quinquagesimæ inscriptio: *Sanctissimæ congregationis & dulcissimæ dilectionis Eboracensis ecclesiæ fratribus, ejusdem pia matris filius Alcuinus diaconus.* Erat ergo ejus ecclesiæ monachus, siquidem non alia illic erat, quam monachorum congregatio. Hinc illud Alcuini studium, illa ejus sollicitudo ad promovendam regularis vitæ apud monachos accuratam disciplinam: cujus rei testes sunt ipsius epistolæ [d] ad Martinianos, Wirenses, Liudgerianos, Lugdunenses Insulæ-barbaræ, ad fratres in Gothia seu in Septimania degentes, ad Juvavenses item, & monachos sancti Salvatoris, quos omnes fratres suos vocat, omnes sancti Benedicti regulæ addictos. Non minor ejusdem pietas ac devotio erga sanctum Benedictum, non secus ac filii in patrem, de quo ita ille in epigrammate centesimo-duodecimo:

b Alcuin. ep 58.

c Id epist. 89 & 99.

d Ep. 31.49. 64. 69. 71. 78. 79. 99.

Turba monachorum celebrat te sancta per orbem,
Quorum vita fuit famine scripta tuo.

& in centesimo septuagesimo-primo:

O Benedicte vale, monachorum maxime pastor:
Quos generas verbis, hos rege jam precibus.

& infra:

Auxiliare tuos precibus quapropter ubique:
Grex numero crescat, pastor amate, tuus.
Jam gregis ex numero pastoris gloria crescit:
Conserva meritis ecce tuos famulos.

denique in epigrammate ad Maurum seu Rabanum:

Dum lachrymas Domino Benedicti fundis in aula,
Sis memor Albini, dulcis amice, tui.

ANN. CHR. 758.

Sed illud in primis observandum, quod in libello de psalmorum usu habet parte prima ante medium: *Concede mihi*, inquit, *dilecti tui patris mei Benedicti sequi & imitari vestigia*; & ubi de confessione agit, se ipse accusat, quod promissiones suas, qoibus se *sanctam regulam observaturum* spoponderat, momentis singulis violet. & in parte secunda: *Cœnobium petii, vitam monasticam suscepi: sed ego semper involvor variis modis in levitatibus.* quæ quamquam ille fortasse dixerit nomine Turonensium sancti Martini monachorum, quorum gratia hæc scribebat: at nihil obstat, quo minus de se etiam ipse loquatur, quippe qui inter illos vivebat, ut monachus inter monachos; quorum ad mores corrigendos a Carolo Magno istuc directus fuerat. Scio ab ejus vitæ scriptore dici *monachum sine monachi voto*, eumque canonicis in exemplum proponi, uti monachis Benedictum abbatem Anianensem. Verum prius illud dictum est de puero, cum nondum forte monasticæ vitæ nomen dedisset; & canonici nonnumquam dicebantur monachi nostri, qui cathedrales tenebant ecclesias: quo modo Anastasius *monachos-canonicos* vocat in Gregorio quarto. Ad hæc canonicus dici potuit comparate ad monachos strictioris disciplinæ, eum ad modum, quo monachi Martiniani & Dionysiani eo tempore se canonicos ferebant. Sub eadem comparatione Alcuinus dicitur sæculum relinquere voluisse, ac vitam monasticam ducere in monasterio Fuldensi; sed, prohibente Carolo, permansisse in sancti Martini monasterio, ubi *vita ejus monastica inferior non fuit.* Perinde ergo erat Alcuino sæculum relinquere, ac monasterium Martinianum, ubi laxius vivebatur, deserere; indeque migrare in Fuldense monasterium, cujus comparatione apud Martinianos non vita monastica, sed canonica censeri poterat. Mitto alia in eam rem argumenta, quæ ex Alcuini confessione Chiffletiana in ejus elogio alias a me prolata sunt. Sed de his hactenus.

XXXIX. S. Pirminii obitus.

Ad hoc fere tempus pervenit sanctus Pirminius chorepiscopus, & auctor multorum monasteriorum, qui sub vitæ suæ finem adeo nihil de primario religionis studio remisit, ut etiam alacrius in sancto ferveret opere, tamquam nihil hactenus boni egisset. Dum totum se divinis rebus contemplandis dedisset, ubi exitus sui tempus imminere sensit, Hornbacenses fratres, quorum in monasterio extremos vitæ
» dies explevit, in concionem vocat. Scitis, inquit, fratres, qualem vestri curam a pri-
» mo mei ad vos adventu sustinuerim, mei pæne oblitus, ut me totum in vestros usus
» impenderem. Videtis jam probe dotatum monasterium fidelium oblationibus, quorum
» animos Deus ad hæc eroganda excitavit. Nunc, quando vobis abunde suppetunt
» temporalia commoda, consulite vobismetipsis, & de sola animarum vestrarum spi-
» ritali salute cogitate, ne in dispendium vobis vertat, quod in vestrum emolumen-
» tum proficere debuit. Præ ceteris sectamini humilitatem & patientiam, & mutuam
» inter vos caritatem sine fuco retinere curate. quæ si egeritis, Christum vobis in hac
» vita propitium, & in fine sine dubio remuneratorem habebitis. His dictis, ipse animam cælesti viatico refecit, & non multo post meritis plenam Deo reddidit III. nonas Novembris, quo die in martyrologio Rabani notatur *depositio sancti Perminii confessoris.* Corpus ejus cum multa reverentia conditum est in oratorio monasterii Hornbacensis apud Gamundias, qui locus est diœcesis Mettensis ad Saravi & Blesæ confluentes, haud procul ab opido & arce Biponte. Sancti Pirminii sepulcrum miraculis illustre fuisse tradit ejus vitæ scriptor Warmannus Augiensis monachus, exmonacho dein episcopus Constantiensis, qui opus suum Liudolfo Trevirensi antistiti nuncupavit, & anno millesimo tricesimo-quarto decessisse traditur. Auctoris Pirminio longe posterioris fidem confirmat Rabani epigramma centesimum-primum, cujus *versus circa corpus Perminii scribendi* pro epitaphio hanc vitæ summam præferunt.

Perminius præsul, Christi confessor & ipse,
Hanc ædem inhabitat, consecrat atque locum.
Qui propter Christum præsentia gaudia mundi
Spernens, pauperiem elegit atque sibi.
Deseruit patriam, gentem, simul atque propinquos,
Ac peregrina petens, æthera promeruit.
Gentem hic Francorum quæsivit dogmate claro,
Plurima construxit & loca sancta Deo.

Hic quoque nunc pausat deponens corporis artus,
Atque anima sursum regna beata tenet.
Adjuvat & quosque, qui digne cælestia quærunt,
Riteque conservat ipse suos famulos.

Sepulcri locum, sepultique gloriam designat Walafridus Strabo, Rabani æqualis, in carmine de visione Wettini monachi, ubi, postquam Pirminio Augiensis monasterii constructionem, ac per tres annos præfecturam tribuit, hæc de eo subdit:

Hujus quisque velit sanctam cognoscere vitam,
Ipsa sepulcra petat: satis ipse probabit in Hornbach.

Exstat libellus[a] Pirminii abbatis, instar homiliæ paræneticæ, ex scripturarum libris excerptus, in quo fideles admonet auctor, ut[b] quicumque post baptismum criminalem culpam commiserit, puram confessionem sacerdoti faciat, & veram pænitentiam agat: & post actam pænitentiam, tempore quo ei sacerdos constituerit, oblationem suam sacerdoti offerat, corpus & sanguinem Christi percepturus. & inferius: *Oblationes*, inquit, *quæ in altario consecrantur, offerte; & inde, post pænitentiam actam & reconciliationem, secundum consilium sacerdotis communicate.*

a Analect. to. 4. p. 569.
b p. 590.
c p. 598.

X L. Doto abbas Luxoviensis.

Post Pirminium Jacob episcopus & abbas fuit monasterii Hornbacensis seu Gamundiensis, quo nomine conventui Attiniacensi subscripsit anno supra septingentesimum sexagesimo-quinto. Mihi aliquando visum fuit, Dotonem abbatem, cujus exstat epistola inter Bonifacianas octogesima-quarta ad Lullonem seu Lullum episcopum Moguntinum, præfuisse post Pirminium monasterio Hornbacensi; idque suadebat hæc epistolæ inscriptio: *Domino sancto Lullono episcopo, Doto servus servorum Dei, etiam & omnes monachi sancti Petri apostolorum principis, degentes sub norma sanctæ regulæ.* qua epistola mutuam suffragiorum cum Lullo communionem ineunt. At quoniam *terrarum longinquitate* se ab eo divisos scribunt, id aptari vix potest Hornbacensi monasterio, quod ab urbe Moguntia non ita dissitum erat. Forte is erat Doto abbas monasterii sancti Petri Luxoviensis, de quo inferius[d] agemus. Aliam epistolam, quæ inter Bonifacianas centesima tertia-decima est, *Amalardus & Wido, ac tota congregatio sancti Petri ex monasterio Hornbac*, scribunt Riculfo, Moguntino post Lullum antistiti, supplicantes, ut presbyterum quemdam suum, Macarium nomine, sineret deservire in suis ecclesiis, quæ in illius parochia sitæ erant, (quod forte unum e primis exemplum est presbyteri in ruralibus ecclesiis a monachis constituti) liceatque eidem presbytero, quem Bernarius episcopus forte apud Riculfum traduxerat, Christo Domino & sanctorum reliquiis ibidem positis officium solito more persolvere: ne & domus Dei, & reliquiæ illius *inhonoræ* remaneant sine sacerdote, lumine, & officio. Is est Amalhart abbas, qui una cum Wirundo ejus successore laudatur in necrologio Augiensi ex monasterio *Hornbac*. Eo ab hæreticis everso, sancti Pirminii reliquiæ Oenipontem Bajoariæ in urbem translatæ dicuntur, & in ecclesia patrum societatis Jesu repositæ.

d Lib. 25. n. 1.

X L I. Cuthberto episcopo Cantuariæ succedit Bregwinus.

Pirminio adjungimus ex majori Britannia Cuthbertum episcopum Cantuariensem, qui post annos regiminis septemdecim, hoc anno diem functus est VII. kalendas Novembris. Hinc corrigendus Willelmus Thornus, aut certe libri ejus editi, in quibus ante annos decem ejus obitus ponitur.

Sepultura mutata.

Mos erat a primis illius ecclesiæ temporibus, ut Cantii reges, archiepiscopi quoque, & monachi cathedralis Christi ecclesiæ, immo & populus, in atrio suburbanæ beati Petri basilicæ sepelirentur, ex sententia primorum illius gentis prædicatorum Romanorum, qui censuerant, *civitatem non esse mortuorum, sed vivorum.* Verum hanc consuetudinem mutare Cuthberto placuit. Appropinquante itaque vitæ suæ termino, cum episcopos Cantuarienses deinceps in ecclesia cathedrali sepeliendos decrevisset, totam familiam suam & cathedrales monachos sub jurejurando adstrinxit, ne ejus morbus aut mors ullo signo divulgaretur, priusquam ipsius corpus traditum esset sepulturæ, nempe in basilica sancti Johannis-Baptistæ, quam ipse hujus rei causa exstruxerat. quod & factum est. Eo sepulto, cum signa tertio die pro eo pulsarentur, abbas suburbani sancti Augustini monasterii Aldhunus ad episcopales ædes cum monachis suis accessit, defuncti corpus de more in ecclesiam suam delaturus. Sed cum

ANN. CHR. 758.

a Thorn. col. 1773.
b Col. 2235.

jam sepultum reperisset, priscamque sepulturæ consuetudinem regia auctoritate mutatam esse intellexisset; animo turbatus ad propria remeavit. Id Jamberto abbati Aldhuni successori perperam tribuit Gervasius, ex Thorno [a] & chronologia [b] Augustinensi emendandus. Cuthberto suffectus est in annos tres Bregwinus, vir magnæ religionis, sacratus in die sancti Michaëlis anni insequentis, pallio a Paulo papa donatus, qui antecessoris sui statutum de sepultura episcoporum probavit, curavitque apostolica auctoritate confirmari. Idem in ejus exsequiis contigit, frustra obnitente Jamberto abbate Aldhuni successore: cujus constantiam veriti monachi cathedrales, eum in Bregwini demortui locum elegerunt, sed vana cautione, ut suo loco videbimus.

Paullo post suam ipsius ordinationem Bregwinus veterem cum Lullo Moguntino amicitiam, simulque communionem orationum, quæ inter utramque ecclesiam dudum intercesserat, renovavit, scripta ad eum epistola, quæ est inter Bonifacianas
» centesima-tertia, in qua significat, se per proxime decurrentes annos sæpius ten-
» tasse, ut nuntium ad eum cum litteris mitteret; at ejus propositum sæpius impedi-
» tum fuisse ob crebras infestationes improborum hominum in provincias Anglorum
» & Galliæ regiones. nunc vero, pace ac tuitione a principibus ultro citroque pro-
» missa, nuntium a se missum, Hildebertum nomine, qui mutuam inter se se ami-
» citiam Romæ contractam firmaret; additque se non ita pridem ejus beatitudini
» transmisisse per Ishardum religiosum presbyterum capsam unam, ad officium sa-
» cerdotale ex ossibus fabricatam. Forte Danorum infestationes hoc loco intelligit Bregwinus, quorum prima in Tanetum Cantii insulam impressio ante annos quinque facta memoratur; aut certe dissensionem aliquam inter Galliæ ac Britanniæ reges, qualis postea fuit inter Carolum & Offam.

XLII. Buggæ abbatissæ mors.

In fine epistolæ Bregwinus indicat diem depositionis religiosæ Christi famulæ Buggan honorabilis abbatissæ, cujus dies depositionis fuit VI. kalendas Januarii; quæ dum viveret, Bregwinum rogaverat, ut ipsius obitum Lullo pro antiqua sua cum patre ac patrono suo Bonifacio necessitudine nuntiaret. Hæc videtur esse Buggan abbatissa, ad quam scriptæ sunt duæ Bonifacii epistolæ, secunda & vicesima. Alia fuit Bugga, cognomine Heaburg, Eangythæ abbatissæ filia, quæ nescio an diversa sit ab Eadburga abbatissa Tanetensi, regio sanguine orta, quam anno ejus sæculi quinquagesimo primo decessisse Thornus auctor est. De priori Bugga explicandum videtur carmen inter Alcuini opera editum, in quo Eutwini regis filia fuisse dicitur, ac templum quoddam pulcro molimine struxisse, seu novum præcelsa mole sacellum, in quo bis senæ aræ fulgebant, præter aram principem sub absida, in honorem beatissimæ virginis Mariæ consecratam. Tanetensis quidem ecclesia primaria sanctissimæ Virgini Deiparæ nuncupata erat: sed alia erat sancti Petri basilica, quam Eadburga abbatissa ibidem exstruxerat. Ad hæc Bugga, in prædicto carmine laudata, patrem habuit Eutwinum, forte Escuinum apud Willelmum Malmesburiensem, non Cantii, sed occidentalium Saxonum regem: ut proinde ipsa potius apud Westsaxones abbatissa fuisse videatur. Quamquam Cantio illud favet, quod Bregwinus Cantuariensis antistes de ea, tamquam de parochiæ suæ abbatissa, scribit. Utrumvis sentias, libera conjectura est.

XLIII. Eadbertus ex rege monachus.

Regnabat tum apud Northanimbros cum magna potestate & honore Eadbertus, Eatæ filius, germanusque Egberti Eboracensis præsulis, eaque erat illius apud exteros etiam reges existimatio & fama, ut Pippinus rex Francorum ejus amicitiam donis ac muneribus sibi conciliare non infra se duxerit. Cum ita pace undique ac dignitate, cum omnium amore & gratia floreret, annosque æternos in mente habens, Ethelbaldi Merciorum, & Sigeberti West-Saxonom ærumnosam vitam, infaustumque exitum ob oculos poneret; statuit Ceolwlfi decessoris sui & propinqui exemplum imitari, ac, relicto regno, regium diadema monastica tonsura, ac purpuram cucullo commutare. Itaque anno regni sui vicesimo-primo, qui annus ejus sæculi duodesexagesimus erat, filio suo, Olulfo nomine, regale sceptrum contradidit, seque omnipotentis Dei obsequio æternum mancipavit, repugnantibus vicinis regibus, qui oblata regni sui parte eum retinere tentaverunt. At ille omnibus divitiis
» & regnis servitutem Dei prætulit, octavus regum Anglorum, inquit Bromton, qui
» post adventum sancti Augustini in Angliam regna sua pro Christo sponte dimise-
» runt, & pro regno æterno commutaverunt: quo in statu per decem annos, usque

ad finem vitæ permansit, sepultusque est Eboraci in eadem porticu, cum fratre suo Egberto episcopo, qui tribus ante ipsum annis obiit. Ita Simeon Dunelmensis, vel potius Turgotus, contra Bromtonem, apud quem Eadbertus monachus factus; non Eboraci, sed Romæ obiisse dicitur.

ANN. CHR. 758.

XLIV. S. Othmarus abbas comprehensus.

Inter ea comprehensus est Othmarus abbas sancti Galli apud Alamannos jussu Warini & Ruodhardi comitum, qui ejus monasterii possessionibus inhiabant. Atque ut eas sub aliquo colore invaderent, quemdam Lambertum pseudomonachum subornarunt, qui viro sancto stupri crimen objiceret. Productus in judicium Othmarus, cum se ejus criminis insontem, at multorum aliorum vitiorum reum fateretur; ab iniquis judicibus in custodiam conjicitur, primo quidem in Potami palatio ad lacum Acronium, deinde in proxima Rheni fluminis insula, vocabulo *Stein:* ubi supremos vitæ dies confecit. Hinc prædicti comites maximam sancti Galli possessionum partem sibi vindicarunt cum tributis illis, quæ Pippinus eidem cœnobio contulerat. Verum, ut viri Dei innocentia omnibus comperta & manifesta fieret, mox Lambertum ultio divina corripuit. nam febrium vexatione agitatus, paullatim resoluto membrorum vigore ita contrahi cœpit, ut, amissa tandem corporis rectitudine, capite ad terram more quadrupedum inclinato, non solum hac formæ deformitate, sed etiam viva voce, se injustæ calumniæ reum fateretur.

ANN. CHR. 759.

XLV. In custodia moritur.

VIrum Dei nihilo minus detinere ac vexare pergunt iniqui satellites, & cum in Potami palatio non satis accurate custodiri sibi videretur, Peragozo monacho furtim necessaria suggerente; Gozperti cujusdam, viri potentis, custodiæ in insula *Stein* committitur, districtius observandus. Illic spiritalibus exercitiis, id est orationibus ac inediæ, eo liberius vacabat sanctus pater, quo ab humanis consortiis ac negotiis erat remotior. Sed tandem carceris retrusione, aliisque incommodis, non tantum inedia confectus, post annos quadraginta regiminis, ab his angustiis ad cælestis gaudii latitudinem migravit decimo septimo kalendarum Decembrium, anno septimo Pippini regis, id est anno hujus sæculi quinquagesimo-nono, ut recte apud Hermannum legitur. Corpus ejus in eadem insula humatum, multis deinceps diebus incorruptum permansit, dum ad sancti Galli monasterium post decem annos translatum est.

Succedunt Sidonius & Johannes episcopi.

Othmaro ita rebus humanis subtracto, prædicti comites ablatas sancti loci possessiones retinere volentes, Johannem quemdam monachum e proximo Angiæ monasterio in ejus locum intrusere. Sed cum eum forte consiliis suis non satis obsequentem experirentur; Sidonium Constantiensis ecclesiæ præsulem instigant, ut idem monasterium suæ ditioni subjiceret. Hic eorum votis ac suasionibus ultro assentiens, protinus monasterium invadit: cujus potestati cum fratres resistere non auderent, manus vel inviti dederunt, ejus ditioni parere malentes, quam tot adversitatibus inde consecuturis implicari. Ita ferme rem narrat Walafridus Strabo in libro de miraculis sancti Galli. Addit Ratpertus monachus, Sidonium, ut se gratum præberet, quasdam sancti Galli possessiones prædictis comitibus & Miloni monasterii advocato in beneficium dedisse. Ceterum non diu monasterio potitus est Sidonius, siquidem anno proximo ineunte Johannes ejus successor jam episcopus & rector monachorum erat, ut patet ex charta quinquagesima-nona apud Goldastum, data die quinta-decima mensis Januarii, anno octavo Pippini regis; idque confirmatur ex alia charta, scilicet quadragesima-quarta, scripta die dominico, v. nonas Maias, regnante Pippino, sub Warino comite, id est anno Christi septingentesimo sexagesimo-primo.

Sidonii episcopi interitum hoc modo narrat Walafridus. Venerat ille aliquando in sancti Galli monasterium, ut monachos, suis voluntatibus non satis pro ejus lubito consentientes, in obsequium redigeret. Forte intercessit Tello episcopus Curiensis, cum summopere litteris obtestans, ut mitius ageret cum monachis, quorum nonnulli consanguinitatis vinculo ipsi conjuncti erant. Ille superbe rogantis preces rejicere, remandans se quam primum contumacibus monachis meritas pœnas pro eorum contemtu repensurum. Mox sancti Galli oratorium ingressus, ante illius aram, Ratpertus confessionem vocat, quasi oraturus substitit. Tum vero tam diræ viscerum tortiones eum invasere, ut sine aliorum adminiculo egredi non valuerit. Dein vehiculo impositus, ad monasterium Auvam seu Augiam, cui etiam abbatis

ANN. CHR. 759.

nomine præerat, ægre perductus est: ubi, ingravescente languore, post aliquot dies animam exhalavit. Hunc Sidonii episcopi exitum Walafridus Strabo retulit in libro de miraculis sancti Galli; at prætermisit in libello de sancti Othmari, quem ipse composuit. Idem in carmine de visione Wettini Sidonio terdenos regiminis apud Augiam annos tribuit, Johanni viginti-duos. Hic tribus nepotibus suis a se educatis honores suos, nempe Constantiensem episcopatum & duas abbatias, quasi hereditario jure relinquere cupiens, utriusque loci monachis pollicitus est, daturum se operam, ut eorum de eligendo abbate privilegium a principe renovaretur, si modo se mortuo nepotes ipsius eligerent abbates. Et id quidem a monachis promissum: sed res promissis non respondit.

XLVI. Tello episcopus Curiensis.

Ex dictis intelligitur, Tellonem episcopum hoc anno, & forte præcedente, Curiensi ecclesiæ præsidere cœpisse. Erat is filius Victoris comitis, eo nomine secundi, abnepos Victoris primi, ejus, qui Placidum abbatem Desertinensem martyrio affecerat. Tello in testamento suo genitricem suam Teusindam vocat, avunculum Vigilium episcopum Curiensem, cujus hæc soror erat; germanos suos Zacconem, Jactatum, & Vigilium; germanam Salviam; ejusque filias Teusindam & Oddam, quas neptes suas dicit. Hic ex-monacho, ut tradunt, Desertinensi abbas, Ursicino episcopo in sedem Curiensem successit, non Victori, ut Bucelino, aliisque visum est. In necrologio Augiensi mentio fit ex monasterio, quod dicunt Desertinas, Ursicini episcopi, viri sancti, qui abbas simul & episcopus fuit, uti & Tello ejus successor.

XLVII. Sturmii abbatis exsilium & restitutio.

Hoc fere tempore Sturmins abbas Fuldensis in exsilium a Pippino rege amandatus est, agente in primis Lullo episcopo Moguntiacensi, qui-cum simultas, ut præmissum [a] est, intercessit. Hinc suspectus regi factus, quasi aversum ab eo animum gereret, in exsilium una *cum paucis suis clericis*, id est monachis, missus est *ad magnum cœnobium, quod dicitur Unnedica*, ut in editis legitur, haud dubie *Gimedica* seu Gemeticum, insigne monasterium agri Rotomagensis: ubi ab abbate, omnibusque fratribus ejus loci benigne atque honorifice acceptus est. Hoc nuntio perculsi Fuldenses, alii e monasterio egredi statuerunt; alii ad palatium pergere, causam ejus acturi adversus Lullum, qui exsilii auctor ferebatur; alii denique jejuniis & orationibus Dei misericordiam sibi demereri conabantur. Lullus interim a rege obtinuit, ut Fulda ejus dominio ac ditioni subjiceretur; & abbatem, qui ipsi in omnibus obtemperaret, unum e familiaribus suis, Marcum nomine, ibidem constituit. Verum cum aversos a novo abbate animos haberent Fuldenses, atque ad Pippini palatium, Sturmii reditum postulaturi, pergere decrevissent; intervenit Lullus, blandisque persuasionibus eos retinuit, data facultate alium eligendi abbatem, quicumque eis placuisset. Mox electus ab illis Preszoldus, egregiis ornatus moribus, Sturmii a pueritia discipulus carissimus: quem super se abbatem ordinari curarunt, eo pacto, ut ille eum ipsis communis patris reditum quantocius procuraret. quod is modis omnibus facere instit; atque, ubi humana consilia non succedunt, ad divinum cum suis confugit adjutorium, satagendo, ut non modo Fuldæ, sed etiam per omnes orientales illius regionis ecclesias, Hassiæ scilicet ac Turingiæ; perque omnia monasteria servorum & ancillarum Dei, continentes pro eo preces fierent.

a Supra n 12.

Piorum filiorum votis benignus adspiravit Deus, immisso in Pippini animum consilio, ut virum sanctum a loco exsilii, ubi per biennium detentus fuerat, in palatium revocaret. Eo adductus, cum in capella regis cum aliis servis Dei, qui capellæ regiæ ministrabant, resideret; contigit quadam die, ut rege ad venationem ire volente, & primo diluculo ad orationem, uti solitus erat, in capellam ingressuro, ceteris servis Dei post matutinas vigilias quiescentibus, solus Sturmius vigilaret, apertaque regi ecclesiæ janua lumen præferret. Rex vero cum ad sacras aras Deum » orasset, Sturmium benigne intuitus: Divino, inquit, consilio ambo hic una fu- » mus. Jam vero mente nobis excidit, qua de re monachi tui apud nos te insimula- » verint; quæve nostræ in te indignationis fuerit causa. Ad hæc Sturmius, se nullius » in regem delicti conscium esse asseruit. At ille: Sive, inquit, quidvis umquam con- » tra me prave agitaveris, seu inique quidquam gesseris, Deus tibi totum remittat, » uti ego ex animo tibi condono: tu vero deinceps in gratiam meam te restitutum » noveris. Tum manu de pallio suo filum tollens, projecit in terram, dicens: Hoc » filum in testimonium perfectæ remissionis in terram abjicio, ut cunctis pateat, me » pristinam in te inimicitiam mente prorsus deponere. Tam læto nuntio recreati fratres,

ANN. CHR. 759.

tres, regem adierunt, obsecrantes, abbatem ipsis suum restitui. quod rex facile annuit, accersito ad se Sturmio, cui monasterium Fuldæ, a Lulli episcopi dominio absolutum, cum honore ac privilegio a Zacharia pontifice concesso, restitui jussit, cum eo, ut causæ suæ ac monasterii defensionem a nullo alio, quam a rege quæreret. Fuit hæc restitutio grata & jucunda non Fuldensibus modo, sed universis etiam servis & ancillis Dei per omnia circumquaque monasteria, qui omnes de Sturmii reditu immensas Christo grates retulerunt. Fuldenses cum *cruce aurea* & reliquiis obviam progressi, reverrentem cum spiritali carmine & immenso gaudio ovantes exceperunt. Ipse vero primum magno studio fratrum vitam ac mores, se absente aliquantum remissos, corrigere, & officia monastica ordinare curavit. Dein templum seu ecclesiam ornare, monasterii ædes recentibus columnis & grandibus suffulsit trabibus, novisque tectorum structuris instruxit. Ad hæc sanctæ regulæ [a] præscriptum exsecuturus, sancientis, ut artes diversæ intra monasterium exerceantur, ne qua sit monachis foras vagandi necessitas; amnem Fuldam a proprio cursu in monasterium per factitios alveoleos derivari curavit, ex quo non modica fratribus utilitas accessit. Denique super sepulcrum sancti Bonifacii episcopi & martyris arcam seu umbellam fabricavit, auro argentoque compositam, (*requiem* tunc vulgus appellabat) eum ad modum, quo Angli, teste [b] Beda, vexillum super sancti Oswaldi regis tumbam, auro & purpura compositum, apposuerunt.

a *S. Bened. c.* 66.

b *Beda lib.* 3. *c.* 11.

XLVIII. Fuldensium numerus & census quam auctus.

Mirum quantum Sturmio abbate Fuldense monasterium creverit, tum censu, tum numero monachorum, quos ad quadringentos illic collectos fuisse legimus. Ne singula persequar, observatu digna est quatuor Bajoariæ ecclesiarum in eos munificentia, quæ ut sancti Bonifacii institutoris sui memoriæ se gratas exhiberent, suum unaquæque annuum donum Fuldensi ecclesiæ, ut communi matri, obtulere statim a morte sancti Bonifacii. Primum itaque Saltzburgensis ecclesia obtulit per Johannem episcopum suum matri suæ Fuldensi [c] ecclesiæ, in opido suo Halla nuncupato, domum & fontem salis cum utensilibus suis : unde singulis annis duodecim talenta persolvi possent. Deinde Ratisponensis ecclesia per Gowibaldum episcopum obtulit quatuor vineas & quatuor regales mansos cum curtibus ac famulis suis : unde singulis annis transmitti deberent ad Fuldensem ecclesiam fratribus Deo & sancto Bonifacio servientibus piscis magnus, huso dictus, quem plerique esocem interpretantur; & de oleo arborum, quantum duo equi in lagenis deferre possent. Idem Patavienfis ecclesia per Vivulum episcopum de oleo & de pisce persolvere solebat. Frisingensis vero ecclesia, cui præerat Erimbertus episcopus, singulis annis caseos grandes Fuldensibus fratribus in oblationem transmittebat. Idem pro portione fecerunt Lullus Moguntinus & Willibaldus Eistetensis antistites, qui suam ambo symbolam, id est prædia quædam, eidem monasterio contulerunt. Prærerea ex singulis regionibus fideles offerebant prædia & mancipia sua, quæ omnia octo codicillis descripta erant.

c *Fuld. antiq lib.* 3. *c.* 11.

Exstant hac de re libri tres traditionum Fuldensium, a Johanne Pistorio editi, præter ea, quæ mox ex Browero retulimus. In summa habuit hoc monasterium in Saxonia tria millia mansorum, totidemque in Turingia, & in provincia Hessonum & Wetercibiorum totidem; item in provincia Rheni & Wormatiæ tria millia; totidemque in provinciis Bajoariæ & Alamanniæ seu Sueviæ: quæ omnia universim quindecim millium mansorum summam efficiunt. Nec defuere e Francis, qui Germanorum liberalitatem æmularentur : quos inter commemorandi in primis veniunt Pippinus rex, & Carolus ejus filius : quorum ille fiscum *Omeneſtat* seu *Omunſtat*, hic *Amelenbure* Deo & sancto Bonifacio contulerunt : ne hic repetam ipsum Fuldæ locum, quem Carolomannus ac Pippinus principes ad construendum monasterium concesserunt. Pippini regis donatio facta est Aurelianis III. idus Februarii, in cujus litteris Pippinus ita loquitur: *Donamus nos, devotique contradimus pro animæ nostræ remedio, & fratris nostri Carlomanni commemoratione, ad Fuldense monasterium quoddam prædium, Omeneſtat nuncupatum, in pago Moynetgowe, cum omnibus terminis & appendiciis suis.*

XLIX. Pippini judicium pro S. Dionysio contra Gerardum comitem

Venio ad Parisiacense sancti Dionysii monasterium, pro quo judicium hoc anno a Pippino rege [d] emanavit. Lis vertebatur inter Fulradum abbatem & Gerardum comitem Parisiorum de teloneis, quæ ex navibus & pontibus ad missam seu festum sancti Dionysii, quo sollemnes nundinæ fiebant, persolvi mos erat ex concessione

d *Dipl. p.* 493 &c.

ANN. CHR. 759.

Dagoberti regis. Ea vero sibi deberi, atque antecessoribus suis persoluta fuisse Gerardus comes contendebat. Prodiere utriusque partis agentes in conventu publico apud Compendium palatium x. kalendas Novembris, Pippino rege placito præsidente, qui affirmabat, ejusmodi telonea partibus sancti Dionysii hactenus persoluta fuisse, uti ab infantia sua semper adverterat. At nihilo minus Gerardus comes postulabat, ut partis utriusque agentes iterum simul in eodem palatio *ad noctes legitimas*, hoc est ad certos induciarum dies, convenirent. Induciæ datæ ad quartum kalendas Novembris, quo die agentes ad condictum placitum denuo accesserunt. Tunc vero judicium secundum partes sancti Dionysii prolatum est a Pippino, ejusque optimatibus, Widone scilicet, Raulcone, Milone, Helmengaudo, Rothardo, Gislehario, aliisque quam plurimis, favente Wicherto comite palatii: quorum sententiæ Gerardus comes tandem acquievit. Datum III. kalendas Novembris, anno Pippini regis octavo. Dies induciarum apud veteres per *noctes* designari solebant penes laïcos, secus penes ecclesiasticos viros. Huc spectat illud Goffridi abbatis Vindocinensis in epistola [a] ad Goffridum Carnutensem episcopum: *Non noctes*, inquit, *secundum consuetudines laicorum, sed secundum instituta canonum inducias postulamus.* Adi si velis eruditi Sirmundi notas in hunc locum. De Gerardi comitis conjuge Rotrude memorabile refertur sancti Dionysii miraculum, quod totidem antiqui [b] scriptoris verbis referre placet. *Tempore supra dicti regis Pippini, quidam erat comes, nomine Gerardus, Parisiensis, cujus uxor Rotrudis nuncupabatur. Hæc in fisco haud procul Parisiis Riogilo* [*] *habitans, sub beati Dionysii natalis diem cernit suas otiosas esse puellas. quæ cum ad se vocatæ fuissent, quam ob rem otio torperent, austere eas invexit. quarum una, quæ supra ceteras: Sollemnitas*, inquit, *beati est Dionysii; & ob id ratum eam duximus sollemniter celebrandam. Et mater familias: Vade, ait, & instanter operare. nos vero qui extra dominium ejus sumus, eam a nobis coli minime oportet. Verum cum imperio ejus parere vellent, favente Domino, & meritis Christi martyris obtinentibus, subito tanta coruscatio atque aquarum venit inundatio, ut domus omnis cum supellectile, uno rapta impetu, in Sequanæ fluvium dimergeretur; & quæ unum noluit diem ducere festum, factum est ut totum perderet anni subsidium. Sed homines per Dei providentiam ab illa liberati sunt tempestate. quod ideo credimus gestum, quo dies ille jugiter sollemnis observaretur.* Ecclesia villæ Riogili, nescio an ab eo tempore sancto Dionysio sacra est, locusque ad nostra tempora subjectus fuit Dionysiano monasterio, dum cardinali Richelio cessit.

[a] Goffrid. lib. 2. ep. 27.

[b] Diplom. p. 630.

[*] Ruel.

L. Medelocense monasterium S. Dionysio sacrum.

Sancto Dionysio itidem dicatum erat Medelocense seu Mediolacense apud Trevirenses monasterium, cui Oricus abbas tunc præfuisse creditur, sed ex instrumento minime probando Lamberti ducis, qui ejus loci fratribus villam Uderam donasse dicitur. Nec melioris notæ videtur placitum Caroli Magni pro eodem monasterio, actum in Theodonis-villa, quo Trevirensi sancti Petri ecclesiæ hoc monasterium postliminio subjicitur. Sane nulla ejus mentio fit in diplomate Pippini regis, quo idem princeps, Weomadi episcopi rogatu, eidem ecclesiæ confirmat anno sequenti omnes facultates ac res ad ipsam pertinentes, scilicet cellam sancti Maximini, ecclesiam sancti Paulini & sancti Eucharii, & monasterium sanctæ Mariæ, quod vocatur Horrea, & basilicam sancti Martini, sitam in pago Maginensi. Quamquam hoc diploma sine dubio interpolatum est, uti argumento est invocatio diplomati contra Pippini morem præmissa, & indictio in fine apposita.

LI. Galiatense monasterium Ravennati ecclesiæ restitutum.

Jam vero ut ad res Italicas convertatur oratio, hac indictione duodecima Paulus papa Galiatense sancti Hilari monasterium, quod Stephanus papa, ejus frater ac decessor, Anscauso episcopo & abbati ad vitam concesserat, eodem Anscauso mortuo Ravennati ecclesiæ, cui antea subjectum erat, restitui jussit. Qua occasione Ravennati ecclesiæ subductum fuisset, Paulus papa in prædicto diplomate ita commemorat. Dum Stephanus papa ad redimendam Italiæ & exarchatus Ravennensis vexationem in Franciam, auxilium contra regem Aistulfum a Pippino imploraturus, accessisset; contigit ut in reditu in monasterium beati Hilari, situm in territorio Populiensi, humanissime ab Anscauso episcopo & abbate ejusdem venerabilis monasterii exciperetur, atque itineris sui opportuna subsidia & commeatum ab eodem acciperet. Cujus beneficii memor pontifex, exarchatu jugo servituris exemto, ut quamdam etiam Anscauso rependeret vicem, prædictum monasterium ad reliquos vitæ dies ipsi fruendum concessit. quod etiam Paulus pontifex ratum esse jussit.

ANN. CHR. 759.

At post mortem Anscausi, quæ hoc anno contigit, Paulum interpellavit, evicitque episcopus Ravennas, ut idem monasterium ecclesiæ suæ restitueretur. Hujus rei diploma, non tamen integrum, retulit Rubeus, & ex eo Baronius. De hoc monasterio ad Carolum Magnum scripsit [a] Hadrianus papa, ab eo postulans, ut de subjectis ei monasteriis sollicitus, maxime monasterium sancti Hilari confessoris Christi, positum in Calligata, una cum xenodochiis ad colles alpium pro susceptione peregrinorum erectis, a qualibet invasione tueatur, & in omnibus pro monachorum Deo « servientium quiete, atque susceptione hospitum justitiam conservare dignetur; spe- « ciatim vero, ut curtem quamdam territorii Florentini, vocabulo Sasantinam, quam « Gundibrandus dux Florentinus invaserat, eidem monasterio restitui curet, ejus- « demque monasterii missos benigno vultu excipere velit, & justitiæ petendæ effectum « imperiri. Superest etiam nunc hoc monasterium, quod Camaldulenses a duobus « seculis possident. «

Carolo Magno commendatum.

a Cod. Carol. ep. 74.

LII. S. Juliæ monasterium Brixiæ.

Sigonius ad hunc annum scribit, Desiderium Langobardorum regem, Adalgiso filio in consortium regni adscito, filiam suam Ansilbergam divino cultui virginem destinasse, eique monasterium ad urbem Brixiæ ædificasse, uxore Ansa & Adalgiso filio adjuvante. Id factum fuit ab initio sanctæ Juliæ virgini & martyri, cujus reliquiæ e Corsica insula eo translatæ traduntur. Cum illuc Desiderius ad visendam filiam post aliquot annos accessisset, monasterium novis prædiis cumulavit mense Julio, indictione nona, anno regni sui quinto-decimo. Donationes eidem loco factas Paulus papa confirmavit indictione prima, ut datæ ab eodem pontifice litteræ testes sunt, quæ in eodem monasterio adhuc integræ asservari dicuntur. Ad hæc Sigonius diploma eidem monasterio a Sigualdo patriarcha Aquileïensi indultum commemorat, Ticini datum III. idus Octobris, indictione undecima, anno Desiderii & Adalgisi regum sexto-decimo & quatto-decimo. Carolus Magnus eidem loco possessiones suo diplomate asseruit. Monasterium *Novum* dictum est ab instauratione, quæ anno Domini octingentesimo tricesimo-quinto facta memoratur. De eo intelligendum videtur necrologium Augiense, in quo laudatur Austreberga *ex monasterio, quod dicitur Nova*. Ibi Gisla, Lotharii imperatoris filia, ne quid dicam de duabus ejus uxoribus, Engelberga & Hermingarde, vitam monasticam professa est, ejusque causa Ludovicus imperator ejus frater monasterii dotem auxit. Exstat in Bullarii Casinensis tomo secundo Callisti secundi privilegium eidem concessum. Superest etiam nunc nobile monasterium, in quo monachæ ducentæ degunt, situm ad radices montis, quem Dignum, alii Chineum vocant.

LIII. Leonense monasterium ibidem.

Aliud item monasterium virorum idem Desiderius in Leone seu Leno, agri Brixiani vico, exstruxit in honorem sancti Benedicti, & sanctorum Vitalis & Martialis, duorum sanctæ Felicitatis filiorum martyrum, quorum corpora illuc hoc anno translata perhibentur. Monasterium a loco, de Leone seu Leonense appellatum. In necrologio [b] Augiensi duo notantur ejusdem fere nominis monasteria, unum Leonis, alterum Leones dictum: & quidem *ex monasterio Leonis domnus abbas Magus; ex monasterio, quod vocatur Leones, Badulfus abbas*. Hunc posteriorem locum de Brixiensi monasterio interpretandum videtur, maxime quod, uno tantum interposito monasterio, proxime nominatur post aliud Brixiense sancti Faustini monasterium, & paullo post monasterium, quod vocatur Nova, de quo mox agebamus. Hoc monasterium prædiis amplissimis pro regia magnificentia dotavit Desiderius, ibidemque quinquaginta monachos sub Hermoaldo abbate constituisse dicitur. Verum, ut habent rerum humanarum vices, hoc monasterium a Conrado secundo imperatore solo æquatum fuisse tradunt.

b Analect. to. 4. p. 643. 645.

LIV. Fulcoaldi abbatis Farfensis successores.

Hoc anno Farfæ in monasterio decessit Fulcoaldus abbas: cui suffectus ad breve tempus Guandelbertus abbas quintus, & ipse ex Aquitania ortus, ac consanguineus ejusdem Fulcoaldi. Is, postquam Farfæ anno uno & mensibus septem præfuit, curam pastoralem abdicavit, rogavitque fratres, ut alium sibi rectorem substituerent. quo facto, secessit in Firmanum sancti Hippolyti monasterium, quod a Farsensibus accepit. Sextus in ejus locum abbas electus est Halanus seu Alanus, & ipse Aquitanus, qui post legitimam in monasterio probationem, fraterna ex acie ad singularem vitæ solitariæ pugnam processit, & in monte Motilla, Farfensi monasterio supereminente, per multos inclusus annos substitit: ubi inter alia pietatis exercitia multos codices manu propria exaravit. Post Guandelberti abdicationem electus a

ANN. CHR. 759.

frattibus, vix adduci potuit, ut vacantis monasterii curam subiret: sed tandem rogantibus & urgentibus acquievit. Hic pactum fecisse memoratur cum Theodoro habitatore Castri-veteris de monasterio seu oratorio sancti Angeli, quod pater ejusdem Theodori Cunctarius presbyter, & mater ejus Oechavia presbytera Farfensi monasterio dimiserunt, ea conditione, ut idem Theodorus & ejus heredes per singulos annos inferant tritici modios decem, vini decimatas quadraginta, fœni carra viginti, & molarum par unum; &, quando monachi eo venerint, si quid perdiderint, restituant e propriis. Ad hæc Flavius Desiderius rex, anno regni sui sexto, confirmavit Farfensi monasterio & Halano abbati monasterium sancti Hippolyti, a Benetrada religiosa Dei ancilla concessum. Ipse vero Halanus dedit Ansilpergæ sacratæ Deo abbatissæ monasterii sancti Salvatoris, infra Brixiæ muros exstructi, cellulam sancti Petri de Classicella in territorio Sabinensi, & aliam cellam in finibus Viterbiensium, in loco, qui dicitur Fagianus: & ab ea vicissim accepit curtem unam in loco Vallantis, in finibus Reatinis, Desiderii regis anno duodecimo & Adelchisi octavo. Halanus Farsæ annis novem & mensibus tribus atque diebus octo laudabiliter præfuit, mortuus v. nonas Martii.

Unum est in quo non leviter ab eo peccatum fuit, nempe quod extremo vitæ suæ die, quemdam episcopum, Gurebertum nomine, Anglorum ex gente ortum, adduxit ad faciendam regulæ promissionem; & continuo rudem adhuc & hospitem, ac vitæ monasticæ prorsus expertem, sui loco abbatem constituit, contra sacros canones ac regulam sancti Benedicti. quod pessime vertit. Hic enim per undecim menses, non pastorem, sed tyrannum agens, monachos dire vexavit, alios cædens, alios in carcerem, alios denique in exsilium mittens, ne quidem iis parcens, qui ad sacri altaris velamina confugerant. Tantis demum malis pulsati monachi, ad regem Desiderium supplices adierunt, cujus jussu Alefridus castaldus Reatinus invasorem e monasterio expulit, monachis eligendi abbatis facultate concessa, qui Probatum abbatem, moribus nomini haud imparem, sibi præposuerunt.

L V. Hispaniæ monasteria.

Jam dudum nihil Hispanicarum rerum annalibus nostris adscribendum occurrit, dum scilicet Maurorum barbaricus furor sacra & profana omnia pessumdaret. Latuere primo fidelium greges, dissipatarum ovium instar, in Asturicensibus montibus: ubi, postquam tantisper respirarunt, tunc demum fines suos in Galliciam prolatare, urbes, atque opida condere cœperunt, in his Ovetum regni caput; sacras denique ædes ædificare, ac monasteria. Duo nobis suggerit Yepesius noster hoc anno constructa: unum virginum, nempe sancti Michaelis de Petrosa, ad fluvium Tyronem prope montes Dorcenses: alterum virorum, quod sancti Juliani de Samos appellant. De sancti Michaëlis primordiis Yepesius memorat instrumentum quoddam a se repertum in monasterio sancti Æmiliani-de cucullla, quo instrumento nunna Bella abbatissa, suo, suarumque sanctimonialium nomine, se suumque corpus offert Deo in monasterio sancti Michaelis & beatorum apostolorum Petri & Pauli atque sancti Prudentii, æra septingentesima nonagesima-septima-quæ præsenti anno respondet. quod instrumentum rex Froilanus confirmat. Monasteria non pauca quondam subjecta fuere huic cœnobio, quod modo monachorum cella est, & appendix abbatiæ sancti Æmiliani-de-cuculla.

Alterum longe insignius est sancti Juliani Samonense, olim Sammanos, nunc contracte Samos appellatum, quod a prædicto Froilano rege fundatum tradunt. Situm est in Galliciæ regno ad montes Asturicenses, prope Sarriam * urbem diœcesis Lucensis *. Primus ejus loci abbas Argericus, ob Maurorum vexationes Toleto profugus, eo se recepit, condiditque monasterium in honorem sanctorum Juliani & Basilissæ, fundum suppeditante Froilano rege, qui tum Galliciæ imperabat. Ejus filius ac successor Alfonsus Castus, a Mautegato notho Alfonsi Catholici, regno pulsus, ibi aliquamdiu delituit; postmodum vero restitutus in regnum, ejusdem cœnobii possessiones confirmavit. Hoc monasterium *secundum normam sanctorum Patrum* constructum fuisse docet Ordonii regis diploma, suo loco fusius memorandum: quod an de sola sancti Benedicti regula, quæ non raro *Regula sanctorum patrum* appellatur; an de collectione regularum veterum, qualis eo tempore in quibusdam Hispanicis monasteriis cum sancti Benedicti regula habebatur, intelligendum sit, non ausim affirmare. Alfonsus Castus, regno suo iterum expulsus, *in Abelense monasterium se recepit*, testante Ruderico a Toletano. quod de Samonensi mo-

* Sarria.

* de Lugo.

a Roderic. lib. 4. c. 8.

nasterio Yepesius interpretatur, sed parum solido fundamento, quasi hoc nomen Argericus abbas Samonensi indiderit in memoriam Agaliensis monasterii, ex quo eum in Asturiam metu Sarracenorum migrasse idem auctor opinatur. Bultellos [a] noster hoc loco suggerit locum *Avilas* dictum, in diplomate Alfonsi regis Legionensis pro monasterio Ovetensi memoratum.

ANN. CHR. 759.

a Lib. 4. c. 15. p. 259.

ANN. CHR. 760.

LVI. Optati abbatis Casinensis successores.

SEd jam ex Hispania in Italiam nos revocat Optatus Casinensis abbas, cujus obitus ultra insequentem annum, illius sæculi sexagesimum, differri non potest. Cum enim Petronaci abbati anno ejus sæculi quinquagesimo successerit; si annos decem sacro monti præfuit, ut apud Leonem Marsicanum legitur; anno sexagesimo ipsius mors consignanda est. Atqui totidem regiminis annos ei tribuit non tantum Leo, sed etiam Petrus diaconus, qui Leonis viderat autographum, cujus lectionem, a Laureto vitiatam, Angelus de Nuce ex constanti veterum codicum lectione restituit. In antiquissimo tamen indice Casinatium abbatum, qui in Bassacio desinit, abbate ab instauratione Casinensi duodecimo, novem tantum anni Optato tribuuntur. at perinde est novem annos plenos, & decem incompletos ei assignare. Defunctus est Optatus, ex Leone, pridie nonas Januarii, atque juxta decessorem suum sepultus in oratorio beati Martini. Qui ei successit Hermeris abbas, uno tantum anno sedisse dicitur, atque obiisse, nulla re memorabili gesta, xv. kalendas Augusti, sepultus prope sancti Benedicti ecclesiam. Errasse videtur Leo Marsicanus, cum ait, eum in Casinensi regimine sedisse tempore Stephani papæ secundi; rectius pontificatu Pauli ejus successoris. Hermeris locum fecit Gratiano, cujus etiam brevis, & rebus gestis vacua præpositura, annis quatuor, mensibus quinque finita est. Depositionem ejus Leo consignat XI. kalendas Septembris, additque eumdem sepultum fuisse in porticu ecclesiæ sancti Martini. De Tomichisio ejus successore inferius agendum.

LVII. S. Galli monasterii decani & quædam notabilia.

Regularem disciplinam in monasterio sancti Galli tunc temporis vice Johannis episcopi Constantiensis & abbatis curabat Waldo decanus, scriptor chartæ sexagesimæ apud Goldastum, qua Wilhar quidam prædia nonnulla donat sacrosanctæ ecclesiæ sancti Galli, ubi præesse dicitur *Johannes abbas*, suppresso episcopi [b] nomine. Idem observare licet in charta quadragesima-tertia cujusdam Winiberti, quemdam proprietatis suæ locum tradentis sacrosanctæ ecclesiæ sancti Galluni, *ubi Johannes abbas ad præsens rector ecclesiæ esse videtur.* actum die dominico, VI. *idus Octubris, anno* decimo regnante domno Pippino rege Francorum, sub Warino comite. quæ chronicæ notæ anno ejus sæculi sexagesimo-secundo respondent; si vero cum Cointio legas V. *idus*, sexagesimo-primo: quo tempore Johannem episcopum fuisse ex aliis chartis & monumentis exploratum est. Nulla temporis nota apposita est prædictæ chartæ sexagesimæ, quam scripsit ac subscripsit *Waldo decanus atque monachus Dei servus.* Goldastus eam ad hunc annum refert. Sane Winidharius decanus ac monachus laudatur anno quinto-decimo Pippini regis, quo anno placitum factum est coram Cozperto præside, agente Wolframmo monacho contra filios cujusdam Marulfi, qui donationem a patre suo factam repetebant. Causa per tres dies, totidemque noctes agitata. Tandem inter partes convenit, ut, re controversa in manus Winidharii decani & monachi restituta, filii Marulfi eam denuo per precariam reciperent. Datum anno quinto-decimo domni Pippini regis. *Hamedus clericus & lector* litteras scripsit ac subscripsit. Chartam sexagesimam-nonam itidem scripsit *Ruodo laicus lector.* quem Goldastus cum Vadiano existimat monachum fuisse, sed ex eo monachorum numero, qui extra monasterium in domo separata, sed tamen contigua, habitabant, distincti ab aliis, quos professos vocant. Verum hujus discriminis nullum certum video argumentum. Propius fidem est, hos duos posteriores scribas fuisse clericos sæculares, ob idque Ruodonem laïcum diei, hoc est sæcularem.

b Supra n. 31.

Kero monachus.

Vivebat eo tempore ibidem Kero monachus, qui glossas Alamannicas cum simili expositione in orationem dominicam & symbolum edidit, necnon in Regulam sancti Benedicti, cujus voces Alamannicas alphabetico ordine Goldastus vulgavit.

LVIII. Aribo fit episcopus Frisingensis.

Hoc ipso anno Aribo, aliis nominibus Hæres & Cyrinus dictus, Frisingensi ecclesiæ præficitur in annos tres ac viginti. Abbas erat ante pontificatum monasterii Schlecdorfensis, quod is postea in honorem sancti Dionysii dicavit, postea illustratum corpore sancti Tertuliani martyris, quod Reginbertus monachus ab Hadriano

ANN. CHR. 760.

papa impetrasse traditur. Aribo quartus Frisingensis episcopus recensetur in versibus [a] a nobis editis, Arpeo dictus; successor vero Josephi, qui præclarus magister appellatur. Idem Aribo auctor fuit translationis corporis sancti Corbiniani, primi ejus sedis episcopi, e castro Magiensi in ecclesiam Frisingensem: cujus translationis consilium ait se tractasse cum coëpiscopis suis, ceterisque ecclesiasticis viris *in generali synodo*. quod forte intelligendum de synodo Dingulvingensi, anno septingentesimo septuagesimo-secundo celebrata, cui *Hæres episcopus* subscripsit. Hæc translatio non sine miraculis facta est. Sacro corpori obviam processit dux Tassilo cum cœtu pontificum & clericorum; illudque repositum fuit in ecclesia sanctæ Mariæ, ubi primo humatum fuerat.

[a] Analect. to. 4 p. 526.

LIX. Bobinus episcopus Trecensis.

Florebat hoc tempore Bobinus, ex abbate Cellensi Trecensis episcopus, qui sui suburbani monasterii basilicam magnificentius exstruxit, ac sancti Frodoberti abbatis primi sepulcrum exornavit. Testes ejus rei versus, ab anonymo æquali editi, qui, laudato Frodoberti opere, hæc de Bobino subdit.

Cujus opus, Bobine sacer, te præside crevit,
Antistes meritis magnificande tuis.
Per tua nunc Frodobertus ovans consulta beatus
Continet ecclesiæ culmina celsa suæ.
Hoc opus egregium, quod cernimus, undique saxis
Collatis fundas, altaque tecta levas:
In quibus æterna stabilis sub laude cohortes.
Stat monachile decus, quod regit Altithronus.
Stant & millena numerosa prœmia palmæ,
Quas hæc aula suis conferet emeritis.

Hinc ab amplificatore suo Cella-Bobini aliquando dicta est: ubi sanctum Frodobertum multis inclaruisse miraculis idem poëta tradit. In veteri breviario non edito monasterii quondam Cellensis, nunc sancti Michaëlis ad Mosam, notatur x. kalendas Maii, *translatio sanctorum Melani & Bobini episcoporum*. & III. nonas Julii, *dedicatio ecclesiæ*.

LX. Aldhuno abbati Cantuariæ succedit Jambertus.

In Anglia hoc anno e vivis excessit Aldhunus, suburbani sancti Petri monasterii Cantuariensis abbas decimus: cui successit venerabilis vir Jambertus, benedictus a Bregwino archiepiscopo, in cujus locum postmodum suffectus est. quod qua occasione factum sit, suo loco exponemus.

ANN. CHR. 761.

LXI. Wunebaldus abbas Heidenheimensis obit.

POstero anno mortalem vitam immortali commutavit sanctus Wunebaldus abbas Heidenheimensis. Is triennio ante obitum gravi infirmitate pulsatus, nihilo minus perrexit Witziburgum ad Megingozum episcopum, quasi extremam salutem amico & populari suo dicturus; tum in Fuldense monasterium, ut sancti Bonifacii, patroni quondam sui, tumulum ac reliquias honoraret. Dein ipsius animum incessit cupido adeundi sanctum Benedictum, id est Casinense monasterium, ut in sacro monte vitam finiret. Ejus rei causa nuntium misit ad abbatem Casinensem, Hermerim an Gratianum, & ad ejus congregationem, ut communionem precum ac suffragiorum inter se se inirent, simul ut desiderium eos invisendi, quo ipse tenebatur, eis significaret. Illi, ut quantocius veniret, institerunt, cum pro sua dignitate ac reverentia excipere parati. Verum, amicis ac prudentibus viris, in primis Willibaldo episcopo ipsius fratre, contra sentientibus, & nimiam ejus obtendentibus imbecillitatem, in suo ipsius monasterio demum consistere statuit, ne locum a se electum, & alumnos carissimos optimi patris corpore orbatos relinqueret. Cum vero jam præ infirmitate ecclesiam adire non posset, in camera sua jussit altare componi, ut sacra missarum sollemnia, quæ fere numquam prætermisit, ibidem, quando ferret infirmitas, celebraret. Morbo ingravescente, Willibaldus eo accessit: ille vero, cum mortem jam imminentem sentiret, discipulos suos in hunc modum affatus memoratur.
» Filioli ac fratres mei, sic actus vestros in omnibus ordinare curate, ut omnia cum
» prudentia faciatis. Vitam vestram & mores vestros ad Dei voluntatem componite:
» mutuam inter vos caritatem, & fidem rectam atque catholicam in omnibus serva-
» te. Monasticæ vitæ disciplinam, qualem a nobis accepistis, Deoque promisistis, in-

violatam retinete. Obedientiæ vinculo, quo obligati estis, quod quidem ad me attinet, vos absolvo, sic tamen, ut rectæ institutionis professione, quam Deo vovistis, vos semper adstrictos noveritis. Ceterum si quid de meis mandatis per negligentiam aut oblivionem a vobis præteritum est, totum lubens condono; a vobis vicissim veniam eorum petens, in quibus forte contra vos me deliquisse contigerit. His dictis, ubi tantisper conticuit, mærentibus fratribus, postquam Deo animam commendavit, ad lectulum sedens, spiritum exhalavit die sabbati advesperascentis, XIV. kalendas Januarii, anno ætatis sexagesimo, Cointius legendum vult quinquagesimo-secundo, abbatialis regiminis decimo. Corpus ejus aqua lotum de more, in lapideo tumulo, quem dudum sibi paraverat, cum vestibus sacerdotalibus in ecclesia compositum est. Missæ per septem continuos dies pro eo celebratæ.

Post aliquot annos Willibaldus ejus frater ecclesiam illam amplificavit, in qua cælestes virtutes non defuerunt. Idem sacrum ejus corpus post annos fere a morte sexdecim, integrum & incorruptum repertum, e sepulcro extulit, & novo loculo impositum in cryptam orientalem a se fabricatam recondidit. Libellum de ejus gestis prima scripsit quædam sanctimonialis Heidenheimensis, ipsius consanguinea & æqualis. Post ejus mortem Heidenheimense monasterium sanctimonialibus cessit sub regimine Walpurgis abbatissæ ejus sororis: qua mortua, Gerhohus Eistetensis episcopus canonicos eo in loco posuit, & abbatia in præpositutam conversa, deinceps venalis haberi cœpit. Duravit hæc malorum lues usque ad tempora Lotharii imperatoris & Conradi ejus successoris: quo tempore Gebehardus secundus, qui Eistetensi ecclesiæ præfuit ante medium sæculum duodecimum, priscam loco religionem postliminio restituendam curavit, favente Eugenio papa tertio, ut fusius narrat Adelbertus abbas, qui primus eidem loco a restitutione præpositus est. Verum monasterium illud post varias vicissitudines, heu! in Lutheranorum manus incidit, a duce Wittembergensi occupatum & profligatum.

LXII. Ovetense monasterium conditur.

Apud Asturias in Hispania condi cœpit hoc anno celebre monasterium Ovetense, quod insigni ejus nominis civitati * originem dedit. Sic locus olim vastus & incultus versus est in frequentem urbem & novi regni caput. quod Fuldæ, apud sanctum Gallum, aliisque multis in locis factum est: adeo ut monachi nostri non tantum ad religionem, sed etiam ad ornamentum ac celebritatem provinciarum multum contulerint. Primus Ovetensis monasterii auctor Fromista seu Fromistanus una cum Maximo presbytero sobrino suo; qui, repurgato sentibus & dumis loco, extemporaneas primum casas, dein basilicam sub patrocinio sancti Vincentii levitæ condiderunt. Adjuncti subinde socii viginti-quatuor, presbyteri omnes, quorum dux Montanus erat, Fromistanum abbatem sibi præposuerunt, scriptoque instrumento sæculum abdicarunt, & se suaque omnia Deo in ejus manus tradiderunt, libros, ornatum ecclesiæ, vestes, terras, vineas, equos, boves, omnes denique possessiones, tam mobiles quam immobiles, quas in sæculo habebant. Hos autem omnes cum rebus suis admittit Fromistanus abbas *ad servitium Dei* secundum *regulam beati Benedicti abbatis*, diras imprecatus iis, qui contra sanctæ regulæ traditionem quidquam ex eo loco auferre aut abstrahere tentaverint, aut abbatem eligere citra regulam beati Benedicti & communem loci constitutionem, contra canones & legum decreta, ut fusius legitur in illo instrumento apud Yepesium edito, quod anno vicesimo a prima cœnobii origine, id est æra octingentesima nona-decima, conditum est. Ubi locus in urbem accrevit, constructa est ad sancti Vincentii basilicam nova Salvatoris ecclesia, quæ episcopali honore postmodum ornata est, omnino proxima sancti Vincentii monasterio, quod ob eam causam *monasterium sancti Vincentii ante-altare* in quibusdam vetustis instrumentis cognominatur, unumque veluti corpus cum ecclesia Salvatoris efficiebat. Idem *capella regum* dictum est ab eo tempore, quo reges illa in urbe sedem suam fixerunt. In his Alfonsus sextus Asturiarum decimas omnes regias eidem monasterio liberaliter donavit, cui donationi Alfonsus decimus postea multum detraxit; adeo ut sancti Vincentii monasterium ex opimo quondam & locuplete, tenue & exiguum evaserit. Denique in illa sancti Vincentii basilica sepulti sunt reges Asturicenses, ut merito capella regum appellata sit. Obsoleta fuit ejus monasterii notitia ad initium sæculi undecimi, quo Fortis abbas ei præerat.

* Oviedo.

ANN. CHR. 712.

LXIII. Ettonis episcopi testamentum pro monasterio Etinheimensi.

ANno insequente Etto seu Heddo episcopus Argentoratensis testamentum condidit in gratiam monasterii Etinheimensis, quod olim a Wiegerno episcopo in Nigra-silva, in marcha *Etinhem*, super fluvio Undussa ædificatum in honorem sanctæ Mariæ virginis ac sancti Johannis-Baptistæ, sanctique Petri apostoli, dictumque Cella-monachorum, postmodum ejus successorum negligentia penitus desolatum erat. Hoc igitur monasterium instaurare cupiens Etto, cum consensu Pippini regis & suorum clericorum, quasdam ecclesiæ suæ possessiones eidem loco attribuit, eas præcipue, quas ab Ernusto duce comparaverat; ecclesiasque concessit in stipendium triginta monachorum, quos illic congregavit sub regimine Hildolfi abbatis, eo pacto, ut cœnobialem ibi vitam sub regula sancti Benedicti ducentes, pro stabilitate religionis ac regni Deum precari non desinant. Actum est hoc testamentum in civitate Argentinensi III. idus Martii, anno undecimo regnante Pippino glorioso rege. Subscripsit post Eddonem episcopum Chrodhardus comes. Post mortem vero Heddonis Remedius episcopus decessoris sui testamentum relegit, confirmavit, & subscripsit: cujus ritus multa alia exempla suppetunt, ut jam superius monuimus occasione testamenti sancti Audomari episcopi Morinensis, cujus itidem litteras multi ejus successores nominibus ac signis suis appositis roborarunt. Idem etiam in actis conciliorum aliquando actitatum. Itaque ex hoc loco non inferas cum Cointio, qui hoc testamentum post Guilimannum retulit, Remedium seu Remigium jam ordinatum fuisse episcopum, priusquam Eddo testamentum conderet. Emhardus rogatus hoc testamentum scripsit ac subscripsit. Ceterum non ab re erit hic obiter advertere, falli eos, qui monasterium Etinheimense ab Ettone instauratore suo ita dictum existimant, cum hæc ei appellatio indita sit a marcha *Etinheim*, in qua primitus a Wicgerno episcopo conditum fuerat.

LXIV. Morbacenses abbates.

Eodem anno e vivis excessit Baldebertus episcopus & abbas Morbacensis, qui Romano abbati, sancti Pirminii successori, anno septingentesimo quinquagesimo-secundo suffectus fuerat. In ejus locum ordinatus est hoc anno Heribertus abbas, qui Romam missus post quinquennium memoratur in annalibus Nazarianis, in quibus Amicho abbas in demortui locum suffectus dicitur anno ejus sæculi septuagesimo-quarto. In necrologio Augiensi laudatur ex monasterio Morbacensi Sigimar abbas, qui forte Amichoni successit. Exstat in bibliotheca Morbacensi inter alios codices unus, francogallicis scriptus litteris, Hieronymi epistolas continens, in quarum fine hæc clausula legitur initio paullulum detrita: ... *ricus hunc librum scribere abba rogavit ann.* III. *regni Childerici regis. Quicumque legerit, obsecro ut pro ipso & obedientiam implentibus orare dignetur.* Hæc fortasse aliis occasionem præbebunt divinandi, quis fuerit abbas iste, Morbacensis, an alterius loci.

LXV. Divionenses sancti Benigni.

a Perard p. 10.

b Spicil. to 1. p 402.

In Divionensi sancti Benigni monasterio post Godinum abbatem invenitur Thanothardus abbas, cui Bago presbyter prædia quædam concedit in pago Oscarensi. Donationis instrumentum, quod ejus loci chronographus, omisso abbatis nomine, commemorat, integrum refert Perardus [a] sub hac inscriptione: *Domino sacrosanctæ basilicæ sancti Benigni martyris, sub opido Divionis constructa, ubi venerabilis vir Thanothardus præesse videtur, & Stemarus ac Scirannus presbyteri deservire videntur.* Ad hos tres redacta forte videbitur tota illa sancti Benigni congregatio: at rectius dixeris, hos fuisse prædicti monasterii rectores primarios, ita ut Thanothardus abbas, Stemarus ac Seirannus præpositus ac decanus exstiterint: ut chronographus [b] similem locum interpretatur de David de presbytero, qui sub Waldrico abbate præpositi officio fungebatur. Nulla vero de monachis mentio est neque in his litteris, neque in aliis subsequentibus sub Waldrico abbate Thanothardi successore, sed tantum de presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, clericis ac lectoribus, qui sacri loci custodes appellantur. An monachi ad statum clericorum sæcularium tum desciverant? At nulla instituti monastici mutatio facta legitur in chronico Benigniano: immo sub Aridio abbate, Waldrici successore, Dodo quidam ad conversionem veniens in hoc monasterium, *prædicto abbati Aridio & monachis hujus loci* tradidit,
» quidquid possidebat in villa Salonis aliisque, cum mancipiis eorum locorum, ut ipsi
» servi annis singulis uno die ad mensas fratrum darent frumenti modium unum in
» panem, vini modium unum, cervisiæ modia duo; & pretium unde possint præpa-
» rari duo pulmenta, *secundum quod præcipit regula monachorum*, id est regula sancti Benedicti,

ANN. CHR. 762.

Benedicti, quæ pulmenta duo singulis fratribus ad mensam assignat. Bagonis presbyteri instrumentum factum legitur Divione, in basilica domni Benigni publice, die sabbati proximo post medium mensem Junium, anno undecimo regni domni Pippini regis. Perardus [a] id refert ad annum insequentem: nos cum Cointio consignamus anno præsenti, quo sabbatum proximum post medium mensem Junium in decimumnonum ejus mensis incidebat. Certe hanc vocem *proximo* non præcise de sequenti sabbato, sed indefinite de propiori post medium mensem interpretandam esse nemo non fatebitur, qui tres sequentes apud Perardum chartas expenderit.

[a] Ibidem.

LXVI. Bregwino antistiti Cantuariensi succedit Jambertus.

In Anglia obiit hoc anno Bregwinus archiepiscopus Cantuariensis, & quidem VIII. kalendas Septembris. Ejus obitu vulgato, Jambertus abbas suburbani monasterii sancti Petri seu sancti Augustini, ubi Cantuarienses ante [b] Cuthbertum præsules sepeliri solebant, cum armata manu ad episcopale palatium accessit, defuncti antistitis corpus vi sublaturus, si non ultro permitteretur. at cum illud jam sepultum invenisset, altera jam vice frustratus, domum vacuis manibus reversus est, appellatione ad summum pontificem pro sui monasterii jure ac gravamine interposita. Hujus constantiam veriti cathedrales monachi sancti Salvatoris, eumdem Jambertum in demortui pastoris locum postularunt. quo facto, Augustiniani monachi a prosecutione appellationis ob electi reverentiam destiterunt. Jamberto in archipræsulem assumto, Ethelnodus sancti Petri regimen suscepit ad annos viginti-quinque. Ejus successores fuere Gutardus, & Cunredus, qui sub initia sæculi sequentis a Wlfredo archiepiscopo benedictus est.

[b] V. supra n. 41.

ANN. CHR. 763.

LXVII. Prumiensis cœnobii primordia, & primus abbas Asuerus.

POstero anno consignamus primarias litteras Pippini regis de constructione monasterii Prumiensis, quod eo tempore ab eodem principe & Bertrada regina in saltu Arduennæ conditum est ad Promeam amnem, Ausonio laudatum, aliis Prumiam, qui celebri monasterio cognomen dedit, sito in Eiffliæ tractu, triginta-quinque circiter passuum millibus a metropoli Trevirorum versus septemtrionem. De hujus cœnobii origine agens Wandalbertus ejus loci monachus in libro de miraculis sancti Goaris confessoris, memoriæ prodit, excellentissimæ memoriæ regem Francorum Pippinum, patrem famosissimi imperatoris Caroli, amore Christi, & uxoris suæ sanctæ recordationis Bertradæ rogatu provocatum, hoc monasterium construxisse, constitutis in eo monachis, qui Deo sub regulari ordine militarent; eisque venerabilem Asuerum regiminis præfecisse officio, qui eidem loco annis quinque & quadraginta feliciter præfuit. Rem accuratius Pippinus ipse commemorat in primariis litteris, quas de illius monasterii origine & dotatione scribi jussit, nobis ex archivo Prumiensi transmissas a reverendissimo patre Alexandro abbate sancti Maximini apud Treviros, prout in appendice hujusce voluminis editæ sunt. In his litteris quædam pie præfatus Pippinus, ait, se, conjugemque suam Bertradam, amore Salvatoris & sanctæ Dei genitricis Mariæ, atque apostolorum Petri & Pauli ac sancti Johannis-Baptistæ, necnon sanctorum martyrum Stephani, Dionysii & Mauricii, atque confessorum Martini, Vedasti, ac Germani, monasterium in fundo proprio ædificasse infra terminos Bidensis * pagi atque Arduennæ, ubi rivulus *Berdenbach* influit in Prumiam: cujus in monasterii ecclesia de sandaliis Christi Domini, necnon de sanctæ ipsius genitricis Mariæ, aliorumque sanctorum reliquiis posuisse, ibidemque monachos collocasse, qui sub sanctæ conversationis norma ac præcedentium patrum debeant exerceri, & sub sancta regula quiete vivere, beatorum patrum vitam sectaturi. Proinde sibi cogitandum esse, quo pacto sacerdotes atque monachi ibidem futuri necessaria vitæ subsidia & tranquillitatem habituri sint, ut simul conjuncti, Deo omnipotenti die noctuque laudes referre valeant. Idcirco se una cum Bertrada regina eidem sanctissimo loco rem proprietatis suæ donare, sitam in pago Chorosvilla, quæ dicitur *Rumeresheim*, tam illam portionem, quæ de genitore suo Carolo sibi provenerat, quam portionem ipsius Bertradæ, quam *genitor* ejus *Heribertus ei in dotem reliquit*. Ad hæc præter alia prædia conferre cellas tres, unam sancti Medardi in vico Altrepio ad Rhenum; alteram sancti Petri apud Casleacum; tertiam sanctæ Mariæ in pago Lomensi ad Mosam. Ceterum se sub suam tutelam suscipere ejus loci congregationem monachorum, & abbatem, nomine Asuerum: quo mortuo, eis liceat successorem eligere *de congregatione domni Romani & Wolfranni episcoporum, quos in hoc cœnobio sancti Salvatoris congregavit*. His litteris subscribunt

* de Bidburg.

ANN. CHR. 763.

post Pippinum ac Bertradam duo eorum filii, Carolus & Carolomannus; & post eos episcopi Genebaudus Laudunensis, Gauzlenus Cenomannensis, Fulcaricus Tungrensis, Adalfredus Noviomensis, Wlfrannus Meldensis, Megingaudus Wirziburgensis, Berthelmus Coloniensis, Basinus Nemetensis seu Spirensis; omniumque postremus, qui primus esse debuerat, Weomadus Trevirensis. Episcopis succedunt comites novem, Droco, Theodardus, Warinus, Welantus, Waltharius, Herloinus, Gumbertus, Raculfus, & Warinus alter. Bradilo litteras recognovit, datas apud Frisgodios villam publicam, tertia-decima die Augusti, *anno undecimo regnante Pippino rege*. Mihi perquam veri simile est, coloniam Prumiensium monachorum eductam fuisse ex monasterio sanctæ Crucis seu sancti Faronis Meldensi, quæ *congregatio* dicitur *domni Romani & domni Wolfranni episcoporum*, qui unus post alterum Meldensi ecclesiæ præfuerunt, quo tempore regularis disciplina in illo monasterio apprime florebat, ut Otgeri monachi factum probat, inferius memorandum.

LXVIII. S. Præjecti reliquiarum translatio Flaviniacum.

Eodem anno facta videtur translatio reliquiarum sancti Præjecti episcopi & martyris in Flaviniacense Burgundiæ monasterium e Volvicensi apud Arvernos cœnobio, ubi sancti martyris corpus primitus sepultum fuerat. Hæc translatio curata est a Manasse abbate Flaviniacensi, qui *corpus sancti Præjecti* Volovico Flaviniacum dicitur intulisse VIII. *idus Octobris*. ubi corporis nomine insignem partem reliquiarum intellige, si quidem alia ex eodem loco in Veromandensem sancti Quintini basilicam translatio sæculo insequenti facta est. Hactenus Flaviniacenses nostri caput sancti Præjecti religiose asservant. Idem Manasses cellam Corbiniaci, favente Carolomanno rege, exstruere tentavit, sed non perfecit. quod opus Eigiloni abbati reservatum. Locus est in pago Burgundiæ Morvinensi, sic dictus a Corbone, patre Widradi abbatis & conditoris monasterii Flaviniacensis.

LXIX. Opportuna abbatissa Monasterioli.

Florebat hoc tempore in Neustria Opportuna abbatissa Monasterioli, id proprium loci vocabulum, quod prope Sagium urbem in saltu Algiæ situm, forte conditum est a sancto Ebrulfo Uticensi abbate, qui monasteria quindecim, tam virorum, quam mulierum, illis in partibus exstruxisse traditur. In hoc cœnobium se recepit Opportuna, illustri genere orta in Oximensi * Neustriæ pago, cujus virginis parentes *regalis prosapia apice florentes* fuisse perhibentur. Ejus germanus Chrodegandus Sagiensi ecclesiæ tum præerat, cum illa Monasteriolum urbi vicinum regebat. Vita ejus sanctissima, victus rigidissimus; vigiliæ in totam noctem frequentes. Sæpe jejuna solidos dies, maxime quartis ac sextis feriis; ceteris diebus ad vesperum pane hordeaceo & cibariis vilissimis corpus reficiebat. Solis dominicis pisciculis vescebatur. Vino prorsus & esu quadrupedum abstinens, ipsa interim in alias sorores indulgentissima erat. Nullum vestis in æstate & hieme discrimen; pro lecti stragulo stratum cilicinum. Mira in regimine prudentia fuit, nec impar in precibus fides, quibus nihil non a Deo impetrabat.

* *Hiesmo.*

Per id tempus Chrodegandi subiit animum Romam adeundi devotio. Discessurus Sagiensem ecclesiam commendavit Chrodoberto, affinitate sibi conjuncto, qui tum præses Oximensis pagi fuisse traditur. Is, necessitudine & affinitate postposita, non tantum res ecclesiæ diripuit, verum etiam absentis sedem invasit, & contra decreta canonum, vivente Chrodegando, se episcopum ordinari curavit, pro benedictione maledictionem incurrens. Reversus post annos septem Chrodegandus, invasorem de restituenda sede admonet. Ille vero petenti annuere simulans, de ejus nece tractat cum nefario quodam homine, quem Chrodegandus e sacro fonte susceperat. Forte pius antistes in cœnobium virginum, Almanniscas dictum, pergebat, ut venerabilem Lanthildem abbatissam, affinem suam, inviseret, & cum ea de rebus divinis colloqueretur. Proximus erat hic locus Monasteriolo, quod recentiores cum Almanniscis confundunt, repugnante Adelhelmo episcopo vitæ sanctæ Opportunæ scriptore, qui alterum ab altero distinguit, duasque eodem tempore abbatissas, Opportunam Monasterioli, Lanthildem Almanniscarum. Cum per prædium Nonantum Chrodegandus transiret, ejus filiolus jussu impii Chrodoberti in pium antistitem, præmisso in Judæ morem osculo, irruit, eumque semel & iterum gladio in sinciput percussit. Non sera impii parricidæ ultio fuit: qui eodem loco a dæmone correptus, morte repentina meritas pœnas luit. Chrodobertus quoque cædis auctor brevi misere periit. Chrodegandi corpus Lanthildis abbatissa loco movere non potuit, quod Opportuna sine Monasteriolum nullo negotio transtulit.

ANN. CHR 764.

LXX. Laureshamensis monasterii initia.

QUas præsenti anno Cointius consignat Laureshamensis monasterii primarias litteras, has anno insequenti septingentesimo sexagesimo-quarto reponunt annales Lanreshamenses. Tota discriminis ratio petitur ex notis chronicis ejus instrumenti, expressis IV. idus Junii, anno Pippini regis duodecimo, quem Cointius anno ejus sæculi sexagesimo-tertio, annales prædicti sexagesimo-quarto alligant. Accuratior videtur calculus prior: at forte in litteris illis rotundo numero Pippini principatus initus est a kalendis Januariis anni quinquagesimi-tertii, tametsi ante aliquot superioris anni menses inchoatus fuisset. qua forsan ratione chartæ quædam sancti-Gallenses explicandæ sunt. Situm erat Laureshamense monasterium in insula diœcesis Moguntinæ, *Aldenmunster* postmodum appellata. Monasterii auctor Cancor, illustris Rhenensis pagi comes, cum religiosa matre sua Williswinda, olim conjuge Rutperti comitis, quæ Paulo Warnefridi Chillisuindis nuncupatur. Horum consanguineus erat Chrodegangus Mettensis antistes, cui instituendum ac informandum commiserunt novum monasterium, quod nullius, ne quidem episcopi, juri ac dominio subjectum esse voluerunt. Ejus loci basilica ab eodem pontifice primitus in honorem sancti Petri apostoli consecrata, quæ postea sancti Nazarii, ob advectas illuc ejusdem martyris reliquias, dicta est. Marquardus Freherus vulgavit primus ejus monasterii annales, a Chesnio [a] deinde recusos, in quibus primarium conditi cœnobii instrumentum integrum refertur. Ejus summa hæc est. « Williswinda Deo sacrata, & filius ejus Cancor comes, pro animæ suæ remedio, æternaque mercede, sacrosanctæ ecclesiæ sancti Petri a se constructæ in loco nuncupato *Lanresham*, in pago Rhenensi, super fluvium *Wisgoz*, ubi jam tum præerat *venerabilis Ruodgangus archiepiscopus & abbas*, donant villam suam pagi Wormatiensis cum appendicibus suis, sitam in loco, qui dicitur *Hagenheim*, super fluvium Salusiam, quæ Williswindæ de parte genitoris sui Adelhemi legibus obvenerat: ita ut ab hac die jam dictus domnus Ruodgangus vel sui monachi, qui in eodem monasterio jam habitabant, eorumque successores hæc omnia teneant atque possideant, cum libera quidvis ex eis faciendi facultate. His litteris subscribunt post donatores, Heimericus filius Cancronis, Weomadus Treverorum episcopus, in editis corrupte Automadus, Albericus Cameracensis & Johannes Constantiæ ad Rhenum episcopi. Helmericus notarius jussu Ruodgangi archiepiscopi scripsit anno duodecimo domni Pippini regis, IV. idus Julii. » His in litteris Ruodgangus seu Chrodgangus Mettensis antistes archiepiscopi titulo insignitur ob acceptum ab apostolica sede pallium; quem titulum nonnullis ejusdem sedis episcopis ob eamdem causam tributum fuisse jam observavimus. Abbas Laureshamensis appellatur per excellentiam, quod ei monasterium informandum principio commissum sit. verum, cum propter episcopales & palatinas sollicitudines huic muneri sufficere non posset; sui loco præfecit Gundelandum germanum suum, prudentem admodum & sanctæ conversationis virum, qui primus abbas in annalibus ponitur. Primorum ejus loci monachorum colonia deducta e Gorziensi monasterio, quod idem Chrodegangus ante annos quindecim exstruxerat. Ejus coloniæ duces fuere Reginfridus & Ulvinus, qui alios quatuordecim fratres, maturæ ætatis, Deique timentes, eo secum adduxisse traduntur.

[a] Chesn. to. 3. p. 490.

Gundelandus abbas.

LXXI. S. Stremonii translatio Mauziacum.

Eodem tempore sancti Stremonii primi Arvernorum episcopi & martyris reliquiæ e Volvicensi monasterio in Mauziacense translatæ sunt. Stremonius, quem alii Astremonium seu Anstremonium nuncupant, primo sepultus est Iciodori *, quod opidum est apud Arvernos, ad confluentes Bessæ * & Elaveris *, sexta leuca supra urbem Arvernorum. Com locus ob varias clades omnino incultus jaceret, sacrum martyris corpus in cœnobium Volvicense ab Avito episcopo translatum. Mauziacense monasterium regebat venerabilis Lantfredus, cum Pippinus rex, post expeditionem Aquitanicam hoc anno factam, apud Arvernos moraretur. Hunc adiit religiosus abbas, supplicans, ut sibi ad decorandum monasterium suum cujuspiam ex illustrioribus Arvernorum sanctis reliquiæ concederentur.

* *Issoire.*
* *La Besse.*
* *L'Allier.*

Unus Lantfredus abbas.

Forte Volvicum accessit Pippinus, & factæ sibi petitionis memor, sancti Stremonii, primi Arvernorum apostoli, reliquias illic asservari, easque in Mauziacensi monasterio decentius habendas esse intellexit. Id a principe suggestum Lantfredo abbati, qui cum ingenti lætitia Volvicum adit, regisque jussu sacras beati Stremonii reliquias sibi dari postulat, ad indicium regiæ auctoritatis secum habens Josephum

ANN. CHR. 764.

regis apocrisiarium seu cancellarium, qui post ipsius regis decessum Tiernensis apud Arvernos monasterii abbas factus est. Non fuit integrum Volvicensibus regiæ auctoritati reluctari. Aperto mausoleo sublatæ reliquiæ, quibus obviam Pippinus ipse processisse dicitur, Adeberto Arvernorum antistite sacræ pompæ præsidente, qui ibidem post mortem sepeliri voluit. Hæc translatio facta est anno ejus sæculi sexagesimo-quarto, & quidem mense Februario ineunte.

Eidem translationi interfuisse dicitur Roggerius seu Rotgarius Aquitaniæ comes, qui ab ipso principe Pippino caput sancti martyris obtinuit, illudque in castro sui juris apud Arvernos, cui Petra-incisa * nomen est, collocavit. Postea vero, constructo Carrofensi apud Pictones monasterio, idem comes prædictum castrum Carrofensibus subjecit. Processu temporis idem caput sancti martyris Iciodorum denuo translatum, Iciodorensi monasterio exstruendo occasionem dedit. Alius sæculo insequente Lantfredus ejusdem Mauziaci abbas exstitisse dicitur, qui a Pippino Aquitaniæ rege, Ludovici Pii filio, præceptum obtinuerit ad recuperandas monasterii sui possessiones. Exstat hoc diploma in fusiori Gallia christiana & apud Cointium, aliosque, in quo legitur, Lantfredum abbatem adiisse regiam Pippini majestatem, eique attulisse litteras gloriosi patris Calminii, ejusque conjugis Namadiæ, monasterii conditorum; ac præcepta Theuderici regis, filiique ejus Chlodovei, prædictis Calminio & Namadiæ, necnon abbati Euterio, totique congregationi sancti Petri apostoli, pariterque sancti Caprasii martyris concessa: ut ea Pippinus ipse confirmare dignaretur. quod non modo ipsis annuerit princeps, sed etiam possessiones ab externis occupatas restitui jusserit. Verum unum & eumdem esse utrobique Pippinum Francorum regem, unum & eumdem Lantfredum abbatem dubitare non licet. siquidem in hoc diplomate Pippinus quædam prædia confert beato Austremoio primo præsuli Arvernorum, *cujus sacra ossa*, inquit, *ab Vulvico ad ipsum nostrum cænobium transtulimus*. quod soli Pippino Francorum regi, non æquivoco ejus abnepoti Aquitaniæ regi convenire potest. Idem diploma quidam diaconus *ad vicem Adeberti episcopi* recognovit, ejus scilicet, qui prædictæ translationis sacræ pompæ præfuit. Vitiosæ sunt in editis chronicæ ejus diplomatis notæ, dati Arvernis publice kalendis Februarii. quod tempori factæ translationis congruit. Corrigendus itaque Pippini regis annus in illo diplomate, quod anno ejus tertio-decimo aut quarto-decimo, non decimo-nono datum fuisse veri simillimum est, absque nota indictionis, quæ in regiis diplomatibus necdum usu recepta erat.

* Pierrencise.

LXXII. Lesciensis monasterii origo.

Ad hoc idem tempus revocanda sunt initia Lesciensis seu Lætiensis * in Hannonia monasterii, quod Wibertus comes una cum Ada uxore sua in pago Teorascensi * ædificavit. Wibertus, apud Pictavos nobilissimo genere procreatus, cum forte Pippini regis partibus adversus Waifarium Aquitaniæ ducem faveret, orto inter utrosque acri bello, ad Pippinum perfugere compulsus fuit, a quo multas possessiones inter Hainoënsem ac Teorascensem pagos accepit, in his prædium Lescias seu Lætias ad fluvium Helpram: ubi postea divino instinctu basilicam in honorem sancti Landeberti episcopi & martyris cum monasterio ædificari curavit. Basilicæ dedicatio a Cameracensi episcopo diœcesano facta traditur III. nonas Novembris. Illustribus conjugibus unus erat filius, Guntradus nomine, cum duabus filiabus, Hiltrude ac Berta. Guotradus a puero sacris eruditus litteris, monasticisque disciplinis institutus, Lætiensi monasterio præficitur, Hiltrudis virginitatem professa, nuptias fugit Hugonis principis, qui Bertam minorennem in matrimonium duxit. Hiltrudis, accepto velo, secessit ad locum monasterio proximum ad aquilonarem oratorii plagam, ubi per septemdecim annos reclusa vixit, identidem Guntradi fratris, ut altera Scholastica, colloquiis recreata. Eidem parentes testamento legaverunt quasdam possessiones a villa Molihamio ad Seanescum, quæ post ejus obitum Lætiensi monasterio provenire deberent. Hujus donationis litteras plumbo sigillatas in ejus tumulo repositas fuisse tradunt, quæ principatu Heinrici augusti, eo nomine primi, aperto virginis tumulo, inventæ atque igne crematæ sint.

* Liessies.
* La Tierache.

LXXIII. Dononiensis item, Elewangensis & Putei-Orbis

Ad hæc Dononiense in Belgio monasterium, itemque Elewangense in Augustana diœcesi, necnon Putei-Orbis in Lingonensi tunc condita creduntur: quorum primum ac tertium virginum, medium virorum erat. Dononiensis * parthenonis auctores Aldebertus Austrovandiæ comes, & Regina ejus conjux, ambo pro sanctis habiti. Ragenfredis, eorum filia, prima loci antistita fuisse dicitur. Monasterium, bea-

* Denain.

ANN. CHR. 764.

tissimæ virgini Mariæ & sancto Martino dicatum. Elewangensis conditorem asserunt Herulfum seu Hariulfum episcopum Lingonensem, qui ex eodem pago ortus erat. Hoc monasterium ad Jagistam seu Jaxtum amnem, qui dexteram Nicri ripam in hodierno palatinatu Rheni subit, situm erat, quod medio sæculo quinto-decimo a monachis Benedictinis ad sæculares canonicos deflexit. Denique Putei-Orbis * abbatiam per ea tempora in decanatu Mulismensi conditam fuisse Jacobus Vignerius opinatur ex conjecturis, ut putat, probabilibus, quas tamen non exponit in brevi suo chronico Lingonensi. Perstat etiam-nunc hæc abbatia, sed loco tantisper mota, cujus sanctimoniales Benedictinæ in opidum Castellionem ad Sequanam translatæ sunt, amissis vetustis documentis, ex quibus earum probari posset antiquitas.

* *Le Puis-d'Orbe.*

LXXIV. Ottemburanum monasterium conditur.

At præ his insigne fuit monasterium Ottemburanum seu Uttemburanum, in Sueviæ amœno loco positum ad Gunzium * fluviolum in diœcesi Augustana. Hujus loci basilica nuncupata est sanctis martyribus Alexandro & Theodoro, quorum reliquias eo transtulit Toto abbas primus, cujus parentes Silachus & Ermilwinda cœnobium illud fundasse perhibentur in kalendario domestico, cujus hæc verba: XIII. *kalendas Decembris obiit Toto noster abas, qui corpus sancti Alexandri huc attulit, & cujus parentes locum istum fundaverunt.* Conditum a Silacho tradunt cum consensu Ermiswintæ conjugis, filiorumque Gozberti episcopi, Totonis clerici, & Tageberti comitis: e quibus Toto, clericali toga monastica permutata, primus eidem monasterio præfectus est, illudque rexit per annos quadraginta-octo, mortuus anno supra octingentesimum decimo-septimo, XIII. kalendas Septembris. Hunc pro sancto habent Ottemburani nostri, tametsi anniversario defunctorum officio ei quotannis parentant. Totoni suffectus Milo abbas, laudatur in necrologio Augiensi in hæc verba: *Ex monasterio Uttimbura Milo abba.* Nitkarius ejus successor Augustanæ urbis episcopatum adeptus est, ut suo loco videbimus.


* *Gunz.*

LXXV. Pippini regis chronicæ notæ ex variis litteris.

Huc citare juvat litteras donationis, a Sighifrido Alsacensi comite factas Altmanno filio suo, propterea quod, etsi ad institutum nostrum proprie non pertinent, chronicas Pippini regis notas continent, observatione haud indignas. Extant litteræ illæ in chartaceo codice monasterii Gregoriani in Alsatia, quarum exordium & finem hic apponimus. *Dilectissimo & amantissimo filio meo Altmanno, ego in Dei nomine Sighifridus comes, cogitans pro Dei amore, ut tibi tradidissem res meas in pago Alsacense: & ipsa res sunt in villas nuncupatas in fine Sigelsheim, &c. Datum quod fecit die dominico, VIII. kalendas Aprilis, anno undecimo regnante domno Pippino glorioso rege.* quæ notæ anno præsenti sexagesimo-quarto conveniunt, cujus anni dies octavus ante kalendas Aprilis littera dominicali G præditus erat. Hic autem annus Pippini undecimus erat ab inunctione ejus per Stephanum papam facta. atque adeo anni Pippini regis diversimode subinde numerati; passim ab ejus coronatione facta per Bonifacium, aliquando ab inunctione ejusdem per pontificem, quæ priorem triennio subsecuta est. Haud scio an eodem calculo usus est notarius in scribenda charta cujusdam [a] traditionis Fuldensis, anno duodecimo Pippini regis factæ *in manum Styrmes abbatis, & in manum Hruadlauga abbatisse:* cujus donationis media pars *ad casam sancti Bonifacii martyris,* id est ad monasterium Fuldam, pertineat, altera *ad casam sanctæ Mariæ,* cui Hruadlauga præerat. An hæc eadem sit cum Hadeloga abbatissa superius [b] laudata, haud proclive est definire. Alium iniere calculum plerique alii, ut in superioribus vidimus, annos Pippini computando ab anno septingentesimo quinquagesimo-primo, quo primum rex Francorum communi populorum assensu dictus est. Hoc in genere censendum est chartarii Dervensis instrumentum, quo Erlesenna quædam res suas, sitas in villa Brachei, id est ecclesiam sancti « Petri, aliaque, & solidos duos confert ad mensam fratrum in sollemnitate sancti Pe- « tri, quæ III. kalendas Julii celebratur; *data in die Mercurii, VIII. kalendas Julii,* « *nono anno regnante Pippino rege.* quæ notæ chronicæ anno septingentesimo sexagesi- « mo-primo respondent.

[a] *Fuld. trad.* p. 493. Hruadlauga abbatissa.

[b] *Lib.* XX. n. 33.



ANN. CHR. 765.

A N N A L E S
O R D I N I S
S. B E N E D I C T I.

LIBER VICESIMUS-QUARTUS.

Ab anno Christi 765. ad annum 779.

I. Attiniacensis conventus.

1. NNUS Christi septingentesimus sexagesimus-quintus, à quo hic liber ducit initium, duabus maxime rebus insignis fuit, nempe placito seu conventu Attiniacensi; & translatione reliquiarum sanctorum martyrum Gorgonii, Naboris & Nazarii in tria nostri ordinis monasteria. Attiniacensis conventus meminere plerique Francorum veteres annales; sed quid in eo actum sit, non commemorant. Id vero partim discimus ex indiculo, apud Labbeum [a] edito ex schedis Hulstenianis, in quo recensentur nomina episcoporum & abbatum, qui apud » villam publicam Attiniacum pro causa religionis ac salute animarum congregati, » inter cetera salubriter, sapienterque definita, hoc quoque communi cunctorum de» creto statuerunt: ut unusquisque illorum, quorum nomina in hoc indiculo subter » scripta reperiuntur, quando quilibet eorum de hoc sæculo migraverit, centum psal» teria, & presbyteri ejus *speciales missas* centum cantent: quilibet autem episcopus » triginta missas ipse celebret, nisi infirmitate, aut aliquo impedimento prohibeatur. » Abbates vero, *qui non sunt episcopi*, rogent episcopos, ut vice illorum ipsas trigin» ta missas expleant; & presbyteri eorum centum missas, & monachi centum psal» teria recitent. Ubi mirum est abbates, *qui non essent episcopi*, rogasse episcopos, » *ut vice illorum* triginta missas persolvant. quod eo sensu intelligendum videtur, ut » pro ipsis, cum mortui forent, singuli episcopi triginta missas celebrent, ut in alio Bajoariæ concilio postea [b] constitutum est. cur enim ipsi non persolvissent, si modo fuissent presbyteri? Ubi observare licet, abbates monasteriorum non paucos tunc episcopali charactere præditos fuisse: quales nonnulli huic indiculo subscribunt. De his omnibus, tam episcopis quam abbatibus, quædam hoc loco notanda sunt, omissis tamen eorum episcoporum nominibus, quorum commemoratio proposito nostro nihil conducit.

a Conc. to. 6. col. 1702.

b Infra num. 44.

II. Episcopi monachi hujus conventus.

Primus inter illos occurrit *Hrodegangus* seu Chrodegangus (sic enim perinde sonat utrobique adspiratio) *episcopus civitatis Mettis*. Ex quo intelligitur, eum in Francia exstitisse post pascha, quo hic conventus habitus est. Qui Chrodegangum sub-

ANN. CHR. 765.

ſequitur *Eddo epiſcopus civitatis Stradburgi*, ex Augienſi monaſterio aſſumtus fuerat; *Lullo* ſeu Lullus *epiſcopus civitatis Maguntiaci*, ex-diſcipulo ſancti Bonifacii ſucceſſor. *Baldebertus epiſcopus civitatis Baſia* ſeu Baſileæ ex-abbate Morbacenſi. *Wlframnus epiſcopus civitatis Meldis*, in necrologio Augienſi laudatur ex monaſterio ſanctæ Crucis ejus urbis ſeu ſancti Faronis. *Megingozus epiſcopus civitatis Wirziaburgo* ex familia itidem ſancti Bonifacii erat. *Willicharius epiſcopus de monaſterio ſancti Mauritii*, an idem ac Wilicarius, Viennenſis ante eccleſiæ præſul, primus eſt ex epiſcopis monaſteriorum, qui huic indiculo ſubſcripſerunt. Secundus eſt *Theodulfus epiſcopus de monaſterio Laubias*; tertius *Hippolytus de monaſterio Eogendi* ſeu Augendi ſive Condateſcenſis, idemque Bellicenſis epiſcopus. quartus *Jacob epiſcopus de monaſterio Gamundias* ſeu Humbacenſi, ſucceſſor ſancti Pirminii, epiſcopi item & abbatis Gamundienſis. quintus *Willibaldus epiſcopus de monaſterio Aichſtadi*, in quo ſedes epiſcopalis monachorum erat. *Madalfeus* ſeu Madalveus *epiſcopus civitatis Wirdunis*, qui monachos in ſancti Vitoni baſilicam induxit. *Tello epiſcopus civitatis Coeradiddo*, ex monacho & abbate Deſertinenſi. Hic mendum videtur irrepſiſſe in nomen civitatis *Coëra* ſeu *Curia*, & forte Diddo alterius epiſcopi nomen eſt.

III. Abbates ejusdem.

Subſequuntur abbates, qui eidem placito ſeu conventui interfuerunt, *Fulradus abbas de monaſterio ſancti Dionyſii*; *Lansfridus abbas de ſancto Germano* apud Pariſios; *Johannes abbas de ſancto Flodoaldo* ſeu Chlodoaldo, prope eamdem urbem. *Druthgangus abbas de Gemetico*; *Witlecus abbas de Fontanellas*. ſic nomina locorum abſque flexione efferebant. *Witmarus abbas de Centula*. quo ex loco regiminis ejus tempus certo adſtruitur. Is eſt Widmarus abbas, qui una cum Gerberto abbate ad Paulum papam a Pippino miſſus fuit, ex epiſtola decima-ſeptima codicis Carolini. In veteri indice ſollemnitatum monaſterii Centulenſis notatur IV. idus Martii feſtus dies *ſancti Widmari abbatis*. *Leodharius* ſeu Leutcharius, aliis Leodegarius, *abbas de Corbeia*. *Manaſſes abbas de Flaviniaco*. *Aſinarius abbas de Novaliciо*. *Waldo abba de ſancto Johanne* ſeu de monaſterio Reomao. *Rabigaudus abbas de Busbrunno*, in editis mendoſe *Fabigaudus*, laudatus in necrologio Augienſi *ex monaſterio Bucsbrunno*, cujus nullam aliam notitiam habemus. Rabigaudus abbas, una cum Poſſeſſore epiſcopo Romam ad Hadrianum papam miſſus a Carolo eſt, alius an idem, mihi non conſtat. nam alius cognominis abbas tunc erat Aninſulenſis, de quo inferius. Rabigaudum ſequitur *Godobertus abbas de Rusbacis*, forte *Rasbacis* ſeu Reſbacis, in pago Meldenſi. *Athalbertus abbas de Fabarias*. unde corrigendus index Bucelini. Athalberto ſeu Adalberto forte ſucceſſerunt Audomar, Werdo, & Creſpio abbates, qui in prædicto necrologio laudantur ex cœnobio Favarienſi. *Widradus abbas de ſancta Columba* prope Senonas. *Ebarſindus abbas de Altaha*. Hic unius Altahæ mentio, nempe Inferioris, ejus nominis monaſterii apud Bajoarios. *Geraus abbas de Nivella*, legendum *Nigella*, quod monaſterium eſt pagi Trecenſis. *Ragingarius abbas de Utico*, ſeu ſancti Ebrulfi in parochia Sagienſi.

IV. S. Goaris cella Asuero abbati Prumiensi concessa.

Hic deeſſe videtur nomen Aſueri abbatis Prumienſis, qui cellam ſancti Goaris a Pippino rege accepit in conventu illo Attiniacenſi. quod qua ratione factum ſit, Wandalbertus ſeu Wandelbertus, ejus loci monachus ac diaconus, ſic commemorat. Poſtquam Pippinus rex, rogatu Bertradæ conjugis ſuæ ſanctæ recordationis, Prumienſe monaſterium conſtruxiſſet, eique præfeciſſet venerabilem virum Aſuerum; contigit aliquando, ut Bertrada regina e monaſterio in Wangionum provinciam iter agens, ad cellam ſancti Goaris declinaret, ubi tunc quidam Erpingus rectoris nomine præerat; nec quidquam rerum neceſſariarum illic inveniret. Rem, ut erat, Pippino retulit, incongruum eſſe dicens, eo in loco humanitatem hoſpitalitatis deſiderari, ubi quondam ſub beato viro hæc eadem virtus quam maxime viguiſſet. Ad hæc rex pollicetur id quantocius pro temporis opportunitate emendandum. Ejus rei memor princeps, in generali conventu Attiniaci habito, Aſuero abbati, qui præſens aderat, ſancti Goaris cellam regendam commiſit, hortatus, ut eam congrue ordinaret, atque hoſpitalitati competentem efficeret. Hæc prima fuit ejus cellæ cum Prumia monaſterio ex mandato Pippini regis facta conjunctio: tametſi hæc cella non ipſi monaſterio & monachis tum ſubjecta fuerit, ſed abbati tantum beneficii jure conceſſa. Carolo Magno regnante, orta eſt Trevirorum pontificem tunc Weomadum inter & Aſuerum abbatem de hac cella contentio, aſſerente epiſcopo, eam ad jus eccleſiæ ſuæ pertinere. Miſſis dominicis commiſſa cauſa, judicatum eſt, cellam

ANN. CHR. 765.

illam regii juris esse; ac proinde Asuero abbati jussu regis legitime traditam fuisse. Instante nihilo minus episcopo, ipse gloriosus princeps Carolus, conventu generali ad Lippiam Saxoniæ fontem habito, sub sacramento Ratberti tunc ejusdem monasterii causidici ac duodecim testium, pronuntiavit, eam possessionem non ecclesiæ Trevirorum, sed regio tantum dominio competere. quo facto, idem rex cum suorum consensu hanc cellam monasterio Prumiæ regio diplomate tradidit, in perpetuum deinceps cum rebus suis in usus necessarios fratrum Deo ibidem servientium cessuram. Hujusce donationis diploma in archivis ipsius monasterii suo tempore asservatum fuisse idem Wandalbertus auctor est.

V. Jacob Tullensis episc. sepultus apud S. Benignum.

a Spicil. to. 1. p. 446.
b Petr. Dam. opusc 19. c. 7.

Qui præmissò indiculo subscripsit Jacob episcopus ex monasterio Gamundiensi, idem Tulli-Leucorum episcopus fuisse [a], Romamque profectus traditur: dumque ex urbe rediret, accessisse ad tumulum sancti Benigni martyris, adductus fama miraculorum, quæ meritis ejus ibidem divinitus patrabantur: ubi morte interceptus, juxta beati martyris tumulum condigna sepultura donatus est. Hujus episcopi meminit Petrus Damiani [b] in opusculo de abdicatione episcopatus: at sancto Hildulfo æqualem perperam facit. Jacob sororem habuit, Liliosam nomine, quæ prædium quoddam suum, id est Brittiniacam-curtem, in confinio Tullensis & Lingonensis parochiarum sitam, sancto Benigno donavit pro fratris sui sepultura: ubi ecclesia in honorem sancti Benigni ab ejus monachis erecta est, miraculis etiam illustrata. Cella est etiam nunc eidem monasterio subjecta, & sancti Benigni * nomen hactenus retinens, quam Arnulfus prior, ineunte sæculo undecimo, erexit, magna illic exstructa basilica, cui officinas, ceteraque habitacula monachis utilia adjecit; sicque nobile ibi cœnobium constituit, possessionibus ac terris auctis.

* S. Blin.

VI. S Gorgonii aliorumque reliquiæ in Franciam allatæ.

Nunc agendum de translatione corporum sanctorum martyrum Gorgonii, Naboris atque Nazarii, quæ hoc anno ex urbe Roma in Franciam facta traditur. Ejus auctor Chrodegangus Mettensis antistes reliquias sancti Gorgonii in Gorziensi monasterio ab se condito; sancti Naboris in Hilariaco, & sancti Nazarii in Laureshamensi reponendas curavit. Hanc translationem Chrodegangus per se ipse exsecutus dicitur in historia hac de re scripta per monachum Gorziensem anonymum, qui sæculo decimo vixit. at in chronico Laureshamensi has reliquias a Paulo papa dicitur postulasse per legatos: Paulus vero ei transmisisse per Williharium Sedunensem episcopum. Huic sententiæ illud favet, quod cum Attiniacensi conventui, paullo post pascha hujus anni habito, interfuerit Chrodegangus, hanc translationem eodem anno ipse procurare vix potuit. Quamquam cum hæc in Gorziensibus monumentis IV. idus Martii facta dicatur, ex Romano itinere opportune reverti potuit episcopus, ut eidem conventui adesset. Porro eadem est de Williliario Sedunensi episcopo difficultas, si idem est cum Wilicario episcopo ex monasterio sancti Mauricii, qui itidem eidem conventui præsens fuit. At nihil obstat, quo minus duos esse quis sentiat, cum parum veri simile sit, Wilicarium episcopum cessisse episcopatu Viennensi, ut alterius ecclesiæ regimen susciperet. Verum de his sentiat quisque ut lubet. Gorziensis anonymus multa refert de hac translatione singularia, in primis sancti Gorgonii reliquias, cum ad sancti Mauricii monasterium pervenissent, ab Agaunensibus monachis furtim e loculo sublatas fuisse; sed postea, re comperta, jussu Pippini regis, missis Virdunensi ac Tullensi episcopis cum duce provinciæ, Chrodegango restitutas, qui eas tandem Gorziæ deposuerit. In perantiquo kalendario Laureshamensi adventus sancti Nazarii *Lauresham* v. idus Julii notatur. In sancti martyris occursum ad Vosagum usque processit tota fere provincia cum nobilissimis comitibus Cancore & Warino, qui sacrum hunc thesaurum propriis humeris in destinatum locum detulerunt. Versus [c] in sepulcro sancti Nazarii edidit Theodulfus Aurelianorum episcopus, qui eo devotionis causa se accessisse dicit, cum ex Wangiónum urbe seu Wormatia rediret, sic vero de sancto Nazario inter alia canit,

c Theodulf. lib. 2. car. 10.

Tu Tiberina tuis lustrasti litora gestis:
Et nunc Rhenicolas ossis honore beas.
Roma, favente Deo, vidisti in martyre signa:
Nunc Germana cohors cernit id ipsud opus.

Gorziensis ecclesiæ dedicationem a Chrodegango factam celebrat Alcuinus epigrammate centesimo septuagesimo-sexto.

Ista

Ista domus Domino Christo, sanctisque dicata est
Ardentis Juli quinis & idibus olim.
Hanc pius archipater, Mettensis gloria plebis,
Rotgandus praesul magno sacravit honore.

Idem antistes obiit anno insequenti, pridie nonas Martias, postquam annos viginti-tres cum sex fere mensibus Mettensem ecclesiam rexisset, sepultus in Gorziensi monasterio, quod ipse a fundamentis exstruxerat. Hunc quippe annum signant Tiliani Francorum annales apud Chesnium, ubi *Frotgandus* scribitur. Sancti Naboris sepulcrum exornavit Angilramnus, Chrodegangi successor, Alcuino [a] testante: sed morte interceptus, inchoatum opus perficere non potuit, quod quidam ejus diaconus absolvit. Chrodegangi epitaphium habes in tomo primo nostrorum Analectorum.

[a] Alcuin. ep. 174.

VII. Walfridus abbas Palatioli obit.

Sub idem tempus Walfridus seu Walfredus, Palatioli in Etruria monasterii auctor & abbas primus, humanis excessit, mortis suae praescius, quae xv. kalendas Martii contigit, post annos decem, quam monasterium informaverat, in quo monachos ad sexaginta congregaverat. Is lateris dolore correptus, die septima fratres advocavit, seque *in medio claustro monasterii* sepeliri jussit, expressa in tabula cerea sepulcri forma, quale habere cupiebat; nempe ut super ejus tumulum fabricaretur *modicum coenaculum* seu aedicula cum arcubus utrimque erectis, ut transeuntes fratres sui memoriam agerent. Tum fratres singillatim osculatus benedixit, sibique sacrum viaticum afferri jussit. quo accepto, gaudens inter orandum animam Deo reddidit. Adhelmus & Nuncius monachi ad ejus sepulcrum sanati, quorum alter vehementi dentium dolore, alter febribus vexabatur. Haec aliaque miracula cum super parietem sepulcro contiguum describere semel & iterum tentasset Gimfridus abbas, ejus discipulus ac successor, febre toties correptus intellexit, id non placere sancto patri post mortem, qui in hac vita vanam ex animo gloriam semper fugerat. Is est Gimfridus, alio nomine dictus Hieronymus, a puero educatus a Walfrido, ab eoque promotus ad sacerdotii honorem: qui monasticae demum vitae onus non ferens, monasterio egressus, homines, equos & chartas monasterii secum abstulit. Pater vero more solito ad vigilias expergefactus, cum dilectum sibi filium, ut solitum sibi praestaret obsequium, non invenisset, eum aufugisse intellexit. Dein, expletis vigiliis matutinisque laudibus, orto jam sole cum fratribus residens, more solito sanctae lectioni vacavit, & sermonem ad discipulos habuit. Tum electos e fratribus viros prudentes misit, qui fugitivum requirerent, & ad monasterium reducerent, eidem imprecatus, ut signum quoddam corpori impressum in culpae ejus perennem memoriam perpetuo gereret. quo die illi a militibus comprehenso secundus manus dexterae media fere parte digitus amputatus est. Reductus domum sic tandem resipuit, ut post patrem Walfridum magnus & egregius pastor effulserit ad annos triginta, cum suo ipsius exemplo aliis misereri didicisset. Sancti Walfridi gesta in litteras retulit Andreas Palatioli abbas tertius, cujus tempore integra supererant duo monasteria ab ipso Walfrido exstructa, unum virorum, alterum puellarum: quorum in priori octoginta monachi tum degebant, in posteriori nonaginta monachae, tanta districtione reclusae, ut ne una quidem illinc egressa sit, post mortem *in claustro monasterii* sui sepeliri solitae.

Non omittendum id quod idem Andreas commemorat de quodam monacho in somnis per Walfridum increpito & castigato, quod nocturnis, meridianisve temporibus absque cucullà illicite decumberet; & de altero *ejusdem precibus* post mortem liberato e *poenalibus locis*, quibus ob negligenter ductam vitam addictus fuerat. Utrumque monasterium divinitus servatum est contra Maurorum incursiones, qui oras Tyrrheni maris circa saeculi noni initium infestarunt. Sub finem ejusdem saeculi conditum est aliud ejusdem nominis coenobium in insula Palatiolo prope Ravennam, ut omittam Palatiolum virginum monasterium prope Treviros, de quo superius actum est.

VIII. Gratiano abbati Casinati succedit Tomichis.

GRatiano Casinensium abbati subrogatur anno proximo Tomichis abbas decimus, cui Leo Marsicanus regiminis annos sex, menses quinque, dies unum ac viginti tribuit; veterrimus abbatum index rotundo numero annos sex. Hujus tem-

ANN. CHR. 766.

pore nobilis quidam ac locuples Beneventanus, Leo nomine, se suaque omnia Casinati monasterio tradidit, donationis instrumento propria manu scripto, ac super tumulum sancti Benedicti posito: quo servos suos omnes, ante libertate donatos, cum universis quæ possidebant, potestati monasterii subjecit, sub ea conditione, ut singuli eorum quatuor per unumquemque mensem operas, ubi necessarium esset, eidem monasterio impenderent: res vero suas nulli omnino, nisi inter se se vendere, aut donare illis liceret; res autem eorum, qui sine liberis mortui essent, in monasterii ditionem transirent: liberos tamen eorum cuiquam ad serviendum tradere, utpote liberos, fas monachis non esset. Singulorum nomina, simulque prædia ab eodem Leone collata, commemorantur in chronico [a] Casinensi.

a *Chron. Casin. lib.* 1. c. 10.

IX. Tellonis episcopi Curiensis testamentum.

IX. Pippini regis anno quinto-decimo Tello seu Tellus episcopus Curiensis testamentum condidit, quo Desertinense monasterium amplissime dotavit ex patris bonis, tum ut præcepto patris faceret satis, tum ut eidem loco bona ab se accepta refunderet. Integrum hoc testamentum in appendice hujusce voluminis referemus ex primario exemplari, quod in eodem monasterio etiam nunc asservatur. Tello hic patrem habuit Victorem comitem ac præsidem Curiensem, illius abnepotem Victoris, qui sanctum Placidum Desertinensem monachum gladio percussit: matrem vero Teusindam, sororem Vigilii episcopi Curiensis, decessoris Ursicini, cui Ursicino Tello ipse ante sex annos suffectus est, idemque conventui Attiniacensi interfuit anno su-
» periore. Hic in suo testamento præfatus, se non sua Deo tribuere, sed omnium largi-
» tori ea reddere quæ acceperat; tribus ecclesiis (nam totidem ille habet) monasterii De-
» sertinensis, cujus bonis ultra quam debuerat se usum fuisse confitetur, eas facit dona-
» tiones, pro peccatis, cum suis, tum parentum suorum, abluendis. Tres illæ ecclesiæ erant sanctissimæ virginis Mariæ, sancti Martini, & sancti Petri. In his litteris Tello avum suum Jactatum, aviam Salviam vocat; parentes suos Victorem illustrem præsidem, & Teusindam; avunculum Vigilium episcopum, germanos Zacconem, Jactatum, & Vigilium; nepotem Victorem, id est unius e fratribus suis filium; germanam Salviam, & neptes suas Teusindam & Oddam: quorum gratia hoc testamentum condit, in cujus fine hæc habet. *Hoc stabilimentum redemtionis peccatorum nostrorum statuimus habere, & consortio sanctorum obfirmari, quod ego indignus sana mente & sospite corde, me vivente, patris mei præcepta, mea desideria curavi adimplere: ut pro me, & pro omnibus parentum meorum, qui superius conscripti sunt, ab altissimo judice mereamur veniam de peccatis promereri. Actum Curia in civitate publica, anno quinto-decimo sub regno domini nostri Pippini regis, quod est decimo-octavo kalendas Januarias*, sub præsentia plurimorum testium, quorum nonnulli se *milites* dicunt. Superstes fuit ad annum ejus sæculi octogesimum-quartum, quo anno pie ac feliciter decessit VIII. kalendas Octobris.

X. Pippini præceptum pro S. Dionysio de Exona.

* *Essone.*

X. Annum item quintum-decimum assignat Pippini regis præceptum, basilicæ Dionysianæ indultum rogatu Folradi seu Fulradi abbatis: quo præcepto eidem basilicæ Pippinus restituit villam Exonam *, sitam super fluvium Exonæ in pago Parisiaco, a Chlothario rege primum, dein a Chlodoveo concessam, quæ ab iniquis hominibus sancto Dionysio subtracta, tunc in potestate Rauchonis comitis erat. Hæc autem restitutio facta est eo pacto, *ut melius delectet ipsos monachos pro nobis*, inquit Pippinus, *vel bonæ memoriæ germano nostro Carlomanno quondam, seu subsequente progenie nostra, die noctuque Domini misericordiam attentius deprecari. Datum in mense Julio, anno quinto-decimo regni nostri, Aurelianis civitate publice.* Diploma regium Baddilo [b] recognovit, Hitherius scripsit, qui tum forte Baddilonis notarius, postmodum sub Carolo Magno cancellarius fuit, abbasque monasterii sancti Martini Turonensis.

b *Supra lib.* 23 n. 4.

XI. Egberti episcopi Eboracensis mors & scripta.

XI. Hoc ipso anno mortalem vitam exuit vir, cum genere ac dignitate, tum sanctitate illustris Egbertus Eboracensis antistes, Eadberti ejusdem provinciæ regis germanus, qui & sua prudentia, & fratris sui potentia, sedem illam in pristinum reformavit statum, obtento a sede apostolica pallio, quod nullus antecessorum ejus a tempore Paulini, primi ejusdem ecclesiæ episcopi, obtinuerat. Præter excerpta ex variis canonibus & sanctorum patrum sententiis, apud Spelmannum edita; aliaque de remediis peccatorum item excerpta, in quibus laudatur sanctus Benedictus, ejusque regulæ sententia refertur; scripsit dialogum ecclesiasticæ institutionis, a Waræo vulgatum, ex quo nonnulla in rem nostram delibare juvat. Interrogatio

AN CHR. 766.

sexta est, quid decernendum sit de abbate, qui transfugam monachum absque nutu prioris sui suscepisset. Respondet, regi decem siclos persolvendos esse, totidemque abbati, cujus domesticum sine consensu ejus abbas ille admisisset. Decima est de illis abbatibus sive abbatissis, qui ita inconsulte monasteria sua disponunt, ut post obitum illorum duo simul utriusque sexus unum possideant monasterium. Responsum est, unum e duobus a congregatione dicti monasterii eligi debere; eo vero defuncto, alterum in ejus locum substituendum. Sub finem mentio fit de *antiphonario & missali* Gregoriano, per Augustinum ad Anglos transmisso a Gregorio Magno; & de consuetudine a temporibus Vitaliani papæ & Theodori Dorobernensis archiepiscopi in ecclesia Anglorum inolita, & pro legitima habita, *ut non solum clerici in monasteriis, sed etiam laici cum conjugibus & familiis suis ad confessores suos* venirent duodecim ante natale Domini diebus; seque fletibus a carnalis concupiscentiæ labe his diebus emundarent: *quo puriores dominicæ communionis gratiam* in natali Domini perciperent. Defunctus est Egbertus episcopatus sui anno tricesimo-quarto, & quidem VIII. kalendas Junii, quo die *depositio domni Wilfridi & Egberti* notantur in pervetusto kalendario Laureshamensi. Hic est Wilfridus junior, qui Egbertum in sede Eboracensi præcessit. Egberto annos episcopatus tantum triginta-duos assignant Simeon Dunelmensis & Thomas Stubbius. verum uterque, aliique corrigendi ex anonymo poëta ejus temporis, qui de episcopis Eboracensibus ex instituto agens, *triginta-quatuor annos* ei tribuit.

XII. Ælbertus ejus successor.

Successorem Egbertus sortitus est Ælbertum seu Albertum, genere sibi propinquum, nec sanctitate imparem & doctrina. Hunc parentes clarissimi puerum monasterio, forsan Eboracensi, tradiderunt, ut studiis sacris imbueretur. Parentum spei optime respondit ingenuus adolescens, nec minores in virtutibus, quam in litteris progressus fecit. Simul cum annis creverunt in eo clericales gradus. Sacerdos ordinatus Egberto pontifici adhæsit, scholisque Eboracensibus præfectus ab eo est. Illic liberales scientias, grammaticam, rhetoricam, astronomiam, sacrasque litteras docuisse traditur, multosque discipulos habuisse. Tum amplioris doctrinæ avidus, exteras regiones scientiæ amore peragravit, si quid forte librorum aut novæ eruditionis inveniret, ac reportaret. Romam profectus, a regibus summisque viris honorifice acceptus, & tantum-non retentus est. Ubi domum rediit, Egberti mortui vices supplere cogitur. Non animus dignitate nova erectior, sed modestior. at, ubi res exigebat, nec summatibus, nec regibus ipsis parcebat. Inter multiplices curas nihil studiis detractum; & in tanto culmine eadem in cibis ac vestibus forma & qualitas. In his medium se exhibebat, viliora æque vitans ac delicatiora; in solis ecclesiarum ornamentis magnificus. Crucem ex puro argento maximam super altare ecclesiæ suæ, majorem ex auro item purissimo ampullam ad fundendum in sacrum calicem vinum; & *farum* seu candelabrum cum novenis ordinibus, qui tria vasa singuli haberent, fabricari curavit; idemque majorem aram, quam rex Edvinus recens ablutus erexerat, in honorem sancti Pauli sacravit. Quin etiam novam miræ structuræ ac magnitudinis basilicam inchoasse ac perfecisse dicitur, columnis suffultam, laquearibus, porticibus, exedrisque multis, arisque triginta ornatam: cujus fabricam discipulis suis, Eanbaldo & Alcuino, commisit: quorum alteri pastoralis dignitatis curam resignavit; alteri librorum gazas, ipsi super omnia carissimas, commendavit, id est Eboracensis ecclesiæ bibliothecam a se magna ex parte collectam, in qua sacrorum librorum codices, sanctorum patrum scripta omnia, ac liberalium artium auctores continebantur, testante anonymo poëta, qui de hac partitione Eanbaldo & Alcuino facta ita canit.

Eanbaldus & Alcuinus ejus discipuli.

His divisit opes diversis sortibus: illi
Ecclesiæ regimen, thesauros, rura, talenta:
Huic sophiæ specimen, studium, sedemque, librosque,
Undique quos clarus collegerat ante magister,
Egregias condens uno sub culmine gazas.

Docendi præfecturam eidem Alcuino ab eodem commissam fuisse his verbis satis innuit idem auctor: ex quo intelligitur, Alcuinum Ælberto, quamdiu hic vixit, *patri semper adhæsisse.* Ab anonymo dissentire videtur Alcuinus ipse in epistolis, tum

AN. CHR. 766.

ad Eanbaldum, tum ad Carolum augustum, a Willelmo [a] Malmesburiensi monacho relatis: in quibus ait, se a dilecto magistro suo Egberto præfectum fuisse thesauris sapientiæ, seu eruditionis scholasticæ libellis, quos idem præsul conquisierat. At nibil obstat, quo minus ambo illi præsules, alter post alterum, Alcuinum præfecerint Eboracensi bibliothecæ, quam illi communi studio, communibusque impensis instruxerant. Ceterum cum hæc lego de Ælberto, vehemens mibi suspicio injicitur, hunc ipsum esse Alubertum, quem ex Eboracensi provincia ad Gregorium Trajectensem abbatem accessisse superius [b] dixi, ab eodemque in patriam remissum cum Liudgeto, ut ab episcopo Eboracensi sacerdos ordinaretur, eidemque Gregorio in regenda parochia esset adjutor.

a Willelm. lib. de reg. Angl. c. 3.

b Lib. 23. n. 36.

ANN. CHR. 767.

XIII. Gentiliacensis synodus de sacris imaginibus.

Postero anno sexagesimo-septimo in Gallia quæstio de sacris imaginibus agitari cœpta, quæ res, quoniam multorum motuum seminarium fuit, paullo altius repetenda est. Primus eorum auctor exstitit Leo imperator, cognomento Isauricus, qui Judæorum præstigiis in spem adductus imperii; ubi compos ejus factus est, ut se illis gratum exhiberet, primo quidem Christi Domini effigiem, quæ supra portam æream collocata erat, per suos satellites dejecit; tum anno imperii sui quarto-decimo, qui reparatæ salutis septingentesimus tricesimus erat, apertum sacris imaginibus bellum indixit, promulgato edicto de illis evertendis. Obstitit incassum Germanus, novæ Romæ sanctissimus patriarcha; nec Gregorii papæ secundi, tertiive admonitiones, dirarumque imprecatio furentem hominem a proposito revocare valuerunt. Leoni e medio sublato successit anno quadragesimo-primo filius ejus Constantinus, dictus Copronymus, paternæ impietatis non minus, quam imperii heres: qui anno ejus sæculi quinquagesimo-qoarto, trecentorum triginta-octo episcoporum gregario cœtu coacto, cultum sacrarum imaginum damnari & abrogari procuravit. Impio decreto obstiterunt in primis occidentales: quibus vicissim a Græcis schismaticis objectum fuit, qnod particulam *Filioque* symbolo adjecissent. Permanavit hujus contentionis rumor in Galliam; factumque est, ut in conventu Gentiliaci habito hoc anno, cui forte Græci oratores cum Pippino intererant, quæstio ventilaretur, tum de processione Spiritus sancti a Patre Filioque, tum de sacris imaginibus, *utrumne* [c] *fingendæ, an pingendæ essent in ecclesiis.* Sed quia hæc quæstio tantum ex occasione ventilata est, nihil hac de re in hoc conventu statutum reperitur. Hic conventus habitus est circa festum paschæ, quod Pippinus in suburbana Parisiorum villa Gentiliaco tunc celebravit. Quinam fuerint Græci illi, qui huic conventui adfuere, nemo veterum exposuit. Variæ fuerunt per id tempus Constantini Copronymi ad Pippinum legationes, ut eum suis partibus conciliaret. Verum hæc alii viderint. quæ vero ex his turbis consecuta sint, inferius suis locis exponemus. Enituit apud Græcos in illo conflictu pro sacris imaginibus zelus sancti Johannis Damasceni, quem, quia Cosmam monachum Italum, e patria captivum abductum in Palæstinam, præceptorem habuit, Trithemius & quidam alii, haud satis solido fundamento, nostris accensuere.

c Ado in chron.

XIV. Pippini legatio ad Paulum papam.

Sub initium bujus anni Romam pervenerunt Pippini regis oratores, Wilcharius episcopus, atque Dodo & Wichardus, ut ex Paulo pontifice rescirent, sibine a rege Langobardorum Desiderio satisfactum fuisset. Iidem ad Pippinum reversi cum pontificiis [d] litteris, nihil præstitum eorum, quæ a Desiderio promissa fuerant, retulerunt. Caroli Cointii conjectura est, Dodonem & Wichardum abbates fuisse, Dodonem quidem Hornbacensem, & Wichardum eum esse, qui Lantfredo monasterii sancti Germani prope Parisios abbati successit. Neutrum videtur admittendum. Nam, ut de abbatis titulo maxime dubio nihil dicam, neque Dodo abbas fuit Hornbacensis, uti olim ante Cointium ego quoque conjectaveram; neque Lantfredus abbas sancti Germani ante annum Caroli regis sextum Wichardo abbati locum fecit. Non diu post hanc legationem supervixit Paulus papa: quo mortuo, Constantinus pontificatum invasit, tenuitque anno uno & mense uno: demumque Stephanus tertius pro legitimo pontifice habitus est. Pippini legationem, quæ Paulo directa erat, eo mortuo Constantinus excepit, binasque [e] ad eumdem regem dedit litteras, quarum in unis ait se *gesta sanctorum*, quæ rex per suum oratorem petierat, ei transmittere, quotquot repetire potuerat. Forte orator ille erat Haribertus seu Heribertus abbas Morbacensis, qui hoc anno Romam a Pippino missus per-

d Carolin. cod ep. 19.

Pauli papæ obitus & successor.

e Ibid. ep 98. & 99.

ANN. CHR. 767.

hibetur in annalibus Nazarianis. Idem ante annos sex jam eo missus fuerat una cum Dodone comite, quem eumdem esse puto cum Dodone illo, mox laudato, qui una cum Wilchario itidem Romam paullo ante legatus est.

XV. Virgilius Saltzburgi novam ecclesiam condit.

Hoc anno Virgilius Saltzburgensis episcopus ecclesiam miræ magnitudinis, in qua sancti Rudberti reliquiæ reponendæ essent, inchoavit, eamque post annos quinque absolutam dedicavit, ac sancti Rudberti reliquiis ac nomine illustravit. Translatio hæc facta est VIII. idus Octobris, sed ejus celebritas in sequentem diem a posteris dilata, ob officium dedicationis, quæ pridie ejus diei, id est VIII. idus, ita celebris est, ut totam ejus diei reverentiam exigat. Translati pariter cum sancto Rudberto sancti Kunialdus ac Gisilarius, ejus presbyteri seu capellani, quorum posteriorem Alcuinus in quodam [a] epigrammate laudat.

[a] Alcuin. epigr. 235.

XVI. Æmiliani abbatis obitus in agro Burdegalensi.

Eidem anno consignatur obitus sancti Immilionis seu Æmiliani abbatis, qui in agro Burdegalensi colitur. Hic in Veneteosi Armoricæ urbe obscuris parentibus natus, cum Venetensis comitis rebus domesticis aliquamdiu præfuisset; profusioris in pauperes liberalitatis accusatus, in Saliginense apud Santones monasterium se recepit, ibique monasticas vestes dicitur accepisse a Martino abbate, quem cum Martino abbate Santonensi, apud Gregorium Turonensem laudato, confundunt. Cellerarii munus sibi impositum cum recte obiret, sodalium invidiam in se concitavit. Quam ob rem ex illo monasterio discedens, in silvam agri Burdegalensis, quæ a *Cumbis* tunc temporis vocabatur, se abdidit, Dordoneo flumini vicinam; ad cujus latus rupes modice assurgens, tuguriolum viro Dei præbuit. Illic angelicam cum aliquot sociis vitam non sine miraculis duxit ad annum usque septingentesimum sexagesimum-septimum, quo eum percepto viatico decessisse tradunt XVI. kalendas Decembris. Hic locus post medium sæculum undecimum venit in potestatem Nantoniensium monachorum, qui ejusdem sancti reliquias ad castrum sui juris Fronciacum clam intulerunt. Instituti ibidem a Goscelino Burdegalensi archiepiscopo canonici, monachos inde ejecerunt, scriptis ad Urbanum secundum litteris, in quibus Nantonienses accusant, quod quidam Nantoniensis monachus hunc locum ab Oliverio comite, consanguineo suo, data pecunia comparasset. Sancti Æmiliani basilica in rupe excisa in longum habet pedes circiter centum-viginti, latitudinis sexaginta, tantumdemque altitudinis, cum turri lapidea miræ molis. Parieti basilicæ hæc verba vetustis admodum litteris insculpta sunt: V. ID. DECEMBRIS DEDICATIO .... IMILIONIS. Hanc hodie quoque retinent canonici sæculares.

ANN. CHR. 768.

XVII. Pippini regis extrema facta & mors.

ANno insequente Pippinus Aquitanicum bellum, quod contra Waifarium Aquitaniæ ducem per continuos novem annos gesserat, feliciter tandem confecit. In reditu Pictavos accessit, ubi *Bertinus abbas de monasterio sancti Hilarii*, qui ibidem corpore requiescit, emunitates anteriorum regum ei protulit relegendas, petiitque « *memoratus Bertinus abbas, suique monachi*, ut hoc circa ipsam casam Dei per suam « auctoritatem denuo generaliter in omnibus confirmaret. quod princeps annuit, præ- « cipiens, ut quidquid eidem monasterio conlatum fuisset, *in stipendia monachorum* « *perpetualiter debeat proficere in augmentum. Data mense Julio, anno* XVII. *regni nostri, Pictavis civitate.* Hitherius diploma recognovit. Hinc manifestum est, monachos ad id tempos in basilica sancti Hilarii perseverasse. Bertino abbati videtur successisse Aper, de quo inferius [b] agemus. Ex urbe Pictavorum Pippinus venit ad monasterium sancti Martini, ejus interventum rogaturus, ut pro suis facinoribus Dei misericordiam sibi propitiam redderet: ibique multam eleemosynam cum aliis ecclesiis, tum monasteriis, egenisque largitus est. Inde progrediens cum Bertrada regina & filiis suis Carolo & Carolomanno, morbo aquæ-intercutis pulsatus, *usque ad Parisius*, ut Eginhardi verbis utar, *ad monasterium beati Dionysii martyris venit*, ibique aliquamdiu moratus est. Interim pro animæ suæ remedio, ac propter locum sepulturæ corporis sui, sanctæ illi basilicæ, ubi Fulradus rector præerat, contulit silvam Aquilinam, inter Carnutas ac Parisios positam, quam vulgus Yvelinam seu Evelinam vocat, aliaque prædia, iis tantum exceptis, quæ per instrumenta chartarum prius aliis locis tradiderat, *id est ad sanctum Germanum Parisiensem, & ad cellam, quæ vocatur Fossatis, sita in ipso Parisiaco; & ad sanctum Benedictum Floriacensis monasterii, & ad ecclesiam sanctæ Mariæ Carnotensis urbis, & ad sanctam Mariam Argentogilensis monasterii; & ad sanctum Petrum Pictavensis ecclesiæ.* Actum in monasterio «

[b] Num. 74.

AN. CHR. 765. » sancti Dionysii in mense Septembri, anno decimo-septimo regni ipsius Pippini. Nul-
» lum diploma hujus dooationis pro sancto Germano restat in archivo ejus monaste-
» rii : at in codice censuali Irminonis abbatis, tempore Caroli Magni scripto, idem
» monasterium dicitur habere *in cella Equalma* mansum dominicatum cum casa &
a V. infra n. 52. » casticiis ; de silva in gyro *leoas* [a] *quinque*, ecclesias duas ; ad hæc mansos ingenuiles
» quinquaginta-tres, qui solvunt unoqnoque anno ad *hostem* seu exercitum, aut carrum
» unum, au‹?›boves sex, ant de argento solidos septuaginta-octo, & in pastione solidos
» decem : ex quibus mansis viginti-duo sunt, qui solvunt ad tertium annum soales
» seu porcos viginti-duos, & fossorios triginta, pullos centum sexaginta, ova octin-
genta. Hæc minutiora sunt, sed ad intelligendam ejus temporis disciplinam opportuna. Sunt & alia duo Pippini diplomata pro sancto Dionysio apud Dubletum, data in eodem monasterio IX. kalendas Octobris ; aliudque in libro sexto de re diplomatica, quo idem princeps Fulrado abbati archipresbytero, suoque capellano (sic eum vocat) bona quædam, ab eodem, urgente gravi morbo, sibi commissa, sano & incolumi restituit, & de eisdem bonis statuendi pro libito facultatem concedit. Hiterius recognovit & subscripsit. Actum, ut mox dicebam, IX. kalendas Octobris, anno regni Pippini decimo-septimo, in ipso monasterio sancti Dionysii, quod *Parisius* in verbis præmissis statuit Eginhardus, tametsi constet, hoc monasterium tunc positum fuisse eodem in loco, ubi nunc cernitur. Ejus loci basilicam in-
b Mirac. S. Dion. lib. 1. c. 14. choavit Pippinus, quæ a Carolo ejus filio ac regni successore *augustius* [b] *consummata est.* Idem Pippinus vas argenteum obtulit [c] sancto Dionysio ad obtinendam cuidam suo
c Ibid. c. 11. militi, Johanni nomine, sanitatem, qui sancti martyris segetem temere depascens, graviter attritus fuerat, dum *Parisio digressus carperet viam, qua ad vicum sanctorum martyrum ducit.*

Postera die Pippinus in eodem monasterio obiit supremum diem VIII. kalendas Octobris, ut in nostro sancti Germani necrologio, ante annos octingentos scripto, & in Dionysiano legitur, anno ætatis suæ quinquagesimo-quarto, regni decimo-septimo ; sepultusque est in basilica Dionysiana, cum prius regnum suum inter filios Carolum & Carolomannum divisisset. Inter alia, tria monasteria condidisse perhibetur, nempe Figiacense, Conchense, & Marciliacense apud Cadurcos, de quibus initio libri duodetrigesimi agemus. Ludovicos Pius ejus nepos in epistola Areopagiticis præfixa tradit, eum præ bnmilitate ante limina Dionysianæ basilicæ humari voluisse, *ut titulus*, inquit, *ejus conditorii probat*, qui titulus seu epitaphium desideratur.

XVIII. Romæ turbæ pro electione papæ. Interim Romæ ingentes motus fiunt ad removendum Constantinum, qui factione fratris sui Totonis ducis Nepesini in sedem Romanam intrusus, & ex laico repente ordinatus fuerat. Hanc Romanæ ecclesiæ infamiam non ferens Waldipertus presbyter, Romanos cives aliquot convocavit, & cum eis ad monasterium sancti Viti in Exquilino profectus, concione habita pseudopontificis comitia improbavit, & ex eorum sententia Philippum, ejus monasterii presbyterum, pontificem declaravit, atque inde abductum produxit in Lateranum. Interea Christophorus primicerius, cujus maxima erat in urbe auctoritas, & cum eo filius ipsius Sergius, tunc saccellarius, monachos se fieri velle simulantes, a Constantino facultatem discedendi in monasterium domini Salvatoris, quod ab urbe Reate duodecim passuum millibus meridiem versus distabat, sub sacramento obtinuerunt, sed eo consilio, ut a Desiderio rege Langobardorum, qui tum Reate versabatur, contra banc novitatem auxilium impetrarent. Inde Constantinus ipso die reversus, quo Philippus in Lateranum introductus fuerat, juravit se in urbem non ingressurum, dum Philippus Lateranum teneret. qua voce excitus repente Gratianus quidam, Romanos aliquot convocavit, qui Philippum e Laterano in monasterium reducerent. Tum
Stephani tertii electio. Christophorus, novis comitiis nonis Augusti habitis, una cum cleri militiæque principibus, ceterisque civibus Romanis, de legitimo creando pontifice consultavit ; factumque est, ut omnium studia inclinarent in unum Stephanum presbyterum, virum innocentissimum, natione Siculum, quem olim Gregorius tertius in monasterio sancti Chrysogoni ab se condito collocaverat : ubi *clericus atque monachus effectus* memoratur ; dein a Zacharia pontifice Lateranensis patriarchii cubiculo præfectus, ac demum tituli sanctæ Cæciliæ presbyter institutus. Is postera die, id est VIII. idus Augusti, consecratus, ac Stephanus tertius, aliis quartus appellatus, pontificatu inito Constantinum in monasterium sancti Sabæ, quod *Cellas-novas* Anastasius vocat, in

ANN. CHR. 768.

Aventino ad portam sancti Pauli positum, retrudi jussit. quo is equo insidens in sella muliebri, magnæ molis ponderibus ad pedes appensis, deportatur. Ad hæc inscio pontifice, a quibusdam ejus partis perversis hominibus sævitum est in Theodorum episcopum & vicedominum ejusdem Constantini, & in Passivum ejus fratrem, quos luminibus orbarunt; primumque, id est Theodorum, in monasterium Clivi-Scauri seu sancti Andreæ, retrudi fecerunt, ubi fame ac siti consumtus est: alterum, id est Passivum, in monasterium sancti Silvestri relegarunt. His actis, pontifex omnium primum ordinandam sibi ecclesiam duxit. itaque Sergium, Christophori primicerii filium, ex sacellario secundicerium (hi pontificis assessores erant) & nomenclatorem factum, ad Pippinum regem misit, oratum, ut ad se eruditissimum quemque e Francia episcopum mitteret, quo ex eorum auctoritate ecclesiam constitueret. Verum ille in Franciam accedens, Pippinum mortuum comperit, duosque ejus filios pro eo regnantes: quorum alter, id est Carolus, Noviomi; alter, nempe Carolomannus, apud Suessionas, in propria uterque regni sui urbe, sexto-decimo post patris obitum die, nempe VII. idus Octobris, quæ dies sancto Dionysio sacra est, uncti, coronatique sunt, non vero XIV. kal. Octobris, ut fallit Fredegarii continuator ultimus, qui jussu Nibelungi scripsit: qui diem, quo parens regnum inter filios divisit, cum die coronationis eorum videtur confudisse. Carolo Austrasianorum regnum obtigit, secundum novam [a], non secundum veterem Austrasiæ divisionem: Carlomanno autem juniori cessit Burgundia, Provincia, Gotthia, Alesatia & Alamannia, quæ duæ ad vetus Austrasiæ regnum pertinebant: Aquitania inter eos divisa.

[a] V. infra n. 35.

XIX. S. Dionysii miracula.

Pippini regis tempore quædam miracula in sancti Dionysii basilica facta perhibentur, ex quibus pauca tantum seligemus, quæ aliqua continent observatione digna. Unum est de quodam claudo a nativitate, cui nomen Otholdo, qui, lustratis incassum per annos triginta sanctorum memoriis seu sepulcris, tandem *carruca* ad sancti Dionysii cœnobium perlatus est, deductusque in ejus templum, ante altare, *quod primum in honore domini Salvatoris dicatum est*, cum oraret, subita donatus est sanitate. Hujus indigentiam miseratus Fulradus abbas, eum inter stipendiarios seu matricularios monasterii admisit. *Ita attonsus, jussis majorum pro viribus fideliter paruit.* Ex quo intelligitur, matricularios illos tonsura insignitos fuisse, & monachis ministrasse. Alterum miraculum patratum est erga quemdam rusticum, cujus manui rigidæ, quod dominica die triturasset, cum adhæsisset furcilla, ille confessione peccatorum Herberto episcopo facta, (*moris quippe ei fuit ecclesiæ aliquamdiu episcopos habere*) fusisque pro eo in crypta sancti Dionysii precibus, pristinum manus usum recuperavit. Tertium est de Bertcaudo comite, qui æstivo tempore illac iter faciens, cum in sancti Dionysii prato, ponti Tricinæ contiguo, tentorium fixisset, monitis adduci non potuit, ut inde recederet. quod ubi famulus monasterii fratribus renuntiavit, *claves ecclesiæ per custodem comiti diriguntur*, rogantem ut abscedat. Illi contra pro precibus minas regerenti, nec se recessurum obstinate affirmanti, visus est in somno meridiano clericus quidam, qui eum baculo percussit. Tum ille subito excitatus, sancti Dionysii opem inclamans, equis e prato jussis excedere, interiit, ejusque corpus *in ecclesia sancti Marcelli extra monasterium*, concedentibus fratribus, sepultum est. In alio miraculo superioribus præmisso mentio fit de quodam Andramno, cui Fulradus abbas villam Bernegium jure beneficii largitus fuerat: cujus loci ecclesiam, sancti Dionysii reliquiis insignem, cum ille indigne haberet, sibi visus est in somnis videre senem clericum, pontificalibus vestibus exornatum, *ferentemque in manu baculum a capite arcuatum, in ima reflexum, qualibus antiquiores pontifices usos fuisse ad memorias eorum suspensi declarant.* quo baculo percussus accipiter, qui illic nidificabat; percussus & equus præstantior ex his, qui in porticu ecclesiæ proxima stabulabantur; ac demum ipsi Andramno tacta leviter tibiæ sura obriguit. Ille rei magnitudine perterritus, ad cœnobium sancti Dionysii se contulit; *ibique attonsus comam, reliquum vitæ suæ tempus sub religioso habitu gessit.* Hic expressam habes priscam pastoralis baculi formam, qualem in antiquis picturis haud paucis licet advertere: in quibus aliquando præter baculum illum arcuatum, quem manu dextra gerunt episcopi & abbates, alterum grallatorium, cui innitantur, sinistra gestant.

XX. Angelramnus episcopus Mettensis, & abbas Senoniensis.

Hoc itidem anno, cum Mettensis episcopatus annos amplius duos a Chrodegangi obitu vacasset, electus est Angelramnus, illustri ortus genere, *cœnobialis vitæ alumnus*,

ANN. CHR. 768.

ut ex antiquis monumentis Meurissius prodit. Is, mortuo Stephano abbate, Senoniensem abbatiam a Carolo impetravit, eamque Mettensis ecclesiæ ditioni subjecit, moleste ferentibus monachis, quod eorum monasterium ex imperiali episcopale evasisset. Ast vanum eorum dolorem fuisse probat Richerius chronographus, atque monasterium illud, si sub imperatoris jure perstitisset, omnino pessum datum iri, ut ceteras circumjacentes ecclesias, quæ *oppressione imperiali sæpius terebantur & deficiebant*, tum ob armatorum cuneos in expeditiones mittendos, tum ob vexationes inimicorum, quos imperator sæpius absens arcere non poterat.

XXI. S. Goaris nova basilica dedicata.

Ubi Asuerus abbas Prumiensis cellam sancti Goaris, ut diximus, a Pippino rege in beneficium accepit, statim novam basilicam supra tumulum sancti confessoris ædificare cœpit, quæ & amplitudine sui frequenti populo recipiendo sufficeret, & sancti viri meritis magis congrueret. Perfecta basilica, cum jam tempus dedicationis ejus adesset, missi sunt a Carolo rege Lullus Moguntiæ archiepiscopus, Basinus Nemeti seu Spiræ, & Megingodus Wirziburgi episcopi, ut per eos ecclesia consecraretur, & corpus sacrum in paratum ipsi locum transferretur. Tridoano itaque præmisso jejunio, cum locus ubi jaceret ignoraretur, effossa hinc inde humo, tandem repertum est a Madalberto clerico, qui arrepto ligone laterem ictu motum extulit, & modico foramine patefacto, debilem manum immisit; tumque holoserica veste, qua sacer loculus intra lateritium sepulcrum tegebatur, apprehensa, debilis manus sospitatem recuperavit. Corpus viri sancti *in locello plumbeo* repertum, ex eo loco sublatum est in vicinum sanctæ Mariæ oratorium, inde referendum in ædis novæ locum ei recipiendo paratum. quod factum per episcopos & abbates, qui reliquias venerabiles compendiosiori, ut sanctus velle visus est, via in novam basilicam intulerunt: ubi summo cum honore reconditæ sunt, holoserico pallio, quod supra sarcophagum repertum est, super altare exposito. Erant in illa cella clerici, ut ex Wandalberto patet, ante traditionem loci Asuero abbati factam: qui ibidem sub regimine abbatis Prumiensis perseverarunt. Sic olim in Foresti-cella sæculares clerici erant sub abbate Centulensi, unde in concilio Aquisgranensi statutum est capitulo quadragesimo-quinto, *ut abbatibus liceat habere cellas, in quibus aut monachi sint, aut canonici*. Subdit Wandalbertus miracula quædam, sancti Goaris meritis facta tempore Asueri abbatis: unum in Waltario viro nobili, quem illum esse puto Waltarium comitem, qui Pippini litteris de conditione Prumiensi subscripsit; & in Raginario ejus patruo: quorum alter dæmone liberatus, alter ob superbiam punitus est. Aliud item de piscibus in festivitate sancti Goaris suppeditatis per Ansegilum bonæ vitæ monachum. Ad hæc alia duo de Heriwino comite, & de Eufimia seu Euphemia abbatissa nobili ex urbe Mediomatricorum, nempe ex parthenone sancti Petri. denique unum de Carolo Magno imperatore augusto, qui, cum a palatio *Ingleinheim, ab ipso constructo*, in castellum, quod ad Confluentes * Mosellæ & Rheni situm est, navigio descendere, insalutata sancti Goaris basilica, voluisset, multa incommoda passus est, missisque ad sancti basilicam donis, nempe viginti libris argenti, & duobus palliis holosericis, voto se obligavit, se numquam illac, prætermisso sancto Goare, transiturum. Addit Wandalbertus, filios ejus duos, Carolum atque Pippinum, oraturos tum in sancti Goaris basilicam descendisse; ibique, quas aliquando inter se se animo gesserant, simultates & inimicitias deposuisse, & in fraternam concordiam fœdusque amicitiæ coiisse.

* Coblentz.

ANN. CHR. 769.

XXII. Romana synodus de cultu imaginum.

ANno ejus sæculi sexagesimo-nono, qui Stephani papæ tertii, atque Caroli & Carolomanni regum Francorum primus fuit, Romæ habita est mense Aprili synodus, agente Stephano papa, cujus rogatu missi e Francia episcopi duodecim interfuerunt, ex quibus metropolitani quinque erant, in his Lullus Moguntinus, & Tilpinus Remensis e nostris. Ex actis illius synodi duo tantum decreta supersunt, unum contra vim & ambitum eorum, qui pontificatum affectarent: alterum de veneratione sacrarum imaginum, quam sub anathemate synodus decernit. Ex quo intelligitur, Francos illos episcopos duodecim tunc consensisse in cultum sacrarum imaginum, ac benigne interpretandas esse illas controversias, quæ hoc de argumento inter illos & orientales orthodoxos, Romanosque deinceps exortæ sunt.

XXIII. Carolus M. dat S. Dionysio cellam S. Deodati.

Eodem anno ineunte Carolus rex basilicæ sancti Dionysii, in qua domnus & genitor ipsius Pippinus requiescebat, ipseque consepeliri cupiebat, *monasteriolum* sancti Deodati,

ANN. CHR. 769.

Deodati, in Vosagn situm, donat, eo pacto, ut decem aut quindecim fratres ibidem semper consistant, & assidue in psalmis, missis, ac precibus Deum orent pro se ac genitore suo Pippino, qui olim hunc locum *in sua investitura* seu possessione tenuerat. Datum est ejus rei præceptum Aquisgrani idibus Januarii, anno primo regni ejus. Tunc itaque ea Caroli mens erat, ut in basilica Dionysiana sepeliretur: quod consilium postea mutavit. Hoc loco intelligendum videtur sancti Deodati in Vosago monasterium, quod modo canonicorum sæcularium collegium est.

Ejusdem diploma pro Corbeia.

Proximo Februario venerabilis Hado seu Addo Corbeiæ abbas obtinuit ab eodem rege præceptum, quo superiorum regum donationes ac litteræ ratæ habentur. Actum Audriaca villa ad Alteïam fluvium in Morinis, XVII. kalendas Aprilis. Hadoni non multo post subrogatus est Mordramnus abbas, qui sanctum Adalhardum in suum monasterium admisisse creditur. Addo abbas IV. kalendas Decembris obiit, ut in vetustis necrologiis notatum invenio.

XXIV. *Brantosmi monasterium condit.*

Sub initium hujus anni Carolus cum fratre Carolomanno in Aquitaniam profectus contra Hunaldum, qui defectionem moliebatur, varia illis in partibus præcepta monasteriis dedit, immo etiam condendo monasterio suppetias tulit. Quippe ex urbe Ecolisma in pagum Petragoricum accedens, basilicam juxta fluvium Drooam in honorem beati Petri ædificasse dicitur, & in ea non post multum temporis *unum de Innocentibus collocasse*, sanctum Sicarium vocant, *datum patri suo a domno papa Romano*: cujus meritis & auxiliis se multoties victorem evasisse aiebat. *Locus autem, quo basilica fundata est, Brantosmus dicitur.* Hæc paullo recentiore manu adscripta legebantur in margine veteris codicis [a] Loiseliani, continentis antiquissimos annales Francorum, qui desinunt in anno octingentesimo tertio-decimo. Sane hoc monasterium, quod sancti Petri & sancti Sicarii modo appellatur, conditum fuisse tempore saltem Caroli M. ex eo colligitur, quod inter monasteria, quæ solas preces regi debebant, Brantosma seu Brantosmus censetur ineunte Ludovici augusti principatu. De primis ejus loci abbatibus & eventibus nihil comperti habemus ante cladem Normannorum, qui hoc cœnobium, uti pleraque alia, penitus devastarunt. In kalendario Brantosmensi notatur III. idus Januarii festus dies sancti Antimi confessoris & abbatis; & kalendis Decembris ejusdem translatio: qui forsan ejus loci abbas e primis fuerit. Ibidem colitur sanctus Sicarius VI. nonas Maii, & V. idus Octobris.

[a] *Chesn. to 2. p. 28.*

Præcepta pro S. Albino & pro S. Bertino.

Idem Carolus Santonensem pagum cum adiisset, donationem Andecavensi sancti Albini monasterio a Pippino patre factam confirmat ad preces Guntari abbatis, qui tum clericis, canonicis an monachis, ejus loci præerat. Certe eo fere tempore monachi illic a pristino instituto prolapsi erant, nec nisi sub finem sæculi decimi ibidem restituti sunt. Erat in illo monasterio Anscherus præpositus Caroli Calvi principatu, testante Odone abbate in libello de miraculis sancti Mauri abbatis. Prædictum Caroli diploma recognovit Hitherius, datum Murnaci *, qui locus est apud Santones. Inde rex Andiacum profectus, quæ villa regia erat in pago Ecolismensi, ut ex chronographo [b] Fontanellensi intelligimus, ibidem mense Julio Sithiensis monasterii possessiones confirmavit, suggerente viro venerabili Hardrado abbate: cui Audlandus seu Odlandus abbas post aliquot annos successit.

* *Mornac.*

[b] *Spicil. to 3. p. 204.*

Radulfus abbas Floriacensis servatus.

Initio statim regni sui Carolus in omnes regni sui provincias direxerat comites, ex quibus Rahonem Aurelianensibus præfecit. Is cupiditate succensus, cum universa, quæ Aurelianensium finibus continebantur, sibi subjecta cerneret, cœnobio sancti Benedicti Floriacensi excepto, quod Radulfus abbas tum regebat; animo constituit, abbate interfecto, monasterium sibi vindicare. Misso itaque ad regem nuntio, qui abbatem mortuum significaret; simul Radulfum abbatem ad suum colloquium per alium nuntium invitat ad monasteriolum sancti Gundulfi *, in Biturigibus situm, nunc cellam abbatiæ sancti Florentii Salmuriensis, ubi tunc comes morabatur. Nec mora conscensis equis Radulfus cum paucis ad colloquium properat. Ubi eo advenit, obvium habuit quemdam pumilionem, comitis scurram, qui insidias abbati paratas, cum nutibus, tum verbis, ei significavit. Mox abbas verso gradu, citato cursu Ligerim proximum repetit, transvectusque in citeriorem ripam, in monasterium se recipit. quo audito, comes, qui tum corpus in balneo curabat, furore exæstuans, e balneo desilit in lectum: in quo alto depressus sopore, a sancto Benedicto baculo, quem gestabat, incurvo percussus fuisse, atque interiisse ab Adro-

* *S. Gondon.*

ANN. CHR. 769.

valdo [a] memoratur. Radulfus non diu post hunc annum superstes, Iddonem habuit successorem.

a *Adrevald. de mirac. S. Bened. c.* 18

XXV. Carolomanni litteræ pro S. Dionysio & aliis.

b *Diplom. p.* 496.

XXV. Haud impar fuit Carolomanni regis in sacra loca pietas ac providentia. Is quippe ab ipso hujus anni exordio immunitates, Dionysiano monasterio a superioribus concessas regibus, atque universis ad festivitatem seu nundinas S. Dionysii olim indultas venientibus, novo præcepto confirmavit anno primo regni sui, mense Januario, actum [b] Salmunciago palatio publico pagi Laudunensis. Aliud item pro eodem cœnobio mense Martio insequente edidit Attiniaco palatio. Maginarius utrumque diploma recognovit ac subscripsit. In illis vero litteris Fulradum abbatem Carolomannus, uti & pater ipsius Pippinus, capellanum suum vocat. Idem princeps, adstipulante Garino comite, quædam ex fisco suo Aufoldo tribuit *monasteriolo inter duas Fachinas*, id est monasterio sancti Gregorii in Alsatia, cui venerabilis vir Restoïnus abbas tunc præerat. Maginarius item diploma istud recognovit, datum XI. kalendas Aprilis, anno primo regnante Carolomanno rege; actum Attiniaco palatio publico. Is mihi videtur esse Respuinus abbas laudatus in Augiensi necrologio, ex monasterio sancti Gregorii. Restoinum præcesserat Remigius abbas, quem deinde chorepiscopum, ac demum episcopum Argentoratensem fuisse tradunt. Restoino abbati post duos abhinc annos successit Urolfus, itemque post alterum biennium invenitur *Rachio abbas & Argentinæ episcopus*; & post eum, nempe anno octingentesimo quinto-decimo, Gothefridus abbas, de quo inferius agendum.

Gregoriani in Alsatia abbates.

Grandivallense in superiori Alsatia monasterium regebat eo tempore Gundoaldus abbas, cujus rogatu idem princeps hoc monasterium, ejusque possessiones, cum duabus cellis ei subjectis, nempe Vertenna seu Werda, vulgo insula sancti Pauli, & ecclesia sancti Ursicini, eximit a publicis judiciis & tributis, ac Pippini genitoris sui, regumque superiorum præcepta confirmat. Editum est hoc diploma, sed sine chronologicis notis, apud Labbeum in Miscellaneis, & apud Carolum Cointium. De cella sancti Ursicini hic apponam quod legere memini in codice Irminonis abbatis sancti Germani Pratensis. *Est in pago Vesuncensi abbatia sancti Ursini*, legendum *Ursicini, super Duvium fluvium, & ad ipsam abbatiam pertinent villæ his nominibus, Chuviniacus, Curtu-Udulfi, ad cœnobium sancti Germani pertinentes.* Plura de hac cella superius.

S. Ursicini cella.

XXVI. Gorziensi factæ donationes ab Angilramno episcopo.

* *Varengeville.*

XXVI. Hoc ipso anno corpus sancti Gorgonii in basilica Gorziensi repositum fuisse traditur, eodemque anno Droëgangus seu Droctegangus abbas obiisse. Jam quarto abhinc anno istuc allatum fuerat sacrum beati martyris corpus a Chrodegango episcopo: sed cum nondum forte basilicæ suprema esset imposita manus; ea demum perfecta, paratum in locum hoc anno infertur. Droctegango suffectus est Theutmarus seu Theotmarus abbas, cujus regiminis initio Angelramnus Mettensis antistes prædium pagi Calvomontensis, Varengisi-villam * vocabulo, quæ sancti Nicolai percelebri fano adjacet, multaque alia prædia Gorziensi monasterio contulit. Hæc donatio facta est in loco, quem Fontanas vocant, super fluvium Mosam, anno primo Carolomanni regis. Subscribunt post Angilramnum Grimaldus, Helborardus, Goso, & Sigilbertus, forte Sigisbertus, abbates; ac Fredalius chorepiscopus, aliique. Iidem sunt Heboradus & Giso abbates, qui subscripsere aliis ipsius Angilramni litteris, quibus villam pagi Bindensis, Faum * nomine, & Gaudiacum * villam pagi Wabrensis eidem cœnobio largitur. Utræque litteræ exstant in historia episcoporum Mettensium apud Meurissium, & ex eo apud Cointium. His posterioribus litteris subscribit etiam ante duos illos abbates Optarius presbyter, qui forte non alius sit ab Optario illo abbate Gorziensi, Theodmari haud dubie successore, cujus nomen in Augiensi [c] necrologio adscriptum legitur.

* *Fau.*
* *Jouy.*

c *Analect. to. 4. p.* 644.

XXVII. S. Othmari translatio ad S. Gallum.

XXVII. Post annos decem, quam beatus Othmarus abbas in insula Rheni, *Stein* appellata, jacuerat; sancti Galli fratribus visum est, ut corpus carissimi patris in monasterium suum restituerent. Hujus rei causa undecim fratres in illam insulam missi, sepulcro aperto, corpus sacrum integrum, totiusque corruptionis expers reperiunt, manifesto innocentiæ viri sancti indicio, quam ejus inimici olim temere infamaverant. Tum scaphæ impositum, nullo negotio per vehementem imbrem ac tempestatem in proprium monasterium revectum est, & inter aram sancti Johannis-Baptistæ, adjacentemque parietem collocatum in arca quadam ipsi parieti contigua, quæ non magnis lapidibus opere cæmentitio in quatuor lateribus fabricata, supe-

ANN. CHR. 769.

rius vero tabulis in transversum positis, cæmentoque obductis cooperta erat: in qua viri Dei corpus, paullo a pavimento elatum, lignea tantum tabula supposita, jacebat. Sub capite autem & circa pectus ejus quædam panis rotulæ, quas oblatas vocant, appositæ fuerunt, ad indicium videlicet sacerdotalis ejus dignitatis: quales in tumulo sancti Cuthberti episcopi Lindisfarnensis appositæ leguntur, qui toto corpore loto, capite sudario circumdato, oblatis super sanctum pectus positis, vesti- « menta sacerdotalia indutus, in sindone cerata sepultus fuit, testante anonymo in « libro quarto de ejus vita. Ab eo tempore ad sancti Othmari sepulcrum miracula frequentari cœpta, quæ Walafridus Strabo commemorat, & post eum Iso monachus, ea scilicet, quæ facta sunt post alteram ejus translationem. In prioribus illis Tanco monachus laodatur, qui custodis ecclesiæ officio tum fungebatur. Mentio fit etiam de quodam ritu pauperum peregrinorum, qui singulis altaribus particulas ceræ voti causa imponere solebant.

ANN CHR. 770
XXVIII.
Bertæ reginæ iter in Italiam.

POstero anno Berta seu Bertrada regina, Caroli & Carolomanni regum mater, iter in Italiam per Bajoariam instituit. Causa ejus itineris incerta, nisi quod Salutiis, quæ Liguriæ urbs est, Carolomannum convenit, gliscentem inter fratres discordiam compositura. Et forte non alia adeundæ Bajoariæ causa, quam ut pari modo Tassilonem, jam tum nonnihil simultatis coquentem, in officio contineret. Eidem cooperatus est Sturmius abbas Fuldensis, qui inter Carolum & Tassilonem firmam per complures annos amicitiam statuisse, ob idque Caroli amicitiam demeruisse perhibetur. Ceterum Bertrada Romanum iter aggressa est, specie quidem, ut Apostolorum limina inviseret; re autem vera, ut cum Desiderio Langobardorum rege de ineundo cum filiis fœdere, deque mutuis inter utriusque liberos connubiis tractaret. Et Gisla quidem, Bertæ filia, Adalgiso Desiderii filio destinata fuit, sed non tradita: Desiderii vero filia, quam recentiores Ermengardem appellant, Carolo desponsata. Idem pro Carolomanno tentatum. Id graviter tulit Stephanus papa, litterisque [a] ad ambos fratres scriptis eos a talibus connubiis dehortari conatus est: ne præclara Francorum stirps regia perfida ac fœtentissima Longobardorum gente pollueretur: maxime cum legitimas jam uxores ex nobilissima Francorum gente duxissent. Atque ut eos efficacius ab his nuptiis averteret, addit, se has litteras in confessione beati Petri posuisse, & super eas sacrificium Deo obtulisse, diras imprecatus, si monenti non obtemperassent. At Bertradæ matris voluntati obsequentior fuit Carolus, &, repudiata Himiltrude, filiam Desiderii sibi copulavit, post paullum itidem eam dimissurus, ut anno sequenti videbimus. Ex his intelligitur, Gislam, Pippini regis ex Bertrada filiam, Caroli Magni sororem, necdum tunc monasticis votis addictam fuisse, siquidem eam mater Adalgiso nuptum dare volebat. tametsi ipsam *a puellaribus annu* religiosæ conversationi mancipatam tradit Eginhardus in libro de vita Caroli Magni, qui illam ut matrem, testante eodem auctore, colebat.

Gisla ejus filia, nondum monacha.
[a] Cod. Carol. ep. 45.

XXIX.
Tassilonis donatio Bauzano facta.

Eodem quo Bertrada tempore Tassilo dux Bajoariæ Romam profectus est, forte ut reginam illo in itinere comitaretur, & cum Desiderio de restituendo Sabionensi pago ageret. In reditu cum Bauzani * subsisteret, quod sancti Petri monasterium erat in diœcesi Sabionensi * seu Tirolensi comitatu, magnum terræ tractum Attoni abbati concessit *in ædificationem monasterii, atque ipsius servitium*, ut Tassilo « ipse loquitur [b] in diplomate, dato Bauzani, redeunte ex Italia eodem Tassilone, « anno ducatus ejus vicesimo-secundo: cujus initium Hermannus Contractus reponit anno ejus sæculi quadragesimo-nono. Forte tum primum Sabionensem pagum Tassilo receperat à Desiderio rege Langobardorum, in quorum potestatem antea devenerat. Eo tempore Bauzanum monasterium ædificari occœperat, cui perficiendo Tassilo hanc donationem fecit. Nunc locus ille pertinet ad diœcesim Brixinensem, cui cessit Sabionensis sedes: at recentiorem ejus monasterii statum ignoramus. Mendosus est apud Huodium, ut id in transcursu observem, primorum Sabionensium episcoporum index, quem ex pervetusto codice sancti Emmerammi sic corrige.

* Bozlano.
* de Seben.
[b] Metrop. Salisb. to. 1. p. 225.

Hac sedes vallis Noricanæ, dicta Sebana,
Ingenuinus habens primo quam rexerat almus.
Mastulo secundus, seditque regendo cathedram.

ANN. CHR. 770.

Post illum pastor servavit ovile Johannes.
Præsul Alimus erat meritis qui & dogmate quartus.
Quintus honore sedet ill. (Heinricus) fultus eodem.

Nec plura vetus codex, exaratus tempore Heinrici quinti episcopi Sabionensis, apud Hundium decimi-noni, quem Heinricum hoc loco in vetusto exemplari supplendum existimo.

XXX. Legatio ad Stephanum papam duplex. Hoc item anno directa est ad Stephanum papam legatio duplex: una Caroli & Carolomanni fratrum per Gauzibertum episcopum, Fuchbertum *religiosum*, & Ansfredum missos gloriosissimos, per quos ambo fratres renovatam inter se se amicitiam pontifici significant. qua de re pontifex litteris [a] ad eosdem redditis gratulatur. Gauzibertus forsan erat episcopus Carnutensis. Fuchbertum monachum vocat Cointius. Beraldus abbas. Alteram legationem, quæ fuit solius Carolomanni, *Beraldus religiosus abbas & Audbertus vir illuster* executi sunt. Hi Carolomanni in tuenda sede apostolica constantiam contestati sunt eidem pontifici, qui gratulatorias eidem regi litteras [b] per eosdem oratores scripsit. Erat eo tempore Beraldus abbas monasterii Epternacensis, successor Adelberti seu Alberti, aliis Berneradus seu Beororedus dictus, postmodum archiepiscopus, ut plerique putant, Senonensis, cui Alcuinus librum de vita sancti Willibrordi nuncupavit: quem Berardum missum illum fuisse Carolomanni, conjicere potius licet, quam affirmare.

a Cod. Carol. ep. 47.

b ibid. ep. 48.

XXXI. Agilulfus abbas & episcopus martyr. Ad hoc idem tempus refertur martyrium Agilulfi abbatis Stabulensis & Malmundariensis, qui nobili stirpe editus, Anglino ejusdem loci abbati a parentibus traditus, ejusdem postea successor evasit. dein Coloniensi ecclesiæ datus antistes, abbatis nihilo minus officium retinuit; demumque apud Amblavam, qui Arduennæ locus est ad fluvium cognominem, propter fidem in regem martyrio coronatus traditur, eoque nomine apud Molanum VII. idus Julii commendatur.

XXXII. Laureshami auctæ res sub Gundelando abbate. Laureshamensi monasterio hoc item anno a Cancore & Angila conjuge facta donatio est. Ejus rei litteræ in chronico Laureshamensi referuntur, datæ apud *Lauresham* anno secundo regnantibus Carolo & Carolomanno, sub die kalendarum Junii: quibus litteris donatores partem silvæ Birstatensis, sicut ipsa incisio arborum, *quæ vulgo lachus appellatur*, ipsa die facta fuit, eidem monasterio conferunt. His litteris post donatores subscribunt Thurincbertus frater ipsius Cancoris, ejusdemque filius Heimericus, qui postea litem de donationibus parentum monasterio facessivit. Sub hæc, confluente in illum locum promiscui vulgi multitudine, cum sinus basilicæ tantæ frequentiæ non sufficeret, ipseque loci situs celebri monasterio non satis convenire videretur; una omnium sententia fuit, ut in editiorem locum tam monasterii, quam basilicæ fabrica amplificanda transferretur. cujus rei executio Gundelando abbati a Chrodegango fratre demandata, prosperum finem sortita est. Ille vero, fratre mortuo, commissum sibi locum non minore industria, quam religione rexit; eoque abbate crevit in dies locus ille, cum in rebus ac possessionibus, tum in divino cultu & profectu sanctæ observationis, atque dominici gregis incremento: quibus sancti Nazarii miracula non mediocriter suffragabantur.

XXXIII. Litteræ pro S. Dionysio, & de cella S. Stephani. In reliquis hujus anni factis commemorare licet primo quidem donationem sancti Dionysii monasterio factam a Grimulfrido quodam & Adalwara ejus filia, qui partem quam habebant apud Ististolas * villam pagi Belvacensis, aliaque prædia conferunt mense [c] Januario, *annum secundum regnante domino Carolo gloriosissimo rege.* Ad hæc ipsius Caroli præceptum pro sancti Mauricii ecclesia Andecavensi, quo ad preces Mauroli episcopi concedit immunitatem in omnibus locis, quæ pertinebant ad monasterium sancti Stephani, situm in suburbio prope muros ipsius civitatis, quod antecessores reges ad lumina ejusdem ecclesiæ suppeditanda olim contulerant, ut legimus in ipso autheotico, quod Hitherius recognovit. *Data in mense Martio, anno secundo regni nostri. Actum Haristalio palatio*, ubi Carolus pascha celebravit, teste Eginhardo. Quodnam sit illud sancti Stephani monasterium seu monasteriolum (nam sic etiam in authentico appellatur) non liquet. Neque enim id intelligendum videtur de monasterio sancti Albini, olim suburbano, quod principio sanctæ Mariæ seu sancto Germano Autisiodorensi episcopo, non sancto Stephano, sacratum fuisse legitur.

* Estaules.

c Diplom. p. 497.

ANN. CHR. 771.

INsequenti anno, ejus sæculi septuagesimo-primo, Carolus regis Desiderii filiam repudiavit, & mortuo Carolomanno fratre, summa rerum in tota Francia potitus est. XXXIV. Causam repudii incertam dicit Eginhardus; hanc vero affert monachus sancti Galli anonymus in libro secuodo de Caroli vita, qnod uxor illa clinica esset, & ad propagandam prolem inhabilis; ob idque judicio sanctissimorum sacerdotom repudiata. Hanc causam rejicit Cointius, neque aliam intercessisse ait, quam quia Carolus, spreta legitima uxore Himiltrude, aliam superduxisset, improbante Stephano pontifice, cujus is monitis post annum resipuerit, revocata in palatium Himiltrude, filiaque Desiderii regis eliminata. Hæc opinio difficultate non vacat, tametsi videtur innixa litteris Stephaui papæ tertii, qui ambos fratres a contrahendo cum Desiderii filiabus matrimonio dehortans, eos dicit *conjugio legitimo* ex præceptione genitoris sui jam copulatos, accepisse ex ipsa nobilissima Francorum gente pulcherrimas conjuges, quibus extraneas superducere sit nefas. At ex Eginhardo in Caroli vita certum est, repudiata Desiderii filia, Carolum non revocasse in thorum Himiltrudem, sed Hildegardem e gente Suevorum accersivisse: sive Himiltrudis jam obiisset, sive concubinæ loco habita fuerit; ac proinde, licet adhuc superstes, præ legitima uxore, ut mos illorum temporum ferebat, omnino rejecta. Sane tres tantum Caroli uxores legitimas, præter Desiderii filiam, agnovit Eginhardus, nempe Hildegardem, Fastradam, & Liutgardem; ceteras pro concubinis habuir. Ceterum Himiltrudis legitimo connubio copulata Carolo a Stephano papa censeri ac dici potuit, ut Carolum validiori argumento deterreret a contrahendis cum filia Desiderii nuptiis: quem hostem iufensissimum cum haberet, Carolo hoc fœdere conjungi ægre patiebatur. Sane legitimum fuisse cum Desiderii filia Caroli matrimonium illud in primis persuadet, & quod Bertradæ Caroli matris consilio & hortatu contractum sit, eaque repugnante solutum; & quod Adalhardus, Caroli cognatus, numquam adduci potuerit, ut hoc divortium Desiderii filiæ probaret, quam sibi *cum quorumdam Francorum juramentu*, ait Paschasius, in conjugem petierat. Non me fugit Paschasium hoc loco, uti & Eginhardum, a Cointio improbari: an vero homini erudito quidem, sed recentiori, præ his duobus auctoribus, qui ambo Carolum & Adalhardum viderant, fides habenda sit, malim alios quam me definire. Illud maxime me movet, quod Paulus Warnefridi, qui tunc librum suum de Mettensibus episcopis scripsit, in eo ait, Carolum habuisse *ante legale connubium ex Himiltrude nobili puella filium, nomine Pippinum.* quod argumento est *legale* non fuisse Himiltrudis connubium, quæ *puella* non diceretur, si uxor legitima fuisset.

Carolus filiam Desiderii repudiat.

Sub finem hujus anni Carolomannus rex ægrotare cœpit, ac paullo post defunctus est in villa pagi Laudunensis Salmonciaco * pridie nonas Decembris, sepultusque juxta urbem Remorum, in basilica sancti Remigii: cum ante obitum suum villam Noviliacum præcepto regiæ auctoritatis pro animæ suæ remedio & sepulturæ honore ecclesiæ sanctæ Mariæ contulisset, ac basilicæ sancti Remigii, in qua sepeliri voluerat. XXXV. Hanc donationem confirmavit Carolus ejus frater, qui fratris mortui regnum initurus, mox in Arduennæ villam Carbonacum se contulit; eodemque convenientes Wilcharius episcopus, Fulradus capellanus, aliique episcopi ac sacerdotes, necnon Warinus & Adalhardus, ceterique regni Carolomaoni optimates, Carolum regem agnoverunt. Ex his patet, magnam veteris Austrasiani regni partem Carolomanno post mortem patris obtigisse, tametsi Carolo concessum dicatur in ultima continuatione Fredegarii, at secundum novam, ot superius [a] dixi, Austrasiani regni divisionem. Hinc etiam patet, Fulradum ejusdem Carolomanni capellanum fuisse, quo munere etiam apud Carolum postea functus est. Warinus & Adalhardus comites alii sunt ab Adalhardo & Warino, ut infra [b] videbimus, qui postea monachi facti, ac demum abbates, novam Corbeiam uous post alterum rexere. Mortuo Carolomanno, Girberga ejus uxor (alii Bertam vocant) cum duobus, quos ex illo genuerat, filiis tenellis, quorum unus Pippinus vocabatur, paucisque suarum partium optimatibus, in his Autcario Franco, in Italiam se recepit, seque liberosque suos Desiderii fidei commendavit, ejus confisa patrocinio, qui Carolo ob repudiatam ipsius filiam infensus erat. Eam ob causam Carolus hanc discessionem, quasi supervacuam, ait Eginhardus, impatienter tulit. Visitur in basilica Remigiana amplissimus & magnificus sepulcralis lapis ex marmore, Jovini mausoleo, quod apud

Carolomannus apud S. Remigium sepultus.

* *Saumouci.*

Carolus Francorum monarcha.

a *Supra n 19.*

b *Num. 39.*

S. Nicasium visitur, consimilis, in quo Carolomanni regis corpus conditum fuisse creditur. Sane ejus tumulum praeclarum fuisse oportet, ut ad eum spectandum Carolus Calvus accesserit, ut suo loco videbimus.

ANN CHR. 772. XXXVI. Sturmius abbas erudit Saxones.

ANnus agebatur Christi septingentesimus septuagesimus-secundus, Caroli regis quartus, cum is bellum in Saxones, expeditionibus per annos triginta saepius repetitis celebre, aggressus est, non minori fidei christianae, quam regni proprii incremento. Prima religioso principi de precibus cura, quibus Deum suo consilio propitium redderet. Congregato itaque numeroso exercitu, invocato Christi nomine, in Saxoniam profectus est, assumtis secum multis sacerdotibus, abbatibus, & presbyteris, virisque orthodoxis, qui, dum ille provinciam subigeret, ferocis gentis animos sub Christi jugum adducerent. Ex abbatibus pars maxima illius provinciae ac populi Sturmio abbati Fuldensi procuranda commissa fuit, qui, suscepto praedicationis officio, qua verbis, qua exemplis, institit modis omnibus, ut illi populi, simulacris abjectis, Christi fidem susciperent, deorum suorum templa destruerent, & lucis succisis, sanctas Deo vero basilicas aedificarent.

XXXVII. Willehadus in Frisios.

Venit subinde in laboris consortium Willehadus presbyter de gente Anglorum ex Northumbris, qui hoc tempore apud Frisios evangelico ministerio fungebatur. Is ab infantia sacris eruditus litteris, ac spiritalibus instructus disciplinis, permissu Alachrati seu Alchredi regis, qui Moloni anno ejus seculi sexagesimo-quinto in annos novem successerat, consentientibus etiam provinciae episcopis, in Frisiam trajecit: ubi primo apud Dockingam opidum, sancti Bonifacii martyrio illustre, magno cum honore susceptus, non exiguo tempore demoratus est, plurimos nobilium filios erudiens, multos a fide aberrantes ad catholicam revocans doctrinam, gentilium etiam non paucos fidei christianae mysteriis imbutos sacro fonte abluens. Inde processit ad pagum Humarcham, ubi longe dispar ejus praedicationis successus. nam, cum tota illa plaga simulacris addicta esset, adeo in sanctum evangelii praeconem exarsit, ut forte de ejus interitu tractaverit. Verum, divina providentia sortes regente, vir Dei ex eorum manibus ereptus, in Trentoniam migravit. Illic quidam divino instinctu fana circumquaque erecta evertere: alii in superstitione paganica obfirmati, insano furore in sanctum virum irruere, ac fustibus caesum multis plagis affecere. Quin etiam unus ex eis districto gladio caput ei praecidisset, ni corrigia capsae, sacris plenae reliquiis, quam collo suspensam gerebat, scientis ictum excepisset. Ibidem in illis periculis ac laboribus versatus est ad annum septingentesimum undeoctogesimum, quo a Carolo rege ad conversionem Saxonum adhiberi coepit. Eodem tempore apud Daventriam praedicationi strenuam navabat operam Liafwinus seu Lebuinus presbyter, itidem Anglus, de cujus gestis Hucbaldus monachus Elnonensis libellum composuit.

XXXVIII. Caroli M. diplomata pro Laurishamo, S. Germano, & S. Michaele.

Cum rex Carolus, dimisso Haristalio, ubi pascha celebraverat, Wormatiam contenderet, generalem Francorum conventum ad Saxonicam expeditionem ibidem habiturus, obiter accessit ad Theodonis-villam, ubi regium integrae immunitatis praeceptum Laureshamensi monasterio concessit rogatu Gundelandi abbatis, datum mense Maio, regni sui anno quarto. Corruptum videtur nomen Riudberti cancellarii, ad cujus vicem Rado hoc diploma recognovisse dicitur. Cancellarii munere tum fungebatur Hitherius, cujus vice praedictus Rado recognovit diploma, basilicae sancti Vincentii seu sancti Germani Parisiensi ab ipso Carolo rege concessum *ad petitionem venerabilis Lantfredi abbatis*, qui *ibidem custos* praefuisse memoratur. Hoc vero diplomate idem princeps confirmat omnes hujus monasterii possessiones, tam ultra quam citra Ligerim sitas, necnon immunitates a superioribus regibus eidem loco indultas. Data est haec charta XIII. kalendas Novembris Haristalio in palatio, anno regni ejus quinto ineunte. Idem rex mense Maio immunitates confirmavit monasterii sancti Michaëlis, a Wolfaudo & Adalsinda ejus conjuge constructi in pago Virdunensi ad fluviolum Marsupiam, cui tunc Hermengaudus abbas & episcopus praeerat. Actum Drippione in palatio regio publice, anno quarto Caroli gloriosissimi regis. Idem Hermengaudus traditur [a] constituisse, quid abbas, quid provisor panis & salis & saginimis, quid provisor piscium, quid denique provisores luminarium, pauperum, & hospitum, ad exercendum suum quisque officium habere deberent: quam constitutionem Carolus diplomate suo confirmaverit, uti etiam libe-

a Analect. to. 2. p. 383.

ANN. CHR. 771.

ram eligendi abbatis facultatem. Ad hæc idem Hermeogaudus, in expeditionem cum rege profectus, corpus beati Anatolii ex urbe Caduroina in monasterium suum retulisse perhibetur.

XXXIX. *Adalhardus Corbeiæ monachus.*

Interim Adalhardus seu Adelhardus, Caroli frater patruelis, Bernharto seu Bernardo, Caroli Tuditis filio, progeoitus, ne illicito, uti putabat, Desiderii filiæ repudio, atque novis Caroli cum Hildegarde nuptiis assentari videretur; aulæ ac sæculo nuntium remittere statuit, nec umquam ab ea senteotia blanditiis, aliisve modis potuit abduci. Ita novus ac delicatus tiro, in palatio una cum principe eruditus, cum vix aonos vigintl attigisset, ad Corbeiense agri Ambianensis monasterium accessit: ubi *annuo pulsans voto*, ait Paschasius, ad professionem tandem monasticam admissus est, post anouam scilicet probationem. Præerat tunc monasterio, ut creditur, Mordramnus abbas, Addonis successor, qui strenuum adolescentem, in monastica jam disciplina florenrem, *quasi ex jussu regio*, hortulanum constituit. Subiit ille cum gaudio impositum sibi humile & arduum officium, nec minorem excolendo animo, ioserendisque virtutibus, quam horto colendo, & implantandis oleribus atque arbustis operam impendit. Sunt qui existimaot hunc esse Adalhardum [a] comitem, qui una cum Warino itidem comite, aliisque Carolomanni regis recens defuncti optimatibus, obsequium Carolo novo regi præstitit. Verum alius fuit per ea tempora Adalhardus in Austria comes, inferius memorandus; & comitis dignitas non videtur novo tironi palatii, vix annos viginti naro, convenire. Certe alius est Warinus ille comes a Warino nobili viro, qui post Adalhardum novæ Corbeiæ abbas, post medium sæculum nonum devixit.

[a] V. supra n. 35.

[b] Lib. 18. n. 3.

Cum hortulani monus in veteri Corbeia exerceret Adalhardus, non sibi visus est evangelii præceptum assecutus, nisi propinquos ac patriam desereret, abiretque io longinquam regionem, ubi lateret ignotus, *ut se se fugiendo plenius inveniret*. Ad hæc timebat prudeotissimus juvenis, ne regni curis ac negotiis demum implicaretur, neu popularium laudibus, aut vento jactantiæ efferretur. Audiant hæc, ait « Paschasius, nostri concives mooachi, qui lenti requiescunt umbrarum delibuti fuli- « gine: audiant, inquam, qui post se sæcularium greges trahunt, quam parum tu- « tum sit inter suos commorari. Hæc animo agitanti noo alius conveoientior locus oc- « currit, quam mons Casinus, ubi *totius fons religionis & origo putabatur*. Succurrit etiam exemplum Carolomanni patrui, qui pari studio istuc secesserat. Eo eum pervenisset Adalhardus, a patre monasterii ut ignotus alienæ regionis monachus acceptus fuit. at, Deo volente, non licuit ipsi diu ibidem, uti optabat, immorari. quippe brevi a quodam anachoreta vulgatus est, quinam, & unde esset, & quam ob causam eo usque advenisset; prædictumque, non mulio post venturos regis ountios, qui eum repeterent, suumque in locum restituerent. Turbatus hoc vaticinio vir sanctus, abbati rem omnem confessus est, rogans eum atque obtestans, ut effugere volenti annuens succurreret, quo nomen suum ulterius, ne quidem e longinquo, umquam audiretur.

Casinum secedit.

XL. *Poto abbas Casinensis.*

Casinense monasterium tunc regebat Poto abbas, qui anno superiore Tomichisum, VIII. kalendas Februarii defunctum, exceperat, annos septem cum quinque mensibus sessurus. Hic parvam infra montem ædificavit ecclesiam in honorem sancti Benedicti, quam postea Gisulfus abbas amplificavit; estque nunc collegiata insignis ecclesia urbis sancti Germani, sub nomine saocti Salvatoris, subjecta tamen superiori monasterii ecclesiæ, quæ, cathedralis instar, episcopalem a tempore sancti patris Benedicti jurisdictionem io multas alias ecclesias exercuit. Idem Poto alteram exstruxit ecclesiam sub titulo sancti Michaëlis archangeli ad radices alterius montis, in loco non parum amœno, ubi jam dudum olivetum monasterii est, eamque picturis insignibus, versibusque, si Leoni Marsicano credimus, decoravit. Quamquam versus a Theodemaro potius additos fuisse recte observavit Angelus a Nuce, siquidem in his Poto morte præventus ecclesiam indedicatam reliquisse dicitur. Superest in hunc quoque diem eadem ecclesia cum adjuncto oliveto, oleis fere quindecim mille consito, quod sive glebæ vitio, sive borealium ventorum, quibus patet, afflatu, parem exspectationi fructum non refert.

XLI. *Rodinus monachus, frater Amalbergæ virginis.*

Hujus Potonis tempore Rodinus, Belga illustris, Casinum se recepisse fertur. Erat is germanus frater, ut perhibent, Amalbergæ virginis, quæ in Arduennæ vico, Villa-Rodingi nomine, nata memoratur. Hæc a beato Willibrordo ad virgi-

ANN. CHR. 772.

nitatis animata propositum, tum a Landrada Belisiensi abbatissa informata fuit. Postea vero, cum in parentum possessione juxta fluvium Scaldim *cum unico fratre suo religiosi jure commaneret*, ut Radbodus Tungrensis episcopos scribit; eidem in adhærente oratorio preces fundenti nuntius nomine regis, Caroli scilicet, si qua vitæ ejus scriptori fides, advenit, qui eam in sponsam postularet. quod illa constanter recusavit. Inter ea Rodinus metuens, ne forte rex iram in se converteret, ad Carolomannum ejus fratrem Remos perfugisse traditur, ab eoque benigne acceptus fuisse. Verum post aliquot dies, gratiis regi actis Romam se contulisse, atque cingulo militiæ in monte Soracte deposito, *clericatusque habitu assumto*, ad monasterium sancti Benedicti, situm in castro Casino, secessisse: ubi monachus factus, cursum vitæ præsentis in vita cœnobitica religiosissime consummaverit, postquam opima patrimonia sua sacris locis, egenisque distribuisset. Sanctæ Amalbergæ obitus hoc anno a scriptore vitæ anonymo reponitur. Ejus reliquiæ e vico Tempseca ad Scaldim, ubi ejus corpus primum sepultum fuerat, in Gandense sancti Bavonis monasterium sæculo insequenti translatæ sunt studio Rotberti abbatis, præsente Reginhelmo episcopo Tornacensi, qui anno supra octingentesimum sexagesimo-secundo fuit ordinatus. Nec plura de Rodino Amalbergæ fratre, quem a Raduino monacho apud Frodoardum laudato, & a Rodoino sancti Medardi præposito distinguere temporum ratio exigit.

XLII. Hadriani papæ privilegium Farfæ concessum.

Hoc eodem anno ineunte obiit kalendis Februarii Stephanus papa tertius, cum sedisset annos tres & menses fere sex. Successor ejus Hadrianus papa, ejus nominis primus, præsenti decima indictione privilegium concessit Probato religioso abbati Farfensis monasterii, qui ante biennium Gurberto pseudoabbati ejecto suffectus fuerat. Ejus privilegii occasio fuit direptio monasterii possessionum, quas complures nefarii homines in suos usus detorquebant. Interpellatus hac de re pontifex, ejusmodi causas commisit Miccioni notario regionario ac priori vestiarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, ejusque successoribus, qui plenas tam de his furtis, quam de aliis emergentibus ejusdem loci causis justitias facerent. Exstat ejus rei constitutio in tomo secundo [a] Bullarii Casinensis, data x. kalendas Martii, Constantini augusti anno tricesimo-tertio, Leonis vero ejus filii anno vicesimo-primo, indictione decima. Is est Probatus abbas, quem postea idem Hadrianus legatum ad Desiderium regem Langobardorum misit, *cum viginti senioribus Dei servis monachis*, ut eum ad restituendas Romanæ ecclesiæ ablatas civitates precibus compellerent: sed lapideum ejus pectus nequaquam, quantumvis supplices & ad pedes ejus provoluti, emollire valuerunt, testante Anastasio, qui Probatum *religiosum abbatem monasterii sanctæ Dei Genitricis, siti in territorio Sabinensi*, appellat: ubi libri editi, etiam apud Baronium hoc anno, *præfatum* mendose habent. Irrita itidem alia legatio fuit Pardi religiosi hegumeni monasterii sancti Sabæ, & Anastasii primi defensoris. Exstat in chartario Farfensi absque chronicis notis diploma Desiderii regis, præcellentissimæ reginæ Ansæ conjugi suæ indultum, quo confirmatur donatio unius curtis & massæ in Sextuno, & alterius in Vallanti, in finibus Reatinis, eidem Ansæ ab Adelchiso excellentissimo rege eorum filio facta, ubi Ansa monasterium condere decreverat, Farfæ subjiciendum, cui Probatus abbas tunc præerat. quæ omnia Desiderius probat, eo pacto, *ut in supra dicto cœnobio, fundato in prædictis finibus Reatinis, sub sancta regula norma congregentur servorum aut ancillarum Dei usque ad viginti, vel si amplius potuerint.*

a Bullar. Casin. to. 2. p. 13.

XLIII. S. Juliæ abbatiæ Brixiensi facta donatio.

Non omittenda hoc loco donatio, a Flavio Desiderio & Adelchiso seu Adalgiso ejus filio, hac decima indictione facta [b] *monasterio Domini & Redemtoris Salvatoris*, quod *intra civitatem Brixianam* idem Desiderius & Ansa regina conjux ipsius construxerant, cui earum filia Ansiperga Deo dicata abbatissa præerat. Ejus gratia prædicti reges bona quædam eidem parthenoni conferunt in Regiensi territorio. Actum Ticino in palatio, quarta-decima mensis Junii, anno Desiderii regis quarto-decimo, & filii ejus Adelchisi duodecimo, indictione decima. Hoc monasterium alio nomine sanctæ Juliæ appellatum est, cujus prima abbatissa erat Ansilperga, alio nomine Oriperga dicta, ut ex hoc diplomate intelligitur.

b Ibid. p. 14.

Sigoaldi patriarchæ pro ea privilegium.

Hoc monasterium ex eorum numero videtur fuisse, quæ ex voluntate conditorum alieno seu extraneo episcopo subjecta erant. Id colligitur ex privilegio Sigoaldi seu Sigualdi Aquileïensis patriarchæ, quod Anseberga venerabilis abbatissa ejus loci

ANN. CHR. 772.

loci per Prandulum cubicularium sacri palatii, ejusdemque monasterii præpositum, ab ipso Sigoaldo obtinuit, nempe ut Brixiense illud sancti Salvatoris cœnobium a cujuscumque sacerdotis ditione exemtum esset; ut clerici ejusdem loci a quocumque antistite ordines suscipere possent; ad hæc ut libera esset abbatissæ electio; denique ut neque abbatissæ, neque ulli alteri liceret monasterii codices, vasa sacrata, quamlibetve supellectilem sacram cuivis donare, aut alienare. Actum Ticini in urbe regia, III. idus Octobris, anno invictissimorum principum Desiderii & Adelgisi sexto-decimo, & quarto-decimo, sub indictione duodecima, a kalendis Septembris inchoata, id est anno Christi septingentesimo septuagesimo-tertio, non sequenti, ut Margarinus [a] censuit. siquidem eo anno Desiderius a Carolo, expugnata Papia, in Franciam abductus est. Huic privilegio post Sigoaldum patriarcham subscribunt Apollinaris Regiensis, Julianus Placentinus, aliique tres incertarum sedium episcopi, Otto, & Felices duo.

XLIV. Synodi Dingolvingensis decreta & subscriptiones.

Ad concilia quod attinet, habita est hoc anno sub indictione decima, pridie idus Octobris, synodus Dingolvingensis in Bajoaria ad ripam Isaræ, anno vicesimo-quarto ducis Tassilonis: cui synodo interfuerunt sex tantum episcopi, abbates vero tredecim. In ejus præfatione patribus visum est, ut nec monachis parochiæ ac tituli populares commendarentur, nec publica baptismatis officia ab eisdem tractarentur, præterquam in periculo mortis, *excepto si vicissitudinis villarum propriarum singulis annis obedientialibus curis commissio ab abbate proprio fuerit commendata.* quæ verba, sane obscuriora, de visitatione parochialium ecclesiarum, quæ in villis monasterio cuivis subjectis sitæ erant, per monachos jussu abbatis quotannis facienda, interpretari licet. Capitulum tertium est, ut episcopi juxta canones, & abbates monasteriorum *secundum Regulam* vivant, haud dubie Benedictinam, quæ ubique illis in partibus tunc temporis vigebat. Quartum est de sanctimonialibus, ut nullus ausit eas in conjugium ducere. Ad hæc inter episcopos & abbates convenit, ut, cum quis eorum de luce migraret, unusquisque superstitum episcoporum vel abbatum pro defuncto in domo * sua episcopali, vel cœnobio centum missas speciales, totidemque psalteria cantari faciat: ipse vero triginta speciales missas compleat, vel a religiosis sibi subjectis compleri curet. Idem de presbyteris & monachis statutum, ut pro singulis episcopus vel abbas triginta [b] missas speciales, totidemque psalteria persolvi satagat. Cetera prætereo decreta hujus synodi, cui subscribunt sex, ut jam dixi, episcopi, nempe Virgilius Saltzburgensis, Wisericus Pataviensis, Hæres sive Aribo Frisingensis, Sintprecht seu Simpertus Ratisponensis, Alimus Sabionensis, & Manno Nuvenpurgensis seu Neoburgensis, qui duo episcopatus quatuor primis a Bonifacio erectis adjecti sunt. Abbatum nomina hæc sunt: Opportunus, Wolpreht, Adalpreht, Ato, Uto, Lantfrid, Albune, Ruothart, Ernest, Reginpreht, Volchanhart, Perrhoz, Sigido. Sua singulis ita licet assignare monasteria, ut Opportunus sit abbas Menensis seu Lunælacensis vel Manseensis in diœcesi Saltzburgensi; Wolprechtus Altachii-inferioris, in diœcesi Pataviensi; Ernestus Superioris, in Ratisponensi; Adalpreht seu Adalbertus Tegernsensis, & Uto sive Audo seu Otto Ilmensis seu Ilminensis in Frisingensi, uti & Lantfridus Buriensis seu Benedictoburanus, Ato seu Atto Bauzanensis in Sabionensi. Non ita explorata sunt sex aliorum abbatum monasteria, tametsi Aventinus Albuno tribuit Sandunense, Ruthardo Wessobrunnam, Reginoberto Pfafomonasterium, Wolchanharto seu Wolcardo Austraviam, Perrhozo seu Berchtoldo Chimense, Sigidoni Weltenburgense. De plerisque monasteriis illis jam egimus, nempe de Lunælacensi, utroque Altachio, Tegernsensi, ejusque conditore ac primo abbate Adalberto; fratreque ejusdem Utone abbate Ilmensi; itemque de monasterio Buriensi, primoque ejus abbate Lantfrido, atque de Attone Bauzano. Actum etiam de Wessobrunna, Pfafomonasterio, Austravia, & Weltenburgo: de solis duobus, Sandunensi & Chimensi, nulla hactenus facta mentio: nisi si Sandunense Aventinus intelligit Sandaviense, quod Lantfridus, Waldramus, & Elilandus fratres construxisse dicuntur in diœcesi Frisingensi. Chimense seu Chemense monasterium in Saltzburgensi conditorem habuisse traditur Tassilonem ducem: sed de eo nihil fere compertum ante cladem ab Hungaris acceptam. De illo intelligendum videtur pervetustum Augiæ [c] necrologium, in quo laudatur ex monasterio Chaminceso Liutfridus abbas sub Caroli Magni aut Ludovici Pii principatu. In brevibus annalibus [d] Ratisponensibus Opportunus abbas

[a] Ibid. p. 26.

* Le. Domo.

[b] V. supra num. 2.

[c] Analect. to. 4. p. 643.

[d] Ibid. p. 476.

anno ſeptingenteſimo octogeſimo-quinto obiiſſe dicitur, ſed monaſterii ejus nomen haud exprimitur. Idem primariis litteris monaſterii Chimenſis ſubſcripſit.

ANN. CHR. 773.
XLV.
Caroli M. legatio ad Hadrianum papam, & expeditio in Italiam.

ANno inſequenti ſeptuageſimo-tertio rex Carolus, Langobardicum bellum ſuſcepturus, legatos ad Hadrianum papam miſit, Georgium ſanctiſſimum epiſcopum, Gulfardum religioſum abbatem & conſiliarium, & Albinum *deliciosum* ipſius regis, ut loquitur Anaſtaſius, inquiſituros, an Deſiderius ablatas eccleſiæ Romanæ civitates, uti promiſerat, reſtituiſſet. Georgii epiſcopi ſedes ignoratur: Gulfardus ſeu Wlfardus abbas erat Turonenſis ſancti Martini monaſterii: Albinus ille Caroli delicioſus alius eſt ab Alcuino, qui Eboraci etiam tunc reſidebat, necdum in Galliam tranſmigraverat. Legati ad Carolum reverſi, Deſiderium promiſſis non ſtetiſſe retulerunt. Miſſi cum eis Hadriani papæ nuntii Carolum datis litteris interpellarunt, ut Pippini patris ſui exemplo ſanctam Dei eccleſiam a Deſiderii vexatione redimeret. Carolus cum valido Francorum exercitu, ſuperatis alpibus, in Italiam ingreſſus, Deſiderium Papia incluſum circumſiſtit: dum Adalgiſus Deſiderii filius, aſſumto ſecum Autchario Franeo, cum Girberga uxore Carolomanni quondam regis, ejuſdemque filiis, in urbem Veronam ſe recepit. Hoc accepto, Carolus, majori exercitus ſui parte Papiæ relicta, cum reliquis copiis Veronam advolat: cui protinus Autcharius ille Francus, uxorque ac filii Carolomanni ſe tradiderunt. Hos Carolus benigne accepit: ſed quid eis deinceps factum ſit, veteres ſilent. Prope fidem eſt, eos remiſſos fuiſſe in Galliam, & monaſteriis incluſos, ut regi Deſiderio contigit. Sane Autcharius ille Francus idem mihi videtur cum Otgario ſeu Orgerio illo, quem Meldenſi ſancti Faronis monaſterio nomen dediſſe inferius videbimus. Hoc facto, Carolus ad urgendam Papiæ obſidionem revertitur.

Rabigaudus abbas Aninſulenſis.

Dum Papiæ verſaretur, præceptum edidit ſuper commutatione facta inter Merolum Cenomannenſem epiſcopum & Rabigaudum abbatem Aninſulenſem, cui Sabunarias, villam ſitam in pago Cenomannico, in condita Labtocinenſi, quam domnus Senardus opere ſuo de novo conſtruxerat, ubi & requieſcebat, tradidit Merolus; eique viciſſim Rabigaudus dedit villam Curteboſanæ & Montem-Ebertramnum in eodem pago, in condita Siliacenſi. Datum undecimo kalendas Martii, Papia civitate. Idem Rabigaudus jam a Carolo præceptum immunitatis obtinuerat apud Valentianas, anno regni ejus tertio. De Merolo epiſcopo ſuperius [a] actum. Interim Spoletani, Reatini, Firmani, & Auximates Langobardi, qui adverſus Carolum cum Deſiderio progreſſi fuerant, ad propria reverſi, Hadriano papæ ſe dediderunt, &, præſtito prius ſacramento, Romæ ad ſanctum Petrum omnes *Romano more tonſurati* fuere, barba & capillo inſtar Romanorum præciſis.

a Lib. 21. n. 74.

ANN. CHR. 774.
XLVI.
Primum Caroli iter Romam.

DUm Papiæ obſeſſio protrahitur, Carolus Romam contendit, paſcha inſequentis anni cum Hadriano celebraturus. Hæc prima ejus fuit ex quatuor Romana peregrinatio. Quo ritu in Urbem a pontifice acceptus ſit, quidve religioſiſſimus princeps Romanæ tunc eccleſiæ præſtiterit, Anaſtaſius diſerte tradit. Illud obſervatu dignum, quod diploma donationis, eidem eccleſiæ factæ, ab univerſis epiſcopis, abbatibus, & optimatibus ſubſcribi voluit, ejuſque exemplum ſuper altare beati Petri, deinde in ſancta ejus confeſſione, datis ſacramentis ad futuram rei cautionem, poſuit: *apparem* vero ſeu aliud exemplum ipſius donationis, ab Etherio ſeu Hitherio cancellario ſcriptum, intus collocavit ſuper corpus beati Petri, ſubtus evangelia, quæ fideles ibidem oſculari ſolebant: alia denique ejuſdem donationis exempla ſecum apportavit. Itaque ex Urbe ad Papiæ obſidionem revertens, Piſanum & Lucenſem epiſcupos, ne quid forte ſe abſente molirentur, ſecum adduxit. Hos ut in eccleſias ſuas reverti fineret, Hadrianus papa ſcriptis ad ipſum litteris [b] obſecravit, in quibus teſtatur, ſe ab eo tempore, quo ille a Romana urbe receſſerat, dediſſe operam, ut quotidie ſingulis horis atque momentis *omnes ſacerdotes, ac religioſi Dei famuli monachi per univerſa monaſteria*, ſimulque & reliquus populus, tam per titulos, quam per diaconos trecentos * *Kyrie eleiſon* pro ipſo, felicique armorum ejus ſucceſſu contentis vocibus decantarent.

b Codex Carolin. ep. 55.

* f. trecenties.

XLVII.
Deſiderius in Corbeiam relegatus.

Papia expugnata, victor Carolus Deſiderium regem cum Anſa ejus uxore ac filia comprehendit, atque in Franciam ablegari juſſit, paullo poſt ſubſecuturus, poſtquam ſancto Petro civitates ablatas reſtituiſſet. Quid poſtea Deſiderio evenerit,

ANN CHR. 774.

non produnt veteres Francorum annales. Unus inter omnes Hepidannus, monachus sancti-Galli, memoriæ prodidit, Papia sub jugum missa, « regem Desiderium « & Ansam ejus uxorem relegatos fuisse ad Corbeïam monasterium agri Ambianensis: « ubi Desiderius in vigiliis, & orationibus, & jejuniis, multisque bonis operibus « ad diem obitus sui permansisse memoratur. Desiderii partes ac fortunam secutus est Fardulfus, cui postea Carolus sancti Dionysii abbatiam commendavit. Atque hic finis regni Langobardorum in Italia fuit, anno postquam Italiam occupaverant, ducentesimo sexto.

XLVIII. Caroli M. tres tituli & epochæ.

Carolus, capta Papia, in Langobardici regni possessionem venit, ab eoque tempore duplicem in regiis diplomatibus epocham adhibuit, nempe regni sui in Francia & in Italia, cujus annus primus cum anno regni Francici sexto comparatur, initio sumto à medio mense Maio hujus anni, quo regnum Langobardicum iniit: cum regnum Francicum ab octavo kalendas Octobris, quo Pippinus ipsius pater decessit, iniisset. Multa duplicis hujus epochæ exempla inferius occurrent usque ad annum octingentesimum, sub cujus finem tertia his duabus epocha ab annis imperii accessit. Carolum Modoëtiæ coronam ferream in signum & investituram regni Langobardici accepisse cum nemo veterum prodiderit, nobis negare licet, tametsi recentiores plerique id asserant. Neque vero id necesse erat: cum ritum illum a nullo Langobardorum rege ante Carolum observatum fuisse ex Paulo Warnefridi constet, quo auctore discimus, novis regibus eum morem fuisse, ut hastam regi declarato porrigerent. Certe non nisi longo post Carolum intervallo Langobardorum reges hoc ferreo diademate initiati fuere. Ejusdem generis est jus eligendi Romanum pontificem, atque episcopatus conferendi, eidem Carolo, ut quidam ex Sigeberto interpolato & Gratiano adstruere conantur, ab Hadriano papa concessum: quod jus commentitium esse Carolus Cointius fuse probat.

Patriciatus Romanorum.

Ab hoc anno Carolns Patricii Romanorum titulum, quem eidem Stephanus II. ante annos viginti, uti Pippino ejus patri ac Carolomanno fratri, concesserat, usurpare cœpit cum titulo regis Langobardorum; eoque usus est ad illud usque tempus, quo imperator renuntiatus fuit. nam Patricii titulo deinceps abstinuit; nec quisquam regum nostrorum, sive ante, sive post eum, si bene memini, hunc titulum in litteris suis sibi tribuit. Id factum videtur ob eam, ut alias [a] dixi, causam, quod ante hunc annum Patricii appellatio honorarius dumtaxat titulus esset; deinceps vero rem ipsam præstaret, hoc est præfecturam Urbis & circumjacentium regionum. quam dignitatem tanti fecit Carolus, ut eam, tametsi perpetua [b] esset, sibi a Leone III. confirmari per Angilbertum abbatem [c] petierit, suamque vicissim, hoc est filii ac defensoris, fidem spoponderit. Ritum instituendi patricii superius [d] retulimus ex veteri codice, ex quo etiam discimus, qualis ejus habitus fuerit, in hæc verba. *Hinc induat ei mantum, & ponat ei in dextro indice anulum, & det ei bombacenum,* id est chartam ex bombyce, *propria manu scriptum, dicens: Esto patricius misericors & justus. Tunc ponat ei in caput aureum circulum, & dimittat eum.* [e] Eadem fere habet Cassiodorus, agens de honore patriciatus, nisi quod præter chlamydem, etiam calceos addit. Omnia præter circulum capitis & anulum exprimit Fginhardus in vita Caroli, quem ait peregrina indumenta respuisse, *excepto quod Romæ semel, Hadriano pontifice petente, & iterum Leone successore ejus supplicante, longa tunica & chlamyde amictus, & calceis Romano more formatis induebatur.* Verum hæc omnia longe melius repræsentabit ipsius Caroli in patricii habitu effigies, quam ex codice antiquo Paulus Petavius, & ex eo Johannes-Jacobus Chifflerius in Anastasi Childerici protulit in lucem, qualis lectorum oculis subjicitur in pagella sequenti.

a *Diplom.* p. 73.
b *Cassiod. var. lib.* 6. *ep.* 2.
c *apud Alc. epist* 64.
d *Lib.* 23. *n.* 2.
e *Cassiod. var. lib.* 6, *ep.* 9.

ANN. CHR. 774.



Ubi media figura Carolum Magnum in patricii habitu, excepto quod anulus in dextro ejus indice non videtur; duæ aliæ primicerium & secundicerium referunt, uti Petavius explicavit. Sed vereor, ne his, quæ ad institutum nostrum proprie non pertinent, nimium immorer: tametsi quæ ad tantum principem spectant, non sint omnino extra propositum, quippe quæ rebus consequentibus lucem & ornatum afferant.

XLIX. Laureshamensi dedicationi interest.

Carolus ab Italica expeditione ad Saxones, qui motus ciebant, coercendos proficiscens, Laureshamum accessit, ibique dedicationem ecclesiæ sancti Nazarii martyris, ejusque corporis translationem celebravit *in capite kalendarum Septembrium*, ut tradit chronographus Laureshamensis, id est ipsis kalendis Septembris, ut diserte notatur in kalendario Laureshamensi, quod sæculo nono scriptum fuit. Emendandum in eo chronico annum recte monuit Cointius, consentiente Hermanno, qui hoc anno ecclesiæ sancti Nazarii dedicationem reponit cum annalista Laureshamensi; quem a chronographo ejusdem monasterii distinguendum esse ex hoc loco patet. tametsi utrumque opus auctorem habet monachum Laureshamensem. De chronico res constat apud omnes: de annalibus vero satis patet ex his auctoris verbis; ubi de sancti Nazarii translatione agens, *Laureshaim* monasterium suum vocat. Andreas Chesnius, & post eum fere omnes, Eginhardum annalium Laureshamensium parentem existimarunt. sed hanc sententiam Cointius hoc anno invictissimis argumentis refellit. Hujusce dedicationis celebritatem chronographus hoc modo commemorat. Gundelandus abbas, perfecta jam templi fabrica, &, ut domum Dei decebat, splendide exornata, apud Spiram civitatem regi ex Italia redeunti occurrit, magnopere obsecrans, ut ipsius ecclesiæ consecrationi præsens interesse dignaretur. Rex benigne assensit, eoque cum Hildegarde regina, filioque Pippino (Carolum & Ludovicum nondum natos male addit chronographus) ac plurimis regni principibus accessit. Hæc vero dedicatio magnifico apparatu & summa veneratione facta est per Lullum Moguntinum archiepiscopum & Weomadum Trevirensem, ac per episcopos Megingozum Wirziburgensem, Angelramnum Mettensem, & Waldricum, quem Cointius Lausannensem episcopum esse opinatur. Eodem die in novam basilicam corpus sancti Nazarii summa pompa translatum est. Non diu superstes fuit Megingozus episcopus, de quo superius actum est.

L. Campidonam translata corpora SS. Gordiani & Epimachi.

Eodem anno corpora sanctorum Gordiani & Epimachi ex urbe Roma in Alamanniam sive Sueviam translata sunt, teste Hermanno, id est in monasterium Cam-

pidonense, quod ab Andegario abbate anno hujus sæculi quinquagesimo-secundo incoli cœpit. Id muneris Romæ accepisse dicitur Andegarius ipse, procurante Hildegarde regina, quæ idem monasterium fundasse traditur, id est rebus ac possessionibus, & forte ædificiis auxisse, jam dudum rudi forsan opere ab ipso Andegario exstructum. Id facile crediderim de regina Suevici generis, tametsi nulla idonea invenio ejus rei argumenta. Prætereo vulgatum a Stengelio Caroli Magni diploma, in quo multa historicæ veritati absona congeruntur. De Andegario abbate primo Campidonensi, quem Hermannus laudat, nulla deinceps in vetustis monumentis occurrit mentio, nec de ejus successore, ne quidem in veterrimo [a] necrologio Augiensi, in quo commemorantur *ex monasterio Chambituna Theobun & Anulo*, quos abbates fuisse non puto. In diplomate [b] Ludovici augusti, Tattoni ejus loci abbati concesso, Hildegarda ejusdem principis mater sanctos martyres Gordianum & Epimachum Campidonæ collocasse perhibetur. qui locus veteri loci traditioni fidem conciliat, Hildegardem scilicet ejus monasterii, si non conditricem, saltem dotatricem ac benefactricem fuisse.

a Analect. to. 4. p. 643.

b Ibid. p. 449.

LI. Post Laureshamensis basilicæ dedicationem Carolus Ingelheimium, atque inde Haristalium, tum Duriam seu Duram profectus est. Hanc ejus itineris seriem colligit Cointius tum ex vetustis annalibus, tum ex variis diplomatibus, quæ hoc tempore iis in locis idem princeps edidit. Primum occurrit pro ecclesia Trevirensi, cui tum Weomadus præsidebat, datum Haristalio in palatio kalendis Septembris, anno regni ejus sexto. Hoc diploma Trevirensi ecclesiæ confirmat *cellam sancti Maximini, cellam sancti Paulini & sancti Eucharis, & monasterium sanctæ Mariæ, Horrea dictum*, aliasque ecclesias. Verum sincerum & authenticum hoc præceptum præstare nolim; quippe quod suspectum reddunt invocatio *Domini Dei Salvatoris* initio præmissa, Suavis ad vicem Ercanbaldi recognitio, & indictio in fine præter morem Carolinum apposita. Nullum quippe afferri potest genuinum Caroli diploma cum simili invocatione; neque Ercanbaldus ejus cancellarius anno regni ejus sexto, sed Hitherius erat, & post eum Rado; nec nisi serius Erchamboldus, cujus notarius Suavis nullibi mihi occurrit. De indictione constat apud omnes, in diplomatibus Carolinis nullum ejus usum fuisse.

Caroli M. diplomata pro ecclesia Trevirensi.

LII. Alterum diploma est pro monasterio sancti Dionysii a Fulrado obtentum, quo cellæ sancti Hippolyti magnam cujusdam silvæ partem donat ad usus servorum Dei ibidem habitantium: quo in diplomate fit mentio Bobolini-cellæ; quæ huic silvæ adjuncta erat. Datum est hoc præceptum in Dura * palatio agri Juliacensis, XVIII. kalendas Octobris, anno regni sexto, illudque Rado ad vicem Hitherii recognovit, mendose Wigbaldus apud Dubletum. Ad hunc item annum revocandum est diploma Carolinum, quod Cointius anno septuagesimo-primo ex vitiosa Dubleti editione assignavit, datum Salmunciaco in palatio, mense Decembri, *anno septimo & primo* regni ejusdem Caroli, ut in sinceris exemplis, ubi tantum *primo* apud Dubletum legitur. Hoc diplomate Carolus ratas habet donationes earum villarum, quas « domnus genitor ipsius Pippinus per manus suas eidem monasterio tradiderat, nem- « pe Faverolas villam pagi Madriacensis, ac Norontem pagi Carnoteni, cum por- « tione silvæ Aquilinæ, certis *leuvis* seu limitibus circumscripta, cum utrisque fera- « rum generibus, cervorum scilicet, capreolorum seu capolorum: *ex quorum coriis libros ipsius sacri loci cooperiendos* constituit; *nec non etiam ex supra dicta venatione infirmorum fratrum corpora ad tempus reficienda, reparanda & roboranda.* quod argumento est, Dionysianos monachos extra infirmitatis articulum, uti regula sancti Benedicti præcipit, a carnibus etiam tum abstinuisse. Leoas in codice [e] Irminonis abbatis easdem esse puto cum leuvis quarum hic mentio est.

Pro S. Dionysio, ubi tum a carnibus abstinentia vigebat.

* Duren.

e Supra. num. 17.

LIII. In annalibus Nazarianis ad hunc annum Haribertus abbas, scilicet Morbacensis, obiisse memoratur, & post eum Amicho abbas ordinatus fuisse. Nec plura de Amichone abbate. Ejus haud dubie successor fuit Sindbertus seu Simpertus, episcopus & abbas, quem Bucelinus, & post eum Carolus Cointius ex indice abbatum Morbacensium perperam expungunt. Is ab ineunte ætate monachus fuit, dein abbas in illo monasterio, quod *specialibus magnisque privilegiis, a Carolo Magno datis*, augeri curavit, teste Sigismundo monacho in chronico Augustano, qui ea se vidisse affirmat. Hunc postea crescentibus meritis & fama ecclesiæ Augustanæ episcopum impositum fuisse idem auctor, aliique tradunt. Demum post regiminis annos tri-

Morbacenses abbates.

Simpertus episcopus & abbas, alius a Ratisponensi.

ANN. CHR. 774.

ginta mortuus VII. idus Octobris, sepultus fuit in basilica sanctæ Afræ, quam ipse instauraverat. Ejus obitum referunt recentiores ad annum octingentesimum-nonum. Hunc distinguere oportet a Simberto Ratisponensi episcopo, quem anno septingentesimo nonagesimo-primo decessisse constat. Simperti Augustensis tumulum sanctus Udalricus episcopus divino monitu sæculo decimo cooperiri curavit. De abbatiali ejus dignitate dubitare non sinit titulus [a] ejus epistolæ, quam inscribit *reverentissima cuidam matrifamiliæ Sindbertus, dono Dei vocatus episcopus atque abba de monasterio Morbac*, ad postulandas preces pro anima cujusdam fratris nuper defuncti. Huic successisse videtur Guntramnus abbas, cui Leo papa tertius & Ludovicus Pius diplomata concessisse perhibentur. Post hunc Sigismundus abbas apud Bucclinum, forte non alius a Sigimiaro abbate, notato in sæpius laudato necrologio [b] Augiensi.

[a] *Analect. to. 4. p. 323.*

[b] *ibid. p. 643.*

LIV. S. Wigberti abbatis translatio.

Cum in villam agri Moguntini Ingelheimium Carolus pervenisset, exercitum suum *in quatuor scaras* seu turmas divisit, easque direxit contra Saxones, qui tunc Hassiam infestabant. Eorum impetum veriti monachi Fritislarienses, corpus sancti Wigberti primi quondam abbatis sui, in proximum opidum munitissimum, cui *Buriburg* nomen erat, transtulerunt. Mox infesto agmine subsecuti Saxones, cœperunt opidanos lacessere. at illi facta eruptione adversarios fuderunt meritis sancti Wigberti, qui supra ecclesiam Fritislariensem ipsis Saxonibus conspicuus visus est. Iidem non multo post, instauraturi male toties experta certamina, Fritislariensi ecclesiæ ignem subjicere non semel tentarunt: at divinitus repulsi, debitas impietatis dedere pœnas. quod meritis tributum non modo sancti Wigberti, sed etiam sancti Bonifacii episcopi & martyris, qui hanc ecclesiam consecraverat, prædixeratque fore, ut numquam illa incendio cremaretur.

LV. Item S. Rudberti episcopi.

Eodem anno facta est translatio corporis sancti Rudberti episcopi Saltzburgensis, ejusque sociorum in novam ecclesiam, quam Virgilius antistes in ejus honorem exstruxerat. Id factum VIII. kalendas Octobris, & quidem Tassilonis ducis anno vicesimo sexto. quod veteres annales [c] Ratisponenses præsenti anno consignant. Ab eo tempore sedes episcopalis a monasterio sancti Petri in novam sancti Rudberti ecclesiam migravit.

[c] *Analect. to. 4. p. 476.*

LVI. Benedicti conversio & tirocinium apud S. Sequanum.

Hic annus recepta Italia insignis, toti ordini Benedictino in primis memorandus venit ob conversionem Benedicti, vulgo dicti Anianensis, qui hoc ipso anno ex aula Pippini regis ad monasticam vitam accessit. Hic nobili genere in Gothia seu Septimania ortus, sed virtutum splendore longe clarior futurus, patrem habuit comitem Magdalonensem seu Magalonensem, virum armis ac fide in Francos inclytum, qui Wascones in Francorum fines effusos magna quondam strage prostravit. Tanti parentis haud degener filius, in palatio primum gloriosi Pippini regis *inter scholares* seu optimatum filios enutritus, dein pincernæ officio fungitur, eoque mortuo, Caroli gloriosissimi regis obsequio adhæsit. Inter ea ejus animo sensim inardescere cœpit divinus amor, votumque influere sæculum relinquendi ac perituros honores, quos non sine magno labore se adepturum perspiciebat, adeptosque brevi amissurum. Hanc cogitationem per totum triennium, solo Deo conscio, alta mente repostam gerens, experimentum sui faciebat in dies, probaturus, an continentiæ propositum tenere valeret; ob idque reprimere linguam, a cibo abstinere, parcius vinum sumere, sicque, ut peritus athleta, ad futurum se bellum componere tentabat. Dum hæc in sæculari habitu agitaret, quamquam penitus a sæculi consuetudine ac moribus recedere jam constituisset, hæsitabat nihilo minus animo, quodnam vitæ genus arriperet, an peregrini assumeret habitum; an vero cujuspiam in servitium se daret, ut oves aut armenta gratis pasceret; an denique sutoris exerceret artem, & quæ habere posset, pauperibus erogaret. In tali fluctuantis animi certamine, demum ad monasticæ ac regularis vitæ propositum se convertit. quod hac occasione factum est. Ipso anno, quo Italia gloriosi Caroli regis ditioni subacta fuit, cum Benedicti frater tranando fluvio a tumentibus raptus undis in vitæ periculum incidisset, iste equo insidens, viso fratris periculo, se se inter undas præcipitem dedit, ut pereuntem discrimini eximeret, atque natante equo fratris manum attigit, vicissimque ab eo tentus est, vixque mortis periculum ipse evasit. Tunc voto se Deo obstrinxit, se deinceps sæculo non militaturum. Mox patriam repetiit, sed patri consilium suum non patefecit. Erat illis in partibus vir quidam religiosus, Widmarus nomine, corporea luce orbatus, at spiritali totus resplendens. Huic propositum

tum aperuit suum Benedictus, quod ille secretum tenuit, eique salubre consilium dedit. Præparatis itaque omnibus, iter, quasi Aquisgranum iturus, arripuit: sed ubi ad Segestrense in Burgundia sancti Sequani monasterium pervenit, redire suos ad patriam jubet, seque in illo cœnobio Christo domino servire velle declarat. Tum postulat ingrediendi facultatem. qua adepta, mox capitis comam deposuit, verique monachi habitum sumsit. ANN. CHR. 774.

Jam vero monachus factus, incredibili corpus suum inedia per biennium & sex menses affecit, cibum permodicum sumens, solo pane puraque aqua, vinum quippe ceu pestiferum virus devitans, contentus, ut mortem potius quam famem arcere videretur. Somnum si quando defessus capere cogebatur, vili se strato paullulum quieturus collocabat, nuda quandoque humo prostratus, ipsa sua se plus reque defatigaturus. Sæpe etiam pervigil in oratione pernoctans, nudis plantis pavimento in ipso glaciali rigore insistens, ita divinis meditationibus, sacræque psalmodiæ se totum dabat, ut quam plures continuaret dies, silentii legem nequaquam interrumpens. Quin etiam quiescentium fratrum calceamenta tergere solitus, ea locis congruis munda reponebat, æquo ferens animo quorumdam vesanam audaciam, qui ipsi procul posito caligas jactabant. Erat ei magna in veste vilitas; abjecta & pervetusta tunica, quam non nisi post plures exactos mutabat dies. Cuculla item nimia vetustate consumta; &, si qua ruptura fieret, hanc ex dissimilis panni colore farciebat. quæ res eum non parum deformem, & aliorum ludibrio obnoxium reddebat. Balneorum usum per idem tempus corpori suo numquam indulsit: monasterii munditias, quoties opportunitas exigebat, facere solitus. Compunctionis gratia divinitus tanta ei concessa, ut lacrymis ac gemitu quotidie pasceretur. Pallebant ora jejuniis, & macie exhausta carne, pellis ossibus hærebat, atque, in modum paleariæ boum, rugata pendebat. Hoc modo tenerum corpus, quadam quasi morte conficiens, ut abbatis jussu hunc rigorem moderaretur minime adduci potuit. Nec contentus regula sancti Benedicti, quam tironibus seu infirmis impositam dicebat, ad beati Basilii & sancti Pachomii instituta conscendere nitebatur: tametsi præcipua semper ei cura erat de sancti Benedicti regula, in cujus amorem magis ac magis in dies accendebatur. Hinc aliorum mores cœpit corrigere, negligentes arguere, tirones exhortari, admonere probos ut amplius proficerent, improbos increpare, ut emendarentur. LVII. Monachus ut se gerit.

Inter ea cellarii cura ei injungitur, tumque ad præceptum regulæ se componens, licita petentibus sine mora largiri, indebita male petentibus negare, impossibilia exquirentibus blande excusare studebat. Hospitum, infantum, pauperumque, omni sagacitate, ut regula præcipit, curam gerebat. Quamobrem abbati carus acceptusque cum primis erat, quod esset in omnibus monasterio utilis, in seipsum cautus ac providus, nec minus de aliorum salute sollicitus; in loquendo rarus, ad obediendum promtissimus, in monendo affabilis ac benignus: cui rei divina pietas, inter alias virtutes, intelligentiæ donum & eloquentiæ spiritalis copiam ei contulerat. Cellerarii officium post biennium ac sex menses ab ingressu in monasterium Benedicto assignatum fuisse innuere videtur Ardo seu Smaragdus ejus vitæ scriptor; postque decursum quinquennii & octo mensium in hoc officio spatium, abbatem sancti Sequani e sæculo migrasse, inque ejus locum Benedictum electum fuisse, quam sententiam cum Carolo Cointio sequemur. Cellerarii officium.

CUm postero anno Carolus in villa Carisiaco, ad Isaram supra Noviomagum sita, hiemaret; audito Saxones rebellare, consilium iniit, ut perfidam gentem bello aggredi perseveraret, dum aut victi christianæ religioni subjicerentur, aut omnino delerentur, uti legitur in annalibus Laureshamensibus. Huc multo labore, multaque constantia opus fuit ad finiendum illud bellum, quo nullum aut prolixius, aut atrocius habuit. Post illam expeditionem Saxonicam jam novi motus Carolum in Italiam denuo vocant. Horum primus auctor Leo Ravennatium episcopus, qui plerasque Æmiliæ urbes Hadriano papæ eripere instituit. Pontificis litteris [a] pulsatus Carolus, legatos ad eum præmisit, ut eum de ferendo a se auxilio certiorem faceret. Legati fuere Possessor episcopus, alibi [b] archiepiscopus dictus, & quidem, ut puto, Ebredunensis; & Rabigaudus [c] religiosus abbas, de quo jam superius egimus, iterum de eo inferius acturi. Hi apud Spoletum diutius morati, ut Hilde- ANN. CHR. 775. LVIII. Caroli altera expeditio in Saxones & in Italiam.

[a] Cod. Carol. ep. 54.
[b] Ibid. ep. 72.
[c] Ibid. ep. 63.

ANN. CHR. 775.

a Ibid. ep. 58.

brandum ducem Hadriano reconciliarent ; tum Beneventum profecti, novis [a] Hadriani ad Carolum querelis occasionem dederunt. Accessit defectio Rotgandi Langobardi, quem Forojuliensium ducem Carolus constiruerat. Hæ causæ Caroli in Italiam iter accelerarunt, quod tamen nonnisi anno sequenti confecit.

LIX. Varia ejus diplomata pro S. Dionysio & Farfa.

In variis hujus anni discursibus Carolus varia præcepta diversis ecclesiis, pleraque sancti Dionysii monasterio concessit. Unum est, quo villam pagi Parisiaci, Luzarcham nomine, cum ecclesia sanctorum Cusmæ & Damiani ; necnon aliam pagi Meldici villam Masciacum basilicæ Dionysianæ donavit. actum in ipso monasterio sancti Dionysii v. kalendas Martias, anno septimo & primo regni ejus. Duo alia pro eodem edidit Carisiaci pridie idus Martias ad confirmandas superiorum regum præceptiones.

Ibidem datum est monasterio Acutiano seu Farfensi privilegium rogatu Probati
» abbatis, ut ipsa casa Dei sub tali privilegio esse deberet, sicut cetera monasteria
» Lirinensium, Agaunensium, & Luxoviensium, *ubi prisca patrum Basilii, Benedicti,*
» *Columbani, vel ceterorum patrum regula custodiri videtur* : id est, ut nullus epis-
» coporum pro electione abbatis munus accipiat, nec potestatem habeat ex ipso mo-
» nasterio auferendi cruces, calices, patenas, codices, vel reliquias, aut quaslibet
» res de ministerio, id est de sacra supellectile, ecclesiæ ; nec ipsum monasterium po-
» nere sub tributo principum ; aut demum censum tributumve in eodem monasterio
» exigere queat. Ad hæc quandocumque abbas ipsius monasterii de hac luce migra-
» verit, liceat monachis, quem digniorem inter se invenerint, eligere successorem,
» *secundum regulam sancti Benedicti, & sicut ordo eorum edocet.* Hoc [b] diploma, quod
» Wighaldus ad vicem Hitherii recognovit, datum est VIII. kalendas Junii, anno
» septimo & primo regni domini Caroli ; actum Carisiago palatio publico, in editis
» male *Carilego*. ubi dum prisca patrum Basilii, Benedicti & Columbani, vel ceterorum patrum regula monasteriis Lirinensi, Agaunensi, & Luxoviensi tribuitur ; vel id de harum regularum in eodem monasterio conjunctione interpretandum, vel potius dicendum est his verbis haberi rationem primitivarum regularum, principio in illis monasteriis observatarum : in quibus una tunc sancti Benedicti regula videtur viguisse, cujus unius fit mentio in diplomate Ludovici [c] augusti, ubi de iisdem monasteriis agitur, concesso, ut idem Farfense monasterium sub tali privilegio consistat, *sicut cetera monasteria, quæ in Francia sub sancti Benedicti patris norma consistunt.*

b Chesn. to. 3 p. 652.

c Ibid. p. 654

Eodem anno Wastingas villam pagi Salmensis ac diœcesis Mettensis, quam Adalbaldus genitori suo tradiderat ; simulque mansos quosdam, apud Carisiacum sitos, monasterio sancti Dionysii, & cellæ sancti Privati apud Salonam sitæ, contulit Carolus mense Novembri apud Theodonis-villam. Præter hæc regia diplomata, quæ exstant apud Dubletum, duo alia habentur in libro sexto de re diplomatica. Unum,
» ad confirmandas ejusdem loci possessiones, datum VI. kalendas Julias Carisiaco pa-
» latio publico, anno septimo & secundo regni Caroli.

* Plaisir.

Alterum est ejusdem placitum, quo Placitium * monasterium agri Pinciacensis basilicæ sancti Dionysii vindicatur adversus Herchenradum seniorem episcopum Pa-
» risiensem, agente Folrado abbate. Hoc monasterium, quod sanctæ Mariæ & beato
» Petro sacrum erat, a Dionysianis malo ordine retineri asserebat Herchenradus, pro-
» pterea quod Francus quidam, nomine Aderaldus, *ad casam sanctæ Mariæ, sancti*
» *Stephani, & sancti Germani*, qui cathedralis ecclesiæ, aliarumque adjunctarum pa-
» troni erant, per suum instrumentum condonasset. Contra vero Fulradus tendebat,
» Francum hominem, nomine Hagadeum, sancto Dionysio tradidisse. In hac contro-
» versia judicio crucis res terminanda visa est. Productus ex parte sancti Dionysii
» Aderammus, ex parte sanctæ Mariæ Corellus : qui in capella regia, *recensenda missa*
» *Harnaldo presbytero*, expansis in modum crucis manibus, instarent, eo pacto, ut qui
» primus manus deponeret, ejus pars causa caderet. Corellus, homo Herchenradi
» episcopi, manibus trepidare cœpit ; sicque convictus episcopus, Placitinm Fulrado
» resignavit ; idque judicio suo Carolus una cum fidelibus suis, Ghaërardo, Bernar-
» do, Radulfo, Hilderado, Ermenaldo, Hebroïno, Theudoaldo, & Agmone co-
» mitibus ; Halrberto, Laumberto, Haërterico, & Anselmo comite palatii, aliisque
» comprobavit. Datum v. kalendas Augustas anno septimo regni sui, in villa Duria, palatio publico. Ghaërardus seu Gerardus comes erat Parisiensis, superius jam laudatus.

Judicium Crucis.

Divionensi

ANN. CHR. 771.

LX. S. Benigni abbas Waldricus.

Divionensi sancti Benigni monasterio tum præerat Waldricus abbas, idemque pontifex appellatus, quo abbate multæ eidem loco donationes factæ leguntur, tum in chronico, tum apud Perardum, qui pleraque harum donationum instrumenta retulit. Una est [a] Ansegaudi cujusdam, qui res suas, in pago Atoariorum positas, tradit prædictæ basilicæ, ejusve custodibus, tam presbyteris & diaconibus, quam lectoribus, die dominico proximo post kalendas Martias, anno septimo regni domini Karoli regis. In hoc instrumento Waldricus tantum abbas, in duobus subsequentibus etiam pontifex appellatur, nempe anno decimo ejusdem Caroli, & anno decimo-quinto; atque utrobique David presbyter & custos ejusdem basilicæ appellatur, id est præpositus, uti chronographus interpretatur. Ex quo veri simile est, Waldricum in illo temporis intervallo in sede Lingonensi successisse Herulfo episcopo, qui in monasterium Elewangense a se conditum hoc tempore secessisse traditur. Waldricus primus e Lingonum episcopis, uti jam monuimus, quasdam ecclesias Reomaënsi monasterio contulit rogatu Waldonis abbatis, qui hanc augendæ rei familiaris rationem excogitasse a Roverio dicitur: ratus, quod eventus docuit, « populum exemplis ac virtutibus monachorum pellectum, copiosius illic suas seu de- « cimas, seu dona alia convecturum, laxatisque angustiis, plures ad Dei cultum & ec- « clesiarum subsidium convolaturos. «

[a] a Perard. p. 10 & seqq.

LXI. Lantfredo abbati S. Germani succedit Wichadus.

Eodem anno Lantfredus abbas sancti Vincentii sanctique Germani apud Parisios obiisse memoratur in paschalibus cyclis, ejusdemque dies obitus in necrologio pridie idus Februarii assignatur. Huic successit ad breve tempus Wichadus abbas, anno septimo Caroli regis, laudatus in primariis litteris Frodoini cujusdam abbatis, Filcherolas super fluvium Rosdon tradentis basilicæ sancti Vincentii & sancti Germa- « ni, ubi præerat vir venerabilis Wichadus abbas una cum norma plurima monacho- « rum. qui Wichadus, aliis Guichardus, Rechardusve, sed mendose, appellatur. Vix triennio monasterii regimen tenuit Wichadus abbas, ut patet ex præcepto Caroli regis, qui Rotberto abbati ejus successori immunitatem a teloneis concedit anno decimo regni sui in Francia, in Italia quinto. In veterrimo necrologio nostro kalendis Novembris Wichadi abbatis depositio notatur.

LXII. Novalicienses abbates, Frodoinus, aliique.

Haud scio an Frodoinus abbas mox laudatus idem fuerit cum Frodoino abbate Novaliciensi, qui hoc tempore florebat. Erat is filius cujusdam incluti Francigenæ, nomine Mauregati, ab eodem in monasterio Novaliciensi oblatus puer Azenario abbati, qui & ipse Francus genere erat, ac nominatissimus inter proceres Francorum. Illic in omni scientia litterarum eruditus, nec minus virtute præstans, post Witgarium episcopum & abbatem, Azenarii successorem, in monasterii regimen assumtus est, ordinatus IV. idus Februarii: eique præerat ipso tempore, quo Carolus rex ad subjugandam Italiam adversus Desiderium regem movens, alpes Novaliciensi monasterio adhærentes penetravit. Abstineo a referendis fabulis, quas de hac expeditione chronographus [b] Novaliciensis narrat. Illud certum, quod idem auctor tradit, beatum, ut ipse vocat, Frodoinum, cum vellet ipsius ecclesiæ testamentum renovari, quod quondam Abbo patricius fecerat, misisse ad Carolum tum imperatorem duos monachos, Agabertum scilicet ac Gislarannum, rogaturos, ut suo imperiali præcepto hoc testamentum renovaret. quod pius imperator benigne annuit. Idem auctor placitum quoddam commemorat duorum ejusdem imperatoris legatorum, nempe Rapertonis comitis & Andreæ episcopi, ejusque capellani, qui villam Oziatis eidem monasterio asseruere, causam agente Raimperto advocato, una cum Adamo & Dodone monachis ejus loci. Piget referre nugas illius chronographi de Hugone, quem Caroli Magni filium esse dicit, eumque ab eodem rege commendatum Frodoino abbati, ut in sancta & monastica professione illum nutriret. Hugonem certe a Frodoino jussu Caroli educatum, ac Novaliciensis monasterii post Amblulfum rectorem fuisse non inficior: at cetera in fabulis habeo. Hugonis illius gratia Carolus multa eidem loco prædia terrarum, ac thesaurum multum, id est sanctos martyres Cosmam & Damianum, sanctum quoque Walericum, aliosque donasse dicitur. quod in oblatione ipsius Hugonis a Carolo facta se legisse chronographus asserit. Si me mea non fallit conjectura, non alius fuerit Hugo iste ab Hugone, Caroli Magni filio ex concubina Regina, Drogonis uterino fratre, qui furte Frodoino abbati educandus traditus, sed non sollemniter oblatus, post Caroli obitum jussu Ludovici tonsus ac relegatus in monasterium est, an Novaliciense, cujus post-

[b] b Chesn. to. 2. p. 254.

modum abbas factus sit post Amblulfum Frodoini successorem.

ANN. CHR. 775.

Valde perturbata est Novaliciensium per id tempus abbatum series. Azenarius subscripsit conventui Attiniacensi anno ejus sæculi sexagesimo-quinto. Hunc excepit Witgarius episcopus Mauriennensis, sub quo Warnarius decani, & Richarius præpositi officio functi sunt. Horum tempore Amblulfus, nobilis puer, a Widilone parente in eodem monasterio oblatus Deo est: cujus rei formula, omnium forte quæ supersunt antiquissima, refertur a prædicto chronographo, ad præscriptum sancti Benedicti regulæ omnino accommodata, ejusque ex verbis ac sententiis contexta. Frodoinus Witgario jam suffectus erat anno septuagesimo-quarto, quo Carolus in Italiam contendit. Vixit in abbatiali regimine annos quadraginta-tres, ut diserte habet Attipertus monachus, scriptor clarissimus, in capite textus evangeliorum, quem Frodoini abbatis jussu exaravit. Anonymi chronographi mentem non videtur assecutus Franciscus Augustinus ab Ecclesia in chronologia Pedemontana, ubi Josephum abbatem Azenario præponit, eumque dicit esse, cui Carolus Magnus villam Bardonissam donavit. Chronographi hæc verba sunt. *HLudowicus namque cum patre Carolo eidem* Frodoino *auxit vallem Hardonissam*, Augustino *Bardonissam, cum castro Bardino, de eadem valle abbati Joseph præceptum faciens.* Cujus loci si non fallor, hæc sententia est, Ludovicum Aquitaniæ regem una cum patre Carolo hanc vallem contulisse Frodoino abbati, quam postea idem Ludovicus, mortuo patre, abbati Josepho confirmaverit. Cointii interpretationem non affero, propterea quod repugnet annis quadraginta-tribus regiminis, quos Attipertus monachus Frodoino tribuit. Sic itaque ordinanda videtur Novaliciensium abbatum series: ita ut post Azenarium, qui conventui Attiniacensi interfuit anno ejus sæculi sexagesimo-quinto, sequantur Witgarius episcopus, Frodoinus, Amblulfus: *quo defuncto, excellentissimus pater Eldradus in abbatia præficitur*, inquit chronographus, & post Eldradum Joseph, de quo mox diximus.

ANN. CHR. 776.
LXIII. Caroli M. donatio facta Paulino magistro.
* Londo.
a Baron. an. 802. n. 13.

ANno proximo, hujus sæculi septuagesimo-sexto, Carolus in Italiam profectus, nascentes motus compressit, occiso Rotgando duce Forojuliensi, & Leone Ravennate antistite ad officium adducto. Cum Loreiæ * in ducatu Veneto ad Athesim moraretur, *viro venerabili Paulino, artis grammaticæ magistro*, donationem fecit ex rebus & facultatibus cujusdam Waldandii, qui in illo bello ex parte rebellium interfectus fuerat, ut fidem facit ejus rei diploma Carolinum, a Baronio [a] aliisque relatum, sed male consignatum anno septuagesimo-tertio, utpote datum xv. kalendas Julii, anno octavo regni ejusdem Caroli, Loreia civitate. Hunc esse putant Paulinum, qui paullo post ab eodem rege patriarcha Forojuliensis creatus est.

LXIV. Abbo Saxo Fontanellæ baptizatus.

Vix bellum Forojuliense confecerat Carolus, cum Saxones iterum rebelles ipsum cis alpes reverti cogunt. Conventu apud Wormatiam habito, cum validis copiis subito in Saxoniam irrupit. Perterriti Saxones sponte se subdiderunt, seque christianos fieri velle professi sunt. Eis hac conditione piissimus ac clementissimus princeps indulsit, ut obsides in rerum fidem darent. Inter illos obsides, quos diversis temporibus Carolus a Saxonibus accepit, Abbo Saxonici generis apud Fontanellenses nostros celebre sibi nomen vindicavit. Mos erat illis temporibus, ut monasteria quædam insigniora milites certo numero ad bellum conducerent. In his quidam monasterii Fontanellæ miles, nomine Sigenandus, dum Saxonum gentilium opes cum aliis diripit, ab eisdem comprehensus, capitisque damnatus fuit. Cum vero duceretur ad locum, ubi caput ipsi resecandum erat, sancti Wandregisili patrocinium sæpius invocabat. Hac re motus Abbo, simulque viso confirmatus, captivum ad castra Francorum remisit; ipseque postea obses Carolo datus, atque Fontanellam perductus, suscepta fide christiana baptizatus, verusque christianus factus est.

LXV. Caroli placitum & litteræ pro Laureshamo.

Post hanc expeditionem rex in villam regiam Haristalium venit, ibique natale Domini celebravit. Dum illic versaretur, eo accessit Gundelandus abbas Laureshamensis, conquesturus adversus Heimericum, Cancoris fundatoris sui filium, qui
» hoc monasterium sibi vindicare tentabat, quasi pater suus Cancor ipsum de hoc
» monasterio investivisset. Contra Gundelandus prolatis litteris probavit, aviam
» Heimerici Williswindam, ejusque genitorem Cancorem, germano suo Ruodgango
» seu Chrodegango archiepiscopo (sic episcopum Mettensem vocabant) hoc mona-

AN. CHR. 776.

ſterium tradidiſſe, ac confirmaſſe. His auditis, Carolus una cum fidelibus ſuis, Hagino, Rothlando, Frodegario comitibus, aliiſque, boc monaſterium Gundelando liberum adjudicavit. Idem princeps libertatis & immunitatis privilegia eidem cœnobio conceſſit, hoc eſt omnimodam exemtionem a judiciali poreſtate & a quovis tributn, liberamque eligendi abbatis facultatem: comperto, *quod ipſa congregatio ſub recto ordine vivere, & in regula ſancti Benedicti converſari deſideraret.*

LXVI. Gregorii abbatis Trajectenſis obitus.

Hoc anno ex hac vita migraſſe videtur Gregorius abbas Trajectenſis, & quidem VIII. kalendas Septembris, cum prope jam ad ætatem annorum ſeptuaginta perveniſſet, & paralyſi per triennium laboraſſet. In his graviſſimi morbi anguſtiis ne tunc quidem a pia mentis agitatione ceſſavit, ſed aut divinos libros legi, aut pſalmos cantari ſeu recitari coram ſe curavit. Dolentibus amicis, quod Albricus nepos ejus ac dilectus diſcipulus, qui in Italia regali ſervitio erat occupatus, abeſſet; prædixit vir Dei, ſe ante ejus reditum non moriturum. Et ille quidem rediit triduo vel quatriduo ante tranſitum Gregorii, qui per illud tempus multa eccleſiæ utilia cum illo contulit. Dein libros diſcipulis ſuis diſtribuit vir ſanctus, in his Liudgero librum ſancti Auguſtini, Enchiridion appellatum. Tum, morte imminente, ſe ante oratorium Salvatoris a diſcipnlis portari juſſit: ibique oratione facta, & communione ſacri corporis & ſanguinis Domini accepta, oculis ad altare converſis, mente in cæleſtia erecta, ad Deum migravit, cum a paſſione ſancti Bonifacii annos viginti-duos eccleſiam Trajecti ad Rhenum adminiſtraſſet, epiſcopus ob id a nonnullis vocatus, uti Notkerus Richarium abbatem Centulenſem ob ſimilem rationem epiſcopum vocat. Libellum de vita Gregorii abbatis ſcripſit Liudgerus ejus diſcipulus, qui ejus in primis caritatem prædicat, aitque, ſicut cupidi pecuniarum & avari, oui animam ſuam venalem habent, timent ne lucra terrena prodant ac perdant; ſic metuiſſe virum ſanctum, ne forte abſcondendo ea & cuſtodiendo perderet cæleſtia. Nullum in eo locum invenit ſuperſtitio, ut idem Liudgerus vocat, veſtium & ciborum: ſed uno eodemque cum ceteris veſtimento & victu ſemper contentus erat, parce admodum vino uti ſolitus. His verbis innuere videtur Liudgerus, Gregorium a carnibus non abſtinuiſſe. quod etiam uſurpavit ipſe, tametſi habitum ſancti Benedicti induerat in monaſterio Trajectenſi, & in primario noſtri ordinis cœnobio Caſinenſi duos annos ac dimidium egiſſet, nt ſuo loco exponetur. Johannes de Beka auctor eſt, Gregorium ſepultum fuiſſe in Trajectenſi baſilica Salvatoris, non in Suſterenſi *, uti Willelmus Heda ſcribit, cœnobio virginum olim Benedictiuarum diœceſis Leodicenſis, quod ſerius a Francone epiſcopo conditum ille putat, ſed perperam; cum Sueſtrenſe ſeu Suſterenſe cœnobium primum auctorem [a] habeat ſanctum Willibrordum.

* *Suſteren.*

[a] *Supra lib. 18. n. 56.*

Gregorii obitum panllo ſerius diſtuleram in ejus actis, ratus eum quindecennem Bonifacio adhæſiſſe anno ejus ſæculi viceſimo-ſecundo; ſeptuagenarium in paralyſim incidiſſe, ac triennio ſupervixiſſe; adeoque non obiiſſe ante annum ejuſdem ſæculi octogeſimum-primum. Bollandus & Cointius rem aliter ſtatuunt ob Altfridi in vita Liudgeri auctoritatem, qui Liudgerus poſt mortem Gregorii preſbyter ordinatus, moxque in Oſtrachiam miſſus, ibidem in verbi divini prædicatinne per ſeptennium perſeveravit uſque ad Windecbindi ducis Saxonum infeſtationem, quam anno octogeſimo-quarto accidiſſe exiſtimant, uno anno antequam baptizaretur. Ob eam rationem Cointius, admiſſo Gregorium quindecennem non ante annum viceſimum ejus ſæculi annum Bonifacio adhæſiſſe, ita Liudgeri ſententiam explicat, ut Gregnrius mortuus dicatur, cum prope jam ad ſeptuaginta annorum ætatem perveniſſet, & paralyſi per triennium laboraſſet. Gregorio ſuffectus eſt Albricus ejus nepos ac diſcipulus, de quo infra.

LXVII. Weomado epiſcopo Trevirenſi ſuccedit Richbodus ex abbate.

Eidem anno conſignatur obitus Weomadi metropolitæ Trevirenſis, qui in baſilica ſancti Maximini ſepultura donatus eſt. Poſt eum Richbodus ordinatur epiſcopus, ut in veteri hiſtoria Trevirenſi legitur, nulla alia ipſius commemoratione facta. Cratepolius & Browerus Mediolacenſem ante pontificatum abbatem fuiſſe aſſerunt. Sane monachum fuiſſe patet ex Alcuini epiſtola triceſima-quarta, cujus titulus eſt, *Ad pontificem Rigbodum Treverica civitatis, cognomento Macarium:* hæc vero inſcriptio: *Pio patri & amico cariſſimo Macario, monacho & pontifici.* In contextu hujus epiſtolæ dolet Alcuinus eum ſibi ereptum. ſibi melius eſſe bunc pauperem habere præſentem, quam divitem abſentem. *Ubi eſt*, inquit, *dulciſſimum in-*

ANN. CHR. 776. *ter nos colloquium? ubi sacrarum litterarum studium desiderabile?* Deinde eum oblique castigat, quod, se neglecto, totus sit in Virgilio. *Flaccus recessit, Virgilius accessit, & in locum magistri nidificat Maro.* & in fine: *Utinam evangelia quatuor, non aeneides duodecim pectus compleat tuum, & te avehat quadriga ad caleste palatium.* Eidem inscripta est epistola quadragesima, in qua eum Alcuinus filium, fratrem, & amicum dicit, hortaturque ad sibi scribendum. Si Richbodus ante episcopatum ejus discipulus fuit, eo praeceptore in Britannia usus fuisse dicendus est. an autem & ipse ex ea insula ortus sit, non definio. De Richbodo interpretanda videtur Alcuini epistola quarta ad Davidem seu Carolum regem, a quo postulat Felicis, immo infelicis magistri exemplar libelli mitti *Richbono & Taudulfo episcopis, doctoribus & magistris, ut singuli pro se respondeant.*

LXVIII. Madalveo Fremodo abbas apud S. Vitonum. Incidit in idem tempus obitus Madalvei episcopi Virdunensis, qui anno vitae paenultimo sua omnia sancto Vitono donavit in ipsa sancti Vitoni sollemnitate, v. idus Octobris. Sepultus est cum antecessoribus suis in basilica Vitoniana, aut potius in oratorio coemeterii eidem basilicae adjuncto. Monasterii regimen post eum accepit Fremodo diaconus & abbas: cujus tempore Becco canonicus, vir nobilis, res quasdam eidem sancto Vitono tribuit pro anima fratris sui, in eodem coemeterio sepulti. Idem Fremodo praestariam de quibusdam praediis fecit Bettoni abbati, qui eadem praedia post mortem suam sancto Vitono meliora & auctiora reddidit.

LXIX. Theodulfo Laubiensi Anso. His adjungendus est Theodulfus episcopus & abbas Laubiensis, qui partim sub Pippino primum principe, post facto rege; partim sub Carolo rege Laubias rexit, bonisque non mediocriter auxit. Obiit hoc anno, ipso die festivitatis sancti Johannis Baptistae, teste Fulcuino abbate, qui eum sanctum vocat. Eodem elogio insignitur Anso ejus successor, pro captu ingenii ac temporis litteris deditus, qui libellum de vita sancti Ursmari Theodulfo decessori suo nuncupatum; alterum item de sancto Ermino, ejusdem sancti Ursmari successore, rudi stilo composuit. Viginti-quatuor regiminis annos ei tribuit Fulcuinus, atque eum decessisse eodem anno, quo Carolus renuntiatus est imperator. Emendandus ergo hic auctor, cum Theodulfum annos novem sub Carolo rege abbatis munus obiisse dicit, ubi septem tantum dicere debuisset.

LXX. Medensis monasterii exordium. Non praetermittendum hoc loco Medense virginum Benedictinarum coenobium, cujus originem ad hoc tempus referunt. Abest hic locus Mediolano millia quatuordecim, via Comensi. Ejus auctores fuisse tradunt nobiles duos fratres, Haimonem & Veremundum. Hi cum aliquando venationi darent operam, (sic factum narrant) apros duos in se incursantes conspicati, in proximam sancti Victoris aedem colli impositam perfugiunt; & conscensa uterque lauro, quae gemina ibi forte aderat, cum ne sic quidem immanium belluarum rabiem declinare se posse formidarent, voto se obstrinxere, se, si ex illo periculo salvi & incolumes emergerent, eo loci monasterium amplissimum aedificaturos. Voti compotes facti, rem executi sunt, aedibus religiosis ibidem exstructis, quas Deo dicatis virginibus, sub regula sancti Benedicti victuris, commiserunt; ipsique eodem in loco, deposito saecularium curarum onere, monasticam vitam professi sunt. Horum anniversaria celebritas idibus Februarii quotannis recolitur in vico Meda, ac praecipue in Medensi monasterio, quod etiam nunc stat penes sanctimoniales Benedictinas. Cum multi anni a morte praedictorum sanctorum effluxissent, Besutia loci abbatissa illustris, augustiori templo in honorem sancti Victoris exaedificato, sanctorum Haimonis & Veremundi corpora honorificentiori loco reposuit. Eorum cultum in urbem Mediolanum propagavit sanctissimus antistes Carolus Borromaeus, qui paullo ante obitum locum invisit, eosdem sanctos veneraturus; ejusque exemplo Federicus Borromaeus sollemni ritu eorum reliquias ex veteri oratorio in majorem coenobii ecclesiam transtulit, & subtus aram, a se dedicatam, in sepulcro marmoreo plumbea theca inclusas decentissime composuit. Haec fusius apud Bollandum ex italico libello Emmanuëlis Lodi, qui uberiorem hac de re narrationem Catharinae Siccae abbatissae Medensi nostro saeculo nuncupavit.

LXXI. Autpertus abbas S. Vincentii ad Vulturnum. In superioribus egimus de monasterio sancti Vincentii ad Vulturnum fluvium in Benevento, deque primis ejus loci abbatibus Paldone, Tasone & Tatone consanguineis, quibus Atto, Herempertus & Johannes successere. Post Johannem duo eodem tempore abbates ejus monasterii fuisse memorantur, Poto nimirum & Autper-

tus. quod qua ratione factum sit, obscurum est. Existimaverim Johanne mortuo electum fuisse Potonem, qui, cum forte Francis infestus esset, ipsumque Carolum regem verbis procacibus lacessivisse culparetur, ab officio remotus sit a plerisque monachis, inque ejus locum suffectus Autpertus, ex Gallia oriundus, agentibus Francis monachis, qui in eo monasterio non pauci erant. Non tamen propterea Poto dignitate cessit, immo ad Carolum in Gallias profectus est, causam purgaturus. Discedentem regi commendavit Hadrianus papa, scriptis [a] ad Carolum litteris, in quibus ait, cunctam congregationem, id est majorem forte partem, venerabilis monasterii concordibus animis a se poposcisse, ut suis apicibus pro abbate ipsorum, « qui apud eum insons accusatus fuerat, intercederet: quippe qui nullo pacto læsæ ma- « jestatis, aut violatæ fidei reus a quibusvis accusatoribus suis probari posset. Audito Po- « tone, Carolus hujus causæ cognitionem Hadriano papæ commisit, mandavitque, ut apud pontificem se sisterent adversæ partes, Poto videlicet cum suis, & Autpertus cum accusatoribus Pothonis: ut, auditis utrimque rationibus, justam pontifex sententiam ferret. Verum in ipso itinere repentina morte occupatus [b] est Autpertus, ut inferius videbimus. Hic est Ambrosius-Autpertus, qui, cum esset impeditioris linguæ, promtam loquendi facultatem meritis beatissimæ virginis Mariæ recepisse fertur. Eum Caroli Magni magistrum & archicapellanum perperam vocat chronographus Vincentinus: qui in hoc etiam lapsus videtur, quod eumdem regem ad monasterium sancti Vincentii accessisse dicat, ante quam Autpertus monachum induisset. Multa vero scripsit religiosus vir ante id tempus, in his commentarium in apocalypsin, & quidem *temporibus Pauli Romani pontificis, necnon & Desiderii regis Langobardorum, atque Arechisi ducis ejusdem provinciæ*, nempe Beneventanæ, ut fidem facit clausula, eidem commentario ab ipso apposita, in qua præmittit, se ex Galliarum provincia ortum, intra Samnii vero regionem apud monasterium martyris « Christi Vincentii maxima ex parte divinis rebus imbutum, & sacrosanctis altaribus « ad immolanda Christi munera traditum fuisse. Commentarium suum, quem *Speculum parvulorum* inscribi placuit, Stephano papæ, eo nomine tertio, Pauli successori, nuncupavit, ab eoque petiit, humilitati suæ prospiciens, ut sua lucubratio ejus decreto confirmetur. quod *nullum* præter se *alium tractatorem*, seu expositorem sacræ scripturæ, fecisse existimat. *Sed non ideo*, inquit, *libertas succubuit, quia humilitas se ipsam libere prostravit.* Gerardus episcopus Cameracensis in epistola [c] ad Leodicenses archidiaconos quamdam sententiam refert ex commentario hujus auctoris, quem Ambrosium Autbertum vocat.

ANN. CHR. 776.

a Cod. Carol. ep. 73.

b Ibid. ep. 72.

c Chron. Camerac. lib. 3. c. 28.

POtoni abbati Vincentino æqualis ac cognominis fuit Poto abbas Casinensis, qui postero anno, post annos regiminis septem & menses quinque, fato functus est IV. kalendas Julii, sepultus juxta ecclesiam sancti Benedicti. Potoni duodecimo loco successit Theutmarus seu Theodemarus abbas, cui veterrimus abbatum Casinatium index novemdecim præfecturæ annos tribuit cum Leone Marsicano & Petro diacono. Multa de hoc abbate commemorantur ab eodem Leone. Et primo quidem juxta prædictam ecclesiam sancti Benedicti, quam ejus antecessor infra montem exstruxerat, erexisse traditur insigni opere templum in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, plumbeis laterculis tectum: cujus fabrica quadrifida duodecim innixa erat columnis, super quas turris altior eminebat, adjunctas habens quatuor alias turres, pro singulis ejus porticus angulis erectas. Versus eidem ecclesiæ ab eodem Theodemaro inscripti referuntur a Leone Marsicano, quos hoc loco exhibere tanti non est, uti nec singulas donationes Casinatibus ejus tempore factas. Sub hoc abbate Casinum ad conversionem venit Paulus diaconus, de quo in præsens agendum est.

ANN. CHR. 777. LXXII. Potoni abbati Casinati succedit Theodemarus.

Paulus genere Langobardus, patre Warnefrido, a quo Warnefridi cognomen tulit, matre Teudelinda ortus est, ut ipse testatur in historia [d] Langobardorum, ubi majores suos, nempe Leuphim abavum, Lupicim proavum, avum Arichim commemorat. Hos in Forojuliensi castro Venetiæ provinciæ sedem habuisse idem testatur. Aquileiæ tamen natum fuisse Paulum tradit Herkempertus, idque innuere videtur Hildericus, ipsius Pauli discipulus ac monachus, demumque abbas Casinensis, qui in epitaphio a se composito ita præceptorem suum laudat.

LXXIII. Pauli diaconi prima facta.

d Paulus de gest. Langob. lib. 4. c. 39.

ANN. CHR. 777.

Eximio dudum Bardorum stemmate gentis,
Viribus atque armis qua tunc opibusque per orbem
Insignis fuerat, sumsisti generis ortum.
Tam digna postquam, nitidos ubi sæpe Timavi
Amnis habet cursus, genitus tu prole fuisti.

Timavus, Carnorum fluvius, inter Aquileïam & Tergeste labens, nonnumquam tribuitur Aquileiæ, a qua septem dumtaxat passuum millibus abest. Hinc Martialis[a]:

a Martial. lib. 4. ep. 25.

Et tu Ledæo felix Aquileia Timavo.

In præmissis Hilderici versibus *prolis* nomen non pro liberis, sed pro genere ipso sumitur, ut apud Venantium Fortunatum non semel. Paulus in aula regia educatus, a Ratchiso rege Langobardorum litterarum studiis admotus est, teste Hilderico.

Divino instinctu, regalis protinus aula,
Ob decus & lumen patriæ, te sumsit alendum:
Cum tua post Tibridem populis & regibus altis
Tunc placida cunctis vita, studiumque maneret,
Omnia sophiæ cœpisti culmina sacra,
Rege monente pio Ratchis, penetrare decenter.
Plurima captasses digne cum dogmata cujus,
Resplendens cunctis, saperis ut phœbus ab astris,
Articoas rutilo decorasti lamine gentes.

b Paul. diac. lib. 6. de Lang. c. 7.

Præceptorem habuit in grammatica Flavianum, quem ipse laudat, [b] nti & Felicem ejus patruum, his verbis. *Eo tempore*, nempe Cuniberti regis, *floruit in arte grammatica Felix, patruus Flaviani præceptoris mei: quem in tantum rex dilexit, ut ei baculum argento, auroque decoratum inter reliqua largitatis suæ munera condonaret*, nempe Felici, si recte capio.

Ratchiso rege mortuo, Paulus non minus acceptus fuit Desiderio ejus successori, qui eum arcanorum consiliorum participem fecit, si Herkemperto credimus, cujus hæc verba sunt in fusiore historia Langobardorum. *In præfati regis Desiderii temporibus floruit in arte grammatica diaconus Paulus, qui fuit ortus ex Forojuliensi civitate; quoad familiæ originem, parentibus secundum sæculi dignitatem non infimis; carus etiam regi in tantum, ut ipse rex in omni arcano verbo consiliarium eum haberet.* Desiderii regis eum notarium fuisse asserit Leo Marsicanus, & post eum Petrus diaconus. Neutrum dicit Hildericus, qui versibus præmissis proxime subjungit Pauli conversionem ad vitam monasticam, quasi ex aula Ratchisi, spretis honoribus, ad montem Casinum se receperit. Non tamen parvi pendenda Herkemperti, hominis subæqualis, hoc in loco auctoritas: nec crediderim Paulum, ante subactum, captumque a Carolo Desiderium, vitæ monasticæ nomen dedisse. Leo Marsicanus auctor est, id factum post mortem Arichisi ducis Beneventani, quæ accidit anno supra septingentesimum octogesimo-septimo. cui non facile assenserim ob rationes, quas inferius proferam. Verum in fabulas amandanda videntur, quæ idem Leo [c] commemorat, nempe Papia urbe capta, cum Paulus regi Carolo admodum carus ac familiaris factus esset, ipsum nihilo minus ab invidis accusatum fuisse conceptæ in Carolum conjurationis ac necis ob fidem in Desiderium regem. qua de re a Carolo interrogatum constanter respondisse, se domino suo fidelissimum semper fuisse; & in eadem fide, quamdiu viveret, perseveraturum. qua re iratum Carolum jussisse, ut Paulo manus præciderentur: at mox retractata sententia intulisse: Si manus tanto viro præcidantur, ubinam tam elegantem scriptorem reperiri posse? Tum consultis procerjbus oculos ei eruendos visum esse: at regi hoc consilium pariter displicuisse, quod tam insignem historiographum ac poëtam nusquam inveniri liceret. Proinde jussisse, ut in Diomedis insulam, quæ Tremiti a tribus montibus nunc dicitur, relegaretur. Hæc vero exposuisse perinde est ac refutasse. Certe nullam tunc historiam scripserat Paulus, qui libros de gestis Langobardorum Casini

c Chron. Casin. lib. 1. c. 15.

composuit, & Eutropii Romanam historiam in Arichisi palatio continuasse traditur ab ipsomet Leone Marsicano, postquam ex illo, si credere fas est, exsilio revocatus fuerat. ANN. CHR. 777.

Mihi a vero non videbitur aberrare, qui Paulum, capta Papia civitate, in Franciam cum Carolo venisse dixerit, & post reditum monachum induisse, & forte principio suspectum fuisse Carolo, qui eum postea maxime familiarem habuit. Meminit Paulus [a] ipse peregrinationis suæ in Galliam Belgicam, ubi in loco, qui Tonis-villa * dicitur, status sui umbram metiens, decem & novem & semis pedes invenit. Tunc etiam in urbem Pictavorum accessit, ubi rogatus ab Apro abbate, Venantii Fortunati epitaphium composuit, ab ipsomet [b] relatum. Cupiebat etiam invisere Adalhardum monasterii Corbeiensis abbatem: sed præpeditus, ut ipse ait, in epistola ad ipsum, *lassitudine sonipedum*, istuc venire non potuit. Ex eadem epistola constat, magnam inter utrumque necessitudinem intercessisse: quæ non video ubi coalescere potuerit, nisi in monasterio Casinensi, ubi Adalhardus versatus est sub tempus obsidionis Papiensis. An forte Paulus jam tum ibi monachus erat? an reversus e Gallia eo secessit, ibique reperit Adalhardum, cum quo amicitiam contraxerit? Et forte non semel in Galliam accesserit Paulus, qui in altero huc itinere amicum invisere cupierit. Sed hæc conjecturæ.

a *Ibid. lib.* 1. *c.* 5.
* *Thionville.*
b *Ibid. lib.* 2. *c.* 13.

Si Leonem Marsicanum sequamur ducem, dicendum Pauli conversionem contigisse post mortem Arichisi ducis Beneventani, quæ, ut jam dixi, anno ejus sæculi octogesimo-septimo accidit. Mihi tamen propius fidem videtur, Paulum jam Casini versatum fuisse, cum Carolus rex, subacta Beneventi provincia, & Grimoaldo Arichisi filio obside dato, Casinum adiit: qui in Galliam reversus carmen ad eumdem Paulum Casini degentem scripsit, suo loco referendum: cui Paulus versifice rescripsisse, & gratias pro sua visitatione maximas retulisse apud Leonem memoratur. Certe pleraque scripta sua edidit Paulus jam monachus, qui vix sæculum octavum prætergressus est. Leonem forte in contrariam abdoxit sententiam ejusdem Pauli cum Arichiso duce familiaritas, quæ sane non exigua fuit: sed hæc facile cum monacho intercedere potuit, ut certe non minor tum exstitit ipsius Pauli monachi cum Carolo rege. De Pauli conversione ita Hildericus post præmissos versus.

Et sic jam nimium fluidi cum gloria sæcli
Condignis ditaret ovans te sedule gazis,
Lucis ob æternæ vitam sine fine beatam
Audacter sprevisti hujus devotus honores:
Regis & immensi fretus pietate polorum,
Vernanti huc Domino properasti pectore Christo
Subdita colla dare Benedicti ad septa beati.

Tum subdit idem poëta, Paulum mox exemplis suis toti sacræ concioni ut jubar splendidum præluxisse, in eoque viguisse sincerum pacis amorem, patientiam victricem, sollertem simplicitatem, concordiam summam, omne denique genus virtutis.

LXXIV. Aper & Ato abbates S. Hilarii apud Pictavos.

Aper ille abbas, cujus hortatu Paulus epitaphium Fortunati Pictavorum episcopi scripsit, rector erat sancti Hilarii in ea urbe basilicæ, quæ olim monachorum erat, ac proinde Fortunati sepulcro insignita, quem Paulus beatum in hoc [c] epitaphio dicit. Aper successor erat Bertini abbatis superius [d] laudati; idemque adhuc in vivis erat anno Caroli regis duodecimo, quo commutationem quamdam fecit cum Hermeoberto rectore cellæ Nobiliacensis: jam vero decesserat anno ejusdem regis vicesimo-quinto, ejus sæculi nonagesimo-tertio, ut fidem facit diploma Ludovici Aquitaniæ regis, quod Ato abbas, Apri successor, ab eodem rege obtinuit pro monasterio Nobiliacensi, recens a se exstructo. Idem esse videtur Æpro seu Ipro abbas, qui cum Abbone comite placita quædam apud Pictavos tenuit anno Caroli regis tertio-decimo. Certe in uno ex his placitis Arembertus clericus sancti Hilarii Æpronem abbatem *seniorem* seu dominum suum vocat. Alterum est majoris momenti, de quadam controversia inter Hermenbertum ex cellula Nobiliaco, & Gratianum quemdam, qui locellum nuncupatum Jaciacum, quod juris erat Novaliacensis seu Nobiliacensis, sub falso titulo occupaverat. Hoc placitum habes in ap-

c *Paul. lib.* 2. *c.* 13.
d *Num.* 17.

ANN. CHR. 777.

pendice hujusce voluminis. Ceterum Apri successorem fuisse Atonem discimus ex Alcuini epigrammate centesimo quinquagesimo, quod epitaphium est Johannis episcopi eo tempore Pictavensis, & ipsius Apri: quorum tumulos, ne pedibus traoseuntium tereretur, Ato brevi muro cinxit, eisque altare adjonxit ad celebrandum pro eis sacrificium.

LXXV. Fulradi abbatis testamentum.

Hoc anno aut insequenti Fulradus abbas Dionysianus testamentum suum condidit, quo res suas omnes, cellasque a se ædificatas aut acquisitas, basilicæ sancti Dionysii, *loco Cadolago, ubi plurima servorum Dei turma laudes Christi die noctuque*
„ persolvit, eo pacto tradit, ut cedant in alimoniam servorum Dei & susceptionem
„ hospitum, & in eleemosynam synodicorum pauperum, seu matriculariorum, vidua-
„ rum, & orphanorum, & in lumen ecclesiarum; & quidem pru salute cum animæ
„ suæ, tum genitoris sui Riculfi, genitricisque suæ Ermengardis, & germano-
„ rum suorum Gaustberti ac Bonifacii, sororisque suæ Waldradanæ, & pro universa
„ progenie sna. Præter varia prædia, qoæ commemorat, sancto Dionysio subjicit
„ cellas sex, nempe Salonam, ubi sanctæ Mariæ ecclesiam ædificaverat, & ubi sancti
„ Privatus martyr & Hilarus confessor requiescebant, quam cellam sancto Dionysio
„ attriboit, simulque res cum Angelramno episcopo Mettensi, aliisque commutatas.
„ Deinde aliam cellam tradit, dictam Audaldovillare, ubi sanctus Hippolytus re-
„ quiescebat. tertio Fulrado-cellam super fluvio Laima, ubi sanctus Cocovatus seu
„ Cucuphatus. quarto cellam Harebertingas, ubi sanctus Veranus. quinto Adalongo-
„ cellam, ubi sanctus Georgius, quam Adalongus ipsi dederat. sexto cellam, ubi san-
„ ctus Vitalis, super fluvium Nettram. Actum publice Haristalio, anoo nono &
quarto regni Caroli, non apposito die mensis. quo fit ut hoc testamentum ad hunc annum vel ad insequentem referri possit pro vario mense. Testamento subscribont multi proceres, in his Maginarius proxime post Tabradum, forte is qui ei successit in regimine monasterii Dionysiani: subscribit etiam cum aliis Anselmus comes palatii, qui anno sequenti in reditu ex Hispanica expeditione cæsus fuit, teste Eginhardo. Nec illud insuper habeodum, quod inferiori testamenti membranæ inserta est festuca, quod traditionis apud veteres illos symbolum erat.

LXXVI. Caroli diploma pro S. Dionysio.

a Diplom. p. 499.

Huic testamento affine est Caroli Magni [a] diploma, eidem cœnobio rogatu ejusdem Fulradi coocessum, quo princeps confirmat pactum seu compromissum, in synodo Patris-brunnæ anno Caroli nono initum cum prædicto Angelramno episcopo & Wilhario archiepiscopo, scilicet Senonensi, & eum Fulrado abbate de rebus
„ suis propriis, sitis in loco, qui dicitur Salona, io diœcesi Mettensi: in cujus loci
„ ecclesia, beatæ Mariæ ouncupata, sanctus Privatus martyr & sanctus Hilarus con-
„ fessor requiescebant: quo compromisso inter eos convenit, ut neque Angelram-
„ ous, neque successores ejus, nec archidiaconus, missusve ecclesiæ Mediomatricum,
„ in ipso cœnobio Salonensi *pontificium* ullum haberent, nisi si abbas petierit, ordina-
„ tiones faciendi, *chrismetandi*, id est ebrismate consignandi, & tabulas altaris bene-
„ diceodi, uti fiebat in ceteris ecclesiis, quæ ad monasterium sancti Dionysii pertine-
„ bant. Datum Aquis palatio, mense Decembri, anno decimo Caroli regis.

LXXVII. Cesarionensis monasterii initia.

* l'Eraut.

* de Beziers.

* Chabriens.

Non aliam antiquiorem Cesarionensis monasterii memoriam invenio, quam anno decimo Caroli Magni, qui eo anno quædam loca eidem monasterio, seu abbati ejus Adrebaldo assignavit. Nomen loco inditum est ab opido Cesarione, quod in Septimania ad confluentem rivolum Tongam io Araurim * situm est io pago Biterrensi *. Processu temporis solum obtinuit nomen sancti Tiberii a præcipuo patrono monasterii, quod in honorem sanctorum Stephani, Tiberii, Modesti, ac Florentiæ dedicatum, ejusdem sancti Tiberii martyris corpore iosignitum est. Sunt etiam qui existiment, monasterium sanctæ Mariæ Caprariensis, unum ex his qui solas regi orationes in Septimania debebant, non aliud esse a Cesarionensi, quod non longe a castro Capraria seu Caprariis * aberat. Verum illud obstat, quod virgo Deipara ioter Cesarionenses patrooos haud oumeratur. Quis hujus mooasterii primus auctor conditorve fuerit, ignoramus. Prima ejus notitia invenitur in placito Caroli Calvi, io quo relectum fuit præceptum duplex Caroli Magni, abbatiam sancti Velosiani cum suis ecclesiis Cesarionensi monasterio conferentis, itemque fiscum, qui vocatur Homeianus, anno decimo regni sui. Abbatia illa sita erat in pago Tolosano, suburbio Savarteosi, super fluvium Aregam, ut in prædicto placito legitur: ubi ecclesia in honorem sancti Velosiaoi martyris exstructa est: fiscus vero

Homeianus

Homeianus in territorio Biterrensi, suburbio Caprariensi. Is videtur esse Volusianus * episcopus Turonensis septimus, qui Tolosam in exsilium deportatus, in eo vitam finivit, ut martyr honoratus, maxime apud Turenses. Porro hæc donatio a rege cum consilio Winfridi marchionis facta est prædicto monasterio & Adrebaldo abbati, ac sanctis fratribus Cesarionis, ubi sanctus Tiberius quiescere dicitur; facta est, inquam, in Albia civitate, anno decimo, quam Carolus regnare cœperat. Primus forte ejus loci abbas fuit Adrebaldus, cui paullo post successit Atilio, de quo plura in libro sequenti. ANN. CHR. 777 a * Tur. sub fin. lib. 10. & Notat. «

His adjungenda sunt, tametsi locis multum disparata, placita duo, quæ pertinent ad monasterium Farfense, utrumque Hildeprandi gloriosi ducis. qui cum Spoleti in palatio suo resideret, simulque cum eo adessent Adeodatus episcopus, nempe Spoletanus, Gualtarius episcopus Firmanus, Vadepertus Balbensis, Audetis Esculanus, cum aliis comitibus & gastaldis; ad eorum præsentiam accessit venerabilis Sinualdus episcopus civitatis Reatinæ, una cum sacerdotibus suis, altercationem habens cum Probato abbate monasterii sanctæ Dei genitricis Mariæ & cum suis monachis, de casali Balberiano, quod idem Sinualdus asserebat ecclesiæ suæ beati Hyacinthi concessum fuisse a quodam Lupone, filio Liutperti, in die transitus sui; & nihilo minus idem casale a Probato abbate occupari conquerebatur. Contra Probatus reponebat, ipsum Liutpertum, ex curte Germanitiana, dum ibidem actoris officium ageret, hoc casale subduxisse, non obstante præcepto Haistulfi regis, qui ipsam curtem Germanitianam cum omnibus casalibus & pertinentiis suis monasterio sanctæ Mariæ concesserat. quo præcepto relecto, sententia dicta est secundum Farfenses mense decimo, per indictionem decimam-quintam. LXXVIII. Placita duo Farfensia.

In altero placito, quod idem Hildeprandus in Spoletano palatio una cum Adeodato & Sinualdo episcopis, aliisque judicibus habuit, controversia mota est de monasterio seu ecclesia sancti Michaëlis archangeli, quæ posita est juxta muros civitatis Reatinæ: quam Rimo gastaldus ad jus & potestatem palatii pertinere contendebat: contra vero Sinualdus episcopus una cum Halone vicedomino suo ad ecclesiam Reatinam pertinere asserebat. In hac controversia judicibus æquum visum est, non ut pars palatii cuivis homini consignaret, sed ut pars Sinualdi episcopi sub *guadia* seu fidejussione laïcorum hominum ad certum diem testes ad sacramentum faciendum producerent. Ad diem vero dictum cum Rimo non comparuisset; judicium dilatum, jussumque, ut Sinualdus ad condictum diem præparatos quinque sacerdotes haberet ad rem sacramento firmandam ad sancta Dei evangelia. Illis porro jurare nolentibus, definitum est, ad jus palatii pertinere hoc monasterium: quod postea idem Hildeprandus Guicperto episcopo Reatino ad vitam contulit, ea conditione, ut post ejus decessum ipsum monasterium cum omnibus rebus suis ad potestatem & ordinationem monasterii Farfensis reverteretur. Datum Spoleti mense Aprili, anno ducatus ejus quinto, per indictionem primam, regnante domino Carolo excellentissimo rege Francorum atque Langobardorum, anno ejus in Italia quinto. Ex quo intelligitur, Sinualdum episcopum, Guicperti seu Wicperti decessorem obiisse hoc anno, nempe indictione decima-quinta, aut certe initio anni insequentis. Post duos annos Guicpertus episcopus Farfensibus cessit prædictum *monasterium sancti Angeli, quod est positum inter duo flumina ad pontem fractum, ante civitatem Reatinam.* His actoribus alia de eodem monasterio accessit, de qua infra, sub initium libri sequentis.

In insula Britannia obiit hoc anno Echa anachoreta, de quo poëta anonymus in carmine de episcopis Eboracensibus ita canit, LXXIX. Echæ anachoretæ obitus.

Claruit his etiam venerabilis Echa diebus
Anachoreta sacer, eremi secreta secutus,
Terrenos fugiens jam corpore castus honores,
Ut cum rege Deo cælestes posset habere.
Angelicam terris vitam devotus agendo,
Multa prophetali prædixit mente futura.

Hujus obitum reponit hoc anno Hovedenus, aitque eum in *Crie* feliciter obiisse, *qui locus distat ab Eboraca civitate decem milliariis*, ait ille, apud quem *Etha* anachoreta scribitur.

ANN. CHR. 777. LXXX. Monasteria hoc anno condita in Germania. * Cassel. * Thierauptem.

Sub idem tempus condita traduntur in Germania tria monasteria. unum in dioecesi Moguntina a Lullo antistite in honorem sancti Ferrutii martyris, cujus reliquias a Castello *, quod ad alteram Rheni ripam e regione Moguntiæ situm erat, in vicum Blidenstatum, id est Lætantium-locum, quod alterum monasterii nomen est, transtulit. Secundum monasterium est Thierauptense *, quod Tassilo dux in Augustana dioecesi, non procul a Lyco, ad Achium pisculentissimum amnem, tribus ab Augusta Vindelicorum millibus condidisse, & quidem in honorem sancti Petri, traditur. Primus loci abbas Ulinus, cui Guillelmus successit, si qua vulgatis indicibus fides. Occasionem condendi monasterii aiunt fuisse necem Guntheri Tassilonis filii, qui inter venandum a quadam fera interemtus sit. Eamdem afferunt causam, quæ Tassilonem ipsum excitaverit ad exstruendum tertium insigne monasterium in Austria

* Cremismster. superiori, Chremisanum * dictum a præterlabente fluvio Chremisa seu Chremisse, recentioribus Cremisanense appellatum, quod in honorem Salvatoris anno insequenti dedicatum fuit, positis illic reliquiis sancti Agapiti martyris, Roma ab Hadriano papa submissis.

ANN. CHR. 778. LXXXI. Cremisanensis monasterii initia.

PRimarias conditi monasterii litteras retulit ejus loci annalista Simon Rattenpacher, datas anno tricesimo ducis Tassilonis, Theodonis ejus filii primo, indictione itidem prima, quæ anno ejus sæculi septuagesimo-octavo respondet. In his litteris nulla mentio est vulgatæ de Gunthero ab apro cæso historiolæ: sed id unum
» hoc in opere præ se fert Tassilo, ut pœnas inferni vitare, & mansionem cum Christo
» habere mereatur. Sibi etiam proponit exemplum antecessorum suorum, qui pro sua
» facultate ecclesias & monasteria construxerunt, suisque opibus ditaverunt. quapro-
» pter se quoque statuisse ait, ut monasterium *juxta fluenta Chremisæ* ædificaret in
» honore Salvatoris, congruisque proventibus locupletaret. Idem in prædictis litteris recenset varia prædia, quæ eidem loco in die dedicationis tradidit. Ibidem quoque
» ab ipso Tassilone abbas constitutus est, Fater nomine, cum monachis sibi deputatis:
» ut in prædicto venerabili loco vita ibi commorantium regulariter duceretur. Acta
» sunt hæc in prædicto monasterio coram multis testibus: quorum insigniores fuere Virgilius, Sindperth, & Waltrich episcopi, Opportunus, Wolfperth, Ato, Gaozrich, & Hrodharth abbates, Utich, Megilo, atque Saluhho comites. Virgilius, ut notum est, ecclesiæ Saltzburgensi præerat, Sindperthus Ratisponensi, Waltrich, quem alii Walterum seu Balterum vocant, Pataviensi, in cujus dioecesi Cremisanense monasterium situm est. Opportunus, ut jam diximus, Lunælacensis seu Manseensis erat abbas, Wolfperthus inferioris Altachii, Ato Bauzanensis; alii duo incertorum locorum abbates. Carolus Magnus Tassilonis litteras & donationes postea ratas habuit Wormatiæ anno vicesimo-tertio regni sui: cujus diploma relatum est ab annalista Cremisanensi. Fatero seu Faterico abbati successit Wolframus, & post eum Sigehardus: cui Ludovicus & Lotharius augusti diploma concessere.

LXXXII. Aschaugiense monasterium conditur.

Conditum etiam traditur hoc anno puellare cœnobium in Aschaugia insula ad fluvium Illam seu Alsam in Alsatia, & in honorem sanctæ Mariæ virginis & sancti Trophimi dedicatum a Remedio episcopo Argentoratensi monasterii auctore, qui reliquias sanctæ Sophiæ martyris, ejusque filiarum, Fidei, Spei & Caritatis, a pontifice acceptas, ibidem reposuit, eidemque loco Attalam & Radunam consanguineas suas, unam post alteram, præposuit. Ejus testamentum laudat Guillimannus,
» in quo peccatorem se nominat, atque se possessiones suas, quas in pago Alsatiensi
» in insula Aschangia habebat, eidem monasterio contulisse ad honorem sanctæ Ma-
» riæ, quam crebro dulcissimam dominam suam appellat: cui etiam loco Raduna re-
» ligiosa Dei & Addala abbatissa portiones suas in sanctæ Sophiæ honorem tradiderunt. Conditum est hoc testamentum in urbe Argentina idibus Martii, anno decimo Caroli regis, eique quatuor episcopi cum aliis testibus subscripserunt. Attala seu Addala & Raduna patrem habuisse dicuntur Bodalum comitem, Remedii fratrem: cujus Bodali exstat [a] instrumentum donationis Gregoriano monasterio factæ anno sexto Childerici regis, pro se & pro filio suo Eberhardo: ubi patrem suum Hugonem vocat.

a Supra lib. 22. n. 38.

LXXXIII. S. Bonifacii translatio ob Saxones.

Interim, dum Carolus expeditione Hispanica occuparetur, Saxones, fide in Deum atque in regem violata, in proximas effusi provincias, usque ad Rhenum omnia vastant & depopulantur, atque in reditu obvios quosque infesta cæde tru-

cidant. Cum vero ad Fuldensis monasterii confinia pervenissent, lectam ex suo exercitu militum multitudinem eo mittere constituunt, qui totum monasterium igni comburerent, monachosque ferro perimerent. Hoc comperto, Sturmius fratribus imminens discrimen exposuit, suasitque, ut sancti Bonifacii martyris assumto corpore, Hamelanburgum confugerent: ipse vero alio perrexit, si quo modo hostium conspirationem cohibere posset. Itaque fratres, elato sancti martyris corpore e sepulcro, in quo ab annis viginti-quatuor depositum fuerat, e monasterio discedunt, stationes in tentoriis agentes, ubi nox eos offendisset. Quarto demum die eis nuntiatum est, circumpositos incolas armatos tantum terroris injecisse Saxonibus, ut victi ad proprias sedes aufugerint. Hoc nuntio recreati Fuldenses, mox sacra beati martyris ossa referunt, & in pristinum locum reponunt. Reversus ex Hispanica expeditione Carolus, ad confirmationem non tam partæ dominationis, quam inchoatæ fidei christianæ, cum exercitu in Saxoniam contendit, & venerabilem Sturmium, tum infirmum & jam senectute fessum, Heresburgi ad tuendam urbem cum sociis residere jussit. Rebus compositis, rex eo regressus, post paucos dies virum sanctum Fuldam redire permisit, adjuncto medico suo, cui nomen Wintarus, qui ejus infirmitati subveniret. Verum contra omnino accidit, ut anno proximo videbimus.

LXXXIV. Gundelandi abbatis Laureshamensis obitus.

Sub finem hujus anni, cum Carolus Aquisgrani moraretur, Gundelandus abbas Laureshamensis, instante obitu suo, ad regem misit qui obsecraret, ut sibi in extremo vitæ suæ articulo liceret aliqua ex monasterii rebus pro animæ suæ remedio in egentes erogare. Rex pro sua pietate assensit haud gravate, indulsitque, ut tertiam rerum moventium partem in usus pauperum distribueret. quo in loco prælatos sui temporis opportune arguit chronographus, qui rebus ecclesiarum suarum & possessionibus sibi creditis tam insolenter abutuntur: cum pater iste, *imperialis abbas, regni princeps*, magnæ famæ, clari generis, nihil præsumserit absque regis vel consilio, vel præcepto, etiam in ipso mortis articulo, de rebus monasterii disponere. Tanta tunc erat religionis cura, juris observantia, legum regumque reverentia! Aucturis admonitionem probat Cointius, sed ei non placet, quod Gundelandus *imperialis abbas* & *regni princeps* appellatur: cum imperii nomen in occidente necdum audiretur, nec proinde imperiales abbates aut regni principes appellarentur. Sed id parvi refert ad auctoris institutum, quando Laureshamensis abbas tunc præpotens atque inclytus jam erat. In pervetusto kalendario notatur x v. *kalendas februarii depositio Gundelandi abbatis*. quæ proinde hoc anno consignanda est, non sequenti, quo Helmericus ejus successor electus est, vir religiosus & sapiens. Hic laquearia ecclesiæ fecit, pavimentum stravit, tumbam sancti Nazarii auro argentoque decoravit, necnon altare, quod postea ad ecclesiam sancti Petri, quæ dicitur *Altenmunster*, translatum est. Idem abbas, amissis, seu casu, seu imprudentia, quibusdam donationum instrumentis, privilegium a Carolo rege ad confirmandam rerum donatarum possessionem obtinuit.

Helmericus successor.

LXXXV. Iddoni abbati Floriacensi succedit Magulfus.

Sub hunc etiam annum Iddoni abbati Floriacensi suffectus est Magulfus seu Magnulfus abbas, ut colligitur ex annis superiorum abbatum in veteri indice expressis. De eo intelligenda sunt Alcuini epigrammata duo, nempe centesimum sexagesimum ac subsequens. In priori laudatur ob cameram, ad usum legentium fratrum ab ipso exstructam, cum adjuncto oratorio, in quo patres post lectionem orationi secreto vacare possent. Aliud itaque patribus erat conclave ad legendum præter claustrum, quod forte junioribus ad lectionem destinatum erat. Non erit otiosum hoc epigramma saltem ex parte referre.

Hanc Magnulf humilis cameram construxerat abbas,
Ut dulcis patribus fieret habitatio sanctis,
Quos servire daret Christo benedictio in ævum,
Ut locus iste foret jam jam legentibus aptus:
Ut lux prævidit fulgens radiaret in illam,
Et domus orandi fieret quam proxima Christi,
In qua secreto potuisset tempore solus,
Ante altare jacens, lacrymas effundere dulces.

tum commendato legentium precibus Magnulfo, eumdem poëta hortatur ad corrigendos fratrum mores ad præscriptum regulæ.

ANN. CHR. 778.

Tu quoque vive Deo felix per tempora longa :
Ad normam regulæ fratrum quoque corrige vitam,
Ut tibi celsithronus tribuat pia præmia Christus.

In posteriori carmine idem Magnulfus commendatur ob comparatam mensam, id est aram, quam sancto Benedicto dicaverat: tametsi basilica, in qua posita erat, patronum habebat sanctum Petrum apostolum cum sancto Benedicto.

Emperat hanc mensam Magnulf venerabilis abbas,
Atque emptam patri Benedicto tradidit illam,
Ut foret emptori cum patre in sæcula merces.
Hanc tamen ecclesiam sacrari jusserat ille
Clavigero cæli Petro jam principe magno,
Atque pii pariter Benedicti nomine patris,
Illius ut regerent precibus per sæcula vitam,
Atque animæ requiem cogitassent ambo perennem.
Tu quoque qui titulum recitas, rogitare memento
Obsecro pro patre Magnulfo, lector amice.

Ex his aliisque versibus patet, Magnulfum adhuc in vivis fuisse, cum Alcuinus hæc carmina conderet, haud dubie in Gallia, quo ante annum ejus sæculi octogesimum non videtur accessisse. quod idcirco notare juvat, ut ex hoc argumento aliisque intelligatur, Caroli Magni epistolam ad Manassem abbatem Flaviniacensem, in qua *Theodulfum episcopum Aurelianensem atque abbatem cœnobii Floriacensis* laudat, scriptam non fuisse anno regni ejus octavo, ut in vulgatis legitur, sed longe serius, forte anno regni vicesimo-octavo. Certe Theodulfus Floriacensis monasterii præfecturam non integris annis viginti tenuit, eaque privatus est anno octingentesimo quarto-decimo, ut suo loco demonstrabimus.

LXXXVI. Orbionensis monasterii origo. Paullo ante hunc annum fundamenta jacta sunt insignis monasterii beatæ Mariæ de Orbione seu Urbione, sic dicti a fluvio proximo, quod aliquando beatæ Mariæ de Novaliis, ab amœna valle, in qua situm est; postremo beatæ Mariæ de Crassa nuncupatur. Exstat in Occitania provincia, & quidem in diœcesi Carcassonensi, Narbonem habens ad prospectum orientalem, Perpinianum versus meridiem. Primus ejus auctor, idemque primus abbas fuit Nimfridius seu Nifridius, quem alii Nibridium ac Nebridium vocant, factus demum archiepiscopus Narbonensis, ut ex veteri loci necrologio discimus. Is ad Carolum Magnum accessit, in » villa regia Compendio tum degentem, eique suggessit, quod ipse cum monachis » suis in eremo territorii Narbonensis, super fluvium Orobionem, in loco quem » vulgus Novalias appellat, monasterium in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ » novo opere construxisset; ibique domos, ecclesias, ceterasque habitationes mona- » chis congruas ædificasset, ac vineas plantasset, camposque ad laborandum atque » prata a fiscalibus & dominis locorum accepisset. quod a principe ratum haberi cu- » piebat. Rex pro sua religione annuit, dato præcepto in palatio regio Compendio, xv. kalendas Februarii, anno regni sui undecimo. Idem Carolus imperator res monasterii confirmavit alio diplomate, quod suo loco referemus.

LXXXVII. Monasteriorum auctæ opes ex donationibus novitiorum. Non omittendum in præsens id, quod legitur in præcepto [a] Caroli Magni, omnes Dionysiani monasterii immunitates confirmantis, universasque possessiones, eidem sancto loco concessas, tam a regibus & fidelibus quibusque, quam a quibuscumque aliis, qui *juste & rationabiliter cum omni substantia sua ad ipsum monasterium se tradidissent, & res suas per legitima instrumenta ibidem delegassent.* Inde magnæ monasteriis nostris accreverunt opes, nempe ex donationibus eorum, qui ad monasticum institutum convolantes, se suaque omnia monasteriis tradebant. In his Adalhardus, Caroli Magni consobrinus, cum ad Corbeiense monasterium se recepit, cuncta quæ in Belgio prope Curtracum & Aldenardam possidebat, Corbeiensibus dedit, quod hactenus patrimonium sancti Adalhardi appellatur. Infinita id genus exempla in his annalibus occurrent, præsertim donationes parentum, qui filios suos Deo in monasteriis offerebant. Datum est superius Caroli diploma in

[a] Diplom. p. 500.

villa Goddinga in mense Octobri, anno decimo, & quinto Caroli regis, illudque Giltbertus ad vicem Radonis recognovit. Hoc quippe tempore cancellarii officium Radoni, futuro abbati monasterii sancti Vedasti apud Atrebatas, Hitherius cessit, cum scilicet variis ad papam Hadrianum legationibus occuparetur.

ANN. CHR. 779

LXXXVIII. Haristaliense capitulare.

ANno undecimo Caroli regis, qui Christi septuagesimus-nonus supra septingentesimum erat, mense Martio editum est in villa regia Haristalio capitulare, quod primum e Carolinis censeri potest, congregatis in unum cum rege episcopis, abbatibus, virisque illustribus. Illic capitulo tertio, ut obviam iretur prolapsioni monachorum, statutum est de monasteriis, quæ *regularia* fuerunt, ut secundum regulam vivant; necnon & monasteria puellarum *ordinem sanctum* custodiant; & unaquæque abbatissa sine intermissione in suo monasterio resideat, & duo monasteria non habeat. In fine, quia tum urgebat gravissima fames ac mortalitas, decretum fuit, ut unusquisque episcopus tres missas & tria psalteria persolveret, unum pro domno rege, alterum pro exercitu Francorum, tertium pro præsenti tribulatione: presbyteri vero singuli missas tres; monachi, & monachæ, uti & canonici singuli tria psalteria; omnes vero *biduanam* facerent, id est biduanum jejunium. Ad hæc, ut episcopi, abbates, & abbatissæ quatuor pauperes nutrirent usque ad tempus messium, aut saltem tres, aut duos, unumve pro sua facultate. Nulla in hoc capitulari mentio de canonicabus, quæ necdum institutæ erant.

LXXXIX. Caroli præceptum Rotberto abbati S. Germani concessum.

In eadem villa cum resideret Carolus, præceptum immunitatis ab omnimodis teloneis concessit Hrotberto abbati basilicæ seu monasterii sancti Vincentii ac domni Germani apud Parisios. Hrotbertus paullo ante successerat Wichado abbati, cujus depositio kalendis Novembris in veterrimo necrologio notatur. Moris erat tunc temporis, ut e monasteriis in diversas regiones submitterentur actores vel actuariæ naves, ad comparanda necessaria in usus monachorum. Carolus hoc diplomate præcipit, ut quocumque in regno suo negotiantes prædicti sancti loci, sive ad luminaria, sive ad quævis necessaria comparanda, discurrere vellent, tam ultra quam citra Ligerim, itemque in Burgundia, Provincia, Francia & Neustria, nulli teloneo, sive de saumis, id est equis oneriferis, sive de carricatione, seu de navigio, essent obnoxii in quovis portu aut quavis civitate, neque in urbe Rodomo seu Rotomago, neque in Wicus, quem Quentawicum vocant, apud Morinos, neque Ambianis, neque Trejecti, neque Dorestadi, neque apud sanctam Maxentiam, Parisiusve, neque in Burgundia, pagisve Tricasino & Senonico. Ad hæc eidem Rotberto concedit rex teloneum quoddam, quod Gerardus comes Parisiacensis in Villa-nova, quæ curtis sancti Germani erat, percipere solebat. Hoc præceptum Optatus ad vicem Radonis recognovit, datum VI. kalendas Aprilis, anno undecimo, & quinto regni Caroli, in palatio Haristalio.

XC. Aliud S. Marcello Cabilonensi.

Ibidem pridie kalendas Maias ejusdem anni emissum est aliud præceptum, quod ab eodem rege obtinuit *magnificus vir Hucbertus, rector basilica sancti Marcelli martyris*, positæ sub conspectum urbis Cabilonensis, ubi ipse domnus in corpore requiescit. quo diplomate omnes ejusdem basilicæ immunitates & possessiones confirmantur sub pœna sexcentorum solidorum in transgressores: quorum duæ partes in archivum ipsius monasterii, tertia ad fisci saccellum componatur. Wigbaldus ad vicem Radonis hoc diploma recognovit. Erant tunc in basilica sancti Marcelli clerici sæculares, ibique perstiterunt usque ad sæculum decimum, quo hæc basilica monachis restituta est sub sancti Maïoli abbatis Cluniacensis disciplina. Si qua tamen observatione digna per medium illud tempus occurrent, hæc notare non pigebit.

XCI. Sturmii abbatis Fuldensis obitus.

Reverenti Fuldam, ut diximus, e Saxonia Sturmio abbati adjunctus est a Carolo regius medicus, Wintarus nomine, qui ejus morbum curaret. quod secus accidit. nam dum quamdam ei potionem aliquando dedisset, adeo ex ea morbi vis imminuta non est, ut contra multum incrementi acceperit. Mox Sturmius currere ad ecclesiam jubet, campanasque omnes pulsari, ut fratres pro se enixius orarent. Tum eos in cellam, in qua jacebat, convocari præcepit, & expositis suis pro eorum utilitate ac tranquilitate laboribus, ut in concepto proposito perseverent, & pro se precari pergant, hortatur; sibi ignosci petens, si quid aliquem temere offendisset, vicissimque aliis injurias sibi illatas condonans, maxime Lullo episcopo Moguntino, qui ipsi semper adversatus fuerat. Dein, ingravescente languore, ad extrema re-

AN. CHR. 779.

dactus est XVI. kalendas Januarii. Cum vero circumstantes fratres, ut sui apud Deum memor esset, rogarent: «Exhibete, inquit, vos dignos, & tales estote in vestris moribus, ut orationis meæ fructum non impediatis.» His dictis, sancta illa anima carne soluta est, & ad Deum migravit. Res ab eo gestas litteris mandavit Eigil abbas Fuldensis quartus, ejus discipulus, qui libellum hac de re suum Angildruthæ virgini, & forte abbatissæ, Bischofesheimensi, an Kizzingensi, nuncupavit, ac fratribus ad mensam recitari præcepit, in die depositionis ejus, ut, auditis tanti magistri virtutibus, gratias Deo agerent, atque hanc diem majori cum gaudio ac laude celebrarent. quippe Eigil, acceptorum ab eo beneficiorum memor per illos viginti annos, quibus sub ipsius disciplina vixerat; anniversariam Sturmii primi abbatis ac fundatoris sui commemorationem instituit, simulque omnium Fuldensium fratrum ab hac luce defunctorum, nempe in die natali sancti Ignatii martyris, hoc est XVI. kalendas Januarii, quo ille decesserat: quam diem in missarum celebratione, psalmodiis ac precibus celebrem esse voluit. Hæc vero celebratio ut ne superstitiosa aut cassa videretur, exemplum adducit ex collationibus sanctorum patrum, scilicet ex Cassiani collatione decima-nona, ubi similis institutio legitur. Ceterum distinguendum esse Sturmim seu Sturmium abbatem primum Fuldensem a Styrmi monacho Fritislariensi, quem mortuo Wigberto abbate Bonifacius culinæ [a] præfici jubet, illud evincit, quod jam tum Sturmius Fuldensi monasterio abbas præerat. In ejus locum subrogatus est Baugolfus Fuldensis monachus, inferius laudandus: cujus vitam a Candido monacho scriptam excidisse dolemus.

a V. lib. 22. n. 16.

XCII. Schlierseense monasterium dedicatur.

Regebat tunc Frisingensem ecclesiam Aribo, alio nomine Hæres seu Cyrinus, episcopus, qui hoc anno basilicam Schliersensis monasterii, ante biennium inchoati, dedicavit, ejusque loci fratribus abbatem Berchtoldum constituit secundum regulam sancti Benedicti. Positum est hoc monasterium ad radices alpium in Bajoaria, inter fluvios Oenum & Mangualdum, ad lacum *Schliers* seu Silurnum, a quo nomen accepit. Exstat apud Hundium [b] primarium ejus monasterii instrumentum, in quo «Adalungus simul cum fratribus suis Hiltipalto, Gerbaldo, Antonio & Otakro, inspirante divina gratia sæcularia negotia deserentes, locum sibi elegisse dicunt ex communi hereditate sua, in vasta solitudine eremi, quæ dicitur *Schliersee*, & ibidem adjuvante Deo cellulam more solito construxisse, atque oratorium cum consensu episcopi sui Aribonis, qui illud consecravit. deinde sub ipsius episcopi ditione semetipsos per omnia commendasse, ac de manu ejus electum sibi magistrum, virum venerabilem, nomine Berchtoldum, accepisse, quem post biennium abbatem elegerint, adduxerintque ad prædictum episcopum: qui juxta ordinem sancti Benedicti electum ordinavit, abbatemque ipsis imposuit, ut ipsos secundum ejusdem regulæ auctoritatem regeret. Denique factam ipsis ex præscripto ejusdem regulæ potestatem ex numero fratrum suorum eligendi sibi abbatem, ab episcopo *de domo sanctæ Mariæ*, quæ cathedralis erat Frisingensis, ordinandum. si veru in ipsis fratribus aptus ad hoc munus defuisset, *de domo episcopali*, quæ monachorum erat, eligendum abbatem, ordinandum ab episcopo. Actum in prædicto monasterio *Schliersee* XII. kalendas Februarii, anno tricesimo-secundo ducis Tassilonis.» Processu temporis eversum fuit ab Hungaris hoc monasterium, quod sæculo duodecimo Otto episcopus instauravit, ac regularibus canonicis concessit.

b Metrop. Sa. lib. 10. 3. p. 323.

XCIII. Ambrosii Autperti obitus & scripta.

Huic anno chronographus monasterii sancti Vincentii ad Vulturnum consignat obitum Ambrosii-Autperti ejus loci abbatis septimi, qui mortuus est expleto in sancto regimine anno uno, mensibus duobus, & diebus viginti-septem. quod qua occasione acciderit, ex Hadriani papæ [c] ad Carolum regem epistola discimus. Quippe cum ad judicium sedis apostolicæ Autpertus & Poto abbates jussu Caroli evocati essent, ut eorum controversia, de qua superius [d] actum, coram pontifice examinaretur: prædictus Autpertus in ipso itinere morte repentina interceptus fuit, adeoque in conspectum & audientiam Hadriani pervenire non potuit. Ejus corpus relatum in monasterium, in ecclesia sancti Petri sepultum est. Hunc sanctum, immo & sanctissimum vocat chronographus, & ante eum Paulus Warnefridi [e] laudat scripta *viri eruditissimi Autberti abbatis*, quæ is de primis monasterii sui institutoribus composuit. Multos alios ejusdem auctoris libros commemorat prædictus chronographus, in leviticum, in cantica Salomonis, in psalterium; librum etiam de conflictu vitiorum, & homilias, præter commentarium in apocalypsin, quod præcipuum ejus

c Cod. Carol. ep. 72.

d Supra num. 71.

e Paul. Diac. lib. 6. c. 40.

ANN. CHR. 779.

opus est, doctrina & pietate non vulgari conditum. In hoc opere fatetur, se, prætermissis profanorum auctorum flosculis, scripta sua ex solis scripturis hausisse, non quo illorum scientia ipsum fugerit, sed quod amplius delectatus fuerit verbis humillimi piscatoris, quam superbissimi oratoris; plus scilicet divinis intendens, quam humanis eloquiis. Ita ille initio libri octavi. & in fine decimi, a Deo postulat sibi dari cum scientiæ dono studium & voluntatem operandi bonum, & emendatiorem vitam cum salubri doctrina. alias malle se stultum hebetemque esse. *Neque enim*, inquit, *ideo patriam, parentesque reliqui, ut mihi scientiæ dona largireris: sed ut perfectione virtutum ad vitam æternam perduceres. Nolo certe hanc commutationem. Quod si utraque non mereor, doctrinam scilicet atque operationem: aufer quæso doctrinam: tantum ut tribuas operationem virtutum.* Digna sane religiosissimo viro sententia! quam sodalium nostrorum animis alte infixam esse peroptamus.

XCIV. Potonis abbatis Vincentini causa discussa. a Cod. Carol. ep. 72.

Autperto mortuo, Potonis abbatis causa nihilo minus ventilata est [a] coram Hadriano pontifice, assidentibus eidem *reverendissimo & sanctissimo Possessore archiepiscopo, Ansoaldo abbate venerabilis monasterii sancti Petri*, forte Beneventani, quod Vincentino monasterio subjectum fuit, *Aquilino abbate de Varegio* seu Baregio, quod sancti Angeli monasterium erat juxta fluvium Sangrum in Aprutio citeriori, *atque Raginbaldo abbate venerabilis monasterii sanctæ Dei genitricis*, nimirum Farfensis; *simulque Gisulfo abbate venerabilis monasterii sancti Petri*, cum Hildeprando duce Spoletano, aliisque. Productus in Potonem Rodigausus Vincentini cœnobii monachus asserebat, eum, dum post cursum horæ sextæ fratres psalmum quinquagesimum-tertium pro regis incolumitate recitarent, subito surrexisse, & psallere noluisse. Præter ea eumdem Potonem parum reverenter de rege ac de Francis fuisse locutum. Ad hæc respondit Poto, quod inter operandum, dum ceteri infantes, expleta oratione, prostrati in terram prædictum psalmum inchoassent, subito quidem surrexerit ad opus, quod ad utilitatem monasterii fiebat: at posterius crimen pernegavit. Tum complures ex parte Potonis monachi testimonium Rodigausi rejiciendum esse contenderunt, utpote qui in stupro cum propria nepte, dum esset in sæculo, deprehensus, ac demum ex-presbytero monachus factus fuisset. Remoto itaque Rodigauso, introducti sunt alii tres monachi, qui cum Hildebrando duce venerant, atque olim cum Autperto abbate commorati fuerant, affirmantes, se ad excellentissimum regem Carolum pergere cupientes, a Potone comprehensos fuisse, & in carcerem missos. At Poto reponebat, id se ob hanc causam fecisse, quod illi suam regulam abdicare, & ad sæculum reverti velle viderentur. In his altercationibus jussit pontifex, ut Poto sacramento se purgaret; ac decem primores ejus cœnobii monachi, quinque ex genere Francorum, & quinque ex genere Langobardorum, idem sacramentum de Potonis innocentia proferrent. Ipsi vero petierunt omnes, ut regem adire sibi liceret. quod pontifex indulsit. Quid inde consecutum sit, nullus veterum explicat. Verum Potonem causa cecidisse illud argumento est, quod proxime post Autpertum Hainradus abbas prædicto monasterio præfuit, & quidem, si qua chronographo Vincentino fides, annis tribus, & mensibus decem; nec nisi eo mortuo Poto abbas monasterium rexit.





ANN. CHR. 780.

ANNALES ORDINIS S BENEDICTI.

LIBER VICESIMUS-QUINTUS.

Ab anno Christi 780. ad annum 789.

I. Benedictus S. Sequani regimen declinat.



OSTQUAM Benedictus tirocinii duos annos ac dimidium, ut diximus, & in cellerarii officio quinque annos cum octo mensibus apud sanctum Sequanum exegisset; in demortui abbatis locum unanimi fratrum consensu ac plausu eligitur. at ille mores eorum cum suis non convenire certus, e monasterio clam se subduxit, & confestim in patrium solum, id est in Septimaniam, reversus est. Illic paternum erat prædium super rivulum, cui vocabulum est Anianus, haud longe ab Arauri * seu Aurari fluvio; ibidemque exigua sancti Saturnini ecclesia. Illic consedit vir Dei cum Witmaro religioso viro, quem initio suæ conversionis consuluerat, & cum paucis aliis; cellamque permodicam sibi sociisque suis ad habitandum ibidem construxit. Eo in loco aliquot annos magna cum penuria vixit, noctibus diebusque cum gemitu & lacrymis divinam pulsans clementiam, suum ut propositum fortunaret. Erant per id tempus in illis partibus quidam summæ virtutis ac sanctitatis viri, Atilio, Nibridius, & Anianus, religiose viventes, sed regularis disciplinæ non admodum periti & experti. Hos in dubiis & anxietatibus consulere solebat Benedictus, sed maxime Atilionem, qui vicinior ipsi erat; ad quem strato asello, ubi quædam incurrebant difficultates, propere festinabat. Ex hoc mutuo commercio nata est magna utrimque necessitudo, nec serius illis dilectus & acceptus fuit Benedictus, quam notus.

* l'Erault.

Anianam instituit.

Hæc parva initia fuere insignis ac celeberrimi monasterii, quod ab amne præfluente Aniana, a patrono Salvatoris monasterium appellatum. Illuc primo tempore perplures ardenti studio confluebant, & cum viro Dei, sæculo relicto, religiose vivere tentabant: sed mox fracti animo, novum reformidantes vitæ genus, dum inauditam cogebantur arripere abstinentiæ viam, ut panem in pondere, vinumque in mensura perciperent, ab incœpto pedem retrahebant. Horum instabilem attendens animum Benedictus, turbatus ad pristinum sancti Sequani cœnobium reverti animo agitabat. Verum ab Atilione, cui hoc consilium aperuit, increpitus, ejusque viso animatus, qui ipsum Benedictum, tamquam lucernam hominibus datam, sibi conspectum fuisse asserebat; institutum constanter retinere, cœptumque bonum strenue persequi decrevit, quod perficere ardentissime peroptabat. Hinc

novo

novo opere domos exstruere cœpit, ignotamque salutis viam pandere curavit: nec inopia perterritus inchoatum deseruit opus, sed, ut ait Apostolus, in fame & siti, in frigore & nuditate positus, subjectos hortabatur ad perseverandum, docens artam & angustam viam esse, quæ ducit ad vitam: & longe impares hujus sæculi temporarias afflictiones ad futuram gloriam, quæ sanctis revelanda est. His documentis roborati discipuli, adeo laboribus non parcebant, ut majoribus atteri optarent. Nulla eis tunc erat possessio, non vineæ, non pecora, non equi: unus tantum erat asellus, quo eorum relevaretur infirmitas, si qua pergendum erat. Solo pane & aqua pura vescebantur, vino tantum diebus dominicis solemnibusque concesso: nisi quod aliquando lacte, a vicinis mulieribus allato, reficiebantur. Vestes tantæ alimentorum districtioni congruentes erant: adeo ut ad depellendum frigus lectariis seu stragulis nterentur, cum vigiliis divinis assisterent. At quo amplius eorum corpora inopia conterebantur, eo magis animæ virtutibus saginabantur, æstuabantque amore cælesti; solæque lacrymæ illis in tali angustia solamen ferebant. Inter hæc alienus erat ab omni rerum mortalium cupiditate Benedicti animus. Hospitem quemdam a se pro modulo exceptum, qui quamdam molendini supellectilem abstulerat, benevole ferendum suos docuit, illi potius dolendum dicens, qui pro modico lucro hospitii fidem violasset.

ANN. CHR. 780.

II. Monasterium novum extruit.

Cœpit interea paullatim crescere turba discipulorum, & fama piæ religionis sensim per circum-habitantium ora volitare, seseque extendens ad longe posita loca decurrere. At quia vallis, in qua primum consederat, perangusta erat; paullulum declinare in parentiorem locum constituit, ubi monasterium novo opere ædificare cœpit. Exstabat eo in loco domus quædam, quam auctam in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ consecrari curavit. Ceterum ædificia ejusmodi erant, quæ viros frugi ac religiosos decerent. Non ornatis parietibus, rubentibusve tegulis, aut pictis laquearibus, sed stramine vilique materia omnia constabant. Ipse vero laborantibus fratribus non raro simul laborabat, nec humile coquinæ refugiebat officium, libris nihilo minus scribendis insistens. Quin etiam lignamina, defectu boum, propriis humeris sæpe cum discipulis gestabat. Concurrentibus undique novæ vitæ candidatis, & illius disciplinæ ac magisterio certatim se subjicere postulantibus, fabrica monasterii cito perficitur, augeturque locus rebus ac possessionibus, quas illi ex propriis conferebant. Servos tamen & ancillas per chartam seu libellum ad servitutem monasterio tradi nequaquam passus est, sed in libertatem prius asseri voluit. Etsi vero fratrum numerus magnopere augeretur; ille semper viliora & humiliora appetebat. unde vasa sacra, quibus ipse ad conficiendum Christi corpus utebatur, nolebat ibi esse argentea: sed primum lignea, deinde vitrea, ac demum stannea adhibuit. Planetam porro seu casulam non ferebat sericeam; &, si qua ejusmodi data ipsi fuisset, aliis ad utendum concedebat. Ad hæc ejus exemplo excitati in eadem regione, immo & circumquaque viri religiosi, monasteria construere, congregare monachos, se seque ad exemplum beati viri componere & exercitare; ejusque magisterio imbuti, vitam pristinam, veteresque emendare morum errores. Ipse autem, ut pater, subsidium opemque ferens, omnibus in corporalibus, non solum in spiritualibus aderat: quos identidem visitans hortabatur, ut ne cœptum opus fracti animo desererent, nec egestate perculsi, terroribusve attriti retro respectarent. Ita salubri documento & exemplo permulta in illis partibus accrevere cœnobia, & maxima monachorum multitudo. Hinc Aniana evasit cunctorum cœnobiorum caput, non solum quæ in Gothiæ partibus constructa, verum etiam illorum, quæ in aliis regionibus ea tempestate ædificata, ac de thesauris illius locupletata fuere. Ex eorum numero censentur Gellonense, Indense, Bellacella, Nova-cella, & alia, de quibus in consequentibus agemus.

III. Cæsarionensis & Crassensis monasterii prima origo.

Duo primi hoc in opere Benedicti adjutores fuere Atilio & Nibridius, Cesarionensis sancti Tiberii monasterii alter, alter Crassensis abbates, de quibus egimus in libro superiori. Tertius eis adjunctus Anianus, abbas fuit primus auctorque duorum cœnobiorum in diœcesi Narbonensi, nempe sancti Johannis, & sancti Laurentii: quorum alterum in pago Olitorio, alterum in Extorio positum erat, ut docet nos diploma Caroli Magni, a nobis editum in libro sexto a de re diplomatica, anno regni ejus vicesimo, & vicesimo-sexto. In hoc diplomate Anianus abbas ex monasteriis sancti Johannis & sancti Laurentii ad synodalem regis conventum cum suis mona-

a Diplom. p. 503.

AN. CHR. 780. » chis accessisse dicitur, seque suumque monasterium sub regia tutela posuisse, cum » rebus omnibus, quas possidebat. quod Carolus gratum acceptumque habuit. Actum » *Franconofurd* palatio, XIII. kalendas Augustas, anno, ut diximus, regni sui vicesi- » mo-sexto, & vicesimo. Monasterium sancti Laurentii situm erat in loco aspero & ingrato, quem Citonem vocant, montibus circumsæpto, ac tribus leucis distante a Caunis, adeoque a Caunensi monasterio, quod Daniel abbas & Milo comes eidem Aniano concessere. Certe Milo villam Caonas monasterio Aniani abbatis legasse traditur in prædicto Caroli præcepto; &, in quodam diplomate [a] Caroli Calvi, » bonæ memoriæ venerabilis abbas Daniel monasterium Caunas Aniano abbati in » suam eleemosynam concessisse. Hoc monasterium situm dicitur in pago Narbonensi, suburbio Minerbensi *, super fluvium Argentodublum *, sacratumque sub titulo beatorum apostolorum Petri & Pauli. Daniel iste haud dubie primus auctor fuit Caunensis monasterii, distinguendus ab altero ejusdem loci abbate cognomine, qui principatu Caroli Calvi floruit.

a *Ibid. p. 545.*
* *le Minervois.*
* *Argendouble.*

Alterum monasterium sancti Johannis ab Aniano exstructum fuerat in ipsa villa Caunis, *sancti Johannis Exequartensis* dictum, ut discimus ex placito authentico, in quo definiuntur limites villæ Caunensis, de quibus inter Magnarium comitem & Anianum abbatem controversia erat. In illo quippe placito dicitur Anianus abbas cum suis monachis deservire *sancti Johannis Exequartensis, vel sancti Petri & Pauli monasteriis, quæ ædificavit supra dictus Anianus cum fratribus suis supra rivo Argentodublo, in villa Caunense, quæ ab antiquo dicebatur Busintis*: quam villam rex Carolus ipsi abbati ejusque fratribus post Milonem perdonaverat. Ex his intelligitur, Caunense sancti Petri monasterium nondum ex integro absolutum fuisse, cum Daniel illud Aniano abbati subjecit. Et forte Daniel ipse unus fuerit ex discipulis Aniani, qui vice sui Danielem loco promovendo præfecerit, adeoque primus monasterii auctor, aut saltem continuator habitus. Exstat in tabulario Caunensi authenticum instrumentum venditionis salinarum Narbonensium, a quodam Sonefrido & Rameldesana ejus uxore factæ Annoni abbati, Landaldo presbytero, ceterisque ejus loci monachis anno duodecimo imperii Caroli Magni. qui Anno haud alius videtur ab Aniano abbate. Daniel ejus successor laudatur, tum in diplomate Caroli Calvi inferius referendo; tum in placito Fredaldi archiepiscopi Narbonensis, in quo quadringenti quinquaginta solidi adjudicantur Danieli abbati & toti congregationi mo- » nasterii sancti Petri, cujus ecclesia sita est in pago Narbonensi, suburbio Miner- » bensi, juxta fluvium Argentodublum. Actum civitate sedis Narbonensis sub die no- » no kalendas Madias, anno tricesimo-tertio regnante domno nostro Karolo rege. In veteri basilicæ Caunensis inscriptione notatur XVII. kalendas Decembris dedica- » tio basilicæ sanctorum apostolorum Petri & Pauli ac sancti Stephani, sanctique Mar- » tini episcopi & confessoris, quam ædificavit Anianus abbas cum monachis suis. Danieli & Aniano abbatibus successisse videtur Azenarius.

IV. Septimaniæ pii abbates.

Atilionem, Nibridium, Anianum, aliosque laudat Theodulfus episcopus Aurelianensis in carmine [b] ad monachos sancti Benedicti Anianenses, quibus salutatis, vult etiam alios vicinos monachos salutari.

b *Theodulf. lib. 2. c. 6.*

Inde salutandi fratrem pietate revise,
Sum cui junctus ego nomine, non merito.
Hinc pete Nebridii patris venerabilis ædes:
Mox & Donati sit tibi visa domus.
Sed nec prætereas sancti loca fratris Atili;
Anianique mei tecta verenter adi.
Nam pius adspiciat dantem sibi dona salutis.
Atala te videat; dicque Olemunde vale.

Quis sit Theodulfus ille, quem primo loco salutari cupit, incertum. Hunc adhibuerat oratorem apud Benedictum abbatem, cum ab eo monachos ad emendandos Miciacenses Theodulfus postulavit, unde in jam dicto carmine,

Ut per Teudulfum Teudulfi verba precantis
Imples, cumque una it cum prece nomen idem.

Nec magis notus nobis Donatus. Noti sunt ex dictis Nebridius, Atilius seu Atilio, & Anianus. De Atala & Olemundo nunc agendum. ANN. CHR. 780.

Atala conditor & primus abbas fuit monasterii sancti Polycarpi ad Rivumgrandem * in finibus Septimaniæ, diœcesi Narbonensi. Legimus Caroli Magni hac de re litteras, in quibus testatur, quod Atala venerabilis abbas & Agobardus, de partibus Spaniæ venientes cum servis & libertis, ut se a consortio nefandæ gentis Sarracenorum retraherent, ad suam celsitudinem confugissent; rogassetque prædictus abbas imperialem clementiam, ut in Septimaniæ confinio ea, quæ de eremo trahere, aut excolere posset, aut emere, habere ac possidere sibi liceret. additque, quod ille primitus in illas partes veniens *in confinio Petralatens* *, seu in locum, cui vocabulum est Magregesum, ecclesias invenerit antiquitus fundatas, sed destructas a paganis: unam in honore sanctæ Mariæ, alteram in honore sancti Stephani, aliasque ad sanctum Fructuosum & ad sanctum Petrum; deinde vero pervenerit in comitatu Redensi *, ubi monasterium sancti Polycarpi martyris cum ecclesiis exstruere cœpit, ac vineas plantavit. demumque quod petierit idem venerabilis abbas, ut Carolus prædictas cellas cum monachis ibidem servientibus *ad domum sancti Polycarpi martyris* conferret, easque sub regiam tuitionem acciperet. cui petitioni idem princeps libenter acquievit. Id factum legitur Antoniaco in palatio, anno imperii ejus quadragesimo-tertio, indictione tertia-decima: sed vitiosæ sunt hæ chronologicæ notæ. Indictio tertia-decima convenit cum anno Christi octingentesimo-quinto, qui Caroli quintus imperii, regni vero Francorum tricesimus-octavus erat. Post Atilam invenitur monasterii sancti Polycarpi abbas Centullus, qui a Carolo Calvo privilegium obtinuit anno regni ejus quarto, indictione sexta, Tolosa in civitate.

V. Atala primus abbas S. Polycarpi.
* Rieugrand.
* Pierre-latte en Vivarez.
* de Resez.

Olemundus auctor primusque rector fuit monasterii sancti Johannis Baptistæ de Castro-Malasti, sito in Valle-secura, diœcesis Carcassonensis, ad ripam Durani * fluvii. Idem hoc monasterium Carolo Magno tutandum commendavit adversus pravorum hominum infestationes, ut patet ex diplomate Ludovici augusti, de quo inferius agemus. Legimus authenticas litteras Arifonsi & Sisenandi germanorum fratrum, qui res quasdam suæ proprietatis conferunt ad casam Dei, quæ vocatur sancti Johannis Baptistæ, in territorio Carcassensi, in loco, qui vocatur Castro-Malasti, subter fluvio Durano, *ad ipsum jam dictum locum, & ad honorabilem Dei magnificum*, hoc est præconem, scilicet Johanem Baptistam; nempe possessionem quamdam de villa Relia, in territorio Redensi, suburbio Licinianensi, aliasque tam pro se, quam pro fratre suo Altemiro. quod instrumentum conditum fuit in mense Martio, anno vicesimo-tertio Caroli regis, Magni an Calvi. Nunc monasterium tantum notum est sub nomine Montis-Olivi *, superestque etiam nunc post varias vices sub Benedictina congregatione sancti Mauri.

VI. Olemundus Montis olivi.
* La Durance.
* Montolieu.

In eadem diœcesi Carcassonensi exstabat etiam tunc temporis monasterium sancti Saturnini martyris, insignitum corpore sancti Hilarii ejusdem sedis episcopi, a quo postea nomen accepit. Situm est ad Leucum * fluvium, haud longe a monasterio Crassensi. Primi ejus loci abbates fuere Recamundus & Castellanus, laudati in quodam placito Wileranni episcopi Carcassonensis inferius referendo. Nampio, Castellani successor, privilegium immunitatis ac regiæ tutelæ a Carolo Magno accepisse memoratur in diplomate Ludovici Pii, a quo Monellus, Nampionis successor, ejusdem privilegii confirmationem obtinuit. In hoc diplomate vocatur monasterium sancti Hilarii & sancti Saturnini: at processu temporis, ut fit, solum nomen sancti Hilarii retinuit, retinetque etiam nunc.

VII. S. Hilarii monasterium in Septimania.
* Lect.

Non divellendum ab eo cœnobium sancti Laurentii, eodem tempore conditum in pago Narbonensi ad Nigellam * fluviolum, tribus leucis distans a monasterio beatæ Mariæ de Crassa, cui sæculo duodecimo unitum fuit cellæ nomine, ac tandem penitus exstinctum. Vulgo dicebatur abbatia sancti Laurentii de Caprerefsa, ut distingueretur ab alio ejusdem nominis ac pagi monasterio, sito in territorio Narbonensi ad lacum Bagesii, vulgo sancti Laurentii de Casulis: quæ cella monasterio beatæ Mariæ de Monachia Narbonensi addictum est a sæculo itidem duodecimo. Tertium sancti Aniani & sancti Laurentii monasterium ad amnem Vernodubrum * in Septimania paullo serius conditum est, imperante Ludovico Pio, modo sancti Aniani * præcise nuncupatum, non confundendum cum monasterio Aniana,

S. Laurentii monasteria tria in Septimania.
* La Nielle.
* Vernasoubre.
* S. Chinian.

ANN. CHR. 780.

quod etiam nonnumquam Anianum dictum est. De aliis Septimaniæ monasteriis agemus, illustrando notitiam monasteriorum, quæ principatu Ludovici augusti facta est.

VIII. Placitum pro monasterio S. Victoris Massiliensi.

Insigne placitum anno decimo Caroli regis habitum est in causa monasterii sanctæ Mariæ & sancti Victoris Massiliensis de villa pagi Dignensis Caladio, aliisque rebus, quas Nemfidius patricius & Adaltrudis ejus conjux olim eidem monasterio donaverant. Post mortem Nemfidii, cum Adaltrudis jam Deo sacrata esset, Antener * patricius hanc villam invasit, & dolo malo instrumenta hac de re confecta, aliaque, quæ Magnus, tunc ejus loci abbas, ei super altare exhibuerat, concremari jussit, sacramento ab eodem abbate prius præstito, nullas alias chartas in tabulario Victorino, immo nec in tota urbe Massilia haberi. Interim Adaltrudis, quæ tali facto præsens aderat, alia suæ donationis exempla, quæ duplicia facta fuerant, in sua manica absconsa habebat, quæ *in arca sancti Victoris* postmodum restituit. Interim Abbo patricius, coram bonis sacerdotibus, virisque illustribus sententiam edixit *de interitione chartarum*, ne qua fraus inde basilicæ sancti Victoris fieret: nec tamen Antener ab invasione cessavit. Cum vero de hac invasione conquestus esset Magnus abbas, *per ordinationem domni Karoli majoris-domus* missi sunt ejus causæ cognitores; exhibitisque Adaltrudis chartis Carolus princeps *per cauciarios suos missos* ipsum monasterium revestiri jussit. Verum emergentibus deinde bellis in Provincia, denuo iisdem rebus basilica Victorina spoliata fuit ab eodem Antenere, ex quo hæc villa in regiam alodem transiit. Cum itaque missi dominici, a Carolo Magno in Provinciam directi, in urbem Dignam convenissent, *id est Viernerius & Arimadis una cum rationalibus dominicis* (sic legendum videtur) id est procuratoribus fiscalium redituum, nempe Marcellino, Hieronymo, Gedeone, aliisque; eo accessit Maurontus episcopus Massiliensis, ac satis egit, ut villa Caladius cum suis appendicibus basilicæ sancti Victoris restitueretur. Lecta coram eis donationis instrumenta: audita testimonia Dignensium accolarum, qui hanc villam in beneficium ab ecclesia Victorina concessam fuisse affirmabant: exhibitus insuper ab episcopo *poleticus*, qui de eadem re fidem faciebat. His a fiscali quodam opponebatur tricenaria possessio, & quidem in tempore pacis, ex quo hæc villa ad beneficium regis transierat. Nihilo minus prævaluit Maurontus episcopus, & judicio missorum hæc villa basilicæ sancti Victoris restituta fuit. Actum est hoc VIII. kalendas Martii, anno duodecimo Caroli regis. Marcellinus comes cum aliis missis judicium confirmarunt. Hanc sententiam esse puto insignis illius, sed obscurissimi instrumenti, quod post Sancta-Marthanos retulit Cointius, chronicis characteribus tantisper emendatis. Ex hoc porro instrumento colligitur ætas Abbonis patricii, ejus qui Novaliciense monasterium condidit: quem tempore Caroli majoris-domus exstitisse, uti suo loco diximus, hoc ipsum instrumentum probat.

* *f.* Antenor.

IX. Adalhardus Corbeiæ abbas post Mordramnum.

Hoc tempore in Corbeiense monasterium e Casinate reversus erat Adalhardus, qui, dum in ulteriores terras, ubi degere ignotus posset, fugere meditaretur, continuo *præoccupatus nuntiis*, a Carolo forte missis, in patriam reductus fuerat. Cum vero Corbeiæ privatam vitam quietus agere cuperet, & jam quasi victor celsa in mentis arce sedere videretur; dispensante Dei providentia, rursus novum certaminis genus eidem imponitur. Nam non multo post ejus reditum, consentiente Mordramno abbate, velut alter Aurelius-Augustinus, futurus successor eligitur, sive id factum sit agente rege, sive potius consilio Corbeiensium monachorum, qui eum hoc pacto retinere apud se volebant. Eximias ejus virtutes explicat hoc in loco Paschasius, pietatem, compunctionis ac lacrymarum gratiam, prudentiam in consiliis, in factis justitiam, atque in totius vitæ serie constantiam, alienarumque virtutum æmulationem; ad hæc eloquentiam & doctrinam: ita ut ob hanc pietatem & æmulationem alter Antonius; ob eloquentiam alter Augustinus dictus sit, qua eloquentia sic auditores afficiebat, ut lingua ejus veluti calamus Spiritus-sancti haberetur. Percon-
» tanti aliquando Paschasio, cur tantum fleret: Plango, inquit, fili mi, plango, non
» quasi humiliando flere me conveniam, aut altiora cæli sacramenta conspiciam: sed
» me quid sim considerans, plangendo lugeo. Plango, inquam, non quia sic me vel-
» lem plangere: sed quia me ita plangendum novi, procul-dubio plango. Id vero ex profunda humilitate ab eo dictum ait Paschasius, ut se ad plangendum eam ob causam invitaret.

Dum a cælestium rerum contemplatione ad terrena negotia pro sui muneris officio avocaretur, iis expeditus mox ad pia redibat exercitia vir sanctus, & continuo totum se inveniens, iis totus aderat, quasi antea nihil aliud animo agitasset. Mox de more fluere lacrymæ, soliti gemitus audiri, ac tota recurrere devotio. Revirebat quoque ilico animus, omnesque sensus corporis continuo mori videbantur. Ubi vero ad divinum accedebat officium, ut ipse jucundo animo solebat dicere, rerum temporalium cogitationes & causas ad ostium reponebat, & in se se totus ingrediebatur, ut totus sibi ac Deo adesset. Hinc oculos ejus humi defixos, vultum immotum vidisses, animi cælestibus intenti indicium. Neque id mirum esse ait Paschasius, qui addit se a quodam accepisse episcopo, Adalhardum inter ipsos palatii populorumque tumultus, dum rex & consiliarii ejus aliud quid intenderent, & turba pro more undique perstreperet, sæpe in medio eorum positum luxisse, quasi non nisi ad flendum eo adductus fuisset; ibique præsente corpore, mens alio ad Deum evolabat. Denique cum inter varia hujus sæculi discrimina huc illucque pro ecclesiæ regnique negotiis discurrere cogeretur, *instituta tamen regulæ minime deserebat*; sed pro lectione impensius fletibus, & pro reliquis officiis frequentius jubilo mentis ac contemplationi vacabat. Quam ob rem ejus socii itinerisque comites procul ab eo gradiebantur, ut piis ejusmodi exercitiis locum darent, atque ille soli Deo totus vacaret. Idcirco totus ubique secum, totusque cum Deo erat, ac sollicitus cum eo gradiebatur. ANN. CHR. 780.

Ceterum quo præcise anno designatus sit Mordramni abbatis successor, quove in regimine monasterii eidem successerit, non facile est definire. Quamquam sub hunc annum, illius sæculi octogesimum-primum, videtur id contigisse, quandoquidem non multo post Pippino juniori, a Carolo patre Italiæ regi constituto, moderator ac consiliorum adjutor datus est Adalhardus, cum jam per aliquantum temporis Corbeiam rexisset. In necrologio Corbeiensi Mordramnus abbas XIII. kalendas Junii obiisse memoratur, & in libello pastuum notatur ipso die *Maurdramnus abbas, qui Tanedas mihi*. forte monasteriolum, *dedit nobis. Videte ne memoria ejus obliviscatur. Præpositus inde fratribus pastum facere debet.* Est autem vicus Taneæ* duabus aut tribus admodum leucis distans ab opido Corbeia, penditque hactenus in temporalibus ac spiritualibus ab ipso monasterio. * Taneæ.

X. S. Dionysii nova basilica per Fulradum, & miracula.

Per id temporis, cum Fulradus a legationibus, ceterisque muneribus publicis ob ingravescentem ætatem feriaretur, novæ monasterii fabricæ supremam imposuit manum. Dum vero basilicam sanctorum martyrum, diruta priore, quæ a Pippino rege cœpta, augustius a Carolo rege absoluta est, opifices architectarentur; Herlebertus quidam ob leve furtum admissum cælitus punitus, non prius sanitatem recepit, quam facinus suum Widrio presbytero confessus esset. Basilicæ perfecta fabrica, turrique imposita, ex qua signa seu campanæ de more pendebant, Fulradus venerabilis abbas, qui operi strenue institerat, cuidam Airado præcepit, ut summoveret instrumenta, quibus nixi artifices prædictæ turris cacumen erexerant; quod dum ille exsequeretur, ex summa turri in terram corruit ante basilicam sancti Petri, quæ turri proxima erat. Accurrere omnes, in primis Fulradus ipse, qui se mortis ejus auctorem esse proclamabat. At ille illæsus mox assurgens, spectantibus magnum stuporem incussit, id tribuentibus sancti Dionysii meritis, ne suæ domus fabrica cuiquam exitium attulisse diceretur. Is mihi videtur esse Airardus monachus, qui portas æreas ejusdem basilicæ fabricavit, quique se ipse insculpsit portæ majori ad aquilonem positæ, ubi exstat cum scapulari sub scapulis adstricto *Airardus monachus*, portas ipsas sancto Dionysio offerens, cum adjunctis versiculis duobus, qui insertis simulque implexis litteris insculpti sunt.

Hoc opus Airardus cælesti munere fretus,
Offert ecce tibi, Dionysi, pectore miti.

In adversa porta meridionali exhibetur monachus Dionysianus cum habitu, non ad laborem, ut ille Airardi, sed ad divina officia composito: cujus caput velo quodam ad tergum rejecto tectum, & quoddam cappæ genus supra cucullam ab anteriori parte penitus apertæ, a posteriori ad ima concinne defluentis, conspicitur: qui habitus videtur fuisse laxiorum illius temporis monachorum, qui sensim ad canonicorum mores deflectebant. Utramque effigiem hic exhibere operæ pretium duxi.



Forma habitus monachorum S. Dionysij sub Fulrado Abbate.

ANN. CHR. 780

Solebat tunc temporis Bertrada regina, magni Caroli parens, subinde in ipso beatorum martyrum degere monasterio, ubi se totam divino cultui daret. Tunc accidit, ut cuidam ejus famulo, Autberto nomine, ob sigillum e Majori-villa * abreptum, brachia & manus subito obriguerint. Hoc audito, regina fratres pro eo Deum precari jubet, ac viro venerabili Benjamino (is ecclesiæ thesaurarius erat) admissi emendationem spondet. Nec mora post fratrum preces, homini integra facultas restituta. Regina his visis laudavit Deum sanctosque martyres, & munera basilicæ obtulit.

* Merville.

XI. Ælbertus episcopus Eboracensis obit.

In Britannia insula decessit hoc anno Ælbertus episcopus Eboracensis. Ante biennium, superiorum ejus sedis antistitum exemplo, in monasterium secesserat, postquam Eanbaldo discipulo dignitatem resignasset, ut tradit anonymus poëta, cui tum Eboracensis ecclesiæ bibliothecam commendavit. sic enim is canit.

Ergo ministrator clarissimus ordine sacro
Præsul, perfectus meritis plenusque dierum,
Tradit Eanbaldo dilecto lectus alumno
Pontificale decus: sibimet secreta petivit
Septa, Deo soli quo jam servire vacaret.
Tradidit ast alio caras super omnia gazas
Librorum nato, patri qui semper adhæsit.

Post annos secessus binos, totidemque menses, in cælestem patriam migravit VI. idus Novembris, teste eodem anonymo, & quidem initæ dignitatis anno quarto-decimo. In ejus locum suffectus Eanbaldus, annos septemdecim eam ecclesiam rexit, successorem fortitus alterum Eanbaldum, de quo inferius.

XII. S. Wigberti abbatis Fritislariensis translatio.

In Germania corpus sancti Wigberti abbatis sub idem tempus e monasterio Fritislariensi in Hersfeldense cælesti monitu translatum est a Witta seu Albuino Buriburgensi episcopo, cui Fritislaria subjecta erat, annuente Lullo metropolita, cui rei Caroli regis consensus accessit. Acciti ex Hersfeldio ad id operis tres monachi, Ernustus, Baturicus, & Wolfo: quibus Albuinus sacras reliquias in suum monasterium noctu perferendas consignavit, ne, si interdiu id tentatum, Fritislarienses prohiberent. Ergo prædicti fratres munus sibi ab episcopo traditum celeres in suum cœnobium deferunt, quod a monachis ejus loci reverenter exceptum, magnifice primo in ecclesia conditum est. Tum Lullus, favente Carolo, monumentum, pro more Germaniæ & Galliarum, auro argentoque, atque congruentibus metallis exornandum curavit, (fredam seu ciborium vocabant veteres) & hoc opus ad idus Augusti complevit. Miracula dein ibidem patrata loci famam ac religionem auxere.

XIII. Herwlfi abbatis Elewangensis obitus.

Ad idem fere tempus revocanda est mors Herwlfi seu Hariolfi, ex Lingonensi episcopo abbatis Elewangensis, qui idibus Augusti e vivis excessit, ut in ejus epitaphio legitur apud Bruschium. Is monasterio a se condito privilegia, & corpora sanctorum Sulpicii & Serviliani martyrum ab Hadriano papa obtinuisse dicitur: qui martyres XII. kalendas Maii laudantur in tabulis ecclesiasticis. Wicterpus seu Wicterhus, ejus successor, temere confunditur cum Wicterbo episcopo Augustano, qui medio illo sæculo decessit. Ceterum regebat hoc tempore Augustensem ecclesiam Sintpertus, qui basilicam sanctæ Afræ exstruxit, & cœnobium sancti Magni apud Fauces instauravit, testante Ermenrico monacho Elewangensi.

XIV. Willehadus Saxones erudit.

Inter ea Carolus, compressis Saxonum novis motibus, eam regionem partitus est inter episcopos, presbyteros & abbates, qui ejus incolas prædicatione erudirent. In his non infimum locum tenuit Willehadus, quem Carolus ad pagum Wigmodiam, cujus Brema caput est, ejus rei causa direxit. quod ministerium ille adeo strenue exsecutus est, ut secundo anno tam Saxones, quam Frisones in circuitu commorantes, omnes se christianam fidem amplexuros promitterent, ut tradit in libello de vita ejus Anscharius. Certe in annalibus Musciacensibus legitur, Winidorum seu Sclavorum atque Saxonum magnam multitudinem tunc baptizatam fuisse. Eodem etiam tempore Winidos proprie dictos, qui ad ortum Bajoariæ positi erant, in Christi fide erudiebat & confirmabat Virgilius episcopus Saltzburgensis, cujus obitum, quem hoc anno collocant plerique, ad quinquennium differemus.

ANN. CHR. 780.
XV.
Caroli M. secundum iter Romam.

Privilegium S. Gallo & Augiæ concessum.

Ordinatis Saxoniæ rebus, Carolus ab Hadriano papa in Italiam denuo invitatur ad vindicandum patrimonium sancti Petri in territorio Neapolitano. Haud gravate novum illud iter aggressus est rex strenuissimus, simul ut pontificis voto faceret satis, simul ut unum e filiis suis Italiæ regem constitueret, ac limina sacra iterum, voti solvendi causa, adiret. Euntem comitata est Hildegardis regina cum regiis liberis, exceptis Pippino & Carolo, quos Wormatiæ reliquit. In illo itinere, ubi in urbem Alamanniæ Constantiam advenit rex, eum supplices adeunt sancti-Gallenses & Augienses monachi, quibus tunc Johannes episcopus Constantiensis præerat, enixe obsecrantes, ut, mortuo episcopo, monachi prædictorum cœnobiorum potestatem haberent sibi eligendi abbates, utque soli regi deinceps subjecti essent. quod optimus princeps eis indulsit, concessis litteris, quas episcopus penes se retinuit. Tum rex urbe Constantia profectus Ticinum, ibi reliquum hiemis exegit.

XVI.
S. Fuscæ monasterium conditur.

Tunc temporis Gerardus comes prope Tarvisium Venetiæ urbem monasterium ædificavit in honorem beatissimæ virginis Mariæ, sanctæ Crucis, & sanctæ Fuscæ martyris, quæ idibus Februarii Ravennæ colitur, illudque Nonantulensi abbatiæ subjectum esse voluit. Situm erat hoc monasterium in quadam insula, duobus circumdata fluminibus, Caniano & Sylo, tertia stadii parte ab urbe Tarvisio distans, quod ab Hunnis & Pannoniis anno undenongentesimo devastatum fuisse Ughellus [a] testatur. Gerardi ducis fit mentio inferius in diplomate Caroli Magni pro ecclesia Regiensi.

[a] Ital. sac. to. 5. c. 469.

ANN. CHR. 781.
XVII.
Pippinus rex Italiæ instituitur, Ludovicus Aquitaniæ.

EXacta hieme, Carolus ex urbe Ticino Romam contendit. Proficiscentem episcopi ac populi eximiis coluerunt honoribus, nec minori animi alacritate Hadrianus Romæ excepit, veterum & novorum in ecclesiam beneficiorum ejus memor. Illic baptizatus fuit ejus filius Carolomannus, quem Hadrianus mutato nomine Pippinum appellavit, unxitque regem super Italiam, fratremque ejus Ludovicum super Aquitaniam, uti eorum parens constituerat. Carolo Roma digresso ac Mediolanum profecto, Thomas ejusdem urbis antistes filiam ejus Gislam sacro fonte lustravit.

XVIII.
Placitum pro Farfa.

Cum a liminibus Apostolorum ad Vadum-medianum in finibus Florentinis Carolus pervenisset, comitante Hildeprando duce Spoletano, Paulus quidam civis Reatinus, filius Pandonis, ad regem accessit, conquerens adversus Hildeprandum, quod monasterium sancti Angeli Reate suburbanum, sibi, uti asserebat, a quadam Gutta amita sua, confirmante Liutprando rege, concessum, abstulisset, atque Guigperto Reatino episcopo tradidisset. Ad hæc dux reponebat, se hoc monasterium invenisse sub potestate palatii, ac donasse Guigperto episcopo, ea lege, ut post ejus obitum ad jus Acutiani sanctæ Dei Genitricis monasterii, id est Farfensis, cederet. Rex ejus causæ cognitionem Spoletum distulit. Cum eo pervenisset, residente ipso
» ad causas omnium audiendas, assidentibus Adeodato, Arnefrido, Petro, Justolfo
» & Sinualdo episcopis, aliisque optimatibus, accessit Pando cum filiis & consortibus
» suis; ostenditque regale Liutprandi præceptum, in quo legebatur, ipsum regem
» substantiam cujusdam Guttæ Pandoni, suisque confirmasse, nulla monasterii sancti
» Angeli habita mentione. Hildeprandus objecit, cur hoc præceptum non ostendisset
» Pando, cum frater ejus Teuto episcopus adversus ipsum in præsentia Teudicii
» ducis hoc monasterium ad partem palatii defensaret? Respondit Pando, se tunc
» illud præceptum non habuisse, sed postea invenisse. His intervenit ex parte Farfen-
» sium Ragambaldus abbas cum suis monachis, asserens, monasterium illud, de quo
» agebatur, sacramento interposito adjudicatum fuisse potestati palatii, ac judicium
» hac de re emanasse, Dagarii castaldi ac referendarii manu scriptum. Dagarius in-
» terrogatus factum agnovit. Dehinc interpellatus Pando, ut judicatum illud osten-
» deret, confessus est tandem, se illud accepisse a Teutone episcopo in extremis po-
» sito, & postea combussisse, propterea quod sibi contrarium esset. Ex hac confes-
» sione Pando causa cecidit, & secundum Farfenses lis definita in mense Julio per in-
» dictionem quartam, quæ huic anno convenit. Ragambaldus abbas Farfensis hic laudatus Probato successerat hoc anno, ut in chronico legitur, aut præcedenti, siquidem hoc anno causa Potonis abbatis sancti Vincentii ad Vulturnum ventilata est coram Hadriano papa, cui discussioni Ragambaldus abbas interfuit, ut in fine superioris libri diximus. Qui superius laudatus est Theudicius dux, Spoletanus haud

Ragambaldus abbas Farfensis.

Vincentini abbates.

dubie

ANN. CHR. 781.

dubie dux fuit, Hildeprandi ibidem memorati antecessor, idemque, ut mihi quidem videtur, cujus sigillum plumbeum penes se habet studiosissimus earum rerum conquisitor abbas Fauvellus, atque in æs incidi curavit, quale hic exhibemus.



Non satis sibi constat chronographus Vincentinus, cum ait Autpertum anno undeoctogesimo decessisse, Hainradum vero successorem anno sequenti, post regiminis annos tres & menses decem. quod stare non potest, nisi Autperti obitus citius accidisse dicatur; aut Hainradi præfectura brevior, aut vita productior fuerit. Nobis perinde est utrum lector eligat. Hainradus IV. nonas Novembris obiisse traditur: Poto vero ejus successor x. kalendas Maii, cum monasterio annis duobus, mensibus quinque, diebus sexdecim præfuisset. De Paulo abbate ejus successore inferius.

XIX. Langobardorum leges de monachis.

Pippino Italiæ rege constituto, Carolus ejus parens ad statum regni constituendum se se convertit, ac frequenti episcoporum, abbatum, virorumque illustrium conventu coacto, ex eorum sententia legum capitulare tribus libris condidit, illudque mense Maïo (Martium Sigonius præfert) promulgari jussit. Ex illis non paucæ eædem sunt cum superiori capitolari Haristaliensi. Sanctione sexta præcipitur, ut impuberes puellæ non velentur ante maturi judicii ætatem. Octava, ut *canonici* secundum canones, *& regulares* secundum regulam vivant. ubi vides *regularium* nomine præcise monachos designari, ut in articulo duodecimo monasterium *regulare* contra *canonicum* distinguitur. Nona, ut episcopi & abbates hospitii jura, ubi xenodochia instituta sunt, non prætermittant. Duodecima, ut homo liber, qui *in monasterio regulari* comam deposuerit, & res suas ibidem legaverit, *promissionem factam secundum regulam* firmiter teneat. Tertia-decima, ut liberi homines, qui servitio Dei se devovere voluerint, prius a rege facultatem petant: tum ut ne non tam causa devotionis hoc faciant, quam ad evitandas functiones regales: tum ut ne circumventi sint ab his, qui res eorum concupiscunt. Quarta-decima, ut loca, quæ semel Deo dicata sunt, monasteria in perpetuum permaneant. Sexta-decima, ut servum alterius nemo inducat ad clericalem vel monasticum ordinem absque domini sui consensu. Legum titulis inseruntur Caroli sanctiones non paucæ, in quibus ea, quæ titulo decimo libri primi subjecta est, de parricida statuit, ut, si crimen negaverit, *ad novem vomeres ignitos*, ad explorandum Dei judicium accedat, id est per novem vomeres ignitos nudis plantis pertranseat: quos si pertransisset illæsus, insons habebatur. Hæc probatio admissa est in sancta Cunegunde, violatæ fidei conjugalis accusata, quæ *vomeres candentes* absque adustione secura pertransiit. Titulo tricesimo-septimo libri tertii decernitur, ut presbyter, qui sanctum chrisma dederit ad judicium subvertendum, de gradu suo expulsus manum amittat. Hoc capitulare conditum fuisse ante Caroli iter Mediolanum illud argumento est, quod superius placitum pro Farfensi monasterio paullo post suum ex urbe Roma egressum edidit mense Julio: cum prædictum capitulare mense Maïo datum fuerit.

XX. Caroli præceptum pro ecclesia Regiensi.

Non levis tamen mihi suspicio est, in prædictis Farfensibus litteris legendum esse *mense Junio*, tum quia non tanta temporis intercapedo ab egressu Caroli ex urbe Roma ad iter Spoletum videtur intercessisse: tum quia idem Carolus mense Junio Papiæ jam residebat, ut docet ejus diploma Regiensi ecclesiæ hoc anno concessum, rogante Apollinare ejus urbis episcopo. Hic quippe ibidem regiam adiisse clementiam dicitur, eique remisisse, *quod accidente negligentia & incuria, crepitantibus flammis ecclesiarum ædificia in Regiensi urbe cremata fuerint, cum quibus etiam aliqua instrumenta chartarum & monumenta in favillam redacta sint.* tum, præceptis regum Langobardorum cum apologetico exhibitis postulasse, ut ipsum sub sua protectione

AN. CHR. 781.

» acciperet ; & ut res ac terminos ejusdem ecclesiæ in confiniis Mantuanis, Bono- » niensibus, Mutinensibus, Lunensibus, Parmensibus, Ticinensibus & Cumanis de- » finiret ; idque petiisse *pro temeraria præsumtionis invasione cavenda, necnon & pro Francorum gente noviter in Italiam introducta.* Dum vero limites ejusmodi assignarentur, intercessit Anselmus abbas Nonantulanus diœceseos Mutinensis, oratoria quædam repetens, quæ Apollinaris ad ecclesiam suam pertinere asserebat. Ne itaque ecclesia sua damnum pateretur, idem episcopus adstitit cum suo advocato *in præsentia ducis Gerardi* cum Anselmo jam dicti monasterii abbate. Sed quia hæc controversia, *quæ inter duo venerabilia loca creverat, absque vicinorum episcoporum audientia nullatenus definiri poterat ; ideo, datis induciis, tres episcopi, Petrus scilicet Bononiensis, Geminianus Mutinensis, & Petrus Parmensis, cum aliis idoneis & catholi- » cis viris convocati sunt.* quibus cum prædicto duce Gerardo ad judicium residenti- » bus, Apollinaris episcopus & abbas Anselmus adfuerunt : eorumque controversia » diligenter & accurate discussa, prædicta oratoria ecclesiæ Regiensi adjudicata fuere. *Data in mense Junii, die octavo, in anno tertio-decimo & septimo regni* Caroli. *Actum Papiæ civitate.* Gilibertus ad vicem Radonis diploma recognovit & subscripsit. Sigonius habet anno septimo Pippini regis, idque rejicit in annum ejus sæculi octogesimum-septimum.

Anselmus abbas Nonantulæ intercedit.

XXI. Forte cum Mediolani Carolus aut Brixiæ versaretur, Radoara abbatissa monasterii Salvatoris seu sanctæ Juliæ Brixiensis, quæ Ansilbergæ Desiderii regis filiæ successerat, regi supplicavit, ut omnes sui monasterii possessiones *sub immunitatis » nomine* confirmare dignaretur, quo nullus judex publicus ibidem ad causas audien- » das aut vectigalia exigenda quidquam potestatis haberet. cui petitioni clementissimus princeps facile assensit. Ejus hac de re præceptum in tomo secundo bullarii Casinensis caret chronologicis notis : sed ad hoc tempus referendum esse non sine fundamento videtur.

Aliud præceptum pro parthenone Brixiensi.

XXII. Interea Alcuinus, mortuo Ælberto episcopo Eboracensi, Romam ab Eanbaldo successore, ad obtinendum ei pallium, missus, cum inde rediret, Parmæ obvium habuit Carolum regem, qui multis precibus institit, ut is, expleta legatione sua, in Franciam veniret. Promisit Alcuinus quod a tanto principe rogatus erat, eamque facultatem a proprio rege & episcopo hac tantum lege obtinuit, ut iterum ad eos reverteretur. Simul ac in Franciam accessit, Carolus eum patris loco habuit, ab ipsoque introductus est in artes liberales. Nec multo post, ut eum apud se retineret, duo illi monasteria commisit, Bethlehem scilicet, alio nomine Ferrarias dictum, in pago Wastinensi ; & sancti Lupi apud Trecas. Nec sic tamen Alcuinus retineri potuit, quo minus tunc ex condicto, tum ex præscripto canonum, reverteretur in propriam ecclesiam, in qua tonsura clericali ac levitico gradu insignitus fuerat ; se regressurum in Franciam pollicitus, si hoc ab ipsius rege & episcopo Carolus impetrasset. Hac ratione victus princeps, consensit ut in patriam rediret, requiem non dans animis, dum ab Alcuino ad ipsum reverso impetraret, secum perpetuo ut perduraret. Huc referenda videtur Alcuini epistola vicesima-tertia, in qua Carolum laudat, quod ex diversis mundi partibus amatores sapientiæ convocare studuerit : *inter quos*, inquit, *me etiam infimum, ejusdem sanctæ sapientiæ vernaculum, de ultimis Britanniæ finibus adsciscere curastis.* Porro in Romano illo itinere id contigisse puto, quod idem scriptum reliquit in epistola quinta-decima. *Dum ego*, inquit, *adulescens Romam perrexi, & aliquantos dies in Papia regali civitate demorarer ; quidam Judæus, Julius nomine, cum Petro magistro*, Pisano scilicet, Caroli regis in grammatica præceptore, *habuit disputationem*, haud dubie hoc anno vel præcedente, quo tempore Carolus Ticini hiemavit. Tunc ergo contigit, ut Carolus, qui, teste Eginhardo, » in discenda grammatica Petrum Pisanum diaconem senem audivit ; in ceteris disci- » plinis Albinum, cognomento Alcuinum, item diaconem de Britannia, Saxonici ge- » neris hominem, virum undequaque doctissimum, præceptorem habuerit : apud » quem & rhetoricæ, & dialecticæ, præcipue tamen astronomiæ addiscendæ, (quod » mirere in magno rege tot negotiis occupato) plurimum & laboris & temporis impertiit, unde non immerito Carolus eum *carissimum in Christo præceptorem* vocat in fragmento epistolæ, relato in ipsius Alcuini epistola sexta, quidquid in contrarium dicat Baronius. Huc spectant versus epigrammatis undeducentesimi ad fratres Eboracenses, quos ad pangendos versus hortatur.

Alcuinus a Carolo in Gallia retinetur.

ANN. CHR. 781.

Talia namque placent vestro quia munera patri,
Qui nunc egregias regalibus insonat artes
Auribus, & patrum ducit per prata sequentem
Præpulcro sophia regnantem stemmate celsæ.

Verum longius progressus, jam ad Caroli gestorum seriem revertor.

XXIII. Wormatiæ conventus.

Relicto in Italia novo rege Pippino, Carolus Wormatiam revertit, ibique *campum-Maii*; id est conventum Maïo celebrari solitum, post mensem Julium celebravit. Citatus illuc dux Bajoariæ Tassilo accessit, obsides dubiæ fidei duodecim promisit, quos Simpertus seu Sindbertus episcopus Reginensis seu Ratisponensis Carisiacum ad regem adduxit. In eo conventu regi a populo supplicatum, ut episcopi « deinceps ad militiam proficisci ne cogantur, exceptis duobus aut tribus doctis ad « benedictionem dandam, & ad periclitantium reconciliationem faciendam: sed alii « omnes in suis parochiis resideant, ibidem Deo fideliter famulaturi, & sacrosancta « mysteria canonice peracturi, atque pro rege ejusque exercitu una cum sibi subjectis orationes, missas, litanias, & eleemosynas persoluturi. quod quidem a se non « ideo peti aiunt, quo supplementum ad bellicos sumtus ex rebus ecclesiasticis usurpent, quas contra potius augere cupiant: sed quod episcopos, si apud se remanserint, cum suæ, tum regis saluti utiliores fore persuasum habeant. quippe sibi compertum esse, res ecclesiæ Deo esse sacratas, ut pote oblationes fidelium, pretia « peccatorum. quare si quis eas ab ecclesiis aufert, procul dubio sacrilegium committere. Id vero probant ex formula tunc temporis usitata, cum quis res suas ecclesiæ « offerebat. Facit enim, inquiunt illi, scripturam de ipsis rebus, quas Deo dare desiderat; & ipsam scripturam coram altari aut supra tenet in manu, dicens ejusdem « loci sacerdotibus atque custodibus: *Offero Deo atque dedico omnes res, quæ hac in chartula tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum, ac parentum & filiorum, aut pro quocumque illas Deo deliberare*, forte *delibare*, *voluerit, ad serviendum ex his Deo in sacrificiis, missarumque sollemniis, orationibus, luminariis, pauperum ac clericorum alimoniis, & ceteris divinis cultibus atque illius ecclesiæ utilitatibus. Si quis autem eas inde, quod fieri nullatenus credo, abstulerit, sub pœna sacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas offero atque dedico, districtissimas reddat rationes.* Ponit etiam in ea alias conjurationes, quas enumerare longum est. Tum populi illi, ut talis ab eis rapinæ suspicio amoveatur, profitentur omnes, stipulam dextris in manibus tenentes, « eamque mox e manibus projicientes, se nec talia facturos, nec facientibus consensuros. Tam piæ populorum supplicationi assensit Carolus, idque proximo generali conventu confirmatum iri pollicetur, ut fusius apud Benedictum [a] levitam legere est. quod Cointius ad superiorem Wormatiæ conventum refert. Qui superius laudatur Simpertus Ratisponensis episcopus, idem memoratur in charta traditionis cujusdam Helmwini, sancto Emmerammo factæ in *præsentia Sindberti episcopi, & monachorum sub crypta sancti Emmerammi, anno* XXIII. *regnante augusto Karolo, die kalendarum Septembris.* ubi Carolus, necdum imperator, augustus dicitur.

Episcopi ad militiam ne pergant.

Formula oblationis Deo factæ.

[a] Capitul. lib. 6. c. 285.

XXIV. Saxoniæ octo erecti episcopatus.

Eodem anno rex in Saxoniam venisse traditur, eamque divisisse in octo episcopatus, Bremensem, Halberstadensem, Hildinesheimensem, Verdensem, Paderbrunnensem, Mindensem, Monasteriensem & Asenbruggensem: quibus terminos & ipse constituit, dein episcopos, de quibus postmodum agemus. Ad hæc monasterium in loco, qui vocatur *Selingestede*, vulgo *Asterwic*, exstruxisse, & in honorem sancti Stephani martyris dedicari curasse, eique præfecisse sanctum Hildegrimum Catalaunensem episcopum, sanctis parentibus, scilicet patre Thiatgrimo, matre Liafburga, editum, fratrem sancti Liudgeri primi Mimigardevordensis episcopi, ab Hadriano papa ad hoc opus destinatum: qui eodem anno sedem episcopalem ex hoc loco in opidum, quod vocatur *Halberstad*, transtulit. Hæc ex annalibus Saxonicis nondum editis. Aliud fuit Seliginstadense monasterium, quod Eginhardus sæculo insequenti condidit in diœcesi Moguntina.

XXV. S. Galli & Augiæ abbates.

Eodem anno in Alamannia Johannes episcopus Constantiensis vivere desiit. Ubi finem vitæ [b] sibi imminere sensit, ex duobus privilegiis, quæ Carolus monasteriis sancti Galli & Augiensi concesserat, alterum Augiam ipse detulit; alterum, quod ad sancti Galli monasterium spectabat, in scriniis Constantiensis ecclesiæ reliquit,

[b] Ratpert. c. 3.

ANN. CHR. 781. eo quod sancti-Gallenses *nepotem illius*, sicut promiserant, abbatem eligere noluissent, propterea quod regium diploma multum esse depravatum, & longe aliter, quam rex jussisset, conscriptum fuisse intellexissent. Idem ab Augiensibus factum. Postquam igitur Johannes e vivis excessit, mox Augienses quemdam senem presbyterum & monachum, Petrum nomine, sibi abbatem elegerunt cum consilio Hildegardis reginæ, cujus adminiculo electio stetit, propterea quod a Geroldo comite, prædictæ reginæ germano, locus ipse multum patrocinii ac subsidii accipiebat. In monasterio autem sancti Galli suffecto ad modicum tempus Ratperto seu Rutperto abbate, cum regis permissu Waldo seu Walto cœnobita, vir sapiens, scriptorque eximius, electus est. Verum non diu præfectura penes eum stetit. nam Egino, Johannis in Constantiensi episcopatu successor, sancti Galli monasterium more antecessorum suorum itidem sibi subjicere volens; uti Sidonius sanctum Othmarum, ita ille Waltonem abbatem insectari cœpit, atque optimates regis prædiorum concessione, non tantum pecuniis ac muneribus ad suas partes pertraxit, ac demum eorum favore monasterium suæ sedi mancipavit. Carolus vero Waltonem cum episcopo conciliare hoc pacto tentavit, ut ille episcopi jussis parens, abbatis nomen ac locum in monasterio retineret. at Waldo tantam suorum dejectionem haudquaquam ferre valens, negavit, se regis auctoritate sublimatum, posthac ulli inferiori homini subdi posse. Itaque cum regis assensu ad vicinum Augiense monasterium secessit; ubi postea electus atque ordinatus abbas, postremo Parisiense sancti Dionysii monasterium post Fardulfum abbatem regendum accepit. Waltone hoc modo pulso, Egino episcopus quemdam forensem presbyterum, Werdonem nomine, abbatem monachis imponere voluit. illis vero sæcularis habitus hominem rejicientibus, Werdo habitum mutavit, & tunc demum monasticis indutus vestibus, acceptus, atque, ut statuerat episcopus, abbas ordinatus est. Tum vero conspirantibus episcopo & abbate, res in deterius prolabi in dies: cum auctores mali essent, qui tutores ac defensores esse debuerant, nullusque ex monachis eis resistere valeret. Werdonem tamen ob eximios mores prædicat Walafridus Strabo in ejus epitaphio: quod si poëtice dictum interpretari nolis, mores tandem in melius commutasse Werdo dicendus est.

ANN. CHR. 782.

XXVI. Willehadi iter Romam, & commoratio Epternaci.

ANno insequenti octogesimo secundo in Saxonia excitata est gravis in christianos persecutio, auctore Witichindo, qui servos Dei alios a finibus suis expulit, alios crudeliter peremit, in his Folcardum presbyterum cum Emmingo comite, Benjaminum, Atrebanum, & Gerwalum cum suis sociis. Willehadus vero, eorum dux & magister, conscensa navi in Frisiam trajecit, sicque persecutionem evasit. Dein, nullam sibi apud Saxones prædicandi opportunitatem superesse existimans, arrepto itinere Pippinum Langobardorum regem adiit; indeque prospero cursu Romam accessit, Hadriano papæ afflictam & vagam Saxonum ecclesiam commendaturus. Tum pontificis favore ac benedictione recreatus, Franciam repetens, *ad locum, qui dicitur Afternaca*, divertit, ibique duobus annis commoratus, solitariam vitam duxit. Hoc est monasterium Afternacense, recentioribus Epternacense, quod sanctus Willibrordus in pago Trevirensi ædificaverat. Illic ab omni rerum strepitu alienus vir Dei, orationi & lectioni operam dedit, scribendis etiam libris deditus, quo in genere beati Pauli epistolas in uno volumine, aliaque quamplurima exarasse traditur. Ibidem cum multos ad meliorem vitam & ad Dei cultum exemplis, monitisque suis accendit; tum discipulos suos, qui propter metum persecutionis Saxonicæ passim dispersi erant, ad se recollegit, cum eis denuo ad illas partes reversurus. Epternaco tunc præerat Beornredus seu Berneradus abbas, dein archiepiscopus, ut putant, Senonensis, cujus mentio jam sæpe facta est.

XXVII. Liudgerus Casinum secedit.

Adamus canonicus Bremensis auctor est, Liudgerum cum Willehado Romam profectum, posteaquam Hadriani papæ præsentia & colloquio recreatus fuit, in montem Casinum secessisse *ad confessionem* sancti Benedicti, dum Willehadus in Gal» liam ad sancti Willebrordi sepulcrum remeavit. Itaque ambo biennio reclusi, hic « Epternaci, ille Casini, vitæ contemplativæ operam dederunt. Id clarius de Liudgero explicat Altfridus episcopus, cum ait, Liudgerum Roma progressum pervenisse ad monasterium sancti Benedicti in regno Beneventano, & illic in sancta conversatione consistentem didicisse regulam ejusdem sancti patris Benedicti: quippe qui jam

dudum cupierat in quadam possessione sua cœnobium construere monachorum, quod votum postea Werthinæ implevit. Idem Casini monastica cuculla indutus est, teste Altfrido, sed professionem observandæ regulæ non fecit; ideoque cucullam episcopus deposuit, retento tamen interiori cilicio a monachis gestari solito, & carnium esum certis temporibus non recusavit. Ubi observare licet, ex Casinatium indulgentia factum esse, ut cucullam, quod monasticæ professionis insigne est, indueret Liudgerus, nulla tamen facta regulæ professione, contra receptum eo tempore morem, quo fiebat, ut habitus monastici susceptione reatus monasticæ professionis induceretur. Hinc Werthinenses id Liudgero indultum a Casinatibus tradunt in suo rythmo: ANN. CHR. 781.

Sancto consilio cum filiis habito,
Permiserunt eum conversari secum,
Cucullam sumere, non tamen promittere
Observationem ejus regularem.

Plura id genus exempla suppeditabunt annales nostri, ut in Salomone abbate S. Galli, in Remberto episcopo Hammaburgensi, & in Uladislao Polono, filio Casimiri ducis Evinacensis. Anonymus Liudgeri vitæ scriptor tradit, Casinensis monasterii patrem genere illi propinquum fuisse, ibique Liudgerum mansisse duos annos. Altfridus addit menses sex. Casino tum præerat Theodemarus abbas, quem Werthinenses in suo rythmo *nepotem* Liudgeri vocant. malim cum anonymo dicere propinquum. Ex quo licet conjicere, Theodemarum origine Frisium, aut Francum fuisse.

Hoc ipso anno, Caroli regis quartodecimo, Benedictus abbas Anianensis, qui antea beatæ Mariæ basilicam ac monasterium rudi opere condiderat, aliam in honorem Salvatoris ecclesiam prægrandem, ex præcepto Caroli regis, adjuvantibus ipsum ducibus & comitibus, cœpit construere; sed & claustra novo opere alia cum columnis marmoreis quam plurimis in porticu positis, nec jam stramine domos, sed tegulis cooperuit. Majoris hujus basilicæ altare, sanctæ Trinitatis nomine consecratum, tres habebat aras, ut in tribus aris individua Trinitas, & in uno altari una divinitas signaretur. Altare exterius solidum, intus cavum erat, retrorsum habens ostiolum, quo privatis diebus inclusæ capsæ tenebantur *cum diversis reliquiis patrum*, sollemnibus festis, ut puto, publice fidelibus exhibendæ. In his erat particula veræ crucis, reposita in arca aurea, quæ fuerat imperatoris Constantinopolitani. item alia auro inclusa, asservari solita *in scutella argentea Caroli Magni*, cum una spina de corona Christi Domini, auro pariter inclusa. quæ omnia cum pluribus aliis perierunt. Præter majus illud altare, tria alia in eadem basilica erant, unum sancti Michaëlis archangeli, alterum beatorum apostolorum Petri & Pauli, tertium sancti Stephani protomartyris. In ecclesia vero beatæ Dei genitricis Mariæ duo erant privata altaria, quorum patroni erant sanctus Martinus *gemma præsulum*, & sanctus Benedictus *cunctorum pater monachorum*. In has basilicas sequiori sexui aditus omnino interdictus erat. Insuper duo ibidem oratoria erant, unum sancti Johannis-Baptistæ in cœmeterio: alterum sancti Saturnini; utrumque feminis patefactum. Ecclesiæ dignitati respondebat sacra supellex, multo quam initio pretiosior, septeno fere numero unaquæque distincta. XXVIII. Benedictus novam basilicam cum monasterio condit.

In majori basilica septem candelabra visebantur, mira arte fabricata, ex quorum stipite hastilia, sphærulæ & lilia, calami, ac scyphi in nucis modum, ad instar illius Salomoniaci, procedebant. Ante altare septem dependebant lampades, inæstimabili itidem fusæ labore; totidemque in choro lampades argenteæ in modum coronæ, quæ insertis in se se circulis cyathos in gyrum recipiebant, in præcipuis sollemnitatibus accendi solitæ, quibus accensis, veluti in die, ita in nocte, tota refulgebat ecclesia. Denique pretiosas vestes ecclesiasticas, calices argenteos prægrandes, offertoria argentea fieri curavit, & quidquid operi Dei necessarium esse credidit, summo studio comparavit. Monachorum vero habitacula tantæ amplitudinis erant, ut mille amplius homines capere possent; habebanque centum cubitos in longitudinem, & viginti in latitudinem: &, quia cetera loca eos capere non valebant, locis congruis constituit cellas cum aliquot fratribus, quibus magistros præ-

ANN. CHR. 782.

posuit. Non mirum itaque, si hoc monasterium ab Ardone dicatur *cunctorum caput monasteriorum*, non solum quæ in Gothiæ seu Occitaniæ partibus constructa erant; sed etiam illorum, quæ aliis in regionibus ea tempestate & deinceps ad ejus exemplum condita sunt, atque de illius thesauris & opibus locupletata.

XXIX. Anianensium fervor, disciplina, & habitus.

Verum tota hæc ædificiorum corporeorum fabrica parvi facienda esset, nisi Benedictus parem, immo majorem spiritualis discipulorum ædificii curam & sollicitudinem habuisset. Erat eo tempore Anianæ numerosa turba fratrum, & quidem amplius trecentorum: sed omnes spirituali fervoris igne toti succensi. Certabant siquidem quis ipsorum esset humilior, quisve in obedientia promtior, in abstinentia rigidior, in vigiliis prior, posterior in loquendo, in vestitu vilior, in caritate ferventior. Hos ignes, hanc æmulationem fovebat, excitabatque pius pater, sancti patris Benedicti regulam jugiter expendens ac meditans, suisque inculcans; eamque ut melius intelligere posset, circumibat alia monasteria, peritos quosque interrogans de iis quæ ignorabat. Quin etiam alias aliorum patrum regulas perquisivit, ex iisque codicem unum conflavit, a discipulis suis sedulo legendum. Et quia nonnullis videbatur hæc lectio nequaquam ad se pertinere, qui unam sancti Benedicti regulam professi essent: concordiam edidit earum regularum cum Benedictina: ut omnes demum intelligerent, sanctum Benedictum non alia docuisse, quam quæ antiquiores patres ante ipsum docuerant: nihilque monachis censendum alienum, quæ ipsi tradidissent, ut pote sancti Benedicti regulæ consentanea, quod facile ex illa concordia & collatione apparebat. Quin etiam monasteriorum salubres consuetudines scrutatus est vir sanctus, suisque eas tradidit monachis observandas. Ad hæc cantores instituit, lectores atque grammaticos & in scripturis peritos, qui alios docerent: ex quibus quidam ad episcopalem dignitatem assumti fuere. Denique librorum multitudinem congregavit, ut eorum lectione & usu discipuli sui erudirentur. Nec tantum monachis informandis dabat operam, sed etiam clericis, quos in suo cœnobio susceptos alebat, similiter erudiendos instituendosque tum per se, tum per magistros, quos monachis pariter & clericis præficiebat.

In his tamen litterariis exercitiis labores, qui corpore exercentur, nequaquam intermittebat, etiam graviores & rusticanos. Ille vero cum arantibus ipse arabat, fodientibus socius aderat, cum messoribus metebat, quantum per varias occupationes ipsi licebat; vixque in torrida & adusta illa regione, suis nimio fervore æstuantibus ante horam refectionis pauculum aquæ indulgebat: nec tamen in eum quisquam mutire audebat, quippe qui idem patiebatur. Inter laborandum vero nullus fabulis locus: sed manus opere, linguæ psalmorum cantu occupabantur: euntium porro ac redeuntium, laborantiumve animi divinis meditationibus intenti erant. In victu sibi rigidus, aliis bibentibus vinum, aquam ille, excepto sabbato & dominica die, passim bibebat. In cibo rarissime pinguedinem admittebat. Carnes quadrupedum a die conversionis suæ usque ad extremum vitæ edere noluit: at jus e pullis compositum sumebat, ubi aliqua ipsi accidebat infirmitas. ceterum aliis, quoties opportunum erat, præbebat ea ipsa, quæ is sibi negabat. Ea in regendis suorum animis peritia, ipsius & industria erat, ut, si quis anxius ac molestis cogitationibus exagitatus ad eum accederet, mox ejus salubri consilio tumultuosa illa turba cogitationum abiret, immo sæpe in ipso accedendi proposito evanesceret. Idem ab eo levamen recipiebant alii, qui vel gravioribus pressi delictis, vel tristitiæ morbo anxii ad eum accedebant. Denique fratribus sibi subjectis omni hora, in nocturnis scilicet vigiliis, in capitulo, in refectorio, pabula vitæ præbebat.

Quod attinet ad eorum habitum, albus erat interior, id est toga; cuculla vero & scapulare nigra, ut fidem facit ritualis liber illius monasterii, scriptus ab annis fere quingentis: in quo novitii toga alba, & super eam cappa nigra, anterius aperta, induti repræsentantur.

XXX. Benedicti caritas in externos.

Nec deerat proflua ejus caritas externis etiam & alienis, cum in temporalibus, tum in spiritualibus subsidiis suppeditandis. Cura illi erat ingens quoscumque obvios cælesti pane alere, atque ut sacra eloquia eorum cordibus tenacius inhærerent, sæpius inculcare, compendioso uti solitus sermone. Esto, inquiens unis, casto corpore & humilis corde: quoniam Deo accepta non est superba castitas, aut humilitas inquinata. Alteris: Si plurima tibi præcepta impossibilia videntur, saltem hoc breve & exiguum serva: *Declina a malo, & fac bonum.* qui hortandi modus

ita familiaris ei exstitit, ut sub finem vitæ, collectis omnium patrum sententiis, unum ex iis librum ad hunc usum conficere meditaretur. Jam vero quanta ejus caritas in egentes fuerit, quis explicet? Orta fame gravissima, cœpit multitudo pauperum, viduarum & pupillorum ad eum accedere, ac portas monasterii, viasque stipare. quos ille inedia pæne confectos & exanimes videns, anxie de pascenda tanta multitudine cogitare instituit, sepositisque seorsim quæ fratribus usque ad novas fruges necessaria erant, reliqua in usus egenorum singulis diebus distribui præcepit. Carnes etiam armentorum, oviumque dabantur in dies: lac etiam vervecum non parum subsidii afferebat. Hinc pauperes & egeni juxta monasterium sibi tuguria erexerant, in quibus usque ad novas fruges habitarent. Deficiente porro annona, rursus ea, quæ in fratrum usus reponi curaverat, usque tertium detrahi jussit. In fratrum vero animis tantus inerat miserationis affectus, ut cuncta libenter, si fas esset, impendissent. unde quæ sibi quisque subtrahere poterat, clam inedia confectis afferebat. Hanc famem anno ejus sæculi nonagesimo-tertio contigisse censet Henschenius. nam ea quæ anno unde-octogesimo accidit, Anianensis forte monasterii conditionem præcessit. Sed parum interest inquirere de tempore, quando de immensa Benedicti caritate constat, quæ nullo tempore circumscripta erat, nullis egenorum angustiis deerat. ANN. CHR. 781.

In chronico Blandiniensi & Dionysiano Gislebertus episcopus hoc anno traditur obiisse x. kalendas Junii. Erat is Tornacensis & Noviomensis episcopus, idemque abbas Elnonensis post Agelfredum ejus decessorem, qui ex-monacho Elnonensi Bavonianus, dein Elnonensis abbas, ac demum episcopus Leodicensis, Desiderium regem Langobardorum in Franciam jussu Caroli abduxit, in Corbeiense monasterium relegandum. Ignoti sunt ante eum sæculi octavi abbates Elnonenses post Aodream, quem sanctus Amandus morti proximus ejus loci rectorem designaverat. Gislebertus ex-abbate creatus episcopus, monasterii regimen, quod tum fere abbatibus ad episcopatum assumtis in more positum erat, videtur retinuisse. Is ecclesiam sancti Amandi cum claustris monasterii instauravit, testante Alcuino in ejus epitaphio, diverso ab eo, quod apud Vassorium & Cointium leges. Sic habet Alcuinus in carmine quinquagesimo-primo. XXXI. Gislebertus episcopus & abbas Elnonensis.

Hic Gislebertus præsul requiescit humatus.
Corpus terra tegit, spiritus astra petit.
Vir pietate potens, humilisque, modestus, honestus,
Devotus nimium pastor honore Dei.
Hic pius ecclesiam sancti construxit Amandi,
Cunctaque jam renovans claustra monasterii.

Ejus tempore in ecclesia sancti Vedasti, ipsa paschæ vigilia, *periculum de corpore & sanguine Domini* contigisse dicitur: ob idque istuc evocatus Gislebertus, ut quid de hoc statuendum esset, ut erat magna prudentia præditus, definiret. Idem, cum esset episcopus Noviomensis & Tornacensis, abbatiam Marcianensem cum aliis ecclesiis, quæ sui episcopii erant, pro ecclesia sancti Martini supra Scarpum apud Elnonem sita, quæ ad parochiam Atrebatensem seu Cameracensem pertinebat, commutavit: *ut tota villa ex integro responderet abbati & monachis.* Hæc ex veteri abbatum Elnonensium catalogo, ubi Gislebertus in ecclesia sancti Petri ad dexteram presbyterii partem sepultus jacere memoratur.

Gisleberto in abbatia suffectus Arno Elnonensis monachus, vir bonus, exemplo suo multos ad virtutem provocavit, assumtus demum ad sedem Juvavensem, id est Saltzburgensem. Arno seu Arnonus, germanicum nomen, Aquilam latine significat. quo nomine Arno appellatur ab Alcuino in epistola sexagesima-sexta. Hunc vero eumdem esse cum Arnone nostro, ipsius epistolæ probant hæc verba. *Veniens veniebam ad sancti Amandi protectoris nostri dulcissimas mansiones, quærens amatorem meum, ut ejus dulcissimo alloquio refrigerarem animam. Sed quia necdum de nido Juvavensi avis optata evolavit, misi hanc invitatoriam chartulam.* Hunc Aquilam idem Alcuinus germanum fratrem suum vocat in prædicta epistola sexagesima-sexta, cujus inscriptio hæc est, *Carissimo germano meo Aquilæ antistiti Albinus*, qui eum in contextu ejusdem epistolæ rogat, ut ipsius socordiam *fraterna diligentia* casti- Arno ejus successor, Alcuini frater.

ANN. CHR. 782.

get, precibusque jacentem relevet, *ut fraterna dextera ducatu non lassescat in via veritatis, qui huc usque in sæculi se volvebat cœno.* & in fine: *Proficiscentem te*, inquit, *carissime frater, divina auxilietur gratia in æternum.* Ad hæc, ejusdem Alcuini epistola centesima-quarta *Dulcissimo fratri & sanctissimo præsuli Aquilæ* inscripta est.

XXXII. Diplomata pro S. Dionysio.

a Diplom. p. 501.

Sub finem hujus anni diplomata [a] duo data sunt monasterio Dionysiano, ineunte anno quarto-decimo Caroli regis. unum est præceptum ipsius principis ad confirmandam commutationem quorumdam Mettensis pagi prædiorum, factam inter Fulradum abbatem & archipresbyterum, atque Euphemiam abbatissam parthe- » nonis sancti Petri Mettensis: quæ cum consensu ancillarum Dei ibidem consisten- » tium, ad partem Fulradi abbatis dedit locella duo in pago Salonensi super fluvium » Salonam, in Compendio: Fulradus vero in compensationem tradidit res proprieta- » tis suæ in villa pagi Scarponensis Basigunde-curte, quam cum Petrone episcopo Vir- » dunensi & Annone abbate commutaverat. Datum est hoc præceptum in mense » Octobri, anno quarto-decimo & octavo regni Caroli, cum Francici, tum Lango- » bardici, Haristalio palatio publico; idque Widolaïcus ad vicem Radonis recognovit. Hic est Widolaïcus Fontanellensis abbas minime bonus, de quo jam superius actum est. Alterum est placitum Carisiaci habitum, in quo, agente Adone advo- » cato sancti Dionysii seu Fulradi abbatis contra Riferonem comitem, suosque *esca-* » *pinios*, Sonargiaca-villa, sita in pago Tellao super fluvium Ittam, quam *sanctus* » *Dionysius per suum brachium conquisivit*, monasterio Diunysiano asserta est die sexta- » decima mensis Decembris, anno quarto-decimo regni Caroli. Huic placito interfuere Richardus, Gunthardus, & Teutbaldus comites, aliique fideles regis, atque Woraldus comes palatii. Ejus rei litteras Witherius notarius ad vicem Chrotardi recognovit. Obscurum est quod in illis legitur, sanctum Dionysium prædictum locum *per suum brachium* conquisivisse, nisi si hanc villam Chlodoveus junior sancto Diunysio concessit, ut ei satisfaceret ob raptum (si tamen id verum est) argentum, quo brachium ipsius conclusum erat.

XXXIII. Superadi monasterium duplex.

b Yepes. to. 4. scrip. 19. vers. gallica.

In Gallicia exstabat hoc tempore monasterium Salvatoris de Superado, diœcesis Compostellanæ, quod olim duplex erat, virorum ac mulierum. Huic quippe anno convenit charta [b] donationis de Toanzo, *facta æra octogies dena & decies bina*, » id est octingentesima vicesima, *pridie kalendas Junii*: qua charta Munia *confessa* » cum consensu fratrum vel sororum permanentium in cimiterio, forte cœnobio, Su- » perandi; & Gutierus abbas cum omni collegio clericorum vel monachorum *nor-* » *mam sanctitatis*, id est regulam sanctam, tenentium, cuidam Fransuario Osoriz & » uxori ejus Anuniæ donat ecclesiam sancti Johannis in villa, quæ dicitur Toanzu, » territorio Nenitos, secus fluvium Mero, cum omnibus appendicibus suis, in commu- » tationem aliarum rerum, quas ab eis acceperant. quod argumento est, jam tum in Hispania ecclesias nonnullas in manu laïcorum positas fuisse. Huic instrumento prima subscribit *Munia, licet indigna, confessa; Gutier abbas una cum consensu clericorum vel monachorum*, & post eum Bardaldus, Fulgentius, Jandinus, & Raimundus presbyteri: deinde Ailone, Guntrode, Anunia, & alia Guntrode, quæ omnes se *Deo-votas* dicunt, haud dubie sanctimoniales Deo sacratæ. Una Munia *confessam* se dicit. quo nomine abbatissæ officium designare videtur: tametsi *confessoris* vocabulum apud Hispanos per illud tempus monachos significabat, ut Cangius probat, forte ex adultis factos, qui alibi *conversi* tum dicebantur. Hoc monasterium Superadi, a Mauris forte destructum, Hermenegildus & Paterna procedente sæculo decimo sub patrocinio Dei genitricis Mariæ instaurarunt.

ANN. CHR. 783.

XXXIV. Bertradæ & Hildegardis reginarum obitus.

POstero anno e vita migrarunt Bertrada seu Berta matrona, olim conjux Pippini regis, & Hildegardis regina, Caroli Magni uxor: hæc quidem pridie kalendas Maii; illa vero IV. idus Julii, sepulta primum in basilica monasterii Cauciacensis prope Compendium, ubi haud dubie decessit; dein translata in sancti Dionysii basilicam, ubi degere solebat, ac prope Pippinum sepulta. Hanc magnopere colebat filius ejus Carolus, ita ut nulla inter se se umquam exorta fuerit vel minima discordia, præterquam in divortio filiæ Desiderii regis, quam Carolus, matre suadente, uxorem duxerat. Bertradæ capellanus fuit Gervoldus abbas Fontanellensis. Duobus ante eam mensibus obiit Hildegardis regina apud Theodonis-villam, & quidem in vigilia ascensionis Domini, quæ hoc anno pridie kalendas Maii incidebat.

ANN. CHR. 783.

Humata est Mettis in suburbana basilica sanctorum apostolorum seu sancti Arnulfi, ejusque epitaphium scripsit Paulus diaconus, qui ait eam obiisse tertio-decimo, vel duodecimo anno, quam Carolo nupserat. sic enim hos epitaphii versus interpretor.

Tu sola inventa es, fueris quæ digna tenere
Multiplicis regni aurea sceptra manu.
Alter ab undecimo rursus te sustulit annus,
Heu genitrix regum, heu decus atque dolor!

Hunc locum ita intellexit Cointius, quasi his versibus significaret poëta, Hildegardem his tertio-decimo ætatis anno devixisse; eidemque decem tantum conjugii annos tribuit, ut locum justo Himiltrudis post Desiderii filiæ repudium conjugio inveniat. Verum præmissis versibus, tredecim aut saltem duodecim conjugii annos Hildegardi assignari probat diploma Caroli regis pro basilica sancti Arnulfi, datum kalendis Maii, anno quinto-decimo regni ejus, in die ascensionis dominicæ, *in cujus vigiliis ipsa dulcissima conjux*, inquit, *nostra obiit, in anno tertio-decimo conjunctionis nostræ*, ut apud [a] Meurissium, sive *duodecimo*, ut in ipso primario exemplari legimus. quo nihil ad sententiam nostram luculentius afferri licet. His opponi potest, quod huic diplomati non solum quædam inserantur imprecationes, sed etiam annus incarnationis dominicæ septingentesimus octogesimus-tertius, & indictio sexta contra receptum morem apponantur. Et id quidem insolitum fateor: sed tamen haud satis validum ad rejiciendum diploma, quod omnino authenticum, tametsi destitutum sigillo, & Carolino tempore Carolinisque characteribus scriptum legimus in archivo sancti Arnulfi monasterii, in cujus gratiam conditum est. Hoc diplomate Carolus prædictæ sancti Arnulfi basilicæ donat *villam Camnitum*, Meurissio *Camenetum*, pro remedio animæ ipsius conjugis suæ: tum ut die noctuque luminaria ad ejus sepulcrum ardeant: tum ut illic alantur, qui pro ejus anima missas quotidie faciant, psalmosque & preces jugiter persolvant. Hanc porro villam Carolus omnibus abbatibus sive custodibus ejusdem venerabilis loci interdicit cuiquam in beneficium seu in precariam dari. sic autem habent chronologicæ notæ in ipso exemplari: *Data kalendas Maias, anno quinto decimo, & nono regni nostri, ab incarnatione autem Domini nostri Jesu-Christi anno septingentesimo octogesimo-tertio, in die ascensionis dominicæ, in cujus vigiliis ipsa dulcissima conjux nostra obiit, in anno duodecimo conjunctionis nostræ. Actum Theodone-villa, palatio nostro, in Dei nomine feliciter, indictione sexta.* Post signum seu monogramma Caroli gloriosissimi regis, Erchambaldus ad vicem Radonis subscripsit. Hildegardi ex Carolo filia æquivoca erat Hildegardis, quæ nondum bimula matrem morientem brevi subsecuta est, ac prope eam sepulta una cum Adelaïde eorumdem filia. Ibidem etiam humatæ sunt duæ Pippini regis filiæ, Rothaidis & Adelaidis, omnes ob memoriam beati Arnulfi ibidem consepulti, ex quo genus duxerant. Harum omnium epitaphia *jussu gloriosi regis Caroli* Paulus Warnefridi conscripsit. In sacrario sancti Arnulfi hactenus asservatur sacerdotalis casula ex serico albo, aquilis respersa aureis, quam a Carolo Magno concessam tradunt, forte in gratiam Hildegardis conjugis ibidem sepultæ, cujus pecten in capsula eburnea illic habetur.

[a] Meurisso p. 179. & seq.

XXXV. Hitherius abbas Martinianus.

Cum in Theodonis-villa Carolus adhuc versaretur, donationem ab Autlando abbate Turonici sancti Martini monasterii factam, qua villæ quædam fratribus ad singulos menses assignatæ erant, confirmavit, suggerente Hitherio abbate Autlandi successore. Hic est Hitherius seu Itherius Caroli regis cancellarius, non semel legatus in Italiam ad Hadrianum papam, maxime hoc anno, quo pontifex Carolo gratias [b] agit pro eo, quod *Itherius venerabilis abbas & Magenarius religiosus capellanus* ab eo missi fuerant ad sibi procurandam Sabinensis territorii restitutionem, petitque, ut alteruter ad eam exsequendam denuo mittatur. Magenarius iste Fulrado abbati Dionysiano successit anno sequenti.

[b] Cod. Carol. ep. 62.

XXXVI. Paulus abbas S. Vincentii ad Vulturnum.

In monasterio sancti Vincentii ad Vulturnum Paulus hoc anno suffectus est in locum Potonis abbatis, qui ipso anno obiit x. kalendas Maii. Paulus inter alia [c] sanctæ Mariæ ecclesiam, quæ Minor vocabatur, juxta flumen Vulturnum ædificasse traditur. Is, orta contentione inter homines villæ Tritæ, quam Desiderius rex quondam monasterio concesserat, causam retulit ad Carolum regem, qui ejus

[c] Chesn. to. 3. p. 678.

ANN. CHR. 783. cognitionem missis suis, Rismo & Agilberto, commisit; ac demum rei veritate comperta, sanxit, ut memoratæ villæ homines, sicut ab antiquo tempore & ex origine servitio addicti fuerant, ita deinceps legitimum servitium & obsequium eidem monasterio impenderent. Forte hic est Agilbertus seu Angilbertus, vir multæ apud Carolum auctoritatis, ejusque gener, postmodum Centulæ monachus, demumque abbas factus, de quo mox agemus.

XXXVII. Liudgerus Frisios erudit. Casini tunc a biennio degebat Liudgerus, nobilis Frisio, qui post duos commorationis annos ac sex menses inde in patriam suam revertit. Hinc ejus fama pervenit ad aures Caroli regis, qui eum evangelicæ doctrinæ apud Frisios orientales præconem constituit. Ipse vero sollerti cura gregi sibi concredito cælestis doctrinæ pabula ministrare satagens, idolorum fana destruxit, & superstitionum sordes penitus abluit. Quin etiam ulterius ad quamdam insulam, in confinio Frisonum & Danorum positam, quæ a nomine idoli *Fositesland* appellabatur, annuente rege, transfretare statuit. cui cum appropinquaret, ipso crucem manibus tenente & orante, conspexerunt qui in eadem navi erant, densam caliginem ex eadem insula egredientem, cui magna successit serenitas. quod indicium erat discutiendæ ad ejus prædicationis lucem paganorum caliginis. Et quidem ubi insulam illam ingressus est, Fosetis fana evertit, eorumque loco Christi exstruxit ecclesias, atque insulanos fidei mysteriis imbutos baptizavit in fonte ibidem scaturiente, in quo sanctus Willibrordus olim tres pueros tinxerat. In his Liudgerus cujusdam principis filium, Landricum nomine, e sacro fonte excepit. quem deinde sacris eruditum litteris presbyterum ordinavit, genti Frisonum in doctrinæ studio annis multis profuturum. Interim apud orientales Frisones persecutionis procella ingens exorta: combustæ ecclesiæ, servi Dei ejecti. at reverso Liudgero, rediit pristina serenitas, & effugatæ sunt tenebræ grassantis erroris ac persecutionis; Deoque opitulante, Frisones in acceptæ fidei luce perseverarunt.

XXXVIII. Angilbertus primicerius palatii Pippini. Florebat eo tempore Angilbertus in aula junioris Pippini Italiæ regis, ibidemque primicerii palatii, id est primi a consiliis, munus gerebat. Angilbertus seu Engilbertus, adscititio nomine dictus Homerus, pro more illius temporis illustrium hominum, qui plerique binomines erant, claro apud Francos palatinorum genere ortus erat. Ipsius genus illustre probant singularis cum Carolo rege familiaritas, copula cum Berta ejusdem Caroli filia, & præclara rei publicæ munera ab ipso gesta. Ex eadem progenie erant Madhelgaudus & Richardus, teste Nithardo [a] ejus filio, qui apud magnum Carolum merito magni habebantur. Is mihi videtur esse Madelgandus, qui una cum Magenardo episcopo missus dominicus anno secundo Caroli imperatoris designatus [b] est in Cenomannico, Hoxomensi, aliisque adjacentibus pagis: Richardus vero comes septennio ante in aliis pagis una cum Willeberto, postea Rotomagensi archiepiscopo, villarum regiarum provisor appellatus in libro [c] de vita Ludovici augusti. Engilbertum ab ipsis pæne infantiæ rudimentis in palatio regis enutritum fuisse docet Hadriani papæ epistola ad Carolum pro Nicæna synodo secunda. Ubi administrandis negotiis habilis fuit, varias dignitates gessit. Pippino Italiæ regi a patre constituto primicerius palatii adjunctus, eo tempore magnam cum Alcuino necessitudinem contraxit. Exstat ejusdem Alcuini epistola, ordine quadragesima-secunda, *ad Angelbertum primicerium palatii Pippini regis*, inscripta *Fideli amico & venerabili Angelberto*, quem rogat, ut memor condictæ inter se amicitiæ, harum portitorem litterarum, nempe Folradum presbyterum, benigne accipiat, ejusque itineri favorabilem reddat dominum Pippinum regem; obsecrans insuper, ut dona dulcissima, sibique multum necessaria, id est sanctorum reliquias vel aliquas, transmittere non gravetur. In eadem epistola, aliisque Alcuinus eumdem *filium* vocat. Hinc in epistola ad Damœtam nonagesima-tertia, eo tempore scripta, quo Carolus in expeditione Saxonica occupatus erat: *Ego*, inquit, *pene quasi orbatus filiis remaneo domi. Damœta Saxoniam, Homerus Italiam, Candidus Britanniam recessit*. Ergo eo tempore, id est hoc fere anno, Homerus, non in Gallia sed in Italia morabatur, in aula videlicet Pippini regis, ubi primicerii palatini officium tum gerebat. Cujus rei causa in Saxoniam profectus esset Damœta, indicant verba præmissis superiora; quibus Alcuinus valde sollicitum se esse dicit de ejus profectione *in hostem* seu exercitum: quia plurima in ejusmodi rebus pericula evenire solent. & in fine Deum precatur, ut David dilectum suum, ipsumque Damœtam, aliosque omnes,

a Nithard. hist. lib. 4.

b Chesnii to. 2. p. 186.

c Ibid. p. 289.

victores in patriam reducat. Davidis nomine Carolus Magnus, Homeri Angilbertus, Damœtæ Ricolfus intelligendus est. Ricolfus porro adhuc tum diaconus erat, necdum archiepiscopus Moguntinus. quo in munere Lullo successit sub finem anni octogesimi septimi. De Angilberto plura inferius, ubi de ejus connubio cum Berta, deque aliis ejus palatinis officiis agemus.

XXXIX. Aguarni episcopi Caturcensis charta pro Mosiaco.

Hoc anno consignandum videtur instrumentum Awarni seu Aguarni episcopi Cadurcensis pro monasterio Musciacensi seu Moisiacensi apud Cadurcos, quod magni momenti est ad stabiliendam chronologiam tum episcoporum Cadurcensium, tum abbatum Moisiacensium, ideoque integrum hoc loco ex Moisiacensi chartario proferendum.

Cum omnibus hominibus in commune benefacere jubeamur, nullo modo gratiam summi Regis & æterni remuneratoris Dei accipere diffidimus; sed his quoque, quibus regendi cura commissa est, impensius aliquid beneficii impertire studemus. Idcirco ego Awarnus episcopus humillimus, cunctis successoribus meis per tempora futuris notum fieri volo, quod post aliquanta, quæ successione parentum meorum, seu regali munificentia, mei juris esse videntur. prædia matri ecclesiæ Caturcensi, cui Deo auctore præsideo, collata. Moysiaci quoque loco in diœcesi ejusdem ecclesiæ super fluvium Tarnis, in honore sanctorum apostolorum Petri & Pauli monasterio constructo, aliquantulum contulerim. Dono quippe jure perpetuæ cessionis omnipotenti Deo & ejusdem apostolis in eodem loco in dicto Moysiaco, ubi vir venerabilis Hermenunus abbas cum maxima congregatione monachorum Deo militare videtur, prædium meum in pago Caturcino situm, ecclesiam scilicet in honore sancti Petri fundatam, cum adjacenti villa juxta alveum Avarionis, loco cui vocabulum est Biolis. Aliam quoque ecclesiam in pago Tolosano super ripam fluminis Tarnis, in honore sancti Martini fundatam, cum ipsa curte, vulgo Mulzacq nuncupata. Insuper & alio loco in ipso pago Tolosano aliud prædium meum, quod de fisco regali competenti servitio adquisivi, ubi sanctus Rusticus martyr & episcopus, antecessor utique meus, corpore quiescit, cum capella sancti Petri sibi conjuncta. Similiter cedo & trado eidem Domino Deo & sanctis apostolis ejus in præfato monasterio Moysiaco tenendum & possidendum a fratribus præsentibus ibidem & futuris, pro stabilitate totius christianitatis Deo servientibus, & in villis sive villaribus prænominatis, quantum ego visus sum habere & tenere, vel quilibet homo per me, ecclesias, & quidquid ad ecclesiasticum jus attinet, terras, vineas, mansos, liberos, servos, & ancillas, aquas aquarumve decursus, cultum & incultum, tam ad exitus, quam ad ingressus, totum ab integro trado tenendum, habendum & possidendum. Insuper dicto monasterio pro salute animæ meæ & parentum meorum, seu totius plebis mihi a Deo commissæ, do siquidem potestatem domini mei HLudovici serenissimi regis evectus protectione, ac suffultus pontificali auctoritate, & totius cleri ecclesiæ Caturcensis corroboratione, cunctis fidelibus christianis in nostra diœcesi commorantibus: ut quicumque pro salute animæ suæ de prædiis aut substantiis suis Deo in eodem monasterio aliquid offerre voluerit, liberam habeat facultatem. Oblationes vero cujuscumque rei, sive in terris, sive mobilibus rebus, vel in sacris thesauris ibidem Deo oblatis, intacta & inviolata ibi perpetuo permaneant, ordinamus atque constituimus perpetua sanctione. Si quis autem ausu temerario exstiterit, qui injuste contra hanc nostram cessionem seu oblationem insurgere voluerit, æterna damnatione se noverit puniendum. Ut vero hæc nostra in æternum firma stabilisque permaneat donatio, proprii nominis astipulatione censuimus consignatam reddere, auctoritate quoque jam dicti domini HLudovici regis firmare, ne præsentes aut futuri ulla valeant occasione eam calumniare. Signum Aguarni Catarcensis episcopi. Signum Asterii archidiaconi. Signum Engelberti decani. S. Hectoris. S. Vejandi. S. Egelraudi. Facta carta donationis anno DCC. LXXIII. (*lege* LXXXIII.) *ejusdem principis domini HLudovici, secundo regni Francorum,* id est Aquitanorum, *in Dei nomine feliciter, amen. Adeodatus rogatus scripsit.*

Abbates Moisiacenses.

Hactenus charta Aguarni seu Awarni, qui in vulgatis indicibus Angarius dictus: cujus tempus episcopatus ex hoc loco discimus. Hinc expungendus fictitius ille Amatus cum fabulosa inscriptione Anianensi. Ex eodem etiam instrumento nobis innotescit tempus Hermenini seu Ermenini abbatis Moisiacensis. De primis ejus loci abbatibus usque ad Amarandum diximus in libro[a] duodecimo. Amarandi successores in veteri abbatum indice hoc ordine recensentur: Retroaldus, an Petroaldus, Clodorinus, Edaranus, Remedius, Deodatus, Ermerinus, ille ipse qui in superiori charta lau-

a Num. 33.

datur. Post eum Witardus, Dido, aliique, quorum nuda nomina referre piget, non raro corrupta.

ANN. CHR. 783.

XL. Chiemensia monasteria duo

a Metrop. Salisb. to. 2. p. 234. & seqq.

b Analect. to. 4. p. 643.

Hoc item anno facta traditur dedicatio basilicæ seu monasterii Chaminesei, vulgo Chiemensis in Bajoaria: qua in insula, diœceseos olim Saltzburgensis, episcopatus Innocentii tertii pontificatu erectus est. In illa insula Tassilo dux monasteria duo [a] exstruxisse memoratur, unum virorum, quod ab Hunnorum tempore a monachis transiit ad canonicos regulares: alterum virginum Benedictinarum, hodie quoque superstes, Frawenwordense vulgo appellatum. Utrius hoc anno facta sit dedicatio, incertum: nisi quod potius de priori virorum intelligenda videtur. In necrologio [b] Augiensi laudatur *ex monasterio Chaminceso Liutfriaus abbas.* Reliqua oblivionis tenebris involuta usque ad principatum Arnolfi regis, ex cujus diplomate discimus monasterium dictum fuisse sancti Salvatoris, situmque *infra lacum, qui Chieminiseo vocatur, quod vulgari vocabulo Owa dictum esse constat.* Hanc vero abbatiam, Mettensi ecclesiæ antea subjectam, Arnolfus subdit Saltzburgensi ecclesiæ, abbatia Luxoviensi in compensationem ecclesiæ Mettensi attributa. De puellari vero ejusdem insulæ monasterio id tantum discimus ex qualicumque diplomate Heinrici quarti, Tassilonem ejus parthenonis conditorem esse ac dotatorem munificum, eidemque amplissimam libertatem concessisse, qua potitæ sunt ejus loci virgines a Carolo usque ad Ludovicum regem, qui filiam suam Irngardam ibidem abbatissam præfecit; & a Ludovico usque ad Heinricum, qui sororem quoque suam illic abbatissam constituit, ob loci nobilitatem & religionem.

XLI. Ariboni Frisingensi episcopo succedit Atto abbas.

c Analect. to. 4. p. 476.

d Ibid. p. 526.

e Metrop. Salisb. to. 1. p. 103. & 125.

Eodem, quo regina Hildegardis, anno [c] decessit Aribo seu Arpeo episcopus, aliis nominibus dictus Hæres & Cyrinus: cui Atto subrogatus est. De utroque vetus poëta de episcopis [d] Frisingensibus agens: *Arpeo quartus erat, facundo famine fretus. Quintus apostolicam tenuit pius Atto cathedram.* Hundius eum putat esse Attonem abbatem Bauzani sancti Petri monasterii, cui Tassilo ex Italia rediens quasdam donationes fecit, de quibus actum superius. Hic de quibusdam ecclesiis controversiam habuit cum abbate [e] Chiemensi haud nominato, & cum Meginhardo abbate Tegernsensi: quorum prior tres ecclesias, posterior quindecim Frisingensi episcopo restituere coactus est. Sub eodem Attone episcopo & sub Arnone habita est Saltzburgi synodus episcoporum, abbatum, & clericorum, propter decimas, quæ ecclesiis a fidelibus offeruntur; statutumque ex auctoritate canonum, quatuor ex eis faciendas portiones, quarum una episcopo, secunda clericis, tertia pauperibus, quarta fabricæ ecclesiæ assignaretur. Atto successorem habuit Hittonem post annos fere triginta.

ANN. CHR. 784.

XLII. Emhildis abbatissa Milize monasterium condit ac dotat.

f Fuld. antiq. p. 259.

g Trad. Fuld. p. 510.

h p. 508.

EXstabat hoc tempore monasterium *Milize* appellatum, quod Emhildis, prima ejus loci abbatissa, condidit sub regula sancti Benedicti, & magnifice dotavit. Hoc monasterium situm fuisse videtur in diœcesi Eistetensi, uti ex eo colligitur, quod Willibaldus episcopus primariis Emhildis de hoc loco litteris subscribit; idque confirmatur ex fragmento diplomatis Carolini apud Browerum [f] relato, ubi locus ille expositus dicitur incursioni Sclavorum, *qui e regione Boëmia sæpius eruptionem facere, & homines abducere solebant.* In eodem fragmento Emhilta, Caroli regis » *secundum carnem cognata* appellatur, eademque *in proprio domate* monasterium sibi » fecisse in loco Milize, ubi cum multis virginibus Deo serviret; ac prædia sua, nu» mero quinquaginta-quinque, eidem loco tribuisse fertur. Deinde vero idem cœno» bium cum possessionibus suis ob eruptionem prædictorum paganorum Fuldensi mo» nasterio contradidisse, ac demum se recepisse ad *innubas* seu virgines Bischo» feshcimensis monasterii, quod sancta Lioba olim rexerat. quod fragmentum etsi spurium esse non dubito, valere tamen existimavi ad illustrandum utcumque Milizensis monasterii situm & originem. Verum longe potior est charta donationis, ab eodem Browero ibidem compendio relata, in qua eadem Hemehilt ancilla Christi tradit Fuldensi monasterio, *ubi venerabilis abbas Baugulfus multitudini monachorum* præerat, locum Milize, quod ipsa *proprio labore* construxerat. Hoc instrumentum integrum reperitur in libro secundo [g] traditionum Fuldensium cum altero [h] an» tiquiori, hoc est testamento Emhildis abbatissæ, quo hæc pro animæ suæ remedio » donat omnipotenti Salvatori Deo & sanctæ Dei genitrici Mariæ, atque ancillis Dei, » quæ in monasterio suo Milize die noctuque Domino Deo *sub regula sancti Benedicti*

AN. CHR. 784.

sub stabilitatis voto deserviebant, quidquid paterni & materni juris in multis «
locis possidebat, cum ipso monasterio, quod ipsa proprio labore construxerat, sub «
ea tamen conditione, ut, quoad viveret, monasterium hoc absque ullius hominis «
contradictione haberet: post obitum vero suum congregatio ipsa id possideat cum «
illis sanctæ Mariæ reliquiis, quas ipsa Emhildis in capsa propria repositas habebat, «
& chrismale, ad quas ancillæ Dei, in eodem monasterio Domino deservientes, *vo-* «
tum primitus sanctitatis & monasticæ conversationis & religionis ordinem promiserant. «
Id factum ad normam regulæ sancti Benedicti, qui professionem fieri præscribit coram reliquiis sacris in monasterio asservatis, quo in numero *chrismale* seu corporale, ut vocant, sacris mysteriis adhiberi solitum, censebatur. Vult insuper Emhildis, «
ut eadem congregatio post obitum suum habeat potestatem, *cum consilio sacerdo-* «
tum, id est spiritalium magistrorum, de ipsa familia talem sibi abbatissam eligere, «
quæ secundum Deum ipsam congregationem firmiter regat; quæ non dissipet, sed «
plantet, ædificet, & corrigat. Utensilia vero ipsius monasterii partim eidem mo- «
nasterio donat; partim vero episcopis, presbyteris, monasteriis, pauperibusque «
erogentur: id est lectaria, sive villosi, manutergia, sive caniselli, ac vestimenta li- «
nea vel lanea. Omnes porro donationes, quæ in commune eidem monasterio fa- «
ctæ fuerant, ejusdem loci sanctimonalibus assignat: ad hæc patinas argenteas, cali- «
ces offertorios, turibula, capsas, & cruces; fabricaturam altaris & omnia indu- «
menta altarium, & ornamenta missis celebrandis destinata, cortinas, & aquæma- «
nilia, urceolos & conchas; necnon libros veteris ac novi testamenti, & diversorum «
patrum. Actum in vico publico & villa Milize, anno incarnationis Christi septin-
gentesimo octogesimo-tertio, & anno regni domini Caroli regis Francorum sexto- «
decimo, Martii die vigesimo-quinto. qui annus juxta nostrum calculum anno sep- «
tingentesimo octogesimo-quarto respondet. His litteris præter Emhildem subscribunt Willibaldus episcopus, Roggo & Eburacar comites, aliique quamplures. Post annos sexdecim eadem Emhildis monasterium suum Fuldensi subjecit.

XLIII. Fulradi abbatis obitus.

Hic annus, ejus sæculi octogesimus-quartus, insignis fuit morte Fulradi abbatis Dionysiani, quem synodi Vermeriensis patres *piæ & sanctæ recordationis abbatem* appellavere; Lebrahenses vero pro sancto habent, coluntque. Ejus obitus annum signant annales Musciacenses; diem vero vetus necrologium Dionysianum & Argentogilense his verbis: XVII. *kal. Augusti obiit domnus Fulradus, nostræ congregationis monachus & abbas.* non ergo XIII. kalendas Martii, ut recentioribus visum est, qui forte translationis ejus sit dies, cum ejus corpus ex monasterio Dionysiano, ubi primum sepultum fuit, translatum est in cellam Lebrahensem, ubi hactenus colitur. Sane Fulradum in basilica Dionysiana, quam ipse instauraverat, humatum fuisse satis innuit Alcuinus in ejus epitaphio, quod sic habet.

Presbyter egregius valde & venerabilis abba,
Strenuus actu, opere, pectore, mente pius;
Corpore Fulradus tumulo requiescit in isto,
Notus in orbe procul, noster in orbe pater.
Inclytus iste sacræ fuerat, custosque capellæ:
Hic decus ecclesiæ promtus in omne bonum.
Hæc domus alma Dei magno est renovata decore,
Ut cernis, lector, tempore quippe suo.
Iste pios patres magno dilexit amore,
Reliquias quorum hæc domus alma tenet.
Credimus idcirco cælo societur ut illis,
In terris quoniam semper amavit eos.

Lebrahensis * cellæ ecclesia, quæ hactenus perstat, valde antiqua est, & forte eadem, quæ a Fulrado constructa fuit. Septem utrimque parastatis fulcitur, chorum habens exiguum, cruce chorum inter ac navim interposita, in cujus sinistra parte tres tumuli eminent quorumdam nobilium virorum. In absidis vitrea fenestra ex una parte depictus est *Fulradus abbas* cum hoc hemistichio, *Do mea cuncta Deo hic*, & in altera Carolus Magnus cum his verbis: *Fiant hæc jubeo.* Hæc cella modo unita est primatiali ecclesiæ Nanceïanæ.

* de Lievre.

ANN. CHR. 784. Maginarius succedit.

Fulrado in regimine monasterii suffectus est Maginarius, legationibus ad Hadrianum papam jam celebris, *teneris ab annis nutritus* a Fulrado abbate, ut testatur Alcuinus in ipsius Maginarii epitaphio, ex quo intelligitur, eum *perparvo tempore*, hoc est octo circiter annis, ovile Dionysianum rexisse; & in medio ætatis flore e vivis sublatum *sub pedibus magistri sui requiem* seu tumulum habuisse. quod argumento est, Fulradum in æde sancti Dionysii, non in Lebrahensi, primitus jacuisse, uti & Maginarium. Hujus tempore miracula duo in sancti Dionysi basilica facta referuntur: unum in civem Parisiacum, alterum in Isaman clericum Hispanum, qui quoddam furtum illic commiserant.

XLIV. Mors item Albrici episcopi, & Helmerici abbatis Laureshamensis.

Quo anno Fulradus abbas, eodem Helmericus abbas & Albricus episcopus obiisse perhibentur in appendice ad Nibelungi chronicon, & in chronico Musciacensi, ubi *Ol mricus abbas* legitur. Albricus episcopus erat Trajecti-inferioris post Gregorium abbatem ejus ecclesiæ rectorem. Decessit XII. kalendas Septembris, & in ecclesia Salvatoris ad Gregorium decessurem suum sepultus est, successorem sortitus Theodardum in annos sex.

Richbodo hujus successor.

Helmericus, superius laudatus, Laureshamense monasterium rexit annis quinque: cui Richbodo successit, vir plane Deo dilectus & hominibus, simplex & sapiens, humanis divinisque litteris apprime eruditus, teste chronographo Laureshamensi, qui eum perperam confundit cum Richboldo ex abbate Mediolacensi episcopo Trevirensi. Richbodo statim a prælaturæ suæ exordio, destructis ligneis domibus, in quibus fratres commanebant in aquilonali monasterii parte, claustrum ad meridianam partem transtulit, murisque circumdedit. Dormitorium quoque cum triplici construxit ecclesia, & cancellis circum tumulum sancti Nazarii auro argentoque decoratis, pavimentum etiam altaris vario marmore stratum sublimius fecit.

XLV. Ambrosiana basilica data monachis.

Mediolani in Liguria celebris & antiqua basilica, ab auctore Ambrosiana dicta, quæ ad id tempus unum custodem clericum habuerat, monachis regulæ nostræ servantibus tradita est a Petro archiepiscopo, cognomine Oldrado, qui anno superiori Thomæ successerat. Primus loco abbas præfectus Benedictus presbyter, incertum unde assumtus, anno Caroli regis in Italia undecimo, Pippini ejus filii quarto, indictione septima, Theoperto clerico Papiensi, qui paullo ante res suas eidem basilicæ sub Aunemundo diacono custode contulerat, ea lege, ut in cellula prædictæ basilicæ adhærente habitaret; easdem res in usum-fructum permittente Petro antistite ad vitam concedit, eidemque mansionem in ipsa urbe assignat: propterea quod cellula illa ad monachorum habitationem necessaria erat. Instrumenti hac de re confecti fragmentum refert Puricellus * in historia basilicæ Ambrosianæ; existimatque hanc cellulam fuisse oratorium sancti Victoris ad Cælum-aureum, quod a basilica Portiana sancti Victoris ad-corpus distinguendum esse probat, conversumque tandem in chorum, qui pone altare majus basilicæ Ambrosianæ modo cernitur. Hæc basilica sanctorum Gervasii & Protasii ab ipso Ambrosio nobilitata corporibus, ejusdem etiam sepultura, fratrisque Satyri, ac sororis eorum Marcellinæ illustrata est, quam modo occupant tum canonici sæculares, tum Cistercienses monachi, qui nigris jam dudum successere, ut distinctius in hujus historiæ decursu videbimus. Prope hanc basilicam erectum est sancti Remigii Remorum episcopi oratorium eo in loco, ubi cælesti voce conversus creditur sanctus Augustinus, qui hanc basilicam Ambrosianam non semel laudavit. Hæc basilica, hæc sacra pignora monachorum nostrorum credita fidei ac religioni a Petro archiepiscopo, cui non alio feliciori auspicio pontificatum suum inchoari posse visum est. Is est Petrus Oldradus episcopus, qui libellum de translatione corporis sancti Augustini, magni ecclesiæ Doctoris, e Sardinia in urbem Ticinum Carolo Magno nuncupavit.

* Puricell. p. 25.

ANN. CHR. 785. XLVI. Saxonum conversio.

NUllus fere annus ab ejus sæculi septuagesimo-secundo, quo Carolus Saxones armis adortus est, absque aliqua in eos expeditione seu victoria abiit. Ejusmodi fuit hujus anni initium, quo Carolus, regius puer octennis, quod mirere, una cum patre de Saxonibus triumphavit: idemque principium anni insequentis, qui felicior hac in re exstitit, quod Witichindus, Saxonum rebellium dux & antesignanus, ad fidem Christi tandem conversus, in villa regia Attiniaco cum sociis suis ipso anno octogesimo-quinto baptismo insignitus est, susceptusque e fonte ab ipso

Carolo, qui eum magnis donis honoravit. Duravit ad aliquot annos fide Christi confirmata pax, quæ numquam melius quam veræ religionis professione sancitur. Religioni legum metum adjecit rex christianissimus, pœna mortis iis intentata, qui vel quadragesimæ abstinentiam violaturi essent. Tam optati nuntii portitorem Carolus *Andream religiosum abbatem* misit ad Hadrianum papam : qui, religiosissimi principis rogatu, per totam Romanæ ecclesiæ ditionem litanias tribus diebus in gratiarum actiones Deo reddendas indixit mense Junio, nempe in vigiliis nativitatis sancti Johannis-Baptistæ, sanctorum Johannis & Pauli, & beati Petri apostoli. Hunc Andream abbatem Cointius non alium esse putat ab Andrea, qui locum vicesimum-tertium in catalogo Luxoviensium abbatum apud Sancta-Marthanos obtinet. ANN. CHR. 785.

XLVII. Willehadus episcopus Bremensis.

Quantum ad Saxonum conversionem majores nostri contulerint, in primis Sturmius abbas Fuldensis, Willehadus, Liudgerus, aliique, jam ex superioribus notum est. Sane hoc tempore Willehadus, cum duobus fere annis in Epternacensi monasterio privatam vitam egisset, in Saxoniam reversus, Carolum regem Eresburgi convenit, suamque operam iterum in verbi ministerium eidem principi obtulit. Carolus, probata ejus diligentia, ut cœptam repeteret parochiam, id est Wigmodiam, jussit, eidem in commeatum quadam cella, Justina vocabulo, assignata. Ille vero impositam sibi denuo provinciam gratanter accipiens, iterum in Wigmodiam venit, & fidem Christi strenue ac feliciter ubique prædicavit, ecclesias destructas instauravit, probatosque ministros, qui salutaria illis populis monita darent, singulis quibusque locis distribuit. Tam faustis lætus successibus Carolus, Willehadum in urbem Wormatiam accersivit, eumque episcopum III. idus Julii post biennium consecrari præcepit, constituitque rectorem ac pastorem super Wigmodiam, pagosque adjacentes, ut illic episcopali auctoritate præesset populis, &, uti cœperat, doctrina salutari, factisque eximiis toti regioni præluceret, ac prodesset. Sic primus in eadem diœcesi factus est episcopus, cum antea septem annos ibidem esset demoratus solummodo presbyter, *vocatus tamen episcopus*, maxime quod *potestate præsidentis* cuncta illic disponeret ac decerneret, obeundo episcopalia munia, prædicationem, baptismi & pænitentiæ collationem, ac presbyterorum variis in locis institutionem. Accepta vero episcopali consecratione, laborem & industriam in commissa sibi provincia, virtutumque studium auxit. Vinum, siceramve numquam bibit, vel quidquid inebriare potest. Cibus ejus panis cum melle, oleribus, & pomis : nisi quod jussu Hadriani pontificis, ob affectam valetudinem ac frequentes ipsius infirmitates, piscem tandem adhibere compulsus est. Nullum fere diem prætermisit, quo sacra missarum sollemnia, cum multo fletu ac contritione animi, non celebraret. Ad hæc in lectione ac meditatione sancta jugis erat, psalmodiæ ita intentus, ut pæne quotidie psalterium integrum, immo aliquando duo vel tria recitaret.

XLVIII. Carrofum monasterium conditur.

Apud Pictones hoc anno conditum fuit nobile monasterium, Carrofum nomine, ad fluvium Carentonam in pago Briosensi *. Ejus auctores fuere Rotgerius comes & Eufrasia ejus conjux. Primariæ conditi cœnobii tabulæ datæ sunt sub die XIV. kalendas Julias, anno quinto HLudovici Aquitanorum regis sub Carolo patre, Bertrando Pictavorum episcopo. In his litteris testantur conditores, se, compellente amore cælestis patriæ, monasterium ædificasse in loco nuncupato Carrofo, « intra terminum Briosensem, prope fluvium Carentonæ, cum ecclesia in honorem « sancti Salvatoris, sanctissimæque ipsius Genitricis, ac sanctorum martyrum ; ibidem- « que monachos duodecim instituisse sub Dominico abbate : quibus prædia & varias « possessiones assignant. Subscribunt post Rotgerium & Eufrasiam Aricius episcopus Tolosanæ sedis, Benjamin Santonicæ, Adalbertus Arvernicæ; tum Ebroïnus, Amalfridus, & Samson comites, & post omnes Abraham abbas incerti loci. Carrofum versibus celebrat Theodulfus * episcopus Aurelianensis, ejusque auctorem Rotharium seu Rotcharium, sic enim illi tum proferebant.

* de Brion.

* Theodulf. lib. 3. c. 8.

Est locus, hunc vocitant Carrof cognomine Galli,
Quo patet electis aulica porta celis :
Quo Salvatoris sub nomine prænitet aula,
Quove monasterii claustra dicata manent.
Emicat hic rutilo sanctorum pignore fretus,

ANN. CHR. 785.

Vivit & eximie turba fidelis ibi.
Denique Rotharius, comes ingens, inclytus heros,
Conjuge cum Eufrasia condidit istud opus.
Hoc fulvo argento, gemmisque exornat, & auro:
Affluit & libris, vestibus atque sacris.
Prædia, prata, domos, silvas, vineta, colonos,
Et pecora, & pecudes, & bona quæque dedit.

Huic monasterio Carolus Magnus prædia quædam non modo concessit, sed etiam ab Ademaro, aliisque perhibetur dedisse dominicæ crucis portionem, quam Jerosolymorum patriarcha, nomine Thomas, per Gregorium abbatem de Monte-oliveti, & Felicem monachum ipsi submiserat: & deinceps pro reverentia crucis *sanctum Carrofum* appellari placuit. quod immerito displicet nonnullis, quasi sancti elogium non nisi sanctis viris tribuatur: cum tamen sacra & sancta Lerinus insula, aliaque similia sanctuaria hoc titulo non raro insigniantur. Dominico primo Carrofensi abbati successit David abbas, inferius laudandus. Non prima, sed secunda monasterii dedicatio facta XVIII. kalendas Julii, medio sæculo undecimo.

XLIX. S. Angeli monasterium.

Inter alia, quæ Rotgerius Carrofensi monasterio donat, memoratur in prædictis litteris *in pago Lemovicensi castrum sancti Angeli cum monasterio.* ex quo intelligitur, monasterium sancti Angeli, quod hodie quoque conventualis prioratus est e nostris, jam tum exstitisse, forte ab eodem Rotgerio exstructum. Positum est in archipresbyteratu sancti Exsuperii ad Triosonem amnem, duobus a Maimaco monasterio passuum millibus, totidemque a Bona-sania. Ex tabulario Carrofensi debent illic esse duodecim monachi cum uno præposito, quem priorem vocant. Apud Goffridum monachum Vosiensem sanctus Gaudentius apud sanctum Angelum requiescere dicitur: sed quis sit sanctus ille Gaudentius, ignoratur. Ad hæc, idem Rotgerius caput sancti Stremonii primi Arvernorum episcopi a Pippino rege obtinuisse memoratur, & ad castrum sui juris, quod Petra-incisa dicitur, transtulisse. Postea vero irrumpentibus in Pictones paganis, forte Nortmannis, delati thesauri monasterii sancti Salvatoris Carrofensis ad castrum Petram-incisam, propterea quod munitus esset locus, & ad prædictum monasterium pertineret: tametsi in primariis ejus litteris non exprimitur.

L. S. Laurentii parthenon Bituricis.

Sunt qui Eufrasiæ, ejusdem Rotgerii comitis uxori, parthenonis sancti Laurentii apud Bituricas originem referant acceptam; eamdemque mortuo marito primam ejus loci abbatissam fuisse tradunt. In veteri tamen ipsius abbatiæ [a] martyrologio, quod Usuardi est, nonnullis accessionibus auctum, memoratur IV. nonas Januarii apud Bituricas *depositio sancti Asclipii episcopi, qui suo opere hoc monasterium construxit.* Episcopus is erat Lemovicensis principatu Caroli Magni. Auctor [b] patriarchii Bituricensis existimat, Davidem Bituricensem episcopum induxisse Carolum Magnum ad præstruendum puellare cœnobium sancti Laurentii seu sancti Jacobi apostoli; Asclepium vero apud eumdem institisse, ut ecclesiam ad summum fastigium perduceret. Ibidem conditus est sanctus Asclepius cum Davide episcopo. Nec plura de celebri illo parthenone dicere nos sinit penuria veterum instrumentorum, quæ fere omnia perierunt, & cum eis primarum abbatissarum nomina usque ad Lupam medio sæculo duodecimo abbatissam.

a Labbe to. 2. Bibl. p. 697.
b Ibid p. 62.

LI. Balneolense monasterium.

Accessit hoc anno ditioni Francicæ urbs Gerunda, cujus opidani, ut a Sarracenorum jugo se eximerent, civitatem suam Carolo regi tradidisse memorantur in chronico Musciacensi. In ejus urbis diœcesi prope Balneolas conditum est hoc tempore sancti Stephani monasterium, Balneolense appellatum: cujus auctorem abbatem Amerium seu Emerium Yepesius fuisse dicit, eumque secutus Bollandus, qui sancti Amerii acta, mendis & erroribus scatentia, refert. Verum potius accedo auctoritati diplomatis [c] Ludovici augusti, in quo Rampo comes ejus serenitatem adiisse dicitur, eique suggessisse, *quod quidam vir religiosus, nomine Bonitus, quem-*
» *dam locum eremum*, id est desertum & incultum, dictum Balniolas, situm in pago
» Bisuldunensi, ubi antiquitus ecclesia fundata fuerat, per licentiam Odilonis quon-
» dam comitis accepisset, & ibidem proprio sudore ecclesiam in honore sancti Ste-
» phani protomartyris construxisset: ubi & *habitationes* monachorum & receptacula
» pauperum ædificaverat, monachosque, qui sub norma religionis ibi degerent constituerat,

c Capitul. to. 2. c. 1425.

stituerat. Bonito primo abbati electione monachorum, ut ipsis a Nimbridio archiepiscopo Narbonensi concessum fuerat, subrogatus est Mercorialis abbas anno decimo imperii Ludovici Pii.

ANN. CHR. 785.

LII. Beatus abbas Hispanus. * S. Bnev.

Tunc temporis cum in Hispaniis denuo revixisset ex parte nefanda Arii hæresis auctore Felice Urgelitano episcopo, qui Christum Dominum, qua homo est, filium Dei adoptivum dicebat; contra eam insurrexit Beatus * abbas Hispanus apud Astures, una cum Etherio episcopo Uxamensi seu Oxomensi, monastici olim propositi consorte, editis duobus libris adversus Elipandum Toletanæ sedis antistitem, infelicis Felicis sectatorem. Hos libros Beatus scriptos a se dicit *ob ædificationem studii fratrum*, eosque inscribit eidem Etherio episcopo: *ut quem consortem*, ait, *perfruor ordinis, coheredem ethum faciam mei laboris*. Ordinis, inquam, monastici, non episcopalis: cum Beatus numquam hac dignitate insignitus fuerit, quem abbatem Alcuinus non semel vocat in libris contra Elipandum, *& Hitherium* episcopum ejus discipulum. Porro idem Beatus satis superque se monachum probat in libro secundo contra Elipandum. *Vere bonum*, inquit, *& vere jucundum habitare fratres in unum. Unum fratrem dimisimus in seculo: ecce quantos invenimus in monasterio! Frater meus sæcularis non tantum me amabat, quantum substantiam meam: ceterum fratres spirituales, qui sua utique negligunt, aliena non quærunt.* Cujus cœnobii monachus abbasve fuerit Beatus, haud liquet. Forte apud Vallem-cavam. nam *rebus fidei in Hispania bene compositis, sedatoque Feleciane pravitatis jurgio*, cum dein sanctus vir Beatus Adosindæ Silonis regis uxoris, propter Mauregati tyrannidem sacra veste indutæ, pædagogus fuisset; demum apud Vallem-cavam secessit, ibidemque orationibus, jejuniis, & sacræ scripturæ studio insistens, super Apocalypsis mysteria librum scripsit, ac tandem finem vitæ absolvit, ubi etiam nunc ejus memoria celebris est. Gabriel Vasquez fatetur se non posse non admirari Beatum & Hetherium, quod tam calamitoso tempore, quo dira Maurorum tyrannide Hispania jacebat oppressa, controversiam adeo obscuram sui acumine ingenii adeo illustraverint, quod maxime Beato aptandum est.

LIII. Felix abbas primus monasterii Obonensis.

Utrique in confutanda Feliciana hæresi socius fuit Felix alter, quos omnes Elipandus insectatur in epistola ad Fidelem, his verbis. *Adolescentiam sane fratris nostri Etherii, lacte adhuc alitam, & nondum ad robur perfectæ intelligentia perductam, vestra fraternitas erudiat: quia non cum magistris optimis, sed cum ignaris & schismaticis, videlicet Felice & Beato antiphrasio, æquales in virtute, & pares in errore, habuit collationem.* Felix iste videtur fuisse abbas Obonensis monasterii, quod Adelgaster, Silonis regis filius, apud Astures ante annos quinque condiderat ad honorem Dei & beatæ virginis Mariæ, ac sancti Michaëlis archangeli, atque sanctorum Johannis evangelistæ, Antonini martyris, & sancti Benedicti abbatis, *cujus ordinem*, inquit, *in ipso monasterio constituimus.* Quidquid vero eidem monasterio donat Adelgaster, id totum tradit *in manu Felicis abbatis, ita ut semper maneat in servitio Dei; & abbas & monachi regulam beati Benedicti perenniter custodiant.* In primario illo instrumento Adelgaster una cum uxore sua Brunilde, inflammati divino Spiritu, metuque mortis aiunt se ædificare monasterium in propria hereditate, loco nominato Obona, ad rivulum Erdeinam, ad honorem Dei & beatæ Mariæ matris ejus, aliorumque sanctorum, quorum supra meminimus; eidemque loco donant suas hereditates & *creationes*, id est res acquisitas, quæ omnia certis limitibus designant. Insuper dant quinque juga boum, cum omnibus ad arandum instrumentis, armenta, oves, ac diversi generis pecora, variamque supellectilem. Ad ornamenta vero ecclesiæ octo vestimenta, forte ad ornandum altare, tres mantos seu casulas, sex stolas, & quinque manipulos, quatuor corporalia & quinque pallas, & sex sabanas seu manutergia, duas litteratas, & quatuor sine serico; unam cappam sericam, & tres calices, duos scilicet ex argento, & unum ex petra; unum missale, unam crucem ex argento & duas ex ligno; quatuor frontales ex serico, duas campanas ex ferro; de libris, lectionarium, responsorium, duo psalteria, unum codicem dialogorum, scilicet sancti Gregori papæ, *& unam regulam de ordine sancti Benedicti*; & alia quædam, quæ commemorare nil juvat. Facta charta testamenti XVI. kalendas Februarii, æra octingentesima decima-octava, quæ anno ejus sæculi octogesimo-primo respondet, regnante principe Silone cum uxore sua Adosinda, cujus spiritalis pater Beatus abbas, priusquam in Vallem-cavam se reciperet, exstiterat.

ANN. CHR. 785.

Erat Adosinda filia Aldefonsi regis, nupta Siloni Asturiarum regi, cujus regnum Mauregatus, Aldefonsi ex concubina itidem filius, invasit anno septingentesimo octogesimo-tertio. Porro Adosindam se invisisse cum Etherio tradit Beatus ipse initio libri primi adversus Elipandum: quo in itinere audito Elipandum adversus ipsos scripsisse; hi communi consilio contra eumdem Elipandum scribendum decreverunt. Beati verba ipsa juvat afferre. *Cumque nos ad fratrem Fidelem, non litterarum illarum compulsio, sed recens religiosæ dominæ Adosindæ perduceret devotio; audivimus illum libellum*, scilicet Elipandi, *adversum nos & fidem nostram in cuncta Asturia publice divulgatum. Et cum fides nostra esset indissolubilis, cœpit inter scopulos fluctuare navicula, & duæ facta erant*, nempe in Asturiis, quæ scopulis & montibus obsitæ sunt. Hinc, ne *bipertita, sed tantum una* illis in partibus videretur fides, utrique visum est, ut non tantum verbis, quod quidem antea fecerant, sed etiam scriptis Elipandi error refelleretur. Libellus ille, de quo hic agit Beatus, erat ipsius Elipaudi epistola ad Fidelem abbatem Asturicensem, quem ad se pertrahere conabatur. Epistola hæc scripta fuit hoc anno, ut manifestum est ex verbis Beati initio libri primi. *Legimus*, inquit, *litteras prudentiæ tuæ uuno præsenti, non nobis, sed Fideli abbati, mense Octobri, in æra octingentesima vigesima-tertia eîum sub sigillo directas: quas ex relatu advenisse audivimus, sed eas usque ad sextum kalendas Decembris minime vidimus.* Ex his intelligitur, Beatum non ante finem hujus anni contra Elipandum scribere cœpisse. In illa porro epistola Elipandus Beatum hominem *silvestrem* vocat, nempe quod silvis & solitudine delectaretur; idemque gloriatur, se Arcbaricum episcopum Braccarensem, qui ipsum de ejusmodi controversia consuluerat, ad suas partes traxisse; ac Migetianos Hispalenses, in celebrando paschate errantes, revinxisse, quos in finibus Bæticæ viguisse dicit, auctore scilicet Migetio, ejusque discipulo Egila, quos Hadrianus papa sugillat in epistola nonagesima-septima codicis Carolini. Beatum abbatem Alcuini magistrum vocat Elipandus, quod scilicet viam ei præmonstrasset ad Felicianum dogma impugnandum. *Nam sicut magister tuus*, ait ille, *fœtidus & horribilis, maculavit Libanam*, id est regionem Liebanam apud Astures: *ita tu regnum regnorum Austriam*, id est Franciam, quam inter tot probra Elipandus non dubitat appellare *regnum regnorum*. Hæc fusius persecutus sum ad afferendam lucem tum Beati actis, tum iis, quæ de Feliciana hæresi in posterum dicentur. Quod attinet ad Obonense monasterium, illud, si non principio, saltem processu temporis duplex erat, virorum ac mulierum, præsertim sæculo undecimo; nunc tantum virorum, unitum Benedictinæ congregationi Vallisoletanæ.

Fidelis abbas Astur.

LIV. Virgilii episcopi & Opportuni abbatis obitus.

In Bajoaria hoc anno Virgilius episcopus Saltzburgensis & Opportunus Manseensis abbas obiisse memorantur in brevibus annalibus[a] Ratisponensibus pervetustis. quod alii quadriennio prævertunt. Opportuno successit Hunricus, aliis Henricus, in necrologio Augiensi laudatus, *ex monasterio Manhinsio Hunrih abba*, missus ad Hadrianum papam cum Arnone episcopo Saltzburgensi, Virgilii successore: quos inter Bertricum in annum unum, atque interpontificium vulgati indices interponunt, ob idque Virgilii obitum quadriennio prævertunt. Obiit Virgilius v. kalendas Decembris, cui Arnonem abbatem Elnonensem, cognomento Aquilam, cujus superius meminimus, successisse constat ex metrico[b] indice episcoporum Saltzburgensium antiquissimo.

a Analect. to. 4. p. 476.

b ibid. p. 585.

Advena Virgilius statuens quum plurima quintus.
Multo plura gerens Arno super omnia sextus.

Sepultus fuit Virgilius in basilica sancti Petri monasterii ab ipsomet exstructa, hoc donatus epitaphio[c].

c ibid. p. 517.

Hic pater & pastor, humilis, doctusque sacerdos,
Corpore Virgilius pausat, quem Hibernica tellus,
Disponente Deo, partes direxit in istas:
Quique regebat ovans præsentis culmina sedis
Ferme quater-denos caris cum fratribus annos:
A quibus ille & amatus erat, ipse quos & amavit.

Interim & erexit pulcro molimine multa
Templa, loco quedam nunc que cernuntur in isto.
Insuper & miseris largus, simul omnibus aptus.
Pro quo quisque legis versus, orare memento.

ANN. CHR. 785.

De Arnone ejus successore non semel recurret dicendi occasio. Ejus ordinatio in annum sequentem differtur in prædictis annalibus Ratisponensibus.

L V. Willibaldi & Lulli episcoporum donatio facta Fuldensibus.

In vivis adhuc erat hoc anno Willibaldus episcopus Eistetensis, ut fidem facit ejus donatio ipso anno facta monasterio Fuldensi, ubi Paogolf seu Baugulfus abbas cum magna monachorum multitudine Deo serviebat. Exstat ejus donationis instrumentum in libro secundo [a] traditiouum Fuldensium: quo prædicto loco novem tradit colonias seu hobunnas integras, post obitum suum Fuldensibus cedendas. Actum in ipso monasterio *Fuldanensi*, die octava mensis Octobris, anno regni Caroli octodecimo inchoato. Eidem monasterio Lullus Moguntinus antistes, cum Carolus e Saxonica expeditione revertens Moguntiæ curiam haberet, quædam prædia largitur in villa Turingiæ, nomine Fargalaha, super fluvium *Unstruth*, ea conditione, ut pars ejus esset in regno Dei cum domno & patre suo sanctissimo Bonifacio martyre & archipontifice, atque ut fratres Fuldenses sui perpetuo essent memores. Idem auctor fuit quatuor nobilissimis Turingis, Waltoni, Reginaldo, Warmundo & Burchardo, ut quasdam res ex suis item possessiunibus sancto Bonifacio traderent, eumque facerent heredem in terris, ut ejus coheredes in cælis fierent. Id factum vicesima-quinta Septembris, die dominica, quæ traditio coram rege Carolo confirmata fuit.

[a] *Fuld. trad. p. 503.*

L VI. Decretales falsæ in Gallias invectæ.

Incidit in hæc tempora nugivendulus ille pseudepistolarum pontificiarum consarcinator personatus Isidorus, Mercator malus, adeoque non male Peccator dictus. His primus usus compilator ille capitulorum octoginta: quæ alii Ingelramno seu Angelramno Mettensi episcopo ab Hadriano papa tradita fuisse XIII. kalendas Octobris, indictione nona, quando ejus negotii causa agebatur; alii Hadriano ipsi ab Ingelramno Romæ, cum hæc causa verteretur, oblata existimant, quod posterius longe probabilius est, cum propius fidem sit, reum judici causæ suæ præsidia, quam ipsum judicem reo afferre. Accedit, quod Hadrianus papa in alia epitome canonum, quam Carolo ante annos duodecim miserat, nullam falsarum decretalium intermiscet, nec proinde illas tum noverat Roma, sed postmodum aliunde advectas habuit. Has Riculfum Moguntinum episcopum ex Hispania in Germaniam attulisse auctor est [b] Hincmarus: ex quo plerique recentiores eum malæ mercis fabricatorem putant: alii Hispanum hominem esse malunt: utrosque, id est Riculfum, & Hispanos, hoc crimine absolvit David Blondellus, qui primus dedita opera his epistolis larvam detraxit, easque partim Benedicto diacono capitularium amplificatori, partim Isidoro sancti Eulogii martyris Cordubensis fratri, dum is in Germania exsul versaretur, tribui posse opinatur. In tanta rerum caligine sententiam suspendere satius est, quam temere quidquam asserere. Et Riculfum quidem, qui Lullo non nisi post alterum abbinc annum in sede Moguntina successit, hujus farraginis crimine onerare nolim: sed tamen ejus absolvendi leviorem causam affert Blondellus, nimirum quod consarcinator ille in sua farragine adhibuerit epistolas quasdam falsas Urbani & Johannis tertii, in quibus tum Jonæ Aurelianensis Riculfo junioris imitationes quædam phraseon notari possunt; tum concilii Parisiensis, post Riculfi obitum celebrati, sententiæ ad verbum leguntur; hæ nimirum, in quibus res & facultates ecclesiasticæ *oblationes & vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum* appellantur. unde harum saltem duarum epistolarum compilatorem Blondellus vixisse putat post annum octingentesimum vicesimum-nonum, quo anno hæc Parisiensis synodus habita est, quarto-decimo scilicet post Riculfi obitum. Hæc, inquam, ratio levior est, siquidem Remedius seu Remigius Curiensis episcopus in illa collectione [c] veterum canonum, quam jussu Caroli Magni, Riculfo superstite, ac proinde ante concilium Parisiense, consarcinavit, eadem verba ex pseudepistola Urbani refert in capitulo quadragesimo-septimo. Non minus inficeta est Caroli Cointii opinatio, qui hanc farraginem monacho tribuendam credit ex eo, quod farraginator se Peccatorem in præfatione inscribit. At longe familiarior apud veteres hæc vox est in ore episcoporum, qui subscribendo conciliis ac epistolis inscri-

[b] *Hincm. opusc. 33. c. 24.*

[c] *Goldast. rer. Alam. to. 2. p. 171.*

bendis se passim peccatores vocant : nec quidquam in illis pseudepistolis de monachis affertur , ut monacho auctori affingi cum aliquo colore queat. Nihil itaque certi & explorati pronuntiari licet de auctore, quem tamen principatu Caroli Magni vixisse nemo diffiteri potest.

ANN. CHR. 786.

LVII. Conjuratio in Carolum regem.

ANno insequente a Francis orientalibus & Turingis in Carolum regem conjuratio facta. Ejus causam Eginhardus rejicit in Fastradæ reginæ crudelitatem. Turingis peculiaris dicitur fuisse occasio, quod rex a quodam nobili Turingo repetiisset ejus filiam, cuidam Franco desponsatam, & a patre retentam : quam ille adeo restituere noluit, ut etiam Turingos pæne universos contra Carolum commoverit. quo intellecto, rex collecta manu adversus rebelles processit. Hi vero timore perterriti, Fuldam ad sepulcrum sancti Bonifacii martyris confugere , ut ejus patrocinio Carolus hanc eis noxam relaxaret. quod quidem a principe obtinuisse dicuntur, agente Baugulfo abbate : tametsi complures in exsilium acti, quidam oculis multati fuere : omnes vero super corpora sanctorum regi liberisque ejus fidem sacramento obstrinxere. Hæc ex annalibus Nazarianis. Auctorem sceleris apud Francos orientales annalista Laureshamensis notat Hartradum comitem , atque præcipuos conjurationis duces oculis orbatos fuisse amandatosque in exsilium. Hæc prima in Carolum conjuratio.

LVIII. Carolus S. Germano donat Madriolas.

Cum ex illa expeditione revertens Carolus Wormatiæ moraretur,donavit monaste-
» rio sancti Germani, sito prope Parisius civitatem, quod venerabilis vir Hrotbertus ab-
» bas in regimine habebat, donatamque esse voluit eidem sancto loco & fratribus ibi-
» dem degentibus villam pagi Milidunensis, Madriolas * vocabulo, paullo supra con-
» fluentes Icaunæ & Sequanæ positam, *sicut moderno tempore* , ait rex, Autbertus co-
» mes per regis beneficium tenebat ; & portum, qui est inter pagum Senonicum &
» Milidunensem, a Balsiaco villa prædicti sancti Germani, usque ad Monasteriolum
» sancti Mauricii, ex utraque parte Sequanæ , cujuscumque sit terra , ita ut nullus
» inibi portum habere possit, *nisi prædicta potestas sancti Germani* , neque teloneum ,
» aut rotaticum, seu *vultaticum , cespitaticum* ,ut ex authentico emendandum, *ripa-*
» *ticum*, vel *salutaticum* ; non *saltuaticum* , ut legendum vult Lindenbrogius , quæ
» *salutationum munia* sive xenia dicuntur apud Marculfum ᵃ. Datum nonis Novem-
» bris anno nono-decimo & tertio-decimo regni Caroli, Warmasia palatio. Wigboldus
» ad vicem Radonis recognovit & subscripsit.

* *Marolles.*

ᵃ *Marculf. lib. 2. form.* 44.

Caroli tertium iter Romam.

Ex illa urbe Carolus, numero equitum peditumque idoneo comparato, ineunte hieme, alpes tanta celeritate superavit, ut sollemnia natalis Christi Domini Florentiæ celebraverit. quæ urbs olim a Totila eversa , hoc tempore a Carolo refecta dicitur. Hujus itineris causæ tres afferuntur, nempe ut apostolorum limina denuo inviseret, res Italiæ disponeret, maxime Arichiso duce Beneventano, qui res novas moliebatur, in ordinem redigendo ; & ut cum legatis Constantini imperatoris de Rotrudis filiæ suæ connubio colloquium haberet. cetera in annum sequentem differenda.

LIX. Willibaldi episcopi Eistetensis obitus & Botwini abbatis Ripensis.

Non ante hunc annum statui potest obitus Willibaldi episcopi Eistetensis , cujus donationem superiori anno Fuldensibus factam vidimus. Diem ejus obitus , nedum annum, haud exprimit sanctimonialis Heidenheimensis genere Saxonica , ejusque consanguinea, quæ a duobus ejusdem Willibaldi diaconis accepta litteris mandavit, ea ipsa scilicet, quæ res a sancto Wunebaldo abbate, ipsius Villibaldi fratre gestas perscripsit. Hanc amborum sororem perperam opinatus est Adelbertus abbas Heidenheimensis, qui post anonymum sancti Willibaldi acta brevi compendio retulit in libello de restitutione monasterii sui, scripto Eugenii tertii pontificatu. Hunc auctorem postremus omnium secutus est Philippus episcopus Eistetensis. Scripsit Willibaldus ipse acta sancti Bonifacii episcopi Moguntini & martyris, suumque hac de re libellum Lullo ejus successori ac Megingozo Wirziburgensi episcopis nuncupavit. Sepultus fuit in Eistetensi ecclesia, ubi festus ejus dies nonis Julii celebratur. Varias ejus translationes in appendice ad ejus acta retulimus. Gerochus ejus successor annis viginti sedisse dicitur.

Willibaldo adjungendus popularis ejus Botwinus abbas Ripensis in Anglia , qui in conspectu adstantium fratrum ad cælestem patriam hoc anno transiisse traditur a Rogerio Hovedeno, & Albertus pro eo electus & ordinatus. Botwinus in marty-

rologio Wionis notatur iii. idus Maii cum Tilberto, Sigredo & Wildeno ejusdem loci abbatibus. ANN. CHR. 786.

Sub idem tempus Sundraberto Mediani-monasterii in Vosago abbati, pridie nonas Augusti mortuo, suffectus est Madalvinus germanus ejus frater, & religionis studio fratri non impar. Is arcam, sive potius ædiculam, pro more illius temporis, super sancti Hildulfi fabricari, auroque & argento decorari curavit. Idem sacram supellectilem auxit, in primis calicem maximum, ipsius nomine insignitum, qui tempore Johannis de Bayone ejus loci chronographi, id est procedente sæculo quarto-decimo, ibidem asservabatur. Aræ etiam beatæ Dei genitricis Mariæ ac sancti Petri apostoli ab ipso exornatæ, & monasterii aucta res. Obiit Madalvinus abbas iii. idus Martii, post annos regiminis duodecim. Sundrabertus ejus antecessor laudatur in necrologio Augiensi. Monasterio Senoniensi tunc præerat Norgandus abbas post Angelramnum episcopum Mettensem, qui, archicapellani dignitate accepta, hujus monasterii regimen Norgando resignavit, eo tamen pacto, ut abbates ejus loci ab episcopo Mettensi temporalia, ab episcopo vero Tullensi spiritualia reciperent. Idem etiam advocatum seu defensorem monasterii imposuit, tertiam *emendarum* partem, quæ ex placitis abbatis proveniebant, ei assignans, quod munus diu stetit penes dominos de Salmis, multorumque jurgiorum seminarium fuit. Norgando porro abbate sancti Simeonis monachi corpus ex oratorio, in quo primitus sepultum fuerat, in basilicam apostolorum Petri & Pauli translatum est. In necrologio Senoniensi notatur vii. idus Novembris Norgandus abbas hujus loci. De Erlefrido ejus successore inferius.

LX. Mediani-monasterii abbates & Senonienses.

POstero anno Carolus Romam ea qua par erat humanitate ab Hadriano acceptus, postquam consilium rei gerendæ cum eo communicavit, votis Deo persolutis, adversus Arichisum seu Aregisum Beneventanum ducem, qui se regem præ Pippino ferebat, infestumque exercitum in vicinam pontifici provinciam duxerat, cum validis copiis pergere decrevit. Arichisus tum demum se tantarum virium impetui sustinendo imparem sentiens, filium Romualdum, qui pacem a Carolo peteret, & peramplis eum muneribus deliniret, Romam misit, seque satisfacturum pontifici illius arbitratu promisit. Conditione repudiata, Carolus Romualdum apud se retinuit, exercitum in agrum Capuanum adduxit, atque direptis incensisque omnibus, urbem ad deditionem coëgit. Hinc Arichisus imminentem Benevento procellam timens, urbe egressus, Salernum se recepit, tutiorem se in oppido maritimo futurum existimans, tum secunda legatione ad Carolum missa, Grimoaldum etiam alterum filium obsidem se daturum spopondit, & quæque imperarentur, obedienter executurum. Hæc a Carolo accepta conditio est, ac Romualdo filio natu-majore dimisso, Grimoaldum retinuit, & sollemne juramentum ab Arichiso & populo Beneventano exegit.

ANN. CHR. 787. LXI. Caroli quæstum iter Romam, & inde Capuam, tum Casinum.

Cum Capuæ moraretur, monasterio sancti Vincentii ad Vulturnum, rogatu Pauli abbatis, privilegium indulsit, quo non solum ejus monasterii, sed etiam cellarum eidem subjectarum possessiones confirmat, liberamque eligendi abbatis secundum regulam sancti Benedicti facultatem concedit. Inter illas cellas memorantur monasterium sancti Petri apostoli prope muros Beneventi, monasterium sanctæ Mariæ in loco Apinianicæ, situm in finibus Spoleti. Dein orationis causa Carolus Casinum invisit, seque fratrum omnium precibus commendavit, ac præclaris sancto Benedicto donis oblatis, sacri etiam ejus loci possessiones ac monasteria novis privilegiis confirmavit, simulque eligendi abbatis libertatem. Monasteria Casino tum subjecta in uno ex his præceptis recensentur, sanctæ Mariæ in Cingla, sanctæ Mariæ in Plumbarola, & sanctæ Sophiæ intra Beneventum. Præerat tunc temporis sacro monti Theodemarus abbas, qui duo hæc præcepta a Carolo facile obtinuit. In veterrimo indice abbatum Casinensium, qui in Bassacio desinit, Carolus ad monasterium dicitur venisse indictione undecima, quæ anno præsenti respondet.

In illo haud dubie itinere Theodemarus abbas Glannafollense monasterium, quod olim sanctus Maurus, a beatissimo patre Benedicto missus in Galliam, in pago Andecavensi exstruxerat, repoposcit a Carolo Magno, conquestus coram eo & Hadriano papa, quod Casinatis monasterii, cui principio mancipatum fuerat, ditioni subtractum esset, & rebus suis a Gaidulfo deterrimo abbate spoliatum. quibus intel-

Glannafolium Casino subjectum.

ANN. CHR. 787.

lectis, Hadrianus papa, Carolo assentiente, Glannafolium Casinatibus restituit; statuitque, ut mortuo ejus loci abbate novus electus a Casinensi abbate benediceretur, ac singulis quinquenniis Casinum iret, ubi in loco præpositi sederet. Cum vero eumdem locum Fossatenses monachi, ad quos sancti Mauri corpus ob metum Normannorum translatum erat, sibi subjecissent, iterum reclamaruut Casinates apud Urbanum II. qui, ostenso sibi Hadriani papæ diplomate, Glannafolium denuo eis [a] restituit; quæ subjectio post duo fere sæcula tenuit, ut fusius suo loco videbimus. Hoc unum argumentum evincit contra quosdam criticos missionem sancti Mauri a sancto Benedicto in Gallias: cum non aliu titulo Casinates Glannafolium repeterent, quam quia colonia erat monasterii Casinensis.

a Chron. Casin. lib. 4. c. 18.

LXII. Tassilonis missos Romæ excipit Carolus.

Casino Romam reversus Carolus pascha cum pontifice festive celebravit, quod eo anno in sextum idus Apriles incidebat. Illic tum aderant missi Tassilonis Bajoariæ ducis Arno seu Arnus episcopus Saltzburgensis, & Hunrichus abbas Manseensis, pontificem rogaturi, ut pacem Carolum inter ac Tassilonem componeret. Rex haud gravate se assensurum pollicetur, si modo missi pacis conditiones sacramento confirment. Negantibus legatis id suæ esse potestatis, dolum odoratus pontifex, diras Tassiloni ejusque asseclis interminatus est, si fidem Pippino quondam regi, & Carolo ejus filio datam umquam violaret. Post hæc, dimissis legatis, & pontificis benedictione accepta, rex in Franciam reversus est, adducens secum cantores Romanos, Theodorum & Benedictum, peritissimosque grammaticos & calculatores, qui Francos erudirent, acceptis ab Hadriano antiphonariis sancti Gregorii, quos ipse *nota Romana* distinxerat: ad quorum normam antiphonarii Francorum correcti fuere. Omnes etiam Francorum cantores notam Romanam, *Franciscam* postea dictam, didicerunt ab illis duobus cantoribus Romanis: quorum unus in civitate Mettis, alter Suessione collocatus: sed Mettensis cantorum schola celebrior evasit. Ab eo etiam tempore studia litterarum apud Francos restitui cœpta, ut mox videbimus.

Redit in Franciam.

Wormatiæ Willehadum episcopum ordinari curat.

Carolus ex Liguria, Wormatiam, ubi Fastradam reginam dimiserat, revertit. Ibi cum versaretur, Willehadum e Wigmodia Saxonum provincia illuc accersivit, eumque, jam per annos septem episcopalia obeuntem munia, atque episcopum dictum, sollemni ritu præcepit ordinari III. idus Julii, uti superius [b] anticipato retulimus, ubi de eximiis ejus virtutibus actum est.

b Num. 47.

LXIII. Tassilonis deditio.

Carolus, conventu Wormatiæ habito, proceribus, quæ in Italia gesta essent, & quid de pace cum Tassilonis legatis tentatum esset exposuit, atque ex eorum auctoritate oratores ad eum misit, mandaturus, ut is ad regem veniret, ac promissa exsequeretur. quod utrumque cum ille detrectasset, rex Bajoariam tribus exercitibus aggredi statuit, quorum unum Pippinus, ex Italicis copiis conflatum; alterum orientales Franci & Saxones; tertium Carolus ad Lichum flumen, quod Alamannos a Bajoariis dividit, ipse adduxit, atque apud Augustam Vindelicorum consedit. Tum Tassilo actum de se ratus, supplex ad regem venit, ab eoque veniam erratorum impetravit, duodecim obsidibus cum Theodone filio suo datis. quo facto, Carolus in Franciam regressus, apud Moguntiam in villa *Ingelheim* hiemavit. Verum, cum Tassilo fidem fefellisset, anno sequenti læsæ majestatis reus damnatus est.

LXIV. Caroli epistola ad Baugulfum abbatem pro instauratione scholarum.

Rebus ita compositis, Carolus ad instauranda in universo regno litterarum studia animum adjecit, scriptis ad cunctos episcopos & abbates uno exemplo epistolis, quibus ad idem consilium eos animaret. Instar omnium una esse debet editio ejus, quæ Baugulfo abbati Fuldensi, totique ejus congregationi inscripta est, digna certe, quæ hoc loco integra exhibeatur, qualem edidit Sirmundus ex codice monasterii sancti Arnulfi Mettensis.

Karolus gratia Dei rex Francorum & Langobardorum, ac patricius Romanorum, Baugulfo abbati, & omni congregationi, tibi etiam commissis fidelibus oratoribus nostris, in omnipotentis Dei nomine amabilem direximus salutem. Notum igitur sit Deo placita devotioni vestræ, quia nos una cum fidelibus nostris consideravimus utile esse, ut episcopia & monasteria, nobis, Christo propitio, ad gubernandum commissa, præter regularis vitæ ordinem atque sanctæ religionis conversationem, etiam in litterarum meditationibus, eis, qui, donante Domino, discere possunt, secundum uniuscujusque capacitatem, docendi studium debeant impendere: qualiter sicut regularis norma honestatem morum, ita quoque docendi & discendi instantia ordinet & ornet seriem ver-

ANN CHR. 787.

borum: ut, qui Deo placere appetunt recte vivendo, ei etiam placere non negligant recte loquendo. Scriptum est enim: Aut ex verbis tuis justificaberis, aut ex verbis tuis condemnaberis. Quamvis enim melius sit bene facere, quam nosse; prius tamen est nosse, quam facere. Debet ergo quisque discere quod optat implere: ut tanto uberius, quid agere debeat, intelligat anima, quanto in omnipotentis Dei laudibus sine mendaciorum offendiculis cucurrerit lingua. Nam cum omnibus hominibus vitanda sint mendacia; quanto magis illi secundum possibilitatem declinare debent, qui ad hoc solummodo probantur electi, ut servire specialiter debeant veritati? Nam cum nobis in his annis a nonnullis monasteriis sæpius scripta dirigerentur, in quibus, quod pro nobis fratres ibidem commorantes in sacris & piis orationibus decertarent, significaretur: cognovimus in plerisque præfatis conscriptionibus eorumdem & sensus rectos, & sermones incultos: quia quod pia devotio interius fideliter dictabat, hoc exterius, propter negligentiam discendi, lingua inerudita exprimere sine reprehensione non valebat. Unde factum est, ut timere inciperemus, ne forte, sicut minor erat in scribendo prudentia, ita quoque & multo minor esset, quam recte esse debuisset, in eis sanctarum scripturarum ad intelligendum sapientia. Et bene novimus omnes, quia, quamvis periculosi sint errores verborum, multo periculosiores sunt errores sensuum. Quam ob rem hortamur vos litterarum studia non solum non negligere, verum etiam humillima & Deo placita intentione ad hoc certatim discere, ut facilius & rectius divinarum scripturarum mysteria valeatis penetrare. Cum autem in sacris paginis schemata, tropi, & cætera his similia inserta inveniantur; nulli dubium est, quod ea unusquisque legens tanto citius spiritualiter intelligit, quanto prius in litterarum magisterio plenius instructus fuerit. Tales vero ad hoc opus viri eligantur, qui & voluntatem, & possibilitatem discendi, & desiderium habeant alios instruendi. Et hoc tantum ea intentione agatur, qua devotione a nobis præcipitur. Optamus enim vos, sicut decet ecclesiæ milites, & interius devotos, & exterius doctos, castosque bene vivendo, & scolasticos bene loquendo: ut quicumque vos, propter nomen Domini & sanctæ conversationis nobilitatem ad videndum expetierit; sicut de adspectu vestro ædificatur visus, ita quoque de sapientia vestra, quam in legendo seu cantando perceperit, instructus, omnipotenti Domino gratias agendo gaudens redeat.

Hactenus epistolæ tenor ad Baugulfum. nam quæ sequuntur in editis, Sirmundi judicio pertinent ad metropolitanos, quibus christianissimus ac piissimus rex injungit, ut hujus epistolæ exemplaria ad omnes suffraganeos & coëpiscopos suos, & per universa monasteria dirigat. Prædicta vero epistola Fuldensi abbati ab ipso Carolo, an a Moguntino metropolitano inscripta sit, parum interest. Certe quod ad monasteria missa fuerit, vel sola ipsius lectio satis superque persuadet, in qua & monasteriorum non semel, & regularis vitæ occurrit mentio. ut mirum sit Carolo Cointio venisse in mentem ut negaret, hanc epistolam Baugulfo abbati inscriptam fuisse. Id vero negatum leviori prorsus argumento, quasi Fuldense monasterium non esset ex eorum numero, quæ majores tunc habebant scholas, ad quas ex aliis etiam cœnobiis monachi mitterentur: propterea quod Ratgarius proximus Baugulfi successor, Rabanum adolescentem e Fuldensi monasterio Turonos ad Alcuini scholam direxit. Immo vero id factum est, ob celebritatem magistri; contigitque ob similem rationem, ut postea Fuldam ad Rabanum magistrum etiam clerici ex cathedralibus ecclesiis, nedum monachi ex aliis cœnobiis mitterentur. Mihi porro perquam veri simile est, Alcuinum ipsum, qui forte tum in Caroli comitatu erat, eidem auctorem fuisse, ut hanc epistolam ad universos episcopos & abbates mitteret, quam forsan Alcuinus ipse dictaverit. Ab hoc itaque tempore litterarum studia, cum in episcopatibus, tum in monasteriis reflorescere cœperunt, ob idque institutæ in cœnobiis duplices scholæ, unæ interiores pro monachis, alteræ exteriores pro sæcularibus, ne ex eorum consortio & affrictu monachi sæculares mores contraherent. Ceterum hæc epistola Baugulfo abbati inscripta est in codice bibliothecæ sancti Arnulfi Mettensis, qui scriptus videtur ab annis quingentis.

LXV. Paulus diaconus Arichisi epitaphium scribit.

Inter ea e vivis migrat Arichis dux Beneventanus, Romualdo filio ante ipsum defuncto vix uno mense superstes, cum obses in Francia remaneret Grimoaldus alter filius, cui ducatus Beneventanus statim commissus a Carolo est. Arichisi epitaphium scripsit Paulus Warnefridi, Aquileiensis diaconus, quem in ejus palatio ad id tempus versatum fuisse, nec ante Arichisi obitum Casini monachum factum

ANN. CHR. 787.

fuisse Leo Marsicanus omnibus persuasit. cujus auctoritati quo minus accedam, rationes superius [a] retuli, ubi Paulum, subacta a Carolo Italia, & Desiderio in exsilium abducto, Casinum secessisse mihi probabilius visum est. Obiit Arichis VII. kalendas Septembris, Adelpergam uxorem cum filio Grimoaldo & duabus filiabus superstitem relinquens: de quibus ita canit Paulus in Arichisi epitaphio.

a Lib. 24. n. 73.

Jam felix olim, nunc namque miserrima conjunx,
Regali in thalamo quam tibi junxit amor:
Eheu perpetuo pectus transfixa mucrone,
Languida membra trahens, te moribunda doles.
Viderat unius heu! nuper funera nati;
Ast alium extorrem, Gallia dura, tenes.
Huic gemina nata vernanti flore supersunt,
Solamenque mali, sollicitusque timor.

Beneventum missi a Carolo Maginarius religiosus abbas & Joseph religiosus diaconus, quos Atto religiosus diaconus & Gotteramnus magnificus ostiarius eodem præcesserant, ut in Carolini codicis epistola nonagesima-secunda legitur. Omnes Salernum profecti *ad Albergam relictam Arichis ducis*, iniquis ejus molitionibus tantum-non comprehensi, in ducatum Spoletanum fuga se receperunt.

LXVI. Farfæ donationes factæ.

b V. append.

Hunc ducatum tunc administrabat dux Hildeprandus, cujus anno quarto-decimo, regnantibus dominis Carolo & Pippino ejus filio anno quarto-decimo & sexto, per indictionem decimam, res contigit [b] observatione digna. Rabenno, filius cujusdam Rabennonis comitis civitatis Firmanæ, conjugem habebat, Haleronam nomine, quam Hermifridus quidam vi abstulit. Interpellatus hac de re dux Hildeprandus, Hermifridum in palatio sibi sisti jussit, damnatumque in manus Rabennonis una cum rapta secundum legem Langobardorum tradidit. quibus Rabenno ultro vitam donavit, quam utrique eripere poterat: at ipsam Haleronam in præsentia sua *sanctimoniali veste indui, & per sacerdotem consecrari* præcepit. Postea vero cum ipsam iterum in thorum suum revocasset, tota ejusdem Haleronæ substantia ad fiscum devoluta est. Quin etiam ipsum Hermifridum Rabenno, postea quam ei vitam condonaverat, eumque Spentoni patri ejus tradiderat, nihilo minus nulla causa occidit. quam ob rem media pars totius ejus substantiæ publico similiter addicta: ipseque Rabenno sponte monachus factus est in Acutiano seu Farfensi monasterio, sub Aldiperto seu Alperto abbate, qui Ragambaldo, v. kalendas Martii defuncto, ab anno superiore successerat; atque universa cum Rabennonis, tum Haleronæ substantia ab Hildeprando duce collata est. *Datum jussum Spoleti in palatio, anno ducatus nostri quarto-decimo, mense Augusto, per indictionem decimam, sub Goarino comite genere nostro*, ut loquitur Hildeprandus. quam donationem Carolus rex postea confirmavit.

Eodem anno, mense Decembri Hildericus castaldus, & Taciperga ipsius genitrix, conjuxque Hicilperga eidem cœnobio donant monasterium sancti Jacobi apostoli, quod avus Hilderici a fundamentis ædificaverat. Actum Reate in civitate. quod Carolus item ratum habuit. Porro Alpertus seu Aupertus presbyter & abbas ex Parisiaca civitate Galliarum oriundus erat, ut ex catalogo [c] abbatum Farfensium discimus.

c Musei Ital. to. 1. p. 67.

LXVII. Caroli M dignatio in Paulum diaconum.

d Chron. Casin. lib. 1. c. 15.

e Alcuin. c. 186.

Redeo ad Paulum diaconum, quem magna familiaritate dignatus est Carolus, ac versibus tum a se, tum ab Alcuino ipsius nomine scriptis, quibus Paulum Casini degentem salutavit. Præter Carolinos versus a Leone Marsicano [d] partim vulgatos, exstat apud Alcuinum [e] carmen Caroli nomine scriptum ad ipsum Paulum, quod hic integrum exhibere non pigebit.

Parvula rex Carolus seniori carmina Paulo,
Dilecto fratri, mittit honore pio.
Quæ rapuit calamus subito dictantis amore,
Demandans charta, fer mea verba cito.
Ad faciem Pauli venerandam perge per urbes,
Per montes, silvas, flumina, instra pete.

Casinum

ANN. CHR. 787.

Casinum montem, Benedicti nomine clarum,
Pastoris magni, præcipuique patris.
Illic quære meum mox per sacra culmina Paulum:
Ille habitat medio sub grege, credo, Dei.
Inventumque senem devota mente saluta,
Et dic: Rex Carolus mandat aveto tibi.
Gaudia dieque reor nostra sibi magna salutis*
Gratificam Christi permiserantis opem:
Atque pium patrem rogito tunc semper ubique,
Pro nobis sacras ut ferat ille preces.
Necnon nos fratrum precibus commendet honestis
Sum votis quorum certus adesse Deum.
Quapropter ... et per me mandare salutem
Perpetuæ pacis omnibus his placuit.
Ecce valete simul cuncti, juvenesque, senesque:
Gratia vos Christi protegat atque regat.

* *f.* precor.

Magnum sane magni principis erga Paulum amoris ac familiaritatis argumentum, quem appellare dilectum fratrem haud dedignatur. In aliis versibus a Leone relatis laudatur Casinatium in hospites humanitas.

Est nam certa quies fessis venientibus illuc.
Hic olus hospitibus, piscis, hic panis abundat.

Leo Marsicanus auctor est, Paulum Carolo versifice rescripsisse, & gratias pro visitatione sua, cunctorumque fratrum referre maximas studuisse. Ex quo intelligitur, præmissos Caroli versus Casinum missos fuisse sub hunc annum, cum rex e monte Casino in Franciam reversus fuisset.

LXVIII. Theodemari abbatis ad Carolum epistola. a Chron. Casin. lib. 1. c. 12.

Tunc etiam ad Theodemarum abbatem a idem Carolus per Adelgarium seu Aldegarium episcopum litteras e Francia misit, rogans, ut aliquot sibi monachos ad docendam his in partibus regularis disciplinæ normam transmitteret. quod Theodemarus præstitit, Carolo mittens etiam regulam ex autographo sancti Benedicti; pondus quoque libræ panis & mensuram vini, adeoque mixti, quod hebdomadarii mensæ servitores debent accipere; in summa ritus ac consuetudines monasterii Casinensis, cum epistola, quam Paulus diaconus Theodemari abbatis nomine Carolo scripsit. In hac epistola Theodemarus regi gratias agit ob acceptas litteras sibi missas per Adelgarium episcopum, quem Trecensem fuisse Hactenus, aliique e nostris non temere existimant; eique gratulatur, quod monachorum religionem ad meliorem perducere statum meditetur; ejusque rei causa *aliquos monachorum regionis illius*, nempe Franciæ, ad beati patris nostri Benedicti doctrinam & luculenta exempla informari eidem placuerit. Hanc epistolam, multoties vulgatam, hic denuo exhibere non videtur operæ pretium: tantum quædam regulæ capita & additamenta hic notare sufficiat.

In primis Theodemarus ait, æstivo tempore, pro una brevi lectione, quam sanctus Benedictus ad nocturnum officium assignat, *tres lectiones ex veteri testamento* a Casinatibus tum legi solitas, *ne a sancta Romana ecclesia discrepare viderentur*. Deinde, pro duobus pulmentis coctis, quæ sanctus Benedictus quotidianæ refectioni deputat, se ex institutione majorum *tria cocta pulmentaria* in singulos dies; quatuor vero dominicis diebus & festivitatibus præcipuis, fratribus præparari, præterquam feriis quarta & sexta, quibus complures e fratribus suis pane tantum & herbis hortensibus tum vescebantur; plerique etiam nec vinum bibebant. Ad hæc, in nativitate Domini, epiphania, paschate, & tertia feria post pascha, qua die Casini celebris festivitas est, in pentecoste, in sancti Johannis, sancti Petri, sancti Laurentii, sanctæ Mariæ, sancti Martini, & sancti Benedicti, ad prandium scyphum vini præter solitum se concedere, quod ille *miscere* appellat. unde mixti Benedictini appellatio. Item æstatis tempore post nonam, *aliquid de pomis, & singulas phialas* similiter fratribus præberi; tempore vero sectionis fœni, *etiam potionem ex melle laborantibus fratribus propinari*. Ad volatilia quod attinet, quorum esum *caute prudentissimus pater*

ANN. CHR. 787. in regula sua non expressit, *ut, si velint comedere monachi, cum opportunum est, non subjaceant culpæ; sin vero tale caulium a suo non præbeatur abbate, hoc quasi ex debito requirere non possint;* se ea numquam, nisi in die natalis domini usque ad dies octo, & in paschate similiter concedere. Ad id vero quod Carolus ab eo petierat,
» quid *cucullæ* nomine significaretur; respondet aliam esse cucullæ apud Casinates,
» aliam apud Gallicanos monachos significationem. Cucullam quippe Casinatibus alio
» nomine dici casulam, quam hieme villosam, æstate puram aut vetustam concedit
» sanctus Benedictus: quam vero cucullam vocant Gallicani monachi, cappam apud
» se dici. porro tegumentum capitis, quod, proprie monachorum designat habitum,
» melotem debere appellari, tametsi sanctus Benedictus nullam ejus mentionem fa-
» cit: quia diverso modo hoc vidit a plerisque monachis usurpari; Gallis quidem la-
» xius & prolixius: Italis brevius & strictius. Et Græcos quidem, præter operimen-
» tum capitis, modicum quiddam tantum ante pectus & a dorso dependens gerere:
» transmarinos vero monachos operimentum pelliceum habere. Jam vero, quod san-
» ctus Benedictus pleraque hæc permisit arbitrio abbatis pro regionum diversitate, a
» majoribus suis concessas singulis fratribus *tres tunicas propter diversos labores;* duas
» grossiores in hieme, unam subtiliorem in æstate; cucullarum autem loco, quas ipsi
» non habebant, quod majoris sint pretii, duos assignari, quos vocant, *mantos*, aliis
» *mattos*, qui ex grossiori sago seu panno fiunt, & unum in æstate subtilius operi-
» mentum. Ad hæc fratribus dari duplicia femoralia, quorum usum plerique sibi
» negant, sicut & aliarum vestium, quas regula non exprimit. Denique loco scapu-
» laris, quod sanctus pater ad laborem concedit, se operimentum habere ad melotis
» similitudinem, nisi quod manicæ usque ad manus pertingant. Senibus autem tribui
» gunnas pelliceas, infirmis culcitas ad lectum; manutergia omnibus, tum ob tonsu-
» ram, tum ad codices, quos ad legendum accipiunt, involvendos. Præter regularia
» vero jejunia, se in vigiliis præcipuarum festivitatum usque ad vesperam jejunium
« protrahere; & a vespera ejusmodi vigiliarum per totam noctem & diem insequen-
» tem usque ad completorii officium se genua non flectere; uti nec dominicis diebus,
» nec a Christi nativitate ad octavum diem; nec a paschate usque ad pentecosten.
Ad extremum Theodemarus Carolo mittit textum seu formam promissionis, qua superiores monachi regulam profitebantur. In fine addit, Josephum Casinatem monachum, quem ad regendum in Gallicanis partibus monasterium rex petierat, iis præditum esse dotibus, quas canones ad hoc ministerium & ad ecclesiasticos gradus exigunt: at pervidendum esse, an ita se coartare possit, ut exemplo suo fratribus istis prodesse queat. De Optato autem venerabili monacho suo obsecrat,
» ut, quia per ignorantiam ætatis excessit, ex regis clementia relaxetur, hoc est ut ad se redire permittatur. Duo itaque illi monachi præter alios e Casino in Galliam missi fuerant. Non videtur hic Joseph esse ille ejus nominis abbas, qui Novaliciense monasterium tempore Ludovici Pii rexit.

LXIX. Vindicatur. Hæc epistola Menardo nostro suspecta, Carolo Cointio omnino supposititia videtur, sed prorsus immerito. quippe quæ in membraneo codice monasterii sancti Galli, ante annos octingentos scripto, reperitur sub hoc titulo & exordio, *Epistola ad regem Karolum de monasterio sancti Benedicti directa, & a Paulo dictata. Propagatori ac defensori Christianæ religionis domno Carolo, Theodemar exiguus.* Præcipuas secus opinantium conjecturas diluimus in præfatione * ad priorem tomum Sæculi quarti Benedictini. Prima petitur ex enormi panis quantitate, nimirum unciarum octo & quadraginta, quam in illa epistola singulis in diem monachis assignari putant, ex his Theodemari verbis male intellectis. *Direximus quoque pondus quatuor librarum, ad cujus æqualitatem ponderis panis debeat fieri, qui in quaternas quadras singularum librarum, juxta sacra textum regulæ, possit dividi. quod pondus, sicut ab ipso patre est institutum, in hoc est loco repertum.* Haëftenus & Angelus de Nuce nequaquam assecuti sunt sensum hujus loci, qui de pane quatuor librarum, non singulis monachis in solidum concedendo, sed *in quaternas quadras singularum librarum* pro totidem monachis *dividendo* procul dubio interpretandus est. ubi observare convenit, apud Italos monachos ævo sancti Benedicti in more positum fuisse, ut crudis panibus crucis signum imprimeretur: ut scilicet cocti in quadras seu quatuor partes æquales nullo negotio scindi ac dividi possent. Insigne ejus ritus exemplum profert Gregorius Magnus [a], agens de quibusdam discipulis Martyrii monachi,

Benedictini panis pondus quale.

* Num. 95. & seqq.

a Greg. lib. 1. dial. c. 11.

qui cum quadam die panem subcinericium fecissent, obliti sunt ei *crucis signum imprimere, sicut in hac provincia crudi panes ligno signari solent, ut per quadras quatuor partiti videantur.* Aliam alii inire viam, qui solidos & integros panes, non in quatuor libras partiebantur, sed in duas, ut panis in duas partes divisus, duobus monachis sufficeret. Ejusmodi est recentius apud Casinates pondus triginta trium unciarum cum dimidia: cui consimile olim erat Suessionense sancti Medardi, Fossatense, & Burdegalense sanctæ Crucis. Eam dividendi in duos monachos integri panis consuetudinem approbat regula Magistri in capite vicesimo-sexto. *Medius panis,* inquit, *pensans libram unam, singulis fratribus in die sufficiat.* quo testimonio Smaragdus usus est in exponendo regulæ nostræ capite tricesimo-nono. Nihil igitur hujus epistolæ auctoritati officit illa quatuor librarum mensura.

ANN. CHR. 787.

Cappa monastica.

Nihilo validior est in eamdem epistolam objectio, petita ex *cappa* vocabulo ad designandam monasticam vestem: quasi nullus e scriptoribus rerum Francicarum sub Carolinis regibus (quod Peïratus & Cointius obtendunt) eo usus sit in hac significatione, sed tantum ad clericalem vestem significandam. Id enim falsum esse constat ex Wlfino-Boëtio in libello de vita sancti Juniani abbatis, ex chronographo Fontanellensi in Ansegiso abbate, ex Smaragdo abbate in regulæ caput quinquagesimum-quintum, ex Walafrido Strabone in libro secundo de sancto Othmaro abbate, & ex Rudolfo monacho in actis sanctæ Liobæ: qui omnes *cappæ* nomine usi sunt ad designandam vestem monachalem. Accedit synodus Aquisgranensis, principatu Ludovici augusti, anno videlicet octingentesimo septimo-decimo habita, in cujus articulo tertio-decimo monachus, a præposito suo increpitus, *cum cappa veniam petere* jubetur. & articulo vicesimo-primo, unicuique monachorum *duas cappas habere* permittitur. denique articulo sexagesimo-primo præcipitur, *at monachi cappas dissutas, præter villosas, non habeant.* Mitto alias minutiores objectiones. Ad hanc epistolam Hildemarus monachus, qui regulam nostram Ludovico Pio imperante commentatus est, haud dubie respexit, cum ad caput quadragesimum de hemina loquitur in hunc modum. *Carolus rex, qualiter ipsam heminam intelligere ac scire potuisset, misit Beneventum ad ipsum monasterium, videlicet sancti Benedicti: & ibi reperit antiquam heminam: & juxta illum datur monachis vinum.* quæ verba sic apprime huic epistolæ conveniunt, ut vel solo hoc argumento penitus corruant omnes contradicentium ratiunculæ.

LXX. Hemina vini qualis.

Quantum caperet hemina illa vini, non facile explicatu est. Nihil hanc in rem clarius aut validius afferri potest quam Magistri testimonium, qui, cum regulam sancti Benedicti in plerisque sequatur, ait calicem, per quem fratribus potus ministrabatur, talem fuisse, *qui tertius impleat mixtam heminam.* Itaque hemina Magistri, quæ haud alia sine dubio a Benedictina erat, capiebat tres calices. Tantumdem etiam continebat hemina seu semisextarius Fructuosi, qui ita vini portionem temperari præcipit in regulæ primæ capite quinto, *at inter quatuor fratres sextarius dividatur;* adeoque semisextarius inter duos; & in præcipuis sollemnitatibus præbeantur *singulis tres potiones*, id est semisextarius. Apud Isidorum in regulæ capite decimo, *Ternis poculis fraterna reficienda est sitis.* Denique Adalhardus abbas[a] Corbeiensis, qui Casini hoc tempore aliquamdiu degerat, servabatque in suo monasterio heminam Casinensem a Theodemaro missam, sextarios quatuor divisit in duodecim clericos, ita ut singuli acciperent calices duos. Proinde sextarius in Corbeiensi monasterio tum constabat calicibus sex, hemina vero calicibus tribus, quorum unum uni operario Adalhardus sufficere arbitrabatur. Hæc prolixius in præfatione[b] nostra, cujus supra meminimus. Edita est nuper Rotomagi erudita dissertatio de hemina & libra Benedictina, auctore Johanne Peleterio, cujus sententia est, validis sane fulta argumentis, heminam vini, a sancto Benedicto præscriptam, æqualis fuisse ponderis, cum libra panis, id est viginti unciarum, ad modum semi-sextarii militaris, qui totidem unciis pendebat. Certe cum sanctus Pater hanc vini portionem in diem assignet, eamque juvenibus atque etiam penuriæ causa minuendam esse dicat; si hemina unciis non amplius decem, ut Lancelotus noster primo putavit, aut duodecim, ut postea censuit, penderet; ea minuta, quid reliqui futurum esset in totum diem?

a Spicil. to. 4. p. 4.

b Præfat. 1. Sæc. 4. n. 59. & seqq.

LXXI. Regulæ autographum.

In eadem etiam Præfatione[c] actum est de regula sancti Benedicti, a Theodemaro ad Carolum missa, ac transscripta ex *ipso codice, quem ille suis sanctis manibus exa-*

c Num. 98.

ANN. CHR. 787.

ravit. Non quod hæc regula Gallis tum incognita esset, quippe qnam sanctus Maurus in has partes attulerat, Dnnatus transscripserat in suam, Leodegarius episcopus Augustodunensis, & Bonifacius Moguntinus antistes in suis synodis commendaverant, immo quam Carolus ipse snlam in Galliis jam dudum viguisse testatur in capitulari sun: sed ut eo carior & acceptinr esset Carolo, quod ejus exemplum ex ipso autographn desumtum erat. Ex eodem autographo, an ex alin, quod sanctns Maurus in Gallias attulerat, Grimaldus & Tatto sancti-Gallenses mnnachi exemplum sub initia sæculi noni Regimbertn præceptori sun nbtulerunt. Ceterum promissionem seu prnfitendæ regulæ formulam, cujus in fine epistolæ Theodemarus meminit, non retulit Leo Marsicanus: sed eam ex aliis locis mutuatus est Haëftenus, retulitque pnst eamdem epistulam. Alias videsis in nntis Acherianis ad Lanfrancum. Promissinnem hanc vel præcedebat, vel subsequebatur petitio a nnvitio facienda. Utramque tamen confundunt Menardus noster, Haëftenus, aliiqne recentiores: sed unam ab alia distinguit sanctus Pater in regulæ suæ capite duodesexagesimo: ubi præcipit, ut suscipiendus ad prnfessionem in oratorio coram omnibus *promittat de stabilitate sua, & couversione morum suorum, & obedientia coram Deo & sanctis ejus: ut, si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet.* quibus verbis promissionem exprimit. tum de petitinne subdit: *De qua promissione sua faciat petitionem ad nomen sanctorum, quorum reliquiæ ibi sunt, & abbatis præsentis: quam petitionem manu sua scribat; aut certe, si non scit litteras, alter ab eo rogatus scribat; & ille novitius signum faciat, & manu sua eam super altare ponat.* En promissin & petitin a sanctn Benedicto distinctæ. Promissin monachum Den; petitin, veluti enntractus & pactum, uti appellat Fructuosus, etiam hominibus ac religioni monasticæ obnoxium faciebat. Utramque etiam distinguit Hildemarus in suo cnmmentarin: at Smaragdus insuper utriusque formulas refert. Alias habes in appendice primi tomi Sæculi tertii Benedictini: quas notasse hic satis sit ad præmissam epistnlam illustrandam. Nunc ad rerum seriem ex hnc diverticuln redeamus.

Professio novitiorum.

LXXII. Magna etiam Paulum inter & Adalhardum abbatem Cnrbeiensem intercessit familiaritas, forte in secessu Casinensi contracta. Argumento est epistola illa, quam Paulus scripsit Adalhardn, qui ab ipso sancti Gregnrii epistolas petierat. Ex his tantum quinquaginta-quinque transscribendas curavit Paulus, easque partim sua manu emendatas amicn submisit, cum prævio epistnlio, quo nullum illustrius mutui inter utrumque amoris indicium afferri potest. sic epistola habet.

Pauli epistola ad Adalhardum abbatem Corbeiensem.

Carissimo fratri & domino Adalardo viro Dei, Paulus supplex. Cupieram, dilecte mi, æstate præterita videre faciem tuam, quando illic in partibus fui: sed præpeditus lassitudine sonipedum, ad te venire non potui. Interioribus tamen oculis, quibus solis valeo, tuæ fraternitatis dulcedinem frequenter aspicio. Volueram equidem tuis imperiis jam ante parere: sed, utpote pauper, & cui desunt librarii, prius hoc facere nequivi: maxime cum me tam prolixa valitudo contriverit, ut a mense Septembrio pene usque ad diem nativitatis Domini lectulo decubitus sim: neque licuerit clericulo illi, qui hæc eadem utcumque scripsit, manum ad atramentarium mittere. Suscipe tamen, quamvis sero, epistolas, quas desiderasti: & quia mihi eas relegere præ occupatione totas non licuit, triginta-quatuor ex eis scito relectas, &, prout potui, emendatas esse, præter pauca loca, in quibus minus inveni, & tamen meo ea sensu supplere nolui, ne viderer tanti doctoris verba immutare. quibus in locis & forinsecus ad oram zetam, quod est vitii signum, apposui. Tua itaque fraternitas, si se facultas dederit, reliquas epistolas ad emendatiorem relegere studeat codicem, sed & loca, in quibus minus habetur, supplere. Hoc tamen sanctitati tuæ suadeo, ne passim, propter aliqua, quæ in eis minus idoneos latere magis, quam scire convenit, publicentur. Vale, frater amabilis, semper in bonis glisceus: & cum mentem ad superna tetenderis, memento mei.

Ante suos refluus Rhenus repedabit ad ortus,
Ante petet fontem clara Mosella suum,
Quam tuus e nostro carum ac memorabile semper
Dulce Adalard nomen pectore cedat amor.
Tu quoque, si felix vigeas de munere Christi,
Esto memor Pauli tempus in omne tui.

Hanc epistolam Paulus jam senex scripsit, & haud dubie monachus Casinensis,

ANN. CHR. 787.

quippe qui se pauperem dicat, fratremque Adalhardum passim appellet. Ex hac vero epistola intelligitur, raras tum fuisse in Gallia Gregorii Magni epistolas: ex quibus has mirari subit Paulum nolle passim publicari, *propter aliqua, quæ in eis minus idoneos latere magis, quam scire convenit.* Forte id intelligit de epistula ad Secundinum [a] servum Dei seu monachum, in hoc codice relata cum additamento illo, quod lapsis sacerdotibus veniam gradumque non adimit, contra manifestam constantemque tum canonum, tum ipsius Gregorii doctrinam. Jam ergo in quibusdam codicibus legebatur hoc interpolamentum, quod fere integrum refert Hincmarus in articulo ultimo capitularis secundi sub finem tomi primi ejus operum, nedum Anselmus [b] Cantuariensis antistes, necnon canonum ejus temporis compilatores. Hincmari porro testimonium hac in re suspectum esse non debet, neque ei vitio verti debet, quasi hoc testimonio abusus sit. quippe quod ipsi adversabatur: siquidem accusabatur a nonnullis, quod faveret Novatianis, restitutionem lapsis presbyteris ac diaconis denegando, quæ hoc additamento eis conceditur.

a Greg. lib. 7. ep. 13. ind. 2.

b *Anselm. lib.* 1. *ep.* 56.

LXXIII. Mors Syagrii episcopi Niciensis.

Sed modo nobis agendum est de morte quorumdam virorum dignitate illustrium, qui hoc anno e vivis excessere. Occurrit in primis Syagrius episcopus Niciensis ex monacho Lirinensi, qui, annis decem in episcopatu laudabiliter exactis, x. kalendas Junii ad cælum migravit. Corpus ejus sepulturæ mandatum est in basilica monasterii sancti Pontii, quod ipse in tractu Cimelensi, favente Carolo Magno, condiderat, ubi etiam primus extiterat monachorum pastor. Successit in episcopatum Niciensem Johannes, an ex abbate Pontiano, haud satis liquet.

LXXIV. Lulli Moguntini & Albuini Buriburgensis.

Syagrio adjungendus est Lullus pontifex Moguntinus, cujus obitum alii hoc anno, alii superiore collocant. Sub finem vitæ continuis morbis conflictatus, Cœnæ episcopo [c] Anglicano scripsit in hæc verba: *Assiduis corporis ægritudinibus cum mentis anxietate cogor ex hac ærumnosa & periculis plenissima vita exire, redditurus pio & districto Judici rationem.* Obiit post regiminis annos triginta-duos in monasterio Hersfeldensi a se condito, ubi etiam sepultus est; obiit, inquam, XVII. kalendas Novembris, quo die festum ejus celebrat Moguntina ecclesia. Consentit in ejus actis anonymus Gemmelacensis, qui scribit, eum morti proximum accersivisse *eximiæ, ut creditur, sanctitatis virum, nomine Albewinum, episcopalis officii negotia post-obire solitum, quem appellatione vulgata coepiscopum vocant*; eique injunxisse, ut missarum " sollemnia celebraret. quo facto, ipse Albewinus repente spiritum exhalaverit. Lul- " lum vero defuncti corpus navi imposuisse, & per Rhenum amne secundo devectum, " in loco, qui dicitur Hostedi, exponi jussisse, indeque in Herveldense monasterium " transtulisse. Porro sanctum Lullum, cum ordinationis suæ ageret annum tricesimum-secundum, XVII. kalendas Novembris honestissima morte perfunctum naturæ concessisse. Hæc anonymus Gemmelacensis seu Gemblacensis, qui libellum de rebus ab eo gestis composuit. Albewinus seu Albuinus, ab eo laudatus, episcopus erat Buriburgensis sub Lullo metropolita, cujus hic *coëpiscopus* vocatur, id est suffraganeus. Colitur VII. kalendas Novembris. Cum vero eodem anno Lullus, & quidem post eum, decesserit; si bene notatus est Albuini depositionis dies, Lullus XVII. kalendas Novembris obiisse non potuit, sed potius kalendis Novembris, quo die ejus obitum reponit Johannes Gerbrandus in chronico [d] Belgico. Eum necdum episcopum commendavit sanctus Bonifacius in epistola nonagesima-secunda ad Fulradum, his verbis: *Spero, si Deus voluerit, quod in illo habeant presbyteri magistrum, monachi regularem doctorem, & populi christiani fidelem prædicatorem & pastorem.* Eximium ejus zelum probat in primis epistola [e] ad Swithan abbatissam, quam dure increpat, immo etiam excommunicat, quod monachas suas impune vagari sineret. Ejus verba huc referre juvat. *Apostolicum præceptum est, ô Switha, ut gregem Domini sollicite servando pascamus, ne absque ovili repertus, luporum morsibus pereat. Hoc quidem te egisse, & acturam esse confidens, quæ a sanctissimo viro Bonifacio martyre Christi, ejusque discipulis regularis vitæ disciplinam suscepisti, putabam juxta modulum intelligentiæ tuæ. Sed (quod tristis ac mœrens dicere cogor) longe aliter fecisse comprobaris, quæ, neglectis animabus, pro quibus Christus mortuus est, de quarum vita redditura es rationem in die judicii ante tribunal Christi, dum sacro * palliatas feminas N. & N. contra statuta canonum & sanctæ regulæ disciplinam, sine licentia & consilio meo, ad injuriam Dei, ejusque matris beatæ Mariæ semper virginis, cujus famulatum exhibere debuerunt, in laqueum diaboli, propter arrogantiam ac vo-*

c *Bonifac. ep.* 109.

d *Chron. Belg. lib.* 3. *c.* 9.

Lulli virtutes.

e *Bonifac. ep.* 47.

* f *facto.*

ANN. CHR. 787.

luptatem laïcorum explendam, ad perditionem animarum suarum, liberas ire permiseris in longinquam regionem, non recolens illud evangelicum: Si cæcus cæco ducatum præbet, ambo in foveam cadunt. & illud: Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. Sed ne forte hanc meam objurgationem parvipendens contemnas, apostolico te sermone percutiam, quo ait: Peccantes coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant. Pro hujusmodi stultitia excommunicatam te esse scias cum omnibus tuis, qui hunc negligentia reatum consentiendo perpetraverunt, usque dum digna satisfactione hanc emendetis culpam. Illas autem vagas & inobedientes supra dictas feminas intra cellam vestram non recipiatis, sed foras monasterium, excommunicatæ ab ecclesia Christi, sedeant, pænitentiam agentes, dum venerint, in pane & aqua; & vos similiter abstinendo ab omni carne, & omni potu, qui melle indulcoratur: scientes, quod si spernitis istam increpationem, quod spernatis eum, qui a Deo missus est peccatores salvos facere, id est Christum, qui dixit in evangelio: Qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui me misit, id est Deum Patrem omnipotentem. Optamus in Christo ad meliora vos converti. Hactenus Lulli epistola ad Swithan, quæ cujus cellæ seu monasterii abbatissa fuerit, incompertum. Certe in eo servabatur *sanctæ regulæ*, id est Benedictinæ, *disciplina*: & tamen ex hac epistola colligitur, illic non observatam fuisse abstinentiam a carnibus, quandoquidem eam Lullus in peccati pœnam Swithæ & sanctimonialibus imponit. Lulli meritum ac miracula prædicat Willelmus [a] Malmesburiensis monachus, versusque refert in ejus honorem editos, quos a pueritia se audisse ait.

[a] *Willelm. de regib. Ang. lib. 1. c. 4.*

Antistes Lullus, quo non est sanctior ullus,
Pollens divina, tribuente Deo, medicina,
Occurrit morbis, ut totus prædicat orbis.

Blidenstatense monasterium.

Ejus corpus e tumulo levatum est anno octingentesimo quinquagesimo-secundo, teste Lamberto monacho Scafnaburgensi, forte XVII. kalendas Novembris, quo ejus festivitas Moguntiæ recolitur. Auctor fuit monasterii Blidenstatensis, Locum-lætantium vocant, quod una leuca ab urbe Moguntia condidit, translatis eo reliquiis sancti Ferrucii martyris, a quo locus iste nonnumquam cognomen accepit, nunc collegium canonicorum sæcularium, qui fidem catholicam retinent inter medios hæreticos. Hujus loci ecclesiam Riculfus anno octingentesimo duodecimo, die sexta Junii dedicavit. Maginhardus Fuldensis monachus sermonem de sancto Ferrucio eodem sæculo composuit.

LXXV. Widonis-laïci abbatis Fontanellæ mors.

His adjungenda est mors Widonis-laïci abbatis Fontanellensis, quæ hoc anno accidit XV. kalendas Octobris. Depositus est, ait chronographus Fontanellensis, Petreoponte *, villa publica, quæ monasterii possessio erat: sepultusque est in Fontanellensi ecclesia beati Petri apostoli, subter arcum introitus absidæ. Hic Fontanellensi ecclesiæ dimisit capsam evangeliorum, auro, argento, gemmisque decoratam; item calicem argenteum deauratum unum, urceos Alexandrinos cum aquamanilibus duos, cornu fabricatum unum, pulvillos sericos sub evangelium ponendos tres, pallas corporalium quinque, turibula argentea duo, hanapos argenteos deauratos duos, dalmaticam unam, casulas sericas quinque, tabulas fabricatas ante altaria octo, pallia tria, antiphonarium Turonense unum, libellum de miraculis beati Andreæ apostoli unum.

* *Pontpierre.*

Recensio bonorum monasterii.

Post ejus obitum jussu Caroli regis recensio omnium ejusdem monasterii possessionum facta est a Landrico abbate Gemeticensi & a Richardo comite. quæ recensio ab episcopo fiebat in monasteriis ei sobjectis: in aliis vero jussu regis, aut loci conditorum per dispositos viros. Inveni in illa recensione mansi integri numero mille trecenti viginti-sex, medii ducenti triginta-octo, manoperarii octodecim; qui omnes simul fiunt mille quingenti sexaginta-novem, ex computo chronographi; absi vero seu inculti centum quinquaginta-octo, molendina triginta-novem. Ad hæc in beneficia seu precarias concessi erant mansi integri numero duo millia centum-viginti, medii quadraginta, manoperarii ducenti triginta-quinque. qui simul juncti, ait chronographus, fiunt duo millia trecenti nonaginta-quinque; absi centum quinquaginta-sex, cum molendinis viginti-quatuor. Integra omnium summa, ad calculum chronographi, quem immutare nolim, mansos integros, medios, & manoperarios

complectens, efficit mansos quatuor millia ducentos sexaginta-quatuor, exceptis villis, quas Wido-laïcus aut regiis hominibus tradiderat, aut aliis ad usum-fructum concesserat. Mansus integer tantum terræ capiebat, quantum duo boves uno anno arare possent, id est jugera duodecim: mansus medius sex, quæ tamen summa non ita semper accurata erat, sed aliquando minor. Ex his conjice quantæ fuerint Fontanellensis monasterii facultates, eæ certe, quæ magno monachorum numero alendo sufficerent. ANN. CHR. 787.

Widoni-laïco non statim successor suffectus est. Hæc morarum causa fuit, quod Fontanellense monasterium post ejus decessum promissum fuerat sororis suæ filio, Witboldo nomine, Caroli regis capellano, & quidem, ut puto, notario sub Hitherio, & Radone, cujus Wido-laïcus etiam notarius fuerat: qui Witboldus tunc apud Constantinum Græcorum imperatorem & Ireoem ejus matrem, cum Johanne legatione fungebatur super Ruatrude seu Rotrude Caroli filia, quam Constantinus in conjugium expetebat. Dum enim per sesquiannum hoc in munere Witboldus moras trahit, Gervoldo Fontanellensis abbatia collata est. Hic nobilibus parentibus, Walgario & Walda, ortus, clericus primum factus, dein Bertradæ reginæ, Caroli Magni parentis, capellanus evasit: cujus reginæ obtentu Ebroicinæ civitatis sedes, defuncto ejus urbis præsule, ei a Carolo rege commissa fuit. Post mortem vero Widonis-laïci, Fontanellæ abbatia a Carolo impetrata, episcopatu relicto, Fontanellam prætulit. Cum autem Witboldus ex legatione sua reversus esset, monasterium sancti Sergii, apud Andecavos situm, a Carolo rege obtinuit, rexitque feliciter per annos plurimos. Porro Gervoldo regni negotiorum procuratio per multos annos commissa fuit, exigendis tributis atque vectigalibus per diversos portus ac civitates, maxime in Quentavico. quæ res Offæ regis Anglorum notitiam amicitiamque ipsi conciliavit, ut testes sunt ejusdem Offæ ad eum epistolæ, in quibus rex eum amici ac familiaris sui titulis dignatur. unde Gervoldus multoties jussu Caroli regis ad Offam legatione functus est, novissime propter filiam ejusdem regis, quam in conjugium Carolus junior, Caroli Magni filius, expetebat: cui conjugio rex Offa noluit acquiescere, nisi Berta, filia Caroli Magni, filio ipsius nuptui traderetur. qua re Carolus commotus vetuit, ne quis e Britannia insula, mercimonii causa, litus oceani maris in Galliam attingeret. Quam ob rem pacis conciliandæ causa in Britanniam missus est Alcuinus, qui tum in Gallia versabatur. De hac dissensione agit Alcuinus ipse in epistola ad Colcum lectorem in Scotia, quam dissensionem ita exarsisse ait, *ut utrimque navigatio esset interdicta.* tum addit: *Sunt qui dicunt, nos pro pace in illas partes mittendos.* Et re quidem vera eo profectus est sub annum ejus sæculi nonagesimum, nec nisi post tres annos in Galliam reversus est. Cum vero aliquando Gervoldus legationis causa in illam insulam profectus, rebus prospere gestis in Galliam reverteretur; valida tempestate suborta in discrimen adductus, incolumis evasit meritis sancti Wandregisili, cujus reliquias secum habebat, ut in libro de miraculis ejusdem sancti legitur, ubi dux Anowarith pago Constantino, Angliæ adjacenti & obverso, præfuisse dicitur, alius ab Anowareth Brittone, qui Glannafoliensi monasterio quædam donavit sæculo insequenti.

LXXVI. Gervoldus abbas Fontanellæ.

Witboldus S. Sergii.

De Gervoldo Fontanellæ abbate id memoriæ proditum est, eum scholam in eodem cœnobio instituisse, quoniam omnes pæne monachos litterarum ignaros invenit; eosdemque in cantu ecclesiastico, cujus ipse peritissimus erat, erudiri curasse. Ejus tempore florebat in eodem cœnobio presbyter eximiæ virtutis Harduinus monachus, qui in proxima cella beati Saturnini, a sancto Wandregisilo ad latus montis aquilonaris exstructa, vitæ contemplativæ gratia seorsim ab aliis degebat. Is in arte arithmetica & scriptoria eruditus, plurimos iisdem artibus alumnos imbuisse memoratur, & multa volumina sua manu exarata Fontanellæ reliquisse. Idem pontificatu Hadriani papæ orationis causa profectus est ad limina apostolorum, indeque prospere reversus, reliquos vitæ dies Fontanellæ feliciter exegit, mortuus sub Trasaro abbate, sæculi insequentis anno undecimo. Præter volumina librorum, quæ chronographus commemorat, Fontanellæ dedit etiam calicem argenteum cum patena, & turibulum argenteum, quæ ipse ad sacrificium Deo offerendum, dum remotiorem vitam duxit, secum habuerat.

LXXVII. Harduinus monachus Fontanellæ.

Sub hoc tempus Berta, Caroli Magni filia, Angilberto viro illustri copulata est. quæ forte causa fuerit, cur eam pater Offæ regis filio nuptum tradere noluerit. Ex

LXXVIII. Angilberto Berta nupta.

ANN CHR. 787.

hac copula nati sunt Nithardus & Harnidus, testante Nithardo ipso de Angilberto, quod is *ex ejusdem magni regis filia Berchta se*, fratremque suum Harnidum genuerit. Nec obstat quod Eginhardus de Carolo tradit, eum sic filias suas adamasse, ut nullam earum cuiquam, aut suorum, aut exterorum, dare voluerit, sed omnes secum usque ad obitum suum retinuerit. Id enim de exteris longe a palatio degentibus intelligendum, non de iis, qui in ipso palatio versabantur, qualis fuit Angilbertus, qui *primicerius palatii*, id est primus regi a consiliis, erat: qualis etiam Eginhardus, qui Immam, Caroli itidem filiam, duxisse creditur. unde ille in epistola [a] ad Lotharium imperatorem, ejus *neptitatem* monet, ut periculum sibi imminens caveat. Certe omnem illicitæ Angilberti cum Berta copulæ suspicionem diluere videtur perpetua & constans ipsius Angilberti cum Carolo necessitudo & familiaritas, incorrupta ejusdem fama & existimatio apud omnes, insignes Romam legationes, aliæque præclaræ dignitates, cum ante, tum post monachatum, ei concessæ. Siquidem vix ac ne vix quidem in animum inducere quis potest, regem prudentem ac sapientem in primis, ut filiæ probrum dissimulare potuerit, tantum honoris & amicitiæ contulisse homini, qui familiæ suæ talem intulisset labem. nam præter primiceriatum palatii, quem ei titulum Alcuinus [b] tribuit, etiam *maritimæ Franciæ dux* appellatur ab Hariulfo chronographo & Anschero abbate Centulensi, qui *Franciæ maritimæ* nomine pagum Bononiensem, aliosque Britannico oceano adjacentes intelligunt: quem ducatum sancti Richarii vitæ interpolator a Scaldi fluvio ad Sequanam protendit. Egregie vero allucinatur Anscherus, cum Angilbertum, jam sacerdotem, Bertam in matrimonium duxisse opinatus est, auctor trecentis annis posterior, cui in re tanti momenti, contra sacrorum canonum disciplinam, repugnante scriptorum æqualium silentio, fidem babere non licet. Quis enim credat, Carolum, canonum studiosissimum, id passurum fuisse, qui Leonem tertium ad observandos canones hortatur? qui Offæ regi Anglorum presbyterum Scottum, reum violatæ quadragesimalis abstinentiæ, judicandum mittit? *ut ibi judicetur, ubi exstitit. nam ibi quoque*, inquit, *sancta Dei ecclesiæ puritas in moribus, & firmitas in fide, & honestas in conversatione secundum canonicam sanctionem observari debebit, ut sit una, perfecta, & immaculata columba*. Quanto minus passurus fuisset, presbyterum ad nuptias convolare? quod ne Græcis quidem umquam post susceptum sacordotii gradum licuit. Atqui videre mihi videor causam, ob quam Anscherus in hunc errorem impegit. Existimavit quippe Angilbertum ante monasticam professionem fuisse Caroli regis capellanum, ac proinde sacerdotii gradu insignem, durante cum Berta connubio, quam tunc primum reliquit, cum secessit in Centulense monasterium. Verum hanc dignitatem nonnisi post secessum obtinuit: nec sacerdotem esse oportebat regis capellanum, quem inferioris ordinis clericum esse satis erat. Sunt qui duobus ejus ex Berta filiis, Nithardo & Harnido, tertium adjungunt Harduinum, quem ab Harnido haud alium fuisse alii peritiores existimant.

a Eginh. ep. 34.

Dignitates eidem collatæ.

b Alcuin ep. 41.

LXXIX. Calchutense concilium.

Habita est hoc anno aut insequenti in Britannia insula synodus Calchuti in regno Merciorum sub Offa rege, præsidentibus Hadriani papæ legatis, Gregorio Ostiensi, & Theophylacto Tudertino episcopis, quibus ex Gallia comes Wighodus abbas-presbyter a Carolo rege adjunctus fuerat. Hunc facile crederem esse Witboldum abbatem superius [c] memoratum, nisi tunc eum Constantinopoli legatum ad Constantinum imperatorem exstitisse probabilius crederem. Quamquam, si ad annum insequentem, uti eo propendet Spelmannus, hæc synodus referatur, ex hac legatione facile redux esse potuit. In hujus synodi capitulo quarto statutum est, ut episcopi diligenti cura provideant, quo canonici sui *canonice* vivant, & monachi seu monachæ *regulariter* conversentur, tam in cibis, quam in vestibus, ut discretio sit inter canonicum, & monachum, vel secularem; & illo habitu utantur monachi, quo utebantur *orientales monachi* [d], forte Cantuarienses, qui respectu Merciorum quodam modo orientales erant: pariterque canonici exemplo orientalium induantur, non tinctis Indiæ coloribus, aut veste pretiosa. denique ut episcopi, abbates & abbatissæ sibi subditis exemplum bonum præbeant. Quod attinet ad clericos seculares, exstat [e] Johannis VI. epistola ad Anglicanos clericos, quos hortatur ad deponendas laïcas vestes, & assumendas clericales ad morem Romanorum. Octavo capitulo statuitur, ut privilegia antiqua a sancta Romana sede concessa conserventur:

c Num. 76.

d V. c. 19. canc. Clovesh. v. supra lib. 22. n. 19.

e Baluz. Miscell. to. 5. p. 478.

AN. CHR. 787.

ventur: si qua vero, propter assensum pravorum hominum, contra canonica instituta conscripta sint, avellantur. Nono-decimo reprehenduntur illi, qui carnibus equorum vescuntur, *quod nullus christianorum in orientalibus facit*, id est, si bene interpretor, in Cantuariensibus populis, quibus Theodorus episcopus hoc interdixerat. Hujus synodi actis assentiuntur, subscribuntque Ælfwaldus Transhumbrensium, & Offa Merciorum reges; Eanbaldus Eboracensis, & Jaënberchtus seu Jambertus Cantuariensis, metropolitæ, aliique episcopi; item Aldberich & Erhart abbates apud Transhumbrenses; Edrabodus, Alemundus, Bodwinus, & Uttel abbates apud Mercios & Cantuarienses. In his nulla mentio sive Ethelnodi [a] Cantuariensis monasterii sancti Petri seu sancti Augustini abbatis, qui hoc anno decessit, sive Gutardi ejus successoris, qui a Jamberto archipræsule benedictus fuit. Hoc in concilio Offa rege agente, erecta est in metropolim Liccidfeldensis apud Mercios ecclesia, avulsa parte provinciæ Cantuariensis, cui remanserunt subjecti tantum quatuor suffraganei, Londoniensis scilicet, Wintoniensis, Roffensis, & Schireburnensis. Sed non diu stetit hæc metropolis repugnante Jamberto erecta. nam Kenulfus Offæ successor, missa Leoni tertio epistola, Athelardum Jamberti successorem in pristinam dignitatem restituit.

[a] *Willelm. Thorn. col.* 1775.

LXXX. Concilii Nicæni decreta pro imaginibus & monachis.

Verum longe celebrius habitum est hoc ipso anno concilium trecentorum quinquaginta episcoporum, qui in Nicæam Bithyniæ urbem ex toto oriente convenerunt, præsidentibus sedis apostolicæ legatis, Petro archipresbytero ecclesiæ sancti Petri, & Petro abbate monasterii sancti Sabæ, quod tunc Græcorum monachorum erat. Interfuerunt eidem cum Tarasio novæ Romæ patriarcha duo monachi, Johannes & Thomas, qui sedium orientalium seu patriarchalium locum tenebant, præter plurimos alios hegumenos & monachos. In his erant sanctus Plato, & Theophanes, qui sacco indutus, & asino insidens, ad concilium vocatus accessit. In ea synodo ex omnium sententia & auctoritate antiquus sanctis imaginibus honos est redditus; & patriarchæ, ceterique, qui secus senserant, condemnati. Editi sunt etiam in actione octava canones viginti-duo: quorum in tertio-decimo damnantur ii, qui monasteria & loca sacra in communia diversoria convertunt. In sequenti unicuique abbati, modo si presbyter fuerit, & sollemni manus impositione ab episcopo benedictus, ordinandi in proprio tantum monasterio lectoris potestas conceditur. Octavo-decimo feminis cohabitatio in episcopiis & monasteriis interdicitur. Nono-decimo, gratuito introitum ad sacrum ordinem & ad professionem monasticam concedi præcipitur. Si qua vero liberis a parentibus dotis nomine offeruntur, ea manere in monasterio, sive illi perseveraverint, sive exierint. Vicesimo, monasteria duplicia deinceps fieri vetatur: jam facta retineri conceditur, modo in eis observetur regula sancti Basilii: ita ut in uno simul monasterio non habitent monachi & monachæ, sed seorsim: nec aditum monachus ad monacham habeat secreto ad colloquendum: &, quando necessaria vitæ a virorum parte ad canonicas seu regulares feminas deferuntur, hæc extra portam accipiat abbatissa cum quadam seniori monacha. porro si monachus propinquam suam monacham videre voluerit, in abbatissæ præsentia cum ea loquatur compendiosis verbis, & brevi ab ea recedat. Vicesimo-primo canone cavetur, ne monachus proprium deserat monasterium, ut ad aliud migret; nec recipiatur absque nutu & voluntate abbatis. Ultimo, ut monachi raro & cum magna cautela, ubi necessitas exigit, cum feminis cibum sumant.

De cultu porro imaginum id decretum, actione septima, ut cum omni studio ac diligentia, quemadmodum sanctæ crucis figura, sic etiam sacræ imagines, sive pictæ, sive tessellatæ, venerandæ proponantur in sanctis Dei ecclesiis, in sacris vasis ac vestibus, necnon parietibus & tabulis, ædibus ac viis; imagines, inquam, Christi Domini, ac sanctæ ejus Genitricis, necnon angelorum, sanctorumque ac piorum virorum: & ut ipsis osculum & honoraria deferatur adoratio, non tamen is latriæ cultus, qui soli divinitati convenit: sed is, qui figuræ sanctæ crucis ac sanctis evangeliis tribuitur, sacrisque donariis, hoc est propositis sacrosancti sacrificii muneribus: adhibendo suffitus & lumina ad eas honorandas, quæ fuit priscorum fidelium religiosa consuetudo. Imaginis quippe honorem ad exemplar & prototypum referri.

Absoluta synodo, patres ejus decreta retulere ad summum pontificem Hadria-

ANN. CHR. 787.

eum, qui ea probavit, atque auctoritate sua roboravit, missa hac de re relatione ad Carolum Magnum, aliosque principes latinæ communionis. Offendit Gallicanos præsules προσκυνήσεως seu adorationis vocabulum, quod imaginibus sacris synodus tribuebat. Hinc, querelis ad Carolum delatis, commissa est cura nonnullis episcopis colligendi capitula quædam ex sanctis patribus de imaginum cultu, editumque hoc de argumento opusculum, divisum in quatuor libros: quod quidem integrum, aut certe quædam ex eo capitula Carolus per Angilbertum abbatem Centulensem transmisit ad Hadrianum papam, ut Gallicanæ ecclesiæ fidem perspectam haberet. Sed de his in libro sequenti.

ANN. CHR. 788

LXXXI. Tassilo cum conjuge & liberis damnatus, missusque in monasterium.

INsequenti anno, post pascha in villa *Ingelheim* [a] prope Moguntiam a Carolo celebratum, Tassilo in conventu publico accusatur, quod, postquam Theodonem filium obsidem tradidisset, Liutberga uxore, quæ Desiderii Langobardorum regis erat filia, instigante, Hunnos adversus Carolum sollicitasset. quod cum infitiari non posset, damnatus majestatis, ex regis indulgentia, una cum filio Theodone tonsus (Theodbertum etiam filium alii addunt) in monasterium est conjectus: » ubi tam religiose vixit, ait Eginhardus, quam libens intravit, quippe qui sponte » hanc vitam cuilibet exsilio volens prætulit. Interrogatus enim a rege, ut scribit Regino, quid vellet agere; humi prostratus facultatem in monasterium secedendi expetiit, ut ibi peccata sua lugere posset. Quin etiam Liutberga ejus uxor velamen sibi imposuisse [b] dicitur; ejusque filiæ duæ itidem velatæ, una ad Calam agri Parisiensis monasterium, altera in Laudunense sanctæ Mariæ, quod olim Salaberga condiderat, missæ sunt.

[a] Eginh. annal.

[b] Chesn. to. 2. p. 23.

De monasterio, in quod retrusus est Tassilo, non una est veterum, recentiorumve sententia. alii Laureshamense sancti Nazarii monasterium habent, alii Gemeticum Rotomagensis pagi monasterium. Scriptor appendicis [c] chronico Nibelungi subjectæ scribit, eum ad sanctum Goarem, quæ Prumiensis abbatiæ cella ad Rhenum erat, tonsum fuisse pridie nonas Julias; filium vero Theodonem ad sancti Maximini monasterium Trevirense, quem alii cum patre in idem monasterium Gemeticense conjectum tradunt. Verum tam discrepantes sententiæ sic forte conciliari possunt, ut Tassilo in cella sancti Goaris tonsus, filius Theodo in sancti Maximini dicantur: deinde ambo Laureshamum deducti, ac demum post concilium Francofurtense Gemeticum, quo remotiores a Bajoaria & a rebus novandis essent, translati, ubi tandem vitam finierint. Gemeticensi monasterio tunc præerat Landricus abbas, de quo superius [d] actum est. Calensi monasterio Marsilia, aut Gisla, Caroli Magni soror, quam Carolus uti matrem suspiciebat, teste Eginhardo. Distinguenda Gisla hæc a Caroli Magni filia æquivoca, quæ una cum Rictrude sorore monasticam vitam in quodam monasterio Parisiacensi duxit, ut postea videbimus.

[c] Ibid.

[d] Num. 75.

Gisla abbatissa Calensis.

LXXXII. Benedicto Anianæ abbati privilegium concessum.

Devictis Hunnis, Carolus Ratisponam petiit, ibique Bajoariorum finibus contra similes eorum insultus providit. Illic cum moraretur, ad eum accessit Benedictus abbas Anianensis, suumque monasterium regiæ tutelæ submisit. Petenti benigne annuit princeps, locumque in suam defensionem ac dominationem accepit, sub interdicto, ne quis comes, episcopus, ullave judiciaria potestas, ibi quidquam juris haberet ad causas audiendas, aut vectigalia exigenda; eidemque liberam concessit facultatem eligendi abbatem, qui ipsam sanctam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeat. Datum VI. kalendas Augustas, anno nonodecimo regni ejus, *in Raganesburg palatio*. Idem privilegium Ludovicus augustus anno primo imperii sui confirmavit.

LXXXIII. Hagustaldensis ecclesiæ status.

Perseverabant etiam hoc tempore monachi in Hagustaldensi apud Northumbrenses ecclesia, quam sanctus Wilfridus in episcopalem sedem erexerat. Id colligitur ex Richardo priore Hagustaldensi, qui agens de interitu Elfwaldi Northumbriæ regis, hoc anno a Siga patricio interfecti, scribit corpus eximii regis *cum magnis monachorum & clericorum cuneis ad Hestoldesham*, id est Hagustaldum, perlatum fuisse, & in ecclesia sancti Andreæ apostoli cum magno honore sepultum; dicturus *clericorum ac monachorum*, si clerici ecclesiam episcopalem tunc occupassent. Certe non ante sæculi duodecimi initium illic instituti sunt canonici regulares. Tunc Hagustaldensi ecclesiæ præerat Tilbertus episcopus, quintus a sancto Wilfrido,

cui successerant Acca, Fredbertus, & Alchmundus, mortuus anno ejus sæculi octogesimo-primo. Suffectus in Alchmundi locum Tilbertus, Richardo dictus *dilectus pater*, cum Eanbaldo archiepiscopo Eboracensi & Higbaldo Lindisfarnensi præsule, Aldulfum episcopum consecravit in monasterio, quod *Corabrige* dicebatur. Hoc monasterium nobis ignotum est. Nec fere certior Aldulfi episcopi sedes. nisi si is est Adulfus Liccidfeldensis antistes, Offa volente, creatus metropolita; aut certe *Aldulfus Myiensis ecclesiæ episcopus*, qui superiori anno subscripsit concilio Calchutensi. quamquam ipsius Myiensis ecclesiæ æque obscura notitia.

ANN. CHR. 788.

ANNO insequenti octogesimo-nono, Jambertus Cantuariensis antistes, cum finem vitæ suæ imminere sentiret, decessorum suorum Cuthberti & Bregwini statutum de archiepiscoporum sepultura in cathedrali ecclesia immutare volens, & antiquam revocare consuetudinem, præcepit se vivum [a] ad suburbanam ædem sancti Augustini deferri, ut ibidem mortuus sepeliretur. quod & factum est. Sic corruit cautio cathedralium monachorum, qui eo animo Jambertum elegerant episcopum ex abbate sancti Augustini, ut virum, alias constantissimum, ad suas partes pertraherent. Itaque corpus ejus in capitulo apud sanctum Augustinum tradinum est sepulturæ hoc anno, aliis insequenti, & quidem pridie idus Augusti, ex Willelmo Thorno, postquam annis fere viginti-septem ecclesiam Cantuariensem administrasset. In ejus locum electus est Ethelardus seu Athelardus, vir summæ [b] sanctitatis & sapientiæ, quondam abbas, ait Gervasius, & quidem Malmesburiensis, ut constans opinio asseverat, Willelmo [c] teste; tunc autem episcopus Wintoniensis, qui Cuthberti & Bregwini vestigiis inhærens, jussit se, cum in fata concederet, in Cantuariensi Salvatoris ecclesia sepeliri. Idem, Liccidfeldensi ecclesiæ nova metropolitica dignitate detracta, Cantuariæ priscum archiepiscopatus honorem in solidum restituit, agente in primis Kenulfo rege Merciorum, Offæ successore, qui hac de re Leuni papæ scripsit, non anno sequenti, ut fallit Willelmus Thornus, qui ejus epistolæ fragmentum refert, sed post annos minimum sex, cum Hadriano pontifici Leo subrogatus est.

ANN. CHR. 789. LXXXIV. Jamberti episcopi Cantuariensis mors.

a Gervas. col. 1642.

Ethelardus successor.

b ibid.

c Willelm. Malmesb. lib. 1. de regib. c. 4.

Non multo post, eodem utique anno, e vivis excessit Willehadus primus episcopus Bremensis, cum suam ecclesiam kalendis Novembris dedicasset in honorem Domini nostri Jesu-Christi sub invocatione sancti Petri apostoli. Perstitit in episcopatu annis duobus, mensibus tribus, diebus viginti-sex. Obiit autem VI. idus Novembris, die dominica, in villa Frisiæ Plecazze, quæ in Rustris sita est, postquam ram Frisiis, quam Saxonibus, post sancti Bonifacii martyrium, annos triginta-quinque verbum Dei prædicasset. Sepultus est Bremæ vir sanctus in basilica nova, quam ipse ex ligno ædificaverat. Hanc basilicam Willericus ejus successor ex lignea lapideam fecit, & corpus sancti Willehadi e tumulo transtulit in orientale oratorium a se factum, recondiditque præ timore piratarum, qui propter miracula corpus sancti confessoris auferre vellent. Libellum de vita sancti Willehadi Ansgarius seu Anscharius, episcopus itidem Bremensis, scripsit cum libro miraculorum, de quibus alias agemus.

LXXXV. S. Willehadus episcopus obit.

Triduo post pascha ejus anni, quod XIII. kalendas Maii celebratum est, Carolus pro sua in ecclesiam devotione ac pietate Aquisgrani edidit capitulare, duobus & octoginta constans articulis, quod per missos suos omnibus ecclesiasticis ordinibus, sæcularisque potentiæ dignitatibus publicari voluit, præmissa præfatione, in qua piissimus princeps rogat pastores ecclesiarum, quos *clarissima mundi luminaria* vocat, « ut diligenti ac solerti cura populum Dei per pascua vitæ æternæ ducere studeant, errantesque oves, cum adhortatione, tum bonorum operum exemplo, propriis humeris in ovile dominicum reportare satagant. quapropter se missos suos dirigere, qui ex sui nominis auctoritate una cum eis, quæ corrigenda essent corrigerent, submittendis capitulis ad hoc idoneis ac necessariis, quæ ex canonicis institutionibus excerpi jusserat, ne ex proprio ea ingenio & arbitrio condidisse videretur. »

LXXXVI. Carolus edit capitulare.

In capitulo septuagesimo-tertio sancitum est, ut omnes, qui se voto monachicæ « vitæ constrinxerunt, *monachice & regulariter* secundum votum suum vivant; &, ut « candidati ad monasteria primum venientes, secundum regularem ordinem primo « *in pulsatorio*, quæ pulsantium seu novitiorum domus est, probentur, & sic reci- «

AN. CHR. 789.

» piantur. Ad hæc, ut qui ex sæculari habitu in monasteria veniunt, non statim post » professionem foras ad ministeria monasterii mittantur, antequam bene in monaste- » rio eruditi fuerint. denique, ut monachi ad sæcularia placita seu judicia non vadant. » Septuagesimum-sextum capitulum est de quibusdam abbatissis, quæ contra morem » ecclesiæ benedictiones cum manus impositione & signaculo sanctæ crucis (quod » hodie quoque Fontis-Ebraldi abbatissa facit) super capita virorum dare, ac virgi- » nes velare audent. quod ab episcopis in suis parochiis interdicendum princeps jubet. » Capitulum sequens est de clericis, qui se monachos fingebant, in ordinem co- » gendis, *ut vel veri monachi sint, vel veri canonici*, id est clerici. tunc enim perinde » *erat ad clericatum* accedere, & *canonicam vitam* profiteri, ex ejusdem capitularis » articulu septuagesimo-tertio. Octogesimum capitulum est, ut monachi cantum Ro- » manum per nocturnale ac gradale officium servent, uti ipsius Caroli genitor Pippi- » nus præceperat, quando Gallicanum cantum abstulit ob unanimitatem & concor- » diam apostolicæ sedis cum sancta Dei ecclesia.

His capitulis subjunguntur alia sexdecim, desumta ex regula sancti Benedicti: » quorum secundum est de anachoretis, quos hortandos esse ait, ut in congregatione » permaneant. quintum de decanis & præpositis, *ut eorum mutatio secundum regu-* » *lam fiat.* ubi rex innuere videtur mentem ejus esse, ut annis singulis hæc mutatio fieret. Septimum est, *ut, ubi corpora sanctorum requiescunt, aliud oratorium habeatur, ubi fratres secrete possint orare.* Hinc apparet origo interiorum oratoriorum, quæ in celebrioribus monasteriis olim exstructa, etiam nunc supersunt. Quintum-decimum capitulum est, *ut nullus abbas pro susceptione monachi præmium quærat.* quod etiam de abbatissis statutum fuit in præmisso concilio Nicæno secundo. Ultimo de- » nique capitulo decernitur, ut monachis *disciplina regularis* imponatur, ex auctori- » tate regulæ, *non sæcularis: id est, ut non orbentur*, nec *mancationes* seu mutilationes » alias subeant. Quid sit monachos *orbari*, non cuivis obvium est. Carolus Cointius *orbis* nomine tumorem ex ictu assurgentem significari existimat, censetque orbari nihil aliud esse, quam lignis, lapidibus, aliisque rebus ad castigationem ac correptionem non idoneis feriri. At *orbari* mihi non aliud videtur, quam oculis privari. quæ sæcularis pœna tum usitata erat, fiebatque objectu laminæ aut vasculi ardentis, quo nervi oculorum adurebantur. Non dissimilis erat atrocitas Ratgarii abbatis Fuldensis in suos monachos. Ex his capitulis aperte constat, Carolum sollicite curasse, ut in Francia monastica sancti Benedicti disciplina accurate observaretur; &, sicubi defecerat, omnino restitueretur. Hanc ipsam sollicitudinem probat ejusdem principis ad Theodemarum abbatem Casinensem epistola, ipsiusque Theodemari ad Carolum rescriptum, quod superius [a] examinavimus. Mitto vulgatam Zachariæ hoc de argumento epistolam, quæ nullo pacto asseri aut defendi, multis ex adverso rationibus impugnari potest, quas apud alios [b] videre licet, nobis referre non vacat.

a Num 68.

b Coint. an. 789 n. 115. & seq.

LXXXVII. Ejusdem diploma pro monasterio Sithiensi.

Jus venandi.

c Diplom. p. 611.

Uno fere mense ante prædictum capitulare Carolus versabatur in monasterio Sithiensi, ubi præceptum [c] edidit, concessitque Autlando abbati & monachis ejus loci liberam venandi facultatem in propriis eorum silvis, unde fratres consolationem habere *possint, tam ad volumina librorum tegenda*, quale præceptum jam Dionysianis indulserat, *quam ad manicias* seu chirothecas, *& zonas faciendas.* Datum VII. kalendas Aprilis, anno vicesimo regni Caroli, in ipso loco *Sithiu*, in atrio sancti Bertini. quæ chronicæ notæ vitiosæ sunt apud Malbrancum. Post annos aliquot Deodatus clericus Odlando abbati res suas, in locis *Sanctis*, & in Ascio super fluvio Witbaci, aliisque in locis sitas, donat ea ratione, ut res ipsæ monachis Sithiensibus cedant ad comparanda vestimenta, *id est drappos ad camisias ultremarinas, quæ vulgo bernuscrist vocitantur. Actum Sanctis publice, die tertia mensis Augusti, anno trigesimo-secundo gloriosissimi Caroli regis.* Autlando successit Nantarius initio sæculi noni.

LXXXVIII. Petri episcopi Mediolanensis privilegium pro basilica Ambrosiana.

d Num. 45.

Sub finem hujus anni Petrus Mediolanensis antistes, a quo monachos in Ambrosiana basilica institutos [d] diximus, Benedicto abbati ejusque fratribus, ne aliqua penuria gravarentur, *locum habitationis ampliorem & honestiorem concedit ad habisandum & regulariter vivendum*, nempe ecclesiam, *quæ hucusque cella vocabatur*, ut *eam orationis solummodo secretioris* causa *continentissimam* seu proximam habeant: qua ratione Carolus oratorium monachis ad secretiores preces in præmisso capitu-

lari assignavit : basilicam vero sancti Ambrosii *sub sua cura & providentia* habeant ad divina officia publice concelebranda ante corpora sanctorum martyrum Protasii & Gervasii & sancti Ambrosii confessoris. Hanc vero cellam a Forte diacono Petrus antistes obtinuerat, data in commutationem curte sua in Leunianello. Deinde universas ejus monasterii possessiones idem confirmat, *ita ut abbas cum fratribus omnia secundum instituta venerabilis patris Benedicti, ejusque regulam disponat & ordinet.* Tum addit rem observatione dignam, *ut numquam abbas ibidem ordinetur extraneus, nisi aut eodem in monasterio prius monasticum sumserit habitum ex ipsa jam congregatione; aut quem fratres eligant, qui eos secundum divinas leges & patrum regulas valeat gubernare.* ubi vides sub regulis patrum compreheodi sancti Benedicti regulam, quam Petrus instrumeoti auctor solam antea non semel expresserat. Actum anno Caroli & Pippini regum in Italia sexto-decimo & nono, & quidem x. kalendas Novembris, iodictione tertia-decima, ut recte apud Puricellum [a], mendose apud Ughellum; indictione, inquam, tertia-decima a Septembri inchoata. Has Petri litteras Carolus Magnus confirmavit, dato diplomate [b] Placentiæ in mense Aprili, *anno vicesimo-secundo & decimo-septimo regni* sui, tum Francici, tum Italici: quo diplomate ejus monasterii possessiones ratas habet, illudque vult sub regimioe « & potestate rectorum ecclesiæ Mediolanensis omni tempore permanere : ita tamen, « ut monachi facultatem habeant ex ipso monasterio, ipsi per omnia fidelem, *secun-* « *dum ordinem sanctum & regulam sancti Benedicti, eligendi abbatem, qui eos secundum divinas leges & regulam sancti Benedicti valeat gubernare.* Erratum est in nomine urbis Placeotiæ, ubi Carolus tunc non erat, sed potius Wormatiæ, uti Cointio videtur, qui annum Caroli sextum-decimum Italiæ regni legendum putat, tametsi Puricellus in authentico asserit haberi : *Data in mense Aprile, anno vigesimo-secundo & decimo-septimo regni nostri. actum Placentiæ ex palatio nostro publico.* an forte absente rege diploma Placentiæ editum ? certe ita dicendum, si de authentici veritate constet.

ANN. CHR. 789.

a Puricell. p. 18.


b Ibid. p. 43. &c.

LXXXIX. Per hæc tempora variæ Casinati monasterio factæ sunt Theodemaro abbate donationes. In his Grimoaldus dux Beneventanus, exemplo Arichisi patris sui, qui Gisulfi ducis donationes in territorio Gentianæ auxerat; universa dominicalia [c] sua cum servis & ancillis in eodem Gentianæ territorio, & cellam sancti Agapiti, portus quoque Trajectensem & Wlturnensem, aliaque contulit, id est portum Trajecti, qua Liris fluvius; & Wlturni, qua Wlturnus trajicitur. nam sunt etiam sui fluviis, sunt & montibus præaltis, non tantum mari, portus. Ad hæc Hildeprandus Spoleti dux multa etiam dona Casinensibus fecisse dicitur. Denique vir quidam prædives, Wacco nomine, gastaldus Beneventanus, in expeditione militari constitutus, filium suum Wachipertum in eodem sacro monasterio cum multis casalibus obtulit : casam vero suam intra civitatem Beneveotum Tasiæ uxori suæ, ad vitam dumtaxat, assignavit, servis & ancillis suis in libertatem assertis, sub ditione tamen ac tutela sacri illius monasterii : ita ut siognli singulas operas ad nutum ordinatorum seu præpositorum facerent. quod genus libertorum *aldios* seu *aldiones* appellabant, sub certis conditionibus manu-missos.

Casino donationes factæ.

c Chron. Casin. lib. 1. c. 14.





ANN. CHR. 790.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER VICESIMUS-SEXTUS.

Ab anno Christi 790. *ad annum* 800.

I. Interruptum opus resumitur.



NTERRUPTUM anno M DC XCVI. a tribus mensibus nostrorum annalium filum resumere ardet animus, impatiens longioris moræ, atque elapsi absque commentatione diuturni temporis, quod iter nostrum in Lotharingiam & in Alsatiam, superiori autumno inceptum, consumsit. Nec sane hujusce intermissionis me pœnitet, quando ex illorum locorum monasteriis hanc qualemcumque jacturam abunde supplevimus, ego scilicet ac socius itineris laborisque Theodericus Ruinartus, operam & monumenta sua conferentibus reverendis patribus Benedictinæ congregationis sancti Vitoni, qui nullum boni erga nos officii genus prætermiserunt. Argumento erit veterum instrumentorum ex istis locis reportata a nobis amplissima seges, ex quibus magna nostris Annalibus, Deo dante, fiet accessio. Jam vero ut tandem ad intermissam rerum nostrarum seriem revertamur, nobis in primis occurrit controversia, quam Gedeon Vesontionensis præsul cum Ricberto abbate Condatescensi hoc tempore habuisse dicitur. Lis erat de cella Lauconnensi, quam Gedeon prædicto abstrahere monasterio, sibique subjicere moliebatur. Hanc cellam extruxerat sanctus Lupicinus abbas, cujus tumulo ac corpore insignita erat. Cum hæc contentio præter modum inter partes exardesceret, eo missos suos direxit Carolus, Dottonem abbatem & Adalardum comitem, ut partis utriusque rationes discuterent. Remis apud sanctum Remigium versabatur Carolus, cum ad ipsum missi una cum Ricberto abbate reversi sunt. Auditis utrimque rationibus, rex pro Ricberto sententiam dixit: cujus rei diploma regium a Perardo [a] vulgatum est, a Cointio recusum ad hunc annum, ad quem diploma referendum esse censet, itidemque Petrus Franciscus Chiffletius, præter Perardum. Verum hoc diploma non esse Caroli Magni, sed Caroli Calvi, persuasum mihi est tum ex invocatione diplomati præmissa, *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis*, Calvo familiari; tum ex ætate Gedeonis archiepiscopi, qui Bernonem abbatem consecrasse traditur in tabulis Cluniacensibus, cum editis, tum manu exaratis, ante annos sexcentos. Verum hæc alias, cum pervenerimus ad annum regni Caroli Calvi vicesimum-secundum, quo anno datum diploma est

Lis de cella Lauconnensi dilata.

a Perard. p. 11. & 13.

Remis ad sanctum Remigium : ubi tum is versabatur, nempe anno octingentesimo sexagesimo-secundo, ex annalibus Bertinianis : contra vero Carolus Magnus anno regni sui vicesimo-secundo inde longius aberat, ac Wormatiæ residebat. Hoc unum argumentum omnino subvertit oppositam opinionem, sufficitque ad restituendum suo tempori & ordini Gedeonis pontificatum, quem ex hoc diplomate non bene intellecto Cointius in annalibus, & Chiffletius in illustrationibus Claudianis apud Bollandi [a] continuatores, ad Caroli Magni principatum retulerant, & ego quoque alias cum ipsis in Bernonis abbatis elogio. quem errorem hoc loco emendare cogit perceptæ ac perspectæ, ut puto, veritatis amor.

ANN. CHR. 790.

a *Junii to.* 1. *p.* 691. *col.* 2.

II. Luxovienses abbates Dotto, aliique.

Videtur tamen per id tempus, ne quid dissimulem, Luxoviensis monasterii abbas fuisse Dotto, seu Dodo, post Andream : cujus antecessores hoc modo recensentur post Mellinum a Sarracenis interfectum, ut superius [b] diximus. Mellino mortuo, cum Luxoviensis præfectura per annos quindecim a clade Sarracenorum vacasset, suffectus est Trudoaldus, qui veteres ruinas supplevit. Trudoaldi successores hoc modo recensentur : Gayleubus, Ayribrandus, Buoso, Grimoaldus, Andreas, Dotto, Sikelmus, Dadinus, sanctus Ansegisus, cujus explorata præfectura est Ludovici Pii principatu. Andreas is esse videtur, per quem Carolus Magnus nuntium de rebus a se feliciter gestis, & de Saxonibus ad fidem conversis, Romam ad Hadrianum papam perferri curavit anno septingentesimo octogesimo-quinto. Andreæ paullo post suffectus est Dotto abbas, si quidem ejus est epistola inter Bonifacianas octogesima-quarta ad Lullum episcopum Moguntinum, quem biennio post e vivis excessisse constat. Hac epistola Dotto, in contextu Dodo, præfatus se suosque *terrarum longitudine* a Lullo separatos, vicarias petit ab eo preces & orationes ; atque enixe obsecrat, ut *istam familiam Christi & sancti Petri in sua commemoratione semper habeat*, omnesque amicos suos, tam episcopos & eorum clerum, quam abbates & « eorum monachos, abbatissas & Deo dicatas in ipsa congregatione sancti Petri, tam « vivos quam defunctos : rogans sibi mitti vicissim omnium Lulli amicorum nomina « seu indiculum per fratrem suum Saganaldum, latorem hujus epistolæ, cujus hæc « inscriptio sic videtur legenda : *Domino sancto, sanctorumque meritis coæquando, & a nobis cum summa veneratione diligendo in Christo patri Lullono episcopo, Doto servus servorum Dei, etiam & omnes monachi sancti Petri apostolorum principis, degentes sub norma sanctæ regulæ, æternam in Domino nostro Jesu Christo ad sanctitatem vestram destinare curavimus salutem.* Hæc, inquam, si de Dottone Luxoviensi abbate interpretemur, eum hoc tempore vixisse consequens est ; non alium, ut forte nonnullis videbimur, quam missum illum Caroli ad monasterium Condatescense. quod facile suadet locorum vicinia. tametsi alius ejusdem nominis, sed diversi monasterii mitti potuit. Hæ rerum ac temporum ambages, quas explicare maxime operosum : sed tamen prædictum diploma Carolinum Caro Calvo tribuendum esse non dubito. His tenebris lucem afferre posset præfectura Ricberti abbatis Condatescensis, si de ejus tempore non eadem esset obscuritas. In rythmo de ejus loci abbatibus, Hippolyto superius laudato proxime subjiciuntur, sed immani hiatu, Wlferdus & Bertrandus, sub quibus sanctus Simon *Campaniæ* seu Vadensis comes floruisse dicitur. Hiatum hunc supplent auctores Galliæ-christianæ, sed quibus parum tuta fides, maxime in designando tempore Ricberti abbatis, quem episcopum & abbatem in quodam abbatum indice scriptum observant. Hunc in illo indice subsequuntur Bertbardus & Antelmus sub Carolo Magno ; Achivus, mendose Achinus, sub Ludovico Pio ; Agilmarus Viennensis antistes, & Remigius Lugdunensis sub Lothario augusto ; Aurelianus itidem Lugdunensis præsul, & Ildebertus sub Ludovico secundo : cui præpositi succedunt. Nullus hic Ricberto locus : nisi si hic est Ildebertus, cujus tempus omnino diplomatis notis chronicis convenit. At de his satis, superque satis.

b *Lib.* 21. *n.* 7.

Condatescenses abbates.

III. Caroli diploma pro S. Dionysio.

Versatus est toto hoc anno, ut mox dicebam, Carolus in civitate Wormatia, vel non longe a Wormatia, ubi natale Domini atque pascha celebravit. Versatus est, inquam, in proximo palatio ad Salam fluvium, quod hoc ipso anno incendio conflagrasse traditur. Aliud erat Copsistanium palatium in suburbio Moguntiæ, *Cufistein* appellatum in annalibus Francorum Mettensibus : ubi Carolus hoc anno præceptum [c] pro sancti Dionysii monasterio Parisiacensi concessit Maginario abbati de bonis fiscalibus a Hrodhardo comite in ducatu Alamanniæ seu Brisgavia ei non legi-

c *Diplom. p.* 502.

ANN. CHR. 790.

time venditis, quæ Mainarius seu Magenarius abbas postea fisco restituit, sed Carolus* hoc anno contulit sancti Dionysii monasterio. Actum Coplistanio pridie kalendas Septembris, anno Caroli regis vicesimo-secundo.

IV. Hadriani papæ querelæ. a Diplom. p. 492.

Huc referenda & Magenario abbati inscribenda videtur Hadriani papæ epistola a contra duos episcupos, Paulinum & Theodulfum, qui Dionysiani monasterii privilegiis detrahebant; *& nescio per quam phantasticam ambitionem, nomen sibi conantes imponere, similem beati Petri apostolorum principis sedem, apostolatum ac summum pontificatum se habere jactitabant.* quos quidem sacerdotio ac communione privasset Hadrianus, nisi Dionysianus ille abbas intercessisset. Hæc vero privilegia eidem sacro loco a pontificibus indulta dicit pontifex, ut Deo sacrati monachi, qui
» in monasterio sancti Dionysii dignas Deo laudes referunt, sine tumultu sæculari re-
» galia dona possiderent. Episcopi illi fortean fuere Paulinus Aquilegiensis, & Theodulfus Aurelianensis.

Huc etiam spectat ejusdem pontificis epistola ad ipsum Magenarium, in qua conquestus est, quod aliquot Langobardiæ episcopi non essent contenti finibus parochiarum suarum; & quod sanctimoniales quædam, relicto monasterio, illicitis nuptiis copularentur. qua de re ait sæpius ab se admonitos Raginaldum & Raginbal-
» dum, tam detestandi facinoris conscios; nec tamen ab infami ejusmodi stupro resi-
» puisse, nec monenti voluisse acquiescere; immo filiam cujusdam Ermenaldi, mona-
» chico indutam habitu, nepoti suo, Nazario nomine, diabolica contumacia copulasse. quorum perniciosum exemplum complures in Italia imitarentur.

V. Pippini regis leges de monasteriis.

His aliisque monasteriorum malis ut obviaretur, Pippinus Italiæ rex, suggerente haud dubie patre Carolo, quatuordecim edidit sanctiones, quarum tertia est,
» ut monasteria virorum & puellarum, quæ *in mundio* seu tutela tam palatii, quam
» episcopi reliquorumve hominum consistunt, curet unusquisque, *in cujus mundio*
» *sunt, ut regulariter vivant.* Sexta est contra quosdam monachos, qui e Francia
» in Italiæ monasteria migrabant, quos Carolus ad propria reverti præceperat. quod
» Pippinus exsecutioni demandari jubet. Undecima statuitur, missos duos per uni-
» versum Italiæ regnum dirigendos esse, unum monachum, & alium capellanum,
» inquisituros per monasteria virorum ac puellarum, *quæ sub sancta regula vivere de-*
» *bent*, qualis sit eorum habitatio ac ratio vivendi, & quantum substantiæ ad victum habeant.

VI. Ripolanum monasterium ditatur.

Ante hoc tempus apud Ripolim, duobus ab urbe Florentia millibus, conditum fuerat sancti Bartholomæi cœnobium virginum ab Adovaldo cive Florentino, quod tres germani fratres, Atroaldus, Adovaldus & Adopaldus, qui hunc Adovaldum *bisavum* suum vocat, multis prædiis ac donis hoc anno locupletarunt, cum Eufrasia abbatissa, amita sua, huic loco præesset; easque donationes ratas habuerunt, quas proavus suus Adovaldos eidem monasterio fecerat. Id porro faciunt eo pacto,
» ut jam dictum monasterium cum rebus ei collatis dicta Eufrasia, dum vixerit, ha-
» beat in sua potestate; & post ejus obitum Austriperta germana ipsorum in regimine
» succedat, & Teuperga amita sua æqualiter cum ipsa Austriperta hæc possideat; iis
» vero mortuis; omnia hæc veniant in potestatem monacharum, quæ ibidem tum
» congregatæ fuerint; atque electio abbatissæ sit penes ipsas. Omnia porro sub sua
» potestate habeat abbatissa, quæ pro tempore ab episcopo civitatis ipsius Florentiæ
» *consecrata* fuerit; nullamque aliam potestatem habeat episcopus in illo monasterio,
» quod donatores ipsi in suam tutelam suscipiunt. In fine diras minantur iis, qui hanc
» sancti Bartholomæi ecclesiam *ad alterum ordinem ecclesiasticum, quam monacharum Deo servientium* redigere tentaverint. Exstat hujusce rei instrumentum apud Ughellum b, actum Florentiæ *regnante domino nostro Carolo, & Pippino ejus filio, anno regni eorum in Italia septimo-decimo, & decimo, indictione tertia-decima.* quæ notæ huic anno apprime respondent. Effloruit longo tempore apud ejus loci monachas religiosa disciplina: sed tandem, quæ rerum vicissitudo est, tepescente religione, eo inducti sunt Vallumbrosani monachi, qui hactenus illud monasterium occupant: ubi nunc ordinaria sedes est præfecti generalis illius congregationis. Ejus loci originem Lubinus ad annum hujus sæculi decimum refert.

b Ital. sac. to. 3. col. 19. & seqq.

VII. Alperto abbati Farfensi successit Moroaldus.

In Farfensi monasterio Alpertus seu Aupertus abbas hoc eodem anno vivendi finem fecit, obiitque XVIII. kalendas Januarii, post regiminis annos quinque, menses decem & dies quindecim. Hunc excepit Marroaldus seu Moroaldus presbyter & abbas

ANN. CHR. 790.

& abbas *Francus ex Wormatia civitate*, decimos ab instauratione monasterii facta per Thomam abbatem. Vir *valde ecclesiasticus* fuisse dicitur in chronico Farfensi, ac multa suo monasterio acquisivisse, præter pretiosum ex auro & argento ornatum, quem in sua ecclesia fieri jussit. Sub ejus regimine Gauderisius quidam Reatinus, cum liberos non haberet, sanctæ Mariæ res suas tradiderat; quas postea, procreatis liberis, a monachis repetebat. Cum autem eas restituere abnuerent, Gauderisius eos ad judicium Guinichisi ducis pertraxit. Fatebatur ille, se substantiam suam per chartulam obtulisse in monasterio: sed monachos contra fas eam usurpasse aiebat, quasi usum-fructum ad vitam suam sibi ipse non reservasset. At, lecta coram duce charta, cum nulla in ea mentio esset de reservato usu-fructu; Guinichisus dux cum assessoribus suis Gauderisii petitionem rejecit, quippe qui bona sua voluntate chartam donationis fecisset. Non multo post sub eodem abbate res paullo dissimilis ibidem contigit. Vir quidam, Berto nomine, filium suum Perculsum tradidit in manus germani sui Liutprandi presbyteri, ut eum in Farfensi monasterio *sub sancta regula* cum omnibus rebus ejus offerret. Ita factum: & ipse Perculsus *junctis manibus* Moroaldo abbati cum omnibus suis se contradidit, prout ipsius parens instituerat. Postea vero quidam Ageris, (id viro nomen) qui Perculsi germanam uxorem duxerat, eum de monasterio abstraxit, & uxori suæ donationem ex rebus suis ab ipso fieri curavit. Sic Ageris res illas invasit. Tum vero Farfenses querelam deferunt ad Guinichisum ducem, qui causam ad Leonem papam tertium decernendam remisit. Auditis utrimque partibus, pontifex secundum Farfenses pronuntiavit, edixitque, ut idem Perculsus cum universis rebus suis, secundum institutionem genitoris sui & suam ipsius traditionem, reverteretur in monasterium, ubi secundum regulam deserviret; &, si quod instrumentum fecisset de rebus suis hoc irritum esset. Non sic tameo quievit Ageris: quin monachos, in rerum sibi concessarum & assertarum possessionem redire volentes, foras expulit, & rapta retinuit. Tandem, causa coram Hebroardo comite palatii, aliisque judicibus denuo ventilata, Ageris ablata restituere demum coactus est cum fructibus perceptis.

VIII. Usualdus abbas S. Salvatoris.

Acta hæc desinente præsenti sæculo: qun tempore Moroaldus abbas commutationem quorumdam prædiorum fecit cum Usualdo abbate monasterii sancti Salvatoris in monte Amiato prope Clusinum Etruriæ urbem, de cujus origine superius [a] egimus. Nullus dubito, quin is sit Usualdus abbas, cui septuagesima-nona Alcuini epistola inscripta est in hunc modum: *Domini Dei Salvatoris mundi sanctissima congregationi, & pio patri Usualdo, humilis Albinus levita, salutem.* tum laudabilem eorum conversationem, & condignam nomini vitam extollit, & in eis Dominum, *qui tales sui sancti nominis dignatus est habere confessores. Nec enim frustra*, inquit, *speciali vocabulo monachi sancti Salvatoris vocamini, nisi quia estis meritis, quod nomine dicimini. Immo & tam nobilis rex nobiles debet habere ministros, moribus egregios, in pace concordes, in corpore castos, in animo sobrios, omni bonitate eximios, clarissimis adsuetos triumphis.* Dein eos hortatur, ut cœptum iter beatæ conversationis ad finem usque peragant, dum coronam justitiæ reportent. quo testimonio nihil illustrius ad commendandam religionem Usualdi abbatis, ejusque sacri cœtus. In fine ait se negotium eorum, uti petierant, domno regi commendasse, eoque sibi adjutricem adhibuisse Liudgardam, *pissimam in Deo feminam*, nempe Caroli Magni conjugem; petitque, eorum orationibus operam suam remunerari, qui *olim per Angilramnum archiepiscopum & sancta capella primicerium* seu archicapellanum, seipsum eorum sanctitati commendaverat. Usualdo successisse videtur Leusonus abbas, qui cum Benedicto abbate Farfensi de quibusdam prædiis litem habuit. De Audoaldo abbate Leusoni successore inferius agendum.

[a] Lib. 22. n. 42.

Alcuini ad eum epistola.

Leusonus ejus successor.

IX. Moroaldo item abbati scribit Alcuinus.

Subsequitur ejusdem Alcuini octogesima epistola, eodem forsan tempore missa ad congregationem sanctæ Mariæ & patrem Moroaldum, haud dubie abbatem Farfensis beatæ Mariæ monasterii, cui tum Moroaldus mox laudatus præerat. Brevem epistolam, qoippe quæ ad illustrandum Farfense monasterium non parum conducit, huc referre non fuerit otiosum.

Beatissima & sanctissima Dei genitricis semperque virginis Maria congregationi, & pio patri Moroaldo, ultimus sancta ecclesia clientellus Alchuinus, in Christi caritate salutem. Sapius vestra sanctitatis audiens famam, ideo me vestra familiaritati adjungere desideravi. Sed modo tempus opportunum occurrit per præsentem fratrem obnixis

ANN. CHR. 790.

preeibus me ipsum vobis commendare. Quapropter per sancta Virginis Filium vestram suppliciter obsecro unanimitatem, ut me, licet indignum, vestris animis atque manibus accipere dignemini, non quasi ignotum, sed quasi fratrem: quia licet oculis carnis non vidissem, tamen oculis cordis vos videre videor, & valde diligo, honestatemque vitæ vestræ animo complector studioso, cupiens vestram beatitudinem ubique proficere in Domino, & ad perpetuæ pacis pervenire lætitiam. Orantes pro nobis, vos semper valete in Christo, fratres dilectissimi.

X. Alcuini reditus in Angliam.

Erat tunc in aula Caroli Alcuinus, sed hoc anno reversus est in Britanniam insulam, ut pacem Carolum inter & Offam regem Merciorum reformaret, inter se dissidentes, *ita ut utrimque navigatio interdicta cessaret*, teste Alcuino ipso in epistola ad Colcum lectorem, ab Usserio edita inter Hibernicas, in qua de futura sua ad Mercios profectione mentionem facit. Causam hujusce dissensionis jam attigimus ex chronico [a] Fontanellensi, in quo Carolus filio suo æquivoco filiam Offæ regis in conjugium postulasse dicitur: sed, illo non acquiescente, nisi Berta filia Caroli Magni ejus filio nuptui traderetur, Carolum inde commotum præcepisse, ut nemo de Britannia insula & gente Anglorum mercimonii causa Gallicanum litus oceani maris attingeret. Addit chronographus, hoc interdictum supplicatione Gervoldi abbatis Fontanellensis sublatum fuisse: sed tamen in illas partes missus fuit Alcuinus, qui non nisi post duos annos in Franciam revenit. In illa porro epistola ad Colcum lectorem, quæ *benedicto magistro & pio patri Colcu* inscripta

a Chron. Font. c. 11.

Ejus epistola ad Colcum.

» est, inquirenti de rebus in mundo nuper gestis respondet Alcuinus, sanctam Dei ecclesiam in partibus Europæ pacem habere, proficere & crescere. Antiquos Saxones » & omnes Frisonum populos, instante rege Carolo, alios præmiis, alios minis sollicitante, ad fidem Christi esse conversos; annoque transacto Sclavos seu Wionudos ab eodem victos, suæque ditioni subactos; denique, ut cetera præteream, ejusdem christianissimi regis duces & tribunos multam partem Hispaniæ tulisse a Saracenis, quasi tria millia in longum per oras maritimas. Subdit se mittere oleum, » quod vix modo in Britannia invenitur, ut Colcu id dispenset per loca necessaria » episcoporum; mittere quoque quinquaginta siclos de eleemosyna regis, totidemque de sua; triginta quoque siclos ex Carolo & ex se tantumdem, mittendos *ad australes fratres Baldhuninega*; ad hæc viginti siclos *de eleemonyna patris familia Areida*, & viginti de sua, & per singulos anachoritas tres siclos de puro argento, » ut illi omnes orent pro se & pro domno rege Carolo, ut Deus illum conservet ad » tutelam suæ ecclesiæ, laudemque & gloriam nominis sui. Illustrem fuisse oportet Colcum illum, quem tanti facit Alcuinus, ut eum patrem sanctissimum, seque filium ejus dicat, uti & Josephum suum. Illum vero in Scotia lectorem seu magistrum fuisse putat Usserius, forte in monasterio Hiiensi. Ceterum amicitiam inter Carolum & Offam denuo recaluisse patet ex ipsius Caroli epistola, a Willelmo [b] » Malmesburiensi carptim relata, in qua peregrinis, qui pro Dei amore & salute » animarum suarum limina beatorum apostolorum adire cupiunt, salvum conductum » concedit, itemque negotiatoribus, dummodo locis opportunis statuta solvant telo- » nia, & negotiatores Franci in regno ejus eadem facultate utantur. Scripta est hæc epistola statim a morte Hadriani papæ, pro cujus relevatione animæ dona quædam Carolus mittit ad singulas sedes episcopales regni tum Offæ, tum Ethelredi regis Northanimbrorum. Aliam Caroli ad Offam ipsum epistolam affert ex vita Offæ Spelmannus [c], sed quæ præter inscriptionem omnino eamdem, nihil habet succi Carolini, nec digna quæ ipsi tribuatur.

b Willelm. de regib. Angl. lib. 1. c. 4.

c Spelman. to. 1. conc. p. 305.

d Doublet p. 710.

Exstat apud Dubletum [d] ejusdem Offæ diploma; suggerente Magenario abbate concessum: quo diplomate ratam habet donationem cujusdam possessionis in portu Lundenwico, a duobus fratribus popularibus suis factam ante duos annos monasterio Dionysiano; regiasque litteras tradidit Nadelgario monacho Magenarii misso, qui eas secum in Franciam allatas super sepulcrum sancti Dionysii deposuit, in perpetuam regis memoriam conservandas. Idem Offa, inventis sancti Albani martyris reliquiis, & in pretioso scrinio reconditis, Verolamii basilicam in ejus honorem condidit in agro Bedefordensi, eamque numeroso Benedictinorum monachorum cœtu, multisque prædiis ac privilegiis insignivit. quod Willelmus Thornus hoc anno factum dicit, alii paullo serius differunt. Celeberrimum fuit hoc monasterium, quod numquam omnino ruinæ patuit, teste Willelmo Malmesburiensi, cujus ætate per

S. Albani monasterium.

Paulum abbatem, agente Lanfranco archiepiscopo, in summum culmen religionis provectum est. Primus eidem cœnobio abbas præfectus est Willigoda presbyter, ut legitur [a] in vulgato diplomate ipsius Offæ, dato anno incarnationis septingentesimo nonagesimo-tertio. Enorme erratum est apud Spelmannum, ubi Willegodus ille cum monachis suis ex domo Becci in Neustria assumtus dicitur, quæ abbatia annis amplius ducentis a condito sancti Albani monasterio erecta fuit.

ANN. CHR. 790.

a Monast. Anglic. to. 1. p. 177.

XI. Mors Hiltrudis virginis, Solæ eremitæ & Andegarii episcopi.

Hoc anno ad superos transiit Andegarius episcopus in Turonica sancti Martini basilica: eodemque fere tempore in cælum migrarunt beata Hiltrudis virgo, & Sola monachus & eremita. Erat Hiltrudis filia Wiberti & Adæ conditorum Lesciensis monasterii in pago Hainoënsi; soror vero Guntradi abbatis, qui sororem in eodem loco velatam, & postea ibidem mortuam v. kalendas Octobris, ibidem quoque sepelivit in oratorio sancti Landberti; ubi & ipse conditus fuit, parentes vero suos ad ingressum monasterii. Locum ab Hungaris, dein a sæcularibus direptum ac pæne vastatum, instaurare cœpit Adelardus, ejusdem loci vir nobilis ac dives, cum uxore sua Ermentrude, novamque ecclesiam Erluinus episcopus Cameracensis sub finem decimi sæculi dedicavit. Cœnobium postmodum insequenti sæculo reparavit Theodericus comes de Avesniis, quod demum Luduvicus Blosius abbas virtutum suarum splendore, regulari disciplina & doctrina, superiori patrum nostrorum sæculo, mire illustravit. Libellum de vita sanctæ Hiltrudis virginis edidit sæculo undecimo anonymus monachus Valciodorensis.

De sancto Sola seu Solo scripsit sæculo nono Ermanricus levita & monachus Elewangensis, ex quo discimus virum sanctum decessisse III. nonas Decembris, humatumque fuisse in cella sua, Solenhus seu Cella-Solæ appellata, quæ sita erat in pago Sualefeldensi, diœcesis Eistetensis. Huic proxima erat villa regia, quæ ab Ludovico rege commissa fuit Gundramno levitæ, Rabani ex fratre nepoti, cui patruus cellam Solæ etiam commendavit, Fuldensi abbatiæ ab origine subjectam, nunc prædam Lutheranorum. Hunc Rabanus abbas ab infantia Fuldæ educari & instituti curaverat, & ad virilem usque ætatem patrum scriptis & institutis informaverat: sed ab ipsius postea disciplina vi quadam ablatum, & *in palatinorum numero*, ut de se [b] ipse narrat, *nuncupatum, a quietissima cœnobii vita, quamvis hactenus non ligatum*, prædictæ villæ rex præfecerat. Erant ergo ejusmodi homines in cœnobiis nostris *non ligati* professione ac votis monasticis, qualis erat iste Gundramnus, qui in epistola [c] ad Ermanricum monachum ait, se, *licet diverso habitu*, uni tamen servire Domino. Quamquam, dum in monasterio versarentur, aut in exterioribus ædibus commanebant; aut, si in interioribus, monastica veste indutos fuisse patet exemplo sancti Liudgeri, Salomonis [d] abbatis sancti Galli, & aliorum.

Gundramnus levita, monachus non ligatus.

b Sec. 3. Bened. part. 2. p. 456.

c Ibid. p. 430.

d Goldast. rer. Alam. p. 37.

Sed his omissis, venio ad Andegarium, qui primo hoc loco commemorandus erat. De eo sic Masciacenses veteres annales apud Labbeum in tomo secundo Bibliothecæ novæ. *Anno septingentesimo nonagesimo Andegarius episcopus monasterii sancti Martini obiit quinto-decimo kalendas Februarii. Fuit autem ex genere Anglorum: sed pater ejus, Betto nomine, negotiator fuit in urbe Massilia. Fuit autem magnæ humilitatis: unde omnibus gratissimus habebatur.* Nec plura de Andegario.

ANN. CHR. 791.

XII. Hitherius abbas S. Martini, auctor monast. Cormaricensis.

Non erat is Turonicæ sancti Martini basilicæ abbas, sed Hitherius seu Itherius Wlfardi successor, idemque Caroli Magni cancellarius, qui anno subsequente Cormaricenum monasterium in honorem sancti Pauli apostoli inchoavit. Hujus rei testes sunt ejusdem Hitherii litteræ, jam semel & iterum editæ, tum apud Johannem Maanum in historia metropolis Turonensis, tum apud Cointium, sed tamen in appendice nostro recusæ. Locus est in pago Turonico ad Angerem * fluvium, maxime amœnus, Cormaricus ab antiquis appellatus: ubi Hitherius *cellam sancti Pauli*, sic ille appellabat, condere instituit. Ad hoc consilium inductum se ait contemplatione humanæ fragilitatis, ac diei ultimæ, ne mole peccatorum prægravatus, sine fructu ullo boni operis in extremo illo examine inveniretur. quapropter *cum consensu fratrum* suorum, ad augendum sancti Martini honorem, decrevisse, ut cellam aliquam in pago Turonico construeret, simulque ecclesiam ad honorem sanctæ Trinitatis cum tribus altaribus: quorum majus esset sancti Pauli, alterum sancti Petri apostolorum, tertium sancti Martini. In cujus basilicæ dedicatione, memorato sancto loco, qui nuncupatur cella sancti-Pauli, *a priscis Cormaricus*, pro sti-

* l'Endre.

AN. CHR. 791.

» pendio fratrum ibidem Deo servientium, & consolatione peregrinorum, se donasse » multas res & possessiones, quas tum a Carolo excellentissimo rege, tum ab aliis » obtinuerat, sitas in pagis Turonico, Cenomannico, Andegavino, Blesensi & Du- » nensi. quæ omnia singillatim enumerat; vultque ut, anniversaria principum apo- » stolorum recurrente sollemnitate, singulis annis festivum convivium pro loci facul- » tate *fratribus sancti Senioris*, hoc est sancti Martini, ministretur. Et quoniam *multa sanctorum cœnobia diversas cellas*, inquit, *sub se habere video constructas; quæso, ne a quibusdam superfluo honore fecisse dicar, præsertim cum magis honore sancti monasterii nostri, quam pro favore humano ædificasse me profiteor.* quæ verba Hitherii pieta- » tem probant. Deinde rogat successuros sibi abbates, ut ejus cellæ augmentum & » incrementum potius procurent, quam ut aliquid de rebus ei collatis subtrahant. Ejus rei litteræ datæ sunt Turonis in monasterio sancti Martini, VII. *idus Februarii, indictione quarta-decima, anno vicesimo-tertio regni domini gloriosissimi regis* Caroli: quibus post Hitherium subscribunt Martiniani monachi, quorum alii se presbyteros, alii diaconos, alii absolute monachos vocant. quod evidenti argumento est, illos nondum in canonicos sæculares permutatos fuisse. Neque id factum tempore Alcuini, qui proxime Hitherio successit, sed Fridugisi; ut inferius videbimus. Hinc etiam exploditur eorum fabula, qui dicunt, Martinianos monachos, ob corruptissimos vitæ mores, nocte quadam divinitus morte percussos fuisse, uno excepto Hitherio, qui communis fratrum excidii expiandi, propriæque vitæ deflendæ studio secesserit in eremum, exstructoque monasterio vocabulum indiderit Cormaricum, ut cordis mærentis pænitudinem testaretur. Nugæ; cum longe ante, vel ipso Hitherio teste, locus *a priscis* Cormaricus dictus fuerit; primariisque ejus monasterii litteris subscripserint tredecim monachi Martiniani, qui non paucis ab eo tempore annis Martinianam basilicam insederunt, antequam in sæculares canonicos demutarentur. Sed de his postea. Nondum penitus absolutum erat Cormaricenum monasterium, cum Hitherius mortuus est, locumque fecit Alcuino, qui monachos ibidem instituit.

XIII. Angilberti secessus Centulam.

Sub hoc tempus Angilbertus, Caroli Magni gener, spretis sæculi pompis, Berta uxore consentiente, secessit in monasterium Centulense: ubi, exacto tirocinio, monachum professus est Symphoriano abbate. De suo ipsius secessu ipse agit in quodam carmine, inter Alcuini[a] poëmata vulgato, in quo sanctum Richarium, primum cellæ abbatem & conditorem, ita compellat.

a *Alcuin. epigr.* 177.

Tu prior in gremium mundi de fluctibus almum
Dante tuum Christo me miseram tuleras.
*Nutrîsti & tenerum * sacro me fonte salutis,*
Os fragile instituens cantibus egregiis.
Te quapropter amo totis, pater optime, votis,
Exoptans ut me tu quoque semper ames.
Perfice quod de me cœpisti mente benigna,
Atque tuum famulum redde tuo domino.

* *Id est tironem.*

Hujus secessus auctores, aut certe adhortatores duos habuit Angilbertus, Alcuinum scilicet atque Adalhardum abbatem Corbeiensem, amicos suos; uti colligimus ex ipsius Alcuini epistola centesima-septima, inscripta Antonio, quod adscititium erat Adalhardi nomen, quem sollicitat Alcuinus, ut Homerum (& id alterum Angilberto agnomen) a theatricis spectaculis dehortaretur. Verba ipsa huc afferre juvat. *Vereor ne Homerus irascatur contra cartam prohibentem spectacula & diabolica figmenta, quæ omnes sanctæ scripturæ prohibent, in tantum ut legerim sanctum dicere Augustinum: Nescit homo qui histriones, & mimos, & saltatores introducit in domum suam, quam magna eos immundorum sequitur turba spirituum. Sed absit ut in domo christiana diabolus habeat potestatem. Olim tibi de his scripsi, optans salutem carissimi filii toto cordis affectu, volens per te fieri, quod per me non posse fieri agnovi. Tuus vero affectus, fili carissime, congaudeat in servitio Dei & in salute fraterna, ut tibi ex profectu aliorum merces adcrescat meritorum.* Sic ambos filios suos vocat Alcuinus, sive prærogativa quadam senectutis, nam utroque ætate provectior erat, sive ratione doctrinæ, quod eos forte in palatio erudiisset. His porro verbis

eximium in utriusque profectum & salutem studium probat, docetque quæ piorum hominum eo tempore mens fuerit de theatricis illis spectaculis, quæ ne quidem in homine curiali ferre aut dissimulare potuerit Alcuinus. ANN. CHR. 791.

XIV. Berta uxor an cum illo secesserit.

An Berta cum marito Centulam se receperit, quemadmodum tradit Anscherus abbas, non facile dixerim. Sane ea est traditio Centulensium nostrorum, saltem a tempore Anscheri, qui libros duos de sancto Angilberto scripsit paullo post initium sæculi duodecimi. Huic suffragatur Johannes de Capella, sæculi quinti-decimi auctor, in chronico Centulensi, sed non Hariulfus utroque superior, qui hac de re silet. Johannes de Capella asserit Angilbertum, ex consensu uxoris suæ & « Caroli-Magni, factum fuisse religiosum in cœnobio Centulensi; & Bertam ejus « uxorem monialem & reclusam in eodem loco. Sane ejusmodi sanctimoniales olim « exstitisse prope hoc monasterium, uti & alibi, constat ex libro primo de miraculis sancti Richarii, ubi agitur de quadam conjugata femina, oculorum orbata lumine, quæ a marito suo obtinuit, ut *in monasterio sancti Richarii apud sanctam Mariam* (hæc una ex tribus ejus loci basilicis erat, nunc parœcialis) *acciperet velum capitis more monialium*; & ut ab ipso deinceps ibidem aleretur. quæ a suis eo adducta, *jam dictum habitum accepit*. Item in libro secundo mentio fit de alia muliere contracta, quæ, recepta meritis sancti Richarii sanitate, *usque hodie*, ait auctor ille sæculi noni, *visitat oratorium frequenter illius, ferens velum capitis instar monialium*. Hujusmodi feminæ aliæ degebant in propriis domibus, aliæ in ædibus monasterio adjunctis, aliæ quandoque etiam in palatiis regum: qualis erat Hundrudis Anglicana matrona, cui Alcuinus epistolam octogesimam-nonam inscribit, *Deo devota feminæ Hundrudæ*, eamque monet, *ut in palatio regis regularis vitæ devotio in ipsius videatur conversatione*. Hinc est quod mirum non sit, si Berta, ut eam vitæ formam Centulæ professa esset, in palatium aliquando redierit: at permirum videri possit, si cum religioso velo sæcularem pompam ac mundum muliebrem retinuerit, qualem certe ei tribuit poëta ille, sive Alcuinus, seu quivis alius, qui Caroli Magni adventum ad Leonem papam describens, de Berta, Rotrudi hoc in itinere adjuncta, ita canit.

Proxima Berta inter, multis sociata puellis,
Voce virile, animo, habitu, vultuque corusco,
Os, mores, oculos, imitantia pectora patris
Fert: caput aurato diademate cingitur almum:
Aurea se niveis commiscent fila capillis.
Lactea quippe ferunt pretiosam colla murinam:
Ornatur vestis variis pretiosa lapillis,
Ordine gemmarum numerosa luce coruscat.
Bractea chrysolitis ornantur tegmina gemmis.

Hæc sane pompa velatæ haud quaquam convenit, qualem tunc Bertam fuisse oporteret, si, Angilberto Centulam secedente, ipsa ibidem velum suscepisset. Angilberti quippe secessus non serius hoc anno contigit: cum adventus ille Caroli in Urbem acciderit sub finem anni octingentesimi. Intererat eidem pompæ Gisala seu Gisla, tertia filia ejusdem Caroli, jam quidem sanctimonialis, sed longe modestiorem habitum præferens, qualem certe regiæ stirpis sanctimonialem in tanta celebritate decebat. sic vero ejus ornatum ac comitatum describit idem poëta.

Gisala post istas sequitur, candore coruscans,
Virgineo comitata choro: micat aurea proles.
Tecta melocineo fulgescit femina amictu:
Mollia purpureis rutilant velamina filis.

Hæc omnia sanctimonialis insignia sunt, virginum comitatus; melocineus amictus, ex albo stamine. nam & nostri olim candidam tunicam gestabant. denique velamen seu velum purpureis filis rutilans. Nulla hic mentio diadematis aurei, lapillorum, gemmarumve, aut bracteorum indumentorum: quibus Berta ornata fuisse dicitur, sane haud congruis velatæ sanctimoniali. Forsan post Caroli patris obitum, cui supervi-

ANN. CHR. 791.

xit, Centulam se receperit : siquidem Caroli filiæ ob sinistram famam e palatio exire compulsæ sunt a Ludovico augusto, qui eas *incessanter*, referente Nithardo Bertæ filio, *ad sua monasteria abire præcepit*. Ut ut est, Bertæ obitus in necrologio Dionysiano & Argentogilensi adscribitur his verbis : *v. idus Martis Berta filia Karoli imperatoris, quæ dedit Superiorem-curtem* *, nempe monasterio sancti Dionysii, cujus rei fit mentio initio libri tertii de miraculis ejusdem beati martyris : qui locus est ad Axonam fluvium in pago Remensi.

* *Conservreux*

XV. Psalmodiense monasterium.

Si genuinum esset diploma, nomine Caroli Magni insignitum pro monasterio Psalmodiensi, ejus instauratio hoc anno, regni Caroli vicesimo-tertio, facta dicenda esset. In hoc enim qualicumque diplomate legitur, Corbilianum abbatem Psalmodiensis monasterii sancti Petri, quod in Septimaniæ pago Narbonensi, prope Aquas-mortuas, in insula Psalmodio tunc situm erat, serenitatem regii culminis adiisse, » eique suggessisse, hoc monasterium violentia Sarracenorum nuper destructum fuisse, » ac translatum in locum, vocabulo Gornelianum ; Carolum vero præcepisse, ut in » priori suo loco monasterium instauraretur ; eidemque Corbiliano educandum com» misisse Theodemirum, qui falso Caroli nepos dicitur ; denique jam dicto Corbiliano » ac monasterio contulisse monasterium de Nosdello, quod Carolus ipse in honorem » sancti Saturnini martyris cum turre, dicta Matafera, (quæ turris etiam nunc visitur » apud Aquas-mortuas) quam idem ipse ad defensionem regionis exstruxerat. Da» tum kalendis Julii, anno vicesimo-tertio regni Caroli. Quæ litteræ etiamsi vitiosissimæ sunt, occasionem tamen nobis præbent agendi de hoc Psalmodiensi monasterio, quod hoc ipso tempore a Sarracenis fuisse destructum probat sincerum diploma Caroli regis, cognomento Simplicis, suo loco referendum. Sane hoc monasterium ante hunc annum jam exstitisse discimus ex charta donationis cujusdam Ilderedi presbyteri, qui res quasdam suas monasterio sancti Petri, *quod est situm in insula Psalmodia*, pro animæ suæ remedio tradit *anno vicesimo regnante domino nostro Carolo rege Francorum & Langobardorum*. at quis primus ejus monasterii auctor, quove tempore illud conditum fuerit, ignoramus. Forte Corbilianus ille primus loci abbas fuerit, cui successerit Theodemirus, multis infra nobis commemorandus ; idemque ex sociis Benedicti abbatis Anianensis, qui tunc temporis illis in partibus florebat. Jam vero quo tempore idem monasterium a Sarracenis eversum fuerit, paullo minus obscurum. nisi si id contigit in illa impressione Sarracenorum, facta in Septimaniam post annos ab hinc duos, quo tempore, Willelmo Caroli duce debellato, Sarraceni magnam toti provinciæ cladem intulerunt. qua clade accepta, Psalmodienses se se recepisse dicuntur in locum, nomine Cornelianum, positum inter opida Lunelli & Portus, sancto Juliano sacrum : ubi hactenus veteris monasterii rudera visuntur. Ceterum monasterium sancti Saturnini de Nosdellis, quod Psalmodiensibus a Carolo concessum dicitur, olim exstabat juxta opidum Armasanicas * in diœcesi Nemausensi, modo solo fere nomine * cognitum, solis relictis maceriis in qualecumque ejus monumentum. Porro turrim illam Mataferam Ludovico regi nono, dum arcem ad Aquas-mortuas exstrueret, cesserunt Psalmodienses, qui ex monachis canonici sæculares facti, ad Aquas-mortuas migrarunt, ac demum novissime ad novam Alesiensem episcopalem ecclesiam translati sunt.

* *Aimarguts.*
* *S. Sernin de Nodels.*

XVI. Angilramnus & Simpertus episcopi mortui ; ac Paulus abbas S. Vincentii.

Ad reliquas res hujus anni quod attinet, obierunt hoc ipso anno Angilramnus episcopus Mettensis, & Simpertus Ratisponensis, dum Carolum regem in expeditione militari, contra Hunnos tum facta, comitarentur. Mortuus est & Paulus abbas sancti Vincentii ad Vulturnum, postquam novem annos & sex fere menses monasterium rexisset. Hunc excepit Josue abbas piissimus, de quo plura inferius ᵃ. Ex his Angilramnus sepultus est in monasterio sancti Naboris, alio nomine Nova-cella, quod monasterium, a Sigibaldo episcopo instaurari cœptum, perfecerat, ac privilegiis proventibusque opportunis instruxerat. Idem ex Caroli regia munificentia sancti Naboris sepulcrum ornare cœperat : at morte præventus opus imperfectum reliquit, testante Alcuino his versibus.

a *Lib.* 28.

Pontificalis apex, pastor, patriarcha & sacerdos,
Angelramnus ovans, fretus pietate magistra,
Martyris egregii Naboris deductus amore,
Cœperat intentus sacrum vestire sepulcrum.

Amplificante pro Karolo per munera rege.
Ne compleret opus, rapuit mors improba patrem.

ANN. CHR. 791.

Ex his versibus confutatur calculus Meurissii, qui Angilramni pontificatum ac vitam prorogat ad annum octingentesimum duodevicesimum, longe post ubitum Alcuini hujus epitaphii auctoris.

Legimus Engilrami pontificis Mettensis litteras ad reprimendam vexationem, quam Wolmerus comes & advocatus ecclesiæ Mettensis in homines cœnobii sancti Naboris exercebat, tam in exactionibus, quam in rapinis, per subadvocatos & ministros suos: ex qua cœnobium illud ad tantam devenerat inopiam atque miseriam, ut vix possent reperiri fratres, qui Deo & sancto Nabori servire vellent. cui vexationi ut in posterum obviaretur, Wasco seu Walo ejus loci abbas, ac fratres, consulente Engilramo, in id convenerunt, ut quasdam villas ex præbenda sua comiti traderent; sicque nullam deinceps a comite, vel a subadvocatis ac ministris ejus molestiam, injuriamve paterentur. Ad hæc in eodem instrumento statuitur, quid comiti, ad justitiam in monasterii homines faciendam, quid abbati competere debeat. Huic subscribunt duo archidiaconi, & duo præpositi ecclesiæ Mettensis, quos inter medius est decanus. *Actum anno* XXIX. *regnante Carolo gloriosissimo rege, sub die* XV. *mensis Junii.* quæ notæ chronicæ, si mendæ expertes essent in exemplari, quo usi sumus, Angilramni obitus post sex annos differendus esset. At præferendi sunt interim annales[a] Canisiani, in quibus *bonæ memoriæ Angilrannus archiepiscopus Mediomatricis ecclesiæ, & Sympertus episcopus* hoc anno decessisse memorantur.

a Chesnii to. 2. p. 37.

Simpertus seu Sindvertus Ratisponæ humatur in sancti Emmerammi basilica, quam ex regia Pippini & Caroli munificentia plurimum amplificaverat. Huic Adalwinum successisse constat ex versibus[b] eo tempore editis, in quibus sextus ordine ejus urbis episcopus recensetur. Is sedem Ratisponensem ab ecclesia sancti Emmerammi extramurana jussu Caroli regis in sancti Petri intramuranam basilicam transtulisse dicitur a recentioribus, quod præsulatu Simperti a Carolo factum fuisse tradit Arnolfus ex-comite monachus, recentioribus longe præferendus auctor, in libro primo[c] de sancto Emmerammo, ubi Carolus sedem Ratisbonensis episcopi, a ducibus prioribus extra urbem translatam, ad basilicam videlicet sancti Emmerammi martyris, beati Petri ecclesiæ, intra urbis muros positæ, sub Simperto episcopo restituisse perhibetur: at locum martyris munificentia regali honestasse, quod etiam libro secundo repetit; & episcopo subjecisse.

b Analect. to. 4. p. 126.

c Canis. to. 2. p. 45. & 80.

ANN. CHR. 791.

XVII. Pippinus Prumiæ tondetur.

IN reditu ex Hunnica expeditione, dum Carolus Ratisponæ moraretur, accepit filium suum Pippinum ex Himiltrude concubina, cognomento Gibbosum, adversus patrem, multis Francis sibi adjunctis, rebellionem moliri. quare in procerum conventum Ratisponæ adductus, cum universis ejusdem criminis consciis, capitis damnatur. Rebellandi causa Pippino tum ex odio novercæ, tum ex eo quod, Carolo juniori Neustria, regno Italiæ Pippino alteri fratri, Ludovico Aquitania concessis, in partitionem honoris ac regni nondum venisset. Et Franci quidem, ejus asseclæ, morte plerique; alii exsilio ac cæcitate multati sunt: at *Pippino filio suo, quia noluit rex ut occideretur,* (sic locus annalium Canisianorum emendandus) *judicaverunt Franci, ut ad servitutem Dei inclinare debuisset*, nempe ad vitam monasticam. quapropter, hunc detonsum in *cœnobio Prumia religiosæ vitæ,* Eginhardi verba sunt, *jamque volentem vacare permisit.* Ibidem permansit Pippinus ad annum octingentesimum undecimum, quo anno illic obiit *Pippinus monachus,* uti appellatur in chronico Heidenheimensi. Hæc conjuratio detecta fuit per Fardulfum Langobardum, quem Ardulfum vocant annales Lanreshamenses, cui ob meritum fidei servatæ Carolus anno sequenti monasterium sancti Dionysii, Magenario abbate mortuo, regendum commisit.

XVIII. Felix episcopus ab Angilberto ductus Romam, errorem abnegat.

Habitus est etiam tunc eadem in urbe Ratispona conventus adversus hæresim Felicis Urgellitani episcopi, qui in eo concilio damnatus, haud scio an sedem apostolicam appellavit. Certe ab Angilberto perductus ad præsentiam Hadriani papæ, errorem suum, facta confessione, ejuravit. Qui eum Romam duxit, nudo nomine Angilbertus appellatur in vetustis annalibus Francorum, præterquam in Fuldensibus, ubi etiam abbas dicitur. Verum nondum abbas erat, cum ea legatione fun-

ANN. CHR. 792.

ctus est, sed tantum monachus Centulensis; quippe qui non ante annum insequentem Symphoriano abbati successit. In alia enim legatione, altero post anno ab eo suscepta, nempe post synodum Francofordiensem, cum Hadrianus papa jam *Engilbertum abbatem & ministrum capellæ* vocat in epistola ad Carolum regem, in qua perhonorifice de eo loquitur. Simul itaque abbas & regius capellanus renuntiatus est, nec propterea presbyter censendus, etiamsi id de archicapellani dignitate interpreteris: cui dignitati administrandæ sufficiebat esse diaconum. Is alio nomine apocrisiarius dicebatur & palatii custos, qui omnem clerum palatii, sub » cura & dispositione sua habebat: quod officium aliquando per episcopos, aliquando » vero per diaconos apostolica sedes exerceri curabat. sic a tempore Pippini regis & Caroli ejus filii, diaconis vel presbyteris magis quam episcopis hoc munus demandatum fuit, uti nos docet Adalhardi fragmentum de ordine palatii apud Hincmarum [a]. Neque vero abbatis etiam regularis officium presbyteri gradum tunc exigebat; cum Radbertum abbatem Corbeiensem, aliosque tantum levitico gradu insignes fuisse nobis compertum sit. Sane in multis ad Angilbertum epistolis Alcuinus nusquam eum presbyterum dicit, qui in aliis ad quos scribit, hunc titulum omittere non solet. Ad hæc Angilbertum Carolus *manualem familiaritatis* mutuæ inter se & Leonem papam vocat: sive quod litteras a Carolo ad pontificem, & vicissim a pontifice ad Carolum deferre soleret: sive quod esset Carolo ab epistolis, quas Romano pontifici, atque adeo aliis principibus viris scribebat. Huc pertinet Alcuini [b] ad Carolum epigramma:

a Hincm. opusc. 14. c. 14. & seqq.

b Alcuin. epigr. 184.

Ad nos quippe tuus famulus veniebat Homerus,
Nuntia læta ferens, David, ab ore tuo.
Hunc iterum puerum vestra pietate remisi,
Serviat ut vobis carmine, corde, manu.

c Id. ep. 83.

Ejusdem Alcuini epistola [c] nomine Caroli eidem porrecta, cum Romam negotiorum causa profecturus esset, *Homero auriculario* inscripta est, quod is esset ab intimis regis consiliis, ut testis est Hadriani papæ ad Carolum epistola jam laudata.

XIX. Alcuinus redit in Franciam.

Si Anglicis scriptoribus, qui ab annis quingentis scripserunt, fidem habemus, Carolus Magnus hoc anno librum synodalem, sibi ex urbe Constantinopoli directum, misit in Britanniam ad Offam regem Merciorum: quo in libro, inter multa rectæ fidei contraria, orientalium episcoporum amplius trecentorum unanimi assertione decretum erat, imagines adorari debere: contra quod dogma scripserit Alcuinus epistolam, divinarum scripturarum auctoritate mirifice roboratam, quam nomine Britanniæ episcoporum ac principum regi Francorum attulerit. Ita Simeon Dunelmensis monachus, ita Rogerius Hovedenus, & Matthæus Westmonasteriensis, ita auctor anonymus de rebus gestis Offæ regis, qui auctor etiam epistolam sub Caroli nomine ad Offam refert, sed ita insulsam, ut vel hoc unum totam hanc narrationem maxime suspectam reddat. Certe nulla reperitur Alcuini epistola contra adorationem imaginum; & Alcuinus ipse in libro primo adversus Elipandum, conquerentem, quod Alcuinus suæ damnationis auctor in concilio Francofordiensi fuisset, testatur, se, jubente Carolo, in Franciam tunc venisse, quæ secunda ejus aut tertia in has partes profectio fuit; nec ex eo tempore, quod quidem sciamus, in Britanniam reversus est. Ipsa ejus verba huc adscribo. *Antequam ego, eodem sapientissimo rege Carolo jubente, venissem in Franciam, hæc eadem erroris vestri secta, eodem glorioso principe præsidente, præsente Felice, quem multum laudare soles, vestræ partis tunc temporis defensore, ventilata est in celeberrimo loco, qui dicitur Raginisburg*, id est Ratispona, quo de conventu mox egimus. Non ergo post hunc conventum nomine ac mandato Britanniæ episcoporum principumve, sed *jubente rege Carolo*, denuo venit in Franciam: quippe qui jussu ejusdem regis in Britanniam redierat, ut Offam regem Carolo reconciliaret. Porro Alcuini reditus in Franciam contigit sub finem hujus anni, aut insequentis initium; isque post biennium concilio Francofordiensi interfuit. Ab eo tempore, immo jam a primo suo ad Carolum accessu, præfectus est scholæ palatinæ, in qua regios, ac procerum liberos, etiam regem ipsum, auditores habuit, dum tandem abbatiæ Martinianæ, ubi & scholam instituit, præpositus est. Paullo post quam in Franciam reversus erat, dedit illi Carolus

rolus duo monasteria, Bethlehem scilicet in agro Wastinensi provinciæ Senonensis, quod alio nomine Ferrarias appellamus; & sancti Lupi apud Trecas, præter cellam maritimam sancti Judoci apud Morinos. Ferrarias porro Alcuinus ante mortem discipulo suo Sigulfo resignavit, qui Constantio successerat, si vulgatis indicibus tuta fides.

ANN. CHR. 791.

XX. Utto auctor Metamensis monasterii.

Interim, dum Carolus Ratisponæ moraretur, moratus est autem per totum fere hunc annum, forte inter venandum incurrit in vastum nemus, non longe a Metama, Danubio proximum, ubi Utto seu Utho eremita in humilem casam se se abdiderat. Erat is discipulus Gamelberti, piissimi viri ex Bajoaria, qui, cum munia curionis aliquamdiu recte obiisset, Romam voti causa profectus fuerat, & in reditu in confinio Italiæ puerum baptizaverat, quem Uthonem nuncupavit. Reversus in patriam, actuosæ vitæ solitariam prætulit, eumque morti proximum Utho jam adolescens convenisse dicitur, ut morientis spiritum ac pietatem hauriret. Hic magistri exemplo, cum animarum curæ aliquamdiu vacasset, tantas curas ac sollicitudines pertæsus, in solitudinem migravit illam, in quam Carolus feras sectando incidit. Rex ejus opinione ac sanctitate permotus, potestatem fecit petendi, quidquid illi ad vitæ subsidium usui fore videretur. Ille humi fusus petiit a rege, sibi ut religiosorum virorum domicilium cum basilica sancti Michaelis exstruere liceret, atque a pio monarcha non fundum modo, sed etiam ædificii sumtus impetrasse fertur. Hæc Metamensis, vulgo Metensis * origo monasterii, qualis ex ejusmodi narratiunculis colligi potuit. Certe Ludovicus Germaniæ rex diplomate suo confirmat privilegium avi sui Caroli, qui prædictum monasterium cum abbate & monachis ibidem Deo famulantibus sub sua tuitione susceperat. Hoc Ludovici diploma refertur apud Hundium [a], ubi Uttoni abbati primo subjiciuntur Opportunus, Wolframus, Emicho & Nithardus, cui Ludovicianum diploma concessum est. Ex hoc porro diplomate patebit tempus regiminis Nithardi, atque adeo Uttonis, ac subsequentium abbatum, non bene assignari apud Hundium. Is est *Utto abbas ex monasterio Metama*, qui in vetustissimo Augiensi necrologio [b] laudatur.

* Meten.

a Metrop. Salisb. to. 2. p. 301.

b Analect. to. 4.

ANN. CHR. 792.

XXI. Magenario abbati Dionysiano succedit Fardulfus.

Detecta conjuratione in se facta, Carolus anno proximo, dum adhuc Ratisponæ versaretur, episcopos, abbates, & comites, aliosque, quotquot ipsi fideles fuerant, donis multiplicibus honoravit. In his vero Fardulfo Langobardo, qui eam conjurationem regi prodiderat, sancti Dionysii Parisiacensis abbatia commissa fuit, post mortem scilicet Magenarii abbatis, quæ hoc anno videtur accidisse. Ejus epitaphium [c] scripsit Alcuinus, ex quo discimus, Magenarium seu Maginarium sepultum fuisse in basilica Dionysiana ad pedes Fulradi, magistri quondam & antecessoris sui, uti priores ejus epitaphii versus nos docent, ex quibus brevem Magenarii præfecturam, præmaturam mortem, & probos mores fuisse discimus.

c Alcuin. epigr. 114.

Hic sit sub pedibus tibi, Maginart, magistri
Jam sacra mundanis temporibus requies.
Te pius ille pater teneris nutrivit ab annis:
Tu quoque successor ejus honoris eras.
Hoc heu perparvum rexisti tempus ovile,
Floribus in mediis mors mala te tulerat.
Sed quem Christus amat, illi mors nulla nocebit.
Post mortem melius vivit in arce poli.

Reliquos versus quatuor prætereo, quibus fratres ad ejus mores imitandos, & ad preces Christo pro eo fundendas poëta hortatur. Erat Fardulfus ejus successor, ut jam diximus, genere Langobardus, qui, capta Papia, a Carolo in Franciam abductus fuerat cum Desiderio rege Langobardorum, cui usque ad mortem ejus, quæ ante Pippini conjurationem contigisse videtur, addictissimus fuit. Accepto Dionysiani monasterii regimine, ut se gratum benefactori suo Carolo exhiberet, ipsi ædem monasterio adhærentem, instar veterum regni palatiorum, ædificari curavit, in qua princeps, dum eo veniret, cum suis hospitaretur. Hæc omnia idem Fardulfus testatur suis versibus, qui hoc loco ex Chesnio [d] referendi videntur.

d Chesn. to. 2. p. 645.

ANN. CHR. 793.

Culmina cernenti lectori littera prome:
Fardulfus Carolo condidit ista suo.
Qui quondam propria fuerat dum sceptra secutus
Gentis, in adversas fata tulere vias.
Attamen hic fidei dominis servavit honorem,
His regni quamvis ultima meta foret.
Tandem victoris Caroli felicibus armis
Cessit, & in melius sors sibi cessit iter.
Huic quoque dum fidei servaret munera regi,
Rex sibi precelsus plurima dona dedit.
Inter quæ sancti Dionysi rector ut aulæ
Fieret, indulsit pacificus Carolus.
Hanc benefactori construxit providus ædem,
In qua cum famulis gaudeat ipse suis.
Ipse suis servis, fidei quos vincula nectunt,
Lætitiam princeps præbeat armipotens.
More tamen veterum consurgere jussit avorum
Culmina, quæ fulgent regis amore, domus:
Ut quoties rector præclara palatia lustret,
Fardulfi famuli sit memor ille sui.

Ad hæc beato Johanni-Baptistæ præcursori Domini oratorium exstruxit, solvendi voti causa, quod initio exsilii sui se vovisse idem Fardulfus ait in versibus sequentibus apud Chesnium. Eumdem laudat Alcuinus [a] ob *ciborium* ab eo factum in æde Dionysiana.

[a] *Alcuin. carm. 117.*

XXII. Morbacense monasterium Gerhoho datum.

Eamdem forte ob causam, qua Fardulfo, Gerhoho episcopo *Muarbach* monasterium datum [b] legitur, nempe post Amichonem, cujus mentio superius facta est. Is videtur esse Gerhohus episcopus Eistetensis, qui loco sanctimonialium in monasterio Heidenheimensi canonicos posuisse dicitur apud Gretserum. unde conjicere licet, eum Morbacensibus non admodum favorabilem exstitisse. Sane nulla ejus apud eos, saltem in vulgatis libris, memoria, in quibus post Amichonem proxime subjicitur Guntramus abbas, & post Guntramum Sigismundus, forte Sigimarius, qui in veteri necrologio Angiensi notatur.

[b] *Chesn. to. 3. p. 467.*

XXIII. Benedictus Anianensis fame laborantibus succurrit.

Interim gravi fame in Italia & Gallia, maxime in Provincia & Septimania laboratum, ita ut multi præ fame interirent. quo tempore Benedicti abbatis Anianensis mira in egenos caritas & sollicitudo exstitit. nam cum monasterii sui januam utriusque sexus pauperum multitudine quotidie stipatam cerneret, ita ut sibi tuguria illic constuxerint usque ad novas fruges; sepositis iis quæ ad usum fratrum necessaria videbantur, reliqua per dispositos fratres in egentes distribui curavit, non modo panes, sed etiam carnes armentorum & ovium, immo & lac vervecum, quæ in monasterio alebantur. Jam vero, cum nec sic ad novas fruges perventum esset, ex commeatu fratrum usque tertium detrahi jussit, ne fame periclitantibus deesset. Tanta vero fratrum erat cum patris pietate convenientia, ut libenter universa, si fas fuisset, in usus pauperum profudissent; certatimque sibi quisque, quod eis clanculum daret, subtraheret. Jam superius [c] tam eximiæ caritatis mentio facta: sed non semel prædicari debet, quod non semel factum, nec semel posteris nostris inculcandum.

[c] *Lib. 25. n. 30.*

XXIV. Lumberiensis monasterii origo.

Tunc temporis Raymundus Rafinel, dux Aquitanorum, Cesarionensi sancti Tiberii monasterio, cui Atilio seu Atila supra laudatus præerat, fecit donationem loci *Lumbez*, quæ condendo monasterio Lumberiensi occasionem dedit. Is quippe, » extremi examinis ac peccatorum suorum intuitu, prædicto cœnobio donat locum, » qui appellatur *Lumbez*, in territorio Tolosano super rivulum Savæ, cum ecclesia » sanctæ Dei genitricis Mariæ, & oratorio non longe posito, in quo requiescit » Christi confessor sanctus Majanus. Ad hæc eidem confert fiscum, Postcarias dictum, in comitatu vel episcopio Nemausensi, pariter cum ecclesia beatæ Mariæ. » Hæc autem omnia tradit Deo & genitrici Dei Mariæ, necnon sancto Tiberio & » Atilioni abbati, sanctoque conventui fratrum in monasterio, quod Cesarion dicitur,

situm in territorio Biterrensi, suburbio Agathensi, ubi sacrata erat ecclesia in honorem protomartyris Stephani, in qua supra dicti martyris Tiberii corpus requiescebat; & Atilion ibidem pater monachorum secundum regulam sancti Benedicti præerat. Actum apud Biterrensem civitatem mense Martio, XII. kalendas Aprilis, sub feria quinta, regnante domino nostro Ludovico, & anno vicesimo-primo imperii serenissimi imperatoris Caroli, id est regni Caroli in Italia: qui characteres huic anno conveniunt. Ex hac donatione Tiberienses nostri occasionem haud dubie sumserunt construendi monasterii Lumberiensis, quod a Benedictinis possessum fuit ad sæculum usque duodecimum, quo regularibus canonicis ordinis sancti Augustini cessit; demumque ineunte sæculo quarto-decimo conversum in ecclesiam cathedralem per Johannem vigesimum-secundum. Porro non longe ab hac urbe in monte proximo hactenus visitur oratorium sancti Majani, cujus reliquiæ sæculo nono in Cognense monasterium translatæ sunt, Villæ-magnæ postea nomine insignitum. Est & aliud nobile opidum in Septimania, Lumberium vocabulo, in finibus diœcesum Castrensis & Albiensis, in quo synodus sæculo duodecimo habita fuit contra Albigenses. AN. CHR. 793.

Non ultra hunc annum differri posse instaurationem Nobiliacensis apud Pictones monasterii, probat diploma Ludovici Aquitaniæ regis, quod Ato abbas basilicæ sancti Hilarii obtinuit. Erat is *Aperi successor honoris*, testante Alcuino, qui utrumque non semel versibus suis celebravit. De Atone quippe interpretor epigramma hujus auctoris centesimum quinquagesimum, quod epitaphium est Johannis Pictavensis episcopi & Apri abbatis, quorum sepulcra, ne a pertranseuntibus conculcarentur, muro cinxit, apposita cruce simul cum altari, in quo victima sacra Deo pro eis immolaretur. Epitaphium hoc, quod in editis mendosum est, sic restituimus in gratiam Apri & Atonis abbatum, qui optime de ordine nostro meruerunt. XXV. Nobiliacensis monasterii instaurator Ato abbas.

Hujus hic pausat præclarus episcopus urbis,
Nomine Johannes, vir pius atque bonus.
Hic requiescit Aper hujus venerabilis abbas
Ecclesiæ, pastor promptus in omne bonum.
Sed pedibus populi fuerant calcata sepulcra,
Nec paries cinxit, ut decuit patribus.
Hoc Ato non suffert, Aperi successor honoris,
Corpora calcari sacra patrum pedibus:
Sed monumenta brevi placuit cone ingere muro,
Pervia ne populi busta forent pedibus.
Addidit & nostræ statim pia signa salutis,
In quo Salvator victor ab hoste redit;
Insuper altare statuit venerabile Christo,
In quo pro patribus hostia sacra foret:
Ut Deus omnipotens requiem concederet illis,
Cum sanctis pariter semper in arce poli.

Eodem spectat epigramma centesimum quinquagesimum-secundum. Idem Ato in epigrammate centesimo-tricesimo-tertio laudatur ob conditam ædem in honorem sancti Lamberti episcopi & martyris, ac sanctæ Cæciliæ virginis. & in epigrammate centesimo quadragesimo-quinto, ob reparatam ecclesiam in honorem beatæ Mariæ, quod de basilica Nobiliacensi explicari potest, beatissimæ virgini Deiparæ titulo quondam insignita, ut patet ex variis chartis, in quibus *monasterium sanctæ Mariæ & sancti Juniani* appellatur, tametsi modo unum sancti Juniani nomen passim retinet. Jam sæculo septimo exstabat istud monasterium quinto milliari ab Augustorito Pictonum, subjectumque erat basilicæ sancti Hilarii apud Pictavos sitæ: at processu temporis redactum in exiguam cellam, cui unicus fere sacerdos abbatis seu rectoris titulo præerat. Ejus loci abbas post medium sæculum septimum fuisse videtur Chrocelmus, a nobis * suo loco laudatus; & post annos fere centum Abbomierus, a quo Gentianus quidam prædium Jaciacum per commutationem comparatum fuisse contendebat, ut patet ex placito Abbonis comitis & Jepronis abbatis, relato in appendice nostra. * Supra lib. 15. n. 36.

ANN. CHR. 793.

Abbomieri successor ibidem dicitur Hermenbertus: cujus tempore Ato abbas hanc cellam in pristinum statum restituere aggressus est. Id factum instinctu & mandato Caroli Magni, uti legimus in diplomate Ludovici Aquitaniæ regis, in fine » hujusce tomi cum aliis exhibendo: ubi Ato diaconus atque abbas, quem rex *parentem*, id est consanguineum aut potius affinem, vocat, ostendisse dicitur *statutum* » gloriosissimi regis Caroli, jubentis, ut in cellula, cujus vocabulum est Novaliacus, » *de ratione* seu jure sancti Hilarii, sita in loco quieto & valde congruo ad habita- » tionem servorum Dei & pauperum, monachos, qui secundum regulam sancti Be- » nedicti ibidem degerent, institueret: ideoque supplicasse, ut ipsam cellulam ejusque » possessiones, quas vel Ato ipse, vel Hermenbertus sacerdos ac rector ejusdem cel- » lulæ eidem contulit; & quidquid superiores Pictavenses antistites Ansaldus seu An- » soaldus, Ebarcius, & Gaozbertus, ceterique fideles tradiderant, vel in posterum »ædituri essent, confirmare dignaretur. quod rex libenter fecit. Actum Jogun- » diaco palatio III. nonas Augustas, anno vicesimo-quinto regnante Carolo glorio- » sissimo rege, & Ludovici regis quarto-decimo. Hæc ex authentico diplomate, cui multi optimates subscribunt, in his primus Regimpertus vocatus episcopus, *cappalanus HLodowici regis Æquitaniorum*. Ultimus Hildegarius ad vicem Deodati subscripsit. Forte Ato propinquus erat Hildegardis reginæ, Ludovici genitricis; ob idque *parens*, seu affinis ejus, non semel in his litteris dicitur. Idem, postea creatus episcopus Santonensis, post annos sex res quasdam subtractas restituit eidem monasterio. quorum in benefactorum memoriam Hermenbertus sacerdos & monachus, idemque rector ejus loci, una cum suis fratribus libentissime promittit Atoni pastori suo piissimo, se qualibet die propriam missam pro eo celebraturos, & ad omnes cursus seu horas divini officii psalmum unum cum oratione decantaturos. Huic instrumento, dato anno tricesimo-primo Caroli regis, mense Martio, subscribunt Bodosindus presbyter & custos sepulcri sancti Hilarii, aliique presbyteri & clerici: quorum nullus se monachum dicit. Jam quippe eo tempore, languente disciplina, sensim deflexum erat ad laxiores canonicorum mores, uti fieri cœperat apud sanctum Martinum. unde quadam divinæ providentiæ dispensatione factum est, ut, sicut Hitherius sancti Martini abbas Cormaricensem cellam; sic Ato abbas sancti Hilarii Nobiliacensem, ut quamdam veluti arcam submergendæ funesto illo diluvio religioni uterque ad servandas reliquias pararet. Constantinus Nobiliaci præpositus erat sub Hermenberto abbate, de cujus successoribus nihil comperimus ante Godolenum abbatem, sub quo Mariacense monasterium Nobiliacensi unitum est.

XXVI. Lindisfarnense monasterium direptum.

Hoc eodem anno Dani pagani, e Germaniæ aquilonari plaga effusi in Britanniam, hac illacque discurrentes, cuncta vastant, rapiunt aut incendunt, atque loca sacra violantes, sacerdotes & clericos, chorosque monachorum ac sanctimonialium immani feritate conficiunt. tum in Lindisfarnensem insulam invecti, ecclesiam invadunt, sacra omnia pollutis calcant vestigiis, altaria suffodiunt, pretiosa quæque rapiunt & auferunt. Quin etiam e fratribus alii interfecti, alii in altum demersi, quidam captivi abducti, aut nudi projecti. Verum id eis non cessit impune. nam anno insequente, dum Gyrvum, qui portus Egfridi regis erat, vastarent, ac monasterium ad Dori amnis ostium positum deprædarentur; dux eorum ibidem condigna nece interiit; nec multo post naves eorum vi tempestatis collisæ contritæque perierunt. Sic ecclesia Lindisfarnensis suis spoliata ornamentis, sedem nihilo minus episcopalem retinuit, & qui barbarorum manus effugere potuerant monachi, postliminio eodem ad sancti Cuthberti corpus se receperunt, ibidemque multo post tempore permanserunt, nimirum ad annum octingentesimum sexagesimumseptimum, quo nova eidem loco clades a Danis inflicta est. Hæc fere ex Turgoto in libro secundo de historia Dunelmensi.

Præerat eo tempore Lindisfarnensi ecclesiæ Higbaldus antistes, ad quem Alcuinus tum consolatoriam scripsit epistolam, cujus fragmenta refert Willelmus Malmesburiensis, ubi de episcopis Lindisfarnensibus agit, in hunc modum. *Beatissimi patris Cuthberti episcopi in Christo filiis, Hingbaldo episcopo, & omni congregationi Lindisfarnensis ecclesiæ, Alchwinus diaconus salutem. Vestra caritatis familiaritas me multum lætificare solebat: sed versa vice, vestra tribulationis calamitas, licet absentem, me multum contristavit, quod pagani contaminaverunt sanctuaria Dei, & fu-*

derunt sanguinem sanctorum in circuitu altaris; calcaverunt corpora sanctorum in templo, quasi sterquilinium in platea. Quæ est fiducia ecclesiis Britanniæ, si sanctus Cuthbertus cum tanto sanctorum numero suam non defendit ecclesiam? Dein Lindisfarnenses hortabatur Alcuinus, teste Willelmo, ne a moribus antecessorum degeneres, vestium luxu & gulæ intemperie professionis suæ reverentiam decolorarent, quippe ob transgressionem divinæ legis accidisse talia, accessuraque deteriora, si in his vitiis perseverarent. Addit insuper, se apud regem Carolum effecturum, ut vel de pueris, qui in captivitatem abducti erant, redimendis, vel de aliis rebus necessariis aliquid statueret. Ejusdem argumenti alia est ejusdem auctoris epistola ad Ethelredum regem Merciorum, cujus hoc item fragmentum refert Willelmus. *Ecce ecclesia sancti Cuthberti sacerdotis Dei sanguine adspersa, omnibus spoliata ornamentis; locus cunctis in Britannia venerabilior, paganis gentibus datur ad debellandum: & ubi primum post discessum sancti Paulini ab Eboraco christiana religio in Northanhumbrorum gente sumsit exordium, ibi miseriæ & calamitatis cœpit initium.* Eamdem cladem plangit idem Alcuinus in poëmate centesimo septuagesimo-octavo, in quo Higbaldum his versibus affatur, quos hinc inde carptim e pluribus selegimus. ANN. CHR. 793.

At tu sanctorum, præsul, successor avorum,
Qui pascis populum, qui loca sancta tenes:
Et magno, ut video, curarum pondere pressus,
Quod tam dira fuit tempore plaga tuo.
Tecum plango tuos casus, carissime frater,
Ora fluunt lacrymis, pectora mæsta dolent.
Sæpius ingeminans tanto sub murmure mecum,
Omnibus heu quam sit illa dolenda dies:
Qua pagana manus veniens a finibus orbis,
Navigio subito litora nostra petit:
Exspoliansque patrum veneranda sepulcra duorum,
Necnon fœdavit templa dicata Dei.
Victima facta fuit Domino, quæ ferre solebat
Munera, credo pium munus & ipse fuit.
Felix ipsa dies illis, si tristia nobis
Pectora fecisset! sic petiere polum.
Et sanctis socii facti sic sanguine sacro,
Qui se sub Christo subjiciunt gladiis.
Hos puto quapropter nobis non esse gemendos,
Quos melior cælo vita sibi rapuit.
Desine quapropter lacrymis hos plangere, præsul,
Quos sibi perpetuos Christus habet socios:
Teque magis facias tota virtute paratum,
Ut quo pervenias, tristia nulla fiant.
Si quid displicuit Christo jam cuncta videnti
Moribus in vestris, corrigite hoc citius.
Non est quippe Deus pœnis culpandus in istis,
Sed nostra in melius vita ferenda cito:
Et pia flectenda est precibus clementia nostris,
Quatinus a nobis transferat ipse plagas.

Hæc opportune monebat pius ille vates, quæ forte fusius a nobis relata, sed quod hactenus delituerint ut in obscuro loco, & fere peregrino.

Hoc Danorum turbine correptus videtur sanctus Blaitmacus abbas Hiiensis, quatenus ex poëmate Walafridi Strabonis intelligere possumus, quod ille rogatu Felicis venerandi patris sæculo insequente composuit. Blaitmacus, quo vocabulo Pulcher-natus significatur, genere Hibernus, regali stirpe satus dicitur. Huic adolescenti forduere terrena, dum sola cælestia mente agitaret. Hinc furtim monasterium adit: sed tantus princeps haud facile latere potuit. Studiose quæsitus a parentibus, qui subtractum heredem impatienter ferebant, tandem invenitur. Mox missi turmatim a patre proceres, episcopus, abbates, propinqui, si qualibet arte juvenem a XXVII. S. Blaitmaci abbatis martyrium.

ANN. CHR. 793.

proposito revocarent. Tantæ procellæ expositus tironis animus, hand dubie succubuisset, ni Omnipotentis dextera eum ab imminenti periculo liberasset. Sic victor aliorum uti & sui, talis demum evasit, ut, qui omnium se ministrum exhibuerat, omnibus præficeretur. Gliscente in dies in ejus animo caritatis flamma, martyrii desiderio flagrare cœpit. Quærenda proinde alio nccasio, quæ in patria deerat, ubi honor ei delatus martyrii vice esse poterat. Sæpe a suis retractus e fuga, tandem clam evasit in Pictorum insulam, Jonam nomine, ubi qnondam sanctus Columba Hiiense monasterium condiderat: ratus brevi adfore occasionem, quam cupiebat, ob frequentes in illas partes Danorum paganorum incursus. Brevi accidit quod optabat, idque prophetico spiritu præcognovit. Mox ille Hiienses admonet futuræ cladis. probarent singuli animos suasque vires. qui eas martyrio proximo pares sentirent, secum manerent: at quibus deficeret animus, fuga quam primum salutem quærerent. Nec mora fugêre, qui de sua constantia diffidebant: ceteri cum patre se in certam mortem alacres dedêre. Non multo post eo advolat turba furens, & sociis trucidatis, Blaitmacum, postquam seipsum cum suis una cum victima sancta in sacrificium obtulerat, stipant impii prædones, ut ab eo reconditos thesauros extunderent. Tum negantem se quid ejusmodi habere; nec, si haberet, extorquentibus daturum, statim crudeliter obtruncant. Ita rem gestam narrat Walafridus, postulante Felice, quem venerandum patrem & carissimum Felicem vocat. Antiquior erat Felix ille monachus, qui vitam sancti Guthlaci primus in litteras retulit.

XXVIII. Alcuini epistola ad Wirenses.

Suspicabar Girwenses monachos eadem procella implicatos fuisse, cum legerem apud Turgotum, immanes illos piratas Gyrvum, Egfridi regis portum, vastasse, & monasterium ad ostium Dori fluminis deprædatos fuisse. Verum tam Girwenses, quam Wirenses ex illa clade salvos & incolumes tunc emersisse docet Alcuini epistola qnadragesima-nona ad eos scripta, quibus ob oculos ponit stragem Lindisfarnensem, monetque caveant, ne similem cladem vitiis suis in se accersant. *Quis non timeat*, inqnit, *terrorem, qui accidit in ecclesia sancti Gudberti? Corrigite quapropter mores vestros, ne propter peccata scelleratorum pereant & justi.* Huc varia
» eis monita inculcat, nempe ut regularis vitæ observationem, quam eis statuerant
» sanctissimi patres, Benedictus & Ceolfridns, diligentissime custodiant. ideoque *re-
gula sancti Benedicti in conventu fratrum propria exponatur lingua, ut intelligi possit
» ab omnibus:* ad cnjus institutionem unusquisque suam corrigat vitam; ut, quod vo-
» verant ad altare, inviolabiliter ab eis custodiatur. Recogitent nobilissimum sui tem-
» poris magistrum, Bedam presbyterum, quale habuerit in juventute discendi stu-
» dium; qualem nunc inter homines laudem habeat; multo majorem apud Deum re-
» munerationis gloriam. Illius exemplo dormientes excitent animos. Magistris proin-
» de assideant, aperiant libros, litteras discutiant: ut & seipsos pascere, & alios eru-
» dire valeant. Denique discant pueri scripturas sacras, ut, ætate perfecta veniente,
» alios docere possint. Hæc Alcuinus occasione illius funestissimæ cladis Lindisfarnensibus illatæ, quam itidem Æthilredo regi & populo Northanimbrorum repræsentat his verbis. *Timete flagellum, quod venit super ecclesiam sancti Gudberti, locum scilicet sanctissimum, & multorum sanctorum suffragiis ditissimum, nunc vero miserabiliter a paganis devastatum. Qui hoc non timet, & seipsum non corrigit, & pro sua patriæ prosperitate non plangit ad Deum; carneum non habet cor, sed lapideum.* Sic vir pius his cladibus utebatur ad corrigendos mores aliorum.

XXIX. Ethelberti regis cædes.

Haud dissimili mortis genere, tametsi alia manu, eodem tempore occubuit [a] Ethelbertus rex orientalium Anglorum, Ethelredi filius ac successor. Hic, cum esset non minus pius quam eruditus, raro exemplo illibatos Christo amores consecrare animo statuerat: sed tandem procerum precibus ac flagitationibus fatigatus, ne ipso decedente res publica periclitaretur, de nuptiis contrahendis cogitare cœpit. Erat Offæ Merciorum regi unica filia, quam a patre sibi conjugem dari poposcit. Id sibi gratum fore Offa testatus, liberum ad se accessum Ethelberto dedit. Ille nihil doli suspicatus, ad palatium Offæ accedit. quem e superiori cubiculo Alfrida, id nomen virgini, conspicata, juvenis principis formam apud matrem extollit. Illa conceptum animo virus dissimulans, Ethelberti petitionem in pejorem partem detorquet, eumque Offæ suspectum reddit, quasi sub conjugii specie Merciorum regnum invadere moliretur. Tantum in Offæ animo prævaluit nequissima suggestio, ut in-

[a] *Bromton col. 750. & seqq.*

terimendi Ethelberti mandatum uni e suis familiaribus imposuerit. Nec mora pio principi, cum absque comitatu, uti condictum erat, ad palatium accederet, impius minister caput crudeliter amputavit. Hoc nuntio consternata regia virgo, diræ matri cædis præcipuæ auctori, fratrique interitum minatur; ac tanti facinoris atrocitatem exsecrata, in Crulandense monasterium se reclusit. Piissimi principis necem, quæ hoc anno accidisse dicitur apud Florentium Wigorniensem, morte reginæ atque unici filii brevi ultus est Deus innocentium vindex, variisque miraculis cæsi sanctitatem declaravit. quibus compertis, rex Milestidus Liburiæ super ejus tumulum cathedralem ecclesiam erexit. In ejus criminis piaculum Offa sancti Albani monasterium exstruxisse dicitur, quod paullo ante constructum fuisse existimo. at Crulandensi monasterio, supplicante Patricio abbate, Kenulfi primi abbatis successore, regias litteras hoc anno concessit, ab Ingulfo relatas, quibus post episcopos Benna abbas Medehamstædensis, & Ceolburga abbatissa de Berdea subscripserunt. ANN. CHR. 793.

Proximo post anno e vivis sublatus est Offa XV. kalendas Augusti; in cujus locum suffectus filius ejus Egbertus post dies non amplius centum quadraginta-unum, & ipse morbo correptus, morte sua vaticinium sororis complevit, successorem sortitus Kenulfum, cujus longe diuturnior ac feliciot principatus fuit. Alfrida vero, aliis Ælthrida, quam Ingulfus Etheldritam vocat, in australi parte ecclesiæ Crulandensis contra majus altare cella reclusa vixit. in qua Witlafius rex Merciorum, Egberti occidentalium Saxonum regis furorem metuens, quatuor mensium spatio delituit. Haud scio an hæc eadem fuerit Ædilthyda, ex-regina monacha, (nam & reginæ olim dicebantur regiæ virgines) cui Alcuinus epistolam tricesimam inscribit *dilectissimæ in Christo sorori* Ædilthydæ matri, id est abbatissæ, cui principio gratias agit ob caritatem muneribus testatam, quam nec terrarum longinquitas interrumpere, nec maris æstus procellosis undis obruere potuerat. Dein hanc monet, ut omni instantia sibi subjectos instruat, verbis admoneat, erudiat exemplis; publice peccantes palam castiget, ut ceteri timorem habeant. Vigiliæ & orationes sint illi frequentes. Sanctorum festivitates cum laude divina & pauperum eleemosynis frequentet. Non cogitet de sepulcro ornando: cum Christus sepultus sit in spelunca, non in templo. quod ideo dicit, quoniam *aliqui viventes suam solent fabricare sepulturam. Tantum ut anima requiem habeat studendum est, ut illa vivat feliciter, quæ mori non potest.* Hæc si de Alfrida seu, ut apud Ingulfum, Etheldrita interpreteris, hanc postea abbatissam fuisse dicendum est. Quamquam forte veri similius videbitur alia esse, cum Alfrida, vivente Alcuino, junior fuerit, quam ut de ornando sepulcro jam cogitaret; & reclusa ad mortem fuisse dicatur, non abbatissa.

Alfrida Crulandæ reclusa, an alia ab Ædilthyda abbatissa.

POstero anno Carolus pascha Francofurti celebravit, ac frequens eo concilium episcoporum e Francia, Germania, atque etiam e Britannia convocavit: cui Theophylactus & Stephanus episcopi, missi ab Hadriano pontifice, præsederunt. Ex eorum auctoritate Feliciana hæresis, quæ Christum Dominum, qua homo est, adoptivum Dei filium asserebat, tertium damnata cum suo auctore Felice, qui post confessionem Romæ factam, faciente Elipando Toletano pseudepiscopo, denuo in errorem prolapsus fuerat. In hanc synodum a Carolo advocatos fuisse *e Britanniæ partibus* episcopos testis est Carolus ipse in epistola sua, quæ canonibus Francofordiensibus tertia præfixa est. quod de transmarina Britannia interpretor. atque adeo parum veri simile est, quod ex Spelmanno superius retulimus, Alcuinum a Britannicis episcopis missum, ut ex eorum sententia synodo a Carolo convocandæ interesset. Conditi sunt in ea synodo canones sex & quinquaginta, quorum secundus est contra novam synodum Græcorum Constantinopoli habitam, id est contra secundam Nicænam, ut patet ex libris Carolinis, quam Galli tunc pro universali haberi non ferebant, ut pote ab orientalibus tantum habitam, necdum ab occidentalibus omnibus receptam: in qua *imaginibus sanctorum ita, ut deificæ Trinitati, servitium aut adorationem* impendi oportere sub anathemate sancitum fuisse Francofordienses patres existimabant, quod tamen Nicæni tantum de honorario & relato ad prototypon cultu intellexerant. Tunc editi sunt hanc in rem libri Carolini, missique ad Hadrianum papam ad errorem hunc, uti putabant, confutandum. quos

ANN. CHR. 794. XXX. Francofordiense concilium.

ANN. CHR. 794.

libros Johannes Tilius sub personato Eliæ Tyliæ nomine in publicum vulgavit, ab hæreticis, si Cointio credere licet, corruptos. Decimo canone in ordinem redactus est Gerbodus, qui se episcopum esse dicebat, nec suæ ordinationis testes habebat, quod de Gervoldo abbate Fontanellensi, qui Ebroïcensem episcopatum habuisse dicitur, Sirmundus non sine fundamento intelligendum putat, tametsi Gerbodum a Gervoldo Cointius distinguendum mavult. Ab hoc canone decem sequentes de mo-
» nachis conditi sunt, quibus sancitum est, ut ne monachi ad sæcularia negotia, ne-
» que ad placita exercenda, nisi ex regulæ præscripto, exeant. ut ne reclusi nisi ex
» episcopi & abbatis approbatione fiant. ut abbas cum suis dormiat monachis secun-
» dum regulam sancti Benedicti. Ex quo intelligitur, jam tum abbates nonnullos cel-
» las & ædes privatas habere cœpisse. Ad hæc ut cellerarii avari non eligantur, sed
» tales, quales regula sancti Benedicti docet eligendos. ut in monasteriis, ubi corpo-
» ra sanctorum sunt, habeatur oratorium intra claustrum, (quod jam antea statutum
» fuerat) ubi peculiare officium, id est peculiares orationes, interdiu fiant. Nempe quia in illis monasteriis magnus erat fidelium concursus, consulto patribus visum est, ut peculiaria oratoria intra claustrum haberentur, ubi per diem peculiares a monachis precationes fieri possent, absque strepitu ac tumultu sæcularium. qualia oratoria in multis ordinis nostri monasteriis hactenus supersunt. Deinde statutum legi-
» tur canone sexto-decimo, ut pro suscipiendis in sancto ordine fratribus nequaquam
» pecunia requiratur, sed secundum regulam sancti Benedicti suscipiantur. quod huc usque in congregatione nostra religiose observanim, pervelim in posterum etiam ac-
» curate observari. Sequentibus, ut abbas in congregatione non eligatur, ubi jussio
» regis fuerit, nisi ex consensu episcopi loci illius. ut abbates monachis in quamlibet
» culpam lapsis membrorum mutilationem aut cæcitatem non infligant, quod in sæ-
» cularibus judiciis fiebat, sed tantum regularem pœnam ac disciplinam. ut monachi,
» uti nec ceteri clerici, tabernas ad bibendum non ingrediantur. Hæc a canone un-
» decimo ad decimum-nonum. Ad hæc vicesimus-quintus præcipit, ut monachi in
» suo proposito permaneant; & tricesimus-secundus, ut monasteria secundum cano-
» nicam institutionem sint custodita, id est ut nec in manus sæcularium tradantur, neu semel consecrata, quod canones vetant, in alios usus convertantur. Postremus est
» de Alcuino, quem rex toti synodo commendavit, ut in patrum consortio & oratio-
» nibus, eo quod esset vir in ecclesiasticis doctrinis eruditus, reciperetur. quod omnes facile annuerunt.

Hujus synodi acta missa sunt a Carolo rege ad Hispanicas ecclesias cum ipsius epistola, qua eas ad rejiciendum Felicis & Elipandi errorem hortatur, pollicitus auxilium ad debellandos Sarracenos; submittitque symbolum seu fidei suæ confessionem, tanto principe dignam, in qua Spiritum sanctum *a Patre Filioque procedentem* confitetur. quod observare convenit ob controversiam postea sub eodem principe ortam de additamento *Filioque* in symbolo Constantinopolitano. quæ controversia non rem ipsam, quam Franci omnes, & Carolus ipse admittebat, sed factum attinebat, quod symbolo concilii generalis, absque synodali auctoritate, quidquam addi nefas putaretur.

XXXI. Alcuinus concilio cur adeo commendatus.

Cur Alcuinum concilii patribus tantopere commendaverit Carolus, ut eum orationum omnium participem fieri curaret, ea fuisse videtur causa, quod plurimum contulerit ad condenda concilii acta, & quod fortasse eo usi sint episcopi ad componendos libros Carolinos; denique ad damnandam hæresim Felicianam, quam libris editis acriter insectatus est. unde ipsi improperatum ab Elipando, quasi Caroli regis animum corrupisset. Ad quod convicium respondet Alcuinus in libro primo
» adversus Elipandum, se eo animo venisse in Franciam, non ut Carolum corrum-
» peret, sed ut eum adjuvaret in fide catholica, in qua ille ab ineunte ætate nutri-
» tus fuerat, & optime a christianis parentibus & magistris catholicis edoctus. *Impossibile est enim*, inquit, *ut corrumpatur a quoquam, quia catholicus est in fide, rex in potestate, pontifex in prædicatione, judex in æquitate, philosophus in liberalibus studiis, inclytus in moribus, & omni honestate præcipuus.* quo elogio nihil fere illustrius ad Carolum commendandum. Ceterum idem Alcuinus in epistola eisdem libris præfixa
» ait, se divina, uti credebat, dispensatione ad gloriosum regem Carolum vocatum
» venisse, sicut sibi quidam sanctissimus vir, prophetiæ spiritu præditus, id divinæ
» voluntatis esse prædixerat; additque venerabilem magistrum suum, Ælbertum scilicet

licet episcopum Eboracensem sibi mandatum dedisse, ut, sicubi novas oriri sectas audiret apostolicis doctrinis contrarias, mox defendendæ catholicæ ecclesiæ se totum daret. « AN. CHR. 794. « «

Quis concilii acta in Hispaniam detulerit, incertum. Romam vero missus est Angilbertus abbas Centulensis, qui cum actis concilii ad pontificem deferret libros Carolinos. Hunc Alcuinus Hadriano papæ commendavit scripta epistola sexagesima-tertia, quæ hoc anno scripta videtur, non anno nonagesimo-secundo, quo tempore Alcuinus ex Britannia in Franciam nondum reversus erat. In hac vero epistola Angilbertum filium suum carissimum vocat, eique fidem a pontifice haberi cupit *regiæ voluntatis secretario*, expositurо suæ postulationis necessitates, quas eidem viva voce commiserat. Ex quo infert Carolus Cointius, Angilbertum necdum tunc abbatem fuisse, quandoquidem eum tantum regiæ voluntatis secretarium Alcuinus vocat. Atqui tamen *Engilbertum abbatem & ministrum capellæ* dixit Hadrianus ipse in responsione ad Carolum in hæc verba. *Præter ea directum a vestra clementissima præcelsa regali clementia suscepimus fidelem familiarem vestrum, videlicet Engilbertum abbatem & ministrum capellæ, qui pæne ab ipsis infantiæ rudimentis in palatio vestro enutritus est, & in omnibus consiliis vestris receptus: ut ideo, sicut a vobis in omni familiaritate recipitur, ita a nobis reciperetur, & condecenter honoraretur.* Et re quidem vera ita ab se honoratum subdit pontifex, & in suam familiaritatem acceptum, a quo ait se accepisse *capitulare adversus synodum, quæ pro sacrarum imaginum erectione in Nicæa acta est.* Ex quibus manifestum est, jam tum abbatem fuisse Angilbertum, tametsi eum tantum regiæ voluntatis secretarium Alcuinus vocat. De tertia ejusdem Romam legatione post biennium acturi sumus.

XXXII. Concilii acta Romam missa per Angilbertum.

Pæne exciderat canon tertius synodi Francofordiensis, in quo agitur de Tassilone, qui dudum Bajoariæ dux fuerat, sobrinus domni Caroli regis, ex matre scilicet Chiltrude, sorore Pippini regis. Is, monastico ut erat indutus habitu, stitit se in medio concilii, veniam rogans pro culpis, tam in Pippinum quondam regem, quam in Carolum commissis, enixe petens, ut sibi denuo indulgeretur, ipse remittens aliis, si quid in se non recte perpetratum fuisset. Tum quidquid olim sibi, liberisve suis in ducatu Bajoariæ competere poterat, ultro abdicavit, tantum ut Carolus liberorum suorum misereretur. Ad hæc rex commiseratione motus, commissa facinora ei benigne condonavit, ac de misericordia Dei & sua indulgentia securum esse jussit. qua de re *tres breves uno tenore conscriptos* fieri præcepit: unum in palatio retinendum; alterum prædicto Tassiloni tradendum, *ut secum haberet in monasterio*; tertium vero in sacri palatii capella recondendum. Nulla deinceps mentio de Tassilone: quem in monasterio Gemeticensi cum Theodone filio decessisse veri simillimum est, ambosque ibidem sepultos in basilica sancti Petri, ubi regiorum principum hactenus tumuli visuntur, locum dedisse fabulæ, quæ de filiis Chlodovei secundi ob crimen læsæ majestatis enervatis, eoque retrusis circumfertur. Ita quod semel falso creditum est, veri vicem obtinuit. Ceterum Tassilonem pia morte decessisse non dubitamus; sanctum dicere, etsi hoc titulo donatur in recentioribus quibusdam fastis, nobis religio est.

XXXIII. Tassiloni iterum indulgentia data. « « « « « « « «

Fabula de enervatis Gemeticensibus.

Dum Francofurti synodus celebraretur, Fastradam reginam ibidem mori contigit: cujus corpus Moguntiæ in basilica sancti Albani martyris sepultum est. Tunc Moguntinæ ecclesiæ præerat Ricolfus seu Riculfus antistes, Damœta non semel appellatus ab Alcuino, qui eum filium suum, id est discipulum, vocat. Hic distinguendus videtur a Flavio Damœta, quem virum clarissimum dicit idem Alcuinus in inscriptione epistolæ sexagesimæ-octavæ, in qua ei gratias agit de munere sibi ab eo misso, nempe de quodam animali, quod dentes sexaginta habebat. Huc spectat epigramma ejusdem ducentesimum decimum-nonum. Riculfus vero, cum sancti Albani martyris, qui ex Africa tempore Hunerici Wandalorum regis Moguntiam appulsus, martyrium ibidem passus fuerat, tumulum neglectum videret; locum elegantis fabricæ basilica exornavit, ac beato martyri mausoleum erexit, auro & argento, gemmisque decoratum. Insuper in cultum sanctuarii & in ministerium altaris vasa aurea & argentea, sacras quoque vestes pretiosissimas contulit. Atque ut congruus sacro loco divini officii cultus haberetur, continens eidem basilicæ monasterium adjunxit in gratiam monachorum, ad quorum usus multa prædia cum villis ac decimis contulisse memoratur. Non tamen ante annum octingentesimum-

XXXIV. Fastrada ad S. Albanum sepulta.

Riculfus episcopus monasterii auctor.

ANN. CHR. 794. quintum hujus basilicæ dedicatio facta est. Deinde tanta huic loco accessit celebritas, ut Moguntinæ ecclesiæ præsules, immo & proceres plerique ibidem sepeliri voluerint. Plura de hoc monasterio habet Sigehardus monachus ejus loci in libro de vita sancti Albani, ex quo discimus, Fastradam in aquilonari ejus ecclesiæ vestibulo sepultam fuisse. Multa ibidem concilia habita; indeque colonia monachorum primum deducta Spanhemium, teste Trithemio: qui & ait, cœnobium sancti Albani monachorum fuisse usque ad annum millesimum quadringentesimum decimum-nonum, quo Martini papæ concessu in collegium canonicorum demigravit. De Probo ejus loci monacho illustri agemus sæculo sequenti.

XXXV. Anianо abbati privilegium à Carolo concessum. * al. Olitorio.

XXXV. Tempore synodi prædictæ e Septimania Francofurtum accessit Anianus abbas, superius laudatus, cum monachis suis; rogavitque Carolum regem, ut monasteria » sancti Johannis in loco Extorio, & sancti Laurentii in Olibegio * posita, in suam tu» telam susciperet cum omnibus rebus & hominibus eorumdem. Roganti non modo » annuit religiosus princeps, sed etiam concessit villam Caunas, sicuti Milo eidem » monasterio suis litteris jam legaverat. Deinde addit, ut, si quæ controversiæ ad» versus monachos hominesve eorum locorum ortæ fuerint, quæ in illa provincia » non facile definiri possent, ad suam præsentiam reserventur, secundum legis ordi» nem coràm ipso finitivam accepturæ sententiam. qualia nostri temporis privilegia sunt regiorum monasteriorum, quæ causas suas majori senatui regio reservatas ha» bent. Data tertio-decimo kalendas Augustas, anno vicesimo-sexto & vicesimo re» gni ejus, in Franconefurd palatio. Nunc monasterium sancti Laurentii ab auctore suo sancti-Aniani * nomine insignitum est, situm in pago Biterrensi. Monasterium vero sancti Johannis modo Caunense dicitur ab ea villa, quam Milo eidem Aniano ad condendum monasterium donaverat. Carolinum diploma exstat in libro sexto de re diplomatica, quod Widolaïcus ad vicem Radonis recognovit. Alius ergo erat Widolaïcus iste à cognomine abbate Fontanellensi, quem ante annos septem mortuum diximus.

* S. Chignan.

Item sancto Emmerammo.

Paullo ante datum Aniano diploma Carolus insignem fecit donationem Ratisponensi sancti Emmerammi monasterio seu ejus ecclesiæ, *quæ est constructa in honore Domini nostri Jesu-Christi, & sancti Emmerammi pontificis & martyris juxta muros civitatis Reganesburgensium, quo pretiosum ejus requiescit corpus, ubi est congregatio sancta monachorum*, id est terræ cultæ & incultæ jugera ducenta-sexaginta. *Data* VIII. *kalendas Martias annos* XXVI. *&* (XX.) *regni nostri. Actum super fluvium Moin, in loco nuncupante Franconofurt.* Ita legimus in codice traditionum ejus loci, quem codicem Anamotus, haud dubie monachus, ex variis schedis donationum & commutationum contexuit, atque *excellentissimo Domino A.* id est Ambriconi, *episcopo* nuncupavit *Anamotus humillimus famulus.* Ratisponæ præfuit Ambrico medio sæculo nono.

XXXVI. Magulfo abbati Floriacensi succedit Fulradus, tum Theodulfus.

XXXVI. Ad hunc annum videtur pervenisse Magulfus seu Magnulfus abbas Floriacensis, cui suffectus in sesquiannum Fulradus; & post eum Theodulfus in titulum abbatis successit, eodem fere tempore creatus episcopus Aurelianensis. Magulfus obiit XV. kalendas Februarii, ex necrologio Floriacensi. Erat Theodulfus natione Italus, qui propter scientiæ prærogativam, qua pollebat, a Carolo rege ab Italia in Franciam adductus * traditur. Favet ejus epitaphium, in quo *Speria* seu Hesperia genitus dicitur. Gotthum genere, non Langobardum fuisse discimus ex ipsomet Theodulfo, qui in parænesi ad judices, consanguineos suos vocat Hesperiæ populos in Gothia seu Septimania degentes, qui eo ex Hispania confluxerant. sic enim hos versus interpretor.

* Chesn. t. 4. pag. 16.

Mox sedes, Narbona, tuas, urbemque decoram
Tangimus, occurrit quo mihi læta cohors;
Relliquiæ Getici populi, simul Hespera turba
Me consanguineo fit duce læta sibi.

XXXVII. Neustadiensis monasterii origo.

XXXVII. In hac parænesi agit de missione sua per varias regni provincias, quas cum Leidrado episcopo Lugdunensi jussu Caroli post tres annos perlustravit. Floriacensem abbatiam tenuit annos ferme viginti.

Neustadiense Franciæ orientalis monasterium, si qua vulgatis tabulis fides, hoc

anno exordium habuit. Positum est haud procul a Carloburgo ad Mœnum, quinto fere milliari ab urbe Wirziburgo, olim *Rorbach*, sive Rorenfacha & Borlecha nuncupatum, cui Mengaudium abbatem primo loco præfectum tradunt. Proferunt Caroli Magni litteras ejus rei testes, at non omnino sinceras, in quibus ecclesia Neustadiensis ab ipso constructa dicitur, dotataque à Gertrude virgine, quæ falso Caroli soror appellatur. Ejus pallium hactenus ostentant Neustadienses nostri. Nec sane ierim infitias, Gertrudem virginem sanctam locum illum frequentasse ac dotasse; idque intelligere licet ex Rudolfo monacho in libello de vita Rabani: ubi auctor ille agens de sanctorum Januarii & Magni reliquiis à Rabano translatis in monasterium Holtzkiricham, Carloburgo vicinum, refert, puellam quamdam arrepticiam e multis sanctam Gerdrudam appellasse, eam haud dubie quæ Carloburgi colitur. In libro secundo traditionum Fuldensium invenitur Gertrud quædam, cujus donatio Fuldensi monasterio tempore Eiglis abbatis facta est anno sexto Ludovici gloriosissimi imperatoris, quæ an illa sit Gertrudis Carloburgensis, ne conjectura quidem assequi possumus. ANN. CHR. 794.

XXXVIII. Holtzkiricha monasterium. Ad Holtzkiricham quod attinet, quod Monasterium sancto Xysto sacrum erat, situm inter Mœnum & Tuberam in Francia orientali, auctorem agnoscit Troandum quemdam illius regionis principem. Testes hujus rei Caroli Magni litteræ, Browero [a] visæ ac probatæ, in quibus legitur Troandum principem a fundamento " ex rebus proprietatis suæ in honorem beatæ & gloriosæ virginis Mariæ, & beati " martyris Bunifacii monasterium Holtzkiricham in pago Waltzase super fluvium " Ablstade exstruxisse, & Carolo regi cum omni proventu obtulisse: quod Carolus " his litteris sancto Bonifacio tradit. Idem Browerus varios Rabani versus refert, qui olim in illo monasterio inscripti erant. Periit hoc monasterium, uti & aliud proximum virginum, vocatum Zellinga, a Rudolfo itidem memoratum, qui Holtzkiricham in Alamannia situm dicit, quæ proinde olim non modo Sueviam, sed etiam Franciam orientalem complectebatur.

[a] Fuldens. antiq. p. 141.

XXXIX. Rabani primordia. Jam quando hic sumus, agendum est nobis de primordiis Rabani, quem hoc anno, novem annorum puerum in Fuldensi monasterio Deo oblatum fuisse Cointius opinatur, triennio prævertens Trithemium, qui non solum annum, sed & diem notat duodecimum ante kalendas Aprilis, quo puer annorum circiter novem a parentibus Fuldæ traditus sit. Ast tam incertus dies, quam annus, quem certe nec Trithemius, nec Cointius attigerunt. Argumentum in promtu est. Rabanus fit diaconus anno Caroli Magni tricesimo quarto, id est Christi octingentesimo-primo, ut constat ex veterrimis ejus temporis annalibus apud Lambecium [b], qui in anno secundo Ludovici augusti desinunt. Si ecclesiæ veteres leges ac regulas, ut credere par est, hac in re servavit, tunc natus erat annos viginti quinque. Hanc enim ætatem exigunt prisci canones, nisi dispensatio accessisset. Ergo in lucem editus fuisset anno septingentesimo septuagesimo-sexto. Certe libros de laudibus sanctæ crucis scribere aggressus est ante annum octingentesimum decimum, cum *sex lustra*, id est triginta annos, impleverat. Hæc minutiora, sed ferenda ubi de magnis viris agitur. Ipse Francus genere, non Fuldæ, sed Moguntiæ ortus est, ex Magnentiana, si Trithemio credimus, familia. unde forte Maurus Magnetius ab Ademaro Ecolismensi monacho, & a Sigeberto Gemblacensi appellatur. Apud antiquos nulla ejus parentum mentio. Primus, ni fallor, Trithemius Ruthardum ejus patrem, virum divitem ac potentem, qui multo tempore sub Francorum principibus strenue militaverat; & Aldegundem genitricem vocat. Certe Rabanum illustri genere progenitum fuisse constat: ut qui fratrem habuit Tutinum, virum cum primis nobilem; & ex fratre nepotem Gundramnum levitam, cellæ sancti Solæ præpositum & capellanum Ludovici Germaniæ regis, adeoque in palatinorum numero, ut ipse de se ait, nuncupatum. De claro Tutini genere dubitare non sinit ejus epitaphium Rabano ipso auctore, a quo *insignis vir*, & *alta clarorum parentum stirpe natus* prædicatur, idemque *inter regales viros* cum magno honore vixisse, & in mediis armis gratia domini sui viriliter cecidisse dicitur. Patrio " nomine nuncupatus est Rabanus, sive, ut ipse scribere amat, HRabanus, cui " postea Mauri cognomen accessit, quod magister ejus beatæ memoriæ Albinus eidem indiderat, testante Rabano ipso in præfatione commentariis ad libros regum præfixa. Idem in præfatione super Matthæum agnomen suum dicit HRabanus, alter-

[b] Cæsar. biblioth. t. 2.

ANN. CHR. 794.

utrum solitus usurpare, nunc Rabanus, nunc Maurus. Utrumque tamen simul jungit epistola Humberti episcopi Wirziburgensis ad Rabanum, commentariis in Judicum & Ruth libros præmissa cum hac inscriptione: *Illustrissimo viro, meritoque insigni ac præstantissimo patri HRabano Mauro.* rectius Walafridus Strabo in carmine *ad Maurum-HRabanum abbatem Fuldensem*, quod proprium nomen posteriori loco tunc esset. Fuldæ oblatus a puero Rabanus, christianæ ac monasticæ vitæ prima elementa hausit sub Baugulfo abbate. Jam monachus seniorum jussa sequi studuit in primis, eidemque norma vitæ sancta regula fuit; nulla mansio cellâ gratior. Hæc paucis docent primi ejus epitaphii versus, suo loco referendi.

ANN. CHR. 795. XL.

Fardulfus abbas Carolum in Saxonia comitatur.

a Supra l. 21. n. 88.

S. Dionysii miracula.

ANno proximo Carolus, cum Pascha Aquisgrani celebrasset, adversus Saxones denuo processit, conventu habito in villa Copsistanio, vulgo tunc *Cuffenstein* seu *Cuffistein*, quæ supra Mœnum contra Moguntiacam urbem sita erat. Procedentem comitabatur Fardulfus abbas Dionysianus, qui prout in Germanica synodo a & in Liptinensi statutum fuerat, pignora beatorum martyrum secum deferri curabat, *& custodes clericos* e monachis, qui secum proficiscebantur, instituerat, ut ab eis vicissim sibi succedentibus debita sacris pignoribus exhiberetur religio. Hæc ex auctore anonymo illius temporis in libro primo de miraculis sancti Dionysii: qui horum pignorum nomine sacras beati Dionysii, ejusque sociorum relliquias intelligit. Nondum invectum erat vexillum illud, posteris tantopere sub auriflammæ nomine celebratum, quod ante Ludovicum sextum in usu non fuisse doctissimus Cangius existimat. In illa ergo expeditione Saxonica vel in sequente, dum unus ex illis excubitoribus, Rothardus nomine, candelam ardentem, *obserato domunculæ ostio*, reliquisset; id contigit miraculi, quod prædictus anonymus refert de linteo a flamma candelæ intacto sacrarum reliquiarum obtentu, quæ in ara hoc linteo adoperta forte asservabantur. Anonymi verba huc proferre visum est. *Sollemnis ara tum lignea tabula erat, quæ linteo adoperta, modum altaris effecerat. In eam itaque candelam decidens tota conflagravit; sed ne linteum quidem, quo tabula celabatur, adustum. Cerneres reliquiarum obtentu linteum naturam mutasse, & alimentum focu amicum merito martyrum repente duratum.* Tale ergo erat illud portatile oratorium domunculæ instar, in quo ara ex lignea tabula compacta habebatur, linteo adoperta, accensis circa eam luminibus ob honorem sacrarum reliquiarum. Dein ibidem agitur de Bosulfo, ipsius abbatis clerico, qui reliquias beati martyris secum in Italiam detulit, exstructaque ecclesia, & ex propriis ditata, eas ibidem reposuit. Ex capite sequenti manifestum est, quam sollemnis tunc fuerit dies beatorum martyrum, ad quem devote celebrandum frequens populus in suburbanam basilicam eorum tumulo illustrem confluebat; morisque fuisse traditur, ut, sacra missarum celebratione peracta, clericorum cœtus, qui undique conveniebant, ab abbate, uti corpora cibo reficerent, invitarentur. Parva sunt hæc, sed tamen haud omittenda.

Majoris est momenti quod sequitur, ad cognoscendam formam illius temporis judiciorum; proindeque referendum totidem verbis auctoris illius anonymi, sane nec
» imperiti, nec impoliti. Ejusdem abbatis Fardulfi tempore homo quidam, vocabulo
» Wanilo, in servitium beati Dionysii quærebatur. Re ad Lantbertum comitem de-
» lata, juramento secundum legem libertatem se posse tueri Wanilo respondit. Sta-
» tuta ergo die adfuere comes & monasterii præpositus, nomine Agleboldus, ha-
» bens secum partem digiti sancti Dionysii, auro instar manus affabre composito
» inclusam. Proferuntur comitis reliquiæ, super quas homo juramentum persolve-
» ret: contra Agleboldus præpositus rogat supra manum, quam attulerat, juret.
» Consentiente comite atque judicibus, in clypeo cum aliis reliquiarum patrociniis
» indicatrix veritatis manus componitur. ad quam dum applicare manum juraturus
» Wanilo vellet, sacrilegum tactum evitans, mirum dictu! aurea manus longe resili-
» vit: ut vero ille manum amovit, divina virtute reliquias continens aurea manus ad
» priorem locum reversa est. Cumque adhuc homo, in proposito perseverans, manum
» rursus applicuisset sicut prius, cessit iterum aurea manus. Sic illo tum & judicum,
» tum etiam sua sententia convicto, virtutem sancti Dionysii in commune omnes,
» qui aderant, summis laudibus extulere, per quem Dominus tam celebre miracu-
» lum ostendisset. Manus prædicta inter alia præcipua ornamenta ad memoriam seu

AN. CHR. 795.

tumulum martyris appensa, hodieque a pejerandi ausu quosque deterret. Hactenus anonymus, qui de ecclesia beati Dionysii, quæ de Strata dicitur, in capite proximo agit, ac presbyterum loci Martinianum vocat, qui assumtis basilicæ clavibus, quæ illorum temporum religio erat, matronam quamdam adiit pro quadam ejus ancilla intercessurus, quæ ad illam ecclesiam culpæ deprecandæ causa confugerat. Superest etiam nunc hæc basilica in ipso sancti Dionysii opido, in via publica seu strata, quæ fert ad vallem Montis-Maurentiaci & Pontisaram.

XLI. Aquisgrani basilica exstructa.

Reversus e Saxonica expeditione Carolus, de condenda basilica *in genitali suo solo*, quod Aquas-grani veteres passim, alii Aquisgranum vocant, cogitare cœpit, idque brevi regia magnificentia perfecit, & in honorem beatissimæ Dei genitricis Mariæ dedicari curavit. Eximiæ structuræ erat hæc basilica, quam rex auro & argento, atque cancellis & januis ex ære solido fabrefactis adornavit: ad cujus structuram cum columnas & marmora aliunde habere non posset, ex urbe Roma & Ravenna devehi curavit. Ibidem etiam insigne palatium, loci amœnitate captus, cum thermis exstruxit. Illic mansiones [a] omnium cujuscumque dignitatis hominum erant, ita circa palatium dispositæ, ut rex per cancellos solarii seu superioris cubiculi sui cuncta quæ fierent videre posset: tametsi hæc principum habitacula porticibus instructa erant, ut pertranseuntes ab injuriis imbrium ac nivium essent immunes. Theodulfus episcopus Aurelianensis in villa suæ parochiæ Germiniaco basilicam instar ejus, quæ Aquis exstructa erat, ædificavit, apposito disticho, quod Letaldus monachus refert.

a *Monach. S. Galli. l. 1. c. 32.*

XLII. Caroli epistola ad Offam regem de quadragesimali abstinentia.

Sub idem tempus Carolus epistolam scripsit ad Offam regem Merciorum de quodam presbytero Scotto, qui a quibusdam insimulabatur, quod carnes diebus quadragesimalibus in parochia Hildeboldi episcopi Coloniensis cumedisset. Cum vero ejus facti aperta non essent testimonia, Gallicani sacerdotes eum damnare noluerunt: sed tamen in consueto habitationis suæ loco diutius morari non permiserunt, *ne sacerdotalis honor apud vulgus imperitum vilesceret, vel rumigerula loquela aliqui* [b] *hortarentur sanctum jejunium violare.* Visum proinde sacerdotibus illum ad sui episcopi, *ubi Deo votum fecerat*, remittere judicium. qua de re ad Offam regem scribere non est gravatus Carolus, cui quadragesimæ observantia adeo cordi erat, ut Saxonibus nuper conversis esum carnium sub pœna mortis interdixerit. Hujus loci occasione memoriæ succurrit aliud factum cujusdam Franciæ [c] episcopi, qui, cum esset miræ sanctitatis & abstinentiæ, tanto nihilo minus edendarum in quadragesima carnium desiderio tentatus fuit, infirmulus quippe erat, ut, nisi incunctanter ex eis ederet, protinus se crederet moriturum. Consultis sacerdotibus, ei permissum est, ut carnes recuperandæ valetudinis gratia ederet, sed eo pacto, ut postea per totum annum more solito abstineret. At vix carnes ori apposuerat, cum eum invasit tantum fastidium non solum carnium, sed & ceterorum eduliorum, immo ipsius lucis ac vitæ, ut ultra nec edere vellet, nec bibere. Cum autem hæc prima hebdomada quadragesimæ gererentur, prædicti patres ei auctores fuere, ut hanc diabolicam illusionem acrioribus jejuniis, contritione cordis, & eleemosynis diluere conaretur. quod strenue executus est, biduanis triduanisve jejuniis se affligens, somni fugiens, pauperibus & peregrinis per se ipse ministrans. Non tanti modo constat totius quadragesimæ violatio.

b *Alcuin. ep. 85.*

c *Monach. S. Galli de Carolo, lib. 1. c. 23.*

XLIII. Concilium Forojuliense.

Interim Paulinus patriarcha Foro-julii synodum congregavit, in qua canones quatuordecim conditi sunt. Septimo sancitum, ne presbyter, diaconus, aut archimandrita de suo gradu dejiciatur, inconsulto patriarcha Foro-juliensi. Duodecimo, « ut monasteria puellarum, quæ sub disciplina regulæ degunt, obstructius munitis « claustris, nulli virorum aditui pateant, nisi urgente necessitate. Neque id permis- « sum presbyteris aut diaconis ceterisque clericis, immo nec archimandritis, sub spe- « cie visitationis vel prædicationis, absque permissu episcopi civitatis. Quin etiam « nec episcopus ipse absque sacerdotibus vel clericis suis illuc adire licentius possit. « Denique quivis eo sic accesserit, exhortationis vel ædificationis obtentu, ab omni « illicita suspicione alienus sit, nec aliter quam cum idoneis testibus illuc adeat: *ne* « *propter incautam præsumtionem sanctæ ecclesiæ infametur angelicus ordo.* Ad hæc, ut « nullo umquam tempore cuilibet abbatissæ vel monachæ, quasi orationis gratia, « Romam adire, vel quælibet alia loca venerabilia circumire liceat. Tantum ibi de « rebus monasticis.

ANN. CHR. 796. XLIV.

Hadriano papæ Leo suffectus.

a Willelm. Malmesb. lib. 1. de regib. Angl. c. 4.

PRincipio statim anni insequentis triste nuntium ad Carolum perlatum est de morte Hadriani papæ, quæ sub finem anni præcedentis, nempe VII. kalendas Januarii, acciderat. Hoc nuntio ita perculsus est optimus princeps, ut mortuum luxerit, tamquam fratrem aut carissimum filium amisisset. Fletui religiosa adjecit officia, nempe suffragia cum eleemosynis, non tantum per suas ditiones, sed etiam per extera regna, quorum reges scriptis epistolis [a] ad idem pietatis officium hortatus est. Denique patri bene merenti epitaphio parentavit, quod alii retulerunt. Eodem die, quo Hadrianus decesserat, electus est unanimi omnium consensu Leo, ejus nominis tertius, de cujus electione Carolus tantum fere lætitiæ, quantum mæroris ex obitu Hadriani præ se tulerat. Leo statim a sua electione Carolo, ut eum sibi devinciret, per suos legatos claves confessionis sancti Petri, ac vexillum Romanæ urbis cum aliis muneribus misit; rogavitque, ut aliquem ex suis optimatibus Romam mitteret, qui populi Romani nova fidei ac subjectionis sacramenta exciperet. Missus eo Angilbertus, recens indidem reversus, per quem rex partem thesaurorum, quos ex Hunnis ab Henrico duce Foro-Juliensi acceperat, ad apostolorum limina submisit: reliquam partem optimatibus, clericis, laicisve fidelibus distribuit.

Angilbertus Romam missus.

b Alcuin. epist. 83.

Quid Angilberto in Urbem profecturo in mandatis dederit Carolus, explicat commonitoria ejus [b] epistola, *Homero auriculario* inscripta, quo in titulo se tantum gratia Dei regem & defensorem sanctæ ecclesiæ dicit. In hac itaque epistola jubet admoneri novum pontificem de totius vitæ ratione ab eo recte instituenda, & præcipue de sanctorum observatione canonum; de pia sanctæ ecclesiæ gubernatione; tum de brevitate ejus, quem paucorum annorum habebat, honoris; atque de subvertenda simoniaca hæresi, quæ sanctum ecclesiæ corpus multis in locis maculabat; denique de construendo novo monasterio ad sanctum Paulum: qua de re jam cum beato Hadriano papa egerat. Ejusdem argumenti alia est ipsius Caroli epistola [c] ad Leonem papam. Discedenti etiam *dulcissimo filio fluctivago*, sic Angilbertum vocat, Alcuinus litteras [d] porrexit, in quibus pari se instabilitatis sorte agitari ait, neque sibi licere ad portum quietis ac stabilitatis venire, unanimem rogans amicum & custodem animi, ut consilium de salute suæ utriusque animæ cum suffragiis sanctorum apostolorum a Deo impetrare curet. *Nam nos ambos*, inquit, *ut recognosco, quædam necessitatis catena constringit, & libero cursu voluntatis castra intrare non permittit; nec est qui compedes rumpere valeat, nisi qui inferni ferrea claustra contrivit.* quibus verbis suum amborum e curia secessum optare se testatum facit, quod ambo paullo post obtinuerunt, Alcuino ad sanctum Martinum, Angilberto ad sanctum Richarium secedere permissis. In fine flagitat, ut patrocinia sanctorum seu reliquias ad se deferri curet: quippe se de talibus avarum esse, Angilbertum largum de omnibus. Easdem postea preces aliis litteris iteravit Alcuinus, tum *ad Angilbertum* [e] *primicerium palatii Pippini regis* Italiæ, tum ad Aginum [f] episcopum, scilicet Bergomensem, a quo petit promissas sibi reliquias mitti per filium suum Angilbertum, gerulum harum litterarum. Eumdem Angilbertum commendat Petro archiepiscopo [g] trans-alpino, haud dubie Mediolanensi. Quod primicerius palatii Pippini regis dicitur Angilbertus, id argumento est, eum in Italia moratum fuisse, absente scilicet Pippino, qui post Hunnicam hujus anni expeditionem ad Carolum patrem Aquisgranum accessit. Huc mihi referendi videntur versus ipsius Angilberti absentis [h], ex quibus hos carptim selegimus.

c Id. Ep. 72.

d Id. ep. 92.

e Id. ep 42.

f Id. epist. 65.

g Id. epist. 59.

h Chesn. to. 2. p. 646.

Jamque ades Hesperiis Pippinus rector ab oris,
Ut cumules Caroli gaudia magna patris.
Expectate diu, saltem nunc adfore gaudent
Alpibus e gelidis te pater atque genus.
Principe cum tanto plebs, clerus, ara, sacerdos,
Adventus vestri gaudia magna metunt.
Jam donante Deo non somnia cernimus ultro,
Somni sed fructus Angilibertus ago.
Nam te Lingonicis complector victor in arvis,
Vix passus verbis miscere verba piis.
O cur non merui regis tunc cernere vultus,
Cum te complectens oscula pura daret.

Ex quibus veri simile fit, Angilbertum, dum Romam adiret, Pippino ad patrem accedenti apud Lingonas occurrisse. Sed tandem post tertiam hanc legationem Angilbertus deinceps quietius vixit in suo Centulensi monasterio, quod novo opere instaurare mox aggressus est, atque eximiis decorare institutis, præsertim laudis perpetuæ, quam ibidem instituit, trecentis monachis præter pueros centum ad id officii deputatis. ANN. CHR. 796.

XLV. Adalbardus, abbas Italici regni administer.

Post Angilberti reditum in Galliam, revertenti in Italiam Pippino adjunctus est Adalbardus abbas Corbeiensis, ut regnum, ipsumque juniorem regem ad statum rei publicæ & ad religionis cultum rite informaret. quo in munere ita se gessit, tantamque promeruit laudem, ut a quibusdam non homo, sed pro virtutis amore angelus prædicaretur. Numquam in judicio cujusquam personæ discrimen habuit, neque, juxta proverbium vulgi, aureo pugno murus ejus animi fractus est; fulusque, ut aiunt, potuit illæsus fluvium transire Acherontis avari, & sine periculo cæcitatis ex alpibus remeare per annos, ut Paschasius loquitur. Ab ipso statim initio contrivit omnem tyrannicam potestatem eorum, qui, velut prædones iniqui, grassabantur in populum, tanto certe audacius, quo dominorum jure id facere videbantur. Primum ergo subditis pacem reddidit, ac deinde sua cuique æquus arbiter jura restituit, & tanta quidem facilitate, ut pro virga censoris judicis solo verbo uteretur. Etsi vero superbos omnes de supercilio mentis dejiceret, id artificioso faciebat ingenio, nullumque penitus auctoritate frangebat, nisi quem irrevocabilem esse probasset. Sic omnium Italorum animos mansuetudine demulsit, atque ubi Romanorum ad fines accessit, tanta benevolentia & humanitate a Leone pontifice, quanta nullus umquam Francorum acceptus est: cui pontifex festive dixisse fertur, si Francus ille ipsum falleret, nulli umquam Franco se fidem habiturum. Quamdiu Italici regni administrum egerit, an ad obitum Pippini regis, incertum. Eum *inter primos consiliarios* Caroli Hincmarus adolescens vidit, uti ipse testatur.

XLVI. Theodemaro abbati Casinati succedit Gisulfus.

Idem annus supremus fuit Theodemari abbatis Casinatis post annos regiminis undeviginti. Obiit vero nonis Junii, sepultus juxta sancti Martini ecclesiam. Hunc excepit Gisulfus abbas tertius-decimus a sancto Benedicto; octavus vero a Petronace abbate primo ab instauratione monasterii: qui Gisulfus unum & viginti annos præfuit, ordinatus anno sequenti. Hic ex Beneventanorum ducum prosapia ortus, primum omnium tam inferius, quam superius monasterium amplificare & exornare decrevit. Erat in inferiori ob loci amœnitatem & facilem aditum numerus major monachorum, quam ut omnes facile capere posset ædificiorum angustia. Hic locus post abbatem commissus erat providentiæ Carioaldi monachi, cui amplificandæ fabricæ cura demandata est. Fecit ille haud segniter quod jussus erat. Et primo quidem loco exiguæ sancti Benedicti ædiculæ, quam Poto abbas pro tempore erexerat, amplam exstruxit basilicam in honorem Salvatoris, marmoreis basibus & columnis hinc inde suffultam, trabibus tabulisque cypressinis laqueatam, amplisque circumscriptam porticibus, quæ in longitudine cubitos octoginta-duos, in latitudine quadraginta-tres, in altitudine viginti-octo habebat. Pavimentum vario lapide egregie stratum, ambitus chori magnis marmorum tabulis septus erat. Triplex ibidem altare: præcipuum Salvatoris sub abside mediana, ad quam per gradus septem ascendebatur: ad dextram hujus partem alterum sancti Benedicti: ad lævam tertium sancti Martini. In aditu basilicæ atrium quadraginta cubitis in longum constabat, marmoreis sexdecim innixum columnis, habens in circuitu lapideos canales ad pavimentum, ex quibus jugis aqua manabat. Ad partem orientalem ejusdem atrii absida facta est cum altari sancti Michaelis: & in medio ipsius atrii campanile erectum super octo majores columnas. Hæc fere ejus basilicæ forma erat, ex cujus utraque parte diversorum officiorum multæ & amplissimæ ædes. Non minor fuit magnificentia in amplificanda & decoranda basilica monasterii superioris, sancto Benedicto sacra. Tectum omne cypressinis contignatum tabulis, & plumbo coopertum: interius varia ornamenta aurea & argentea. Ciborium super altare sancti Benedicti argenteum, auro & encausto obductum erat: cetera ejusdem basilicæ altaria tabulis argenteis ornata. Alia ejusdem abbatis opera prætereo, quæ legere licet in libro primo chronici Casinensis a capite sexto-decimo: cujus loci varias editiones Cointius accurate contulit ad hunc annum, & ad posteriorem Angeli de Nuce editionem emenda-

vit : qua ex collatione apparet, quam luxata ſit vetus editio. quod notaſſe hoc loco ſufficiat.

XLVII. *Hitherio abbati Turonico Alcuinus.*

Turonis hoc ipſo anno vita functus eſt Hitherius ſeu Itherius abbas Martinianus & palatii archicancellarius : cui a Carolo in abbatia ſubrogatus eſt Alcuinus, in archicancellarii officio Rado, unus e notariis, eodem tempore factus abbas ſancti Vedaſti apud Atrebatas. Morti proximum Itherum litteris animavit [a] Alcuinus : » Gratias ageret Domino Jeſu vulneranti & medenti, flagellanti & conſolanti. Do» lorem quippe ſalutem eſſe animæ, & infirmitatem temporalem ſalutem perpetuam. » Curreret dum lucem habebat, feſtinaret ad eum qui ſe vocaret ; denique quod » neceſſitas cogit, voluntas præveniat. Hæc ille ad amicum, cui mortuo brevi poſtea ſuffectus eſt. Tempus initi ab Alcuino regiminis colligitur ex epiſtola ejus viceſimatertia, quæ ſcripta eſt anno octingenteſimo ad Carolum ex Italia reducem, cum ante quinquennium, ut ipſe ibidem aſſerit, tranſlatus fuiſſet ad ſervitium ſancti Martini. Jam dudum ſæculares occupationes ex animo abjicere cupiebat, dum pro voto hæc illi provincia contigit. Neque tamen hic ſeceſſus votis ejus omnino reſpondit : quippe qui pridem de ſæculo penitus relinquendo apud ſe deliberabat, nec ſemel a Carolo facultatem petierat ſecedendi in Fuldenſe ſancti Bonifacii popularis ſui monaſterium, ubi monaſticam vitam ad accuratas ſancti Benedicti duceret leges : quarum laxior apud Turonenſes diſciplina erat. Verum Carolus eum a ſe tam longe abeſſe non paſſus eſt, ſed ut Turonos ad ſanctum Martinum ſe reciperet, demum aſſenſit. Ille vero tandem *inter fratres, in eccleſia ſancti Martini Deo fideliter ſervientes*, vivere ac requieſcere decrevit. Nec tamen illic vitam otioſam duxit, immo toti eccleſiæ ac rei publicæ maxime proficuam, tum ſcribendis libris & epiſtolis, tum diſcipulis erudiendis, quos illic frequentes habuit. quæ partim cauſa fuit, ut

Scholæ Martianæ. Turonos ſecedendi a Carolo facultatem obtineret. ſic enim ille in epiſtola prima ad Davidem ſeu Carolum. *Ego Flaccus veſter ſecundum exhortationem & bonam voluntatem veſtram, aliis per tecta ſancti Martini ſanctarum mella ſcripturarum miniſtrare ſatago, alios vetere antiquarum diſciplinarum mero inebriare ſtudeo ; alios grammaticæ ſubtilitatis pomis enutrire incipiam ; quoſdam ſtellarum ordine, ceu picto cujuſlibet magnæ domus culmine, inluminare geſtio, plurima plurimis factus, ut plurimos ad profectum ſanctæ Dei eccleſiæ, & ad decorem imperialis regni veſtri erudiam.* Altera, eaque gravior ejus ſeceſſus cauſa erat, ut monachos ejus loci, laxioribus aſſuetos, ad meliorem frugem revocaret, ut fidem facit Caroli epiſtola ad Martinianos, ſuo loco referenda. Jam ante id tempus Alcuinus litteras [b] ad illos monachos ſcripſerat, quibus eos ad caritatem, obedientiam, & humilitatem hortatur : *quæ tria*, inquit, *præcepta monachis aperient portas cæli ;* præfatus non eſſe laudabile in veſtimentis habitum imitari patrum ſine obſervatione mandatorum, quæ illi Deo ſervientibus ſtatuerunt. deinde rogat, ut ne ipſum *præſumptuoſum* æſtiment, quod ipſis hæc ſcribat. *Caritas*, inquit, *me compulit in has prorumpere litteras.* quæ verba ſatis innuunt, hanc epiſtolam ante ſcriptam fuiſſe, quam monachis illis præficeretur. Jam vero abbas iiſdem direxit epiſtolam de confeſſione peccatorum, inſcriptam *Dilectiſſimis in Chriſto filiis, bonæque ſpei adoleſcentulis, qui in eccleſia ſummi pontificis protectoriſque magni beati Martini Domino Jeſu deſervire videntur, atque ab eccleſiaſticis erudiuntur magiſtris.* ratus, id quod res eſt, confeſſionem primam eſſe viam revertendi ad Deum. In hac porro epiſtola, dum confeſſionis formulam ipſis proponit, hæc eis ſubjicit : *Præcepta tua ſine intermiſſione contemno ; promiſſiones meas, quibus me ſanctam regulam ſervaturum ſpopondi, momentis ſingulis violo.* quæ in parte prima leguntur. & in parte ſecunda : *Cœnobium petii, vitam monaſticam ſuſcepi : ſed miſer ego ſemper involvor variis modis in levitatibus.* Ex quibus luce clarius apparet, monachos etiam tum in illa baſilica perſtitiſſe, qui toto Alcuini regimine ibidem perſeverarunt. Falſum proinde quod legitur in quodam chronico Turonenſi, Carolum regem inſtituiſſe canonicos in eccleſia beati Martini auctoritate Hadriani papæ, eiſque Alcuinum magiſtrum ſuum præfeciſſe. Id ipſum confirmat Caroli præceptum, quod initio ſtatim præfecturæ ſuæ Alcuinus ab eodem obtinuit, quo ratas habet princeps ſuperiorum regum, aliorumque fidelium donationes, Martinianæ factas baſilicæ, eidem remittens, quidquid ex eis fiſcus exigere poterat : ut hæc omnia tam in luminaria ipſius ſanctæ baſilicæ, quam in alimenta pauperum *ac ſtipendia monachorum* proficiant in augmentum, contra facientibus intentata multa

ſexcentorum

[a] *Alcuin. epiſt. 75.*

[b] *Alcuin. ep. 31.*

ANN. CHR. 796.

sexcentorum solidorum auri cocti & purissimi, quorum duas partes *ipse abbas vel monachi recipiant*: tertia pars in fisci saccellum veniat. Actum castro Lauduno. Annus deest in codice Martiniano.

XLVIII. Alcuini zelus pro clericis & monachis.

Non ita studiis litterarum & monasterii sui regimine occupatus erat Alcuinus, ut non de corrigendis aliorum, tum clericorum, tum monachorum, laïcorumve moribus serio cogitaret. Testes sunt complures ejus epistolæ, ex quibus sexta ad Carolum regem duo potissimum in clero reprehendit: unum, quod presbyteri prædicationis officium in episcopos rejicerent, quasi presbyteris & diaconis id non liceret. quod multis arguit. alterum, quod sacra loca & altaria, passim absque tecto, avibus, ceterisque animalibus paterent. quod per Carolum emendari cupit, *ut cum honore condigno maneat mensa Domini in loco suo; vel portetur in ecclesiam majorem secundum sanctam sacerdotum Dei providentiam; & honorifice tractetur seu altare Christi, seu consecratio corporis & sanguinis illius; & præcipuum nostræ salutis sacramentum omni veneratione consecretur, habeatur, & custodiatur.* Ad hæc in simoniacos in epistola octogesima-octava, & in quodam [a] epigrammate invehitur. Ad monachos quod attinet, mirum quanto studio affectus fuerit ad eorum mores componendos. Legantur in primis ejus epistolæ ad fratres in Gothia seu Septimania degentes: ad fratres sancti Liudgarii, ad Wirenses & Girwenses, & ad Juvavenses seu Saltzburgenses. In epistola XCIX. ad fratres Septimaniæ: *Vovistis vos*, inquit, *Deo servire, paternisque regi consiliis. Nolite vosmet ipsos super rectores exaltare vestros, aut eorum judicare acta vel consilia: sed contenti tantummodo estote eorum judicio, quidquid agatis; regularisque vitæ præceptis, in quibus maxime humilitas obediendi cum caritate præcipitur. Horæ vero vestræ omnes animabus vestris utiles inveniantur, vel in opere manuum, vel in lectionis studio, vel in orationis gratia.* Tum de se ipso hæc subdit. *Ego vero sæculi tempestatibus turbatus, casso multis in locis labore desudavi: sed modo quasi naufragus, Deo miserante, ad portum dejectus quietis: in quo me fessum & vulneratum jacentem deprecor sanctarum assiduitate orationum vestram unanimitatem auxiliari.* Epistola sexagesima-quarta inscribitur *Venerabilibus in Christo fratribus in ecclesia beati Liudgarii episcopi servientibus.* quod de Morbacensibus monachis interpretor, quorum basilica sancto Leodegario nuncupata erat. In primis excusat, quod ad eos non venerit. quod factum ait non despectionis causa, sed, « quæ ejus modestia erat, ne scandalum eorum regioni inordinatæ ejus conversatio- « nis vita generaret. *Vos vero*, inquit, *fratres carissimi, totis viribus sanctorum patrum sequimini exempla, illorumque unanimiter obedientiæ pedibus* * *terrate vestigia. Caritas, obedientia, & humilitas monachis cæli januas aperient. Non illa caritas, quæ in pleno potatur calice,* (ubi alludit ad Germanicos mores) *sed illa quæ in pectore sine simulatione versatur fraterno: non sua quærens, sed quæ alterius sunt, omnibus prodesse, non sibi placuisse quærens. Non illa humilitas tantum, quæ in capitis inclinatione foris ostenditur: sed illa, quæ in cordis consideratione ante conspectum summi Judicis omnibus se inferiorem esse judicat. Quid de obedientia loquar? dum tota monachorum vita in simplicitate consistit obedientiæ. Pater vero & pastor Deo rationem reddet, quid jubeat, & quibus ante eos vivat exemplis: sicut & filii & grex, qua devotione paternis obtemperant jussis, omnium Judici rationem reddituri erunt.* tum inferius eos hortatur, ut in sanctarum scripturarum lectione studiosi sint, ut possint alterutrum ædificare & consolari: *quia qui non vult in juventute discere, in senectute scire non poterit.* His referendis provehor extra metas: sed hæc opportuna visa sunt non solum ad fratrum nostrorum mores informandos, sed etiam ad exhibendam Alcuini imaginem. Quid in epistola ad Wirenses & Girwenses scripserit, superius vidimus, alias ejusdem argumenti epistolas suis locis allaturi.

[a] Alcuin. epigr. 171.

* malo in edit. precibus.

XLIX. Paulus monachus Burgundus.

Alcuini tempore devixit in sancti Martini monasterio Paulus monachus, domo Burgundus, cujus epitaphium valde scabrosum inter Alcuini [b] poëmatia reperitur, in quo idem Paulus sic loquens inducitur.

Paulus eram dictus, Martini fimbribus * *almi;*
Transcursi modicum tempus in orbe meum.
Me primum felix Burgundia matris ab alvo
Viderat effusum, & fletibus irriguum
Mox Martinus amor rapuit me inclitus auctor
Post teneros annos in famulum sibimet.

[b] Epigr. 167.

* famulus.

ANN. CHR. 796.

Perque suos servos, venerandos atque magistros
Scripturis memet imbuit atque sacris.
Septenas vixi decadas novus hospes in orbe:
Fraterno junctus semper amore fui,
Languidus, agrotus, solvebam debita; donec
Atque artus anima liquerat ipsa suos.
Fraternis fueram manibus mox conditus, ista
Hic mihi perpetua est domus & requies:
Omnipotens animas jubeat remeare quousque
Ad cineres: iterum tunc ero Paulus ego.
Nunc fratres animam precibus commendite Christo:
Vosque valete mei semper ubique Deo.

L. Rado abbas S. Vedasti.

Quo tempore post Hitherium Rado archicancellarii munus suscepit, eodem abbatia sancti Vedasti donatus est. Erat hic locus largitione fidelium sublimatus, refertusque *agmine monachorum, & aliorum Deo devotorum grege*, ut loquitur Alcuinus in fine libri de gestis sancti Vedasti episcopi, quem rogatu ipsius Radonis composuit post annos ferme centum & sexaginta, quam beati confessoris corpus a sancto Autberto episcopo e tumulo elatum fuerat. ubi *devotos* a monachis distinguit, eos scilicet, qui monachorum servitio addicti erant. In prologo libri, quem idem auctor *Dilectissimo dilectionis filio Radoni abbati* nuncupat, egregia dat cum ipsi, tum
» monachis ejus monita. Radoni quidem, ut gregem, quem regendum accepit, fra-
» terno amore diligenter erudire studeat, & sanctis admonitionibus per pascua vitæ
» deducere satagat; & ut festivis diebus, veniente ad ecclesiam populo, verbum
» Dei eis prædicari faciat. quod argumento est, jam eo tempore, concionandi offi-
» cium in ecclesiis monasticis viguisse. Ad hæc, ut quocumque perrexerit, ejus cle-
» rici servitium Dei pleniter peragant. denique, ut ejus conversatio omnibus sit exem-
» plum salutis. Monachis vero inculcari jubet, ut in divinis laudibus consistere ament,
» & quod angeli semper agunt in cælis, hoc fratres jugiter faciant in ecclesiis. Ab-
» batis esse præire, illorum subsequi. Omnium in servitio Dei unam esse debere vo-
» luntatem, ut una fiat in regno Dei remuneratio. *Nullus*, inquit, *horis canonicis se divinis subtrahat laudibus, ne propter alicujus negligentiam cujuslibet locus in conspectu Dei vacuus inveniatur. Et verba Dei in ecclesiis intimo cordis affectu proferantur, & cum magna reverentia Dei omnipotentis officia celebrentur.* & inferius fratres hortandos ait, *ut sanctas diligentissime legant scripturas. Non confidant in lingua notitia, sed in veritatis intelligentia, ut possint contradicentibus veritati resistere.* Instare
» quippe tempora periculosa, quibus multi pseudoprophetæ surgent, novas introdu-
» centes sectas, qui catholicæ fidei puritatem impiis assertionibus maculare nitentur.
» ideo necesse esse, ecclesiam plurimos habere defensores, qui non solum vitæ san-
» ctitate, sed etiam doctrina veritatis castra Dei viriliter defendere valeant. quibus verbis scientiæ utilitatem, ne dicam necessitatem, in monachis satis superque probat.

LI. Alcuinus vitam S. Willibrordi scribit.

Eodem fere tempore idem Alcuinus libros duos de gestis sancti Willibrordi episcopi, unum prosa oratione, alterum metro composuit, dicavitque Beornredo archiepiscopo, ex abbate, ut tradunt, Epternacensi ad sedem Senonensem promoto, cujus rogatu id aggressus erat. Idem his libris adjecit carmen elegiacum de venerabili Wilgiso, patre sancti Willibrordi, *cujus corpus*, inquit, *requiescit in cellula quadam maritima, cui ego, indignus licet, legitima, Deo donante, successione presideo.*

Cellæ maritimæ præfectus.

quod intelligendum, non de cella sancti Judoci itidem maritima, tametsi hæc etiam Alcuino obtigit; sed de cella sanctæ Mariæ, sita in provincia Northumbrana, & quidem in promontoriis mari oceano & Humbri fluvio proximis; qua in cella Wilgisus humatus erat. Id patet ex capite primo vitæ prosaïcæ sancti Willibrordi,
» ubi rursus de eadem cella idem auctor agens, ait, Wilgisum ibidem honestam Deo
» servientium congregationem adunasse, & post multiplices sancti laboris agones a Deo coronatum illic corpore quiescere: quam *cellam posteri ejus*, inquit, *usque hodie ex sanctitatis ejus traditione possident: quorum ego, meritis & ordine extremus, eamdem cellam per successiones legitimas suscepi gubernandam, qui hanc historiam sanctissimi patris & summi doctoris Willibrordi, te jubente, beatissime pontifex Beornr-*

de, conscripsi: qui tanto patri & summi sacerdotii dignitate, & generis posteritate, & sanctorum locorum observatione, quæ ab eo in Dei honorem constructa esse noscuntur, secundum datam tibi a Domino gratiam heres dignissimus exstitisti. Ex quibus verbis manifeste colligendum videtur, Beornredum, uti & Alcuinum, ex sancti Willibrordi stirpe descendisse: siquidem Alcuinus non semel dicit, se legitima successione Wilgisi cellæ maritimæ præsidere, utpote ex posteris ejus; & Beornredum sancto Willibrordo, uti heredem dignissimum, successisse tanto patri & summi sacerdotii dignitate, & generis posteritate, & sanctorum locorum observatione, quæ ab eo in Dei honorem constructa esse noscuntur. quod de Epternacensi monasterio, cujus auctor sanctus Willibrordus, & forsan etiam de Trajectensi ad Rhenum episcopatu ab eodem erecto, interpretandum est. Ceterum quidquid operis hac in re condidit Alcuinus, primum quidem, nempe prosaicum librum, publice a fratribus in ecclesia legendum obtulit: alterum, pierio pede currentem, privatim inter scholasticos Beornredi legendum: tertium, scilicet homiliam de venerabili Wilgiso, ejus ore, si ita ipsi videretur, populo prædicandam. Ex quibus intelligitur, Beornredum, etsi archiepiscopum, regimen Epternacensis monasterii retinuisse; & episcopos nonnumquam homilias ab aliis scriptas frequenti populo recitasse.

ANN. CHR. 796.

Cum Liudgerus annos duos ac dimidium Casini demoratus fuisset, in patriam reversus venit in notitiam Caroli regis, qui eum Frisiis orientalibus præfecit, dein apud occidentales Saxones pastorem instituit in loco, cui vocabulum est Mimigerneford, ubi vir sanctus monasterium sub regula canonica exstruxit, a quo Monasterium * postea locus appellatus.

LII. Liudgerus monasteria condit.

* Munster.

Ad hæc alia duo monasteria condidit: unum Werthinæ in saltu Wideburgensi ad Ruram fluvium, qui in Rhenum infra Coloniam devolvitur, idque adjacens diœcesi Coloniensi: alterum Helmenstadii in hodierno comitatu Brunswicensi; utrumque hactenus nostri Ordinis monachorum. Ad Werthinam * quod attinet, locum sibi divinitus indicatum repurgavit Liudgerus, elegitque in sui viventis secessum, & mortui sepulturam. Basilica in honorem Salvatoris & beatæ Mariæ dedicata, quorum reliquias, scilicet de sanguine Christi Domini & lacte Deiparæ, ab Hadriano pontifice acceptas, secum deferre vir sanctus consueverat. Locum adiisse dicitur in vita Suriana anno fere nono ante datum sibi episcopatum, hoc est anno ejus sæculi nonagesimo-tertio, aut insequente. Id vero probant instrumenta donationum, quæ eidem Liudgero factæ sunt, a Bollandianis relata: quorum unum Liudgero presbytero ad reliquias sancti Salvatoris & sanctæ Mariæ datum est XVII. kalendas Aprilis, anno vicesimo-septimo Caroli regis, id est anno nonagesimo-quarto. aliud vero anno insequenti Liudgero abbati inscriptum est, uti & plura alia subsequentia usque ad annum Caroli tricesimum-tertium. quo tempore episcopus creatus fuit. Id argumento est, Werthinæ jam monachos extitisse hoc anno, quibus Liudgerus abbas præfuerit.

Werthinense & Helmenstadiense.

* Werden.

Non confundendum hoc monasterium cum alio ejusdem regionis ad Ruram itidem fluvium positum, cujus basilicam Hadabaldus seu Hildebaldus archiepiscopus Coloniensis in honorem sancti Stephani & sancti Jacobi fratris Domini consecrasse memoratur in quodam carmine Walafridi Strabonis, cujus hic titulus: In ecclesia monasterii, quod Rura vocatur. Erat ejus nominis monasterium, sed beato Petro sacrum, in pago Mosao, ad aliud flumen Ruram, Mosæ aquis se immiscentem ad Ruræmundam. Hoc cœnobium Berg appellatur apud Browerum in libro Trevirensium antiquitatum octavo, ubi Lotharius rex hunc locum Hungero episcopo Trajecti-inferioris donasse perhibetur anno regni sui tertio: quo de monasterio forsan agit Alcuinus in carmine quodam [a] ad Macarium seu Richbodum, quem hortatur ad Bergenses suos instruendos. nempe quod ejus monasterii fundamenta Wiro episcopus,, Plechelmus & Otgerus, ejus populares, olim posuissent, Pippino Heristallio Francos moderante. Richbodus seu Rigbodus erat episcopus Trevirensis. Exstat in fine libri tertii traditionum Fuldensium una, quæ acta dicitur in monasterio Rora, principatu Ludovici Germaniæ regis. Hoc sine dubio est cœnobium sanctimonialium in Rora, Fuldensi [b] quondam subjectum, modo excisum, olim in Henebergensium comitum, jam in electoris Saxonici ditione situm.

Rura monasterium multiplex.

a Alcuin. epigr. 158.

b Brewer. antiq. Fuld. p. 146.

LIII. Bernardus abbas Saxones erudit.

Eodem tempore apud occidentales Saxones rem christianam promovebat abbas quidam religiosus, Beroardus nomine, doctor in illas partes itidem a Carolo mis-

ANN CHR. 796.

lus, cujus loci abbas, incertum. Eo mortuo, tota eorum locorum provincia Liudgero demandatur: qui eam sedi Trevirensi tunc vacanti prætulisse dicitur apud anonymum ejus vitæ scriptorem. qui forte non bene calculos subduxit. Toto quippe Liudgeri tempore bis vacavit Trevirensis sedes. primo quidem anno ejus sæculi septuagesimo-sexto, post obitum scilicet Weomadi, cui Rigbodus suffectus: dein Rigbodo ipso mortuo, anno octingentesimo-quarto. Atqui in prima occasione necdum habilis erat huic legationi Liudgerus, qui in secunda in illis partibus jam creatus episcopus erat. Itaque veri similius est, duos eodem tempore doctores occidentalibus Saxonibus adhibitos fuisse, Liudgerum, & Bernardum: quo mortuo, tota ejus regionis provincia Liudgero cesserit.

LIV. Swibertus episcopus condit Amarbaricum.

Jam vero apud orientales Saxones strenuam item navabat operam Swibertus abbas & monachus, ex insula Britannia profectus in illas partes: ubi Carolus eum Verdensis primitivæ ecclesiæ doctorem institui curavit. Et primum quidem in orientali Saxonia ultra Visurgim, in loco Conende dicto, rex episcopalem sedem esse jusserat: sed commodiorem deinde locum prætulit, scilicet Verdam, opidum tunc haud incelebre, cui Swibertum primum episcopum imposuit. Post varias de re christiana sollicitudines, non postrema fuit viro Dei de monachis cura. Amarbaricum proinde miræ celebritatis monasterium intra limites sui episcopatus, non procul a Verda instituit, pro monachis suæ gentis, scilicet Scotis, quibus Pottonem abbatem primum præposuisse traditur. Pottonis successores recensentur Tanco, Nortyla, aliique tres: sub quorum postremo, Harrucho nomine, Amarbaricum a Normannis exeisum fuisse dicitur. quod cave confundas cum Amerbachio monasterio Franciæ orientalis, cujus origo sancto Pirminio tribuitur. Potto abbas pro sancto habetur apud Bollandum III. kalendas Aprilis. Principio iidem fuisse videntur plerique Amarbaricenses abbates & Verdenses episcopi. quamquam Cointius & Bollandi continuatores dissentiunt.

LV. Monasteria sancti Felicis Guixalensis & S Vincentii de Fistolis.

Consignantur ab Yepesio hoc anno primordia duorum apud Hispanos monasteriorum, nempe sancti Felicis Guixalensis in Catalonia, & sancti Vincentii de Fistolis in Castella. Prioris origo Carolo Magno tribuitur, cum ex Hispanica expeditione rediret, quod factum anno ejus sæculi septuagesimo-octavo. quo tempore, expugnata Girunda, arcem Jecsalin cepisse dicitur, ibique monasterium in honorem sancti Felicis ædificasse, duodecim monachis sub regula sancti Benedicti ibidem cum abbate constitutis. quod quidem factum sit præsentibus Sunario comite & uxore ejus Reïede, simulque Hermesende comitissa ac Petro episcopo Gerundensi. Verum documentum, ex quo id eruitur, sublestæ videtur auctoritatis; nec ante sæculum decimum vixere Soniarius comes Urgellensis & uxor ejus Richildis, corrupte Reïedis hic appellata, qui anno nongentesimo quadragesimo-quarto quasdam possessiones ecclesiis Gerundensi & Barcinonensi contulisse * memorantur.

* Marca Hisp. col. 389.

Alterum apud Fistolas monasterium auctorem habuit hoc anno, si qua fides instrumentis ab Yepesio laudatis, Gundesindum Castellæ comitem, qui illud sub patrocinio sanctorum martyrum Vincentii & Christophori exstrui curavit, aliis cellis eidem monasterio attributis. Duplex eo in loco virorum ac puellarum monasterium fuisse ex eo colligit idem auctor, quod donationes illæ a Gundesindo comite factæ sunt Sisenando abbati & Guduyciæ sanctimoniali. quæ omnia leguntur in archivo monasterii Salvatoris Oniensis, cui forte Fistolense unitum & incorporatum fuerit, in quo Gundesindus comes sepulturam suam statuisse dicitur.

LVI. S. Cucufatis.

His accensenda sunt monasteria sancti Cucufatis, Balneolense sancti Stephani, Ameriense sanctæ Mariæ in Catalonia, & Arulense item sanctæ Mariæ in Ruscinone, quæ per hæc tempora, sed incertis annis, condita fuere. Situm est sancti Cucufatis * monasterium in Cataloniæ pago Vallensi * amœnissimo, ad castrum Octavianum, a quo in vetustis monumentis quandoque Octavianense nuncupatur. De ejus antiquitate id unum compertum habemus, quod exstiterit ante sæculum decimum. siquidem illud combustum & direptum a paganis, scilicet Normannis, Lotharius rex Francorum, Ludovici Transmarini filius, instauravit. Eamdem cladem pertulit monasterium Arularum, diœcesis Elenensis, conditum in Valle-Asperii, quæ est portio agri Ruscinonensis. Illud enim a Normannis, ad portum Veneris appulsis, direptum per tres dies fuisse, & postea incensum, testatur abbas Helpericus seu Hilpericus in epistola data ad Carolum Calvum, uti observa-

* S. Culgat.
* de Valles.

Arulense.

ANN. CHR. 796.

vit [a] clarissimus Baluzius in libro quarto de Marca Hispanica, quem tribus illustrissimi Petri de Marca postumis libris adjecit. Exstat ejusdem Caroli privilegium, eidem Hilperico abbati Arulensi concessum, de quo nos alias. Primus ejus monasterii abbas Castellanus nobis occurrit in diplomate Ludovici augusti, in quo idem Castellanus hoc monasterium cum fratribus suis construxisse dicitur, ubi tunc *turba monachorum sub sancta regula* militabat. quod diploma datum est anno septimo Ludovici augusti. Jam ergo aliquot ante annis conditum fuerat hoc monasterium, ut eo tempore *turba monachorum* ibidem jam congregari potuerit. Cum itaque legitur in diplomate, quod Oliba Cabreta [b] comes Ceretaniensis post medium sæculum decimum a Johanne tertio-decimo papa obtinuit, monasterium scilicet Arulense a fratre avi sui, Wifredi scilicet, cognomento Pilosi, constructum fuisse; id de ejus instauratione post cladem Normannicam facta, non de prima conditione intelligendum est. Castellano abbati successit Babila seu Babilanus abbas, ut constat ex veteri [c] notitia, in qua idem Castellanus Arulensis monasterii auctor fuisse traditur. Istuc ab Arnulfo abbate translata dicuntur ex urbe Roma corpora sanctorum Abdon & Sennen, eruta ex cœmeterio basilicæ sancti Laurentii extramuranæ: cujus rei [d] narratio, chronologicis destituta notis, cui tempori assignanda sit, incertum; neque id erui potest ex epitaphio Arnulfi abbatis, qui has reliquias Roma attulisse, & IX. kalendas Novembris decessisse perhibetur. Huc tamen scite observat eruditus Baluzius antiquam esse hanc translationem, uti colligitur ex diplomatis Roberti & Henrici regum Franciæ, in quibus pro certo habetur, corpora sanctorum Abdon & Sennen tunc custodita fuisse in monasterio Arulensi. tametsi ecclesia sancti Salvatoris de monte Amiato in diœcesi Clusina, & Parmensis ecclesia cathedralis ea se possidere gloriantur, uti & Suessionense S. Medardi cœnobium.

a Marca Hispanica, col. 328.
b Ibid. col. 400.
c Ibid. col. 769.
d Ibid col. 1449.

LVII. Balneolense & Amerense.

Conditum est sub idem tempus in eademque regione sancti Stephani monasterium apud Balneolas diœcesis Gerundensis, in valle Sterria, pago Bisuldunensi, quod Bonitus abbas cum monachis suis coostruxit, Carolo [e] augusto litteris suis id probante, & omnes ejus loci possessiones suo præcepto confirmante. Bonito successit Elias, cui Carolus Calvus simile præceptum [f] concessit, *sicut quondam divæ recordationis ejus genitor fecerat*; idemque Petro abbati denuo confirmavit. Hoc vero monasterium ad angustias redactum, Bernardus comes labente sæculo undecimo renovavit. quæ omnia suis locis illustrabuntur. Hæc longe certiora sunt iis, quæ leguntur in vulgatis apud Bollandum [g] actis Emerii abbatis, qui Balneoleosis monasterii conditor & primus abbas fuisse fertur: qui si ejus loci abbas fuit, Bonito primo abbati forte successerit.

e Ibid. c. 821.
f Ibid. c. 789. & seq.
g Bolland. t. 2. Janu p. 781.

Vetus est, sed obscuræ originis, aliud ejusdem provinciæ monasterium beatæ Mariæ, Americum dictum a vico [h] Amerio, posito ad fluvium Tezerum, qui iode Gerundam petit, ac tandem mari sorbetur. Nulla ejus antiquior nobis occurrit notitia, quam in testameoto Seniofredi [i] comitis Barcinonensis, qui monasterio beatæ Mariæ *Amer* unum par boum legat anno nongentesimo sexagesimo-octavo.

h Ibid c. 189.
i Ibid c. 887.

S. Gratæ.

Longe antiquior & explicatior habetur cognitio monasterii sanctæ Gratæ ad Bosegiam fluvium, in diœcesi Urgellensi: de cujus monasterii statu sollicitus Possedonius episcopus, per Matfredum comitem regiam ei defensionem tuitionemque cum facultate eligendi abbatis a Ludovico [k] augusto impetravit anno octingentesimo vicesimo-tertio. quod postea Carolus Calvus ratum habuit anno regni sui quarto. quæ omnia discimus ex illo egregio opere, sioe quo in rerum Catalanicarum historia nostra plane hospites essemus. Tot monasteriorum fundationes, tot ordinis nostri decora accepta referre debemus regibus Francorum, in primis Carolo Magno & Ludovico ejus filio, qui victoriis suis in Sarracenos ad hoc tantum usi videntur, ut auctoritate & muoificentia sua rem christianam atque monasticam promoverent, christianissimorum regum ob id merito insignem titulum consecuti.

k Ibid c. 767. & seq.

LVIII. Arno episcopus Hunnis prædicat.

Id probatum hoc anno in victoria a Pippino rege Italiæ relata contra Hunoos, quibus Carolus Christi evangelium per Arnonem episcopum Saltzburgensem prædicari curavit; sicque totus ille tractus, qui usque ad Dravi confluentes in Danubium protenditur, & inter eosdem fluvios atque Arabonem interjacet, Saltzburgensi parochiæ accessit, quod incrementum erigeudæ postea metropoli occasionem dedit. Hinc est quod Alcuinus in epistola nonagesima ad Carolum, qua ægrotanti coodolet, ac victoriam de Hunnis reportatam gratulatur, optat, ut divina potentia

——— omnes adversarios sui sancti nominis ejus pedibus quamprimum subjiciat, nimirum
ANN. CHR. 796. ut Christi postea imperio ab eo subjicerentur. Magni momenti alia est ejusdem Alcuini epistola septima ad Carolum regem, quem hortatur, ut erga Hunnos „ recens conversos se mitem ac facilem exhibeat, atque attente perpendat, an ex„ pediat rudibus in fide populis jugum imponere decimarum. Longe satius esse illas „ amittere, quam fidem perdere. Fideles in fide catholica natos, nutritos & edoctos, „ vix consentire ut illas solvant. quanto minus teneram fidem & infantiles Hunno„ rum animos id passuros? Exspectandum, dum roborata fide & confirmata consue„ tudine religionis christianæ, tunc viris quasi perfectis fortiora ejusmodi præcepta „ imponantur. Melius proinde esse, ut in alia [a] epistola dicit, *ut aliquanto spatio remittatur publica necessitas, donec fides cordibus radicitus inolescat.* Alterum in septima illa epistola non minoris momenti est, eosdem prius erudiendos & christianæ fidei elementis rite informandos, quam baptismi sacramento initientur. ubi inter præcipua religionis capita, eis exponenda, hæc memorat: animæ immortalitatem, futuram vitam, bonorum malorumque remunerationem æternam, fidem Trinitatis & incarnationis, passionis & resurrectionis Christi, aliorumque ejus mysteriorum.

a Alcuini ep. III.

Alcuini epistola ad Juvavenses.

Eodem tempore scripta est ejusdem Alcuini epistola septuagesima-octava ad fratres Juvavensis seu Saltzburgensis ecclesiæ, quibus significat, quanto cum gau„ dio acceperit laudabilem eorum conversationem: magnopere cupiens ordinem „ eorum coram videre, ni prolixa terrarum longinquitas obstitisset; immo & unus „ esse ex illis, quemadmodum olim pio patri Aquilæ pontifici, germano suo, eorum „ pastori, id est Arnoni, contestatus erat. Dein eis exponit, quam felix, Deoque „ & hominibus accepta sit vita monachorum, si instituti sui meminerint, ut omnia „ sint eis communia, & nemo aliquid suum esse dicat. quod *non solum*, inquit, *in sæculari substantia servandum esse arbitror, sed etiam in desideriis spiritualibus, ut omnes unum concupiscant, & obedientia bonum magis exsequantur, quam propria vo„ luntatis affectum.* Deinde eos monet, ut obmurmurationis vitium fugiant; sit „ sanctæ pacis concordia inter cunctos; vitæ castitas in adolescentibus, morum gra„ vitas in senibus, fervor operis in juvenibus: nec quisquam se canonicis horis vel „ regularibus psalmodiis subtrahat. Non solum verba sanctæ lectionis resonent in „ ore, sed intima cordis compunctio sequatur verba cantantis, vel legentis. Nequa„ quam horis competentibus sacræ scripturæ lectio recedat de manibus: quia diver„ sæ nunc hæreses, inquit, sicut audistis, catholicæ fidei puritatem maculare ni„ tuntur.

ANN. CHR. 797. LIX.

Felicem confutat Alcuinus. b col. 939.

Ex his præcipua erat Felicis Urgellitani, qui adeo victricibus Ludovici regis armis, qui hoc anno Barcinonem sibi subjecerat, non cessit, ut etiam exserto calamo contra Alcuinum veterem errorem, quem Romæ prius ejurasse videbatur, anno sequenti denuo propugnare, & in publicum proferre ausus sit, immo veteres errores novis cumulare. Hac de re scribens Alcuinus in libro primo [b] contra Elipandum, erroris ejusdem asseclam, & incentorem: *Felix*, ait, *infeliciter ad vestras refugiens partes, sopitos infidelitatis cineres, vobis exhortantibus, resuscitare intendit. cui ego in has advenientis partes caritatis calamo epistolam exhortatoriam, ut se catholicæ adjungeret unitati, dirigere curavi. cui ille non epistolari brevitate, sed libelli prolixitate respondere nisus est, atque in eo omnes perfidiæ vestræ foveas maxime aperuit, asserens Christum, & veterem hominem esse, & nuncupativum Deum, & adoptivum filium, & secunda indiguisse regeneratione, & alia plurima ecclesiasticæ doctrinæ inconvenientia.* Ea de re idem auctor scripsit [c] etiam ad Carolum regem, a quo adjutores poscit Paulinum patriarcham Foro-juliensem, Richbodum episcopum Trevirensem, & Theodulfum Aurelianensem: ex quibus soli supersunt libri tres Paulini de hoc argumento, & septem libri Alcuini contra Felicem. qui tandem his libris convictus, anno Caroli regis tricesimo-secundo Aquisgranum venit, errores iterum abjecit, rediitque ad catholicæ fidei unitatem, testante Alcuino ipso in libro primo adversus Elipandum, qui in hæresi sua obstinatus perseveravit: ad quam etiam Felix, Alcuino mortuo, denuo relapsus est. Adeo difficile est, errorem, quo quis semel imbutus fuerit, omnino ex animo abjicere. Dum hos septem libros Alcuinus episcopis regique ipsi examinandos dedisset, omnibus abbatibus & monachis, qui in Gothiæ partibus erant, epistolam scripsit a clarissimo

c Alcuini ep. 4. & 8.

Scribit ad Gothiæ monachos.

Baluzio nuper vulgatam, in qua, præmissis gratiarum actionibus ob litteras ab eis ad se missas, eos præmunit adversus Felicis impium errorem, mentionemque facit libelli ante contra eum scripti, quem per Benedictum abbatem ipsis direxerat *ad confirmationem fidei catholicæ*. Tum eos hortatur ad servandam caritatem fraternam, & obedientiam secundum propositum regularis vitæ, & stabilitatem in locis suis, ubi se Deo consecrarunt. *Et nolite*, inquit, *deserere monasteria vestra, & vagari per sæculi vanitates. Raro diabolus aperta fronte pugnat contra servos Dei, sed sub figura pietatis, quasi majoris sit utilitatis exire de monasterio, quam permanere. Ovis, quæ de ovili egreditur, & à pastore recedit, lupi patet morsibus.* Quod Malchi monachi exemplo probat.

LX. Benedicti abbatis studium pro doctrina catholica.

Imminebat Feliciana pestis in primis Septimaniæ, utpote vicinæ regioni: ubi ne longius serperet, strenuissime obstitit sanctissimus abbas Anianæ Benedictus. Is cum omnem pæne provinciam Gothiæ a pernicioso Felicis dogmate invadi animadverteret, non modo a pestifero errore illæsus cum suis ope divina evasit, sed & multos etiam ecclesiæ præsules, nedum infimos, suo studio ab hac contagione eripuit, & adversus nefandum errorem veris disputationum jaculis, uti Smaragdus loquitur, armatus, sæpe congressus est. Hinc facile crederem opuscula Benedicti levitæ contra Felicianam hæresim [a] edita esse Benedicti Anianensis abbatis, nisi hunc tum sacerdotem fuisse constaret.

Alius item error eodem tempore ejus provinciæ laïcos afflavit, qui confessionis sacramentum haud necessarium esse dicebant; Deo soli peccata confiteri sufficere asserentes. Hunc errorem egregie convellit [b] Alcuinus, docetque non modo peccata exterius perpetrata, sed etiam interna (quod contra hæreticos notandum) confessione sacramentali expiari oportere. At insignis in primis est ejusdem auctoris epistola, directa *Sanctissimis in Christi caritate fratribus, Deoque in diversis Gothiæ partibus fideliter servientibus*, quos ad promissa Deo vota exsolvenda, & ad regularem disciplinam stabilitatemque retinendam studiose hortatur. Hæc epistola scripta est occasione tribulationis, quæ illis advenerat, cujus nuntio se consternatum fuisse Alcuinus fatetur. Quænam fuerit hæc tribulatio, nos fugit. In ea vero monachos illos virili- « ter agere, & constanti esse animo jubet; & si qualibet angustia urgente locum mu- « tare necesse sit, caveant ne umquam regularis vitæ observatio mutetur, nec tribu- « latio corporis animi fatiget constantiam. «

Alcuini epist. ad monachos Septimaniæ.

LXI. Gislæ abbatissæ Calensi Alcuinus inscribit commentarios in Johannem.

Præerat hoc tempore Calensi parthenoni Gisala, Caroli Magni soror, & forte ibidem, aut certe Argentogili, religiosam vitam professa erat ejusdem Caroli filia Gisla, cujus rogatu commentarios in evangelium Johannis aggressus est Alcuinus, septem libris elaboratos: quorum quinque priores Gislæ & Rictrudæ Deo dicatis virginibus nuncupavit, præfatus, se hos commentarios ex scriptis patrum contexuisse: duos alios sorori Gislæ & Columbæ Deo votæ. His commentariis præmissa est epistola Christi famularum Gislæ atque Rictrudis ad Albinum magistrum, qua eum ad scribendos hosce commentarios hortantur, quos facile ex urbe Turonis, ubi tum degebat Alcuinus, *ad Parisiacam civitatem* perferri posse dicunt. Ex quo intelligitur, Gislam & Rictrudem in proximo Parisiacæ civitati monasterio versatas fuisse, nempe in Calensi aut Argentogilensi, ubi etiam indubie Columba Deo sacrata erat. Eidem Gislæ scriptas fuisse ejusdem Alcuini epistolas quinquagesimam-sextam & sexagesimam inferius ostendemus, in quarum posteriori etiam Columbæ mentionem facit. Ibidem Gislæ in memoriam revocat promissum, quod Avæ sorori de orationibus pro ea fundendis fecerat. Non alia videtur esse illa Dei ancilla, quæ libros novi ac veteris testamenti studiose describi curaverat, qua de re eam laudat Alcuinus in carmine ducentesimo-secundo: cujus duos priores versus sic lego.

Alia ejus opera.

Hunc ancilla Dei jam jusserat Ava libellum
Scribere pro magno Domini deducta timore.

In epistola duobus in Johannem posterioribus libris præmissa, Alcuinus ait, se totius evangelii, id est quatuor evangeliorum, expositionem missurum fuisse, si eum non præoccupasset domini regis præceptum in emendatione veteris testamenti. quippe maximus princeps in quodam [c] capitulari statuerat, quod & missis mandaverat suis, ut in ecclesiis libri canonici veraces, id est emendati, haberentur.

a *Baluz. Miscell. t. 5. p. 30. & seq.*

b *Alcuini ep. 71.*

c *Capitul. lib. 6. c. 227.*

ANN. CHR. 797. quod opus Alcuino demandavit; & ipse hunc laborem sub finem vitæ suæ regia majestate dignum existimavit. Exstat ejusmodi bibliorum codex, Alcuini labor, Baronio teste, Romæ in Vallicellana bibliotheca, ubi velut ingens thesaurus asservatur: ad cujus calcem versus complures leguntur, in quibus hujus recognitionis laus Carolo tribuitur, & codex ipse *Bibliotheca*, ut illis temporibus, id est bibliorum codex, appellatur. Idem Alcuinus, præcipiente itidem Carolo, librum, qui Comes vocabatur, Hieronymo adscriptus, epistolas & evangelia per circulum anni legi solita continentem, emendavit, qualis habetur in illius temporis codice bibliothecæ Carnutensis, in quo hæc leguntur post medium. *Hunc codicem, qui ab ecclesiasticis viris* Comes *appellatur, tua, lector, noverit perspicacitas ab eo codice sumptum, quem constat ab Albino eruditissimo viro, Karolo sapientissimo imperatore præcipiente, lima rectitudinis esse politum atque emendatum. qui codex licet a multis haberetur, a plerisque tamen mendose & non bene distincte legebatur. Ob id studii fuit ejusdem Dei cultoris, ut a præfato viro ad purum corrigeretur, & distinctionibus artis grammaticæ pronunciandi gratia distingueretur: ita videlicet, ut legentibus ejusdem codicis textus iter planum panderet, & audientium auribus nihil inconsonum afferret, simplices quoque errare non sineret. Nobis autem cura fuit ita hunc emendate atque distincte transcribere, sicut ab eodem magistro emendatus exstat atque distinctus.* Hactenus codex Carnutensis. Hic est *lectionarius plenarius a supradicto Albino ordinatus*, cujus mentio fit in chronico [a] Centulensi, ubi habetur thesauri Centulensis descriptio, in quo etiam memoratur *Missalis Gregorianus & Gelasianus, modernis temporibus ab Albino ordinatus.* His adde *homiliarium*, quod a scriptore ejus vitæ eidem tribuitur, quæ omnia, jussu Caroli Magni haud dubie ab Alcuino elaborata, eximium maximi principis in rem christianam studium luculenter probant.

a Spicil. tom. 4. p. 485.

LXII. Pauli diaconi homiliarium. Ejusdem regis mandato editum est aliud homiliarium a Paulo Warnefridi diacono ac monacho Casinensi. quod quidem adstruunt tum ejusdem Pauli versus prædicto homiliario ab auctore præmissi: tum ipsius Caroli Magni epistola, inscripta religiosis lectoribus suæ ditioni subjectis, qua eis utendum hoc homiliarium proponit. Tanti regis præfatio hoc loco, saltem ex parte afferenda, ut ejus in Deum & in ecclesiam eximia pietas magis magisque elucescat. Sic ergo habet initium hujus epistolæ in veterrimo codice Augiensi rectius quam in editis.

Carolus Dei fretus auxilio, rex Francorum & Langobardorum, ac patricius Romanorum, religiosis lectoribus nostræ ditioni subjectis. Cum nos divina semper domi forisque clementia, sive in bellorum eventibus, sive in pacis tranquillitate custodiat; etsi quidquam rependere ejus beneficiis tenuitas humana non prævalet; tamen quia est inæstimabilis misericordiæ Deus noster, devotas suæ servituti benigne approbat voluntates. Igitur quia curæ nobis est, ut ecclesiarum nostrarum ad meliora semper proficiat status; obliteratam pene majorum nostrorum desidia reparare vigilanti studio litterarum satagimus officinam, & ad pernoscenda sacrorum librorum studia, nostro etiam, quos possumus, invitamus exemplo. Inter quæ jam pridem universos veteris ac novi testamenti libros, librariorum imperitia depravatos, Deo nos in omnibus adjuvante, examussim correximus. Accensi præter ea venerandæ memoriæ Pippini genitoris nostri exemplis, qui totas Galliarum ecclesias suo studio Romanæ traditionis cantibus decoravit; nos nihilominus solerti easdem curamus intuitu præcipuarum insignire serie lectionum. Denique quia ad nocturnale officium compilatas quorumdam casso labore, licet recto intuitu, minus tamen idoneas reperimus lectiones, quippe quæ & sine auctorum suorum vocabulis essent positæ, & infinitis vitiorum anfractibus scaterent: non sumus passi nostris diebus in divinis lectionibus sacrorum officiorum inconsonantes perstrepere solœcismos; atque earumdem lectionum in melius reformare tramitem, mentem intendimus; idque opus Paulo diacono, familiari nostro, elimandum injunximus: scilicet ut studiose catholicorum patrum dicta percurrens, veluti florentissimis eorum pratis certos quosque flosculos legeret, & in unum quæque essent utilia, quasi sertum aptaret. Qui nostræ celsitudini devote parere desiderans, tractatus atque sermones & homilias diversorum catholicorum patrum perlegens, & optima quæque decerpens, in duobus voluminibus per totius anni circulum congruentes cuique festivitati, distincte & absque vitiis, nobis obtulit lectiones. Quarum omnium textum nostra sagacitate perpendentes, nostra etiam auctoritate eadem constabilivimus, vestræque religioni in Christi ecclesiis tradimus ad legendum.

Exstant

ANN. CHR. 797.

Exstant homiliæ illæ in duobus magnis voluminibus bibliothecæ Augiensis, ante annos octingentos scriptis, sed absque homiliis posteriorum auctorum, puta Haimonis, Herici, aliorumque, quæ subinde ab interpolatoribus adjectæ sunt, prout in vulgatis libris reperiuntur. Deinde hanc collectionem non esse alterius quam Pauli diaconi ac monachi Casinensis, diserte demonstrant hi versus, eidem homiliario cum aliis [a] præmissi in primo codice Augiensi.

En jutus patris Benedicti mira patrantis
Auxilio, meritisque piis, vestrique fidelis
Abbatis dominique mei, tisi jussa nequivi
Explere ut dignum est: tamen, o pietatis amator,
Excipe gratanter, decus & mirabile mundi,
Qualemcumque tui famuli, rex magne, laborem.

Porro ex inscriptione præmissæ epistolæ, ubi Carolus se tantum regem ac patricium dicit, non imperatorem, hoc homiliarium ante annum octingentesimum factum fuisse intelligimus. quod sane tempus Paulus diaconus non videtur prætergressus. Hic dubium moveri potest, an etiam Alcuinus consimile homiliarium jussu Caroli condiderit. verum hac de re dubitare nos haud sinit Alcuini vitæ scriptor fere æqualis, a quo Alcuinus ex patrum voluminibus homiliarum duo volumina pariter collegisse traditur.

LXIII. Ejusdem homilia de S. Benedicto.

Ante hæc homiliaria aliud Bedæ in usu erat, constans homiliis quinquaginta, de quibus in ejus elogio fuse olim egimus. Harum ultima erat de sancto Benedicto, cognomento Biscopo, abbate & institutore monasterii sui, cujus homiliæ loco Paulus diaconus aliam edidit de magno patre Benedicto, hac admonitione præmissa in codice Casinensi, ex quo eam eruimus. *Quia venerabilis Beda presbyter ultimam homiliarum suarum, hoc est quinquagesimam, de vita & actibus cujusdam Benedicti inclausi sui monasterii pene totam contexuit, qua utique minime ad legendum nostris congruere videbatur officiis: ego Paulus diaconus, extremus beati Benedicti servulus, ne numerus ipse quinquagenarius harum homiliarum esset diminutus, hanc quinquagesimam homiliam ad Dei gloriam, & sanctissimi nostri Patris Benedicti laudem, gratia superna suffragante, composui.* In hac vero Paulus homilia cum multa de sancto Benedicto præclara dicit, tum ejus regulam prædicat, eamque per totum maxime occidentem receptam asserit. nam laudato sancto Patre, qui vivens corporali præsentia « plurimos tum factis, tum verbis condiverat, addit, eumdem usque ad præsentem « diem, præsentem spiritu, non tantum Casinense collegium, sed *per totum maxime* « *occidentem* suos sequaces *erudire, qui per salubrem, rationisque plenam sanctæ institutionis regulam, vitam carnaliam, dissolutionis labe tabidam, restringendo revocat ad salutem.* & inferios. *Proinde, fratres carissimi, nos qui e diversis mundi partibus ad ejus properavimus magisterium, discamus spernere quod sprevit, discamus diligere quod dilexit: & si sequi eum post ad gloriam cupimus, modo ipsius vestigia imitando sequamur.* Ibidem agens de sancti Patris miraculis, quæ *hodieque*, inquit, *per omnes pene christianis cultibus deditas regiones* prædicantur, in exemplum adducit *miraculum, quod ante hoc fere decennium gestum, multisque vestrum*, ait Casinates suos alloquens, *est cognitum*, de muto scilicet ad ejus *sacratissimum corpus* sanato, *qui mox at Benedicti opem totis votis expetiit, linguæ consecutus est officium; & qui nullam ex die ortus sui verbum edere poterat, non solum loquelam propriam, hoc est barbaram, cœpit effari, sed simul etiam & latinam.* Hoc miraculum tempore Theodemari abbatis fusius refert Leo [b] Marsicanus, qui hunc mutum & surdum ait fuisse ex gente Anglorum. Cum vero Paulus dicit, hunc sanatum fuisse ad *sacratissimum corpus* sancti Benedicti, id sine dubio intelligit de ejus tumulo, in quo beatissimi Patris sacri cineres, post ossium translationem in Gallias factam, superfuisse tradit in historia sua, in qua ineluctabile de hac translatione testimonium reddit.

LXIV. Placita duo pro Farfa.

Hoc fere tempore, sub Moroaldo Farfensi abbate, cum missi Pippini regis, Mancio abbas, aliique Spoleti ad universorum causas audiendas resedissent; Johannes monachus querelam apud eos deposuit contra Guinichisum ducem, qui piscatorias suas per singula loca ducatus Spoletani præter jus invaserat. qua de re dux in judicium vocatus respondit, homines suos id citra voluntatem suam attentasse; seque

[a] Analect. to. 4. p. 631.

[b] Chron. Casin. lib. 1. c. 13.

ANN. CHR. 797.

ad eas restituendas paratum esse. Ejus rei placitum refertur in chronico Farfensi nondum edito, ubi id factum legitur anno vicesimo-quarto Caroli, nempe regni Langobardorum. Aliæ chronicæ notæ afferuntur in editis apud Chesnium, quæ ad hoc placitum non pertinent, sed ad aliud paullo ante editum de cella sancti Petri in Classicella, quam quidam cives Brixienses sibi vindicare volebant. cujus rei gratia Pippinus rex Haleboldum abbatem eo misit, qui hanc cellam Farfensibus restitueret. quod factum *sub die undecima mensis Maii, indictione nona.* Hanc cellam antea Farfenses concesserant Ansilpergæ abbatissæ monasterii sancti Salvatoris Brixiensis, sed forte tantum ad vitam, retenta sibi possessione ejus cellæ, quæ sita erat in fundo Sabinensi. Ceterum cujus loci abbas fuerit sive Mancio, sive Haleboldus seu Halaboldus, nobis incompertum. Eadem controversia denuo retractata est in præsentia Johannis beatissimi episcopi & aliorum judicum, *in ipsa missa sancti Anthimi in mense Maïo, quando domnus Karolus ad imperium coronatus est.*

LXV. Ethelardus episcopus Cantuariæ primatum suæ sedi vindicat.

a Stubs X. script. p. 1657.

In Britannia decessit hoc anno Eanbaldus episcopus Eboracensis, cujus successor Eanbaldus alter XIII. kalendas Septembris, die dominica ordinatus est in monasterio [a] Socaburgensi. Principio statim ejus episcopatus actum est cum ipso & cum Ethelardo pontifice Cantuariensi de restituenda Cantuariæ primatus dignitate, quam Rex Offa imminuerat, omnes Merciorum ecclesias, primati Cantuariensi abstractas, subjiciens Liccidfeldensi episcopo, quem archiepiscopi honore & pallio insigniri curaverat. Stetit hæc Cantuariensis ecclesiæ injuria toto pontificatu Jamberti primatis, quamvis nihil ille sumtuum, nihil laborum omisisset, quo sedis suæ dignitatem assereret. Sed tandem id evicit Ethelardus ejus successor, cujus monitis & rationibus Egfridus filius Offæ mollitus, Cantuariensi ecclesiæ priscum restituisset honorem, nisi eum facta de medio tollere properassent. Eo mortuo, Kenulfus successor suadentibus Ethelardo & Eanbaldo acquievit, scriptis ad Leonem papam suo & omnium Britanniæ episcoporum nomine epistolis, quo Cantuariensi ecclesiæ antiqua prærogativa in solidum repararetur. Hanc legationem in se suscepit Ethelardus ipse: quem in procinctu itineris positum Alcuinus litteris monet, ut, cum in Romano illo itinere per Galliam transiens Carolum regem conveniret, non secum adduceret clericos vel monachos [b] *versicoloribus & pompaticis vestibus indutos* (vide piissimi viri religionem!) propterea quod non solerent Francorum clerici, & monachi nisi religiosis vestibus amiciri. Eidem in patriam cum integra dignitate reverso litteris gratulatus est idem Alcuinus, a Willelmo Malmesburiensi
» relatis. Hujus prosperi successus occasione eumdem monet, ut sanctarum scriptu-
» rarum lectio per [c] eum renovetur, & ecclesiastica dignitas ubique exaltetur; utque
» sancta sedes, quæ prima fuit in fide, prima sit in sanctitate & honore. Optat tamen
» ut pius pater, episcopus scilicet Liccidfeldensis, diebus suis pallio non exuatur, sic
» tamen, ut ordinatio episcoporum ad sanctam & primam sedem recurrat.

b Willelm. Malmesb. lib. 1. de regib. c. 4.

c Id. lib. 1 de pont. Angl. c. 2.

ANN. CHR. 798.

LXVI. Centulensis monasterii perfectio & dedicatio.

INter ea Centulensis monasterii novam fabricam urgebat Angilbertus, impensas operi suppeditante Carolo, tanta cum munificentia, ut artificum industriam longe superaret ejus liberalitas, & ante deficeret quis quid operaretur, quam unde operarius remuneraretur. Quin etiam magnificus princeps peritissimos ligni & lapidis, vitri & marmoris artifices direxisse traditur eidem Angilberto: qui regia potestate usus, Centulense monasterium omni splendore & ornatu illustrare cupiens, vehiculis submissis, ex urbe Roma marmora & columnas devehi curavit, missisque varias in partes nuntiis, etiam ex oriente plurimorum sanctorum reliquias impetravit.

Triplex eo in loco ædificata est basilica: prima & princeps in honorem Salvatoris sanctique Richarii, cum antiqua illa beatissimæ virgini Mariæ nuncupata fuisset: altera, ne vir pius Deiparam dehonorasse videretur, sub sanctissimo ejus patrocinio & sanctorum apostolorum: tertia sub titulo sancti Benedicti, & omnium sanctorum regularium abbatum. Ita vero basilicæ illæ dispositæ erant, ut major ecclesia Salvatoris aquilonis partem occuparet; secunda sanctæ Mariæ, quæ inferior, ultra Scarduonem rivulum sita esset ad austrum; tertia sancti Benedicti, quæ minima erat, versus orientem. Ad omnes vero deducebat claustrum, quod triangulare factum est, Scarduone rivulo per medium decurrente, ut rudis totius monasterii conspectus, qualem nobis Hariulfus in chronico suo reliquit, oculis utcumque ma-

nifestum reddit. Salvatoris porro ecclesia habebat ab oriente ingentem turrim post cancellum, ubi sancti Richarii tumulus erat: &, interposito vestibulo, alia turris verius occidentem, priori fere æqualis visebatur. Tumulus vero sancti Richarii ita dispositus erat, ut a parte pedum ejusdem sancti altare esset in loco editiori, & a parte capitis ara sancti Petri apostoli. Denique turris orientalis cum cancello & *butico* seu culmine sancto Richario; occidentalis Salvatori sacra erat. Porro in basilica Salvatoris erant altaria undecim, cum duobus ciboriis seu umbellis, totidemque lectoriis, auro, argento & marmore fabrefactis: in ecclesia sanctæ Dei Genitricis altaria fabrefacta tredecim: in ecclesia vero sancti Benedicti tria. Erant & alia minora oratoria sanctorum angelorum Gabrielis, Michaëlis & Raphaëlis, in quibus etiam tria altaria habebantur. quæ omnes ecclesiæ pretiosissimis vasis & ornamentis, variaque supellectile instructa fuere, quemadmodum Angilbertus ipse litteris consignavit. Omnibus rebus ab eo enumeratis Anscherus addit *instrumenta regii notarii aurea*. Ad libros quod attinet, dedit evangelii codicem auro scriptum cum tabulis argenteis, auro & gemmis ornatum; aliud item evangelium paratum seu ornatum; & ex aliis libris volumina ducenta.

His ita dispositis, piissimus abbas illarum ecclesiarum dedicationem fieri curavit, invitatis ad eam celebritatem decem episcopis, præter Johannem & Passivum sanctæ Romanæ ecclesiæ legatos. Episcopi illi fuere Meginhardus Rodomensis seu Rotomagensis, Georgius, Absalon, Gerfridus, Pleon, Hildeguardus, Theodoinus, Ydelmarus, Benedictus, & Kellanus, ab ipso Angilberto assignati, at sine designatione sedium: ex quibus Georgius videtur fuisse episcopus Ambianensis, Gerfridus Laudunensis, Pleon Noviomensis, Hildeguardus seu Hildoardus Atrebatensis, Theodoinus Teruanensis, Ydelmarus Bellovacensis, aliis Adalmanus; Benedictus Andecavensis. Absalonis & Kellani sedes ignotæ. Non tamen una die, sed diversis, harum ecclesiarum seu earum altarium consecratio facta est. nam major Salvatoris, itemque sancti Benedicti ecclesiæ cum suis altaribus kalendis Januarii ab illis episcopis maxima cum pompa dedicatæ sunt: ecclesia sanctissimæ Virginis VI. idus Septembris, in ejus sacratissima nativitate, a venerabilibus episcopis Georgio, Absalone, Pleone, & Gerfrido consecrata: altare vero beati Michaëlis archangeli, positum in porta meridiana, VIII. kalendas Aprilis in annuntiatione beatæ Mariæ; Gabrielis vero, quod erat in porta occidentali, III. kalendas Octobris ab Hildeguardo episcopo; Raphaëlis vero, quod in porta septemtrionali, pridie nonas Septembris a Jesse episcopo, scilicet Ambianensi, qui anno subsequente Georgio successit. quod argumento est, majoris ecclesiæ dedicationem præsente Georgio factam hoc anno. quod cum Cointius fateatur, fateri etiam debuerat, Angilbertum ante aliquot annos creatum fuisse abbatem, uti & superius probatum, ut tot tantasque res in suo monasterio perficeret.

LXVII. Laus perennis ibidem instituta.

Jam vero ut tantæ Centulensis monasterii magnificentiæ responderet divinorum officiorum dignitas; trecentos monachos ibidem constituit, necnon centum pueros in scholis sub eodem habitu & victu erudiendos, qui fratribus per tres choros divisis ad psallendum & canendum auxilio adessent, ita ut omnes horæ canonicæ in commune a tribus simul choris celebrarentur. quibus expletis, uniuscujusque chori tertia pars egrediebatur ad corporeas necessitates, dum interim duæ aliæ partes divinas laudes prosequerentur. Primus ex illis choris, qui sancti Salvatoris erat, centenos monachos cum quatuor & triginta pueris habebat: secundus sancti Richarii, centenos itidem monachos cum pueris triginta tribus: tertius chorus, stans ad sanctam passionem, id est ad crucifixum, totidem monachos & pueros. Totum hunc locum intellectu non minus quam creditu difficilem sic explicat Anscherus abbas. *Præ omnibus studuit idem memorabilis abbas* Angilbertus, *ut divina laus & sanctorum memoria absque ullo interstitio in ecclesia Salvatoris indefesse haberetur. Ad quod rite tenendum statuit tres semper esse choros: quorum unus ordinate consistebat in turre occidentali coram altari sancti Salvatoris: secundus chorus identidem ordinatus in medio ecclesiæ coram memoria sanctæ Passionis: tertius autem chorus decantabat in orientali parte basilicæ, quæ dicitur thronus sancti Richarii, eo quod altare ipsius sancti in loco editiori ibidem mira honorificentia sit excultum, & ejus sepulcrum juxta positum sit. Et omnes quidem horas canonicas tres chori una semper concinebant: quibus finitis, pars uniuscujusque chori suo loco persistebat, psallens voce mediocri: ceteri interea rela-*

ANN. CHR. 798. *xabant usque ad præfinitum temporis spatium. Cumque hi omnibus se necessariis relevassent; adveniente hora redibant ad exercitium divinæ laudis: & eodem numero quo isti redibant, alii ex eodem choro exibant, reparandi similiter & ipsi usque ad præfinitum tempus. Sic ad mensam, sic ad lectos, sic ad omnia omni tempore exibant, ut indeficiens psalmodia in ecclesia Salvatoris omni tempore permaneret.* Hactenus Anscherus, cujus verba hoc loco vice commentarii esse possunt.

Illud etiam observatum, ut unaquaque die, si non plures, saltem triginta missæ privatæ a fratribus diversorum chororum per diversa peragerentur altaria, præter duas conventuales, quæ mane & meridie sollemnissime celebrabantur: in quibus quotidie memoria sanctissimi papæ Hadriani, & gloriosi augusti Caroli, conjugisque & prolis ejus fieret. ubi mirum est Leonem papam, qui tum vivebat, prætermissum fuisse. Ad hæc post matutinalem ac vespertinalem synaxim, omnes chori ex ordine ante sanctam passionem conveniebant, decem tantum psalmistis, ne laus divina in majori ecclesia tantisper interrumperetur, in unoquoque choro remanentibus; & sic per portam sancti Gabrielis ac per aulam domini abbatis procedentes, per occidentalem claustri regionem cantando veniebant ad sanctam Mariam; & oratione ibidem facta, ad sanctum Benedictum, situm in parte claustri orientali; atque inde per gradus arcuum intrabant ad sanctum Mauricium, ac demum in sancti Richarii basilicam, ubi suis choris restituebantur.

LXVIII. Centulenses quidam ritus insignes. Qua vero majestate ac reverentia divina ibidem officia celebrarentur nos, docet unum & alterum specimen, quod hoc loco exhibere juvat ex veteri codice, olim Petavianæ, tum serenissimæ reginæ Sueciæ, nunc bibliothecæ Ottobonianæ. In eo » codice Angilbertus abbas ordinasse dicitur, ut in die sanctissimo paschæ & in nati» vitate Domini fratres & ceteri omnes, qui in ecclesia Salvatoris ad missam conve« niebant, in eadem ecclesia communionem perciperent. Dum vero fratres & reli» qui clerici ab illo sacerdote, qui ipsa die missam cantasset, communicabantur, ut » alii duo sacerdotes cum duobus diaconis totidemque subdiaconis, unus viros, alter » mulieres ibidem communicaret, ut clerus & populus simul communicati bene di» ctionem, ac completionem missæ simul possent audire. quo facto, duo illi sacerdo» tes, unus ad unum ostium, alter ad alterum, pueros ex ambulatoriis seu portici» bus superioribus descendentes communicabant: ac deinde uterque cum suis ministris » ad extremum stantes, forte altaris, gradum, communicabant eos, qui ad prædi» cta loca communicaturi non occurrissent. quod ut rite fieret, idem abbas ordina» verat, ut in duobus illis festis quatuor sacerdotes, totidemque diaconi ac subdia» coni sacerdoti sollemnem missam celebranti adessent. Hæc de primo ritu.

Alter est de majoribus litaniis, ad quas sollemnius faciendas cruces & processiones vicinarum septem ecclesiarum ad sanctum Richarium convenire debebant. Cum » eo venissent, omnes simul consistebant ad paradisum sive atrium ecclesiæ coram » sancta nativitate, atque oratione facta, ibidem ordinate persistebant, divisis hinc » inde viris a septemtrione, feminis a meridie, præstolantes, dum fratres cum scho» la, id est pueris, de ecclesia sancti Richarii egrederentur. Et primo quidem per por» tam sancti Michaelis procedebat is, qui vas aquæ benedictæ ferebat, deinde tres » alii totidem turibula gestantes: tum cruces septem, quas sequebatur capsa major basi» licæ sancti Salvatoris, media inter tres hinc inde sacerdotes, qui minores capsas gesta» bant. Postea subsequebantur septeno quique numero diaconi, subdiaconi, acolythi, » exorcistæ, lectores & ostiarii; ac deinde reliqui monachi septeni & septeni, ne, » si bini vel terni incessissent, milliarii spatium implevissent. Hos omnes dein subse» quebantur pueri septem cum totidem flammulis seu tædis, & post eos viri nobiles » septeni & septeni, a præposito vel decano electi: quibus nobiliores feminæ eodem » ordine succedebant. Post hos omnes procedebant septem cruces forensium ecclesia» rum, quas sequebantur pueri & puellæ cantandi periti, quæ orationem dominicam, » symbolum, aliaque similia concinebant. deinde honorabiliores viri ac feminæ ex il» lis ecclesiis; extremo loco promiscua turba infirmorum ac senum septeno ritu iti» dem pedibus incedentium: qui autem præ infirmitate non poterant, equitando sub» sequebantur. His ita ordinatis, procedebatur per medium monasterii, dein per pu» blicam viam, & per portam meridianam, murum gyrando, revertebantur per por» tam septemtrionalem. In his vero majoribus litaniis, post antiphonas, psalmos, alia» que id genus, cantabantur tria symbola, apostolorum, Constantinopolitanum, &

AN. CHR. 798.

sancti Athanasii; deinde oratio dominica; & post litaniam generalem, fratres cum » schola puerorum litanias concinebant, primo *Gallicam*, secundo *Italicam*, tertio « *Romanam*: quibus postremo succedebat canticum *Te Deum laudamus*, & postea « missa sollemnis ad sanctum Salvatorem. Vereor ne his referendis nimius sim: ea vero tam singularia mihi visa sunt, ut ex hoc me facile veniam ab æquis lectoribus impetraturum confidam.

LXIX. Monasterii officinæ & artes.

Quod reliquum est, monasterium ad præscriptum sanctæ regulæ ita dispositum erat, ut artes omnes, atque omnia opera necessaria intra loci ambitum exercerentur. Primo enim aqua rivuli Scarduonis medium præterfluens claustrum, ibidem farinarium in usus fratrum volvebat. Deinde opidum ipsum varias artificum habebat regiones seu vicos, veluti totidem monasterii officinas, quæ monachis variam supellectilem variasque species ad certum numerum subministrabant. nempe vicus negotiantium, quolibet anno pallium unum pretii centum solidorum; vicus fabrorum, ferramenta; vicus scrutariorum, operimenta librorum; vicus sellariorum, sellas equorum; vicus pistorum, certam panum quantitatem; vicus sutorum, calceamenta famulorum; vicus lanistarum, sagimen; vicus fullonum, filtra; vicus pellificum, pelles; vicus vinitorum, vinum & oleum; vicus cauponum, cervisiam; vicus militum centum & decem milites continebat, quorum unusquisque semper equum, scutum, gladium, lanceam, ceteraque arma militaria in promtu habere debebat. Erat & capella nobilium, quæ singulis annis libras duodecim thuris & thymiamatis solvere tenebatur: erant & capellæ promiscui vulgi quatuor, quarum unaquæque centum libras ceræ, incensi vero tres reddebat. Porro in illo opido erant mansiones hominum sæcularium duo millia quingentæ, ex quibus singulæ certum censum quotannis persolvebant. Ad hæc ibidem erant pauperes quotidiani treceni, viduæ centum quinquaginta, clerici sexaginta, qui stipe monasterii alebantur. Ad hos sumtus faciendos suppetebant mansi plurimi, & villæ ad centum & duas, *per modum advocationis* ad idem monasterium pertinentes, ex calculo Johannis de Capella; præter centum & septemdecim villas, quas totidem milites seu nobiles viri in beneficium seu in feodum tenebant, eo pacto, ut militiam, ubi res exigebat, pro abbate & conventu suis sumtibus exercerent, & in festis nativitatis Domini, paschæ, pentecostes, & sancti Richarii cum suo comitatu in ecclesia Centulensi se sisterent. Ceterum eo tempore, quod mirere, oblatio ad sepulcrum sancti Richarii fieri solita, valebat qualibet hebdomada marcas ducentas, aut trecentas libras, præter alia donaria, testante Hariulfo.

LXX. Forestensis cella S. Richario restituta.

Post ecclesiarum suarum dedicationem Angilbertus apud Carolum satis egit, ut cella Forestensis, ubi sanctus Richarius supremos absolverat dies, in jus monasterii, a quo nescio quo casu abstracta fuerat, regia auctoritate restitueretur. Abest hæc cella, exigua modo abbatia, a Centula quinque circiter passuum millibus, sita in silva, quæ vocatur Forestis, alias Crisciacensis, prope vicum Argubium. Hanc cellam rex Angilberto restitui jussit, *ejus servitio & meritis compellentibus*: ita ut deinceps hic locus ac Centulense monasterium sub unius abbatis regimine consisterent. Datum est diploma in palatio Aquisgranensi IV. kalendas Maii, anno vicesimo-nono & vicesimo-quinto Caroli regis, qui calculus præsenti anno convenit. Ercambaldus regias litteras recognovit. Non multo post, id est principatu Ludovici, erant in illa cella tres ecclesiæ, nempe sanctæ Mariæ, sancti Petri, & sancti Richarii, cum varia supellectile, variisque ornamentis; ibique degebant triginta canonici, subjecti abbati Centulensi. Hæc satis modo de hoc monasterio, quod nuper illustrissimus abbas Carolus *Daligre*, regi ab intimis regni consiliis, cooperantibus monachis nostris, in antiquum splendorem restituit, monachorum numero longe inferius, at ædificiorum elegantia & pretiosa supellectile forte non impar.

LXXI. Leidradus episcopus Lugdunensis.

Ad hunc fere annum pervenit Ado pontifex Lugdunensis, post quem nepos ejus Ilduinus brevi tempore illam ecclesiam, sed non episcopus, rexit; moxque Lirinum secedens, monasticæ vitæ institutum professus est. Dein communi omnium suffragio electus Leidradus, patria Noricus, teste Theodulfo episcopo Aurelianensi, qui cum eo missus dominicus per Galliam Narbonensem a Carolo dictus est statim a sua electione. Ad eum recens electum scripta videtur Alcuini epistola octogesima-sexta, sub hac inscriptione: *Pontifici fratri, amico Liobrado electo.* ubi legendum *Liodrado*, quem idem auctor sæpius alibi laudat, & quidem hoc ipso anno

ANN. CHR. 791. in epistola sexagesima nona ad fratres Lugdunenses, id est Insulæ-barbaræ monachos, forte etiam Athanacenses. In illa epistola, quæ scripta est contra quosdam Hispanorum errores, principio testatur Alcuinus, audita per Leidradum electum pontificem horum fratrum religiosæ in Christo conversationis laudabili sollicitudine, se magno gaudio fuisse delibutum, quod Christus tales adhuc in his diebus, quando multorum refrigescit caritas, sui sancti nominis habeat confessores: qui onera secularium occupationum abjicientes, leve Christi jugum propriis imponere cervicibus gestiunt. Verum in cœpto perseverandum: cui rei necessaria sit in primis humilitas obedientiæ; evitandos etiam errores & novas sectas; ac perinde sanctorum patrum sequenda vestigia, & universali ecclesiæ ac traditioni sanctissima unitate & unanimitate adhærendum. Fugiendum in primis errorem Adoptivorum, aliosque Hispanorum errores, quorum aliqui nuper ausi sint affirmare, salem, in sacrificium corporis Christi esse mittendum, quam consuetudinem nec universalis ecclesia, nec Romana observat auctoritas. Tertium item errorem ex iisdem partibus contra universalem etiam ecclesiæ morem delatum esse, quibusdam asserentibus, in baptismo sub invocatione Trinitatis unam esse mersionem faciendam: cui sententiæ, sive, ut putabat, errori, Leonis Magni & sancti Hieronymi auctoritatem opponit. In sequenti vero epistola, quæ præcedentis appendix est, sibi objicit locum ex quadam epistola Gregorii Magni, qui unicam mersionem ait posse sufficere, quam epistolam in epistolari suo libro, qui Roma ipsi allatus fuerat, non inveniri dicit. Quamquam hanc epistolam Gregorii genuinam esse demonstrant Isidorus Hispalensis episcopus in libro de scriptoribus ecclesiasticis, concilium Toletanum quartum in canone sexto, & Johannes diaconus in libro primo de vita ejusdem Gregorii. In fine hujus appendicis rogat ejus epistolæ exemplar fratribus, *qui in insula Lirina Deo deserviunt*, dirigi, qui ipsum de hujusmodi quæstionibus interpellaverant. Hoc Insulæ-barbaræ monasterium Leidradus postea instauravit jussu Caroli Magni, qui ibidem præfecit domnum Benedictum abbatem, cum quo simul illuc *suos codices* direxit, ut scribit Leidradus ipse in epistola ad Carolum, ubi tunc monachi secundum regularem disciplinam, numero triginta, habitabant.

Alcuini epistola ad fratres Lugdunenses.

LXXII. *Miciacensis monasterii reparatio.* Id sine dubio intelligendum de Benedicto abbate Anianæ, per quem Theodulfus episcopus Aurelianensis idem præstitit in Miciacensi monasterio suburbano. Uterque, Leidradus nimirum & Theodulfus, Benedicti & Anianensium cognitionem hauserant in legatione sua, dum missi dominici directi sunt ad perlustrandam totam provinciam Narbonensem. quod factum statim atque Leidradus ordinatus fuit antistes Lugdunensis. Erat eo tempore Miciacense monasterium ferme redactum in solitudinem, quod Letaldus monachus bellicis procellis tribuit, quæ paullo ante inter Pippinum regem & Waifarium ducem Aquitaniæ motæ fuerant. ex quo factum est, ut, rebus ac possessionibus ejus loci militari licentia profligatis, nullus monachorum illic residere posset, dum habitacula eorum essent vel secularium hominum & feminarum diversoria, vel stabula equorum, & eanum pastiones. Theodulfus itaque loci quondam celebris infelicem statum miseratus, hunc in antiquum revocare splendorem animo statuit; & cum in contiguis regionibus minus idoneos ad id efficiendum invenisset monachos, tales ex Septimaniæ partibus adscivit, quibus & locum tradidit, & res eidem loco quondam attributas, quibusdam de suo adjectis. Nec eum pœnituit sui facti. quippe cujus temporibus in tantum ejus loci gloria & decus enituit, ut veteris ignominiæ dedecus penitus absterserit, & præteritorum dispendia fructus subsequentes compensaverint. Duos hanc in rem monachos primum Theodulfus obtinuerat a Benedicto, cui hoc nomine gratias agit, eumdemque ad alios mittendos hortatur, scripto [a] ad eum carmine, in quo Benedictum Anianensem cum magno Benedicto Casinate comparat his versibus, quibus jam cœptum opus gratulatur.

[a] *Theodulf. lib. 2. c. 6.*

I mea charta celer Benedicti ad tecta beati,
Hocque salutato, tecta revise patrum.
Huic salveque, valeque meum, huic singula narra,
Prospera quæ nobis sunt, tribuente Deo.
Inde refer multas misso pro munere grates:
Utque libens mittat plura, precare, libens.

ANN. CHR. 798.

Utque pium consurgat opus, fundamine jacto,
Quod me jam mulcet, jam mea corda fovet.
Sit melius culmen: bonus est fundaminis ordo,
Quem gemini numeri sorsque decusque sacrat.
Ecce duo monachi duo sunt præcepta salutis,
Divino ut vinctus sit quoque fratris amor.

& infra:

Semina tu nostros misisti parva per agros:
Plurima mitte; seges hic tibi grandis erit.
Non distes merito, cujus non nomine distas:
Nominis & meriti sors beet una duos.
Quod fuit Ausoniis Benedictus rector in arvis,
Hoc modo tu in nostris es, Benedicte, locis.
Ut cerebro Euphorbi Samius satus esse putatur,
Sic NuriI patris in te revocatur opus.
Ut per Teudulfum Teudulfi verba precantis
Imples, cumque una it hinc prece nomen idem:
Sic Benedictus es per te, Benedicte, quod optat
Conferat, & voti tu mediator eas.
Quodque fuit, Casine, tibi pius hic pater olim:
Hoc modo sit cella, urbs Aureliana, tua.
Quam bene Mitiacum vocitavit prisca vetustas,
Quæ fuit auspicium mitibus ante choris.
Maximinus ibi, fratrum vernante corona,
Præfuit: his junctus scandit ad astra poli:
Corpora sunt quorum variis tumulata sepulcris:
Sunt animæ in sinibus, sed, patriarcha, tuis.
Has fera barbaries, exemto munere pacis,
Dejecit sedes, destituitque locum.

ubi Theodulfus itidem bellicis cladibus tribuit excidium monasterii Miciacensis, cujus etymon a mititate deducit: tametsi apud veteres passim non *Mitiacum*, sed *Miciacum* scribitur, quod & vernacula pronuntiatio confirmat. Sane locus ita dictus erat, antequam illic monachi a Maximino abbate instituerentur; nec proinde sic appellatus est a mitibus illis monachorum choris, quod Theodulfus ludendo probare videtur. Bis duodenos dehinc monachos a Benedicto illuc cum suo præfecto missos fuisse testatur Ardo, quibus non parva novorum monachorum turba subinde accessit. Primus ab instaurato monasterio abbas an Drutesindus, cujus rogatu Ludovicus Pius Miciacensibus facultatem [a] concessit habendi tres naves per Ligerim, aliaque flumina discurrentes, anno primo imperii sui.

[a] *Capitul. to. 1. col.* 1406.

LXXIII. Corbiniacensis cellæ condendæ facultas data.

In prædicta legatione Theodulfus obiter forte lustravit Flaviniacense in Burgundia monasterium, cujus abbas Manasses eum rogavit, ut a Carolo rege construendi apud Corbiniacum, Morvennici pagi apud Æduos vicum, cœnobii facultatem sibi obtineret. Annuit rex Theodulfo [b] id petenti, eo quidem pacto, ut monachi, qui eo mitterentur, ne quando sui eos officii invaderet oblivio, identidem ad Flaviniacense monasterium revocarentur, ibique regulari disciplinæ denuo assuefacti, postea Corbiniacum reverterentur meliores. In fine epistolæ Manassæ abbati directæ, Carolus ait se ei mittere capsam argenteam, sepulcri Salvatoris, & sancti Jacobi apostoli fratris Domini reliquias continentem, orans, ut sui, liberorumque suorum memores sint apud Deum. Hanc epistolam Rado scripsisse dicitur, anno Caroli regis octavo: sed mendose, cum non nisi longe post id tempus creatus fuerit episcopus Theodulfus, quem rex in hac epistola episcopum Aurelianensem atque abbatem cœnobii Floriacensis appellat. quam sane epistolam eo facilius admitto, quod Sirmundus, vir emunctæ naris, eam ipse propria manu descripsit. Effectu nihilo minus caruit hæc Caroli concessio ad tempus Caroli Calvi, cujus principatu Eigil abbas Flaviniacensis cellam Corbiniaci exstruxit.

[b] *Labbe to. 1. bibl. p.* 270.

LXXIV. Insulæ barbaræ instauratio & status.

Ad Leidradum revertor, & ad Benedictum abbatem, per quem rex Carolus *suos codices*, uti jam monui, ad Insulæ-barbaræ monasterium transmisit, cum istuc,

ANN. CHR. 798.

restituendæ regularis disciplinæ causa, profectus est, invitante Leidrado archiepiscopo. Fallitur Paradinus, cum id tribuit Benedicto, si quis fuit, abbati Agaunensi: cum constet tum ex Ardone, tum ex epistola Indensium monachorum, Insulæ-barbaræ monasterium fuisse ad strictiores regularis disciplinæ leges revocatum per Benedictum Anianæ abbatem, quem locum pro Agauno Paradinus perperam usurpavit. Leidradus itaque, ut scribit Ardo, monasterium Insulæ-barbaræ instaurare volens, studiose perquisivit, qui loci incolis initium bonæ vitæ ustenderent; accepitque a Benedicto electos ex ejus grege discipulos, numero viginti, tot enim in ejusmodi colonias Benedictus mittere consueverat, quibus *rectorem* præposuit, factos postea in gentem magnam. Sic *rectores* novarum illarum coloniarum præfectos vocare solet Ardo, non abbates, quibus Benedictus omuium rector & abbas quasi generalis præerat. Hunc tanti fecit Leidradus, ut ei, quod complures ejus antecessores superioribus Insulæ-barbaræ abbatibus tribuerant, potestatem ligandi & solvendi in sua diœcesi concesserit, simulque inquirendi de catholica fide, ne hæreses aut errores in ea disseminarentur. Quin etiam eidem ab ipso Leidrado commissa est cura regendi ecclesiam Lugdunensem, sede vacante. quas prærogativas etiam ad ejus successores transmitti voluit. Res tanti momenti ipsis Leidradi verbis hoc loco referenda est, ex ejus epistola ad Carolum Magnum. *Monasterium regale Insulæ-barbaræ, situm in medio Araris fluvii.* [*quod antiquitus est dedicatum in honore sancti Andreæ apostoli & omnium apostolorum, nunc autem in honore sancti Martini recens videtur esse fundatum jussu domni Caroli imperatoris, qui ibidem præfecit domnum Benedictum abbatem, cum quo simul direxit ibi suos codices*] *ita restauravi, ut tecta de novo fuerint, & aliqua de maceriis a fundamentis erecta: ubi nunc monachi secundum regularem disciplinam, numero nonaginta habitare videntur. Cui etiam abbati tradidimus potestatem ligandi & solvendi, uti habuerunt prædecessores sui, scilicet Ambrosius, Maximinus, Licinius, clarissimi viri, qui ipsum locum rexerunt: quos Encherius, Lupus, atque Genesius, ceterique episcopi Lugdunenses, ubi ipsi deerant, aut non poterant adesse, mittebant, cognituros, utrum catholica fides recte crederetur, ne fraus hæretica pullularet. quibus illis in tantum erat commissa cura, ut, si ecclesia Lugdunensis viduaretur proprio patrono, ipsi in cunctis adessent rectores & consolatores, quousque ecclesia a Domino dignissimo illustraretur pastore. Nos similiter posteris illorum hanc potestatem tradidimus.* Hactenus verba Leidradi: ex quibus discimus, hoc monasterium, quod a Sarracenis destructum fuerat, Caroli jussu & subsidiis, a Leidrado instauratum fuisse; atque ob id regale appellatum; ac deinceps titulo sancti Martini insignitum, quod sanctum Andream apostolum initio patronum habuerat. Ad hæc Carolum *suos codices* per Benedictum eo direxisse. quod de quibusdam tantum codicibus, non de palatina bibliotheca intelligendum. Non me fugit hanc de bibliotheca parenthesim quibusdam videri glossema, quod e margine in textum irrepserit. at, ut res ita habeat, vetus illud glossema est a quopiam additum, qui rem ipsam propius noverat. Certe ante extremam cladem huic loco ab hæreticis inflictam, insignis erat ibidem bibliotheca, idque litteris contestatus est Dionysius Simon de Marquemonte, Lugdunensis ineunte sexto-decimo sæculo antistes, dum auctoritate apostolica hunc locum gubernandum suscepisset. neque enim alteri tribuenda puto hæc verba, quæ in præfatione ad librum, cui Rudera * Insulæ-barbaræ titulus est, leguntur in hunc modum. *Est in agro Lugdunensi insula quædam, quam Barba appellant incolæ, docti vero Barbaram, medium alveum Araris findens: in qua pervetus ac sanctum monasterium exstructum fuit, & magna totius provinciæ veneratione celebratum; sed ita superiori bello ab hæreticis disturbatum atque dirutum, ut nihil in eo, nisi loci cujusdam divinioris vestigia superesse videantur. Id cum ego multis jam superioribus annis auctoritate sedis apostolicæ, uti fit, gubernandum suscepissem, cum multa in eo offendi pietatis antiquæ monumenta, tum vero præcipue bibliothecam opulentam. quam cum studiose lustrassem, offendi commentarios Rufini presbyteri Aquilegiensis in septuaginta-quinque Davidis psalmos, notis & characteribus, qui summam antiquitatem præ se ferrent, descriptos, & membranis propemodum exesis, ac ipsa vetustate ac situ attritis commendatos.* Successit illa hæreticorum strages monasterii ad sæcularem statum permutationi, cujus quidam veluti fructus funestissimus fuit.

* *Les Masures de l'Isle-barbe.*

LXXV. Item S. Georgii & S. Petri Lugduni.

Præter hoc virorum monasterium duo etiam alia puellarum restruxit idem antistes,

ANN. CHR. 798.

tes, ut fidem facit eadem ejus epistola his verbis. *In eadem civitate alias restauravi ecclesias, unam quidem in honore sanctæ Eulaliæ, ubi fuit monasterium puellarum in honore sancti Georgii, quam de novo operui, & ex parte macerias ejus a fundamentis erexi. Alia quoque domus in honore sancti Pauli de novo operata est. Monasterium quoque puellarum, in honore sancti Petri dedicatam, ubi corpus sancti Annemundi martyris humatum est, quod ipse sanctus martyr & episcopus instituit, ego a fundamentis tam ecclesiam, quam domum restauravi: ubi nunc sanctimoniales, numero triginta-duæ, secundum institutionem regularem viventes, habitare videntur.* Memoratur in veterrimo necrologio Augiensi Deidona abbatissa ex monasterio sancti Petri puellari post Bartholomæum abbatem Insulæ-Barbaræ, qui Campioni Benedicti successori, aut potius vicario, suffectus fuit, & Stephanum abbatem ex monasterio sancti Ragneberti in pago itidem Lugdunensi. Insigne est etiam nunc Lugduni puellare hoc sancti Petri monasterium, de cujus origine in primo Annalium nostrorum volumine egimus.

LXXVI. Theodoldi comitis donatio pro S. Dionysio.

Non prætermittenda est hoc loco donatio Theodoldi seu Theudaldi comitis, ineunte hoc anno facta monasterio sancti Dionysii sub Fardulfo abbate. Inciderat hic comes in suspicionem conjurationis a Pippino initæ contra Carolum regem, ob idque bonis omnibus spoliatus fuerat. Comperta demum ejus innocentia, rex eum ab hac suspicione liberavit, eique bona sua restitui jussit, cujus absolutionis ac restitutionis præceptum [a] anno superiori Aquis palatio confectum legitur. Theodoldus vero, grati in Deum animi causa, præsenti anno insignem donationem [b] fecit ecclesiæ sancti Dionysii, conferendo res quasdam proprietatis suæ, in villis Brogaria & Bagerna, necnon in villa Lis ad fluvium Hisseram seu Isaram, & in Caugia super fluvio Tuva, & in Villariculo, sitas in pago Camliacensi. unde conjectura est, Theodoldum fuisse comitem Bellovacensem, aut Parisiensem. Actum in Brogaria * ante basilicam sancti Viviani, XIII. kalendas Januarii, anno tricesimo Caroli regis. His litteris subscribunt multi optimates. Is est Theudoaldus comes, (sic varie nomina propria olim scribebant) qui placito [c] Caroli Magni cum aliis interfuit anno regni septimo, quo Placitum sancto Dionysio assertum est contra Herchenradum seniorem episcopum Parisiensem.

a Diplom. p. 504.
b Ib. p. 505.
* Bruiere.
c Ibid. p. 51.

ANN. CHR. 799.

LXXVII. Leo papa lingua & oculis mutilatus.

Anno ejus sæculi penultimo dirum facinus in Leonem papam patratum. Auctores fuere Hadriani pontificis recens mortui familiares, & cum his Paschalis primicerius & Campulus saccellarius, principes civitatis, qui tum studio rerum novandarum; tum ira inflammati in Leonem, specie, quod Hadriani acta quædam rescinderet; re, quod eorum vitæ sordes insectabatur, Leoni vicissim quædam crimina more accusatorio objecerunt, & cum ea probare non potuissent, alia ratione proprium dedecus ulcisci constituerunt. Agebantur VIII. kalendas Maii natalitia sancti Georgii martyris, quo die, ex veteri ecclesiæ instituto, pontifex sollemnem cleri, populique supplicantis pompam ab æde sancti Laurentii in Lucina, ad ædem sancti Georgii martyris ducturus erat, ibique rem divinam facturus. Procedentis latera Paschalis & Campulus de more einxerunt; atque ubi ad ædem sanctorum Stephani & Silvestri ventum est, socii eorum ex condicto repente ex insidiis erumpunt, atque impetu facto, Leonem in terram abjectum, sacris vestibus exuunt, eique oculos elidere, & linguam præcidere contendunt; multisque dein plagis affectum, sanguine cruentum & semianimem, in monasterium sancti Erasmi artæ custodiæ tradunt. Asserunt plerique auctores, oculos re vera pontifici penitus avulsos, linguamque præcisam, reis negantibus id omnino factum, sed solum tentatum confitentibus. quod æque mirum est non accidisse, ut recte canit [d] Theodulfus his versibus.

Seditiosa cohors Judam est ex parte secuta;
Ille necem Domini, præsulis ista volens.
Reddita namque negat, negat hæc ablata fuisse:
Hæc auferre tamen se voluisse canit.
Reddita sunt: mirum est: mirum est auferre nequisse:
Est tamen in dubio, hinc mirer, an inde magis.

d Theodulf. lib. 3. c. 6.

Interim Albinus cubicularius pontificis cum aliis ejus necessariis noctu ad monaste-

ANN. CHR. 799.

rium venit, ac custodes frustratus, Leonem inde extractum in basilicam Vaticanam perduxit, obstupescentibus omnibus, quod pontificem oculorum ac linguæ usu præditum, atque omnino vigentem sanatumque viderent.

Erant tunc temporis Romæ Caroli duo legati, Wirundus abbas Stabulensis, & Winichisus dux Spoletanus, qui simul Leonem in urbem Spoletum, contractis inde copiis, incolumem perduxerunt. Deinde ad Carolum, unicum ea tempestate Romanæ ecclesiæ præsidium, hujusce calamitatis nuntius missus est. quo cum horrore audito, Carolus Leonem in Franciam adduci jussit, eumque regia plane magnificentia venientem Paderbornæ excepit, & se pontificis injuriam quam primum ulturum pollicitus est. Transacta dein æstate, pontifex Romam cum honestissimo comitatu remissus, dum Carolus ad Romanum iter se accingeret: ubi pridie festum sancti Andreæ summo cum honore ab omnibus acceptus est. Post aliquot inde dies legati regis, qui pontificem prosecuti fuerant, in aula pontificia consedere, & quæstionem de conjuratis exercuere, eosque, cum nonnisi vana & inania afferrent, in Franciam vinctos ad Carolum misere.

LXXVIII. Alcuini hac de re litteræ.

Duas tunc epistolas rex ad Alcuinum scripsit: unam, ut eum de rebus in Leonem gestis certiorem faceret: alteram, ut eum ad iter Romanum invitaret. Ad utramque respondit Alcuinus: & ad priorem [a] quidem, sepositis aliis negotiis, summi pontificis injuriam mature ulciscendam. Indignum esse, ut in Romana sede, ubi religio maximæ pietatis quondam claruerat, extrema impietatis exempla nunc emerserint, ita ut quidam perversi homines *caput proprium* exexcaverint. Nequaquam capitis curam omittendam: levius esse pedes dolere, quam caput. In posteriori epistola [b] ait, regias litteras sibi ex Wico seu cella sancti Judoci, ubi res quasdam ordinandas habuerat, reverenti; & regis sororem, nempe Gisalam, fortean in parthenone Calensi, cujus abbatissa erat, visitanti, redditas fuisse. tum iterum regem hortatur ad ulciscendam pontificis injuriam; ac demum rogat, ut a Romano itinere se hominem infirmum, & continuis fractum doloribus, excusatum velit: ut cum suis apud sanctum Martinum regis iter precibus Deo commendare possit. Ad has Alcuini litteras Carolus, quæ optimi principis dignatio erat, rescripsit, Alcuino per jocum improperans, quod fumo sordentia Turonum tecta auratis Romanorum arcibus præponeret. cui festive respondit [c] Alcuinus, magis ferrum nocere oculis, quam fumum. urbem Turonum, fumosis tectis contentam, Deo donante, ex regiæ bonitatis providentia in pace permanere: Romam vero, quæ fraterna discordia initiata fuerat, insitum dissensionis venenum hucusque retinere; regemque, ad hujus pestis compescendam perniciem, e dulcibus Germaniæ finibus accersere.

a Alcuin. ep. 11.
b Id. ep. 12.
c Id. ep. 13.

LXXIX. Benedictus cum legatis ad Felicem missus.

In his curis maximus princeps de exstinguenda Feliciana hæresi, deque reducendo ad officium Felice serio cogitabat. Quam ob rem missi ab eo legati Urgellum Leidradus pontifex Lugdunensis, Nefridius archiepiscopus Narbonensis, & cum eis venerabilis Benedictus Anianæ abbas, quorum plurima erat apud Carolum auctoritas. Ubi Urgellum advenere legati, synodum ibidem habuere cum episcopis & abbatibus provinciæ Gothiæ, quod primus observavit [d] illustrissimus Petrus de Marca, ut contumaciam Felicis blandis collocutionibus mollirent. Felix a synodo conventus spopondit, se ad regis audientiam venturum, & fidem catholicam amplexurum, si amica collocutione, vi omni remota, veterum patrum testimoniis ostenderetur assertiones ipsius esse a veritate alienas. Id Felici bona fide pollicitus est Leidradus. Quare Felix anno Caroli gloriosi principis tricesimo-secundo, quæ verba sunt Alcuini in libro primo contra Elipandum, quod tempus in hunc annum incidit, voluntarie veniens ad Aquisgranense palatium, publice confutatus est ab episcopis, & propter frequentes lapsus episcopatu dejectus, ablegatusque Lugdunum est. Mox egregiam fidei confessionem ad clerum populumque Urgellensem misit; creditumque est id sincere egisse. tametsi post ejus mortem, quæ Lugduni, Carolo exstincto contigit, inventa est ab Agobardo inter ejus schedulas contraria fidei formula, ex qua eum decessisse hæreticum haud obscure colligitur.

d Marca Hisp. p. 270.

Interim Alcuinus quatuor adversus Elipandum libros (sic rerum seriem instituit Cointius) conscripsit, illosque Leidrado, Nefridio & Benedicto legatis transmisit, perlegendos in itinere, quod in Hispaniam *iterum* suscepturi erant anno sequenti. Forte altera hæc legatio a Carolo demandata fuit, ut Elipandus, quod Felix in

speciem fecisse videbatur, rediret ad saniorem mentem. Hunc autem resipuisse tradit vitæ sancti Beati abbatis scriptor, vereor nt satis idoneus auctor ad id persuadendum: quem tamen Mariana, aliique scriptores Hispanici secuti sunt. Forte certius est id, quod ait idem auctor, Beatum anno superiori ad cælum migrasse XI. kalendas Martii, sepultumque fuisse apud Vallem-cavam, ubi & decesserat.

ANN. CHR. 799.

Cum Paderbornæ moraretur Carolus, capitulare * edidisse creditur illud, quo se LXXX.
purgare dignatus est adversus eos, qui capitulare ante annos octodecim Wormatiæ editum, ne in posterum episcopi & sacri ministri ad militiam ire compellerentur, in malam partem detorquebant: quasi honores sacerdotum, & res ecclesiarum auferre, vel minuere illo capitulari voluisset. Immo vero testatur hoc postremo capitulari, quanto quis eorum amplius suam normam servaverit, tanto eum amplius se honoraturum, & cariorem habiturum. Et ut hæc certius credantur, præcipit, ut nullus, nisi precario, res ecclesiæ possideat: ita ut, precariis finitis, integrum sit prælatis ecclesiarum easdem res eisdem hominibus, aut posteris eorum denuo tradere. quippe sibi compertum esse, *multa regna eorum propterea cecidisse, quia ecclesias spoliaverunt, resque earum vastaverunt, abstulerunt, & pugnantibus dederunt.* quæ omnia vitare volens, nec talia facere, nec consentire, nec filiis aut successoribus suis tale exemplum dare velit; sed, quantum possit, adjuncto Leonis papæ & omnium episcoporum consilio, contestatur, prohibetque, ne talia faciant, aut facere volentibus consentiant: sed adjutores & defensores atque *sublimatores* ecclesiarum, & cunctorum servorum Dei pro viribus exsistant, ne in foveam, in quam prædicti reges cum suis regnis ceciderunt, ipsi cadant, aut in profundum inferni, quod absit, demergantur. Religiosa plane, & tanto principe digna sententia!

Caroli Magni insigne capitulare de honore ecclesiarum.

a Capitul. l. 7. c. 104.

Post expeditionem Saxonicam, Carolus Aquisgranum revertit, ubi liberi ejus LXXXI.
omnes eum comitati sunt. Nec defuit inter eos Gisala regis soror, eo profecta ex monasterio, Calensi an Suessionico. nam utriusque abbatissa erat. Cum in Aquisgranensi palatio versaretur, exemplo superiorum regum, qui sancti Dionysii monasterium agri Parisiensis suis beneficiis locupletaverant, pietatem suam in sanctum illum locum testari voluit, ubi Fardulfus abbas cum plurima turba monachorum conversabatur. Ideoque Deo sacrata, Christoque semper devota Ghysela, nobilissima filia regis Pippini & Bertradanæ reginæ, Dei intuitu, & pro animæ suæ remedio, commota scripturæ testimoniis eleemosynam commendantis, simulque testimonio beati Augustini, perire scilicet mundum, & omnia quæ in mundo sunt; donat sancto Dionysio villam suam Putialem in pago Adratensi seu Atrebatensi, aliaque in pagis Vermandensi, Ambianensi, & Camaracensi. Actum Aquis palatio idibus Junii, anno tricesimo-primo & vicesimo-sexto regni *domni nostri.* sic Carolum vocat. Apponuntur cum cruce signa Ghyselæ *nobilissimæ filiæ Pippini regis*, Caroli *nobilissimi filii Caroli regis precellentissimi*, Pippini & Chludoici *nobilissimorum filiorum domni Caroli præcellentissimi regis.* Sie *nobilissimi* titulo gloriabantur ipsi etiam reges, contenti passim *illustris* vocabulo, quod modo vix mediocribus viris satis est.

Gislæ abbatissæ donatio pro S. Dionysio.

Dum Carolus Aquisgrani moraretur, eo accessit monachus quidam ex oriente LXXXII.
missus a patriarcha Jerosolymitano, ut regi reliquias ex sepulcro Domini afferret. Ex his reliquiis dominicæ crucis portionem Carrofensi monasterio donatam fuisse auctor est inter alios Ademarus monachus. Huic monasterio tunc præerat David, Dominici primi abbatis successor, cujus tempore regiæ immunitatis privilegium a Carolo impetravit vir inlustris Rotgerius comes, qui cum hoc monasterium in pago Pictavensi super fluvium Carantonam construxisset, ejus res omnes cum ornamentis ecclesiæ, librorumque voluminibus sub tutela regia posuit, ut a nullo sive judice, seu episcopo ullum gravamen pateretur. Hoc diploma in tabulario monasteṙii notis chronologicis caret: at, cum Carolus in eo se tantum regem ac patricium dicat, haud serius hoc anno datum videtur, & forte quidem Aquisgrani, dum Carolus Rotgerio comiti dominicæ crucis particulam tradidit, Carrofensi monasterio consignandam.

Carrofo data crucis portio & immunitas.

In brevi chronico sancti Florentii ita scriptum invenio ad hunc annum de Glonnensi monasterio: *Anno* DCC XCIX. *hic renovatur monasterii ordo: fratres promittentes regulam Albaldo viro sancto.* Nec plura de hoc sancto viro, cui successit Arnulfus abbas, qui Benedicto Anianensi non semel adjunctus est pro reformatione monasteriorum.

Glonnæ reformatio.

ANN. CHR. 799 LXXXIII.

Madalvini abbatis Medianensis obitus & successores.

Si bene assignata est superius a nobis Mediani-monasterii abbatum series, non excessit hunc annum Madalvinus abbas, qui post annos regiminis duodecim dicitur obiisse III. idus Martii. Eo mortuo, de successore deligendo magno partium studio actum est. Re ad Carolum delata, ad componendos dissidentium animos eo missus traditur Fortunatus, quem monachi unanimi tandem consensu abbatem elegerint. Hunc patriarcham Jerosolymitanum dicunt Richerius monachus in chronico Senoniensi, & Johannes de Bayone in historia Mediani-monasterii: quibus ejus loci necrologium suffragatur. Verum id stare non potest cum serie patriarcharum Jerosolymitanorum. siquidem postremis hisce Caroli regis annis nullus invenitur eo nomine illius ecclesiæ patriarcha. Hæc enim dignitas hoc tempore erat penes Johannem, qui anno sequenti legationem ad Carolum misit; idemque anno præsenti munera eidem regi per quemdam monachum, ut mox diximus, afferri curavit: certe, si non ipse, nullus Jerosolymitanus patriarcha tunc in Franciam venit. Johanni successit Thomas, qui anno octingentesimo-septimo munera Carolo submisit per Georgium abbatem montis-Oliveti, patria Germanum, & per Felicem monachum. quo tempre Fortunatus abbas Mediano-monasterio præerat. Longe veri similius puto hunc esse Fortunatum Gradensem patriarcham, qui a ducibus Venetis exagitatus, in Franciam confugit ad Carolum regem: quo agente abbas Mediani-monasterii institutus sit. quo forte spectat Leonis papæ [a] epistola ad Carolum de eo conquerentis: ubi Fortunatum a Carolo in Francia *beneficiatum* dicit. Sane tempora non male conveniunt. nam Fortunatus ille ad Carolum se recepit anno octingentesimo tertio: & facile, altercantibus inter se se monachis, electio ad id tempus protrahi potuit. Mihi porro rem ita conjectanti succurrit Caroli Cointii [b] sententia, hanc conjecturam suo calculo confirmantis. Hunc patriarcham *de Grecis* vocat annalista Mettensis. quod forte cum legisset Richerius aliique, id de patriarcha Jerosolymitano interpretati sunt, quod de Gradensi dictum erat. Is ad Medianum-monasterium sancti Josephi Arimathæi corpus attulisse dicitur; ejusque tempore ex orientis partibus eodem se recepisse Lazarus quidam (regem appellat Johannes de Bayone) cum filia sua Aza; ambo ibidem reclusi; Lazarus quidem prope oratorium sancti Petri; Aza vero juxta basilicam sancti Apri, quæ modo parœcialis est; ambo item in suis sepulti cellulis: tametsi postea Azæ reliquiæ patris ossibus sociatæ sunt, remanente nihilominus in priori loco ejus epitaphio, quod fere obliteratum tempore Bayonis adhuc cernebatur. Porro Fortunatus iste corpore exilis, barba prolixa & respersa canis, & conversatione angelicus fuisse dicitur; ejusque diebus quædam prædia cœnobio collata. In necrologio Senoniensi annorum fere quingentorum notatur IV. idus Martii *Fortunatus patriarcha Jerosolymitanus:* at in kalendario Gregoriani monasterii, ante annos sexcentos scripto, & in missali Morbacensi annorum quingentorum, eodem die fit mentio *Fortunati episcopi.* Primus post eum rexit monasterinm Waldo, ex sorore Madalvini abbatis progenitus: secundus Ismundus, dictus episcopus; tertius Theodericus, quartus Reginardus: de quo hoc distichon tempore Bayonis ad altare legebatur:

Hoc altare in honore Dei sanctæque Mariæ
Munere de proprio Reginardus contulit abbas.

quintus Humbertus: sextus Pipinus, cujus tempore pauci restabant illic cœnobitæ ob extremas penuriæ angustias, in quas conjecti fuerant a Lothario rege, qui monasterium militiæ oneribus, utpote imperiale, pæne obruerat. Ex his vehemens mihi suboritur suspicio, Fortunatum abbatem Mediolacensis, ut in vulgata Frotharii epistola legitur, monasterii, non alium esse a Fortunato abbate Mediano, de quo nunc agimus: tum quia locus iste, cujus abbas erat Fortunatus ille, attinebat ad parochiam Frotharii episcopi Tullensis, ut ex contextu epistolæ patet, a qua longe aberat Mediolacus diœcesis Trevirensis: tum quia illius Fortunati successor ab ipso Frothario assignatur Ismundns, a Bayone itidem recensitus inter Medianos abbates. Denique toto Caroli augusti principatu, quo Fortunatus ille apud Frotharium abbas erat, nullus Fortunatus invenitur inter Mediolacenses abbates. nam Richbodoni nnus post alterum Wazo & Hetti successere: ex quibus Hetti Carolo jam mortuo electus est Trevirensis antistes. De his plura [c] in consequentibus.

[a] *Leo ep.* 11.

[b] *Coint. t.* 6. *p.* 817.

[c] *Lib.* 28. *n.* 27.

ANN. CHR. 799.

LXXXIV. *Senonis duo monasteria erecta. Bertemarius abbas S. Petri.*

Sub hoc tempus apud urbem Senonas condita fuere duo puellarum cœnobia; unum intra muros, sancto Maximino Trevirensi episcopo sacrum, quod Aspasia nobilis matrona ædificavit, ubi per longa tempora sanctitas & religio viguisse dicitur: alterum extra muros, sub titulo sancti Hilarii episcopi Pictavensis. Utrumque lapsu temporis in parœcialem ecclesiam conversum. Tunc Senonensem ecclesiam regebat Rambertus, cujus tempore Bertemarius suburbano sancti Petri monasterio præerat, & post eum Frodobertus. Ramberto in sedem Senonicam successit Magnus, qui ecclesiam in honorem Salvatoris super terram sancti Petri ædificavit in canonicorum sepulturam, ubi & ipse humari voluit. Hæc ecclesia canonicis regularibus sancti Augustini procedente sæculo duodecimo concessa est.

LXXXV. *Geroldus comes Augiæ sepultus.*

In Bajoaria Geroldus comes, dum Avaris seu Hunnis, qui fidem Carolo datam violaverant, pro sui muneris officio in Pannonia occurrisset, commisso contra eos prœlio cecidit ipsis kalendis Septembris, & sanguine suo finem Avarico bello imposuit. Ejus corpus a quodam Saxone ipsius familiari allatum est in Augiense prope Constantiam monasterium, quod ille multis beneficiis auxerat, ibique honorifice, ut decuit, sepultum, ut Walafridus Strabo in ejusdem epitaphio testatur, quod, cum propter comitis pietatem, tum propter auctorem, huc proferre visum est.

Mole sub hac magni servantur membra Geroldi,
Hujus jura loci cunctis qui viribus auxit.
Pannoniis vera ecclesiæ pro pace peremtus
Oppetiit sævo Septembribus ense kalendis,
Sideribusque animam dedit: artus Saxo fidelis
Abstulit, huc retulit, dignoque hic clausit honore.

Wetinus, ejusdem loci cœnobita, triduo ante obitum viso divinitus objecto Giroldum martyribus adnumerandum dixit, propterea quod zelo Dei, defendendo sanctam Dei ecclesiam contra paganos, occubuisset. quod a Wetino ipso acceptum Heito Basileensis antistes ex abbate Augiensi, & Walafridus Strabo ejusdem loci monachus & abbas, memoriæ prodiderunt.

Atto episcopus & abbas Schlecdorfensis.

Eodem tempore Gaio, prædives Bajoarius, prædia quædam pro animæ suæ remedio largitus est monasterio Schlecdorfensi, ubi corpus sancti Tertuliani quiescit, sub Attone Frisingensi episcopo, ejusque loci abbate. Actum v. kalendas Novembris, anno Caroli regis in Bajoaria duodecimo, nempe post exauctoratum Tassilonem. Hæc apud Hundium & ex eo apud Cointium, ubi Gaionis hac de re instrumentum refertur. Ibidem etiam Ilsungus abbas primus Wessobrunensis, anno regiminis sui quadragesimo-primo, vitam morte commutasse dicitur, successorem sortitus Adelmarum, qui annos triginta-duos ibidem præfuisse fertur; post hunc Reimundus annos tres & quadraginta, Aldhelmus duodecim, Schnello duodecim ab anno octingentesimo octogesimo-sexto, cujus successores alibi prosequemur. *Wessobrunenses abbates.*

LXXXVI. *Pauli diaconi obitus & scripta.*

Non videtur hunc annum prætergressus Paulus Warnefridi, diaconus ac monachus Casinas, cujus obitum Bucelinus anno ejus sæculi octogesimo-septimo perperam reponit. Casinensi necrologio adscriptus est idibus Aprilis *venerandæ memoriæ Paulus diaconus & monachus.* Casini sepultus fuit juxta ecclesiam sancti Benedicti ante capitulum, ait Petrus diaconus in libro de viris illustribus sacri monasterii Casinensis. Pauli epitaphium acrosticho metro condidit Hildericus ejus discipulus, rude quidem & impolitum, sed quædam ejus historica facta continens: ex quo versus quosdam superius retulimus: integrum in appendicem referre visum est. Initiales epitaphii litteræ hunc versum efficiunt:

Paulus levita, doctor præclarus & insons.

forte *insons* dicitur ad asserendam ejus innocentiam & fidem in Carolum. Hildericus ejus auctor post Theodemarum quartus Casinati monasterio præfuit diebus tantum septemdecim. Varia scripta edidit Paulus, in primis historiam episcoporum Mettensium rogatu Angilramni ejus urbis episcopi. quod mirum est prætermissum fuisse a Leone Marsicano & à Petro diacono. Libri sex de gestis Langobardorum ab eo jam monacho scripti sunt post illam historiam, cujus in [a] ea meminit. Libellus de

[a] Paul. l. 6. c. 16.

ANN. CHR. 799.

vita sancti Gregorii papæ primi eidem asserta est in tomo secundo nostrorum Analectorum, inveniturque sub ejus nomine in veteri codice Casinensi, præter alios. Appendix ad Eutropii historiam a Valentiniano & Valente augustis ad Justinianum ejusdem est auctoris: cetera Landulfo Sagaci tribuuntur, præter quasdam in Eutropii libris additiones, quas Paulus rogatu Adelpergæ Arichisi ducis uxoris adjecit. Homiliam de sancto patre Benedicto venerabilis Bedæ homiliis quinquagesimam addidit loco illius, quam Beda de beato Benedicto Biscopo composuerat: ex quo Petrus diaconus homilias quinquaginta Paulo perperam adscribit. De hac homilia superius dictum, necnon de lectionario, quod Caroli Magni jussu idem auctor concinnavit. Eidem commentarius in regulam sancti Benedicti falso tribuitur, qui Hildemari esse potius videtur. Non aliam de sancto Arnulfo episcopo vitam scripsit ab ea, quæ in historia Mettensium episcoporum legitur. Galesinius ait sibi visam ejusdem auctoris historiam episcoporum Papiensium. Certe Paulus ipse in fine libri sexti de gestis Langubardorum, ubi laudat Petrum Ticinensem episcopum, pollicetur, se aliquod ejus miraculum, quod posteriori tempore gestum est, *in loco proprio positurum.* quod forte de hac historia intelligendum. Exstat in codice Vindocinensi Vocabularium ejusdem auctoris ex Festo Pompeio excerptum, quod Carolo Magno nuncupavit, præmissa epistola, quam in appendice referemus. Cetera minutiora prætereo.

ANN. CHR. 800 LXXXVII. Caroli iter Romam.

CArolus anno insequente Romam quartum profecturus, simul ut defectionem Grimoaldi Beneventani ac cædem Henrici Forojuliensis ducis ulcisceretur, simul ut Leonis violatores emendaret; primum omnium, quod prudentis ac pii officium principis erat, regni Gallici statum componendum, oceani limitem adversus piratas classe muniendum, ac loca sanctorum insigniorum reliquiis celeberrima lustranda censuit. Aquis itaque medio mense Martio digressus, cum litus oceani Gallici perlustrasset ac munisset, Centulam accessit, pascha apud sanctum Richarium celebraturus. Inde per litus oceani Rotomagum profectus, Sequana fluvio transmisso, per Cenomannos Cæsarodunum, Turonum contendit, orationis causa faciendæ ad sanctum Martinum, moratus illic dies aliquot propter adversam valetudinem Liutgardis reginæ, quæ ibidem pridie nonas Junii defuncta, humataque est in basilica sancti Martini. Inde per Aurelianos & Parisios Aquisgranum reversus; ineunte Augusto Moguntiam venit, ibique conventu habito, Italiam primo quoque tempore petendam decrevit, ac, dimisso conventu, militibus & proceribus diem ad proficiscendum indixit. Ubi ea illuxit dies, procedente jam autumno, alpes cum Pippino rege trajecit, atque Henrici nece vindicata, & Cadolaco in ejus locum Forojuliensibus imposito, Pippinum filium contra Grimoaldum direxit; ipse Romam per ducatum Spoletanum contendit. Acceptus ea qua par erat magnificentia in Urbem, postquam de Leonis papæ violatoribus supplicium sumserat, eumdem in thronum pontificalem restituit, ipseque die festo natalis Domini imperatorio titulo a pontifice insignitus est.

Huc spectare videtur illa ex musivo pictura, quam Leo III. in triclinio palatii Lateranensis effingi curavit: ubi sanctus Petrus sedens exhibetur, Leoni papæ a dextris pallium, Carolo ad sinistram vexillum supplicibus tradens, in signum concessæ utrique potestatis; habensque in gremio tres claves, de quarum significatione in superiori volumine[a] egimus. Hanc tessellatam figuram hic subjicere visum est cum alia, ex eodem triclinio[b] a Nicolao Alemanno cum alia in æs incisa, in qua Leo cum ornamentis pontificiis repræsentatur, idemque Carolus cum veste regia, qualem describit in ejus vita Eginhardus his verbis. *Vestitu patrio, id est Francisco, utebatur. Ad corpus camisiam lineam & feminalibus lineis induebatur. Deinde tunicam, quæ limbo serico ambiebatur: & tibialia: tum fasciolis crura, & pedes calciamentis constringebat: & ex pellibus lutrinis thorace confecto, humeros ac pectus hieme muniebat. Sago Veneto amictus, & gladio semper accinctus: cujus capulus ac balteus aut aureus, aut argenteus erat. Aliquoties & gemmato ense utebatur. quod tamen nonnisi in præcipuis festivitatibus, vel si quando exterarum gentium legati adessent, faciebat... In festivitatibus veste auro texta: & calciamentis gemmatis, & fibula aurea sagum adstringente, diademate quoque ex auro & gemmis ornatus incedebat. Aliis autem diebus habitus ejus parum a communi ac plebeio discrepabat.*

a Lib. 16. n. 91.
b Aleman. Pariet. Lateran.

ANN. CHR 800,



ANN. CHR. 800.

Priorem figuram prolixa dissertatione explicavit prædictus Alemannus, contenditque ea significari collatum regi Carolo imperium, non patriciatum, contra nonnullos secus sentientes. id argumento esse, quod ex altera prædicti triclinii parte similiter repræsentetur Christus Dominus, tradens Silvestro papæ a dextris duas claves; vexillum autem Constantino Magno, qui tantum rex, uti & Carolus Magnus, illic appellatur. Confer quæ superius [a] de Caroli patriciatu diximus. His summatim ob oculos positis, nunc quid in rem nostram hoc in itinere contigerit explicandum est.

[a] *Lib. 24. num. 48.*

LXXXVIII. Alcuinus vitam S. Richarii scribit.

Dum rex apud sanctum Richarium in Centula versaretur, rogante Angilberto abbate Alcuinus, qui præsens aderat, sancti Richarii gesta litteris mandare, vel potius expolire aggressus est, qui scriptionem hac de re suam Carolo augusto postea nuncupavit. In ea præfatione Alcuinus ait, sibi oblatum primo quemdam libellum, stilo simpliciori digestum de vita sanctissimi ac magnifici confessoris Richarii. tum sibi miranti, cur tanti nominis confessor, quem prisca miraculorum fama nulli post ipsos apostolos secundum ferebat, tam modico libello contineretur; oblatum fuisse alterum librum majoris molis, in quo illa miracula descripta erant, ob quæ non immerito sanctum Christi confessorem Gallia omnis extollebat. Illo itaque libro intacto, cujus simplex stilus aptior ad recitandum populo visus est, Carolus ipse Alcuino auctor fuit, ut libellum de sancti Richarii vita & moribus, ac de glorioso ejus ad Deum transitu, necnon de ipsius corporis in Centulam relatione politiori stilo redderet, tamquam ejus auribus atque oculis inferendum. quod ille pro eo ac debuit ac potuit exsecutus est. Exstant cum illa scriptione Alcuini in Sæculo nostro secundo actorum libri duo de miraculis sancti Richarii, sed quæ post mortem Angilberti abbatis facta sunt; alia proinde ab antiquis illis, quorum majorem librum Alcuinus sibi oblatum fuisse testatur.

LXXXIX. S. Carilefi abbatia repetitur a Francone episcopo.

Dum Carolus apud Cenomannos obiter moram ageret, Franco ejus urbis episcopus miserabilem matris ecclesiæ statum exposuit, quam rex ipse ob quamdam Gauzioleni episcopi machinationem rebus suis, quod nulli alii fecerat ecclesiæ, olim spoliaverat, easque in beneficium laïcis tradiderat. Institit etiam idem antistes apud regem, ut abbatiam sancti Carilefi, suæ quondam, ut aïebat, ecclesiæ subjectam, sed nuper abstractam, eidem restitueret. Tunc rex ut beneficia illa revocarentur edixit, & ut præcepta regum de abbatia sancti Carilefi Ercambaldo cancellario & Troando comiti palatii exhiberentur, dein coram se perlegerentur. Prolatis duodecim regum hac de re præceptis, hoc monasterium, si vulgatis [b] actis episcoporum Cenomannensium fides est, prædictæ ecclesiæ assertum fuit; ast impedientibus æmulis non statim restitutum, sed tantum anno proximo, post mortem scilicet Ebroïni abbatis, qui huic restitutioni obsistebat. Hujus rei diploma regium in iisdem actis refertur. quæ res diuturnæ litis seminarium in consequentibus fuit.

[b] *Analect. to. 3. p. 253. & seq.*

XC. Alcuinus post communionem Carolo præbet calicem.

Apud Turonos Carolus simul cum filiis suis sacram communionem in ecclesia sancti Stephani, quæ una e Martinianis erat, percepit, sacris ministrante Alcuino levita, qui, *cum post communionem corporis Christi & sanguinis manu propria eis misceret*, Ludovicus præ aliis humilis, *patri sancto se inclinans, ejus osculatus est manum.* quo facto, Alcuinus adsistenti sibi Sigulfo prædixit, Ludovicum post patrem imperatorem futurum. Hic nobis occurrit eruditus dissertator de verbis missæ & communionis a sancto Benedicto usurpatis, tendens, hoc in loco præpositionem *post*, adverbii modo sumendam esse; uti re vera Cointius accentu apposito censuit; mendumque irrepsisse in nostram editionem, ubi absque accentu vox ista legitur. Mendosa esse exemplaria, quibus usi sumus; puriora illa, quibus Cointius, aliique usi sunt. Alcuinum sacerdotis officio tunc functum fuisse, eique adstitisse Sigulfum ut diaconum. Sensum itaque hujus loci esse, quod Alcuinus communionem corporis & sanguinis Christi Carolo ejusque filiis præbuerit. nam *miscere* perinde esse hoc loco ac *præbere*. Etsi vero Alcuinum officio diaconi tunc usum fuisse permittatur, quod nonnisi futili argumento, id est negativo, adstrui possit; licuisse Alcuino, quod olim diaconis licebat, utramque speciem communicaturis præbere. Denique non modo Cointium & Cordemosium in nova Franciæ historia, sed etiam Dallæum, heterodoxum quidem, at cetera virum doctum, hunc locum ita interpretatum fuisse. Tanta nomina, etsi his minutiis immorari piget, nos movent, ut huic loco genuinum sensum contra falsam illam interpretationem asseramus. Primo arguimur, quod mendosis exemplaribus usi sumus, in quibus vox ista *post* absque accentu legitur.

ANN. CHR. 800.

gitur. Hæc objectio auctoris hac in re (quod bona ejus venia dictum sit) incogitantiam prodit. Ecquæ enimvero exemplaria consulenda erant, ut genuina hujus loci lectio haberetur? an codices manu exarati? at nusquam in eis ejusmodi accentum, ne unum quidem, repereris. an editiones a viris doctis procuratæ? at nulla melior Chesniana, in qua prædictæ voci nullus accentus apponitur, tametsi paullo superius, ubi loco maxime conveniebat, appositus est. Deinde Alcuinum sacerdotem fuisse nemo nisi hospes in ejus scriptis & epistolis dixerit, nemo qui vitam ejus cum tantilla attentione legerit. In hac enim dicitur in Franciam venisse diaconus; in hac quotidie missas cum Sigulfo presbytero suo *levitice* celebrasse; in hac mortuum fuisse diaconum innuitur: quippe qui *ministerio levitarum cælestium* Stephani & Laurentii perductus in cælum perhibetur, & in medio cælestium levitarum *splendidissima indutus dalmatica* adstitisse. Si ejus epistolas consulas in plerisque Alcuinus seu Albinus *levita* inscribitur, etiam in iis quæ morti proximus scripsit. Lectoris otio & studio abuteremur, si exempla proferremus, quæ cunctis obvia sunt. Una sit instar omnium epistola LXXII. ad Leonem, scripta anno fere octavo ante auctoris obitum, ubi in inscriptione *humilis levita Albinus* pontifici æternæ gloriæ salutem optat. Denique Eginhardus, qui eum ex facie noverat, & jam mortuum laudat, *Albinum cognomento Alchwinum*, *diaconem* tantum vocat. Ita eum vocat Ardo in vita sancti Benedicti Anianensis; ita omnes. Hæccine sunt evanida illa & abnutiva tantum argumenta? Jam vero, ut ad rem ipsam veniamus, præmittendum est, verbum *miscere* sæpe absolute usurpari etiam apud melioris latinitatis auctores, pro fundere vel præbere potum, ducta metaphora ex mistione non tam vini & aquæ, quam calidi & frigidi, antiquis familiari; &, si adjunctum verbo apponatur, nonnisi in rebus liquidis aptari. sic priori modo apud ipsum Alcuinum in libro prosaico de [a] sancto Willibrordo invenias, *pauperibus miscere Christi*; eodem prorsus modo, quo apud Juvenalem [b], *pauperibus miscere puer.* Addo & illud Sulpicii Severi, agentis [c] de uxore Maximi imperatoris, quæ Martino *miscuit ipsa bibituro.* Posteriori modo idem Alcuinus in libro metrico de sancto Willibrordo, *miscere flasconem*, & *miscere vina* dixit, id est præbere. At quovis periculo asseruerim, nusquam id a quoquam dictum de rebus solidis, neque de communione corporis Christi, immo ne quidem de communione sanguinis, cujusmodi exemplum in tota retro antiquitate nullum, ut puto, inveneris. Superest, ut Alcuinus, etsi tantum diaconus, corpus Christi Domini communicaturis intra ipsa missarum sollemnia, adeoque præsente sacerdote, porrexisse dicatur. quod nullo unquam tempore in illis circumstantiis factum fuisse asserere ausim: etsi forte aliquando factum sit absente sacerdote. Maneat itaque ejus loci fixa, quam attulimus, lectio: cujus hic sensus, hæc certa sententia est, quidquid Dallæus, aliique contra sentiant, Alcuinum Carolo, tribusque ejus filiis, Carolo, Pippino, & Ludovico post perceptam communionem corporis & sanguinis Christi Domini, poculum præbuisse, forte in secretario ecclesiæ, uti olim fiebat. quem ritum etiam suo tempore, id est labente sæculo duodecimo, perseverasse Johannes Beletus testis est. Exemplis hic ritus assertus est in libello Parisiis nuper edito de missa & communione ad mentem regulæ sancti Benedicti.

a Cap. 17.
b Satyra 5.
c Dial. 2. c. 7.

XCI. Liudgardis reginæ scribit epitaphium.

Carolo de morte Liudgardæ reginæ plurimum dolenti Alcuinus consolatoriam, quamquam præsenti, epistolam [d] scripsit, atque *epitaphium Liodgardæ feminæ nobilis* inscripsit. quo nomine Hieronymus epitaphium Paulæ, & Paschasius Radbertus Walæ itidem epitaphium, hoc est funebrem laudationem, appellarunt. Hae in epistola regem monet Alcuinus, ut ne dolori nimium se tradat. Non ingemiscat de alterius felicitate, quæ spinosos finivit labores, & volavit ad eum, qui fecit illam. cur plangat quod vitare non possumus? Mittenda munuscula caritatis post caros nostros; offerendum munus salutis nostræ pro illis. Miserendum miseris, ut misereatur illis Deus. quod pro illis in fide facimus, proficere & nobis.

d Alcuin. ep. 21.

XCII. Cormaricum monachi inducti per Benedictum.

Cum monasterium Cormaricense, moriente Hitherio abbate, nondum absolutum esset; ejus perfectionem in se suscepit Alcuinus, & loco modis omnibus absoluto, litteras a Carolo Turonis agente obtinuit, sibi ut liceret monachos constituere *in cella sancti Pauli, quæ rustico nomine Cormaricus dicitur*, ibidem regulariter secundum regulam sancti Benedicti victuros; dato diplomate III. nonas Junii, anno tricesimo-secundo & vicesimo-septimo regni ejus. Pridie ejus diei aliud eidem Albino abbati concessum fuerat præceptum, quo facultas ejusdem cellæ monachis

ANN. CHR. 800.

data duas habendi naves per Ligerim, Meduanam, Sartam, Ledum ac Vigennam, a tributis prorsus immunes. Monachos viginti ad novam illam coloniam Alcuino suppeditavit Benedictus Anianæ abbas, qui dudum ipsi ob notæ sanctitatis famam carissimus & acceptissimus erat: adeo ut ex epistolis ad eum scriptis ab Alcuino, quas excidisse dolemus, facile unus libellus confici potuisset, immo forte confectus sit. quod Ardo Benedicti discipulus tradit his omnino verbis. *Alcoinus quoque ex genere Anglorum, ordine levites, sapientia præclarus, sanctitatis merito venerabilis, regens monasterium beati Martini confessoris, qui in aula gloriosi imperatoris Caroli omni honore dignus habebatur, audita, expertaque viri Dei sanctitatis fama, inviolabili se illi caritate conjunxit, ita ut ex suis epistolis ei sæpe directis, aggregatis in unum, unus conficeretur libellus. Datis itaque illi muneribus, postulat obnixe sibi monachos dari. cui cum protinus venerabilis pater assensum præbuisset, equos misit qui eos ferrent: quos in monasterio, cui nomen est Cormarinc, quod ædificaverat, collocavit. Fuere etiam & hi, ut reor, viginti cum prælato sibi magistro: ad quorum bonum conversationis exemplum magna est aggregata multitudo monachorum.* Hæc congregatio ad quinquaginta monachos jam excreverat anno septimo Ludovici augusti, quo anno primum Cormaricensibus facta est potestas eligendi abbatis ex eadem congregatione, cum consensu tamen abbatis & congregationis sancti Martini, cui hoc monasterium subjectum erat. adeo ut, quod Urbani secundi de-
» creto sancitum est, electus abbas de beati Martini sepulcro baculum sumere debe-
» ret; eoque defuncto, idem baculus ad eumdem locum referri ad perpetuam ejus
» subjectionis memoriam. Ex his quos Benedictus Cormaricum misit, unus erat Sigulfus monachus, alius a Sigulfo presbytero Alcuini discipulo. Forte aliquando fratribus Cormaricensibus, *quos valde diligebat* Alcuinus, jusserat centum modia vini submitti. qui vero ea devehebant ductores, *sabulum aqua* in vascula, ex quibus vinum furtim hauserant, inferri curarunt, ut plena apparerent. Factum divinitus cognovit Alcuinus, mandavitque per Sigulfum Benedicti abbatis monachum provisoribus monasterii, ut vini ductores retinerent, quoad ipse coram eis furtum probaret. Ivit, & rem ita esse fatentibus cum pudore ductoribus ostendit.

Porro hoc in monasterium Alcuinum identidem ventitasse, ibique scholas quandoque frequentasse colligimus ex quibusdam versibus [a] inter Alcuininos editis, quos potius Cormaricensi, quam Judocensi cellæ tribuendos esse suadet cæli & soli eo in loco amœnitas, a poëta celebrata in hunc modum.

[a] Alcuin. epigr. 222.

O mea cella, mihi, habitatio dulcis, amata,
Semper in æternum, o mea cella, vale.
Undique te cingit ramis resonantibus arbos,
Silvula florigeris semper onusta comis.
Prata salutiferis florebunt omnia & herbis,
Quas medici quærit dextra salutis ope.
Flumina te cingunt florentibus undique ripis,
Retia piscator qua sua tendit ovans.
Pomiferis redolent ramis tua claustra per hortos,
Lilia cum rosulis candida mista rubris.
Omne genus volucrum matutinas personat odas,
Atque creatorem laudat in ore Deum.
In te personuit quondam vox alma magistri,
Quæ sacro sophiæ tradidit ore libros.
In te temporibus certis laus sancta tonantis
Pacificis sonuit vocibus atque animis.
Te mea cella modo lacrymosis plango camœnis,
Atque gemens casus pectore plango tuos.
Te subito quoniam fugisti carmina fato,
Atque ignota manus te modo tota tenet.
Te modo nec Flaccus, nec vatis Homerus habebit,
Nec pueri musas per tua tecta canent.

Forte hos versus post mortem Alcuini & Homeri seu Angilberti scripserit Fridu-

gisus abbas, Alcuini successor, qui, cum videret Cormaricum proprio jam gaudere abbate, nempe Jacobo, hanc cellam, quasi sibi subtractam queritur. Floruit patrum nostrorum temporibus Cormarici Joachimus Perionius, singulare ejus loci ornamentum.

XCIII. Gisla novam Calæ basilicam struit.

Hoc tempore Gisla, Caroli soror, & ipsa Calensis parthenonis abbatissa, novam illic basilicam in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ exstruendam curavit, eoque sanctimoniales e basilica sanctæ Crucis transtulit. Hujus rei argumentum nobis suppeditat historia translationis sanctæ Balthildis, cujus corpus post aliquot inde annos e crypta sanctæ Crucis translatum est in ecclesiam beatæ Mariæ, *quam domna Gisla a fundamentis struxerat.* Huc spectare videtur Alcuini epistola quinquagesima-sexta, *carissimæ in Christo sorori* inscripta, non alteri, ut quidam puto, quam Gislæ Caroli sorori, cui dicit sibi multum placere ejus laborem *in sanctæ Dei Genitricis* " *ecclesiæ exaltatione, & in librorum consideratione;* plurimum item sibi placere cru- " cem, quam ejus benignitas sibi direxerat; habituram æternam a Deo mercedem pro " illius opere, & assiduas sancti Lupi intercessiones, simulque laudes, gratiarumque ac- " tiones ab eis, qui ad ejus patrocinia confugiunt. Ex quo intelligimus, hanc cru- " cem Alcuino missam fuisse pro Trecensi sancti Lupi basilica, cui is præfectus a Carolo fuerat. Eidem dilectissimæ in Christo sorori Alcuinus scipsit epistolam sexagesimam, qua ei gratias agit ob salutationem & gratissimum munus psalmodiæ & mis- " sarum, simul ob cappam sibi aptissimam, quam illa ipsi dono miserat. tum eam hor- " tatur, ut animum suum confirmet in servitio Dei, & in salute animæ suæ sollicite " curanda. In hoc laborandum singulis diebus, horis ac momentis, ut abundanter " habeat, quod feliciter diligat. Alia erat Gisla filia Caroli, itidem sanctimonialis, quam, non sororem, sed filiam Alcuinus appellare solet.

XCIV. Campellense S. Leodegarii monasterium.

Non dubitem quin de Theodrada, Caroli Magni filia, intelligendum sit id, quod in libro de gestis [a] abbatum sancti Germani Autisiodorensis legitur, ubi monasterium sancti Leodegarii de Campellis olim *a bonæ memoria Theograda regina restauratum* fuisse dicitur, *& monastico ordini mancipatum.* Non enim insolens est, ut alias jam observatum, filias regum, etiam innuptas, reginas appellari. Sane hoc monasterium jam exstabat, habebatque Teutonem abbatem anno tertio-decimo Ludovici augusti, quo anno quædam commutatio facta [b] est inter Seraphim Besuen- " sem abbatem & Teutonem abbatem monasterii sancti Leodegarii, quod Campellen- " se nominatur. Situm est in pago Atoariorum seu Besuensi, diœcesis Lingonensis; distinguendum ab alio Campellensi pagi Briegii monasterio, cujus mentio a nobis superius facta est, agendo de sancto Mederico abbate Æduensi. De alterutro intelligendus videtur Frodoardus [c] in historia Remensi, cum ait, Formosum papam Fulconis archiepiscopi rogatu *abbatiam, quæ dicitur Campellis*, Remensi ecclesiæ restituisse. Porro Campellense sancti Leodegarii monasterium Hersendis Burgundiæ ducissa, Henrici ducis uxor, a viro suo obtinuit, ut Heldrico abbati sancti Germani Autisiodorensis, notæ sanctitatis ac religionis viro, committeretur, ut per eum ad regularis vitæ normam reduci posset. quo ex tempore, id est ab exitu sæculi decimi, hoc monasterium, in cellam redactum, eidem sancti Germani cœnobio subjectum fuit.

[a] Labbe to. 1. bibl. p. 571.

[b] Spicil. to. 1. p. 122.

[c] Frodoard. lib. 4. c. 2.

S. Salvatoris monasterium.

Ab eodem etiam pendet monasterium sancti Salvatoris, quod Ermenaldus comes pagi Autisiodorensis in Puisaya ejusdem pagi tractu exstruxit pontificatu Maurini episcopi, qui illud sollemniter dedicavit, auxitque ex rebus sancti Stephani, cui idem monasterium attribuit, postmodum sancto Germano concessum. Is est Maurinus episcopus, qui thesaurum in turre, quam Brunechildis vocant, obtulit Carolo Magno, eaque arte plurimas ecclesiæ suæ possessiones, quæ a sæcularibus distractæ fuerant, recuperavit. Ei suffectus Aaron successorem habuit Angelelmum, qui cœnobio sancti Salvatoris tabulam argenteam, *cum signo sonorissimo*, seu campana donavit. Benigne explicandus auctor, qui de gestis episcoporum Autisiodorensium scripsit, cum Ermenaldum, hujus cœnobii conditorem, vocat primum comitem pagi Autisiodorensis: cum principatu [d] Guntchramni Peonius, ejusque filius Mummolus hunc comitatum rexerint. Sed intermissam forte dignitatem Ermenaldus primus recuperaverit. Neque enim veri simile est, jam tum hereditariam evadere cœpisse.

[d] Greg. Tur. lib. 4. c. 36.

XCV. Theodrada abbatissa Argentogilensis.

Redeo ad Theodradam mox laudatam, quæ non tantum beneficentiæ causa,

ANN. CHR. 800.

ſed etiam monaſtica profeſſione, uti & Giſala utraque, & amita & ſoror, ne quid de Berta dicam, noſtra eſt. Nondum hoc inſtitutum amplexa erat, ſed tamen de ſæculo ſugiendo cogitabat, cum Carolum regem, in urbem Romam triumphali more hoc anno ingredientem, comitata eſt, ea ſane pompa, quæ ſanctimonialem non decuiſſet, uti poëta ejus temporis eam depingit his verſibus.

Interea ingreditur vultu Theodrada coruſco,
Fronte venuſta nitens, & cedit crinibus aurum.
Pulcra peregrinis collucent colla ſmaragdis:
Pes, manus, ora, genæ, cervix radiata niteſcit.
Clara ſerenatis ſulgeſcunt lumina flammis:
Pallia permixtis lucent hyacinthina talpis,
Clara ſophocleoque ornatur virgo cothurno.
Turba puellarum circumſtrepit agmine denſo,
Atque venuſta cohors procerum nitet ordine longo.
Et ſedet in niveo pulcherrima virgo caballo,
Acri fertur equo Caroli pia filia regis.
In nemus ire parat, ſacrata palatia linquens.

His, inquam, verſibus regiæ virginis, non monachæ cultus exprimitur: ſed tamen ex ultimo verſu intelligimus, Theodradam de ſeceſſu in ſolitudinem, & de relinquendo palatio cogitaſſe. Id porro paullo poſt exſecuta eſt in monaſterio Argentogilenſi prope urbem Pariſiorum, quod Hermenricus & Numa tempore Pippini regis conſtruxerant, ac monachis ſancti Dionyſii tradiderant. Hoc vero monaſterium Carolus a Fardulfo abbate, an a Waltone, & a fratribus obtinuit, ut quamdam filiam ſuam, inquit [a] Sugerius, id eſt Theodradam, *matrimonium humanum recuſantem, ibidem abbatiſſam ſanctimonialium conſtitueret*, eo pacto, ut illud poſt mortem ejus in jus ſancti Dionyſii reverteretur. Id ipſum a Ludovico auguſto fratre ſuo Theodrada ipſa petiit, annuitque Ludovicus, dato [b] diplomate, in quo *inluſtris femina, ſoror* ſua, *Theodrada Deo ſacrata* appellatur. In vivis adhuc erat anno ſequentis ſæculi viceſimo-quarto.

a Cheſn to 4. p. 333.

b Doublet. p. 736.

XCVI. Caroli M. privilegium Benedicto abbati datum pro Nova-cella.

Pæne ad alia properanti exciderat mihi Caroli Magni diploma hoc anno conceſſum Benedicto Anianæ abbati, dum rex Turonis reverſus Aquiſgrani in procinctu Romani itineris tantiſper moraretur. Iſtuc ad eum acceſſit Benedictus, forte ut ab æmulorum criminationibus ſe purgaret; probataque ſua ipſius innocentia, petiit a rege, ut quaſdam [c] cellas, in vaſtis illis locis Anianæ proximis ab ſe ædificatas, regia auctoritate confirmaret. Una ex illis erat Nova-cella, intra fiſcum Juviniacum apud Fontem-agricolas, cum duobus molendinis ſuper fluvium Lerum, *inter mare & ſtagnum*, exſtructa, cum conſenſu comitum & fidelium eorum locorum. altera in loco, dicto Aſogrado, cum ſuis appendicibus, ſuper fluvium Araurem * ſitis, in loco Apud-ſalices dicto, *ad paſcua armentorum & alenda pecora.* quæ omnia præcepto ſuo rata eſſe Carolus juſſit menſe Junio, anno regni ſui triceſimo-primo & viceſimo-ſexto. Actum Aquis palatio regio. De Nova-cella interpretandum id, quod Ardo [d] commemorat de quodam fratre, qui tabulam ſacratam, in qua ſancti Dionyſii aliorumque ſanctorum reliquiæ incluſæ erant, temere, poſt delatos ante aliquot dies catulos, veſtibus illotis, deferre illuc volebat. Navicula itaque prætervectus, (*erat enim cella ipſa inter ſtagnum & mare ſita*) tum equo conſcenſo mox in terram dejectus, ſimulque tabula e manibus ejus excuſſa, morte etiam equi, pœnas temeritatis dedit. Alter etiam frater in idem ſtagnum ingreſſus, quoniam ſecum habebat crucem, in qua lignum dominicum erat, ex imminenti naufragio ereptus eſt. In alia cella *fratres* [e] *ſoliti erant alendarum ovium curam habentes, æſtatis ſolummodo tempore habitare:* cujus loci oratorium, iis abſentibus, ingreſſæ mulieres, atque irreverenter in eo ſe habentes, *tormentionibus vexari cœperunt:* nec ante ſanatæ ſunt, quam iidem fratres, prout earum viri *monachos a montibus cum ovibus deſcendentes rogaverant*, pro illis preces fudiſſent. quod idcirco totidem Ardonis verbis obſervare viſum eſt, ut appareat, fratres illos, qui ovium curam habebant, vere *monachos* fuiſſe, non e numero illorum fratrum, quos modo converſos appellamus, qui necdum inſtituti erant.

c Sec. 4. parte 1 p. 228.

* l'Erau.

d Num 37.

e Num. 38.

ANN. CHR. 800.

XCVII. Angilbertus abbas privilegium obtinet a Leone papa.

Romam comitatus est Carolum Angilbertus abbas Centulensis, ipsoque ejus coronationis die a Leone pontifice privilegium obtinuit, annuente, immo etiam petente Jesse Ambianensi episcopo, ut totius monasterii ac villæ circumpositæ curam ecclesiasticam solus haberet abbas, nec quidquam episcopus Ambianensis de ecclesiis aut clericis ejusdem loci posset constituere. Ejus privilegii fragmentum Paulus Petavius in syntagmate Nithardi retulit ex codice olim suo, nunc bibliothecæ Ottobonianæ, ex quo integrum huc referre juvat.

*Leo episcopus servus servorum Dei omnibus archiepiscopis & episcopis per totam Galliam constitutis, præsentibus scilicet & futuris. Apostolica dignitatis discretioni competit piis petitionibus assentire, & eorum vota effectibus mancipare, quorum bona voluntas & pia intentio utilitati & paci ecclesiarum cognoscitur insudare. Idcirco decrevimus suggestione fratris & coëpiscopi nostri Jesse Ambianensium antistitis, simulque Angilberti abbatis, quam in præsentia gloriosi atque excellentissimi filii nostri Karoli, quem auctore Deo in defensionem & proventum sanctæ universalis ecclesiæ in augustam hodie sacravimus, nobis intimarunt, paterna pietate suscipere, atque hanc pastorali sollicitudine confirmare. Decernendo igitur statuimus, & beati Petri apostolorum principis auctoritate sancimus, ut monasterium sancti Salvatoris sanctique Richarii confessoris, situm in pago Pontivo, vico Centula, quod idem sanctus in propriis rebus olim Christo instituit, quodque ab excellentissimo præfato filio nostro augusto Karolo nuper restauratum, & in nobilem Christo protegente statum redactum est; cui scilicet memoratus abba Angilbertus præesse cognoscitur, immune ac quietum, & omnimodis liberum sit, ut nemo regum, nemo pontificum, vel alterius cujuslibet potestatis, nunc & per futura tempora ipsius loci abbatem qualicumque nomine commovere aut inquietare conetur, nec in rebus ad eumdem locum pertinentibus ullam dominationem aut ordinationem, seu præoccupationem vel diminutionem usurpare attentet: sed abbas loci ipsius hoc præsenti apostolicæ auctoritatis privilegio fretus, omnia quæcumque ecclesiarum, cellarum, clericorum, militum, colonorum, servorum, ancillarum, villarum, redditaum, possederit, vel deinceps ad prædictum locum concessa vel delegata fuerint, libere & quiete possideat, atque inconcusse ordinet & disponat; neque concilii aut synodi obtentu cum quisquam, excepta dumtaxat Romanæ sedis auctoritate, quolibet venire aut vocare, vel invitare præsumat: quatenus laus & honor Dei omnipotentis in eodem loco pro voto excellentissimi filii nostri gloriosi augusti Karoli, quanto liberius, tanto sollicitius & accumulatius in perpetuum celebretur. Ea vero quæ ad usum ecclesiarum necessaria sunt, a Remensi archiepiscopo, vel a quolibet ejus suffraganeo, petat & accipiat. Ipsius autem totius villæ, quæ Centula nuncupatur, curam ecclesiasticam retineat, nec in aliquo episcopus Ambianicæ sedis de ecclesiis aut clericis ejusdem loci se intromittat, nisi forte voluntas abbatis illum rogando invitaverit, ut aliquam consecrationem, vel ordinationem, seu prædicationem aut instituram * exerceat. quod si contigerit, nihil amplius quam secundum suam utilitatem abbas permiserit, ibidem episcopus perficiat. Cum vero abbas loci de hac vita migraverit, nulla potestas, nullaque nobilitas mundi in eligendo abbate, sive loci procuratione prævaleat: sed in fratrum arbitrio consistat, ut quemcumque secundum timorem Dei juxta tramitem regula beati Benedicti elegerint, hunc, annuente rege Francorum, qui tunc fuerit, sortiantur abbatem, benedictionem consecrationis impendente episcopo, a quo idem electus benedici maluerit. Quicumque vero huic nostræ sanctioni in aliquo obviare aut refragari tentaverit, auctoritate domini Salvatoris nostri & beatorum apostolorum Petri & Pauli a corpore Christi, quod est ecclesia, extorris & excommunicatus permanens, gradus sui dignitate careat, & infamis atque anathema in sempiternum maneat, amen. Data octavo kalendas Januarii, indictione nona. Zacharias diaconus regionarius & sanctæ atque apostolicæ Romanæ ecclesiæ bibliothecarius scripsi, recognovi & subscripsi.*

XCVIII. Tilpini Remensis episcopi obitus.

De anno, quo decessit Tilpinus archiepiscopus Remorum, variæ sunt recentiorum sententiæ, quas Cointius expendit, pseudo-Turpini fabulam refutare non immerito piaculum ratus. In his sententiis duæ potiores. Si notitiam de villa Noviliaco sequimur, defunctus est Tilpinus anno vicesimo-tertio, postquam Carlomannus Remensi ecclesiæ villam Noviliacum tradiderat, id est ejus sæculi nonagesimo-quarto: si Frodoardum præferimus, Tilpino pontificatus annos septem & quadraginta tribuentem, ejus obitus hoc anno collocandus. Remensem ecclesiam rebus & possessionibus auxit, & sacrarum codicibus scripturarum instruxit. Idem etiam

ANN. CHR. 800.

impenſe magnificus fuit in ſancti Remigii baſilicam, quam ſenio collabentem reparavit, ubi & monachi ab eo reſtituti. Exſtat etiam nunc in Remigiana bibliotheca raræ antiquitatis pontificale ex dono ipſius Tilpini, qui in eadem baſilica ſub odeo ſepultus eſt, affixo ad novi odei parietem non ad altare, ut fallit Marlotus, ipſius Tilpini epitaphio, quod Hincmarus compoſuit in hunc modum

Hac requieſcit humo Tilpinus præſul honoris,
Vivere cui Chriſtus, vita & obire fuit.
Hunc Remi populo martyr Dionyſius almus
Paſtorem vigilem miſit & eſſe patrem.
Quem paſcens quadragenis aſt amplius annis,
Veſte ſenectutis deſpoliatus abit,
Quartas cum nonas menſis September haberet,
Mortua quando fuit mors, ſibi vita manet.
Et quoniam locus atque gradus hos junxerat, Hincmar
Huic fecit tumulum, compoſuit titulum.

Variant necrologia Remenſis eccleſiæ in deſignando ejus obitus die. Conſentit cum Hincmaro kalendarium, ſacramentario Godelgaudi præmiſſum in codice Remigiano, qui manu exaratus eſt anno triceſimo-primo Caroli regis, nempe Calvi; necnon kalendarium Odalrici præpoſiti eccleſiæ Remenſis, ſcriptum ſæculo undecimo. In alio veterrimo martyrologio eccleſiæ Remenſis, nunc bibliothecæ Ottobonianæ, *kalendis Septembris obiit Tilpinus Remenſis archiepiſcopus, & habemus ſuam caſulam. Inter apoſtolicos.* Sic in eo codice legitur in aſſignando aliorum epiſcoporum obitu, forte ad indicandum, eos in ipſa Remenſi eccleſia cum aliis ejuſdem eccleſiæ epiſcopis humatos fuiſſe. Sepultus eſt tamen Tilpinus, ut mox dicebam, ſub odeo ſeu majori ambone Remigianæ baſilicæ, & quidem ad eum locum, ubi ſanctus Remigius primum ſepultus fuerat, ubi & olim ſancti Chriſtophori erat ædicula, uti fidem facit inſcriptio cum cruce ad hunc locum appoſita his verbis: HIC CORPUS B. REMIGII PRIMO HUMATUM FUIT IN MEDIO ECCLESIOLÆ S. CHRISTOPHORI, SUB SPELUNCA DUPLICI. Anno MDCXLVIII. extruendo novo ambone, qui ad ſex pedes verſus navim ſummotus eſt, cum vetus ſubrueretur, inventi ſunt circa primarium locum tumuli ſancti Remigii tres ſepulcrorum ordines, haud dubie quorumdam archiepiſcoporum & nobilium, quales fuere ex archiepiſcopis ante Tilpinum Sonnatius, & Lando, quos in baſilica Remigiana ſepulturam ſibi delegiſſe Frodoardus tradit. Poſt Tilpinum Hincmarus, aliique nonnulli ibidem humati ſunt, ut ſuis locis videbimus.

a Frod. lib. 2. c. 18.

Poſt aliquot annorum interpontificium Tilpino ſuffectus eſt Wlfarius, *vocatus* [a] *epiſcopus*, dum miſſum dominicum ageret, *antequam ordinaretur.* Sub his archiepiſcopis, eorumque ſucceſſoribus uſque ad Hugonem, id eſt ad ſæculum decimum, in monaſterio ſancti Remigii nulli, excepto Ebone monacho, abbates fuere præter archiepiſcopum, ſub quo præpoſitus diſciplinam regularem moderabatur. Idem alibi uſitatum ſub abbatibus ſæcularibus, ſub quibus vel præpoſiti, vel decani idem officium exercebant.

XCIX. Anſonis abbatis Laubienſis ſucceſſores.

In eum ſtatum redactum fuit eodem tempore cœnobium Laubienſe poſt obitum Anſonis abbatis, qui ex hac vita migravit eo anno, quo Carolus imperator renuntiatus eſt. Poſt eum abbatiam invaſit Hildricus canonicus, eoque mortuo Ramnericus tempore Ludovici auguſti. Eodem imperatore, Ramnericum excepit Folradus ſeu Fulradus, Ramnerici nepos, ut quidem puto, ex ſorore, filius Hieronymi Caroli Magni patrui, idemque baſilicæ ſancti Quintini abbas, de quo plura in conſequentibus dicenda occurrent. Trium ejus deceſſorum nomina tantum nota.

C. Præpoſiti Remigiani.

Quinam ſub his abbatibus diſciplinæ regulari apud Laubias præfuerint, incompertum: at præpoſitorum Remigianorum ſeries habetur apud Marlotum, ubi primus occurrit Erchanraus, qui hoc officium laudabiliter geſſit ſub Tilpino & Wlfario archiepiſcopis. Remigianus codex, quoſdam ſancti Auguſtini ſermones in pſalmos continens, ſcriptus eſt in monaſterio ſancti Remigii, *ex præcepto piiſſimi abbatis Wolfarii & archiepiſcopi; Erchanrao vero præpoſito ejus ſibi obediente perductus eſt ad perfectionem.* Idem Erchanraus adhuc præpoſitus erat ſub Ebone abbate & ar-

ANN. CHR. 800.

chiepiscopo, cujus præcepto ibidem conscriptus est Cassiodori commentarius in psalmos. Erchanrao successit Bertigarius sub eodem Ebone, ut patet tum ex inscriptione libelli, in quo monachorum Remigianorum nomina sub unoquoque præposito vel abbate recensentur, tum ex duobus codicibus ejus eo præposito scriptis. Hunc excepit Raduinus, ex-abbate Berceti apud Ligures cœnobii, monachus Remigianus, dein honorem præpositruræ adeptus pro sua probitate. quo tempore Ebo, Ebonis archiepiscopi nepos, ab ipsis pæne incunabulis sub religione & habitu regulari nutritus in sancti Remigii monasterio, ibidem religiosam exegit ætatem; quousque a domno Ebone archiepiscopo, avunculo suo, diaconus & abbas monachorum ad regularem ordinem tenendum ordinatus est, quæ fere verba sunt Hincmari in epistola ad Carolum Calvum contra Gothescalcum. Ebo archiepiscopus ob crimen læsæ majestatis sede sua pulsus, ejusque nepos æquivocus abbatia itidem cedere coactus, locum fecerunt Fulconi chorepiscopo, qui per novem annos, nempe usque ad ordinationem Hincmari archiepiscopi, episcopatum simul & abbatiam rexit, & post eum Notho per sesquiannum. In eodem sæculo Soifarius præpositus erat, qui libros Moralium Gregorii Magni scribi jussit. In schedula professionis Rotfridi monachi mentio fit *præsentis abbatis, videlicet Hincmari archi piscopi.* neque enim infra se ducebant archiepiscopi se se illustris monasterii abbates dici. unde non mirum, si Fulco chorepiscopus hoc ipso titulo insigniatur in litteris societatis initæ inter monachos Dionysianos & Remigianos, quas suo loco proferemus. Ante hos omnes decanus erat monasterii sub Tilpino Godelgaudus, de quo in fine hujus libri.

C I. Societas precum inter Gallenses & Augienses.

Inita est hoc anno similis societas inter monachos sancti-Gallenses & Augienses sub abbatibus Werdone atque Waltone, hisque conditionibus instituta, ut pro unoquoque fratre mortuo singuli presbyteri ipso die, quo contigerit obitus, vel significatus fuerit, tres missas, & ceteri fratres pro eo psalterium ac vigilias defunctorum persolvant, communisque oblatio ab omnibus fiat. Item ut in die septimo, triginta psalmos; tricesimo autem, presbyteri quilibet unam missam, & ceteri quinquaginta psalmos. Ad hæc, ut in capite singulorum mensium vigiliæ ex more celebrentur, in quibus omnium simul defunctorum ejusdem societatis fratrum, atque defuncti recens fratris commemoratio fiat, cum oblatione item generali pro iisdem; & post hæc unusquisque presbyter unam missam; ceteri fratres quinquaginta psalmos persolvant. Denique, ut semel unoquoque anno sub die septimo-decimo kalendas Decembris commemoratio omnium simul fiat pro annuali singulorum memoria, ipsoque die presbyteri ternas missas (en plures uno die unius presbyteri missas) & ceteri fratres psalterium *decantent* seu recitent; ac celebratio vigiliæ, communisque oblatio ab omnibus fratribus fiat. Hoc specimen est generalis commemorationis omnium defunctorum, quæ postea, præeunte sancto Odilone abbate Cluniacensi, universim in ecclesia instituta est. Hæc societas, quæ Ottonis Magni principatu, quibusdam additis, renovata est, facta legitur apud Goldastum [a] *anno ab incarnatione Domini octingentesimo, regnante domno Karlo, serenissimo cæsare augusto,* qui nonnisi sub finem anni, ut diximus, id est octavo kalendas Januarii, imperator salutatus est. Sed hic locus forte intelligendus secundum veterem calculum, qui tres primos anni sequentis menses præcedenti tribuebat.

[a] *Gold parte 2. rerum alam.* p. 180.

C II. Findanus Rhinaugiæ reclusus.

Eodem anno Rhinaugiam se recepit Findanus, Scottus seu Hibernus provinciæ Lageniensis, postquam Turonis sanctum Martinum adiisset, ac Franciam & Alamanniam peragrasset atque Italiam, ubi beatorum apostolorum limina atque urbis loca sacra lustravit. Locus est in insula Rheni diœcesis Constantiensis; alius ab Augia divite, monasterio insignitus, cujus conditor fuisse creditur Wolfehardus comes Kiburgensis. In libro fratrum conscriptorum sancti Galli recensentur inter *nomina fratrum de Rinauva* Wichramnus, Wolwinus, & Antwartus abbates, quos primos ejus cœnobii rectores fuisse non dubito. Sub uno itaque ex his abbatibus Findanus eo secessit. Quinquennio in vita communi exacto, majoris profectus studio in artissimum locum se reclusit, & inaudita corpus inedia perdomuit. Locus erat ad septemtrionalem partem basilicæ sanctæ Dei Genitricis, ubi per duos ac viginti annos in summa illa abstinentia perduravit, quartam tantum panis quotidiani partem in cibum sumens, reliquum erogans pauperibus. Dum cum fratribus maneret, *lapides velatos* in lecto corpori supponebat. Sæpe ingluvie tentatus, nihil tamen de pristina severitate remisit. Post reclusionem diutino cilicio indutus, calore ignis absti-

ANN. CHR. 800. nens, non pausans in lectulo, balneum vitans, jejuniis, vigiliis, precibusque assidue insistens; vix pane toto illo tempore usus, miraculi instar omnibus fuit. Cetera ejus facta, quæ altero libro ab anonymo descripta fuerant, exciderunt.

CIII. Milizense monasterium Fuldensi subjectum. a Tradit. Fuld. p. 510. V. lib. 25. num. 42.

Sub initium hujus anni Emhildis abbatissa a cum sororibus suis, numero viginti, se se resque suas Fuldensi monasterio tradiderunt, ea conditione, ut, dum viverent, vitæ necessaria a Fuldensibus acciperent: post earum vero obitum, monasterium suum, id est Milizense, de quo alias diximus, ejusque loci congregatio sub dominio & defensione Fuldensium secura consisteret. In litteris hujus traditionis recensentur omnia ecclesiæ ornamenta, id est altare primum auro paratum, cruces tres auro paratæ, capsæ auratæ undecim, calices argentei quatuor, totidemque patenæ; calices cuprini cum suis patenis, & alia quæ omittimus. Actum vico publico Miliza, anno dominicæ incarnationis octingentesimo, die tertia mensis Februarii.

CIV. Cloveshovicense concilium secundum.

Spelmannus hoc anno collocat secundum concilium Cloveshoviæ provinciale, cui Athelardus seu Ethelardus Dorobernensis ecclesiæ metropolitanus præsedit, universis provinciæ suæ episcopis, abbatibus, atque etiam ducibus eo convocatis. Facta fidei professione, qualis a beato papa Gregorio primitus illi genti exposita fuerat, actum est de restituendis chirographis seu instrumentis, quorum dispendio & amissione Anglicanæ tunc ecclesiæ miserabiliter afflictæ erant. Et primum quidem prolatæ sunt inscriptiones monasterii Cothamensis, terrarumque ipsi adjacentium: quod monasterium cum omnibus ad illud pertinentibus terris Athelbaldus rex Merciorum Dorobernensi ecclesiæ Salvatoris tradiderat; utque illa donatio firmior esset, ex eadem terra cæspitem & cunctos libellos ejusdem cœnobii per venerabilem Cuthbertum archiepiscopum misit, & super altare Salvatoris in perennem firmitatem poni curavit. Verum post mortem prædicti pontificis, nefarii duo ejus alumni hos libellos furati, Cenulfo regi occidentalium Saxonum tradiderunt, qui, his acceptis, idem cœnobium cum omnibus ad illud pertinentibus, in suos usus aptavit; rejectis diutius hac de re querelis archiepiscoporum, tum Bregwini, tum Jamberti, qui tandem vel sera pænitentia ductus, prædictos libellos cum pecunia non modica remisit. Vix hæc restitutio facta erat, cum Offa rex Merciorum idem cœnobium invasit, totoque vitæ suæ tempore inique retinuit, & absque litterarum auctoritate suis heredibus reliquit. Conquestus est de illa invasione Athelardus in hac synodo, prolatisque primariis ejus cœnobii libellis ac relectis, unanimi patrum sententia decretum, justum esse, ut illud metropoli Dorobernensi restitueretur. His gestis commutationem ejusdem cœnobii fecit Athelardus cum Cynedritha abbatissa, quæ terras, olim ab Offa rege sibi donatas, Dorobernensi ecclesiæ dedit in compensationem illius monasterii, quod cum omnibus telligraphiis, seu libellis, ab Athelardo accepit, simulque monasterium Pectanegense, Athelardo ab Egfrido rege hereditario jure olim concessum. Obscura modo nobis sunt hæc monasteria, quorum nullam invenio mentionem in Monastico Anglicano, nec certe de Etgegenfordensi, constructo b ab Edwino seu Eda quondam duce Northanimbrorum, qui postea ejus loci monachus & abbas, ibidem, velut miles emeritus, anno sequenti diem clausit extremum XVIII. kalendas Februarii.

b Simeon Dunelm. col. 117.

CV. Godelgaudi liber sacramentorum.

Distulimus ad hunc locum agere de Godelgaudo sacerdote & monacho, qui decani officium in Remensi sancti Remigii cœnobio sub Tilpino archiepiscopo gessit. Is egregium codicem sacramentorum Gregorianum describi curavit per Lantbertum sacerdotem, qui multos alios codices exarasse dicitur. Hunc autem librum scribere aggressus est Lantbertus, ipse scriptor & pictor, XI. kal. Aprilis, indictione VI. eumque absolvit kalendis Augusti, indictione VIII. *quod nunc est, annus quoque XXXI. regnante domno nostro Karolo gloriosissimo rege Francorum*, ut habet inscriptio, eidem codici ab ipso scriptore præmissa. quæ chronicæ notæ præsenti anno octingentesimo conveniunt. Hanc inscriptionem etsi valde scabrosam, hoc loco integram exhibere lubet, præmissa effigie, quamtumvis rudi, prædicti Godelgaudi ex eodem codice Remigiano.

Jam


EGO GODEL
GAUD PRBT

ANN. CHR. 800.

Jam exhibenda est inscriptio Lantberti sacerdotis, qui prædictum codicem jussu Godelgaudi conscripsit.

In Christi nomine hoc volumine libri sacramenteriorum continet, quem vir venerabilis Godelgaudus sacerdos seu & monachus, immo etiam & decanus, divino instinctus amore, suo Lantberto sacerdote vitam solitariam degens jussit imperium transcribere hunc librum; & hoc devotus obtulit in honore beatissimi Remigii episcopi urbis Remorum in cœnubio illius, ubi ipse domnus pretiosus corpus quiescit. Ergo iste codex legentibus vel audientibus proficiat ad salutem, & contempnentibus ingerat timorem, & conlatoribus memoria ejus prolixioribus a beato per tempora, amen. Amice, vis scire quomodo exaratus est? Exordium sumpsit XI. *kal. Aprilis, concurrens* VII. *epacta nulla, indictio* VI. *currebant utrumque simul. Perfectum duxi kal. Augusti, rursum currebant concurreus* III. *epacta* XXII. *indictione* VIII. *quod nunc est annus quoque* XXXI. *regnante domno nostro Karolo gloriosissimo rege Francorum.*

Hactenus inscriptio Lantberti sacerdotis & sciptoris, in qua ambiguum est, an ipse (quod quidem probabilius) an Godelgaudus cum ipso vitam solitariam duxerit. Idem in alia inscriptione easdem repetit chronicas notas, *ego*, inquit, *Lantbertus servus servorum Dei.* & initio codicis Godelgaudum decanum in habitu sacerdotali depinxit, cujus effigiem, quantumvis rudem, hic repræsentare visum est, ex qua intelligimus sacerdotes monachos, dum sacris operarentur, depresso in humeros caputio, nudo penitus capite, sacris vestibus indutos fuisse. Observanda in hujus iconis inscriptione presbyteri nomen, quod per has litteras PRBT exprimitur, ut in Notitia ecclesiæ Africanæ factum noster Ruinartus observavit.

Hæc satis & forte plusquam satis de Godelgaudo illo, & de ejus codice Sacramentorum, quo Menardus noster usus est in edendo Sacramentario Gregoriano.





ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

AN. CHR. 801.

SÆCULUM CHRISTI VIII. ORDINIS IV.

LIBER VICESIMUS-SEPTIMUS.

Ab anno Christi 801. *ad annum* 811.



NGREDIMUR, Christo auspice, sæculum nonum, cujus læta & prospera initia, turbulentus progressus, medium Nortmannicis maxime cladibus infestum, exitus ferme exitialis, præsertim Galliis, fuit. Principio cum florerent omnia, refloruit etiam quam maxime Ordo sancti Benedicti sub Carolo Magno, & Ludovico ejus filio Aquitaniæ rege. Erat in hujus regno Aniana, atque adeo Benedictus abbas, quem Ludovicus ob compertam sanctimoniam magnopere diligebat, ejusque consiliis libenter obtemperabat. Hinc piissimi principis animo insinuatus in monasticum ordinem amor, quem cum videret in regno suo non satis religiose coli, de ejus emendatione & correctione serio cogitare cœpit. Erant illis in partibus monasteria, quæ vix *canonica instituta* clericis præscripta servabant; regulæ vero præcepta penitus ignorabant. Hæc ut Benedictus accurate perlustraret, revocaretque ad pristinas leges, a rege mandatum. Jussis incunctanter paruit abbas sanctus, nec semel iterumque, sed sæpius Aquitanorum monasteria circumivit, regulam eis exponens & explicans, ejusque singula capita discutiens; nota confirmans, obscura & ignota elucidans; isque fuit sanctissimi viri operis successus, ut Aquitaniæ monasteria pæne omnia regularem vitam denuo susceperint.

I. Benedictus Aquitaniæ monasteria reformat.

Verum, ne nimis lætæ res essent, is malevolorum invidiam incurrit, clericorum, militum seu nobilium, atque etiam comitum, quasi ex principis in ipsum favore & gratia res suæ minuerentur. Hinc eum Carolo suspectum reddere moliuntur, idque demum efficiunt, ut Benedictus sui purgandi causa in palatium Caroli accedere coactus sit. Venit ille non minus Dei ope, quam inviolatæ fidei conscientia confisus: at, favente Deo, in ipso adventu Caroli animum jam adeo serenatum invenit, ut ipsi poculum rex propria manu porrigeret; & quem æmuli a patrio solo extorrem in alienas terras ablegandum credebant, hunc magno cum honore in patriam a rege dimissum doluere. Auxit hæc æmulorum invidia Ludovici gratiam in Bene-

ANN. CHR. 821. dictum, probe scientis, sæculi amatorum hunc esse morem, ut justorum profectibus semper invideant. Ermengardis quoque regina eumdem pio colebat affectu, & quia justum noverat, eum libenter auscultabat, suisque donis honorabat.

II. Menatense. Interim crescebat supra modum Benedicti discipulorum numerus; & quia locus, in quo degebat, infœcundus, & ex ardore solis adustus, ac pæne sterilis erat; Ludovicus dedit illi monasterium apud Arvernos, quod sanctus Meneleus, regio ortus sanguine, olim condiderat, ubi & sacrum ejus corpus colebatur. Huc monachi duodecim a Benedicto directi; quibus præfectus abbas multæ religionis ac reverentiæ, Andoarius nomine, qui a primævo conversionis suæ tempore eidem adhæserat, vir probatissimus, & multis attritus laboribus; tantumque eo magistro Menatensis illa congregatio profecit, ut eis ad septuaginta monachi brevi adhæserint. Accedenti illuc aliquando viro Dei occurrit in itinere cella quædam sancti Salvatoris, ubi primum fratres ab eo missi habitaverant, antequam monasterio Menatensi a rege donarentur. Illic nihilo minus remanserant ad locum procurandum fratres aliquot, qui patrem effusis gaudiis complexi sunt, non tamen sine tristitiæ nubilo, quod cum ob ingentem penuriam, ut par erat, excipere non valerent, modico vino in uno e duobus vasculis remanente, quantum scilicet opus erat ad celebrandas missas, & singulas potiones dominicis diebus percipiendas. Jussit nihilo minus *magister cellæ*, ut e vasculo jam vacuo vinum hauriretur. Itum est, nec defecit vinum, dum Benedictus in loco mansit. quo discedente, vinum ulterius e vase fluere cessavit, quod Ardo ab iis, qui præsentes erant, se didicisse testatur.

III. S. Savini & Masciacense. Præter Menatense, duo alia quoque eidem Benedicto ab eodem gloriosissimo rege monasteria commissa sunt: unum sancti Savini apud Pictones, ubi viginti monachos instituit: qui dum regularibus studiis ferventer invigilant, non parva monachorum turba eis adjungitur. alterum Masciacense *, situm in territorio Bituricensi, ubi monachos ferme quadraginta cum abbate posuit. Et quoniam locus ille *novo opere* fundandus erat, construentibus subsidium impendit, librosque ac vestes sacras concessit. Cum vero nova hæc colonia religionis ac sanctæ conversationis studio floreret, atque unitatem spiritus in vinculo pacis servaret, permaximum intra Christi ovile gregem monachorum attraxit. Hoc monasterium Ego comes superioris sæculi anno tricesimo-octavo exstruere cœperat: sed, sive res imperfecta hæsit, sive novum monasterium brevi postea eversum afflictumve est; adventus monachorum Masciacum in brevibus ᵃ ejus loci annalibus differtur in annum octingentesimum quartum-decimum, nempe post ædificiorum instaurationem a Ludovico jam imperatore factam, cujus mentio est apud anonymum in libro de ejus vita. Hinc *novo opere* fundatum dicitur apud Ardonem. Primum novi monasterii abbatem non produnt breves illi annales, in quibus celebratur Abbo ejus loci abbas, natus anno octingentesimo decimo-septimo, ordinatus anno ejusdem sæculi quadragesimo-septimo. Perstat etiam nunc hoc monasterium, sancto Martino sacrum, sub ordine sancti Benedicti. De Insula-barbara, Miciaco, & Cormarico monasteriis a Benedicto informatis jam superius egimus, de aliis in consequentibus dicturi.

* *Massay.*

a *Labb. t. 2. bibl. p. 732.*

Abbo abbas.

IV. Aldricus fit monachus apud Ferrarias. Initio statim hujus sæculi, certe ante obitum Alcuini, Aldricus admissus est in Ferrariense monasterium pagi Wastinensis in diœcesi Senonensi, tunc Alcuino abbati commissum. Natus est in eodem pago ex principibus palatinis Aldricus anno septingentesimo septuagesimo-quinto. Adhuc puer sancti Nicolai Myrensis episcopi exemplo tenerum corpus inedia macerasse dicitur. Dein cum monachis frequens, eorumque instituto plurimum delectatus, demum eorum contubernio sociari voluit. Ægre assensere parentes, qui eum in proposito constantem randem Ferrariensi monasterio sanctæ Mariæ & sancti Petri tradiderunt, Deo perpetuo serviturum sub Alcuino, ut jam diximus, abbate, aut eo qui ejus vice disciplinæ regulari præerat. Certe Sigulfum Aldrici educationis curam habuisse patet ex Alcuini vita, ubi is contra interdictum Alcuini, discipulis suis Virgilii, aliorumque profanorum lectionem vetantis, Adalberto & Aldrico, quos ut filios nutriebat, Virgilium secretissime legere jussit, studiose cavens, ne id veniret in Alcuini cognitionem. quod tamen ille divinitus agnovit, ac severe castigavit. Alcuinus morti proximus, permittente Carolo rege, successorem designavit in Ferrariensi monasterio Sigulfum popularem ac discipulum suum, qui usque ad senium usus habitu canonico,

ANN. CHR. 801.

sponte abbatiam Adalberto discipulo suo resignavit, assumtaque monastica veste, suo se discipulo ibidem insigni modestiæ exemplo subjecit. Hæc discimus ex Lupi abbatis epistola vicesima-nona. *Certe Ferrariensis*, inquit, *monasterii, cui indignus deservio, quondam nobilis abbas & presbyter Sigulfus, qui usque ad senium sub canonico habitu laudabiliter vixerat, sponte se potestate exuit, & nostram, hoc est monachicam, religionem assumsit, atque, donec diem obiret, suo passus est subjici discipulo, quem ipsius voluntate ac fratrum consensu imperator Ludovicus memorato loco abbatem præfecerat.* Hæc Lupus abbas, singulare ejusdem loci ornamentum: ex quo intelligimus, abbates alterius instituti non sine *fratrum consensu* monasteriis tunc temporis impositos fuisse. Sub Sigulfo & Adalberto meruit Aldricus, quem Jeremias Senonum antistes diaconum, ac biennio post presbyterum ordinavit, futurum Adalberti in monasterii regimine, ac demum ipsius Jeremiæ in Senonica sede successorem. Perturbatus est Ferrariensium abbatum ordo in Gallia-christiana. Post Bucbinum sancti Eligii discipulum abbates fuere Wido, Gerontius, Waldebertus, alii incerti usque ad Alcuinum, qui Sigulfum præcessit. Sigulfo suffectus Adalbertus, quem Aldricus noster excepit, successorem sortitus Odonem, ab aliis omissum; Odo Lupum, virum doctrina & eruditione præstantem: de quibus singillatim mentio in subsequentibus recurret.

Ferrariensium abbatum series.

V. Alcuinus infirmus Carolo scribit.

Hoc tempore Alcuinus, qui apud sanctum Martinum febri laborabat, ubi Carolum cis Alpes reversum accepit, felicem ei reditum statim gratulatus est, missis [a] per Candidum litteris, quas *domino desiderantissimo & omni honore dignissimo David, patri patriæ, Albinus matricularius* inscribit. In hac epistola se quotidie, suspensis in verba venientium auribus, magnopere sollicitum fuisse, quid sibi nuntiaretur de domino suo dulcissimo Davide, quando tandem domum rediret, quando in patriam reverteretur. tandem vero aliquando, quamvis sero, optatum de proximo ejus reditu nuntium auribus suis insonuisse. tum sibi optasse pennas aquilæ ad prævolandum in occursum & amplexum sui carissimi super omne quod in hoc mundo amari potest; sed febri oppresso non licere solita corporis agilitate fungi, ut vel tarde fiat quod cito non valet. Jam tempus esse, ut agnoscat infirmitas fragilitatem suam, & totam se conferat in stabilitatem animæ suæ: ut, quamvis exterior homo annorum numero, vel morborum molestia conteratur, tamen renovetur desiderio salutis æternæ interior de die in diem. Se jam ante hoc fere quinquennium serio cogitasse de sæcularibus occupationibus omnino abdicandis; ob idque regiæ providentiæ consilio translatum fuisse in servitium sancti Martini, ubi inter fratres ejus ecclesiæ, Deo fideliter servientes, vivere, ac post mortem quiescere summopere cupiat. quod quidem ipsi post annos ab hinc fere tres, pro voto contigit.

[a] Alcuin. epist. 23.

Eodem tempore ad eumdem Carolum scripta [b] est epistola sequens, in qua significat se non sine dolore & lacrymis audivisse, Maganfredum, regis fidelem, sibique carissimum amicum, in Benevento diem obiisse; seque rogatum a fratribus sancti Petri litteras regi dirigere pro cellulis ad eam antiquitus pertinentibus ecclesiam, ut aliquas ex his sancto Petro restitueret, simulque spatium concederet pro atrio intra muros civitatis, unde fratribus sancti Petri honesta habitatio construi posset. quod de monasterio sancti Petri Ad-corpus dicto, quæ modo ecclesia parœcialis est, interpretandum videtur.

[b] Id. epist. 24.

VI. S. Ansani monasterium.

Illud obiter juvat observare, Carolum, cum Romæ adhuc moraretur, litem composuisse inter duos episcopos, Aribertum Aretinum & Andræam Senensem, invicem dissidentes de quibusdam ecclesiis, maxime de monasterio sancti Ansani, ubi ejusdem sancti corpus quiescebat, quod monasterium Aretinæ ecclesiæ Carolus cum optimatibus suis, secundum Leonis papæ præjudicium adjudicavit. Actum Romæ in ecclesia sancti Petri IV. nonas Martias, imperii ejus anno primo. Sanctus Ansanus martyr cæsus est ad ripam Arbiæ fluvii, ubi postea sub ejus nomine erecta fuit ecclesia: nunc ejus corpus Senis asservatur, teste Lubino. Roma digressus Carolus VII. kalendas Maii, Spoletum venit; dein Ravennam, tum Papiam, ubi Aaronis regis Persarum legatos advenisse accepit; ac demum Aquisgranum reversus est. Dum patrem Pippinus Spoletum comitaretur, accessit Cancellos in finibus Spoletanis; ibique residens cum suis proceribus ad controversias de more dirimendas, Ebroardus comes palatii cum Adelmo episcopo & aliis, qui præsentes aderant, locum Pompinianum monasterio sanctæ Mariæ in Acutiano, id est Farfensi,

Placitum pro Farfa.

» asseruit, anno dominorum Caroli & Pippini regum vicesimo-septimo & vicesimo-
» primo, mense Augusto, indictione nona.

ANN. CHR. 802.

VII. Moroaldo abbati Farfensi succedit Benedictus. a Chesn. to. 3. p. 653.

Farfense monasterium tunc temporis regebat Moroaldus abbas, qui postero anno e vivis excessit octavo kalendas Novembris, post regiminis annos duodecim, menses quatuor, & dies quindecim. Eo mortuo, electus est undecimus ab instaurato monasterio, abbas nomine ac re Benedictus, in rebus cum spiritualibus, tum temporalibus sagacissimus: cujus tempore non parva monasterio accessio facta est. Is omnium possessionum confirmationem anno sequenti obtinuit a Carolo imperatore, cujus diploma apud Chesnium a habetur. Hoc vero anno Raynaldus quidam Reatinus cum consensu Lilspergæ matris suæ, sponte in monasterio seipsum cum tota portione suæ substantiæ obtulit cum oblatione & palla altaris, *sicut sancta Regula docet*. Actum Reate vicesima die mensis Octobris per indictionem decimam.

VIII. Wolfarius episcopus Remensis missus ad S. Gallum.

Carolus imperatoris nomen factis æquaturus, in primis missos dominicos per totum, quam late patebat, imperium misit, ut res perperam gestas emendaret, & suum cuique jus redderet. Cum vero perspectum haberet optimus princeps, inferiores ministros sæpius auro ac muneribus corrumpi, ne ex æquo sententiam ferant; pauperes miseratus, episcopos & abbates cum ducibus & comitibus ad id officii elegit, quos magis integros & incorruptos judicavit. Horum in numero Fardulfus abbas Dionysianus cum Stephano pagum Parisiacum, aliosque adjacentes obivit, ut patet ex tribus capitulis, quæ Carolus ea de re hoc anno edidit. Omissi sunt in his capitulis qui in Germaniæ, Bajoariæ, & Alamanniæ provincias missi sunt. Wolfarium seu Wlfarium episcopum Remensem nobis suggerit Ratpertus monachus sancti Galli, a Carolo missum in Rætiam Curiensem *ad justitias faciendas*. Hic cum ad sancti Galli monasterium aliquando venisset, audita injusta vexatione, quam dudum patiebantur ejus loci monachi ab episcopo Constantiensi, qui monasterium sibi subjicere omnimodis moliebatur; immunitatis præceptum, eis olim a Pippino rege concessum, sibi exhiberi præcepit. quod cum perlegisset, hortatus est eos, ut hoc instrumentum domno imperatori per fidum quemdam hominem repræsentari curarent, pollicitus se illis auxilio adfuturum. Id creditum vassallo imperatoris, nomine Engilramno, de cujus fide monachi nequaquam dubitabant. Accepit ille authenticum, super altare sancti Galli sancte affirmans, se illud Carolo exhibiturum, ac demum monachis cautissime restituturum. Hæc res episcopum Eginonem haud latuit: qui datis muneribus hanc chartam ab Engilramno redemit, & accepit. Mox ille in monasterium venit, serio & accurate investigans, sicubi aliquod ejus chartæ exemplar inveniri posset. Suggestum est ei a nescio quo, Amalgarium monachum ejus exemplar facere voluisse; nec ante destitit ab inquisitione, quoad Amalgarius ad altare sancti Galli sacramento factum negasset. Tunc demum de re ipsa securus episcopus, redit ad sua, & remotis arbitris monachis, quos secum habere consueverat, eamdem chartam flammis consumendam in ignem projecit.

IX. Arno Saltzburgensis in Bajoariam.

In Bajoaria idem missi dominici officium exercuit Arno archiepiscopus Saltzburgensis cum Adalvino episcopo Ratisponensi, & Orendilo judice. Residentibus illis in urbe Frisinga, eo accessit Lantfridus advocatus Attonis ejus urbis episcopi & abbatis Schlecdorfensis, res quasdam repetens, ab Irminfrido viro nobili olim concessas, quas Lantfridus ejus filius occupaverat. Auditis partibus, vix temperatum a multa regia, quam injusta illa vexatio merebatur. Rogatus Arno pœnam remisit, resque usurpatas obtinuit pridie nonas Augusti, anno secundo imperii Caroli serenissimi Augusti, indictione decima. Idem judicium eodem tempore ab iisdem missis prolatum est in quemdam Reginbertum, qui prædia eidem monasterio a patruo suo collata invaserat.

X. Aquisgranensis conventus.

Præter missos dominicos Carolus conventum omnium ordinum Aquisgranum indixit, in quo quid in unoquoque ordine emendandum ac corrigendum esset, disceretur. Convenere eo in loco seorsim episcopi, seorsim abbates: illi canones cum decretis pontificum relegendos censuere, ac demum præcepere, ut clerici ad præscripta canonum viverent: hi vero sancti Benedicti regulam sibi pro speculo proposuere. Porrecta utrisque capitula, de quibus examen fieret. De abbatibus, utrum
» secundum regulam & canonice viverent, & si regulam & canones callerent. De
» monasteriis virorum, ubi monachi sunt, an secundum regulam vivant monachi, ubi

ANN. CHR. 802.

promissa est. nam in quibusdam monasteriis promissio regulæ penitus neglecta erat, nec ulla sollemnis professio fiebat, ut in monasterio sancti Dionysii, ubi alii ne regulam quidem noverant, alii votum de ea servanda ab se factum negabant. De monasteriis porro puellarum, utrum secundum regulam, an canonice viverent, « id est more canonicorum, & de claustris earum, an scilicet reclusionem observarent. « Hæc prima est canonicarum puellarum mentio, nec ante id tempus io Galliis invenias hoc nomen & institutum, quod deinceps frequentari cœpit. Ad hoc vero seosim ventum est, ut sicut in virorum monasteriis, ubi quondam regula sancti Benedicti accurate servata fuerat, labeote paullatim disciplina, penitus demum obsolevit, ita ut ex monachis canonici nulla publica auctoritate, sed privata mollitie fierent: sic etiam io cœnobiis virginum ab instituto monacharum ad laxiores canonicarum mores, regula penitus neglecta, deflecteretur. Idcirco in capitulari [a] hujus anni sancitum est, ut monachi *firmiter ac fortiter* secundum regulam vivant. *quia displicere Deo novimus*, ait pius princeps, *quisque in sua vocatione tepidus est, testante Johanne*. In eodem conventu omnes generatim fidem suam imperatori sacramento firmarunt: cujus sacramenti formulam Chesnius in tomo secundo vulgavit.

Canonicarum puellarum prima mentio.

[a] Art. 17.

XI. Baugulfus abbas Fuldensis regimen cedit Ratgario.

Hoc anno Baugulfus seu Baugolfus abbas Fuldensis, *relicta quam habuit potestate*, Ratgarium successorem accepit. Sponte prælatura cessisse videtur vitæ privatæ studio, non aliena pulsus auctoritate, nec suorum, ut quibusdam videtur, factione, uti probat libellus supplex, Carolo contra Ratgarium porrectus a Fuldensibus, qui concordiam cum superioribus abbatibus se teouisse asserunt. Abdicata præfectura, Baugulfus secessit io sui nominis monasterium, *Baugolfes-munster* olim appellatum, situm io tractu Hamelburgico, nuoc abolitum: ubi post tredecim, quibus superfuit, annos devixit non sine sanctitatis existimatione, ibidemque sepultus est. In montis sancti Petri fastigio, Fuldæ proximo, novi quoque monasterii fundamenta molitus traditur. Ejusdem rogatu anno abhinc decimo Richolfus archiepiscopus Moguntinus ecclesiam in Slitisse dedicavit XII. kalendas Octobris in honorem sanctæ Mariæ virginis, ut vetus habet inscriptio apud Browerum. Ejus acta in litteras retulit Candidus monachus jussu Eigilis abbatis: at scriptio hæc intercidit. Ratgarius ejus successor, Sturmii quondam discipulus, vir fuit non magis nobilitate præditus, quam ferocia, ob quam post regiminis annos sexdecim depositus fuit jussu Ludovici augusti.

XII. Rabanus Turonis studet.

Ab ipso prælaturæ suæ exordio Ratgarius abbas Rabanum, ab anno superiore diaconum ordinatum, una cum Hattone Turonos misit ad Albinum seu Alcuinum magistrum, causa discendi artes liberales. Certe Ratgario id acceptum referre videtur Rabanus ipse in poëmate decimo-tertio ad Ratgarium abbatem, a quo libros repetit, quos forte ille sibi abstulerat.

Jam mihi concessit bonitas tua discere libros:
Sed me paupertas suffocat ingenii.
Me quia quæcumque docuerunt ore magistri,
Ne vaga mens perdat, cuncta dedi foliis.

Hinc Alcuinum magistrum suum agnoscit in carmine libris de sancta cruce præfixo, ubi eum pro se beato Martino ita supplicantem inducit.

Sancte Dei præsul, meritis in sæcula vivens,
Causam quam ferimus suscipe mente pia.
Nempe ego cum fueram custos humilisque minister
Istius ecclesiæ, dogmata sacra legens:
Hunc puerum docui divini famine verbi,
Ethicæ monitis & sophiæ studiis.
Ipse quidem Francus genere est, atque incola silvæ
Boconiæ, huc missus discere verba Dei.
Abbas namque suus, Fuldensis rector ovilis,
Illum huc direxit ad tua tecta, pater:
Quo mecum legeret metri scholasticus artem,
Scripturam & sacram rite pararet ovans.

ANN. CHR. 802.

Hi versus errandi occasionem præbuere Trithemio & aliis, qui Rabanum Alcuino præceptore Romæ studuisse dixerunt, Romano pontifici aptantes hoc carmen, quod sancto Martino Turonensi antistiti directum est. Neque vero umquam Romæ litteras docuit Alcuinus, qui *fumo* [a] *sordentia Turonum tecta auratis Romanorum arcibus* præposuit: neque etiam Fuldæ, quod alii volunt; nec in monasterio sancti Galli, nec denique apud Suessionas: an vero Luteciæ-Parisiorum, mox disquiremus.

[a] Alcuin. epist. 13.

XIII. Rabani condiscipuli.

Studiorum socios Rabanus in Turonensi habuit academia Hattonem, ut diximus, monachum itidem Fuldensem, suumque in abbatiali dignitate successorem; Hemmonem etiam seu Haimonem, episcopum dein Halberstatensem; atque Samuelem, Wormatiensem futurum antistitem. De Haimone id colligitur ex præfatione operis de universo, eidem nuncupati. *Memor sum*, inquit, *boni studii tui, sancte pater, quod habuisti in puerili atque juvenili ætate in litterarum exercitio, & sacrarum litterarum meditatione, quando mecum legebas, non solum divinos libros, & sanctorum patrum super eos expositiones, sed etiam hujus mundi sapientium de rerum naturis solertes inquisitiones, quas in liberalium artium descriptione & ceterarum rerum investigatione composuerunt.* Samuelem porro non modo sub Alcuino condiscipulum habuit, sed etiam conlectorem in academia Fuldensi, quod munus idem Samuel etiam episcopus exercere pergebat. utrumque patet ex Rabani carmine XXI.

Quondam namque meum gaudebam te esse sodalem
Inter lectores, frater amate mihi.
Nunc quoque te gratulor retinere jura magistri,
Crescere virtute, patris habere locum.

Denique ambobus communem fuisse præceptorem Albinum paullo post ita testatur.

Quod quondam docuit Albinus rite magister,
Hoc pectus teneat, hoc opus omne probet.

In his porro scholis Rabano adscititium pro more illorum temporum nomen Mauro imposuit Alcuinus, quo nomine Maurum Benedicti puerum celebrat carmine CVII. eique fausta omnia precatur.

XIV. Fuldæ litteras docet.

Eidem hoc nomine ejusdem epistola quinquagesima-quinta inscripta est, *benedicto sancti Benedicti puero Mauro*, quæ in editis perperam *ad Benedictum* scripta dicitur. Ex hac epistola intelligitur, Rabanum jam Fuldam reversum ibidem litteras docere cœpisse; atque adeo ante Alcuini obitum, qui anno octingentesimo-quarto, mense Maio contigit, Turonis discessisse. In fine quippe hujus epistolæ Rabanum cum pueris ejus valere, & fratres suo nomine salutari jubet. Ceterum brevis ejus epistolæ argumentum est, ut Rabanus libellum scribat, quem ipso rogante se scripturum promiserat. Fuldam itaque reversus Rabanus, publicas ibidem scholas aperuit sub Ratgario abbate, qui postea in litteras litteratosque parum æquus, immo infestissimus exstitit. Eo doctore magna fuit celebritas & frequentia Fuldensis academiæ, in qua ex Gallia, ceterisque aliis regionibus, nedum ex Germania, discipuli confluebant. Præcipui ex ejus discipulis fuere Walafridus Strabo, Servatus Lupus, Rudolfus, & Otfridus monachi, de quibus inferius acturi sumus. Non solus tamen lectoris, ut sic jam vocabant, officium exercebat Rabanus, sed hoc in munere sodalem habuit Samuelem, ut mox dicebamus, & forte alios nonnullos, quibus ipse academiæ moderator præerat. Insignis ibidem, ut decebat, bibliotheca erat, Gerhoho presbytero commissa, quem Rabanus idcirco *clavipotentem fratrem* appellat in carmine XVI.

Dicere quid possum de magna laude librorum,
Quos sub clave tenes, frater amate, tua?
Quidquid ab arce Deus cæli direxit in orbem
Scripturæ sanctæ per pia verba viris,
Illic invenies, quidquid sapientia mundi
Protulit in mundum temporibus variis.

Abbas

Abbas creatus Rabanus curam docendi liberales artes Candido monacho, alisque commisit, reservato sibi officio interpretandi sacros libros. nam ad eum jam abbatem missus est Lupus ab Aldrico metropolitano, *uti ab eo ingressum*, id est præludia & elementa, *caperet divinarum scripturarum*. quæ verba sunt ipsius Lupi in epistola prima, qui quadragesimam eidem *reverentissimo patri, eximioque præceptori suo* inscribit. ANN. CHR. 802.

XV. Alcuinus an Parisiis docuerit, uti Turonis.

Post suum in Gallias accessum Alcuinus duobus tantum in locis scholas videtur habuisse, nimirum in palatio regio, & in monasterio sancti Martini. Aula principis tunc non uno certo loco fixa, sed vaga & inambulans erat. Non semel, sed iterum Alcuinus in Galliam accessit, & primo quidem anno septingentesimo octogesimo. Toto illo tempore ad annum nonagesimum-sextum, quo in monasterium sancti Martini translatus est, Carolus non vel semel apud Parisios videtur constitisse, sed variis in locis, Carisiaci, apud Theodonis-villam, in villa Haristallio, Wormatiæ, Attiniaci, Moguntiæ, Ratisponæ, Wirziburgi, Franconofurti & passim Aquisgrani, ut ex illius temporis annalibus constat. Non aliis itaque in locis scholas palatinas tenuit Alcuinus, in quibus Carolum ipsum, regias virgines, ac proceres, procerumque filios auditores habuit. Itaque fieri vix potuit, ut academiam, ne dicam universitatem Parisiensem instituerit, nisi forte hoc pacto, quod Carolo auctor fuerit, ut ibidem studia publica institueret. Certe Carolum hortatus est, ut *Athenæ novæ perficerentur in Francia*, suisque, & dictis, & scriptis Francorum animos ad studia litterarum excitavit. Dum Cæsaroduni-Turonum scholas teneret, identidem cum aliquot discipulis ventitabat in aulam regiam, a Carolo invitatus. Hinc spectat Theodulfi carmen [a] ad Angilbertum, qui unus e præcipuis ejus discipulis in palatio fuerat.

[a] Theodulf. lib. 3. c. 3.

Flaccus abit senior, pueris comitatus, ab urbe:
Dum lux plena redit, tunc redit ipse domum.

& in fine:

Dum veniet Flaccus pueris comitatus & odis,
Tunc sperare licet jam potiora tibi.

Cum vero hæc aulæ frequentia & frequentatio viro pio gravis & molesta esset, sæpe Carolum rogavit, ut his turbis omnino nuntium remittere sibi liceret. quod tandem vel sero obtinuit. Neque tamen ita studiis addictus erat, ut non etiam de reficiendis ædibus, maxime sacris cogitaret. Id ipse testatum reliquit suis versibus, in quibus [b] *diruta camerarum culmina*, id est fornices, *totam per aulam* basilicæ renovasse, & sacris reliquiis aptissima reddidisse memoratur. quod de cameratis basilicæ oratoriis intelligendum est.

[b] Alcuin. epigr. 221. v. 219.

XVI. Theodulfi episcopi lis cum monachis Martinianis.

Per id tempus gravissima inter Theodulfum episcopum Aurelianensem & Martinianos monachos controversia excitata est, quæ tantum-non in seditionem vertit. Id factum occasione clerici Aurelianensis, ob crimina in carcerem ab episcopo conjecti, qui inde furtim egressus ad sancti Martini basilicam, tamquam ad asylum, refugerat. Episcopo reum repetenti cum Martiniani, ecclesiæ immunitatem obtendentes, denegarent; ejus rei querelas Theodulfus ad Carolum retulit. Ut reus episcopo redderetur, ab imperatore mandatum. Cum vero immunitati ecclesiasticæ id repugnare crederent Martiniani, nec secus Alcuinus ipse sentiret; hic epistolam scripsit discipulis suis Candido & Nathanaëli, id est Wizoni seu Withsoni, & Fridegiso, qui tum in principis aula versabantur, *ac nuper de nido paternæ educationis* educti ad publicas auras evolaverant. Epistolæ argumentum est, Theodulfum venerabilem episcopum cum fratribus sancti Martini de quodam reo fugitivo habere disceptationem. qui reus, post plurima pœnarum genera, subito de vinculis elapsus, ad ecclesiam sancti Martini confugisset, reconciliationem exposcens, Cæsarem appellans, viam ad ejus sanctissimam præsentiam flagitans. se eum primum reddidisse ejusdem episcopi ministris, qui propter insidias, sibi, ut fertur, in via paratas, abeuntes eum dimisissent. Sub hæc, alios prædicti episcopi homines octo accessisse cum episcopo Turonensi die dominico in ecclesiam sancti Martini, ut raperent reum, qui, nulla habita sanctitatis domus Dei & sancti confessoris Christi Martini ratione, irruissent intra cancellos altaris, ne quidem facta capitis inclina-

AN. CHR. 804.

„ tione ad altare Dei, & inde fratres expulissent. Tum personuisse per totam civi-
„ tatem, venisse hostem Aurelianensem, & sancti Martini sanctuarium profanasse.
„ Hinc ex vicinis villulis confluxisse homines sancti Martini, & undique concursum
„ simul factum mendicorum, ut suum defensorem ipsi defenderent. Denique fratres,
„ ne quid mali paterentur homines episcopi Aurelianensis, populum extra ecclesiam
„ expulisse; sicque tumultum sedasse. Non dubitare se, episcopum multa dicturum
„ adversus fratres suos, & quæ gesta sunt exaggeraturum: quapropter præcipere,
„ ut Wizo & Fridegisus prostrati ad pedes imperatoris postulent locum defensionis
„ contra episcopum, & disputandi cum eo, an justum sit, ut vi raperetur de eccle-
„ sia reus, ac denuo iisdem pœnis, quas jam passus sit, subjiciatur; tum æquumne sit,
„ ut qui Cæsarem appellavit, ad cæsarem non adducatur; denique utrum liceat, ut
„ pænitens & confitens scelera sua, omnibus bonis usque ad corrigiam calceamenti
„ spolietur. Contra Theodulfus ad Carolum litteras itidem scripsit, quibus reum sibi
non redditum fuisse, immo vi hominibus suis abstractum conquerebatur.

Utrisque lectis epistolis rescripsit Carolus *Albino venerabili magistro & omni con-*
„ *gregationi sancti Martini*, sibi pridie, quam eorum epistola sibi reddita fuisset, alla-
„ tas fuisse litteras a Theodulfo episcopo, querimonias continentes de inhonoratione
„ ejus hominum, immo ipsius episcopi, atque imperialis suæ jussionis, qua manda-
„ tum fuerat, ut idem clericus episcopo suo restitueretur. Se nihil injuste hac in re
„ decrevisse; ceterum sibi utrasque relegenti epistolas, multo asperiorem & immode-
„ ratiorem visam fuisse illorum epistolam, & nullo caritatis condimento respersam.
„ Frivolam esse rei ad cæsarem appellationem, quippe qui non modo accusatus, sed
„ judicatus jam fuisset; re judicata nonnisi post actam pænitentiam ingredi ecclesiam
„ licuisse. Denique jubere, ut ei, apud quem accusatus, & a quo judicatus sit, atque
„ in custodiam missus, restituatur; nec decere, ut propter talem hominem primæ
„ suæ jussionis ulla fiat immutatio. Ceterum mirari, quod illius scelerati hominis pre-
„ cibus potius, quam auctoritatis suæ jussioni obtemperare maluerint. quippe non
„ nunc primum vitam illorum infamatam esse; quæve sit istius monasterii congrega-
„ tio, probe sciri, qui *servi Dei*, atque utinam *vere* dicerentur, seque *aliquando mo-*
„ *nachos, aliquando canonicos, aliquando neutros* dicerent. Jam ad malam eorum fa-
„ mam abolendam submisisse magistrum & rectorem idoneum ac religiosum de longin-
„ quis invitatum provinciis, qui verbis & admonitionibus eorum vitam recte institue-
„ ret, & bonæ conversationis exemplo informaret; sed, pro dolor, aliorsum cuncta
„ conversa esse, & discordiam inter quos non decebat, nempe inter sacerdotium &
„ imperium, immunitatis ecclesiasticæ obtentu seminasse. sed nequaquam, Deo mi-
„ serante, se pravis ipsorum suggestionibus aurem præbiturum. *Vos autem*, inquit,
qui contemtores nostræ jussionis exstitistis, sive canonici, sive monachi vocamini, ad placitum nostrum, juxta quod præsens missus noster vobis indixerit, nobis vos adsistere scitote: & quamvis ad nos missa hic factæ seditionis vos excuset epistola, venite, & condigna satisfactione injustum crimen eluite. Sic Carolus epistolam concludit, dure monachos ita increpans, ut Alcuino, qui in eadem causa erat, parceret. Quid inde secutum sit, incertum: sed tamen imperatoris jussioni paruisse Martinianos veri simile est. Utrarumque litterarum, quarum summam hactenus retulimus, editionem viro clarissimo [a] Stephano Baluzio cum multis aliis debemus.

a *Capitul. To. 1. col. 413. & in fine*

b *Aug. epist. 113. 114. & 115.*

Consimile exemplum occurrit apud Augustinum [b] de quodam Faventio conductore cujusdam possessionis, qui, cum a domino suo nescio quid sibi metueret, ad ecclesiam confugerat, exspectaturus, quo modo per intercessionem episcopi Augustini sua negotia terminaret. qui, ut fit, in dies minus sollicitus, & quasi adversario cessante securus, cum ab amico suo de cæna egrederetur, subito ab officiali comitis raptus est. Hunc acriter repetebat Augustinus, conquestus, circa raptum leges non fuisse servatas, ut sic raperetur, etiamsi extra ecclesiam comprehensus fuisset.

XVII. Ambroniacensis monasterii auctor Barnardus.

* *Ambournay.*

* *le Buge.*

Sub idem tempus conditum est Ambroniacense * monasterium a Barnardo in pago Baugiacensi * apud Sebusianos, octo fere leucis ab urbe Lugduno. Erat is ex illo pago perillustri prosapia oriundus, natus circiter annum septingentesimum septuagesimum-octavum. In primæva ætate liberalibus studiis eruditus, innocentis vitæ primitias in ecclesiasticorum contubernio delibavit. Mortuis fratribus, ejus parentes, ipsum heredem habere cupientes, e scholis extractum militiæ exercitiis in castris regis Caroli addixerunt, moxque conjugio alligarunt, in quo septem annos,

tamquam sine conjuge, cælebs, & inter liberos tamquam sine liberis, vixit, ea solum cogitans quæ Dei sunt, non quæ mundi; totum se miseris egenisque impendens. Post patris obitum condendo monasterio animum appulit, nec ab ea cogitatione liberorum amore retrahi valuit. Aptissimus ad id consilii visus est locus, cui Ambroniacus vocabulum erat, pertinens ad monasterium Luxoviense: ubi olim beatæ Dei genitricis Mariæ ecclesia fuerat, sed a paganis, id est Sarracenis postmodum eversa, dum pagum Lugdunensem superiori sæculo devastarunt. Hunc locum Barnardus ab Luxoviensi abbate, an Dadino, comparavit permutatione hereditatis paternæ, &, renovata ibidem ecclesia, monasterium exstruxit, bonisque amplissimis dotavit, abbate & monachis illic collocatis. Exactis in conjugio annis septem, conjuge cum nobili prole, rebusque omnibus relictis, in idem secessit monasterium, ubi sub abbatis disciplina Deo se totum mancipavit. Jam vero quasi nihil hactenus boni fecisset, tanta rigiditate corpus inedia, vigiliis, & orationum jugitate maceravit, ut id humanæ vires naturæ omnino excedere videretur: & licet ejus collegii bona omnia ex ipsius beneficio profluxissent, tamquam omnium infimus & servus inutilis inter alios fratres se gerebat. Unde factum est, ut, abbate mortuo, unanimi omnium consensu in demortui locum eligeretur. Ex nova dignitate simul ejus virtus, simul fratrum numerus & facultates crevere. sic exteriora tractare consueverat, ut de internis ac spiritualibus nihil remitteret. In divinis officiis prior, idemque posterior, surgendi tempora ipse notabat, nonnumquam solidas noctes orando & legendo transigebat. Eo denique virtutum ejus fama evasit, ut ad sedem Viennensem processu temporis postulatus sit. Hæc uno tenore prosecuti sumus, quod singula facta suo quæque tempori assignare non liceat, præter pontificatum ejus, de quo suo tempore agemus. Ceterum Ambroniacensis abbatis primi, aliorumque post Barnardum nomina interciderunt usque ad Desiderium, qui sæculo duodecimo ineunte locum illum rexit. ANN. CHR. 802.

ANNO insequente habitum Cloveshoviense concilium tertium a duodecim episcopis, quibus præsedit Athelardus seu Ethelardus archiepiscopus & Britanniæ primas. In hac synodo asserta est prærogativa metropolitanæ ecclesiæ Dorobernensis super omnes ejus provinciæ ecclesias, ex quibus olim Offa rex Merciorum aliquas subtraxerat. Item sancitum fuit, ut ex eo tempore numquam temerario ausu super hereditatem Domini, id est ecclesias & monasteria, laïci & sæculares imponerentur: sed, sicut apostolicis privilegiis, sacrisque canonibus, vel etiam conditorum lege constitutum est, pristina disciplinæ regula & monastica jura observentur. Subscribunt cum suis quique episcopis abbates monasteriorum & presbyteri: cum Athelardo archiepiscopo Æthilheah & Feologeld duo abbates; cum Aldwlfo Liccidfeldensi episcopo Hygberht abbas; cum Werrenbertho Legorensi abbates tres, cum Syddensi duo, cum Wigorniensi quatuor, cum Herefordensi unus, cum Schiraburnensi tres, cum Wentano quatuor, cum Dammacensi duo, cum Lundonensi itidem duo, cum Seolegiensi unus: quorum omnium nomina commemorare nil juvat. Hic modus subscribendi singularis multum lucis attulisset annalibus nostris, si abbates singuli nomina monasteriorum suorum apposuissent. Actum est hoc in celebri loco, quem vocabant Closeshoas seu Cloveshoas, anno ab incarnatione Christi octingentesimo-tertio, indictione undecima, die quarta idus Octobris, feria [a] quinta. quod idcirco signanter notamus, ut appareat falli eos, qui Athelardum Dotobernensem seu Cantuariensem antistitem anno superiori decessisse tradunt. cujus obitus si bene in tabulis editis assignatus est IV. idus Maii, non ante sequentem annum contigisse potuit. Sepultus est in ecclesia sancti Johannis Baptistæ. Successor ejus Wlfredus primo sui pontificatus anno benedixit Cunredum suburbani sancti Augustini monasterii abbatem, qui in Gutardi locum subrogatus fuerat. In eadem synodo disceptatum est inter Wigorniensem & Herefordensem episcopos de duobus monasteriis, Celtenhamensi & Beccanfordensi; in quibus uterque pastum sibi deberi contendebat; tandemque inter ipsos convenit, quod Denebertus Wigorniensis altero anno dimidium pastum haberet apud *Beccanford*, & altero apud *Celtenham*, rogante archiepiscopo. Cunredo abbati post annos fere viginti successit Wernodus, a Wlfredo itidem benedictus, qui regum consanguineus erat, teste Willelmo Thorno.

ANN. CHR. 803. XVIII. Cloveshoviense concilium tertium de libertate monasteriorum.

[a] Spelman. p. 327.

Ethelardi episcopi Cantuariæ obitus & successor.

ANN. CHR. 803.

XIX. Placitum pro monaſterio S. Hilarii Carcaſſenſi.

In Gallia Narbonenſi Wilerannus Carcaſſonæ epiſcopus placitum ibidem tenuit cum Agwifredo comite, Sicfredo vicecomite; necnon Sunifredo & Mirone abbatibus, aliiſque judicibus, & in præſentia Witardi & aliorum. Illic coram eis adſtitit Ermenardus [a] quidam, Amelii filius, qui quondam ſancti Stephani cellam Nitolarias, ſitam in territorio Roſcilionenſi, commutatione facta, tradiderat Caſtellano abbati ſancti Hilarii Carcaſſenſis, agnovit profeſſuſque eſt coram judicibus, ſe hujuſce commutationis ſcripturas authenticas, quas Recamundus abbas Caſtellani ſucceſſor repetebat, penes ſe retinuiſſe, nec alias reperire potuiſſe præter quinque, quas in præſenti placito reſtituit Recamundo ſuiſque monachis: ſi quæ vero aliæ forte in poſterum inveniendæ eſſent, eas uti frivolas nulliuſque penſi ac momenti ſe habiturum. ſicque illius cellulæ jus ac poſſeſſionem penitus ceſſit, ac monachis ſancti Hilarii reſignavit. Actum Carcaſſonæ ſexto kalendas Martii, anno tertio imperante Karolo imperatore: cujus nomen, ut id obiter obſervem, a littera *K* deinceps, accepto ſcilicet imperii nomine, in authenticis illius diplomatibus ſcribi cœpit. quod Karolus Calvus, aliique deinceps ejuſdem nominis reges & imperatores obſervaruut. Nos tamen vulgatum retinebimus morem. Recamundus non multo poſt ſucceſſorem ſortitur Nampionem abbatem, qui litteras regiæ tuitionis obtinuit a Carolo piiſſimo auguſto. Id teſtatum facit diploma Ludovici auguſti, quod vir venerabilis Monnellus abbas, Nampionis ſucceſſor, pro Carolini privilegii confirmatione impetravit, cum facultate eligendi abbatis ſecundum regulam ſancti Benedicti: deſunt chronologicæ notæ in editione [b] Baluziana. Id ipſum iterum confirmavit idem imperator ad preces Egidonis abbatis: cujus ſucceſſor, Leoninus abbas, conſimile privilegium [c] a Pippino Aquitaniæ rege impetravit.

XX. Suredenſis monaſterii initia & primi abbates.

Qui prædicto placito interfuit Miro abbas, idem videtur eſſe rector Suredenſis ſeu ſancti Andreæ monaſterii, quod tempore Caroli Magni conſtructum eſt in agro Helenenſi. Mironis ſucceſſor Siſegutus a Ludovico [d] auguſto confirmationis præceptum obtinuit rogatu viri inluſtris Gaucelini comitis, qui ad Ludovici clementiam accedens, ejus celſitudini expoſuit, uti quidam abbas, nomine Miro, monaſterium in honorem ſancti Andreæ quondam in territorio Elenenſi ſuper fluvium Tacidum ædificaſſet, ibique monachos ſecundum regulam ſancti Benedicti conſtituiſſet; eoque rebus humanis exemto, Siſegutus abbas in ipſius locum & miniſterium ſubrogatus; rogare, ut imperator prædictum Siſegutum abbatem una cum monachis ſuis, ipſumque monaſterium cum ſuis cellulis, una ſancti Martini, in qua idem Miro primitus habitare cœperat, altera ſancti Vincentii, ſub ſua tuitione ac defenſione haberet. quod Ludovicus annuit, dato [e] præcepto, cujus notæ chronicæ exciderunt, uti & in aliis ejuſdem argumenti litteris Caroli Calvi, Froyſelo [f] abbati conceſſis, quas idem rex poſtea ratas habuit ad preces Johannis abbatis, anno regni viceſimo-nono.

XXI. Crudatenſe & Duſerenſe monaſteria.

Hoc tempore conditum eſt a Teydone comite Crudatenſe * monaſterium in pago Vivarienſi, approbante Ludovico Pio tum Aquitaniæ rege, cui hæc conſtructio ab anonymo in ejus vita tribuitur. Locum habet inter illa monaſteria, quæ tantum preces regi debebant. Memoratur in præcepto Boſonis regis *monaſterium Crudatum, ſitum in comitatu Vivarienſi ſuper fluvium Rodanum.*

Eodem tempore excitatum eſt cœnobium Duſerenſe ſeu Doſerenſe in territorio Arauſico item ad Rodanum, quod Theodericus rex, eo nomine tertius, Fontanellenſi monaſterio olim ſubjecerat. Poſt hæc a Sarracenis deſtructum Norfidius abbas inſtauravit, conceſſu Caroli ſereniſſimi imperatoris, ut fidem facit Ludovici [g] auguſti præceptum, Dextro abbati conceſſum anno imperii ejus primo, in quo hoc monaſterium conſtructum dicitur *in honore ſanctæ Mariæ virginis & ſancti Petri, & aliorum ſanctorum.* Idem imperator anno imperii viceſimo-ſecundo Hildegiſo ejuſdem monaſterii abbati vindicat villam *Maſtecés*, ſitam in pago Tricaſtinenſi, quam Warnarius comes olim eidem monaſterio contulerat. Eodem abbate poſtulante Lotharius auguſtus immunitatem a portoriis duabus ejuſdem loci navibus conceſſit, anno imperii in Italia viceſimo-primo, in Francia primo. quæ diplomata exſtant apud Chiffletium in hiſtoria Trenorchienſi. Denique hoc cœnobium Vivarienſi eccleſiæ [h] tributum eſt ab eodem Lothario poſt annos novem, idque Carolus Calvus confirmavit anno imperii ſecundo. Deſtructo dein monaſterio, epiſcopi Vivarienſes Dozeræ principes vocari amant. Duſera monaſterium numeratur inter ea,

[a] Diplom. p. 505.

[b] Capitul. to. 2 col. 1409.

[c] Ibid. c. 1429.

[d] Marca Hiſp. col. 775.

[e] Marca Hiſp. col. 775.

[f] Ibid. c. 784.

* Cruas.

[g] Tournus p. 260. & ſeqq.

[h] Gall. chr. to. 3. p. 1177.

ANN. CHR. 803.

quæ solas regi preces debebant, atque etiam inter ea, quorum Ludovicus Pius auctor primus vel instaurator fuit. forte quod ad ejus instaurationem, Carolo imperante factam, aliquid subsidii vel præsidii, cum esset rex Aquitaniæ, contulerit.

XXII. Flaviniacenses abbates & S. Benigni.

Alduinus abbas Flaviniacensis in Burgundiæ pago Alexiensi, hoc anno, sui regiminis septimo, Caroli regis tricesimo-quinto, vitam clausit. Flaviniacensium abbatum series apud Hugonem ejus loci abbatem non est accurata. Magnoaldo primo abbati successit Gayroinus, quem excepit Manasses. Ei directa legitur vulgata Caroli regis epistola, cujus tempus si bene superius statuimus, Adalberto & Zachoni, qui ab Hugone medii inter Manassen & Alduinum ponuntur, vix locus esse potest, forte Manassæ præponendi. Alduino suffectus Apollinaris, qui etiam abbatiam Reomaënsem administrasse dicitur. Addit Hugo etiam Divionensem sancti Benigni, sed perperam, eum confundens cum Apollinari abbate Benigniano, qui sæculo sexto desinente locum illum rexit. Certe toto illo tempore, quo Apollinaris Flaviniacensis abbas fuit, nullum ei locum reperias inter sancti Benigni abbates apud Johannem in chronico. quippe Hildebrannus jam abbas erat Caroli regis anno primo, quo Frodo quidam eidem monasterio terram quamdam sui juris donavit, sitam in pago Belnensi. Hildebranno post aliquot annos defuncto successit Herlegaudus, qui Carolo Magno superstes fuit. Porro etsi has tres abbatias rexisset Apollinaris, non tamen censendus esset, ut Roverio visum est, abbas sæcularis. quasi tunc temporis regulares abbates plures sub suo regimine abbatias non habuerint. Contrarium evincit exemplum non solum Ansegisi abbatis Fontanellensis simul & Luxoviensis, sed etiam piissimi abbatis Benedicti, qui non solum Anianam & Indam, sed plures alias simul abbatias rexit. Certe si abbas sæcularis fuisset Apollinaris, locum non habuisset in celebri illa synodo Aquisgranensi anni octingentesimi septimi-decimi, in qua de generali totius ordinis reformatione actum est.

XXIII. Anselmus abbas Nonantulæ obit.

Hic annus, ut ad ordinem revertar, supremus fuit eximii viri Anselmi, ex duce monachi & abbatis Nonantulani. Cum annos quinquaginta monasterio ab se condito summa cum laude & religione præfuisset mortis suæ, Deo revelante, præscius, convocatos discipulos, expansis manibus, oculisque in cælum erectis, Christo commendavit, eosque, prout potuit, mærentes consolatus est. tum horæ tertiæ (ea enim hora erat) psalmos & officium, itidemque sextæ, pro modulo complevit. quibus expletis, in strato suo residens, fratres benedixit, & inter eorum manus ex hoc sæculo ad cælum migravit v. nonas Martii, quæ dies ipso anno in feriam sextam incidebat, anno regni Caroli in Italia tricesimo. Tanti patris obitu consternati fratres, reliquum diei, totamque noctem insequentem in precibus traduxerunt usque ad horam alterius diei sextam: qua hora sacrum beati viri corpus *in marmoreo lavello* seu tumulo intra oratorium beatissimæ virginis Mariæ condiderunt. Viventi non defuisse miracula testis ejus vitæ scriptor anonymus, quæ ne litteris mandarentur, ipse vetuit. Post ejus obitum multi dolore dentium, aliisque infirmitatibus vexati, ex ramentis ejus tumuli in potum injectis sanitatem consecuti memorantur. Petrus abbas ei successit in annos septemdecim, qui recensionem fecit omnium monasterii redditUum, ordinavitque, quantum in eleemosynas pauperum, susceptionem hospitum, ornamenta ecclesiæ, ususque fratrum necessarios impendi oporteret. Is est Petrus abbas Nonantulæ, quem Carolus Magnus extremo vitæ suæ anno una cum Amalario Trevirensi episcopo Constantinopolim misit, teste Eginhardo, ad pacem cum Michaële imperatore confirmandam: cujus legationis hodœporicum scriptum suo tempore exstitisse Hermannus testatur.

Petrus ejus successor.

XXIV. Remigio episcopo Argentinæ succedit Rachio.

Ad hoc tempus pervenisse creditur Remigius, ex abbate Gregoriani in Alsatia monasterii episcopus Argentinensis, qui morte sua locum fecit Rachioni seu Rechoni ejusdem cœnobil abbati in sede Argentinensi. In brevibus ejus loci annalibus Gothefridus abbas ejus successor non consignatur ante annum octingentesimum quintum-decimum, forte quod ad eum usque annum Rachio (sic enim in illis annalibus scribitur) abbatiam retinuerit. quod tunc fere moris erat abbatibus ad episcopatum assumtis. Deficiunt hi annales ab anno octingentesimo undetricesimo per annos amplius ducentos.

Leonis papæ bulla pro Wirundo abbate Stabulensi.

Præerat tunc temporis Stabulensi & Malmundariensi monasteriis Wirundus abbas, « cui Leo tertius privilegium Vitaliani papæ confirmavit, id est omnimodam liber- « tatem & immunitatem, tam in personis, quam in ecclesiis, villis & possessioni- «

» bus, quæ a regibus Francorum Sigiberto, Childerico, Dagoberto, Theoderico,
» Carlemanno concessæ fuerant, aut in posterum concedendæ essent, cum libera fa-
» cultate eligendi abbatis secundum regulam sancti Benedicti. *Scriptum per manum Johannis scrinarii sanctæ Romanæ ecclesiæ. Data pridie kalendas Martii, indictione undecima.*

ANN. CHR. 804. XXV. Saxonicum bellum confectum.

CUm Saxones anno sequenti defectionem iterum molirentur, procedentem contra ipsos Carolum non sustinuit gens, ad rebellandum quam ad bellandum ferocior, sed mox supplex ad deditionem venit. Post tot fraudes Carolo visum est, non alio pacto melius in officio gentem versatilem contineri posse, quam si, novis in illas partes coloniis deductis, Saxones extra patrium solum abducerentur. Seditionis itaque auctoribus cæsis, per totum regnum ad quatuordecim millia dissipati fuere. Sic tandem hoc anno finis Saxonico bello, quod triginta-trium annorum spatio tenuit, impositus est. Tnm capitulare ab imperatore conditum, quod Holstenius ex codice Vaticano primus vulgavit, in quo mors in violatores quadragesimæ decreta est, nisi ex necessitate id factum esset. sic enim habet articulus tertius. *Si quis sanctum quadragesimale jejunium pro despectu christianitatis contemserit, & carnem comederit, morte moriatur: sed tamen consideretur a sacerdote, ne forte causa necessitatis hoc cuilibet proveniat, ut carnem comedat.* Idem supplicium articulo quinto iis intentatum, qui virum vel feminam, uti strigas qui homines comedant, incenderint. Denique articulo septimo, *si quis deinceps in gente Saxonum inter eos latens non baptizatus se abscondere voluerit, & ad baptismum venire contemserit, paganusque permanere voluerit, morte moriatur.* quippe cum Saxones omnes ob frequentes defectiones mortis supplicio digni essent, eis ea tantum conditione Carolus parci voluit, si baptismum suscepissent. Multa pecuniaria articulo decimo-octavo iis indicta, qui baptismum infantium ultra annum distulissent absque consilio sacerdotum.

Capitulare pro Saxonibus.

XXVI. Leonis papæ adventus in Franciam.

Forte sanguis Christi Domini eo tempore Mantuæ repertus, unde crebra miracula ibidem facta vulgabantur. Id ubi Carolus accepit, ut incredibili religione perfusus erat, Leonem pontificem obsecravit, uti horum miraculorum veritatem per se accurate exploraret. Ob id Leo Mantuam accessit, reque cognita ad Carolum scripsit, cupere se illum ubicumque terrarum esset, denuo convenire, & natale Domini cum eo celebrare. quibus litteris Aquisgrani acceptis, Carolus æquivocum filium suum obviam pontifici ad sanctum Mauricium misit; atque ipse profecutus Remos occurrit, & in basilica beati Remigii, ut annales Mettenses tradunt, eum excepit; dein Carisiacum in villam regiam agri Suessionensis secum perduxit, ibique cum eo, ut pontifex optaverat, natale Domini celebravit.

XXVII. Gisla Calæ ægrotat.

Post hæc Carolus, audito, sororem suam Gisalam seu Gislam, quam parentis loco habebat, in Calæ monasterio ægrotare, ad eam accessit colloquii causa, dum interim pontifex e villa Carisiaco, ubi dimissus fuerat, Suessionas ad sanctum Medardum venit. Tum Gislæ colloquio fruitus imperator, Leonem papam Carisiacum reduxit, dein Aquisgranum; indeque magnis donis honoratum per Bajoariam in Italiam honorifice deduci curavit. Convaluit ex illo morbo Gisla, & ad sex annos superstes fuit. quo tempore novam sanctæ Mariæ basilicam absolvit, inqne eam sanctimoniales transtulit e basilica sanctæ Crucis, quæ monachis earum obsequio deputatis ab eo tempore cessit. Gisla etiam Suessionense sanctæ Mariæ cœnobium curæ suæ commissum habuisse creditur. Hnjus parthenonis abbatissæ a nostro Michaele Germano post Ætheriam primam loci abbatissam hoc ordine recensentur. Ætheriæ successit Hildegardis seu Aldegardis, sub qua sanctus Vodoaldus, alio nomine Benedictus, ibidem vixit. Dein Eremburgis, Ermentrudis, Ascelina, & Gisala, cui Theodrada suffecta. De Gisla vellem idoneum proferri argumentum. De Theodrada inferius agendi occasio recurret.

Abbatissæ Suessionenses.

XXVIII. Aliud capitulare.

Præter capitulare Saxonicum Carolus aliud Aquisgrani edidit imperii anno quarto. Sancitum capitulo quarto, ut nullus in monasteria puellarum seu ancillarum Dei, ne quidem presbyteri, aliive clerici, nedum laïci, ingrediantur, nisi tantum presbyter ad missam celebrandam. quod argumento est, earum ecclesias nulli extraneo patuisse. Sexto, ut in iisdem monasteriis cuivis filiam, neptem, aut propinquam suam offerre liceat; alias eas tantum infantes ibidem nutriri, quæ in illis monasteriis perseveraturæ sint. at septimo cautum est, ne pueri masculi in monas-

teriis puellarum nutriantur. octavo, ne arma in iisdem a clericis, aliisve deponantur. ANN. CHR. 804.

Alcuinum hoc anno decessisse consentiunt veteres annales, tametsi quædam alias argumenta retulimus, quæ ejus obitum in annos decem differendum suadebant. Verum præferenda ejus vitæ scriptoris æqualis auctoritas, cui veteres Francorum annales suffragantur, atque etiam Fuldenses a Lambecio editi, ex quibus contrarias conjecturas hac de re meas ad calcem tomi quinti Actorum nostrorum emendavi. Optaverat vir Dei e mundo migrare ipso die pentecostes, quo Spiritus-sanctus super apostolos conspicuus venit, eorumque corda replevit, quod divinitus ipsi concessum est. Ad id vero interim se præparavit maxime superioris quadragesimæ tempore, quam, uti consueverat, in magna corporis & cordis contritione peregit, sanctorum basilicas, quæ intra sancti Martini monasterium erant, cunctis noctibus frequentans non sine lacrymarum effusione. In vigilia dominicæ ascensionis, gravi pressus languore decubuit. denique ipso die pentecostes, peracto matutinali officio, jam fulgente aurora, ea hora, qua ingredi ad missas consueverat, ejus anima carne soluta est XIV. kalendas Junii, in cælum evecta *ministerio levitarum cælestium*, in primis sanctorum Stephani & Laurentii. Globus igneus super locum, in quo jacebat, visus est Josepho archiepiscopo, multisque aliis. Ipsa exitus ejus hora cuidam solitario in Italia posito ostensus est cælitum cœtus, in quorum medio Alcuinus, *splendidissima indutus dalmatica*, cælum conscendere conspectus. Sepultus fuit, non in Cormaricensi monasterio, ut putavit Willelmus Malmesburiensis, sed in una e basilicis Martinianis, nam plures illic erant, & quidem, ut veri simillimum est, in ecclesia sancti Stephani, ubi sepeliri volebat, ex anonymo ejus vitæ scriptore. Una ex illis basilicis sancto Benedicto sacra erat. Dum vixit Alcuinus, modico vino usus est. Otiositatem modis omnibus fugiens, semper aut lectioni, aut scriptioni, aut discipulis erudiendis, aut orationi, psalmisve decantandis vacabat. Quotidie missarum sollemnia *levitice* suo cum Sigulfo presbytero, ea qua par erat reverentia, *celebrabat*, singulis hebdomadæ diebus missas proprias habens deputatas, quæ inter ejus opera exstant. Id ab aurora faciebat, maxime die dominica usque ad horam tertiam, qua hora ad missam publicam intrabat. XXIX. Alcuini obitus, virtutes, & discipuli.

Præcipui ejus discipuli fuere Sigulfus, Vetulus dictus, Vithso, alio nomine Candidus, Fridegisus seu Fridugisus, alias Nathanael, Raganardus & Waldramnus, qui extremo ejus vitæ tempore ei assidue adhærebant; Adalbertus, Sigulfi & ipse discipulus; atque Osulfus, cujus infelicem lapsum magnopere luxit epistola centesima-tertia, *filio prodigo* inscripta, atque centesima quarta-decima, quibus eum ad resipiscendum hortator. Fridugiso abbatiam sancti Martini & Cormaricensem, Sigulfo Ferrariensem, Warembaldo cellam sancti Judoci, annuente Carolo, Alcuinus ante mortem resignavit. Hos omnes, qui populares ejus videntur fuisse, commemorat ipsius vitæ scriptor anonymus, hanc scriptionem aggressus hortante ac referente Sigulfo fidelissimo ejus discipulo, ejusdemque auonymi institutore, dum Aldricus Ferrariensi monasterio præesset, ac proinde ante annum octingentesimum vicesimumnonum, quo Aldricus ad infulas Senonenses electus est. His discipulis adde Amalarium, qui se ipse [a] Alcuini discipulum dicit, adde & alios, de quibus jam superius egimus. Hic prætermitere non licet Rabanum, qui & unus e præcipuis illius discipulis fuit, ejusque hortatu libros de cruce, cum prosa, tum versibus implexis composuit, majori sane artificio quam fructu. Ad hoc opus quantocius edendum Alcuinus eum hortatur epistola quinquagesima-quinta, *benedicto sancti Benedicti puero Mauro* inscripta, in qua eum promissi operis memorem esse jubet. Non tamen hoc opus absolvisse videtur ante mortem Alcuini, cujus nomine illud sancto Martino Turonum episcopo, in cujus monasterio Alcuinum docentem audierat, prævio carmine nuncupavit, cum *sex lustra* ætatis implevisset. Aliæ ejusdem operis editiones ab auctore factæ sunt, ex quibus unam Ludovico augusto, præmissa ejus effigie cum versibus concatenatis: alteram Gregorio papæ quarto dicavit. Eosdem libros postmodum direxit *dilectissimis in Christo fratribus in cœnobio sancti Dionysii martyris constitutis*, addito carmine, quod in ejus elogio ex veteri codice a nobis olim relatum, hoc loco repetere tanti non est.

[a] *Amalar. de ord. antiph. c. 58.*

Rabanus ejus hortatu edit libros de cruce.

Paullo ante obitum Alcuinus xenodochium seu hospitales, ut vocat, domos cum oratorio beatæ Mariæ in celeberrimo loco pagi Tricassini inter duos pontes & duas XXX. Xenodochium ab eo constructum.

ANN. CHR. 804. aquas Sequanæ fluminis, Duodecim-Fontes appellato, instituit ad susceptionem peregrinorum: qua de re litteras dictavit *jussu & decreto domni Karoli serenissimi imperatoris*, qui novo xenodochio *terram decem manentium* in Marmorico-villa * Campaniæ Remensis contulit. Ejus exemplo Leotardus vir nobilis, aliique complures ex suo etiam prædia & terras adjecerunt. Hoc vero xenodochium vult manere sub defensione & dispensatione abbatis sancti Martini, sic tamen, ut nulli in beneficium tradi possit. Postea nihilo minus Ingelwinus abbas illud Cormaricensi tribuit monasterio, ut ejus loci monachi ipsum in pristinum statum restituerent, & præfinitum viginti pauperum numerum ibidem foverent, ut legitur in diplomate Caroli Calvi, dato Vermeriis XIII. kalendas Julii, anno regni ejus vicesimo-quinto. Nunc eo in loco, qui *Pontes* absolute dicitur, cella est abbatiæ Cormaricenæ.

* Marmeri-ville.

XXXI. Alcuini scripta & sanctitas. Alcuini scripta fere omnia continet editio Chesniana, in qua tamen supposititius est liber de divinis officiis, quæ farrago est ex ipsius Alcuini, aliorumque posteriorum auctorum scriptis, cujus caput quadragesimum est tractatus Remigii monachi Autissiodorensis de expositione missæ. Ad hæc epistola de ceremoniis baptismi ad Carolum augustum non est Alcuini, sed Amalarii archiepiscopi Trevirensis, ut primus observavit Jacobus Sirmundus in notis ad Theodulfum. In illa tamen editione Chesniana desiderantur quidam in scripturam commentarii, de quibus in ejus Elogio alias egimus; quædam item epistolæ editæ in tomo quarto nostrorum Analectorum; desideratur item homiliarium Basileæ vulgatum sub finem sæculi quinti-decimi, tum Coloniæ anno 1569. De confessione Chiffletiana eidem Alcuino adscripta exstat dissertatio singularis in eorumdem Analectorum tomo primo. Ceterum *beatæ memoriæ* Albinum magistrum vocat Rabanus in epistola commentariis regum præfixa: in cujus item martyrologio notatur XIV. kalendas Junii *depositio domni Alcwini*. Hincmarus in epistola ad Rabanum *beatum Alcuinum*, & in alia de non-trina-deitate *sanctum & venerandum Alcuinum* laudat. In annalibus Fuldensibus *Alcuinus, cognomento Albinus, sanctitate & doctrina clarus* dicitur. Denique in brevi chronico Turonico, *sanctus Alcoinus* anno octingentesimo-quarto obiisse memoratur. Nusquam tamen ejus festum, quod sciam, coluit ecclesia, ne quidem Martiniana. Non omittenda Hariulfi verba in chronico Centulensi: *XIV. kalendas Junii obiit Albinus, qui & Alcoinus, abbas, levita & dictator vitæ sancti Richarii*. Fallitur, uti jam diximus, Willelmus Malmesburiensis, cum ait, Alcuinum jacere in Cormariceno monasterio: sed forte id verum est a quod subdit, ibidem ad suum usque tempus quatuor monachorum victum & potum pro ejusdem Alcuini anima pauperibus præberi.

a Willelm. de gest. regum lib. 1. c. 4.

Illud in eo reprehensione dignum forte videri possit, quod plures simul abbatias tenuerit, Turonicam sancti Martini cum cella Cormaricensi, Ferrariensem cum cella sancti Judoci, & Trecensem sancti Lupi. Verum, etsi id omnino approbare fortasse non licet, eas tenuisse videtur, non ut ex eis locupletior fieret, sed ut monachos ad laxiorem vitam prolapsos emendaret. Certe quantum abfuerit a divitiarum cupiditate testatum facit ejus epistola tricesima-septima ad Eadam presbyterum. *Orationibus devotionis vestræ*, inquit, *deduc nos in eumdem paupertatis gradum, in quo, perfitiente Deo, salubriter consistis. Tu tenes in manibus, quod nos olim tenere cogitavimus: sed fluctus sæculi nostram naviculam procellosis ventis in voraginem divitiarum rapuerunt. Sed te precor, ut me pietatis precibus in portum quietis revocare studeas. Cupio, sed non facio.* Hæc & alia vir pius ad Eadam, quem monachum fuisse veri simile est. Aliquando Elipandus Toletanus eidem Alcuino exprobravit, quod haberet *viginti millia servorum*. Ast hi servi erant monasteriorum, quibus præfectus erat, nam per ea tempora tot erant servi ecclesiarum, adeoque monasteriorum, quot erant homines in rusticanis eorum villis & prædiis. Hanc porro criminationem Alcuinus ipse in epistola præmissa libris adversus Elipandum, » refellit hac ratione, quod nullum umquam hominem ad suum comparaverit servi- » tium, sed potius omnibus Christi famulis servire cupierit. Præterea epitaphium ejus vitæ subjectum, in cujus fine preces poscuntur pro *beatæ memoriæ* domno Alcwino. De Fridugiso ejus successore in abbatia Martiniana plura inferius.

XXXII. Gellonense monasterium condit Willelmus comes. Vallis est angusta in Septimaniæ pago Lutevensi, medio fere itinere Lutevam inter & Montem-Pessulanum, nubiferis cincta montium jugis, sic ab omnium mortalium aditu secreta, ut nemo illuc nisi orandi causa accesserit. Vallem-Gellonis appellitabant

appellitabant veteres, non sic tamen inamœnam, ut solum ad vineas ferendas, & ad hortos excolendos aptum in ea desideres. Locum irrigat fluentis aquæ rivulus vallem secans, & se se immergens in Araurim * fluvium, quo vallis illic clauditur. Hoc in loco exstructum est hoc anno monasterium, a situ dictum Gellonense, a conditore simul & situ sancti Guillelmi de Deserto. Ejus quippe auctor fuit Willelmus comes, per illa tempora maxime celebratus. Quæ enim regna, quæ provinciæ, quæ gentes, ait ejus vitæ scriptor, Willelmi ducis potentiam non loquuntur, virtutem animi, corporis vires, gloriosos bellorum studio & frequentia triumphos? Qui chori juvenum, qui conventus populorum, præcipue militum ac nobilium virorum, quæ vigiliæ sanctorum non resonant, & modulatis vocibus non decantant, qualis & quantus fuerit, & quam gloriose sub Carolo glorioso rege militaverit; ut barbaros seu Sarracenos repetitis victoriis domuerit, ac demum de Francorum finibus penitus expulerit? Id adeo verum est, ut etiam Orderici tempore, hoc est post annos trecentos, de Willelmo athleta cantilenæ *a joculatoribus* passim canerentur, quarum fragmenta Catellus in historia Occitaniæ retulit. Erat Willelmus ex præclara Francorum progenie, parentibus nobilissimis, Theoderico comite, & Aldana matre, qui puerum optimæ indolis religiose educari, & disciplinis liberalibus erudiri curarunt. In aula Pippini regis primum, eoque mortuo in Caroli comitatu institutus, ita se gessit, ut regi, omnibusque palatinis sine cujusquam invidia, quod rarum est, placuerit. Primæ cohortis ducatum adeptus, secretioribus adhibetur consiliis, promtus ad officia cuivis, præcipue miseris, & in arto positis exhibenda. Cum eximia fortitudine ac strenuitate præditus esset, Sarracenis Galliam infestantibus, a Carolo Aquitaniæ dux post Chorsonem factus est, ut illas fines ab hostium incursionibus tutaretur. Prima ejus expeditio in Sarracenos, qui, Theobaldo duce, Arausicam urbem obsidione premebant. Mox eo advolans Willelmus, obsidentes cædit fugatque, atque urbem sibi propriam efficit. Multis aliis cladibus Sarracenos attrivit, semel tantum ab eis victus ob socordiam militum, qui ducem suum deseruerant, ipse solus pugnæ pondus sustinuit, & tantum-non victor evasit. Tantus bellicis factis cum esset, non minus justitiam ac res divinas colebat. Prima ei post Deum cura de statu rei publicæ, & de communi omnium utilitate. Dein, ut leges salubriter constitutæ accurate servarentur, & lites universorum ad earum præscriptum dijudicaret. Ad hæc, sic potentum ac principum potestatem moderabatur, ut subditos ab eorum violentia illæsos præstaret. Universos porro pacis & concordiæ nexu constringere studebat. De cœnobiis, sacrisque locis, atque ordinibus communem vitam professis tantam gerebat curam, quantam vix quilibet paterfamilias de domo seu familia propria haberet. Cumque generatim monasteriis omnibus largus & munificus esset, ea tamen præ omnibus tuebatur ac fovebat, quæ dominus suus Carolus vel nova exstruxerat, vel destructa reparaverat. Denique visum est ei, Dei gratia inspirante, ut novum novo opere cœnobium ædificaret.

ANN. CHR. 804.

* L'Erau.

XXXIII. Donationes ab eo ibidem factæ.

Hæc animo agitanti, & Lutevensis territorii montana & solitaria loca perlustranti, occurrit inter ipsas montium crepidines parva & inculta planities, nemorosis circum arboribus obumbrata, Vallis-Gellonis ideo fortasse, ut quibusdam videtur, dicta, quod in horrido loco, inter immensos scopulos & montes inaccessos, quasi amœnus & floridus ager remanserit. Hic novum condere monasterium instituit dux piissimus, initio ducto a sanctuario Dei, quod in honorem Salvatoris & sub invocatione sanctissimæ virginis Mariæ, ac beatorum Petri & Pauli, Johannis Evangelistæ atque Andreæ, ceterorumque apostolorum dedicari curavit pridie kalendas Octobris, quo die *dedicatio basilicæ sancti Salvatoris* notatur in necrologio Gellonensi. Aberat ab eo loco quatuor passuum millibus Aniana monasterium, quod vir magnæ religionis Benedictus tunc regebat. Ab eo Willelmus novi monasterii colonos accepit, probatissimæ vitæ monachos, quibus amplissima prædia, gazas plurimas, numerosam familiam eorum usibus perpetuo servituram, ovium atque armentorum greges concessit, ipsumque monasterium Anianæ subjectum esse voluit. Testes sunt ejusce donationis litteræ hoc anno datæ, in quibus Willelmus « gratia Dei comes pro se parentibusque suis Theuderico & Aldana defunctis, proque « fratribus suis Theudoïno & Adalelmo, ac sororibus Albana & Bertana, & pro li- « beris suis Bernardo, Witchario, Gotselmo, & Helimbruch, necnon pro uxoribus « quondam suis, Cunegunde & Guitburge, ac nepote suo Bertranno, donat monas- «

ANN CH. 804.

» terio, quod dicitur Gellonis, ſitum in pago Ludovenſi, juxta fluvium *Arauu*, a ſe » conſtructum in honorem Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti, & ſanctæ Mariæ ſemper vir- » ginis, & ſancti Michaëlis archangeli, atque beatorum Petri & Pauli, Andreæ, ce- » terorumque apoſtolorum, ubi *ex doctrina venerabilis patris Benedicti monachos &* » *abbatem* poſuerat, donataſque vult res ſuas omnes, in eodem pago Ludovenſi, aliaſ- » que in pagis Magdalonenſi, Albienſi, & Rutenico poſitas: ut monachi, ibidem aſſi- » due Deum laudaturi, habeant unde poſſint vivere. Facta eſt hæc donatio XVIII. » kalendas Januarii, feria prima ſeu dominica, Caroli regis anno triceſimo quarto, » a morte Carolomanni ejus fratris, imperii quarto. His litteris poſt Willelmum ſub- » ſcribunt Barnardus, Goſelmus, Theudericus, aliique optimates. Aliis litteris eo- dem tempore datis, idem monaſterium tradit domno Benedicto, cujus conſilio & adjutorio hanc *cellam* conſtructam fatetur, quam eidem Benedicto ejuſque ſucceſ- ſoribus Anianæ abbatibus ſubjicit, rogans, ut, ſi quid ad Gellonenſium commeatum deſit, ipſi de ſuo miſericorditer ſuppleant. Principio nullus eidem loco proprius ab- bas præfectus eſt præter Benedictum, cui poſt annos admodum tres Juliofredus ſuffectus.

Eodem tempore duæ Willelmi ſorores, Albana & Bertana, Deo ibidem ſe con- ſecrarunt in proxima ſancti Bartholomæi eccleſia, quæ modo parœcialis eſt, ubi religioſæ vitæ exemplo aliis ſui ſexus virginibus idem conſilium inſpirarunt. Earum tumulus, quatuor innixus marmoreis columnis, in ſacello beatæ Mariæ hodie quo- que viſitur. Omiſit in prædictis litteris Willelmus filium ſuum Herbertum, qui juſſu Lotharii imperatoris oculis orbatus fuit anno ejus ſæculi triceſimo, ut in vita Lu- dovici auguſti legitur; omittit etiam filiam Gerbergam ſanctimonialem, quæ Ca- bilone poſt annos quatuor ab eodem Lothario intercepta, *tamquam venefica, aquis præfocata* ibidem memoratur.

XXXIV. Walæ prima facta.

Florebat tunc temporis in palatio Caroli auguſti Wala ejus conſobrinus, vir in- ter principes illuſtris, Adalhardi abbatis Corbeienſis germanus frater, natu-minor, qui unam e filiabus Willelmi ducis ſeu comitis (id enim fere promiſcuum) con- jugem habebat, teſte Paſchaſio [a] in Arſenii, id eſt ipſius Walæ, epitaphio. In eo Wala Saxonici generis fuiſſe dicitur non ſemel, quod cum de linea paterna dici non poſſit, Bernardum quippe Caroli patruum is genitorem habuit; id intelligendum de matre, cujus nomen nuſquam Paſchaſius prodit. Fuit a puero inter tirocinia palatii liberalibus mancipatus ſtudiis, non minus morum nobilitate præcellens, quam rectitudine ac gravitate ſenſus. quæ dotes eum Carolo ita ſuſpectum reddidere, ut eum inter infimos redigi non ſine divina diſpenſatione præceperit. In eo ſtatu Wala non abjecit animum, immo hæc probatio ita eum erexit & purgavit, ut amplior ei gratia & virtus accreverit. Etſi vero libera ſub cuſtodia eſſet apud quemdam op- timatem, cui rex eum obſervandum commiſerat; abjectis tamen ac vilibus operi- bus adhibebatur. Forte boves plauſtro junctos aliquando ducebat, cum ruricolam balteo & armis accinctum offendit. Rogatus ille a Wala, ut arma ſua ei commodaret, facile aſſenſit. His accinctus Wala: Satius eſt, inquit, in præſens vilia hæc tractare, quam arma: quoniam non militiæ nunc ſæculari, ſed cæleſti. vacandum. Rediit tandem in gratiam probus ac probatus adoleſcens, & quanto amplius eum Caro- lus depreſſerat, eo pluribus majoribuſque ipſum honoribus auxit. Reſtituitur itaque palatio, & ſecundus a cæſare habetur, ut quaſi alter Joſephus ſceptrum regni mo- vere videretur. Nullus ſenatorum efficacior, quod nihil niſi quod eſſet juſtum vel- let, & magis e re publica; ita ut nullus coram eo aliud, quam quod æquum eſſet, ſe velle ſignificaret. In ſe rigidus ac ſeverus, ultroneus petentibus aderat. De cete- ro varias inter & innumeras cauſarum occupationes tam intente Deo vacabat, ut jam monachum agere videretur: in cibo tam parcus, ut qui ejus abſtinentiam, vel quadrageſimæ tempore, attingerent, religioſiſſimi haberentur. Nec minus armis ſtrenuus, *contra Abitrices* ſeu Abotritos dux miſſus a Carolo eſt: cujus gentis feri- tatem non magis armis, quam beneficiis edomuit, barbaris deinceps ſic factus ve- nerabilis, ut ad eum demum, etiam cum monachus eſſet, certatim confluerent, quos ille non ſolo innatæ humanitatis, ſed maxime pietatis affectu benigne exci- piebat, ut eos ad morum inſtrueret honeſtatatem, qui nuper ad fidem Chriſti ac- ceſſerant. Hæc primordia fuere Walæ, qui unam, ut jam diximus, e filiabus Wil- lelmi ducis conjugem habuit, Helimburgam an potius Gerbergam, quarum ſuperius mentio facta eſt.

a Paſchaſ. lib. 2. c. 8.

ANN. CHR. 8:4.

XXXV. Walæ genus & propinqui.

Bernardus, Adalhardi & Walæ parens, non unam, sed duas habuisse videtur uxores, quarum posterior Saxonica fuerit, ex qua Walam procreavit. nam Wala non semel Saxonici generis fuisse dicitur a Paschasio, nusquam Adalhardus. Præter Adalhardum & Walam, Bernardus filium Bernartum babuit, & filias duas, Gundradam & Theodradam: qui omnes monasticen professi sunt. Hic est Bernhardus, patruus Caroli Magni, qui una cum Carolo ipso in Italiam per montem-Jovis cum una parte exercitus profectus est contra Desiderium regem Langobardorum, testante Eginhardo, quique inter fratres conscriptos sancti Galli apud Goldastum [a] numeratur. Huic frater fuit Hieronymus, parens Folcuini episcopi Morinorum, & Fulradi abbatis basilicæ sancti Quintini: de quibus omnibus in consequentibus agendum erit.

[a] Gold. rer. Alam. t. 2. p. 186.

Radbertus sub Theodrada abbatissa educatus.

Theodrada boc tempore jam versabatur in Suessonico partbenone beatæ Mariæ, & forte jam abbatissa erat, cum Pascbasius Radbertus ibidem educatus est. Is apud Suessiones ignotis parentibus ortus, & matre orbatus infans, in vitæ periculum incidit, ob idque *expositus* pro more illorum temporum, quasi deplorata salute, in basilicam sanctæ Mariæ delatus, ibidem sanitatem divinitus recuperavit. Dein sanctimonialium providentiæ commissus, ibidemque clericali corona insignitus fuit, ut ipse testatur initio libri tertii de expositione psalmi quadragesimi-quarti, quem illis sanctimonialibus grati animi causa inscripsit. Ibidem ingemiscit, quod coronam, *quam susceperat parvulus coram sancto altari Genitricis Dei*, postmodum in sæculum egressus, *multis mundanis actibus* deturpasset. Demum sæcularis vitæ ipsum suppuduit, secessitque in Corbeiense agri Ambianensis monasterium, tum sanctitatis ac doctrinæ fama celebre, ibidemque admissus est ab Adalhardo abbate, quem suum ipsius magistrum passim appellat. Eo in loco litteras excoluit tanta sagacitate & industria, ut ipse postmodum sodalibus suis præceptor approbatus sit, magnamque sui existimationem apud omnes excitaverit. Corbeiam Radberti ætate, ut Sirmundi verbis utar, « cum plurima illustrarint, haud scio tamen an Radberto ipso quidquam fuerit « illustrius, viro scientia & integritate, atque omnibus religiosissimæ sanctissimæque « vitæ insignibus præstantissimo: cujus de sapientia ceteri doctiores, & exemplo sanctiores, « & studio ac vigilantia, cum omnibus præesset, excitatiores fuerunt. Sane ea fuit Radberti existimatio apud Engelmodum episcopum Suessionensem, ut is viventis gesta carmine celebraverit, ex quo ea quæ de deplorata infantis sanitate retulimus, accepta sunt.

Corbeiæ monachus & præceptor.

XXXVI. Odlandi abbatis Sithiensis mors, & successor.

Obiit hoc anno, post annos regiminis circiter octo, Odlandus abbas Sithiensis, cujus laborem & industriam plurimum extollit Johannes Iperius, ejus loci abbas sæculo quarto-decimo, in chronico Bertiniano. Is auctor est, Odlandum in villa principe monasterii, quam Arkas vocant, sibi sedem statuisse, ubi de negotiis monasterii cum frequenti populo agere consueverat. Exstat mille fere passibus a monasterio bæc villa, in qua idem Odlandus basilicam in bonorem sancti Martini, cum certo numero monacborum ad rem divinam assequendam, instituisse perhibetur. Molendinum etiam publicum ibidem ædificari curavit, in hoc mirabile visum, quod aquarum contra montem currentium impulsu rotaretur. Ast bæc omnia, ut multa alia, Fridugisus abbas subvertit. Celebris tamen est etiam nunc hæc villa apud Bertinianos. Miræ sagacitatis Odlandus fuisse dicitur in explorandis aquis subterraneis, quas solo auditu percipere solebat. Odlandum excepit Nantharius, eo nomine secundus, in abbatum serie decimus, de quo inferius agemus.

XXXVII. Palnatum monasterium S. Martiali datur.

Redeundum in Aquitaniam, & quidem ad Petrocorios, ubi David illius pagi incola, & Benedictana ejus conjux, monasterium in loco, cui Palnato * vocabulum est, in honorem Salvatoris & sancti Benedicti, prope Limelium * ad Viseram situm, construxere, & monasterio sancti Martialis apud Lemovicas subjectum esse voluere, Caroli imperatoris anno quarto. Hoc vero cœnobium cum suis cellulis & appendicibus cedunt ad usus monachorum, eo pacto, ut ibi honoraretur sanctus « Martialis, exceptis tantum duobus locis, uno in pago Caturcino, ubi sancta Me- « tronia requiescit; altero Lentiniaco in Petragorico. Facta cessione in mense Februa- « rio, anno quarto regnante Karolo imperatore. Etsi vero Palnatum sancto Martiali « subjectum erat, proprio tamen abbate processu temporis gavisus est, ex quibus unus fuit Adalgisus, quo abbate monasterium a Nortmannis destructum fuit, postea instauratum a Frotario episcopo Petragoricensi, ut fusius in consequentibus. De hoc monas-

* Paunac.
* Limeil.

ANN. CHR. 804.

terio agit Catellus in historia * comitum Tolosanorum, ubi pro Palmata legendum Palnata, quæ hactenus cella est abbatiæ sancti Martialis, ubi olim sexdecim monachi sub præposito esse debebant. Ex prædicto Davidis instrumento, quod in appendice hujus tomi habes, intelligitur monachos tum exstitisse in Lemovicensi basilica sancti Martialis, siquidem sancto Martiali traditur Panatum *ad usus monachorum*. nisi dixeris id intelligendum de monachis Palnati instituendis. Si tamen, ut horum verborum sensus exigere videtur, priori modo id intelligas, dicendum est, sancti Martialis monachos non multo post ad canonicorum mores & habitum defecisse, siquidem illic restitutus est monasticus ordo, Carolo Calvo regnante.

* Catel. pag. 69. & seq.

XXXVIII. Cella sancti Dionysii de Vallibus.

Si quid ex vitioso diplomate exprimere licet, instaurata est hoc anno apud Pictones cella sancti Dionysii de Vallibus, seu de Valleta, cujus principia Dagoberto tribuuntur, ac Dionysiano monasterio a Carolo restituta. Sita est hæc cella in pago Pictavensi, haud longe a Vigenna * fluvio, qui locus antea Plumbata vocabatur. Istius cellæ situm & amœnitates Guillelmus monachus Dionysianus, is qui Sugerii abbatis gesta litteris mandavit, egregie describit in epistola ad suos Dionysianos, qui eum ex eo loco, in quem ab Odone abbate amandatus fuerat, ad suum monasterium revocabant. *Vallis est*, inquit ille, *vallata deliciis, vallis natura dotata divitiis. Quidquid fere est ubique terrarum fructuum, hic a natura videtur esse congestum. Hic qui vacare sibi voluerit & sapientiæ, neque tumultu pulsatur, neque turba impeditur. Nullus hic sonus, nullus auditur strepitus, nisi quem vel avium cantus fecerit, vel auræ flatus excitaverit. Hoc tamen suæ solitudinis habet solatium, quod trans flumen habet opidum*, nempe Castellum-Heraldi, *cujus commodis fruitur, caret incommodis. Locus hilaris & amœnus, silvis clausus & collibus. ut tamen nec nimium sit humilis vel depressus, nec ventorum pateat importunis flatibus, tellus fertilis & in commisso fidelis, quæ quidquid sibi creditum fuerit, centuplicato fenore cultori restituit. Hic quævis seges, hic omnis fructuum species uberius provenit, celerius maturescit. Hic tantam vidi pomorum copiam, ut videntibus essent fastidio, collecturis tædio. Et ne quis existimet fructus esse degeneres, alia ex his instar mellis sunt dulcia, alia suaviter aspera; pleraque in annum duratura. Nullum est opus rusticum, cui non se solum ferax accommodet, & fideliter respondeat. Præter alia, vinum hic provenit præcipuum, quod urbibus & opidis invidiam faciat, quod Falerno putetur pretiosius. siquidem gustu delectat, odore demulcet. Hic mirum in modum ex albis botrionibus vinum vidi rubeum, & ex nigris e converso hic conficitur album: quod purum tale est, ut frugalitatem professo minus conveniat. Non hic desunt pira, non ficus, non cottona, castaneæque nuces: & quidquid vel sponte profert natura, vel procurare consuevit industria, in hoc brevissimo terræ continetur angulo. Denique quidquid in hortis seri, quod in virgultis solet vel inseri, vel nasci, profert vallis amœnissima, si tamen cultoris instet sollertia.* Tum laudat Guillelmus lucum proximum ligna sufficientem, & fontem pellucidum & saluberrimum, in duos divisum rivulos, qui & virgulta irrigant, & hortos humectant, dein confluentes in piscinam, piscibus alendis opportunam. *Nec longe hinc præterlabitur Vigenna fluvius, qui varias piscium ministrat delicias, ut raro nobis opus sit ad piscinas recurrere, nisi cum forte serius hospes supervenerit, aut tempestas a flumine piscatores abegerit. Habet præter ea vallis nostra ex rupibus excisas specus, in quibus incolæ se suaque mediis nivibus tuentur a frigore, æstivis mensibus a calore. In his nec vinum corrumpitur, nec granum infatuatur: non putrescunt fructus, nec timetur effractarius. Oratorium denique ejusmodi est, ut levi lapide cameratum, nec rigores capricornii, nec cancri æstus sentiri permittat: in quo nec incolumes impune, nec ægri sine salutis spe dormire consueverunt. Illuc, ut testantur incolæ, quisquis ingreditur ad furandum, aut cæcitate, aut gravi multatur ultione.* Parcat lector huic diverticulo, quod relevando tædio haud incongruum visum est.

* La Vienne.

XXXIX. Archiepiscopi Trevirenses.

Richbodonem archiepiscopum Trevirensem hoc anno, & quidem kalendis Octobris, e vivis excessisse tradunt annales Loiseliani, quibus suffragantur Fuldenses & Hermannus. Ei successit Waso seu Wiso, ex-abbate, ut ille, Mediolacensi, quem Hetti in regimine monasterii excepit, futurus & ipse Trevirensis antistes post Amalarium Wasonis successorem. Ex quibus aliisque intelligitur, Mediolacense monasterium tunc fuisse veluti seminarium quoddam illius sedis episcoporum. Wasonis nulla gesta produnt annales Trevirenses: nisi quod conventui apud Theodonis-villam, altero abhinc anno, cum suis suffraganeis interfuisse dicitur. Post annos

sex infulas episcopales morte resignavit Amalario, quem plerique, etiam veterum, cum Amalario scriptore divinorum officiorum perperam confundunt.

ANN. CHR. 804.

XL. Caroli epistola ad Pippinum.

Insignis est Caroli augusti epistola, hoc tempore scripta, ad Pippinum filium Italiæ regem de quibusdam gravaminibus, quæ regii ministri ecclesiis ac monasteriis utriusque sexus in illo regno, per diversa loca ex officio discurrentes, inferebant, exigendo ab eis *carnaticos & vinum contra omnem justitiam*, atque operas in ipsorum campis, pratis & ædificiis, aliasque vexationes exercendo: de quibus Carolus diligentem inquisitionem fieri jubet; &, si querelæ veræ sint, omnimodis emendari & corrigi: *quatenus in diebus*, inquit, *nostris ac tuis citius pax ecclesiarum Dei, sive illarum servientium in omnibus conservetur, & ut merces copiosa nobis ac tibi exinde jugiter adcrescat.*

XLI. Monasterium B. Mariæ de Organo.

Refertur ad hunc annum a Cointio diploma Carolo Magno adscriptum pro monasterio beatæ Mariæ de Organo, in suburbio Veronensi, ad portam Organi dictam posito, quod a Feroce abbate [a] sub finem sæculi sexti conditum ferunt. Vulgato illo diplomate Gualdeberto abbati conceditur immunitas omnium portoriorum, teloniorumve, quæ pro navibus & plaustris tum exigi solebant. Præmittitur diplomati [b] annus Caroli Magni imperatoris quartus, de mense Novembri, indictione tertia-decima. Verum indictio non convenit huic anno, sed sequenti; & diploma ipsum nequaquam genuinum Carolinorum diplomatum stilum sapit; &, siquidem pro sincero habeatur, potius Carolo Crasso imperatori, quam Carolo Magno tribuendum est. Non placent Pelagii papæ secundi [c] litteræ, conditionem ejus monasterii a Feroce abbate factam, ejusdemque patriarchæ Aquileïensi subjectionem confirmantis: quas litteras *Pelagius universalis episcopus Paulo dilecto in Domino filio, sanctæ Aquileiensis ecclesiæ patriarchæ* inscribit. quæ vel sola inscriptio falsitatem litterarum arguit. Probabilior est bulla [d] Alexandri tertii, qui hanc subjectionem ratam habet. Hanc abbatiam ab anno quadringentesimo quadragesimo-quarto occupant Olivetani: de qua plura inferius.

a *Ital. sac. to. 5. c. 540.*
b *Ibid. c. 599.*
c *Ibid. c. 588.*
d *Ibid. c. 58. &c.*

XLII. Mediolanenses episcopi.

Nobis commemorandus hoc loco venit obitus Petri Oldradi archiepiscopi Mediolanensis ob eximium ejus in nostros studium, quippe qui instituti nostri monachos collocavit sub Benedicto abbate in basilica Ambrosiana, ubi is sepultus est. Id dubitanter & ex conjectura tantum habet Puricellus: at dubium removet veterrimus episcoporum Mediolanensium index, in Museo [e] nostro Italico editus, ubi Petrus episcopus sedisse dicitur annis septemdecim, menses duos, atque obiisse idus Maii, ac sepultns fuisse ad sanctum Ambrosium. Eodem anno consignatur obitus Benedicti abbatis Ambrosiani, qui successorem sortitus est Arigausum, cui Odelbertus archiepiscopus, Petri successor, oratorium sancti Vincentii *in curte Prata* donat, regendumque committit, cum eo, ut post ejus obitum ad jus ecclesiæ metropolitanæ revertatur. Ejus donationis litteræ apud Puricellum [f] datæ sunt *anno domnorum nostrorum Caroli & Pepini regum in Italia trigesimo-secundo & vigesimo-quinto, mense Januarii, indictione quarta-decima*, id est anno Christi octingentesimo sexto. Processu temporis hoc sancti Vincentii oratorium in nobile monasterium accrevit.

Ambrosiani abbates.

e *Mus. Ital. to. 1. p. 112.*
f *Ambros. basil. p. 53. &c.*

ANN. CHR. 805.

XLIII. Leonis papæ studium in monachos & in monasteria.

INterim dum Leo pontifex Romæ parta per Carolum tranquillitate gauderet, Romam anno proximo reversus e Gallia, reficiendis ornandisque ecclesiis ac monasteriis animum applicabat. Ea erat ipsius in monachos caritas & benevolentia, ut, ubi *aliquem præcipuum monachum vel servum Dei* invenisset, eum in colloquium & orationem secum adhiberet. Innumera sunt, quæ Anastasius commemorat, ornamenta ecclesiis & monasteriis ab eo impensa. Monasterium sancti Martini, proximum Vaticanæ basilicæ, præ nimia vetustate collapsum, pæne totum a fundamentis instauravit. quod & præstitit in monasterio sancti Stephani protomartyris, Cata-Galla patricia appellato, propterea quod in fundo Gallæ patriciæ conditum erat prope Vaticanum. Hanc Gallam sanctimonialem fuisse in cœnobio sanctæ Catharinæ seu sancti Benedicti in Vaticano auctor est Floravantes Martinellus, qui hoc cœnobium nobilium sanctimonialium de Cavallerottis, ordinis sancti Benedicti, vocat. Non constitit pontificis pietas intra muros urbis: quin etiam ad exteras basilicas propagata est. In his basilicam sancti Apollinaris, quæ Classensis prope Ravennam monasterii erat, sancti martyris tumulo insignis, ruinæ proxi-

ANN. CHR. 805. mam, refecit, novis trabibus ac quadriporticibus instruxit, ejusdemque basilicæ altare, veste serica, in qua mysteria Christi Domini expressa erant, decoravit.

XLIV. Capitulare apud Theodonis-villam. In capitulari hujus anni apud Theodonis-villam statuit Carolus cum episcopis » & abbatibus, ut lectiones in ecclesia distincte legantur. ut cantus secundum ordi- » nem ac morem ecclesiæ Romanæ servetur. ut scribæ vitiose non scribant; & unus- » quisque episcopus & abbas, uti & comites, suum notarium habeant. ut ecclesiæ » sine luminaribus & officiis non remaneant, & altaria non superabundent in eccle- » siis. ut tirones, qui ad monasteria veniunt, primo regulam usu & observatione » discant, antequam extraneis ministeriis applicentur; nec ad judicia sæcularia per- » gant. ut qui sæculum relinquunt, specie, ut Deo serviant, re, ut dominicum regis » servitium fraudent, omnino secundum regulam, vel canonicam, vel monasticam, » vivant: sin minus, ad dominicum servitium revocentur. Ad hæc, ut servi & ancil- » læ in monasteriis utriusque sexus supra modum non multiplicentur, ne villæ rusti- » canæ redigantur in solitudinem. Præter ea, ut ne congregationes superfluæ fiant, » nec earum numerus supra facultates augeatur. ut deinceps novitii secundum regu- » lam *pulsentur* seu probentur, unde novitii *pulsantes* appellati. ut puellulæ infantulæ » ætatis non velentur, antequam eligere sciant quid velint, & ut secundum regulam » pulsentur. denique ut laïci non sint præpositi monachorum in monasteriis. Jam enim eo tempore usus cœperat obtinere, ut, quia res temporales monasteriorum præpositi curabant, hoc officium abbates sæcularibus hominibus committerent. quod prohibetur deinceps fieri. Hoc capitulare Vitus Amerpachius primus typis vulgavit ex codice monasterii Tegernsensis in Bajoaria.

XLV. Richbodoni abbati Laureshamensi succedit Adalongus. Postquam Richbodo abbas Laureshamensi monasterio annis viginti cum mensibus octo præfuerat, Treviris defunctus est: sed corpus ejus Laurissam relatum, ibidem sepulturæ mandatur. Monasterii post eum regimen suscepit Adalongus, vir potens opere ac sermone, ex divina sententia electus. Is ab initio regimine locum interius atque exterius decoravit, templum ornavit, *altare dominicum* seu præcipuum ex quatuor partibus tabulis argenteis inclusit, aliasque aras similiter perornavit, atque auream crucem fabricari curavit. Quo vero modo cella Michlenstatensis eidem monasterio ejus tempore accesserit, inferius apparebit.

XLVI. S. Dionysio facta donatio. Eodem tempore Nevelongus, nobilis Hasbanius, *domno sancto & venerabili in Christo patri abbati Fardulfo, vel omni congregationi basilicæ domni Dionysii*, ubi ipse cum sociis requiescit, res quasdam proprietatis suæ in pago Hasbanio sitas, in loco, qui vocatur Hasca, super fluvium Lachara, largitur in luminaria ecclesiæ & in stipendia monachorum anno tricesimo-septimo Caroli gloriosi regis, ejusdemque imperii anno quinto, & quidem IV. nonas Aprilis.

ANN. CHR. 806. XLVII. Walto abbas Fardulfi successor. Forte hoc ipso anno decessit Fardulfus aut certe insequente, quo anno in ejus locum subrogatus est Walto seu Waldo abbas Augiensis, ex Hermanni chronico. Fuerat is ex monacho abbas sancti Galli: sed Egininis episcopi Constantiensis violentia hinc discedere compulsus, Carolo assentiente Auvam seu Augiam se recepit: ubi postmodum abbas ejus loci electus, demum post annos viginti a Carolo post Fardulfi obitum ad sancti Dionysii cœnobium administrandum accersitur. De illo id memoriæ prodidit Ratpertus, ut jam superius monuimus, quod cum eum Carolus cum Eginone episcopo conciliare vellet, eo pacto, ut sub ejus auctoritate & imperio abbatis locum apud sanctum Gallum teneret; tale * responsum dederit: se regiæ semel celsitudinis dominationi subjectum, nequaquam posthac, dum his tribus digitis (nam eximius scriptor erat) præditus esset, ferre posse cujusvis inferioris hominis dominationem. quod responsum forte Caroli gratiam ipsi conciliavit, ut processu temporis ad abbatiam sancti Dionysii promoveretur. Ejus tempore quædam miracula sancti Dionysii meritis facta memorantur, quæ alias retulimus, nec opus est repetere hoc loco. Virum sapientem vocat Ratpertus: at vitii expertem haud fuisse, si quid certi ex hominis somnio colligi potest, Wettinus auctor est. Sub Fardulfo abbate, ejusque successore Waltone, multum laxari cœpit disciplina regularis in monasterio Dionysiano: adeo ut plerique regulam penitus ignorarent, nec monachos, sed canonicos se ferrent. quod insigni reformationi, ut recepto vocabulo utar, tempore Ludovici augusti occasionem dedit. Waltoni in regimine abbatiæ Augiensis suffectus est Hetto seu Heyto ejus loci monachus, de quo mira ca-

Hetto abbas Augiensis.

* Ratpert. p. 22. & 23.

nit Walafridus Strabo in carmine de visione Wettini, ubi abbates primos sui monasterii commemorat. Sub postremis abbatibus Johanne, Petro & Waldone, Hetto *velut aurea stella* surrexisse, ac tenebrosum vulganda per orbem fulsisse dicitur. Is quinquennis venit ad cœnobium Insulanense, sic Augiense nonnumquam vocant, ibidemque virtutibus & litteris excultus inclaruit. Ejus fama longe respersa, ad regis Caroli aures penetravit, a quo in palatium evocatus, invitus ex cara solitudine ad infulas Basileenses trahitur. sic enim hos Walafridi versus interpretor. ANN. CHR. 806.

Tanti fama viri regales verberat aures,
Post rapitur non sponte foras de carcere caro;
Et qui liber erat, fit libertate soluta
Pastor ovile tuens.

Idem ecclesiæ suæ geminas ruinas sarcisse dicitur,

Interiora medens atque exteriora reformans.

Denique Walafridus asserit, se nescire alterum, qui cum eo possit conferri. Sub hæc

Cogitur interea monachorum pastor haberi.
Discipulus dudum disponitur ipse magister.

Quod idcirco ipsis Walafridi verbis refero, ut appareat, ipsum ecclesiæ Basileensi pastorem prius admotum fuisse, quam Augiensi monasterio præficeretur. id hoc anno accidisse Hermannus tradit, apud quem Heyto nonus abbas annos septemdecim eidem loco præfuisse memoratur.

XLVIII. Willelmus comes Gellone fit monachus.

Vix anni duo a condito Gellonensi monasterio effluxerant, cum Willelmus comes, ejus auctor, illuc secedere constituit. Gliscentem animo voluntatem cum jam cohibere non valeret, consilium suum Carolo aperit. qui hoc Willelmi proposito perculsus, e re publica esse censuit, ut ne ei assensum daret. Instat nihilo minus comes, atque a cæsare demum consensum elicit, modo ut ex regalibus thesauris donaria quædam in signum perpetuæ dilectionis ab ipso peteret, acciperetque. Lignum dominicæ crucis, quod Carolo Jerosolymis nuper missum fuerat, petit Willelmus. Ægre annuit: Carolus sed tandem venerabile illud lignum cum ara sanctificata, totoque ipsius aræ cultu, & cum aliis reliquiis sanctorum Willelmo donavit. Hic itaque ex aula, universis lugentibus, egressus, primum Arvernos adit; atque Brivate in basilica sancti Juliani martyris arma sua bellica offert ad altare; galeam & clypeum ad tumulum beati martyris; ad ostium vero basilicæ pharetram & arcum cum telo ingenti & versatili gladio suspendit. Tum pagum Lutevensem adiens, nudis pedibus accedit ad Gellonem suum, ad carnem cilicio indutus. Audito ejus adventu, effusi obviam cum festiva pompa, ipso repugnante, præcedunt fratres, a quibus orationis causa ducitur in oratorium: ubi pretiosa, quæ mox retulimus, donaria obtulit Deo cum calicibus aureis & argenteis, variisque ad ecclesiæ cultum ornamentis, librisque necessariis. quæ fere omnia etiam nunc asservant Gellonenses nostri. Dein itur *in auditorium*, factaque de more lectione cum brevi sermone ad ædificationem, ipse fratribus animum suum de abdicando sæculo aperit. Mox illi insperatu nuncio stupefacti, in lacrymas præ gaudio erumpunt, felices ac fortunatos se reputantes, qui talem ac tantum propositi sui ducem ac socium habituri essent. Urgente eo, ut quam citius monastico habitu insigniretur, indicitur dies natalis apostolorum Petri & Pauli: quo die, depositis vestibus auro textis, totus ille monasticæ inaugurationis ritus in eo perficitur. succiduntur capilli, Deoque consecrantur; ac demum *veste apostolica instar crucis*, id est scapulari, ut putat Menardus noster, an potius cuculla, induitur. nam etsi olim hæc non nisi post annuam probationem fiebant, tamen id compendii Willelmo cœnobii conditori tribuendum visum est. Hunc diem & annum rei gestæ signanter notat ejus vitæ scriptor anonymus; & post eum Ordericus Vitalis eumdem annum signat. Nec audiendus videtur Cointius, qui Willelmi conversionem ad biennium differt, eum confundens cum Willelmo primo signifero, qui Ludovico regi, anno proximo Barcinonem obsidenti, adfuit.

ANN. CHR. 806.

Jam vero qualem in monasterio se gesserit novus ex duce tiro, ex Ardone accipe. In hanc cellam ingressus, totum se Christo dicavit, nullum sæcularis mundanæ pompæ retinens vestigium. Ea fuit ejus humilitas ac modestia, ut modestiorem quemque aut vinceret, aut æquaret. Visus est sæpe asinum ducens, vasculum vini gestantem ad refocillandos fratres, qui tempore messis segetes in illo solo colligebant. In vigiliis pervigil cunctos vincebat, frequenter in oratorio sancti Michaëlis furtivis orationibus vacans. Corpus Christi vix, nisi præmissis profusioribus lacrymis, percipere non sustinebat. Pistrinum, nisi infirmitas aut occupatio aliqua impediret, ipse propriis manibus curabat, coquinæ officium vice sua exsequi solitus. Lectuli duritiem culcitra substerni, quod Benedictus Anianæ abbas jusserat, ægre tulit. Tradunt nonnulli, sæpe corpus suum flagellis cædi, nullo alio præter eum, quo ministro utebatur, conscio, præcepisse. Ad hæc mediis noctibus in glacialem aquam se immergebat, unico tectus subtegmine. Hunc ferunt aliquando, dum clibanum coquendis panibus parasset, nec instrumentum ad eum expurgandum, hora urgente, adesset; in caminum ardentem ingressum propriis manibus prunas ardentes extraxisse; & qui ipse ardere debuerat, illæsis vestibus egressum fuisse. Difficilis ad monasterium pro montium asperitate aditus erat: sed ille Dei servus, incisa rupe cum malleis, securibus, variisque ferramentis, junctis firmiter ferro & plumbo lapidibus, jactoque fundamento secus flumen Arauris, viam altius sustulit, pro loci qualitate direxit, ac monti conjunxit. Bernardus & Gotselmus, ejus filii, quibus comitatus suos divisit, non parum ad ejus loci constructionem & augmentum contulisse memorantur. Bernardus in comitatum Tolosanum post Berengarium suffectus, Dodenam conjugem duxit anno decimo Ludovici augusti. De his plura inferius.

XLIX. Nifridius abbas Crassæ privilegium obtinet a Carolo.

Exstat in Gallia Narbonensi Urbionense monasterium beatæ Mariæ, de Crassa vulgo cognominatum, cui Nifridius seu Nimfridius abbas tum præerat. Ejus rogatu Carolus eidem loco præceptum concessisse dicitur hoc anno, dum Narbone versaretur. Diplomatis hæc summa est, virum venerabilem Nimfridium abbatem » ex monasterio sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ, quod est constru- » ctum in territorio Narbonensi super fluvium Urbionis, in valle, quæ modo Crassa » nominatur, ad Caroli præsentiam venisse, ab eoque petiisse sibi, monachisque suis » dari, unde in servitio Dei & beatæ Mariæ sustentari ac vivere possent. Carolum » vero eidem ex propriis contulisse vallem Borrianam, quæ tunc Licinianus appella- » ta, in comitatu Narbonensi, cum ecclesiis ibidem constructis, una in honore san- » cti Felicis, altera sancti Nazarii, tertia sanctæ Candidæ, cum omnibus ad eas per- » tinentibus: quibus omnibus additur immunitas a quibusvis teloneis. quod Narbone » actum dicitur nonis Aprilis, anno sexto imperii, tricesimo-nono regni in Francia, » atque tricesimo-secundo in Italia; indictione tertia-decima. quæ notæ chronologicæ vix simul conciliari possunt, nisi legatur indictio quarta-decima: aut cum annalibus Franciçis, in quibus Carolus eo tempore Noviomagi ad Vahalim, ubi *sanctum quadragesimale jejunium, & sacratissimam pascha festivitatem pridie idus Aprilis* celebravit, versatus memoratur. Mendum est apud Catellum, qui legit regni Francici vicesimum-nonum pro tricesimo-nono. Ceterum Nifridius, ex-abbate Crassensi archiepiscopus Narbonensis, idem ejus loci regimen pro more illorum temporum videtur retinuisse; nec multiplicandi perperam ejusdem fere nominis archiepiscopi Narbonenses. In necrologio Crassensi notatur kalendis Januarii *Nifridius abbas, archiepiscopus Narbonensis.*

L. Otgerii conversio.


Superiori Willelmi comitis exemplo adjungendum est aliud omnino consimile Otgeri seu Othgarii, famosi eo tempore ducis ac præliatoris, qui una cum socio Benedicto in suburbanum apud Meldos monasterium sanctæ Crucis seu sancti Faronis se recepit. Fueritne Autcarius ille Francus, qui mortuo Carolomanno rege, Caroli Magni fratre, cum uxore ejus ac liberis in Italiam ad Desiderium regem confugit, quique postmodum a Carolo recepta Italia in Franciam reductus sit, non promtum est definire. In historia ejus conversionis, ante annos septingentos scripta, id unum invenimus, Otgerium, virum illustris generositatis, & adeo strenuum in prœliis, ut ob egregia bellica facta solus inter prœliatores, ab ipsis etiam prœliatoribus *Prœliator & Pugnator fortis* appellaretur; perspecta sæcularis gloriæ & opulentiæ vanitate, de relinquendo sæculo serio cogitasset; ac peregrini habitu suscepto,

varia

ROUM POSTEA MONACHORUM.

Meldos.

To. 2 Annal. Bened. inter pag. 376 et 377. num. L.



rtes præferens.
tenens atramentum ad scribendam professionem.
nc Benedicti animæ ab Angelis assumtæ.
Dominus extremo judicio præsidens.
nstrumenta Passionis Coronam Clauos Crucemque
es.
x Sepulcris resurgentes.
eu gladius, et Clypeus ferreus Otgeriani.

varia perlustrasse monasteria, exploraturus, in quonam regularis disciplina & observatio regulæ sancti Benedicti accuratius servaretur. tum baculo, quem pro signo peregrinationis acceperat, appendisse ligulas corrigiarum, ex quibus globuli tinnuli dependebant; ipsumque baculum jactasse in cujusque monasterii seu ecclesiæ monasticæ pavimentum, ac diligenter attendisse, si quis ex monachis ad strepitum baculi oculos aperiret; porro in sancti Faronis monasterio nullum, qui hoc faceret, inventum, præter quemdam ex illis pueris, qui olim in nostris monasteriis, oblati Deo & consecrati erant; eique ob hanc culpam virgam disciplinæ inflictam fuisse ab uno e custodibus, qui horum puerorum ætatem moderabatur. Qua ex re Otgerius sibi proposuerit, ut eo in loco, spreta sæculi pompa, monasticum habitum susciperet. Postea Carolum imperatorem adiisse dicitur, facultatem eo secedendi petiturus; eaque ægre obtenta, Benedictum, quem in multis prœliis socium habuerat, illuc secum adduxisse: ut qui multo sanguine manus suas simul cruentaverant, sua simul in monasterio peccata expiarent. Eodem vero anno, quo ambo monachi facti sunt, Otgerius ad Carolum accessisse, enixe rogaturus, ut qui ceteris monasteriis tot beneficia conferret, unum sancti Faronis monasterium a benefactis ne exciperet. Carolus vero postulatis facilem se præbens, duas sancto Faroni abbatias ex suo dominicatu concessisse: unam in honorem sanctæ Mariæ sanctique Petri dicatam, in loco, qui Reda * dicitur, spatio stadiorum octoginta ab urbe Meldensium & monasterio distantem, quæ modo villa est eidem monasterio subjecta: alteram in suburbio Vercellensi, quæ tam diu pertinuit ad fratres sancti Faronis, dum reges Francorum Italia potiti sunt. Post hæc Otgerius multis annis in eodem monasterio vixisse perhibetur sub abbatis imperio, siti & inedia, vigiliis & orationibus peccata sua redimens: cujus veram conversionem ac vitæ sanctitatem Christus dominus multis miraculis declaraverit. Huic narrationi fidem facit præclarum Otgerii & Benedicti mausoleum, in quo pleraque, a nobis hactenus de eis relata, extantibus iconibus repræsentantur. Et primo quidem eorumdem statuæ tumulo compositæ cum monastico habitu, qualis per id tempus in sancti Faronis monasterio usui erat, nempe cum toga talari ac scapulari amplissimo ad terram diffluente, & vittis infra brachia constricto: cujus formam pagina sequenti æri incisam habes; seorsim vero ipsius mausolei imaginem, quo nullum certe nobilius ex reliquis eorum temporum monumentis superesse quivis facile concedet. Ex eodem mausoleo discimus, Otgerio sororem fuisse, nomine Audam, quæ Rolando, forte Britannici limitis præfecto, desponsata fuit. Magni sane faciendum hoc monumentum, tametsi superiori sæculo nonnihil a Calvinistis deformatum. Eorumdem heroum ossa in sacrario monasterii asservantur cum Otgeriana spatha & scuto angustissimo. Certe ambo *arma bellica* cum omnibus quæ possidebant, votivo animo ibidem reliquisse perhibentur in prædicto libello de eorum conversione. Hujus libelli antiquitatem probant in primis veteres codices, Faronianus, Crispiacensis, ac Gemblacensis, scripti ante annos sexcentos; deinde *breviarium* seu recensio *librorum, quos invenit abbas Galfridus in cœnobio sanctæ Crucis sanctique Faronis*: qua in recensione habetur *conversio Othgerii militis & Benedicti ejus socii.* Denique Fulcoïus, ortu Bellovacensis, ac Meldensis subdiaconus tempore ipsius Galfridi abbatis, id est medio sæculo undecimo, eorumdem epitaphium versibus cecinit. Erit forte qui in muliercularum fabulas referat experimentum illud, quo religionem monachorum baculo globulis tinnientibus instructo explorasse Otgerius dicitur. At simile experimentum fecit Otto Magnus in monasterio sancti Galli, referente Ekkehardo; & Conradus rex in processione *infantum* seu puerorum ejusdem cœnobii, pomis in medio ecclesiæ pavimento sterni jussis, cum nec unum moveri, nec ad ea attendere vidisset, *miratus est disciplinam*. Ad sanctum Faronem revertor.

* Ret.

Sub Fulcoado Galfridi successore monachum induit in eodem sancti Faronis monasterio Otgerius alter, Carmentriaci vici dynasta, qui hortatu sororis suæ Gibelinæ, ibidem reclusæ, se suaque omnia Deo consecravit. Ex quo apparet graviter aberrare eos, qui Otgerium hunc cum altero confundunt, quasi unicus fuerit in illo monasterio Otgerius Carmentriacensis, quem posteri cum fabuloso illo Turpinianæ fabulæ Ogerio Dano confuderint. Et hæc quidem fabula jam ab aliquanto tempore apud Faronianos nostros invaluerat, eaque generali chronico Benedictino inserta fuerat. Atqui ante natum Otgerium Carmentriacensem scripta fuerat, ex

ANN. CHR. 806.



EFFIGIES OTGERII ET BENEDICTI MONACHORUM S. FARONIS.

dictis, historia conversionis Otgerii militis & Benedicti ejus socii; eorumque mausoleum eodem in loco ostendebatur, ubi etiam nunc cernitur. Denique Fulcoïus subdiaconus Meldensis eorumdem epitaphium versibus lusit pontificatu Alexandri papæ secundi, ad quem metrice scripsit, Otgerio Carmentriacensi in vivis agente. sic habet epitaphium.

Quam male discernit, quod amat, vel qualia spernit!
Cui placet aura soli, displicet aura poli.
Exsul in externa, procul a regione superna,
Captus amore via non meminit patria.
Militis Otgerii conversio, digna videri,
Sufficit ad speculum quo statuas oculum.
Legis erat pondus, locuples, a rege secundus,
Nobilis & sapiens, strenuus & patiens.
Floribus his septus, præstabile culmen adeptus,
Omnia posthabuit, seque Deo tribuit.
Evocat invictum rerum comitem Benedictum,
Ut par militia participet venia.
Crux simul accipitur, Crucis & locus iste subitur:
Cæsar & exuitur, Christus & induitur.
Ite pares anima per qualibet agmina prima,
Fortes cæsarei, fortia membra Dei.
Fortes athleta, per sæcula cuncta valete:
Par crucis est species, par erit & requies.
O quam par pulcrum! par vivere, parque sepulcrum:
Par fuit & tumulus, par erit & titulus.

Ex his manifestum est, quanta per id tempus fuerit religio monasterii sancti Faronis; cujus plerosque eventus nobis abstulit subsequentium temporum calamitas. De eo plura diximus in volumine [a] superiori.

[a] *Lib.* 11. *n.* 5.

LI. Regni divisio inter Caroli filios.

Non prætermittenda omnino hoc loco charta divisionis a Carolo factæ inter filios ejus tres, Carolum, Ludovicum, ac Pippinum, quibus regnum suum partitus est, Carolo Austria, Turingia, Saxonia, Frisia & parte Bajoariæ, Ludovico Aquitania & Wasconia, Pippino Longobardia assignatis. Si qua vero de limitibus inter eos controversia nasceretur, quæ hominum testimonio definiri non posset; eam *judicio crucis* terminari præcipit. quod expansis in modum crucis manibus a duobus hominibus utrimque productis fiebat, ex quibus is cui brachia primo titubassent, causa cadebat, aut potius is, cujus partes sustinebat. Iisdem filiis suis Carolus ecclesiæ sancti Petri curam & defensionem exemplo Caroli avi sui ac Pippini genitoris commendat, simulque reverentiam in pastores & rectores venerabilium locorum. De filiabus vero suis, sororibus prædictorum filiorum suorum, jubet, ut post suum ipsius ex hac vita discessum ad quem fratrum suorum voluerint, eis se conferre liceat; &, si qua ex eis *monasticam vitam elegerit, liceat ei honorifice vivere sub defensione fratris sui, in cujus regno degere voluerit.* quæ autem conjugium prætulerint, id ei a fratribus suis ne denegetur. Litteras hujusce partitionis, Francorum optimatum manibus confirmatas, Carolus per Einhardum seu Eginhardum transmisit Leoni papæ, ut eas & ipse manu sua firmaret. Hic est Eginhardus, ipsius Caroli notarius, qui in libro de ejus vita quinque ei filias ex legitimis uxoribus tribuit, nempe Rotdrudim, Bertam, & Gislam ex Hildegarde; ex Fastrada Theudradam & Hildrudim; tres item ex concubinis Rothaidem, Rothildim & Adeldrudem. Nusquam vero mentionem facit Immæ, quam idem Eginhardus conjugem habuit. quo vel unico argumento corruit historiola seu potius fabula chronographi Laureshamensis, Immam Carolo filiam affingentis, cujus furtivos cum Eginhardo amores ubi ille deprehendisset, eam amasio suo nuptum tradiderit. Non obscure tamen Lotharium augustum nepotem suum vocat [b] Eginhardus: cum *neptitatem* suam monet, ut per prudentiam sibi divinitus concessam caveat periculum suum: at propinquitas hæc ex alio capite oriri poterat. quod aliis examinandum relinquo, contentus difficultatem studiosis lectoribus aperuisse.

Imma Eginhardi conjux, an filia Caroli.

[b] *Eginh epist.* 34.

ANN. CHR. 806

LII. Capitulare Noviomagense.

Dum Noviomagi ad Wahalim versaretur Carolus, novum capitulare edidit, cu-
» jus capitulo quarto statuitur, ut missi dominici per singulas civitates & monasteria
» virorum ac puellarum inquirant de ornamentis ecclesiarum, an refecta sint; & de
» conversatione singulorum, & de lectione & cantu, an eo modo serventur, quo
» præcedenti capitulari sancitum erat. quinto, ne episcopi, abbates, & abbatissæ the-
» sauros ecclesiasticos distrahant aut vendant cuivis, nedum negotiatoribus Judæis,
» gloriantibus se posse ab eis emere quidquid ipsis placuisset. octavo-decimo, ut præ-
» senti anno, quo fames plurimis in locis prævalebat, omnes episcopi, abbates, ab-
» batissæ, optimates, ceterique regii domestici aut beneficiarii *familiam* suam nutriant,
» &, si annonam vænalem habuerint, certo pretio modico, quale eis præscribitur,
» vendant.

LIII. Fontanellenses abbates.

Fontanellense monasterium tunc regebat Gervoldus abbas, qui in extrema ægritudine positus, quasdam res proprietatis suæ, in pago Ebroïcino a se, dum ejus urbis episcopus esset, acquisitas, Fontanellæ contulit, nempe ecclesiam sancti Paterni super fluvium Ittonem, aliaque. quæ donatio facta dicitur in villa ejusdem cœnobii Petreoponte, VII. idus Junii (sic legendum, non Januarii) & post dies septem idem Gervoldus vita functus fuisse XVIII. kalendas Julii hoc ipso anno, cum istud cœnobium annis octodecim, & mensibus fere sex administrasset. Gervoldo in Fontanellæ regimine successit Trasarus, domo Beneventanus; idque tenuit ad annum tertium Ludovici augusti, quo anno ad patrium solum reversus est.

LIV. Crulandæ litteræ datæ a Kenulfo rege.

Magna intercessit Gervoldi abbatis, ut alias diximus, familiaritas cum Offa rege Merciorum: cujus filius Egbertus post quatuor aut quinque regni menses sceptrum Kenulfo, pio ac magnifico principi, moriens reliquit. Insigne erat in illo regno cœnobium Crulandense, cujus abbas tertius Siwardus, Patricii successor, Kenulfo regi carne propinquus ac familiaris, ab eo regias litteras obtinuit, hoc anno, qui regni ejus duodecimus erat, datas, quibus significat, se testem fuisse miraculo-
» rum, quæ in ipso loco a sancto Guthlaco Christi confessore patrata fuerant; & ad
» supplicationem spiritalis patris ac consiliarii sui domni Siwardi abbatis, consulente
» atque hortante venerabili patre Wilfredo archiepiscopo Dorubernensi, dictum mo-
» nasterium monachosque ejus in suam tutelam accepisse, & donationes eidem factas
» confirmasse. Subscribit post regem & episcopos Celredus abbas Medeshamsteden-
» sis, germanus frater domni Siwardi abbatis.

LV. Rurales ecclesiæ a monachis administratæ.

Tunc temporis jam mos invaluerat in monasteriis, ut in agrestes ecclesias eis subjectas mitterentur a monachis presbyteri, qui eas regerent. In his Hornbacenses Mettensis diœcesis monachi quasdam ecclesias habebant in episcopatu Moguntino. Missus ab eis presbyter, Macarius nomine, ad illas ecclesias, *ut ibidem solito more officium perageret:* sed prohibitus a Riculfo archiepiscopo, ne id officii exerceret. Scripsere [a] hac de re domno & patri Riculfo archiepiscopo Amalardus abbas & Wido, forte decanus, *omnisque congregatio sancti Petri ex monasterio Hornbac*, causam ejus rei se ignorare dicentes, nisi si a Bernario episcopo Wormatiensi quiddam ejus pietati suggestum sit, forte quod ille presbyter unum caballum, ab eodem episcopo ad se missum, ex suo *stipendio* pascere noluisset. Tum rogant obsecrantque, ut eidem presbytero liceat *domino Jesu-Christo & sanctorum eodem loco reliquiis officium solito more persolvere: ne & domus Dei, & reliquiæ illius honor sic remaneant sine sacerdote, lumine & officio;* quippe se non habere illis in partibus alium sacerdotem, qui illud officium peragere possit. In necrologio Augiensi notantur ex monasterio *Hornbac* Amalhart abbas, qui supra, & Wirundus itidem abbas, haud dubie ipsius Amalhardi successor. Idem Wirundus abbas laudatur in pervetusto itidem necrologio sancti Galli apud Goldastum. ubi monasterium Hornbah sive Gamundias dictum invenies.

[a] Bonifac. epist. 113.

LVI. Schennense parthenium in Rætia.

In posteriori hoc sancti Galli necrologio notantur nomina sororum de monasterio sancti Stephani in Skenninis: ubi post clericos ejus loci apponuntur nomina monialium, quibus præit Adalheid abbatissa. Hoc est puellare monasterium in Schennis diœcesis Curiensis in Rætia, quod Humfridus comes hoc anno inchoasse dicitur a Bucelino, & post biennium absolvisse. cujus rëi causa quidam auctores biennio serius ejus cœnobii originem referunt.

LVII. Placitum pro Farfa.

Gunichiso seu Wnichiso duci successit hoc anno Romanus in ducatum Spoletanum, statimque placitum habuit in castro Viterbiensi. Illic cum resideret una cum

suis assessoribus ad universorum causas audiendas, proposita est controversia de testamento cujusdam Ragifredi, qui res suas omnes immobiles monasterio Farfensi legaverat, solis mobilibus, simulque servis & ancillis, necnon aldis & aldiabus pro liberis relictis. Contra insurgebant tutores Leonis ejus filii impuberis, causati, eum, nulla data causa, exheredari non potuisse. Opponebatur decretum Hastulfi regis, ut, si quis Langobardus, in sanitate, vel ægritudine positus, per cartulares suos venerabilibus locis res suas legasset, id teneret. Tandem, auditis utrimque rationibus definitum, ut testatoris res omnes, tam mobiles, quam immobiles, in duas partes separarentur; unaque Farfensibus, altera Leoni testatoris filio assignaretur. Actum Caroli imperatoris anno sexto, Leonis papæ undecimo, in mense Maïo, per indictionem quartam-decimam, nulla mentione facta Pippini regis. ANN. CHR. 806.

Ab anno subsequente celebrari cœpit, multis nominibus deinceps nobis commemorandus, Ansegisus abbas, ex nobili Francorum prosapia ducens originem, Anastasio & Himilrada parentibus procreatus, qui eum divinæ atque humanæ philosophiæ præceptis erudiendum curarunt. Fontanellam accessit adolescens, regiminis locum tenente Gerwoldo seu Girowaldo abbate, propinquo suo, a quo tonsura capitis insignitus fuit. Dein non multo post in Caroli palatium perductus, primo quidem duo cœnobia, unum sancti Sixti in suburbio Remensi, alterum sancti Memmii apud Catalaunum, obtinuit, tum Flaviacense monasterium, quod a sancto Geremaro in agro Bellovacensi septimo sæculo conditum, ejusdemque corpore postea nobilitatum fuerat, ab eodem principe precario accepit anno dominicæ incarnationis octingentesimo septimo. Erat tunc hoc monasterium ædificiis pæne destitutum, & in summam egestatem atque in solitudinem redactum: sed intra brevi temporis spatium Ansegisus illud ea qua pollebat industria penitus instauravit, ibidemque nova ædificia, vetustis disjectis, majori quam ante elegantia fabricari curavit. Ad hæc dum hoc monasterium jure precarii ac beneficii teneret, etiam *exactor operum regalium* in Aquisgrani palatio regio sub Einhardo abbate ab ipso imperatore constitutus, id officii nobilissime administrasse dicitur. Denique variis legationibus ab eodem adhibitus, eisdem non minori prudentia quam fide perfunctus est. Hæc fere tirocinia fuere magni viri, qui deinceps regularis disciplinæ studio totum se se addixit.

ANN. CHR. 807. LVIII. Ansegisus fit abbas Flaviacensis.

Ante annos tres Odlando Sithiensi abbati successerat Nantharius, eo nomine secundus, cui Erlharius quidam vendidit prædium aliquod in vico pagi Isserctii seu Isserici, nomine Fletrinio. Hujus venditionis charta inscripta est *Domino venerabili in Christo patri Nanthario abbati de monasterio Sithiu, sive de cella, quæ dicitur Bebrona, ubi Ebrogerus præpositus esse videtur.* sic legitur in chartario Folquini. *Actum Bebrona in mense Octobrio, anno trigesimo-nono regnante Karolo rege, anno sexto imperii ipsius.* ubi legendum videtur *septimo*, ut annus imperii conveniat cum anno tricesimo-nono regni, qui in hunc annum incidit. Eidem Nanthario Lebdrudis matrona rem omnem proprietatis suæ apud Gisnam, seu Totingetune in pago Bononiensi, super fluvium Wasconigauvalla tradit: pro qua donatione aliam terram in loco ejusdem pagi, quem *Ecloum* vocat, ad vitam sibi, tribusque filiis suis dari postulat, ea conditione, ut singulis annis ad festivitatem sancti Audomari kalendis Novembris certum censum redderent. *Actum Gisna villa publice*, undecimo die mensis Octobris, anno quadragesimo regni Caroli, ejusdemque imperii anno octavo. Hanc donationem Johannes Iperius ita explicat. Lebtrudis, nobilis matrona, villam Ghisnas, quam olim Walbertus Arkensis comes monasterio tradiderat, in feodum tenebat a Bertinianis. Hæc vero feodum suum cum universis juribus & appendicibus in manus Nantharii abbatis resignavit, simulque Totinghetum villam pagi Boloniensis, facta eidem abbati pro se tribusque filiabus suis præstaria, quæ *domno magnifico in Christo patri Nanthario abbati de monasterio Sithiu* inscripta est. Utrumque instrumentum scripsit Guntbertus sacerdos & monachus, forte is, cujus pater Goibertus, mater Ebertruda, quæ Sithiensibus concessit monasterium quoddam, vocabulo *Henetlant*, quod ipse Goibertus in proprietate sua in honorem Salvatoris construxerat. Aliam donationem quorumdam prædiorum, simulque precariam fecit Folbertus quidam *domno venerabili in Christo patri Nanthario* imperii Caroli anno undecimo. Goibertum multis laudat Iperius, qui monasterium Salva-

LIX. Nantharii abbatis Sithiensis acta.

ANN. CHR. 807.

Stenland monasterium. Guntbertus monachus.

toris, ab eo conditum, *Stentland* appellat; additque villas numero triginta-tres, tam in Flandria, quam in Teruanensi atque Boloniensi pagis sitas, ab eodem concessas fuisse pro eleemosyna ad portam monasterii facienda. Guntbertus vero, ejus filius, scientia & regulari disciplina insignis prædicatur, qui codices bibliothecæ, vetustate corruptos, scriba peroptimus renovavit; tres etiam antiphonarios manu propria exaravit: quorum unum sancto Audomaro, alterum sancto Winnoco, tertium elegantiorem, litteris aureis ornatum, beato Bertino assignavit, cum computo, quem etiam descripsit.

LX. Mauri subacti ob venditos monachos.

Per id tempus Mauri ex Hispania egressi, Corsicam insulam prædationibus & populationibus infestabant. Hos ut revinceret Carolus, Burchardum comitem-stabuli cum classe in eam insulam hoc anno misit. Egressi pro more Mauri ex Hispania, primo Sardiniam appulsi, commisso cum Sardis prœlio, multis suorum amissis (nam tria millia cecidisse perhibentur) in Corsicam nihilo minus pervenerunt. Illic in ipso insulæ portu cum classe, cui Burchardus præerat, prœlio conserto, victi, fugatique sunt, amissis tredecim navibus, ac plurimis suorum interfectis. quæ adversa sibi ex eo accidisse contestati sunt, quod anno superiore,. contra omnem justitiam, de Patalaria insula sexaginta monachos abductos in Hispaniam vendidissent. Ex his non pauci *per liberalitatem imperatoris* dato pretio in libertatem asserti, ad sua redire permissi sunt. Hæc ex annalibus Loiselianis, quos secutus est Regino abbas Prumiensis. Hos annales in multis emendare licet ex chronico Saxonico nondum edito, in quo ad hunc annum *magna mortalitas* Fuldæ in monasterio sancti Bonifacii sævïisse, & fratrum juniorum plurimi interiisse memorantur.

LXI. Ludovicus rex Gellonensibus privilegium concedit.

Sub exitum hujus anni Ludovicus, rex Aquitaniæ, Gellonensi monasterio donationem fecit, *petente domno Guillelmo monacho, qui in aula genitoris* sui *Karoli augusti comes exstiterat gloriosissimus, sed pro Dei amore meliorem exercens vitam, studuit*
» *esse pauper recensando sublimia.* Rex vero eidem Willelmo ob eximiam erga se fidem
» contulit ad monasterium, quod dicitur Gellonis, situm in pago Lutovensi, juxta
» fluvium *Araur*, subtus castrum Virduni, ubi Juliofredus rector & abbas tum præe-
» rat, aliquid ex rebus suis in pago Biterrensi, nempe fiscum Miliacum cum suis ap-
» pendicibus, *sicut a misso*, inquit, *nostro comite Gotselmo per cruces in lapidibus scul-*
» *ptas assignatum est;* & in pago Ludovensi locum, vocabulo Gustrias, vulgo Castrapastura, *ad pecora eorum alenda*, aliaque prædia in eodem pago. *Honorem vero illum, quem domnus Guillelmus, aliive fideles per instrumenta chartarum præfato monasterio tradiderant, in quibuscumque locis sit*, idem ratum habet. Datum hoc præceptum Tolosæ publice, kalendis Januarii, anno vicesimo-septimo domni Ludowici regis, Karoli vero imperii octavo. Godolenus notarius ad vicem Guigonis recognovit. Diligenter observandæ sunt hæ notæ chronologicæ, quæ anno præsenti conveniunt, quo Ludovici regis annus vicesimus-septimus a paschate, Caroli imperatoris octavus ab octavo kalendas Januarii incœperat. Non ergo differendus est Willelmi comitis monachatus in annum sequentem, ut Cointio visum est, sed anno superiori consignandus, anonymo vitæ ejus scriptori & Orderico suffragante hoc diplomate, quod Ludovicus *petente domno Guillelmo monacho* fieri præcepit. Jam etiam hoc anno Gellonense monasterium gaudebat abbate peculiari, scilicet Juliofredo, qui Caroli Magni consanguineum se ipse dicit, ut videbimus libro sequenti. Is subjectus erat abbati Anianensi, uti & ejus successores ad pontificatum Urbani secundi, cujus privilegio Gellonenses ab Anianensium jugo exemti sunt.

Juliofredus abbas.

LXII. S. Petri puellare monasterium Barcinone.

Barcinone civitate hoc anno recepta, idem rex Ludovicus, ut ob felices armorum successus Deo se gratum exhiberet, non modo sollemnes gratiarum actiones in ea urbe instituit, sed etiam puellare monasterium sancti Petri, cum ecclesia sanctorum Justi & Pastoris ibidem ædificari curavit, ut Franciscus Didacus in historia comitum Barcinonensium testatur. Situm erat hoc monasterium haud longe a mœnibus urbis, patuitque cladi Sarracenorum sub finem sæculi decimi, cum Barcinonem pæne vastarunt, ceperuntque. Deinde instaurautum fuit a Borrello comite ac duce, cujus filia, Bonafilia nomine, ibidem abbatissa instituta fuit. Ab eo tempore substitit hoc monasterium, subsistitque etiam nunc sub Ordine sancti Benedicti.

ANN. CHR. 808.

LXIII. Eardulfi regis depositio & restitutio.

POstero anno magni in insula Britannia motus, sed non insoliti fuere. Eardulfus quippe rex Northanimbrorum regno pulsus, fugatusque est, haud dubie factione Ælfwoldi, qui ejus regnum per biennium tenuisse dicitur a Simeone seu Turgoto in historia Dunelmensi. Id ubi Leo papa per transmarinos Saxones accepit, statim Addulfum diaconum Britto-Saxonem eo misit, ad compescendos, si fieri posset, domesticos illos tumultus, maxime auctoritate Caroli augusti, cui Addulfum commendavit. Susceptus honorifice nuntius a Carolo, & dispositis navigiis in Britanniam dimissus. At cum inde, prætermisso Carolo, Romam cum legato Eanbaldi archiepiscopi Eboracensis reversus esset; ea res Carolum offendit, quem litteris pontifex lenire conatus est. Regressus denuo in Britanniam pontificis nuntius, id demum apud seditionis auctores, agente Carolo, obtinuit, ut Eardulfum sanum & incolumem in Franciam trajicere finerent. Noviomagi ad Rhenum a Carolo perquam honorifice acceptus, Romam iter prosecutus est, ut Leoni papæ libertatem acceptam referret. Verum restitutionem in regnum ab uno Carolo sperare poterat: nec spes eum fefellit. nam Roma reversum Carolus per duos abbates e nostris, Rotfridum Elnonensem, qui & ipse imperatoris notarius erat; & Nantharium de sancto Otmaro, sive Sithiensem, eum in patriam reduci, & in thronum restitui curavit.

LXIV. Kenulfus an ejus rei conscius.

Ex litteris Leonis papæ suspectus hoc in negotio fuisse videtur Kenulfus rex Merciorum, qui hac de re ad Carolum scripserat, uti etiam Eanbaldus archiepiscopus Eboracensis, quorum inter se se *dolositatem* pontifex arguit in litteris [a] ad Carolum augustum. Certe initio hujus sæculi Eardulfus Kenulfo bellum indixerat, teste Simeone [b] Dunelmensi, propterea quod inimicos ipsius in regno suo acceptisset. Verum consilio episcoporum ac principum pax inter utrumque reformata, deinceps firma & inconcussa perstitit. De Kenulfo id memoriæ proditum a Willelmo [c] Malmesburiensi, eum nihil umquam admisisse, quod livor digne carperet; magnum denique virum exstitisse, qui virtutibus famam prætergressus sit, domi religiosus, in bello victoriosus: cujus insigne illud moderati animi exemplum ab eodem affertur, quod regem Cantuariorum Edbrithum, quem nuper jure belli captivum fecerat, gratuita libertate donaverit. Id factum ipsa die dedicationis ecclesiæ Winchelcumbensis monasterii, quod incredibili munificentia in agro Wigorniensi exstruxerat. Nec minori pompa facta dedicatio est a tredecim episcopis, quorum princeps erat Wlfredus archiepiscopus Cantuariensis. In illa itaque dedicationis pompa, in decem ducum conventu, hunc regem in libertatem asseruit. Ibidem, præter illa xenia, quæ magnatibus distribuit, pretio & numero inæstimabilia; omnibus, qui agros non habebant, libram argenti, presbyteris marcam auri, monachis solidum unum, toti denique populo plura erogavit. Eumdem porro locum idem rex postmodum sepultura sua honoravit.

[a] *Leo epist. 7.*

[b] *Simeon. pag. 117.*

[c] *Willelm. de regib. lib. 1. c. 4.*

Winchelcumbensis monasterii auctor.

LXV. Elefans abbas Ghislenianus.

Per id tempus Carolus Cellam-sancti-Gisleni, seu, ut alii scribunt, Ghisleni in Hannonia, cuidam propinquo suo, nomine Elefanti, qui *multarum abbatiarum rector*, & *regularis normæ servantissimus* fuisse dicitur, regendam servandamque commisit. Ejus studium, ut par erat, incœpit a domo Dei, id est ab oratorio sancti Gisleni, quod nobiliori fabrica renovare constituit, & per Hildegarium Cameracensem episcopum dedicari curavit. quod non ante præstitit episcopus, quam ablatis de more ex veteri oratorio mortuorum corporibus, etiam ipsius sancti Gisleni corpus removeretur, jussu abbatis extra absidam humo ad tempus opertum. Hæc dedicatio facta est VIII. kalendas Augusti, imperante Ludovico. Ea facta, cum Elefans ab episcopo petiisset, quid de sancti Gisleni corpore fieri deberet, episcopus respondisse fertur, quiesceret illic sanctus, dum ejus merita Deus hominibus manifestius declararet. Illic itaque quievit toto tempore Nortmannorum, quousque locus rediit in pristinam solitudinem & vastitatem. Idem Elefans cellam sancti Gisleni in villa pagi Suessionici, Alamannis dicta, erexisse ac dotasse memoratur: qua de villa cum orta esset contentio inter Gislebertum famulum sanctorum Crispini & Crispiniani & clientes Gislenianos, causa tandem Gislenianis miraculo cessisse dicitur.

LXVI. Abbates Glonnenses.

Quod Elefans in Cellensi monasterio, idem Albaldus abbas præstitisse traditur in Glonnensi ad Ligerim in pago Pictavensi, diœcesis Andecavensis. Ejus loci ab-

ANN. CHR. 808.

bas fuit sanctus Mauronrus, cujus animam in cælos subeuntem suspexit sanctus Hermenlandus abbas Antrensis principatu Childeberti tertii. Quinam ejus loci post Mauronrum rectores fuerint, incompertum. Albaldus vero disciplinam regularem ibidem hoc anno restituisse dicitur, ejusque tempore Carolus Magnus sancti Florentii basilicam marmoreis columnis decorasse, locumque prædiis innumeris ac pluribus donariis nobilitasse fertur, concesso toto pago Medalgico *, quem postea Ludovicus ejus filius Arnulfo abbati confirmavit. In brevi chronico Glonnensi hæc leguntur ad hunc annum : *Hic renovatur monasterii ordo*, id est disciplina regularis : *fratres promittunt regulam Albaldo viro sancto*. Non diu superstes fuit Albaldus, cujus successor Arnulfus ansno sequenti locandus videtur ex eodem chronico : ubi Arnulfus post annos regiminis sexdecim dicitur obiisse anno ejus sæculi vicesimoquinto. Forte idem erat Arnulfus abbas Herensis monasterii, certe cognominis.

* *de Mauge.*

LXVII. Prumienses abbates

Apud Trevirenses Asuerus abbas Prumiensem abbatiam post annos regiminis quadraginta-quinque cum cella sancti Goaris Tancrado reliquit. Hujus tempore Tancradi varia per sanctum Goarem patrata miracula refert Wandalbertus, ab Herirado monacho, aliisque accepta : ex quibus unum sat erit commemorare. Exstabat tunc temporis apud Coloniam-Agrippinam monasterium sancti Gereonis, nunc intramuranum, & in collegiatam conversum ecclesiam. Ejus loci abbas Maximinus forte ex provincia Vangionum tempore vindemiarum cum onusta vino navi & paucis comitibus secundo Rheno descendebat. Appropinquantem ad cellam sancti Goaris monent socii, uti, appulsa in contineotem navi, oratum ad sanctum Goarem declinet. Ille morarum impatiens, id in aliud tempus differendum reponit. Verum mora hæc non impune illi cessit. quippe ubi in conspectum cellæ beati Goaris navis acta pervenit, repente ex maxima sui parte demersa, præsentis jacturæ & periculi metum cunctis incussit. Vociferari omnes, & opem cum lacrymis implorare ; culpam abbas confiteri, & Goaris meritum exorare. Adfuit statim periclitantibus Tancradus, qui, ex loco superiori discrimine prospecto, suos e vestigio in auxilium misit. Sic ægre vasis receptis & opibus, incolumis ad litus abbas progreditur ; egressus navim oratum festinat, voto facto, se nunquam illac, insalutato sancto confessore, deinceps transiturum. qui mos sic ad posteros manavit, ut cunctis, etiam hæreticis, religio sit locum illum prætervehere, nisi, injecto in collum vinculo, se se sancto Goari mancipaverint, ut Egidius Gelenius observat. Tancrado abbati successit Marcwardus, laudandus suo loco.

Maximinus abbas S. Gereonis.

LXVIII. Tollense monasterium.

In privilegio Caroli Magni, hoc anno ecclesiæ Placentinæ concesso, mentio fit de monasterio Tollæ, quod in diœcesi Mediolanensi positum, protectioni Placentini episcopi a Ratchiso rege Langobardorum commissum fuit. Hinc diœcesis Placentinæ a multis creditum, certe in confinio utriusque diœcesis erat. Tollanum, immo & Tolletanum dictum est a monte Tolla, dicatum nomini sancti Salvatoris : sed ejus auctor ignoratur. Ejus loci Grimpaldus abbas quarumdam rerum & ecclesiarum restitutionem a Walperto archipræsule Mediolanensi obtinuit post medium sæculum decimum. Ejusdem monasterii Albizzonem abbatem instituit sæculo undecimo Heribertus archiepiscopus, quod ipsum e captivitate liberandum captivus ipse factus suscepisset.

ANN. CHR. 809.

LXIX. Liudgerus episcopus obit.

Agebatur annus octingentesimus-nonus, cum sanctus Liudgerus episcopus Mimigardefordensis terrenis cælestia commutavit, mortuus VII. kalendas Aprilis, ipsa nocte, quæ dominicam passionis, diemque Martii vicesimam-quintam subsequebatur. In morbo extremo consuetis pietatis nihilo minus officiis animum applicavit, psalmis recitandis, lectionibus audiendis, aliisque spiritalibus rebus insistendo, ne a divinarum rerum contemplatione animus tepesceret. Per id tempus singulis pæne diebus *missarum sacramenta* infatigatus celebravit. Ipsa die dominica, quæ mortem ejus præcessit, in duabus suis ecclesiis verba fecit ad populum, mane scilicet Coasfeldæ, dum a presbytero missa celebraretur ; & circa horam tertiam Billerbekæ, ubi missarum sollemnia ultima celebravit, & subsequenti nocte animam Deo reddidit. Duo illa loca duarum horarum intervallo ab invicem distant, ex quibus Coasfeldam sua residentia cohonestant recentiores episcopi Monasterienses, qui Mimigardefordensibus successerunt. Sacrum illius corpus, ægre ferentibus suis, agente apud Carolum Hildegrimo episcopo Catalaunensi ipsius germano, in suum

suum Werthinense monasterium delatum, ibidem extra basilicam Salvatoris, ut ipse præceperat, ad partem orientalem sepulturæ mandatum est, tricesimo-secundo ab ipsius obitu die, VII. kalendas Maii. Ipsa obitus ejus hora Gerfridus, *nepos sancti viri*, futurusque successor, dum audito ejus morbo ad ipsum properaret, ex conspicua luce animam ejus cælos petiisse intellexit. Eadem lux Carolo Magno Aquisgrani demoranti affulsisse dicitur, qui prædium Selam, inter Scaldim & Dormiram * fluvios in Belgio positum, Werthinæ ad sepulturam ejus honorandam concessit. Heriburgam sororem habuit vir sanctus, forte Gerfridi matrem, cui proximam Nortmannorum infestationem prænuntiavit. Primus ejus gesta duobus libris in litteras retulit Altfridus, ipsius Liudgeri post Gerfridum successor: cujus scriptionem duobus itidem libris anonymus monachus Werthinensis, non ita accuratus, retractavit; totidemque alter anonymus Surianus: quibus adde litanias seu rythmos Werthinenses. Fallitur anonymus Werthinensis, cum Alcuinum, qui ante annos quatuor decesserat, una cum Carolo imperatore cælestem illam lucem conspexisse ait. Idem auctor id de Liudgero commemorat, quod, cum veluti ecclesiastici patrimonii dilapidator accusatus, sui purgandi causa profectus ad palatium, bora divini officii recitandis precibus incumberet, vocatusque ad principis audientiam usque tertio, accedere distulisset, causam moræ sciscitanti responderit: Quia Deum « & tibi, ô rex, & cunctis hominibus præponendum arbitrabar. hoc enim tu ipse « mihi præcepisti, dum cura episcopalis mihi abs te commissa est. quod responsum « imperatori summopere placuit, eumque contra malevolorum obtrectationes placatum reddidit.

ANN. CHR. 809.

* *la Durme.*

Altfridus & anonymus varia commemorant miracula, a sancto Liudgero patrata post ejus obitum. In his Hildrado Werthinæ monacho, postmodum diacono in ecclesia Mimigardefordensi, *dum adhuc in monasterio viri Dei scholasticus esset*, tibiæ contractione laboranti, postquam pater ejus Sigebertus, tunc monachus, medicorum operam incassum adhibuisset, sanctus Liudgerus in veste sacerdotali, *cidarim in capite gestans*, apparuisse dicitur, ac tibiam direxisse. Item Amalbergæ, cujusdam Alfrici honesti viri filiæ, quæ oculorum usu orbata erat, lux reddita, voto ab ea facto, se deinceps Deo servituram, & sacrum illic velamen accepturam. Verum, dum moras necteret, in capitis dolorem incidit: sed mox iterum sancti confessoris meritis sanata, demum velo sumto votum implere curavit, atque in cœnobio sanctimonialium, Afenidi * appellato, religiosam vitam duxit. Ad hæc juvenis quidam, nomine Adam, qui fratrem suum Hauricum per rixam interfecerat, atque ob hanc noxam, judicante Jona episcopo, forte Aurelianensi, flagellatus, & annua carceris reclusione maceratus, demum brachiis & medio corpore ferro circumdatis, indicto etiam rigidissimo jejunio, excalceatus, & sine lineo indumento in exsilium missus fuerat. Is quarto exsilii sui anno Nivialla ante sepulcrum sanctæ Gertrudis ferreo circulo in sinistro brachio solutus; dein post anni spatium, Romæ in crypta sancti Petri ferro, quo præcinctus erat, expeditus; demum ad sepulcrum sancti Liudgeri alterius brachii libertate & valetudinis affectæ restitutione donatus est. Arguit hoc in loco Carolus * Cointius quosdam hypercriticos, qui Liudgerum ex Benedictinorum albo expunctum volunt, propterea quod regulæ sancti Benedicti sollemnem professionem non fecerit; refellitque ex eo, quod is ex Anglia rediit *in monasticis eruditionibus illustrior*: quod Casini per biennium *in sancta conversatione vixerit*, cucullum per id tempus gestans: quod duo nostrorum monasteria construxerit, Werthinense & Helmenstadiense, & utrumque rexerit, quoad vixit, atque in Werthinensi suæ locum elegit sepulturæ. ex quibus liceat cum Cointio inferre: Quis Liudgerum, his attente ponderatis, sodalitio Benedictino non adscribat? Quantum urbs Grouinga quotannis Werthinensibus pendere deberet, patet ex scriptura vicesima-quinta, quæ in appendice tertii voluminis Yepesiani relata est.

* *f. Essen, prope Westhinam.*

a *Le Cointe an. 809. n. 31.*

LXX. Saviniacense monasterium, & primi ejus abbates.

Saviniacense monasterium sancti Martini, in agro Lugdunensi ad Brevillam fluviolum situm, Caroli Magni tempore exstitisse constat: sed quis ejus monasterii conditor fuerit, non constat. Id jam ignoratum erat ineunte sæculo duodecimo, cum Pontius abbas veterum diplomatum reliquias in unum corpus colligi, & abbatum nomina seriemque describi, quidve sub unoquoque abbate gestum fuisset, adnotari per unum e suis curavit. Librum chartarum appellat auctor, qui in prologo scribit, *Sapiniacense*, sic ille vocat, cœnobium jam dudum *ab antiquis patribus instru-*

ANN. CHR. 809.

ctum claruisse, donec Hunnorum bestiali feritate, occulto Dei judicio, eversum, & in solitudinem redactum fuit, monachis, qui locum incolebant, effugatis, aut occisis. Idem auctor ait, revolutis antiquis ejus monasterii chartis & monumentis, se abbates dumtaxat novem ante Hunnorum tempestatem; ab eo vero tempore usque ad Pontium, tredecim invenisse. Absque hoc auctore, tametsi parum accurato, nihil fere de insigni illo monasterio resciremus. Eumdem laborem prosecutus est ad suum tempus, id est ad finem sæculi quinti-decimi, Benedictus Maillardi decretorum doctor, ejusque monasterii prior-major: ex quibus ea, quæ de Saviniacensi monasterio deinceps dicturi sumus, & ex aliis monumentis aliunde comparatis, mutuabimur. Qui ante Hunnorum seu Hungarorum tempora locum illum rexerunt abbates, hoc ordine ab anonymo recensentur. Adalbertus, Anasteus, Sigefridus, Arnulfus, Ingelardus, Asterius, Justus, David, Christophorus, Adalbertus secundus, Benedictus. Adalbertus primus loci rector fuit principatu Caroli Magni. Ejus tempore præstariam fecerunt Wandalbertus quidam & ipsius uxor Hundrada, de quibusdam prædiis, apud Noliacum & Biboscum sitis. ubi *præstariam* sic explicat anonymus, quod eo tempore moris erat, ut fideles, qui bona sua ecclesiis conferebant, eadem postea sub certo censu, aut alia, ad vitam ab eisdem ecclesiis recipiebant: quæ traditiones *præstariæ*, alias *precariæ* vocabantur. Hujus præstariæ tantum principium refert anonymus: *Dominis fratribus Wandalberto & uxori sua Hundradanæ petitoribus, ego in Dei nomine Adalbertus humilis abbas, & cuncta congregatio sancti Martini Saviniacensis monasterii. Dum non habetur incognitum* &c. quæ formula est veterum præstariarum seu precariarum, quarum acceptio tam donatoribus, quam accipientibus communis erat. sic ab anonymo vocatur *præstaria Wandalberti*, quæ monachorum etiam *præstaria* dici poterat. Adalbertus per quindecim annos abbas fuisse dicitur: cujus obitus in necrologio notatur pridie kalendas Octobris. Ejus successor Anasteus præstariam itidem fecit quibusdam nobilibus, Constantio & Alavergæ ejus conjugi, aliisque, de quibusdam rebus apud Grisiniacum sitis in territorio ipso Saviniacensi, anno sexto post obitum Caroli Magni. Anasteus locum rexisse fertur octo annos, obiitque XI. kalendas Maii. Nihil certi de serie & successione abbatum ex Pontii chronico elici potest. nam Asterius annis sexto & decimo-octavo Ludovici imperatoris in domesticis tabulis ponitur; & tamen Anasteus videtur abbas fuisse anno sexto; quin etiam Justus notatur anno undecimo Ludovici imperatoris, eodemque anno Asterius. adeo perturbata sunt omnia. Ut paucis finiam, Sigefridus tertio loco numeratur, quem non ante sæculi decimi initium Saviniaco præfuisse suo loco demonstrabimus. Ex quo intelligitur, seriem abbatum ante Hungarorum cladem valde confusam esse. Saviniacum numeratur inter ea monasteria, quæ solas preces regi debebant. Hoc monasterium Lotharius augustus, petente Remigio archiepiscopo, tribuit ecclesiæ Lugdunensi, tametsi abbatum regimen ibidem perseveravit sub providentia præsulis Lugdunensis. Hinc epistolam scripsit Gebuinus ejus ecclesiæ antistes ad Radulfum Turonensem, a quo monachum ex Majori-monasterio petit ad regendum Saviniacum, quod his verbis commendat. *Est enim nobis abbatia quædam, Sabiniacus nomine, locus ab antiquo nobilissimus, antiquam, Deo gratias, adhuc servans nobilitatem, qui suo jam diu est orbatus pastore.* Cetera suo loco prosequemur.

LXXI. S. Amandi secunda elevatio.

In Elnonensi apud Belgas monasterio facta est hoc anno altera elevatio corporis sancti Amandi, post primam scilicet, quæ anno ab ejus obitu sexto-decimo per episcopum Tornacensem facta fuerat in novam sancti Stephani basilicam ex oratorio sancti Petri, ubi primitus sepultum fuerat. Jacuit in crypta subterranea sancti Stephani basilicæ ad hunc annum. verum cum exundans proximus Scarpi amnis alveus cryptam ac tumulum sancti confessoris violaret; non tulit hanc injuriam Arnonus, ex Elnonensi abbate Saltzburgensis antistes, qui ejus loci providentiam quamdam retinebat; sed per Lotharium æditum cryptam altius erigi, quatuor arcubus suppositis, atque in honorem sancti Michaëlis dedicari curavit, ubi sancti Amandi tumulus deinceps ab aquarum illuvie immunis & intactus esset. Rem versibus exposuit anonymus poëta, cujus carmen editum [a] apud Alcuinum est.

[a] Alcuin. epigr. 54.

Dum sacra præsentis pervadit limina templi,
Sæpius accrescens cumulatur gurgite flumen,

ANN. CHR. 809.

Non tulit Arnouus fœdari templa sacerdos.
Jusserat in melius renovari hæc omnia præsul,
Latior ut fieret crypta & sublimior ista,
Supponens tectis firmatos ter quater arcus,
Mysticus ut totam firmaret calculus aulam.
Parvula præcelso consecrans tecta ministro
Michaëli, cæli Christi qui adsistit in arce,
Atque preces offert sanctorum regi polorum.
HLotharius custos fecit, mandante magistro.
Semper in æternum Christus conservet utrosque.
Qui legit hos versus, dicat, rogo, pectore puro:
Alcuino veniam scelerum da, Christe, precamur.

Ex his versibus olim mihi persuasum fuerat, Alcuinum superstitem fuisse ad tempus hujus elevationis, quam anno octingentesimo-nono factam fuisse Milo monachus & annales Elnonenses fidem faciunt. Verum, expensis postea contrariis momentis, sententiam mutare visum est in fine ejusdem voluminis, in quo priorem opinionem exposueram, quam si advertere voluissent Bollandi continuatores, operam non lusissent in hac opinione refutanda. Ad rem quod attinet, unum e duobus asserendum videtur, aut Milonem falsum fuisse in assignando anno posterioris hujusce elevationis; aut cryptam illam quinquennio ante auctam & altius erectam fuisse, quam corpus sancti Amandi in eam inferretur: ut Alcuinus ante suum obitum, qui anno octingentesimo-quarto accidit, de novæ hujus cryptæ fabrica carmen prædictum condere potuerit. Nisi dixeris, quod quidem probabilius videtur, hos versus non esse Alcuini, sed alterius poëtæ ejus discipuli, qui ejusdem animæ bene precatus sit amore Arnonis episcopi, quem ipsius Alcuini fratrem fuisse alias ostendimus. Certe quin de sancto Amando præmissi versus interpretandi sint, etsi res palam loquitur, dubitare nos haud sinit aliud epigramma apud eumdem[a] Alcuinum. [a] Ibid. epigr. 64.

Antistes humili Domini devotus honore
Arnonus, sancti tumbam renovavit Amandi,
Non parcens opibus miseris. nam quidquid habebat,
Sparserat, ut Christi comsit sacra templa sacerdos.
Pro quo quisque legas versus, orare memento.

Parcimus fusiori narrationi, quam Milo monachus a patribus, qui rei gestæ interfuere, se accepisse testatur. Eumdem factæ elevationis annum præferunt breves ejus loci annales, ad librum de vita sancti Amandi adjecti in codice Elnonensi, qui in annum DCCCC XI. desinunt, in quibus Lotharius monachus, ejus elevationis auctor, anno DCCC XXVIII. obiisse dicitur. Ad hæc prædictus Arno jacentem sancti Petri basilicam, quæ fratrum conditorium erat, de novo erexit, & in meliorem formam restituit sub patrocinio sanctorum apostolorum Petri & Pauli ac beati Amandi, &

Ut sanctum voluit polyandrum fratribus esset,

ut Alcuinus in alio epigrammate[b] loquitur. In ea basilica sepulti sunt regii pueri, Pippinus & Drogo, filii Caroli Calvi, quorum suo loco mentio recurret. Quinam abbates post electionem Arnonis episcopi Elnonense monasterium rexerint, colligimus ex chronico Elnonensi, ubi, Arnone consecrato episcopo, Adalricus abbas suffectus dicitur. Hunc excepit Rotfridus, quem ipsum esse puto Rotfridum abbatem, qui ineunte hoc anno una cum Nanthario abbate Sithiensi Eardulfum regem Northanimbrorum jussu Caroli in patriam reduxit, & in proprium thronum restituit. Huic successit Adalleodus, cujus tempore Elnonem, ad ordinem sancti Benedicti confirmandum, Aldricus abbas Ferrariensis ab Ludovico augusto missus est anno ejus imperii octavo. unde corrigas chronicos characteres horum abbatum in prædicto chronico Elnonensi. [b] Id. epigr. 118. Elnonenses abbates.

Sub finem hujus anni celebris ad Leonem papam legatio decreta a Carolo est. LXXII.
Legati fuere Bernharius, ex abbate Weissenburgensi Wormatiensis episcopus, & Adalhardus abbas Corbeiensis, quibus socium Jesse Ambianensem episcopum addunt Legatio ad Leonem papam.

ANN. CHR. 809.

plerique, reclamante Cointio, cujus rationes expendere nostri non est instituti. Sane duorum tantum meminit Leo papa in epistola ad Riculfum episcopum Moguntinum, qui per Bernharium & Adalhardum missus Caroli serenissimi imperatoris pontifici munuscula quædam submiserat. Hojusce legationis causa nata est ex disceptatione de processione Spiritus-sancti, quam Johannes quidam monachus Jerosolymitanus, ex oriente ad Carolum missus, hoc tempore excitavit, audito additamento *Filioque*, quod decantando symbolo Canstantinopolitano Aquisgrani in capella regia prolatum audierat. Arguit ille hoc additamentum, indeque arrepta occasione ad rem ipsam venit. Prolata hinc inde cum a Gallis, tum ab ipso Johanne, ut fit, argumenta pro diversa utriusque partis sententia. Id factum Aquisgrani mense Novembri. Dogma singulari libello probavit Theodulfus episcopus Aurelianensis, cui Carolus hanc provinciam demandaverat. Epistolam ea de re etiam scripsit Smaragdus, abbas sancti Michaëlis in pago Virdunensi, qui legatos Romam comitatus videtur. siquidem is ipse est, qui collationem, coram pontifice hoc de argumento habitam, litteris mandavit. Lecta Smaragdi epistola, in qua scripturæ, patrumque testimonia pro catholico dogmate afferebantur, pontifex se „ ita sentire, ita tenere dixit, & contraria sentientem abjicere. verum non probare, „ quod particula *Filioque* symbolo inserta esset; neque sane id licuisse. Se quidem fa„ cultatem cantandi symbolum, non autem quippiam addendi, aut minuendi, mu„ tandive concessisse, quamquam in Romana ecclesia non cantetur hoc symbolum, „ sed tantum recitando legatur. Denique doctrinam de processione Spiritus-sancti, „ sive cantando, sive tradendo, docendam & exponendam: at tollendum addita„ mentum. quod ne in præjudicium sanæ doctrinæ fieret, sic posse dispensari, ut paul„ latim in palatio, exemplo Romanæ ecclesiæ, cantandi consuetudo symboli inter„ mittatur: sicque ab aliis etiam ecclesiis dimittatur. Hic finis collationis, quæ valuit quidem ad dogma confirmandum, non ad particulam rescindendam, quæ semel admissa citra scandalum removeri non potuit, immo ad alias ecclesias, etiam Romanam, sensim propagata est. In illa quæstione nulla apud Latinos de re ipsa controversia erat, quandoquidem Gregorius Magnus, aliique Latini patres, processionem Spiritus-sancti *ex Patre Filioque* jam dudum asseruerant, uti & Toletanum concilium octavum, & Romani pontifices in professione fidei, quam statim a sua electione ad alias ecclesias mittere consueverant, ut ex libro Diurno manifestum est: sed tota quæstio huc vertebatur, an recte particula hæc symbolo concilii generalis inserta fuisset; &, si non recte, an expungenda. quod Leoni papæ consultius videbatur. nam, ut Græci loquuntur in concilio Florentino, *Etsi pium est quod fuit additum: qui tamen hoc patrare ausus fuerit citra cognitionem synodicam, culpa nequaquam vacavit.* Egit tamen pro virili Leo pontifex, ut hæc additio non prævaleret, atque, ut sinceræ antiquitatis verum cultorem decebat, duas tabulas argenteas, teste Anastasio, ad confessionem sancti Petri affigendas curavit: quarum in altera symbolum græce, in altera latine, utrobique sine additamento, scriptum legeretur. Nihilo minus tamen usus Gallicanus in alias ecclesias adeo pervasit, ut Photius medio sæculo nonn litem hac de re toti Latinæ ecclesiæ intentaverit. Hæc continue retulimus, tametsi collatio Romæ nonnisi anno insequente habita est.

LXXIII. Adalhardus de nova Corbeia cogitat.

Antequam Corbeia hujus legationis causa discederet Adalhardus, unum e suis Theodradum Saxonem misit in Saxoniam ad locum inquirendum, ubi monasterium, sicuti optabat Carolus, opportune construi posset. Ille vero scire se locum ait in paterna possessione, irriguo fonte ex utraque parte cinctum, qui sibi aptissimus ad id operis videretur. Nec mora is mittitur ad locum diligentius explorandum, simul ad requirendam parentum voluntatem; ui consilio adeo illi non restiterunt, ut etiam assensum ultro dederint, cupientes ut id quantocius fieret. Verum post hanc legationem detentus in Italia Adalhardus, ut regnum Langobardorum, mortuo Pippino rege, sub minorenni ejus filio Bernardo administraret, non potuit tam cito perficere quod optaverat, ejusque propositum ad sex annos dilatum est. Hujus secundi in regenda Italia muneris, non Paschasius, sed unus meminit auctor anonymus in libello de constructione novæ Corbeiæ, quæ res difficultate non caret: propterea quod in Italiam hujusce officii causa post biennium missus est Wala ejus frater, teste Eginhardo. Anonymo tamen duo hæc favent, & quod fœderi cum Hemmingo Danorum rege a Carolo inito non subscripsit, neque ipsius Caroli testa-

Italiæ iterum admini-stter.

mento Adalhardus, nimirum quod absens esset : & quod Spoleti placitum per id tempus habuit in causa Benedicti abbatis Farfensis, de quo infra.

ANN CHR. 809.

Dum in illis partibus moraretur Adalhardus, Populonium Tusciæ civitatem Græci, qui Orobiutæ vocantur, diripuerunt; & Mauri ex Hispania in Corsicam ingressi, pridie paschatis Aleriam opidum occuparunt, &, præter episcopos, & paucos ætate ac morbo confectos, nihil in ea reliquerunt. Tunc id contigisse credimus, quod scribit Andreas tunc temporis abbas in libello de vita sancti Walfridi abbatis Palatioli in Tuscia monasterii, ut, cum ejus loci fratres, sororesque ex altero monasterio, alio migrare vellent; uni eorum revelatum sit, confugerent cum litaniis ad tumulum viri Dei, ut ab imminenti incursione eos tutaretur. quod ubi ter fecissent, emissis e cælo tonitruis tanta Maurorum strages facta dicitur, ut ex sexcentis septuaginta, qui ad portum Populonium venerant, monasterium direpturi, a Tuscis non amplius quadragenis cæsi sint Mauri non minus quadringenti octoginta, reliquis fugatis, ex quibus etiam plurimi cum navibus perierint.

Palatiolum monasterium contra Mauros servatum.

LXXIV. Corbeiæ studia sub Paschasio.

Interim in Corbeiensi monasterio florebant studia litterarum, Paschasio Radberto præceptore. Præcipuum ejus studium erat in scripturæ sacræ, sanctorumque patrum lectione ac meditatione. Hinc est, quod diebus sollemnibus evangelium coram sodalibus suis edisserebat nondum abbas. quæ occasio fuit scribendi commentarios in Matthæum. sic enim ille in prologo ad Guntlandum monachum Ceotulensem, cui hos commentarios nuncupavit. *Dum sacræ professionis obedientia coram fratribus evangelium, uti consuetudinis est, diebus sollemnibus, licet inelimato loquendi genere, exhortandi magis gratia tractarem; cœperunt nonnulli eorum religione ferventes instanti devotione frequenter exposcere, nec, si possem, intendentes, beati Matthæi evangelistæ textum narrationis per ordinem explicarem.* In his vero studiis ac lucubrationibus nullum prætermittebat vitæ monasticæ officium; sed *furtivis horis*, ut ibidem ait, *quia sub hac disciplina aliter non vacat, scribendi diligentiam persolvebat.* quippe videbatur illi nulla in-præsentiarum *actio beatior aut verior, quam angelicis interesse officiis, & divinis admisceri colloquiis, & adspectibus præsentari.* quæ ejus verba sunt initio expositionis psalmi quadragesimi-quarti. In his occupationibus id in primis spectabat, ut otiositatem fugeret. *Inter alta silentia cordis*, ait ille in prologo libri undecimi super Matthæum, *& negotiosissima monastica disciplinæ otia, nos qui divinis adstringimur votis, ne sine fructu æternæ contemplationis otiosi inveniamur, optabile satis nobis esse illud Catonis exemplum, maxime mihi seni, si forte umquam ac vere possim dicere, quod ipse jam senex de eo scripsit & ait, quod solitus esset dicere, numquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus; nec minus solum, quam cum solus esset. quæ nimirum vox magnifica est, fratres mei, & viro magno & sapienti digna: sed nulli magis quam nobis monachis decens & pernecessaria. quæ declarat, talem tantamque virum, & in otio de negotiis bonæ vitæ cogitasse, & in solitudine secum loqui utilia solitum fuisse; neque cessasse umquam de bonis necessariisque rebus cogitare. Quanto magis nos, carissimi, oportet numquam cessare in otio, ne divina cogitemus, qui cælestibus mancipamur disciplinis; numquam nos solos esse in solitudine, qui semper & ubique coram Deo versamur, in quo vivimus, movemur & sumus; coramque omni frequentia supernorum civium: ne forte derideant hostes nostri sabbata nostra, si aliqua hora non solum inutiles simus nobis, verum etiam (quod sæpe contigisse dolendum est) perniciosi inveniamur & aliis.* Hinc alibi dicit, concessum monachis otium & solitudinis opportunitatem, *non ut ignaviter torpeamus, sed ut meditemur in mandatis Dei, in laudibus & contemplatione divina, in scripturis sacris, in lege & prophetis, in evangelio & doctrina apostolorum, in traditionibus sanctorum patrum: si quo modo quæ novimus, Christo exhibeamus.* Has artes, hæc pia exercitia vir sanctus discipulis suis, quos Corbeiæ frequentes habebat, inculcare solitus erat. Inter hos insigniores exstitere Adalhardus junior, senioris discipulus ac vicarius in regimine monasterii; sanctus Anscharius, nationum septemtrionalium apostolus; Hildemannus & Odo, unus post alterum Bellovacenses episcopi, intermedio Hermenfrido; Warinus, Corbeiæ novæ futurus abbas, aliique complures. Tantus cum esset vir piissimus apud omnes, semper tamen de se modeste ita sensit, ut levitico gradu contentus, numquam ad subeundum sacerdotii gradum adduci potuerit. Unde familiaris illi hæc subscriptio in libris & epistolis suis: *Paschasius Radbertus levita, monachorum omnium peripsema.* quam modestiam amplius factis declaravit, quam verbis.

ANN. CHR. 810.
LXXV.
Pippini regis Italiæ mors & sepultura.

Annus insequens morte Pippini regis Italiæ filii Caroli, ejusdemque filiæ Rotrudis, forte etiam Gislæ abbatissæ Calensis, ipsiusmet Caroli sororis, infestus fuit; ex quibus Pippinus & Rotrudis eodem die, nempe octavo idus Junii, decesserunt. Pippinus Mediolani extremum diem clausit, anno ætatis suæ tricesimo-tertio; vir, si diutius vita suppeditasset, virtutis magnitudine, ait Sigonius, paternam, avitamque gloriam facile adæquaturus. Cadaver ejus Veronam delatum, in suburbano sancti Zenonis monasterio, quod ipse ante triennium una cum Rotaldo episcopo instauraverat, opimisque possessionibus dotaverat, sepulturæ mandatum est. Ejus sepulcrum, aut potius cenotaphium in humili crypta cœmeterii, in quam tredecim gradibus descenditur, hodie quoque Zenonenses nostri ostendunt. Ejus urbis habitatione is admodum delectabatur, ut testatur rythmica ejus descriptio a nobis edita in tomo primo Analectorum, Pippino vivente facta, in qua hæc leguntur: *Magnus habitat in te rex Pippinus piissimus, non oblitus pietatem, aut rectum judicium.* Monasterii sancti Zenonis primus conditor, uti & conditionis tempus ignoratur. Sanctus Zeno, ejus basilicæ patronus, octavus fuit episcopus ecclesiæ Veronensis: cujus primos episcopos sic enumerat rythmica illa descriptio, ex qua corrigendus index apud Ughellum. *Primus Verona prædicavit Euprepus episcopus: secundus Dimidrianus: tertius Simplicius: quartus Proculus confessor, pastor & egregius. Quintus fuit Saturninus; & sextus Lucilius: septimus fuit Gricinus, doctor & episcopus: octavus pastor & confessor Zeno, martyr inclytus: qui Veronam prædicando reduxit ad baptismum; a malo spiritu sanavit Galli filiam &c.* Hujus sanctissimi viri post obitum cadaver primum in loco, ubi vivens ipse oratorium construxerat, ad ripam Athesis extra urbem humatum fuit: quod oratorium aquarum subita inundatione circumsæptum, vallatumque ad summas usque fenestras, magno portento, quod Gregorius in Dialogis commemorat, iis apertis, nihil intra se aquarum admisisse dicitur. Locus sensim in monasterium accrevit, dein *ab infidelibus hominibus* exustum, rebusque omnibus ita destitutum, ut nulli ibidem reliqui essent monachi ad divinas laudes persolvendas, quas missi ab episcopo sacerdotes utcumque supplebant. Tantæ desolationis infortunium miseratus Pippinus, una cum Rotaldo præsule monasterium ex integro reparavit, & in novam basilicam transtulit reliquias sancti Zenonis, quæ sub principe altari in crypta subterranea, loculo marmoreo inclusæ asservantur. Quæ de hac instauratione retulimus, fidem habent ex diplomate [a] Ludovici augusti, qui omnes ejus monasterii possessiones rogatu Rotaldi episcopi & Austreberti ejus loci abbatis confirmat, in primis *monasteriolum in honore sancti Petri constructum* in Mauratica, aliasque res *ab Anselmo comite* quondam eidem cœnobio collatas, cum facultate eligendi abbatis, eo pacto, ut pro bonore succedentium pontificum Veronensium monachi singulis annis in festivitate sancti Zenonis aut mancusos seu marcas viginti, aut quinquaginta solidos argenti episcopo persolvant. Datum anno tertio imperii, indictione nona. Hoc diploma Cointius ad quindecim annos rejicit. Vidimus aliquando antiquum hoc monasterium, olim Teutonicis, nunc Venetis monachis tributum, in cujus bibliotheca, quam Ambrosius Camaldulensis sacrorum voluminum copia refertam aliquando viderat, nihil prorsus librorum superest. Ad majorem portam ecclesiæ, æreis tabulis munitam, ingens conspicitur labrum porphyreticum, habens in orbem pedes viginti-sex, quod ad sancti Zenonis tempora referunt. Ughellus duas refert inscriptiones, unam de sancti Zenonis basilica, alteram de prædicto porphyretico labro. Priorem tantum huc referre visum est.

S. Zenonis monasterium & abbates.

a Ughell. to. 5. c. 601. & seq.

TEMPLUM QUOD CERNIS VIATOR,
PRISCIS OLIM REGUM LANGOBARDORUM TEMPORIBUS
FUNDATUM;
BELLORUM DEIN INJURIIS
DIRUTUM,
A PIPINO MAGNI CAROLI FILIO ITALIÆ REGE
AUGUSTIUS DENUO A FUNDAMENTIS
EXCITATUM,
HOSTILIBUS SUBINDE FERE PETITUM INCURSIBUS,
D. ZENONI, EXIMIO VERONÆ PATRONO,
RESTAURATUM,
MARMOREIS PARIETIBUS, ÆNEIS PORTIS, ADHUC PERSEVERANS,
INTER URBIS MIRANDA CENSETUR.

ANN. CHR. 810.

Indicem ejus loci abbatum exhibet [a] Ughellus. Primum in illis locum habet Deodatus, non aliunde notus, quam ex vitioſo diplomate Carolomanni. Secundus Auſtrebertus, cujus ad preces Ludovicus prædictum privilegium conceſſit. Sequuntur Leo & Elbonus, cujus tempore Adelardus Veronenſis antiſtes cathedram epiſcopalem in illo monaſterio ſtatuiſſe dicitur. quod etiam de Leudiberto & Bozone legitur.

[a] *Ibid.* c. 593.

LXXVI. *Veronæ alia monaſteria.*

Per id tempus quatuor aut quinque alia Veronæ monaſteria inſtituti noſtri erant. Unum ſancti Firmi, Majoris dicti, olim Ordinis ſancti Benedicti, teſtante [b] Ughello, fratribus Minoribus ab annis amplius quadringentis conceſſum, cujus exordium ob vetuſtatem obſcurum eſſe idem auctor ſcribit. Mihi vero videtur referendum ad Hannonem epiſcopum Veronenſem, qui corpora ſanctorum martyrum Firmi & Ruſtici, ex ea urbe in urbem Iſtriæ Capras ablata, recuperavit *temporibus regum Deſiderii & Adelchis*, ut in jam laudato rythmo legitur, ubi ſancti illi *nunc reverſi* dicuntur, quorum corpora *inſimul* in illa baſilica condidit idem Hanno epiſcopus, eorumque tumulum auro ac marmore vario exornavit. Erat etiam in illa urbe monaſterium ſanctæ Mariæ ad Organum, de quo alias diximus: erant & *tria alia monaſteria regalia*, nempe ſancti Petri in Mauratica, in diplomate Ludovici Pii laudatum; ſancti Stephani in Ferrariis, & ſancti Thomæ puellarum in urbe: quæ omnia memorantur in notitia [c] anni octingenteſimi ſexti-decimi, in qua de reficiendis urbis Veronæ muris, ab Hunnis everſis, agitur. Lis erat inter opidanos ac *partem ſancti Zenonis*, id eſt clericos ſæculares & monachos, quotam portionem ſubſidiorum ad eam refectionem eccleſiaſtici viri conferre deberent. Tertiam partem exigere opidani; quartam tantum eccleſiaſtici, ſicut antiquitus factum fuerat, dare volebant. Tandem habito inter ſe ſe conſilio convenit, ut *Spiritus-ſancti judicio* id reſervaretur. Electi ad hoc juvenes duo clerici vitæ inculpatæ, unus *ex parte publica*, alter *ex parte ſancti Zenonis*, qui in eccleſia ſancti Johannis-Baptiſtæ *ad domum & ad crucem* ſtarent, dum miſſa celebraretur. Cum itaque ambo ab introitu miſſæ, uſque ad mediam tantum paſſionem, quæ ſecundum Matthæum eſt, in pedes conſtitiſſent; tum ille, qui ex parte publica deputatus fuerat, in terram velut exanimis corruit: alter vero uſque ad finem paſſionis immotus ſtetit: ſicque cauſæ victoria parti ejus ceſſit. Id factum pontificatu ejuſdem Rothadi, qui collegiatam eccleſiam ſancti Georgii in eadem urbe conſtruxit, dotavitque, eamque patriarchæ Aquilegienſi proxime [d] ſubjectam eſſe voluit. Ejus deceſſor Egino Augiæ, cujus forte monachus fuerat, baſilicam ſancti Petri exſtruxit, auctore Hermanno, eamque anno undeoctingenteſimo dedicavit; & poſt triennium mortuus, *Augiæ in baſilica cellæ ſuæ* ſepultus eſt. quod Ughellus prætermiſit.

[b] *Ibid.* c. 540.

[c] *Ibid.* c. 610.

[d] *Ibid.* c. 607.

LXXVII. *Rotrudis mors & Giſlæ abbatiſſæ.*

Præter Pippinum regem Italiæ obiit etiam eodem anno ac die Rotrudis ejus ſoror, Caroli filia natu-major, imperatori orientis olim deſponſa, ſed non nupta: quæ ex illicita copula Ludovicum filium reliquit, multorum monaſteriorum futurum abbatem. Erat Carolo *unica ſoror*, nomine Giſla, *a puellaribus annis religioſæ converſationi mancipata*, quam veluti matrem ſingulari colebat pietate: *quæ paucis*, ait Eginhardus, *ante obitum illius annis in eo, quo converſata eſt, monaſterio deceſſit*, id eſt Calenſi, cui abbatiſſa præerat. Illic eam ante ſex annos ægrotantem Carolus ipſe inviſerat. In vulgatis indicibus, poſt Giſlam abbatiſſam quæ corrupte Egidia vocatur, Hegilvidis abbatiſſa ponitur, quæ Judith imperatricis, Ludovici auguſti ſecundæ conjugis, genitrix erat, ut tradit anonymus in libello de tranſlatione ſanctæ Balthildis. at vix crediderim, hanc creatam fuiſſe abbatiſſam, ante ſecundas Ludovici nuptias cum Judith, quæ non ante annum a Caroli morte quintum celebratæ ſunt.

Ada an Caroli M. ſoror.

Carolo tribuitur & altera ſoror, nomine Ada, & ipſa ancilla Chriſti ſeu monacha, de qua hæc leguntur in vetuſtiſſimo memoriarum codice, teſte Browero, apud Treviros in ſancti Maximini monaſterio: *Tertio idus Maii obiit Ada ancilla Chriſti, piæ memoriæ, filia Pipini regis, ſoror magni Caroli imperatoris, quæ multa bona circa & infra Moguntiam & Wormatiam, & in pago Machowe ſancto Maximino contulit, & poſt finem vitæ hic ſepulta quievit.* & in candido marmore ad ejus tumulum: *Ada ancilla Chriſti, ſoror Caroli Magni.* Nec vanum aut inane nomen eſſe probat [e] codex evangeliorum membraneus, aſſervatus in æde ſancti Maximini, evangeliſtarum præſcriptis iconibus, & aurea notarum litura, operimento per-

[e] *Brower. to. 1. annal. Trevir. p. 393.*

ANN. CHR. 80. quam eleganti, quod gemma, variis emblematis, atque parergis nitet, affabre factis, adscriptis eodem tempore versibus in ipso codice:

Quem devota Deo jussit perscribere mater
Ada ancilla Dei, pulcrisque ornare metallis.
Pro qua quisque legis versus, orare memento.

qui quidem versus Adam fuisse matrem & ancillam Christi, id est abbatissam & monacham, probant: at non sororem Caroli Magni, cui unicam sororem tribuit Eginhardus. quamquam id ita explicari potest, ut unica ei soror fuerit superstes. quod aliis dirimendum relinquimus.

LXXVIII. Rotila monasterium. Haud ita veri simile est id, quod subdit Browerus, scilicet fuisse Carolo Magno alteram item sororem, nomine Effeciam, cujus egregium pietatis monumentum, etsi clade propemodum ac vetustate abolitum, ostendit Rotila seu Rutila, nobile quondam Ordinis nostri monasterium, inter Theodonis-villam & Treviros situm, quod tandem Cartusianis cessit anno supra millesimum quadringentesimo tricesimo-primo. Sane hujus monasterii antiquitatem probant annales Mettenses ad annum octingentesimum nonagesimum-secundum, quo anno Megingaudus comes, Odonis regis nepos, traditur dolo interfectus ab Alberico & sociis ejus *in monasterio sancti Sixti, quod vocatur Rotila*: de quo nihil aliud in præsens dicendum occurrit.

LXXIX. Caroli M. privilegium pro Novientensi monasterio. Regebat hoc tempore Novientense seu Ebersheimense in Alsatia monasterium Diebaldus abbas seu Theotbaldus, laudatus in necrologio Augiensi: cujus ad preces Carolus augustus confirmavit privilegium immunitatis, a Pippino parente, aliisque præcedentibus regibus concessum monasterio, *cujus vocabulum est Novientum, situm in pago Alsatiense super fluvium Illa, quod vir inluster Adalricus sive Athicus dux, & conjux ejus Berswinda, in Christi nomine, & in honore sanctorum apostolorum Petri & Pauli, & sanctorum Mauritii sociorumque ejus a novo in suo proprio fundo construxerunt.* tum facta possessionum enumeratione sancit imperator, ut *nullus judex publicus, nulla judiciaria potestas, spiritalis seu sæcularis*, quidquam illic sibi vindicet, præter abbatem Diebaldum ejusque successores, sub pœna quadraginta librarum auri. *Data pridie idus Augusti anno decimo* Caroli *imperii, regni quadragesimo-secundo* (sic legendum) *in Francia, atque trigesimo-sexto in Italia, indictione tertia. Actum Ferdi in Saxonia.* Ibbo ad vicem Erchenbaldi hoc diploma recognovit. Consimile privilegium a Ludovico augusto obtinuit venerabilis Sambatius, non sine mendis relatum in chronico ejus loci, in quo Sambatii successores per hoc sæculum recensentur Talemon, Gibelinus, Ulfridus, Herebaldus, & Hartmannus: quem Arnolfus dux Noricorum exturbasse memoratur, abbatia tradita Baltramno episcopo Argentinensi.

Novientenses abbates.

LXXX. Beatus abbas Hohenauviæ. Exstabat eo tempore in eodem pago infra Argentoratum monasterium Scottorum in insula Rheni Hohenauvia, cujus abbas, Beatus nomine, quasdam possessiones contulit *sacrosanctæ ecclesiæ, quæ est constructa in insula, qua publice ab omnibus Hohenauvia vocatur, in honorem sancti Michaelis archangeli, ceterorumque sanctorum, numero centum quadraginta-octo.* Huic, inquam, ecclesiæ pro remedio animæ suæ donat quidquid ex proprio comparato aut labore acquisierat, aut ab aliis concessum, & Caroli imperatoris charta firmatum fuerat: ut hæc omnia ille abbas, quem ipse post se electurus esset, secundum regulam ecclesiasticam possideret ad usum pauperum & peregrinorum gentis Scottorum. Datum in civitate Moguntia XI. kalendas Julias, *anno decimo regni domini nostri Caroli regis & imperatoris.* Hoc instrumentum primus retulit Jodocus [a] Coccius, qui Beatum Hohenauviæ abbatem sextum numerat, & post eum Cointius, quod cum aliis, quæ ad idem monasterium spectant, magis integrum habes in Appendice hujus voluminis cum subscriptionibus episcoporum, quæ apud Coccium desunt.

[a] Coc. p. 134.

LXXXI. Barnardus fit episcopus Viennensis. Barnardus, abbas Ambroniacensis apud Sebusianos, hoc anno electus fuit ad sedem ecclesiæ Viennensis, quantum ex ejus actis, sane non admodum accuratis, colligere possumus. Mortuus quippe est anno ejus sæculi quadragesimo-secundo post annos episcopatus triginta-duos, qui in illis actis ei assignantur. Wlferio antistite mortuo, cum de successore deligendo ageretur, puer quidam duodennis in medio eorum, qui ad electionem faciendam convenerant, Barnardum abbatem Ambroniacensem

broniacensem cælitus electum esse proclamavit. Assensere omnes præter ipsum Barnardum, qui ne quidem Caroli augusti auctoritate ad id oneris subeundum compelli potuit. Missus demum ad pontificem legatus, apostolicas attulit litteras, quibus repugnare Barnardus non valuit. Si genuinæ ac veræ sunt, ut quidem videntur, ea de re Paschalis papæ litteræ, vel diutius, nempe ad septem fere annos, huic electioni restitit Barnardus; vel serius facta electio est, siquidem Paschalis, eo nomine primus, nôn ante annum octingentesimum decimum-septimum pontifex creatus est. Paschalis litteræ sic habent. ANN. CHR. 810.

PASCHALIS *episcopus servus servorum Dei, venerabili abbati Ambroniaci in Domino salutem. Cum militiam & sæcularem deposueris dignitatem; cur Deo militare vel principari fugias, admodum miramur. Neque enim sine reatu divino apparebit conspectui, qui multorum salute neglecta, sibi tantum utilis esse quærit. Quocirca fraternitatem tuam commonemus, & commonentes obtestamur, ne divinæ dispositioni rebellis esse contendas. Nemo enim, secundum Apostolum, sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Cum igitur vocatum Viennensis ecclesia te in suum pastorem elegerit; apostolica vice, quam licet indigni tenemus, præcipimus, ut opus bonum suscipias: quia de gloria tua ante Christi tribunal erunt hi, qui per te salvabuntur. Quod si renueris; quam sententiam notarius filius noster Gregorius, quem de latere nostro misimus, super inobedientia tua dictaverit, validam ratamque censemus.* Hactenus Paschalis papæ epistola, quam forte nonnemo Leonis tertii esse suspicabitur: at illud obstat, quod idem Paschalis pallium Barnardo misit anno quarto Ludovici imperii; quod sane Leo missurus fuisset incunctanter, si eo vivente Barnardus electioni suæ acquievisset. Certe ipsum diu restitisse intelligimus ex precaria [a] canonicorum Viennensium, in gratiam Silvii & Didanæ facta anno duodecimo Caroli imperatoris, consentiente *domno & seniore nostro*, inquiunt illi, *Barnardo vocato archiepiscopo*, dicturi absolute *archiepiscopo*, si hac dignitate plene tum potitus fuisset. Idem tamen post duos annos in diplomate Ludovici augusti [b] absolute dicitur, *vir venerabilis Bernardus Viennensis civitatis & sancti Mauricii martyris ecclesiæ præsul.* quod plura deinceps diplomata confirmarunt longe ante electum Paschalem. unde suspecta redditur epistola, quam mox retulimus. Nisi dixeris, quod quidem veri similius est, ipsum quidem Barnardum, post aliquantam pugnam, electioni assensisse; sed postmodum regimen pontificatu Paschalis abdicare voluisse. quod pontifex scripta illa epistola prohibuerit.

a Capitul. to. 2. c. 1403.

b Ibid. c. 1404.

POstero anno ingentes turbæ ac dissensiones Fuldæ excitatæ. Earum causa & origo ex ferocia & nimia severitate Ratgarii abbatis, ne dicam ex immodico zelo. Post paullum quam ille monasterii regimen inierat, totum fere Fuldensis disciplinæ statum perverrere, aliorum cœnobiorum, nedum sui, mores carpere, *quasi non regulariter viverent.* Hinc monachos suos, rebus fere necessariis privatos, ad laborem manuum supra modum adigebat, abrogatis solitis precibus, frequentatione missarum, & festis diebus non paucis. Ad hæc fratres orare, obtestari, animum ut molliret, zelum præfervidum ad humanum modulum componeret, superiorum denique patrum instituta & moderationem servaret. at, ubi nihil preces, nihil supplicationes obtinent; ad imperatorem confugere visum est, oblato supplici libello, in quo gravamina sua Fuldenses exponebant. Missi ad Carolum monachi duodecim, qui fratrum suorum querelas apud eum deponerent: profectus una Ratgarius, ut causam suam tueretur. Auditis utrimque querelis, diversæ partis animos invicem reconciliare conatus est imperator: nec sic tamen conquievit illa commotio. Quam ob rem jussu imperatoris Fuldam convenere Richolfus episcopus Moguntinus, Bernharius Wormatiensis, Hauto Augustensis, Wolgarius Wirziburgensis, ut motus illos componerent & exasperatos animos sanarent. quod ad tempus utcumque successit. Verum, Carolo mortuo, cum Ratgarius in suos sævire pergeret, Ludovicus augustus, iteratis Fuldensium motus querelis, *monachos occidentales*, id est Gallicanos, eo misit; ac demum, cum insanabilem Ratgarii animum comperisset, eum abjici & alio ablegari jussit, aliumque abbatem in ejus locum substitui. Electus proinde Eigil, vir moderatioris animi, qui res in pristinum statum restituit, monachos binc inde palabundos ad ovile revocavit, & Ratgarium tandem ipsum ab exsilio, quæ viri piissimi, immo & Fuldensium placabilitas fuit, commu-

ANN. CHR. 811. LXXXXII. Fuldenses turbæ.

ANN. CHR. 811. LXXXIII.

ni suorum consensu revocavit. Hæc, diversis licet temporibus gesta, uno tenore ob oculos ponere visum est, quæ per partes in consequentibus exponemus.

Confugium ad imperatorem.

Ad res hujus anni quod attinet, quousque processerint, ex annalibus Saxonicis & Fuldensibus a Lambecio editis sic accipe. Ipso anno *facta est Fuldæ conturbatio non minima in monasterio sancti Bonifacii : & fratres duodecim ex ipsa familia perrexerunt pariter cum abbate Ratgario ad judicium imperatoris Karoli; nec tamen commotio illa quievit.* Neque putes has turbas factione tantum nebulonum quorumdam, ut fit non raro, excitatas fuisse : probi etiam quique, immo tota, quanta quanta erat, Fuldensium familia, hac procella exagitati sunt. Nec Rabano ipsi parsum a Ratgario, qui libros ei suos, adeoque præceptoris officium, quod ille Fuldæ cum magno fructu & plausu exercebat, inhumaniter ademit. Ferocem abbatis animum versibus delinire tentavit Rabanus: at nihil versus, nihil preces ei profuere. Rogabat ille, obtestabatur supplex, ut se clamantem exaudiret; redderet libellos, quos ipsi legendos, scribendos, discendos permiserat. Hos libellos non se jure tamquam proprios, sed precarios, tamquam a legitimo domino humili prece repetere. quippe,

Servi quidquid habent, dominorum jure tenetur :
Sic ego quæ scripsi, omnia jure tenes.
Nec mihi ceu propria petulans hæc vindico scripta :
Defero sed vestro omnia judicio.
Seu mihi hæc tribuas, seu non; tamen omnipotentis
Divinitas semper det tibi cuncta bona.

Movisset ferreum pectus tam justa, tamque modesta supplicatio : at saxo cantum est. Moderatior in alios nequaquam fuit Ratgarius, sed fortasse iniquior. quamquam quid iniquius esse potest? Tam pertinax & obfirmata Ratgarii inclementia Fuldenses coëgit, ut supplicem libellum imperatori offerrent, querelarum & gravaminum suorum capita continentem. Res tanti momenti exigit, ut hunc integrum hoc loco afferamus cum sua inscriptione, qualis a Browero primum vulgatus est.

Libellus supplex.

SUPPLEX LIBELLUS *monachorum Fuldensium, Carolo imperatori porrectus.*

I. IN PRIMIS *petimus pietatem tuam, clementissime imperator, quod liceat nobis orationum, psalmodiæ & vigiliarum modum tenere, quem patres nostri habuerunt, pro amicis nostris, viventibus atque defunctis: id est quotidianam precem pro te, domine Auguste, & pro liberis tuis, & pro omni populo christiano : quam mane, quando in unum convenimus, & capitulum de regula coram fratribus legebatur, exsurgentes post lectionem, ter versum* Deus in adjutorium meum intende, *adjuncto* Gloria Patri, *cantantes, flexis genibus psalmum quinquagesimum cecinimus, simul cum versibus & collecta. In secunda quoque feria uniuscujusque septimanæ, orationem pro omnibus eleemosynas nobis tribuentibus, id est eumdem psalmum quinquagesimum, quem tota congregatio, juxta corpus beati martyris simul prostrata, cantavit, cum oratione dominica & versibus. Pro defunctis ergo fratribus nostris commemorationem illam, quam quotidie bis habuimus, id est post matutinam celebrationem & vespertinam, quæ est antiphona, videlicet* Requiem æternam, *& prima pars psalmi* Te decet hymnus Deus, *versus & collecta. In kalendis vero omnium mensium, unam vigiliam, & quinquaginta psalmos. Pro Sturmi quoque abbate & fundatoribus monasterii istius, in anniversaria obitus die, unam vigiliam & unum psalterium, per singulos annos.*

II. *Quod presbyteris concedatur missas sæpius celebrare, & quod spatia eis ad hoc dentur, sicut a majoribus nostris dabantur. Quodque illi ad sacrum ordinem eligantur, qui eruditi sint verbo, & sancta conversatione probati; & nec fures, nec scelerati, & qui sacerdotii juris penitus ignari sint.*

III. *Ut sanctorum honor & festivitas non detestetur, sed in vigiliis & missis eorum digna commemoratio fiat : & quod in his festivitatibus, quibus major veneratio convenit, fratribus ab opere ad lectiones & psalmodiam vacare liceat, sicut apud majores nostros licitum est : id est in festivitate sanctæ Mariæ, & duodecim apostolorum, sancti Stephani, & sancti Laurentii, & ceterorum, quorum memoria apud ecclesias*

Germania celebres fiunt; necnon & eorum, quorum corpora in his regionibus habentur. Ubi observa, unam tantum festivitatem beatæ Mariæ assignari, nempe festum assumtionis; unicam etiam duodecim apostolorum, quæ olim festo sanctorum Petri & Pauli continebatur. ANN. CHR. 811.

IV. *Quod communicationem fracti panis ante cibum quotidie sumere non respuatur, secundum exempla præcedentium patrum.* nempe ex oblatis, quas singuli fratres ad missam publicam quotidie offerebant, ex quibus quædam ad communionem certorum fratrum consecrabantur; ceteræ in eulogias benedicebantur, in refectorio ante alios cibos percipiendæ ab iis, qui non communicaverant. Id sancitum post annos sex in synodo [a] Aquisgranensi. a c. 69.

V. *Quod infirmorum major cura sit & miseratio, senum videlicet & debilium, neque penuria victus affligantur, neque vestitus paupertate conterantur, & nec ineptiis aliquibus vexentur: ita ut nec baculum eis pro sustentatione ferre liceat, nec ad inclinatorium, quod nos formulam dicimus, morando hærere: quia cæcus & claudus non possunt sine sustentatione baculi bene incedere; nec decrepitus sine formula genua flectere. Hoc rogamus, ut tales propter fastidium de monasterio non ejiciantur, ne forte in cellis sub laicis constituti, sine confessione & necessario vitæ viatico moriantur.*

VI. *Quod omnibus ad monasterium vitæ hujus amore venientibus pietas congrua impendatur; & nec infirmi, neque seniores, neque delicati duritia aufugentur: sed omnes cum misericordia suscipiantur; & solatium, quod petierint, honeste infirmitati eorum impertiatur.*

VII. *Quod nullus ante probationem suscipiatur, neque corpori monasterii societur: ne forte aliquis magis propter commoda terrena, quam propter vitæ æternæ amorem se monasterio sociare voluerit; & receptus inhonesto suo more conturbet fratres.*

VIII. *Ut nullus propter petuniam vel possessionem terrenam, fictis suasionibus seductus & blanditiis deceptus, postquam in monasterium susceptus fuerit, & non habens quod sibi promittebat, tristitia & pænitentia sæculi pereat: sed veritas unicuique ore proferatur, & opere impleatur.*

IX. *Quod nullus vi monachus fieri cogatur, nec ad cleram tondeatur, sive liber sit, sive servus: quia tales in monasterium suscepti, auctores sunt scelerum, & executores vitiorum.*

X. *Quod victum & vestitum, sicut majores nostri nobis constituerunt, habere liceat: quia primus abbas noster Sturmis, in monasterio sancti Benedicti per annum conversans, hic postea rediens, secundum electionem sancti Bonifacii habitum eorum & victum dijudicantis nobis istum constituit: cujus rei plures adhuc testes supersunt.*

XI. *Quod commune magisterium a decanis & præposito omnibus fratribus fiat: quia hæ divisiones, quæ modo factæ sunt, occasiones sunt scandalorum, dissensionum & contradictionum. Credimus enim propter pacis caritatisque custodiam expedire, secundum priorem constitutionem communiter fratribus decanos omnes constitui: ut communis cura cautelam præbeat, & dilectionem impendat.*

XII. *Ut ædificia immensa atque superflua, & cetera inutilia opera omittantur, quibus fratres ultra modum fatigantur, & familia foris dispereunt; sed omnia juxta mensuram & discretionem fiant. Fratribus quoque secundum regulam certis horis vacare lectioni liceat, & item certis operari.*

XIII. *Quod peregrinorum susceptio & lavatio in eis pedum non negligatur, sed secundum regulam & secundum priorum nostrorum consuetudinem, quandocumque venerint, misericorditer suscipiantur, & ab omnibus fratribus lavatio pedum eis exhibeatur.*

XIV. *Quod hospitalitas antiqua non oblivìscatur, sed omnibus hospitibus congruus honor & omnis humanitas exhibeatur. Quando autem plures simul advenerint, ut in missa sancti Bonifacii; consolatione undique facta, ab his qui cellas provident, omnibus refectio præbeatur.*

XV. *Ut privata negotia, & sæcularia beneficia, & divisio possessionum atque agrorum, in ipso monasterii loco non fiant: quia exinde exoriantur jurgia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, inimicitiæ, dissensiones, invidiæ, furtiva comessationes, & ebrietates, & pæne omnia mala, & saluti nostræ contraria: sed omnes agri atque cellæ in communi omnium fratrum fiant. Et omnes homines, qui in eodem monasterii*

ANN. CHR. 811. *loco habitant, ab uno vestiario vestitum accipiant, prout præpositus sive cellarius dispensaverint: nec mercimonia aliqua ab aliquibus, ibi vendantur, sed sint omnia omnibus communia.*

XVI. *Ut ipsa monasterii ministeria per fratres ordinentur, id est pistrinum, hortus, braciarium, coquina, agricultura, & cetera ministeria, sicut apud decessores nostros fuerunt. quia devotius & dignius per fratres omne exercebitur officium, quam per laïcum, aut servum malevolum.*

XVII. *Quod malitiosæ & furiosa mentis homines, & ad cuncta flagitia perpetranda promtissimi, non colligantur intra monasterium, sicut factum est de illo homicida clerico, qui monachum interfecit: qui, contra omnium fratrum voluntatem & consensum, locatus est in monasterio. quia timemus, ne forte cognati ipsius monachi diabolica suasione in ultionem ejus inflammentur, & homicidium augeatur. Quodque ipsi, qui propter scelera sua & improbitates inter sæculares esse non poterant, in vicina monasterii loca gregatim non collocentur: quia furto monasteria deprædant, & proxima quæque loca latrociniis infestant.*

XVIII. *Quod ipse abbas corrigatur, ne institutis sancti Bonifacii detrahat, dicens, quod decreta ejus synodus damnaverit; & quod majores & cetera monasteria non reprehendat, quasi regulariter non vivant.* Hæc in Bonifacium detractio cadere videtur in censuram ab eo factam formæ baptismi usitatæ, quam presbyter quidam vitiata tantum latinitate protulerat. sed Zacharias validam edixerat contra Bonifacii sententiam.

XIX. *Ut crucis gloriatio in singulis diebus dominicis fiat ante missam, fratribus omnibus circa vicina quæque loca monasterii crucem sequentibus, hymnos & antiphonas cantantibus, sicut apud majores nostros usus erat, in diebus dominicis, passionis & resurrectionis Domini gloriam celebrari: & quod in diebus jejuniorum ab episcopo decretis, crucem portare, & litanias facere liceat.*

XX. *Hoc igitur, quod maxime nobis necessarium esse judicavimus, præ omnibus optabamus: id est unitatem & concordiam cum abbate nostro habere, sicut cum anterioribus nostris abbatibus habuimus; & misericordiam & familiaritatem, pietatem & modestiam in illo sentire: & ut esset benignus infirmis, propitius delinquentibus, affabilis fratribus, mæstorum consolator, laborantium adjutor, benevolorum auxiliator, bene certantium hortator, lassorum refocillator, cedentium sustentator, cadentium restaurator: omnes fratres amaret, nullum odiret, & nullum zeli vel livoris dolo persequeretur: fieretque non turbulentus vultu, non anxius animo, non nimius in judicio, non obstinatus in consilio; sed hilaris facie, lætus mente, discretus in opere, consentiens in utilitate: & quando aliquis de fratribus præoccupatus fuerit in aliquo delicto, non statim tyrannica vindicta illum excruciaret, sed misericordi disciplina corrigere festinaret, conversumque clementer susciperet, nec prava suspicione denuo illum fatigaret, neque perpetuo odio exterminaret.*

His & talibus, domine imperator, apud priores nostros abbates usi sumus, & de hoc ipsum abbatem sæpissime rogavimus: sed usque in præsentem diem impetrare non potuimus.

Ex præmisso libello intelligimus, Ratgarium his turbis non tam ex ardenti melioris disciplinæ studio, quod & ipsum cum magna prudentia & discretione temperandum est, sed ex cæco quodam naturæ ferocioris impetu occasionem dedisse, quem nisi reprimere studeant præfecti hoc ingenio prædití, ingentes ciere in monasteriis tumultus solent. Verum qui semel hoc vitio abrepti sunt, vix ac ne vix quidem corrigas, reditque semper ad suos mores animus, quibus semel a natura imbutus est. Id probat exemplum Ratgarii abbatis, qui ad sua reversus, nec monitis imperatoris flexus est, sed more suo cœpit agere. quod ubi rescivit Carolus, episcopos Fuldam misit, qui eum ad officium & ad concordiam cum fratribus sarciendam revocarent. Id diserte adstruunt prædicti annales Saxonici & Fuldenses, in quibus post superius relata hæc leguntur: *Postea Ricolfus archiepiscopus Moguntinus, & Bernharius episcopus civitatis Wangionum, & Hatto* * *episcopus Augustensis, & Wolgarius episcopus Wirzeburgensis ad eamdem causam convenerunt jussu imperatoris, eamque sanaverunt.* Ita sopitum ad tempus, sed non exstinctum discordiæ incendium, quod post mortem imperatoris denuo exarsit.

* al. Hauto.

LXXXIV. Capitularia hujus anni. Hoc anno condita leguntur a Carolo tria capitularia non tam decretorum,

quam interrogationum, quæ episcopis & abbatibus proponendæ & solvendæ erant. In primi capitularis articulo undecimo, inquisitum est *de conversatione monachorum, & utrum aliqui monachi esse possint præter eos, qui regulam sancti Benedicti observant.* Ad hæc, *si in Gallia monachi fuissent, priusquam traditio regulæ sancti Benedicti in has parochias pervenisset.* quod iterum repetitur in articulo duodecimo capitularis sequentis: *Qua regula monachi vixissent in Gallia, priusquam regula sancti Benedicti in ea tradita fuisset: cum legamus sanctum Martinum & monachum fuisse, & sub se monachos habuisse, qui multo ante sanctum Benedictum fuit.* Ex quibus manifestum est, regulam sancti Benedicti solam in his partibus, & quidem ante omnium, qui tum vivebant, memoriam, observatam fuisse. alias frustra hac de re inquisitionem fecisset eruditus imperator. In hoc secundo capitulari episcopos & abbates idem interrogat, quis vere censendus sit sæculum reliquisse; & an hoc nomine dignus sit, qui possessiones suas augere qualibet arte non cessat. Ita dextere arguit clericos & monachos, qui, cum similia faciant, sæculum nihilo minus se reliquisse gloriantur. — ANN. CHR. 811.

Eodem tempore Carolus, cum sæpe gravi valetudine tentari cœpisset, testamentum suum condidit, ejusque *constitutionem & ordinationem* coram episcopis, abbatibus, comitibusque, qui præsentes aderant, fecit, eique eosdem subscribere voluit. Totum hoc testamentum maximi principis pietatem in ecclesias spirat, & in pauperes caritatem ac paternam sollicitudinem. Insigne hujusce caritatis argumentum, quod *de libris, quorum magnam in bibliotheca sua copiam congregavit, statuit, ut ab iis, qui eos habere vellent, justo pretio* redimerentur, *pretiumque in pauperes* erogaretur. at illud insignius, quod non solum in toto regno suo, verum etiam trans maria, in Syria, Ægypto & Africa, id est Jerosolymis, Alexandriæ, & Carthagine, egenis subsidia liberali manu distribuenda curavit, ex Eginhardo. Neque locus, neque dies mensis, conditi ejus testamenti vulgatis exemplaribus apponitur. Ei subscribunt episcopi novem, Hildebaldus Coloniensis, Riculfus Moguntinus, Arnulfus seu Arno Saltzburgensis, Wlfarius Remensis, Bernuinus Vesontionensis, Leidradus Lugdunensis, Johannes Arelatensis, Theodulfus Aurelianensis, Jesse Ambianensis, Hetto Basileensis, Waldgandus Leodicensis. Post episcopos subscripti reperiuntur quatuor abbates, Fridugisus sancti Martini apud Turonos, Adalungus Laureshamensis, Engilbertus Centulensis, & Hirmino sancti Germani apud Parisios. His succedunt comites & optimates, in quibus primum locum tenet Walach, frater Adalhardi abbatis Corbeiensis, qui tunc in Italia morabatur, ut superius diximus. Idem pacem cum Hemmingo Danorum rege initam hoc anno sua subscriptione cum aliis comitibus undecim firmavit. — LXXXV. Caroli testamento subscribunt abbates.

Ex his qui Caroli testamento subscripsere, Hirmino seu Irmino, abbas sancti Germani apud Parisios monasterii, Rotberto abbati paullo ante mortuo successerat. Necrologium pervetustum reponit VIII. kalendas Martii obitum *Frotberti abbatis.* Multa in commodum & utilitatem monasterii fecit Irmino ejus successor, quæ in libro ejus censuali recensentur. quippe apud Villare in cella fratrum vineam novellam, aliasque in villis *Milt*, Theodaxio, & Bisconcella, *domnus Irmino abba* plantasse dicitur; item in Buxido farinarios septem, in Mantula tres de novo extruxisse; in Sicca-valle seu Foreste, & in Mansionis-villa pagi Pinciacensis quasdam item terras incultas exstirpasse. Minutiora hæc: sed magno alioqui viro hæc quantulacumque commemoratio debebatur, de quo alia inferius, notatu forte digniora. — LXXXVI. Rotberti abbatis S. Germani successor Irmino.

In episcopis, quos Caroli testamento subscripsisse diximus, invenitur Hetto episcopus Basileensis, idemque Augiensis abbas, qui paullo post hoc ipso anno Constantinopolim ad pacem cum Græcorum imperatore Nicephoro sanciendam missus est, una cum Hugone comite Turonico, & Haione Foro-juliensi: cujus legationis *hodæporicum* scripsit, testante Hermanno, hactenus desideratum. De hac legatione agit Walafridus in carmine de visione Wettini, quem ait tempestate jactatum cum suis, Deo opem ferente, ex imminenti naufragio evasisse, nullaque post hæc discrimina passum, *recto cursu, fatisque secundis* reversum, Græcorum favorabilia responsa Francis retulisse. Addunt Francorum annales, legatos Nicephoro imperatore Constantinopolim advenisse, & a Michaële, ejus genero ac successore imperii, susceptos & absolutos fuisse, ac demum in Franciam rediisse cum novi imperatoris le- — LXXXVII. Hetto episcopus & abbas Augiensis ad Græcos legatus.

ANN. CHR. 811.

gatis, qui fœdus cum Nicephoro fieri cœptum confirmaverint. Hinc suspecta, immo falsa probatur narratio monachi sancti Galli in libro secundo [a] de vita Caroli Magni, ubi is quemdam episcopum, scilicet Hettonem, *præcellentissimum mente & corpore virum*, adjuncto ei nobilissimo duce, ad Græcorum imperatorem misisse dicitur: qui legati, cum indigne habiti fuissent, per diversa loca divisi fuisse, tandemque cum magno navis & rerum dispendio rediisse. Nec veri similius est id, quod idem fabulator subdit de festiva exceptione legatorum, quos postea Græcorum imperator ad Carolum misit.

a *Cap.* 8.

LXXXVIII. Helmengaldus comes Resbaci sepultus.

Eadem legatione antea perfunctus fuerat cum Jesse Ambianensi episcopo comes Helmengaudus, seu Helmgaudus, mendose Helingaudus, in orientem missus anno octingentesimo secundo, & post annos quatuor ad Leonem papam, forte iterum mittendus cum Hettone in orientem, si in vivis ad hunc annum fuisset. Is mihi videtur esse Helmengaldus palatinæ aulæ præfectus, cujus epitaphium sequens composuit Theodulfus [b] episcopus Aurelianensis.

b *Theodulf. lib.* 6. *c.* 19.

Hac requiescit humo Helmengaldus, nobilis heros,
Gloria qui patriæ, & decus omne fuit.
Dives opum & censu, seu nobilitate coruscus,
Moribus ornatus, omnibus atque bonis;
Consilio pollens, fors armis, viribus auctus,
Legibus imbutus, ore manuque potens.
Namque palatina fuit hic præfectus in aula,
Dum regeret Carolus sceptra serena pius.
Ecclesias opibus ditavit pluribus iste,
Fecitque heredes rebus inesse suis.
Pes fuit hic claudis, oculorum gloria cæcis,
Solamen habuit debilis omnis eum.
Iste famemque sitimque simul, seu frigora dira
Pauperibus membris pellere suetus erat.
Hierusalem habet hæc ejus terrea corpus,
Spiritus at supera regna beata petit.
Qui legis hunc titulum, tumulum seu conspicis istum:
Dic Helmengaldi sit sine fine quies.
Hoc etiam faciet monachorum sancta caterva,
Dum redit, atque frequens dum petit istud iter.
Illius ipsa memor maneat per sæcula cuncta,
Atque oret, regna ut cælica dentur ei.

Resbaci abbates.

Tanti viri mentionem facere visum est, maxime quod sepultus sit in uno e nostris monasteriis, *Jerusalem* dicto, id est, ut quidem interpretor, in Resbacensi pagi Bricgii, cujus fortasse comes fuerat, quod monasterium Dado seu Audoënus, ejus auctor, primitus Jerusalem appellari voluit. Forte tunc Resbaco præerat Godobertus abbas, cujus meminit vetustissimum Augiæ necrologium. Godoberto successisse puto Warinum, cui Ludovicus augustus *monasterium Rasbacis, cognomento Hierusalem*, gubernandum tradidisse memoratur in libellu de translatione sancti Viti martyris in Saxoniam. Ceteri ejus loci abbates fere ignoti sunt ad sæculum undecimum.

LXXXIX. Dungalus scribit de duplici solis eclipsi ad Carolum M.

Cum anno superiori duplex accidisset solis defectus, Dungalum consuluit Carolus per Waldonem sancti Dionysii abbatem, quid super hac re sentiret. Respondit ille hoc anno, scripta ad Carolum epistola, quæ in Spicilegii tomo decimo vulgata est, cujus hæc verba. *Audivi ergo, domine dilectissime, ego Dungalus vester fidelis famulus & orator, non immemor, quod vos Waldoni abbati direxistis epistolam, ut per illam me ipse ex vestris verbis interrogaret de ratione defectus solis, quem anno præterito, ab incarnatione Domini octingentesimo-decimo, bis evenisse plurium relatu vobis fuisse compertum dixistis, & quem, sicut vos legisse memorastis, non solum antiqui gentilium philosophi, sed & quidam Constantinopolitanus episcopus, quasi naturalem concursionis elementorum effectum usitatæ & certæ explorationis peritia cognitum prius dixere, quam fieret.* ubi mirari subit maximi principis incomparabilem genium, qui,

cum tot imperii negotiis distraheretur, animum tamen hujusmodi studiis applicare non gravabatur. Merito itaque ab eodem Dungalo in fine epistolæ laudatur tantus princeps, *qui omnibus æqualiter omnium bonorum operum, & virtutum, & honestarum disciplinarum doctor præcipuus, & perfectum habetur exemplar rectoribus ad suos subjectos bene regendos, militibus ad suam exercendam legitime militiam, clericis ad universalis christianæ religionis ritum recte observandum, philosophis & scholasticis ad honeste de humanis philosophandum & sapiendum, reverenterque atque orthodoxe de divinis sentiendum & credendum. Denique*, subdit ille, *hoc tantum veraciter dicimus, quod omnes uno ore conclamant: quia in ista terra, in qua nunc, Deo donante, Franci dominantur; ab initio mundi talis rex & talis princeps numquam visus est, qui sic esset fortis, sapiens, & religiosus, sicut noster dominus augustus Karolus.* Plura inferius de hujus epistolæ auctore, quam non admodum accuratam esse docet Ismaelis Bulliadi epistola ad nostrum Acherium ejus editorem, relata in præfatione ad decimum tomum Spicilegii. ANN. CHR. 811.

Sub idem tempus Bernowinus episcopus templum condidit in honorem sancti Illidii, cujus corpus ibidem repositum fuit. Id nos docent ejusdem Bernowini versus, in Appendice referendi, quos carptim hoc loco ad propositum referre juvat. XC. S. Illidii basilica.

Hæc quoque quæ statui fulgentia culmina templi
Bernowinus ego, sint tibi grata Deo:
Augusto & Karolo, cujus virtute peregi,
Concede imperii gaudia magna tui.
Hoc construxit ovans, lector, quod cernis honestum,
Bernowinus ovans, ductus amore Dei,
Illius necnon magni pro patris amore,
Corpore qui sancta pausat in arce domus:
Vos, fratres, veniæ petitores obsecro vobis,
Poscite fautori dona superna domus.
Hæc tibi constitui, Illidi magne sacerdos.

Hæc satis in specimen, ex quibus discimus, hoc templum esse monasterii sancti Illidii episcopi Arvernensis, cujus corpus ibidem requiescit. Itaque Bernowinus ille fuit episcopus Arvernensis ecclesiæ, cujus catalogus episcoporum eo tempore valde mutilus est. Alius ergo fuerit a Bernuino Vesontionensi episcopo, qui Caroli M. testamento [a] subscripsit.

a Supra n. 85.





ANN. CHR. 812.

ANNALES
ORDINIS
S. BENEDICTI.

LIBER VICESIMUS-OCTAVUS.

Ab anno Christi 812. *ad annum* 819.

I. Ludovici Pii studium in clerum & monachos.



DUM Ludovicus Aquitaniæ regnum, vivente Carolo patre, administravit, bellicis æque factis strenuum, ac pietate insignem se præstitit. Ejus in armis strenuitatem satis superque probant frequentes victoriæ reportatæ adversus Sarracenos, expugnatæ eorum urbes munitissimæ, Barcino, Tortosa, aliæque. Ad pietatem quod attinet, sic ab ineunte ætate circa divinum cultum & ecclesiæ exaltationem affectus erat, ut ejus opera non tam regem, quam sacerdotem exhiberent. Cum Aquitaniæ regnum iniit, clerici sub tyrannica Sarracenorum potestate in Septimania, aliisque finitimis regionibus degentes, ita res divinas abjecerant, ut potius equitationi bellicisque exercitationibus, quam divino cultui operam darent. at regis studio ac sollicitudine, adductis undecumque magistris, intermissum legendi & cantandi resumsere officium, necnon divinas humanasque litteras excoluere. Verum præcipuum optimi principis studium fuit in eos, qui, terrenis rebus pro Dei amore posthabitis, totos se se vitæ contemplativæ mancipaverant. Is ordo, id est monasticus, antequam Aquitaniam Ludovicus regendam susciperet, omnino in ea collapsus erat: at sub eo ita refloruit in pristinum statum, ut ipse propatrui Carolomanni exemplo hoc institutum professurus fuisset, nisi obstitisset patris voluntas, aut potius divinæ providentiæ nutus, quæ eum in sæculo ad multorum salutem remanere decreverat. Hæc omnia discimus ex anonymo astronomo, ejus vitæ scriptore, qui monasteria viginti sex, a Ludovico vel reparata, vel a fundamentis ædificata commemorat. quod exemplum non modo episcopi multi, sed & laici æmulati sint. Ex renovatis a Ludovico censentur monasterium sanctæ Mariæ & sancti Petri de Ferrariis in pago Senonensi, antiquitus *Bethlehem* dictum; monasterium sancti Filiberti in insula Hero seu Herio apud Pictones; sancti Florentii in monte Glonna ad Ligerim; Carrofium, sancti Maxentii, sancti Savini, Noviliacum seu Nobiliacum, puellare monasterium sanctæ Radegundis apud Pictavos; Menate & Magnilocus apud Arvernos; sancti Theotfridi in pago Vellavensi, Sollemniacum in Lemovicibus; Musciacum seu Moisiacum apud Cadurcos; Dosera seu Dusera in territorio Arausico ad Rhodanum. Nova seu de novo condita fuere in Septimania monasterium Anianæ, monasteria Galunæ seu Gellonense, sancti Laurentii, sanctæ Mariæ

Monasteria ab eo condita vel instaurata.

in

in Rubine seu Orubione, vulgo de Crassa dictum; monasterium quod Caunas vocant; & aliud, quod Concas seu Conquas apud Ruthenos; monasterium puellare sanctæ Mariæ, de Regula cognominatum, apud Lemovicas; Masciacum in Biturigibus. Ignota nobis sunt monasteria de Vera, de Utera, & sancti Pascentii; atque in pago Tolosano monasterium Valada. His omnibus commemoratis, prædictus auctor generatim addit plurima alia, quibus regnum Aquitaniæ decoratum fuisse ait. Verum, ut quod res est fatear, ex his multa sunt, quibus vel instaurandis, vel de novo condendis assensum tantum & favorem præbuit Ludovicus, qualia fuere Anianense, Gellonense, Carrofium, & quædam alia, quorum conditores superius laudavimus. Mirum est etiam in hac enumeratione primum censeri monasterium Ferrariense, quod ad regnum Aquitaniæ nullo modo pertinebat. ANN. CHR. 811.

II. Conchense monasterium.

Inter vetera monasteria nonnulli Conchas ponunt, quod a Sarracenis eversum, a Pippino restitui cœptum, ac demum a Carolo & Ludovico perfectum, reliquisque ditatum tradunt. At novum fuisse forte nonnemo colligat ex diplomate [a] Ludovici augusti, dato ejus imperii anno sexto: in quo vir religiosus, Dado nomine, illis temporibus *religione & sanctitate divina* conspicuus, quietis studio quemdam locellum in pago Rutenico, super rivulum Dordunum, vocabulo Concas, suo proposito aptum expetiisse dicitur: quo in loco nonnulli christiani, propter metum Sarracenorum, qui illam terram pæne totam devastarant, & in eremum redegerant, dudum eo confugientes, tumultuario opere permodicum construxerant oratorium. tum Dado eumdem locum, sentibus mundatum & repurgatum, quieti aptum reddidisse perhibetur; sed post non multos dies alius vir religiosus, Medraldus nomine, ad eumdem locum accessisse, eumque cum prædicto Dadone inhabitasse. Et quia famam bonæ opinionis vera eorum religio apud convicinos sparserat, nonnulli postponentes sæculum, tam religiosa exempla imitari cupientes, eorum se magisterio subdidere; ac, paullatim crescente cœtu, ecclesiam in honorem Domini & Dei Salvatoris nostri Jesu-Christi construxere, communique consensu Medraldum, *ut ipsa congregatio regularis exsisteret*, abbatem sibi elegere. Dado vero, juxta divinitus sibi collatum desiderium, remotiorem locum, qui dicitur Grande-Vabrum, petiit. His intellectis, Ludovicus congregationem illam sub suam tutelam admisit, & ut plenius sub regula sancti Benedicti Domino militaret, quasdam eisdem monachis ecclesias & possessiones contulit. Actum Aquisgrani palatio regio, anno sexto Ludovici imperii, indictione duodecima. Ita ergo res se habet. Grassantibus circumquaque Sarracenis, quidam christiani in locum Conchas confugerunt, ibidemque oratorium construxerunt. Processu temporis in vastam solitudinem redactus est locus: quem Dado primum, dein Medraldus, primus loci abbas, monachorum habitationi aptum reddiderunt, favente & opitulante Ludovico rege, qui novum monasterium suo patrocinio dignatus est, & congruis proventibus dotavit. Jam exstabat monasterium illud anno vicesimo-primo Ludovici, tum Aquitanorum regis, id est anno octingentesimo primo, quo Leutadus quidam donationem facit huic monasterio, *ubi modo*, inquit, *præest venerabilis vir Madraldus abba*. In plerisque chartis ejus loci, quas Cointius vidit, situs dicitur *in pago Ruthenico, in vicaria Forracensi, super alveum Dordonis, fundatus in honore Domini nostri Jesu-Christi & sanctæ Mariæ virginis, ac sancti Petri apostolorum principis, ubi sanctus Vincentius* martyr Aginnensis, & *sancta Fides* requiescunt. unde monasterium sanctæ Fidis de Conchis non raro appellatur. Insignes duæ cellæ fuerunt sub sanctæ Fidis nomine ac patrocinio Conchis dudum subjectæ, una in Columbaria * opido pagi Briegii; altera in Alsatia, in urbe Selestadio. Quinque primi Concharum abbates in Gallia-christiana recensentur sanctus Dado, qui *in Gaubabro*, legendum *Grandi-Vabro*, quiescit; Medraldus, Geofredus, Anastasius, sanctus Helias; ex quibus Dado primus quidem monasterii auctor exstitit; sed primus abbas Medraldus videtur fuisse.

[a] Capitul. t. 2. c. 1416.

* Colomiers.

Principio Conchenses more eremitarum potius, quam cœnobitarum vixere, rebus ac censu inopes, in loco non admodum grato & amœno degentes. Ab eo non procul aberat Figiacum, positum ad Sillerim amnem, cujus cœnobii monachi jussi sunt suppetias ferre Conchensibus, quibuscum una eis quondam societas erat. Hæc discimus ex tabulis Figiacensibus, quæ hujus monasterii originem referunt ad Pippinum regem. quod posteri jam ante sexcentos annos de Pippino seniori inter-

ANN. CHR. 812. pretati sunt. Id hoc loco, tametsi forte paullisper extra ordinem, exponendum videtur ad res superiores illustrandas.

III. Figiaci monasterii origo. Habemus præ manibus exemplar diplomatis Pippini regis, scriptum ab annis sexcentis, quo princeps testatum facit, quod locum seu monasterium in convalle „ Jonantis (ita legendum) olim a prædecessoribus suis in pago Caturcino construc„ tum, sed ab aquis irruentibus jam pæne dissipatum, ipse transtulerit in proximam „ silvam ejusdem pagi, habiliori & commodiori loco sitam, in locum scilicet, cui „ Figiaci nomen imposuit; ibidemque monastica ædificia a fundamentis exstruxerit, „ ubi monachorum turbæ, sub cultu religionis ab se congregatæ, venerabilem Anas„ tasium abbatem præfecerit, monasterio Jonantis cum omnibus rebus, ecclesiis ac „ possessionibus suis Figiaco attributis. Ad hæc quasdam eidem villas largitur, Fis„ cellam, aliasque, in his villam Galliacum, ubi monasterium in honorem sancti „ Quintini martyris ante construxerat. De Conchensibus vero monachis sub finem hæc addit. *Item placuit nostræ serenitati eremitas Conchenses abbati Figiacensi commendare: quatenus ex sua abundantia illorum inopiam suppleat: & quia in asperrimis, arduis, necnon angustissimis degunt locis, habeant caput in spatioso & delectabili loco, ubi eorum corpora & a labore releventur, & recreentur à penuria.* Tum de abbatis electione hæc subdit. *Cum vero abbas istorum*, nempe Figiacensium, *obierit, quamdiu inter se invenire potuerint, ex suis semper eligant, qui eos secundum regulam sancti Benedicti regere possit. Quod si inter eremitas Conchenses eis melior visus fuerit, non dedignentur inde sibi sumere patrem: ita tamen ut priori monasterio, id est Figiaco, abbatiæ reverentia reservetur, & dignitas prioratus apud Conchas remaneat.* Erat ergo tunc temporis Conchense monasterium quædam veluti cella Figiaci, quod ipsius caput erat. Hoc diploma anno septingentesimo quinquagesimo-quinto datum dicitur; in eoque asseritur, hoc monasterium a Stephano papa consecratum fuisse.

a Spicil. to. 13. p. 215. Prolixius habemus ejusdem Pippini diploma in Spicilegii[a] tomo ultimo, in quo ejus antecessor *glor. ofus rex Clodoveus Juvanti* (lege *Jonants*) monasterio nonnulla donasse fertur. quæ diplomata etsi omnino sincera & genuina præstare nolim, ea tamen penitus non esse rejicienda existimo, sed iis uti licere ad Figiaci originem investigandam. Viderat hæc instrumenta Bernardus-Guidonis, qui eadem compendio refert, agens de Figiaco monasterio, *prout in antiquis gestis ipsius monasterii continetur.* Mihi aliquando persuasum fuit hæc referenda esse ad Pippinum Aquitaniæ regem. at Figiacum monasterium longe antiquius esse patebit ex iis, quæ de ejus instauratione, Ludovici augusti anno tertio facta, inferius dicentur. Idem sentiendum de Conchensi monasterio, cui originem haud dubie dederunt fideles illi, laudati in diplomate Ludovici imperatoris, qui ob metum Sarracenorum in eum locum se recepisse memorantur. Inter alias Figiaci reliquias, ibidem asservata leguntur corpora sanctorum Bibiani episcopi Santonensis, Severini martyris, & Sigismundi regis cum duobus filiis suis, necnon sancti Vincentii levitæ & martyris Aginnensis. Ceterum utrumque monasterium, Figiacum scilicet ac Conchense, cum Galliaco, sæculari toga monasticam cucullam mutarunt.

Item Marciliaci. Non longe a Figiaco abest Marciliacum monasterium ad Sellam fluvium, cujus primordia Pippino regi itidem tribuunt. Marciliaci fit mentio in libro de vita sancti Desiderii episcopi Cadurcensis apud Labbeum: at melioris notæ codices pro Marciliaco Moissiacum habent. Prope Marciliacum vixit Caroli Magni principatu sanctus Namfasius eremita, qui ex nobili prosapia in Galliæ partibus ortus, sub Carolo militiam exercuisse dicitur. Relicta militia, Cadurcum agrum adiit, ubi duo reperit monasteria, Figiacum & Marciliacum, quæ a Pippino condita fuerant, a barbaris destructa: quæ Carolus instaurasse dicitur. Eremiticam illic vitam prope Marciliacum duxit Namfasius, post mortem sepultus Caniaci, ubi ejus tumulus a fidelibus honoratur.

IV. Monasterium B. Mariæ de Regula. De origine puellaris monasterii beatæ Mariæ de Regula apud Lemovicas, præter antiquitatem, pauca admodum certa & explorata habemus. Ejus antiquitatem probat non modo scriptor vitæ Ludovici Pii, sed etiam enumeratio monasteriorum anno imperii ejus tertio facta, in qua censetur *abbatia sanctæ Mariæ in Lemovicas* inter ea, quæ nec militiam, nec dona, sed solas preces imperio debent. Guntrada prima illius parthenonis abbatissa nominatur in vitioso diplomate Pippini Aquitaniæ regis, quem eidem monasterio impense munificum fuisse constat ex diplomati-

bus posteriorum regum, qui ejus donationes confirmarunt. De prisca ejus parthenonis religione ac disciplina conjecturam capere licet ex cognomento de Regula, quod antiquitus ei tributum est. Certe in concilio Lemovicensi, super apostolatu sancti Martialis sub annum millesimum tricesimum habito, dixit Jordanus episcopus Lemovicensis, quod monasteria ejus urbis, videlicet sancti Augustini & sancti Martini, *necnon congregatio virginum in basilica beatæ genitricis Dei Mariæ, sancti ordinis reverentiam regulariter observent.* Hanc basilicam Urbanus secundus anno ejusdem sæculi nonagesimo-quinto dedicavit. Post annos decem incendio consumtum fuit cum multis aliis ecclesiis hoc monasterium, cujus abbatissarum ante id tempus nomina exciderunt. Anno millesimo ducentesimo-decimo subtus altare ejusdem basilicæ, quam a sancto Martiale primitus conditam tradunt, inventæ sunt quædam sacræ reliquiæ, ad quas multa miracula patrata dicuntur. quo tempore constructa est nova basilica, ad cujus fabricam intra tres annos viginti-duo-millia solidorum expensa fuere. Anno ejusdem sæculi duodecimo Johannes episcopus Lemovicensis novum caput ecclesiæ dedicavit, eodemque anno sententiam secundum abbatissam tulit super quibusdam controversiis, quæ inter eam & Guidonem Lemovicensem vicecomitem pro Exandone, Brignaco, & Varto, exortæ erant. Insigne est etiam nunc hoc monasterium sub ordine & regula sancti Benedicti. Alia sunt sub nomine Regulæ monasteria, de quibus alias. ANN. CHR. 812.

Sub idem tempus, quod modo describimus, Willelmus, ex-comite humilis monachus, post sex rigidissimæ pœnitentiæ annos, ex hac vita ad cælestem migravit. Paullo ante obitum ab actuosæ vitæ officiis cessare jussus, in privatam cellam se reclusit, ibique totum se orationi & sanctæ meditationi dedit, jejuniorum nihilo minus solita severitate servata. Imminentem dein mortem præsciens ac præsentiens, Carolo augusto eam fratribusque sui monasterii significavit. Hos de tanta jactura mærentes consolari studuit, non esse lugendos inquiens, qui per Christi fidem & confessionem ad beatam pertinent resurrectionem. Dein, ubi eos de servanda religionis disciplina, de fraterna dilectione & concordia commonuisset, postulat se divinis muniri sacramentis, id est sacra communione. tum, fratribus denuo salutatis, sublatis in cælum oculis manibusque, eodem animam emisit, mortuus v. kalendas Junii: quo die in fastis Gellonensibus pro meritis commendatur. Ejus corpus jam ante sæculum undecimum e tumulo elatum erat, certe ante annum millesimum undetricesimum, quo monachi Gellonenses, sumto ligno sanctæ Crucis, quod eis Willelmus ex Caroli Magni dono tradiderat, unaque *corpore sanctissimi confessoris Willelmi*, progressi sunt ad ineundam possessionem ecclesiæ sancti Petri *de Salvs*, quam Garsindis nobilis femina, ejusque filius Bermundus, & Almeradus frater eidem monasterio donaverant. Anno millesimo septuagesimo-sexto, idibus Augusti facta est dedicatio altaris sanctissimi Willelmi ab Amato sanctæ Romanæ ecclesiæ legato; ac demum anno supra millesimum centesimo tricesimo-octavo, (secundum veterem calculum) III. kalendas Martii, feria secunda, denuo levatum est ejusdem beatissimi confessoris corpus, & reconditum in plumbea theca, III. nonas ejusdem mensis *per manus domni Ugonis Albiensis episcopi, Raymundi Gellonensis abbatis, & Raymundi abbatis Nantensis, temporibus Innocentii papæ secundi, Arnaldi Narbonensis archiepiscopi, & Petri Lutevensis episcopi*; demum nuper sub principe altari repertum, ubi a tempestate Calvinistarum in eadem plumbea theca, pario loculo inclusa, repositum fuerat. Libellum de ejus vita scripsit ante sæculum undecimum auctor anonymus, quem Ordericus Vitalis in compendium redegit. Idem forsan anonymus librum de miraculis sancti Willelmi composuit, a nobis olim editum in appendice Sæculi quarti Benedictini. V. Willelmus Gellonæ obit.

Quinam post Juliofredum abbatem primum Gellonem rexerint abbates, difficile est accurate percensere. Hucerandus, Juliofredi successor, anno ejus sæculi vicesimo-quarto Gellonensibus præfuisse dicitur in pontificio Lutevensi. Ardingus abbas erat tempore Caroli filii Ludovici, imperatoris an regis; Juliofredus secundus anno post obitum Odonis regis vicesimo-octavo; Josue, seu Jose, anno tricesimo-primo Caroli regis post obitum Odonis. Ebregarius laudatur in litteris datis sub ejus successore Asinardo Ludovici Transmarini regis anno tertio; Benedictus anno quarto Lotharii regis, Gaufridus primus ejusdem regis anno septimo; anno vicesimo-octavo Guinabertus, & post biennium Rainaldus: cui Geraldus abbas successit exeunte VI. Gellonenses abbates.

ANN. CHR. 812.

sæculo decimo, laudatus in libro de miraculis sancti Willelmi : cujus abbatis tempore, cum Gellonem venisset sanctus Fulcrandus seu Fulcramnus episcopus Lutevensis, *& coram ligno Domini prope tumulum beati Guillelmi* solo prostratus in oratione jaceret ; quædam energumena, Benedicta nomine, eodem adducta, demum instante Geraldo abbate, ad tumulum sancti Willelmi dæmonio liberata est.

Gellonenses monachæ.

Idem beneficium experta est alia, nomine Gitburgis, quæ mentis & corporis salutem consecuta, obtento viri sui consensu, ancillam se postulavit admitti *in domo beati Guillelmi sub habitu sanctimoniali* : ubi ad reliquum vitæ sana & incolumis humiliter in ecclesia ministravit. Complures ibidem, post duas Willelmi sorores Albertanam & Bertanam, sanctimoniales vixere in ecclesia sancti Germani, in ipsa valle Gellonensi. Ex his in necrologio commemorantur Ermesendis *monacha sancti Guillelmi*, Gaudiosa, Ermengarda, Aldiardis, Sclamunda, aliæque, omnes dictæ monachæ sancti Guillelmi. De ejusdem loci eremitis alias dicemus. Geraldo abbati suffectus Rotberto rege Petronus, cujus tempore cella Salvensis erecta fuit, & pons super Araurim fabricatus. Petronum excepit Gaufredus secundus : dein Petrus, eo nomine primus, medio sæculo undecimo, qui monasterii sui chartas ex incendio relictas in unum codicem redigi curavit, ubi ait, nihil reliqui fuisse ex authenticis scripturis sancti Willelmi, *praeter quod Juliofredus abbas ipsius cœnobii Gellonensis brevi subsignavit sigillo, paginato per Ingilbodem presbyterum, Grasmarem decanum, Durabilem priorem, Austregoeem foru decanum, Tancalredem sacristam, Andegaus cellerarium, Adalmannum capiscolem, & aliorum omnium fratrum testimonio, temporibus HLudovici imperatoris.* Superest in chartario Gellonensi hoc documentum Juliofredi abbatis, *de honoribus, quos adquisivit cœnobio Gellonensi Willelmus princeps totius Galliæ*, in hujusce voluminis appendice editum : in cujus fine hæc leguntur : *Et ego Juliofredus abba, consanguineus Karoli imperatoris, feci hanc chartam seu hoc testamentum scribere Ingilbodo presbytero meo pro memoria : ut si defecisset vita, non defecisset paginula.* Hic est Juliofredus abbas primus Gellonensis, de quo dictum est in libro [a] superiori.

a Num. 61.

VII. Grimoaldus abbas Castrensis.

In Castrensi Septimaniæ monasterio ingens hiatus est in indice abbatum ab Alfonso, qui locum rexit principatu Caroli Martelli, ad Grimoaldum, cujus præfectura hoc anno ponitur. Ejus tempore bellum atrox, urgentissima fames, & cruenta pestis late sævisse dicuntur : sed abbas virtute & industria sua monasterium a triplici hoc flagello immune præstitisse, ut probant hi versus, quos ad reparandam utcumque rerum memoriam identidem adhibere cogimur.

Bellum atrox, urgensque fames, pestisque cruenta
Cuncta vorant, trini terna flagella Dei.
O fera corda hominum, quæ tantis acta procellis
Accumulant semper crimina criminibus!
Inter tot clades sine damno Castra fuere,
Virtute abbatis conciliante Deum.

VIII. Baulis monasterium conditur.

Progredimur in Provinciam, ubi Johannes Sistaricensis antistes regulare monasterium in ecclesia sanctæ Mariæ, in loco suæ diœcesis, Baulis * dicto, ædificavit *una cum consilio & adjutorio domini nostri & gloriosissimi magnifici Caroli pissimi augusti* ; ibique religiosum abbatem, Ademarum nomine, constituit cum duodecim fratribus, qui sanctæ conversationis regulam juxta præscriptum beati Benedicti observent. Legimus ipsius Johannis mutilum hac de re [b] instrumentum, quo ecclesias
„ in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ & beati Præcursoris Juhannis atque Baptistæ,
„ cum baptisterio antiquo, & aliam ecclesiam in honore sancti Stephani protomarty-
„ ris, aliam item in honore sancti Martini confessoris *in comitatu & episcopatu Sistaricensi sub monte*, ad hoc monasterium construendum tradit *cum aliis ecclesiis, quæ in circuitu ejus sunt, ubi Inter-montes dicitur.* Actum VII. *kalendas Aprilis, anno duodecimo regnante domino Carolo piissimo ac serenissimo augusto.* Hæc omnia suis subscriptionibus postea vicissim confirmarunt Johannis successores, Vincentius, Amantius, Secundinus, Virmagnus, præsules Sistaricenses. Hoc monasterium sæculo undecimo subjectum erat Psalmodiensi, laudatum in litteris Urbani secundi ad Fulconem Psalmodii abbatem, in quibus inter ecclesias Psalmodio subjectas censetur

* Baux.

b Diplom. p. 614.

in diœcesi Sistaricensi, loco de Baulis, ecclesia sanctæ Mariæ cum suis pertinentiis. Idem Johannes in Bodonensem sancti Marii abbatiam munificus fuisse memoratur.

ANN. CHR. 812. IX. Wala cum Bernardo rege in Italiam missus.

Hoc anno Carolus augustus, nuntio accepto Sarracenos conjunctis ex Hispania & Africa copiis ad litora Italiæ depopulanda concurrere; conventu Aquisgrani habito, Bernardum Pippini filium cum exercitu propere in Italiam ire jussit, Wala patruele expeditionis socio dato. Sarraceni vero tanto apparatu deterriti, Italia omissa, alii se in Corsicam, alii in Sardiniam intulerunt. Remansit nihilo minus toto anno sequente in Italia Walæ frater Adalhardus abbas, ab annis aliquot eo a Carolo missus ad regnum administrandum: qui deinceps Caroli imperatoris in ducatu Romano missus dominicus fuit, quem titulum ipse sumit in placito quodam, quod Spoleti in palatio paullo post Caroli obitum habuit, ut inferius videbimus.

ANN. CHR. 813. X. Concilia quinque jussu Caroli habita.

Anno insequenti octingentesimo tertio-decimo Carolus Aquisgrani generalem conventum habuit, & quinque in locis concilia episcoporum & abbatum primo quoque tempore celebrari curavit, nempe Moguntiæ, Remis, Turonis, Cabilone & Arelati, ad universorum mores reformandos. Nec mora convenere in suum quique locum episcopi & abbates proximis mensibus Maio & Junio. In singulis locis lecti sunt canones pro clericis; lecta una sancti Benedicti regula pro monachis, sancitumque in omnibus, ut abbates & monachi juxta ejus præscriptum vitam instituerent; ne facile extra monasteria progrederentur, neu placita sæcularia adirent, sed eorum advocati causas monasteriorum prosequerentur; & ut certus ac definitus esset, ut clericorum, ita & monachorum ac virginum numerus pro locorum facultate. Observandus est canon vicesimus-secundus concilii Cabilonensis, in quo aiunt patres, se de abbatibus & monachis idcirco pauca scribere, *quia pæne omnia monasteria regularia, in his regionibus constituta, secundum regulam sancti Benedicti se vivere fatentur: quæ beati Benedicti documenta per omnia demonstrant, qualiter eis vivendum sit.* Non ita res se habebant in provincia Turonensi, in qua nonnulla monasteria regulam sancti Benedicti abnegare cœperant, de quibus ita canon vicesimus-quintus concilii Turonensis. *Monasteria monachorum, in quibus olim regula beati Benedicti patris conservabatur, sed nunc forte qualicumque negligentia subrepente remissius ac dissolutius custoditur, vel certe penitus abolita negligitur, bonum videtur ut ad pristinum revertantur statum, & abbates eorumdem in eodem habitu & vita, qua ipsa regula præcipit eos incedere, vivere studeant: quoniam aliqua sunt monasteria, in quibus jam pauci sunt monachi, qui prædicti patris regulam suis abbatibus promissam habeant: quippe cum ipsi abbates magis canonice, quam monachice inter suos conversari videntur.* Hinc mali prima labes, & frustra in monasteriis exactam disciplinam speres, nisi abbates exemplo suis fratribus in omnibus præluceant. Idem malum in cœnobiis virginum ex abbatissis oriri conqueruntur canone sequenti Turonici patres, quam nos quoque hoc tempore querelam integrare possumus. *In monasteriis puellarum multa inveniri possunt, quæ emendatione indigent. nam quædam abbatissarum negligentius, quam oporteat, vivere dicuntur, & ob hoc earum vita & conversatio a multis diffamatur. sed & talium actus subditam familiam imitari velle credendum est. Victus etiam ac vestimenta, aliaque nonnulla necessaria, quæ jure ab abbatissis præparari debuerant, abstracta sibi eadem conqueritur familia.* Nempe dum dominas agunt abbatissæ, ordine & legibus communibus sororum suarum se solutas existimant, trahuntque in eamdem perniciem asseclas suas, quæ eadem libertate, eademque mensa gaudent, opipare instructa. Interim aliæ, invidia & livore plerumque tabescentes, non raro vix necessaria habent, coguntúrque peculiares sibi loculos seponere sub colore necessitatis, non omnino ficto; sicque perit fundamentum religionis, professio paupertatis, quam Deo teste voverant. Idem fit in virorum monasteriis, ubi abbates *magis canonice*, ut loquitur concilium, *quam monachice vivunt.* Qualem fructum ex hoc canone retulerint Turonici patres, nobis incompertum. Sane tam salubri admonitione haud resipuere Martiniani monachi, quorum alii jam dudum canonicos, pauci monachos se ferebant, ut Carolus Magnus in epistola ad eos scripta conquestus est, dato eis Alcuino abbate, ut ad meliorem frugem se reciperent. Suspensa fuit ipso Alcuino vivente hæc vivendi licentia: sed tandem sub Fridugiso abbate res abiit in pejus, tandemque non solum moribus, sed etiam veste deformari, canonicorum laxius

ANN. CHR. 813.

institutum amplexi sunt. quod quidem statim a morte Caroli augusti factum credimus. Denique io Moguntino concilio id speciatim constitutum canone uodecimo, noo modo ut abbates & monachi secuodum doctrinam sanctæ regulæ Benedicti vivere studeant; sed etiam, *sicut sancta regula dicit, ut monasterium, ubi fieri possit, per decanos ordinetur:* propterea quod *præpositi sæpe in elationem incidunt, & in laqueum diaboli.* Vicesimo, ut missi domioici monasteria perlustrent, perspiciantque, utrum *in apto & congruo loco sint posita;* an apta & congrua sint sanctæ professioni ædificia, ita *ut non sit necessitas monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum.* Absolutis hisce coociliis, relatum est ad generale placitum imperatoris quidquid in eis defioitum fuerat; & ex selectis eorum defioitiooibus conditum capitulare, ut auctoritati episcopali imperialis accederet.

Ita sub finem vitæ suæ Carolus rebus publicis, maxime sacris totus occupatus erat. Illustre hujus rei argumentum est, quod *quatuor evangelia Christi in ultimo ante obitus sui diem cum Græcis & Syris optime correxit*, teste Thegano. Denique in eodem conventu Ludovicum filium consortem imperii, Bernardum nepotem Italiæ regem dixit. Tam sedula rerum publicarum sacrarumque cogitatio hominem officii sui ac pietatis summopere memorem probant, suspectumque, ne dicam falsum arguunt id, quod in visiooe Wetini legitur, Carolum mulieribus ad extremum vitæ addictum fuisse.

XI. Frotharius fit episcopus Tullensis.

Ex episcopis utriusque Belgicæ conflatum est concilium Remense, cui Amalarius Trevirorum antistes, qui Coostaotioopolim una cum Petro Nooantulaoo abbate ad sanciendum fœdus missus est hoc anno, noo interfuit, sed Wlfarius metropolita Remensis cum utriusque Belgicæ suffraganeis. Idem tunc Frotharium Tulli episcopum ordinavit, absente Amalario, io locum Waninci, qui VI. kaleodas Januarii e vivis excesserat, Unanimicus in editis mendose appellatus. Frotharii ordinatio XI. kalendas Aprilis consignatur in actis nondum editis episcoporum Tullensium, in quibus Frotharius ante episcopatum abbas monasterii sancti Apri in suburbio Tullensi fuisse traditur, ac Tullensem ecclesiam triginta quinque annis rexisse. Certe optime semper affectus fuit, ut ioferius videbimus, io sancti Apri monasterium, cui Widricus abbas ejus tempore præfuit. Hunc tamen Trevirensis ecclesiæ presbyterum vocat Frodoardus, qoi Frotharii ordinatiooi Amalarium interfuisse perperam scribit [a], quem Coostaotinopolim tunc missum fuisse constat. Frotharius ipse testatur, quod in Gorziensi monasterio educatus fuerit. unde ait se tolerare ac dissimulare, cellam sitam in Warengisi-villa, prope opidum sancti Nicolai, absque suo permissu inhabitari a Gorziensibus monachis, *quia inter eos*, inquit, [b] *me constat adolevisse.*

a Frod. lib. 2. c. 18.

b Froth. ep. 10.

XII. Constantienses episcopi.

Eodem tempore Eginoni episcopo Constantiensi apud Alamannos successit Wolfleozus sancti Galli mooachus, quem suis fratribus non minus infestum, quam Eginooem fuisse paullo infra videbimus. Ratpertus hunc annum componit cum anno Caroli quadragesimo-sexto.

XIII. Dadilæ testamentum pro monasteriis.

In Septimania Dadila seu Dadilanus, vir illustris, testamentum [c] condidit, quo plurimas ejus regionis monasteriis possessiones legavit, assentiente uxore sua Ermegunde. In primis Psalmodiensi saocti Petri cœnobio donat, quidquid sibi *de luctuosa* filiæ quondam suæ Dadanæ ad se redierat in Salignacio & Salignaoello villis territorii Magdalonensis, cum basilica sancti Johannis & sancti Juliaoi: cetera quæ sibi ex eadem *luctuosa* seu morte obveneraot, filiæ suæ Pauletæ reservari jubet. Deinde Anianensi monasterio *sanctæ Mariæ & sancti Salvatoris* omnem portiooem in Petronaco vico territorii Uceuici sibi debitam tradit, aliaque in pago Rotenico. Ad hæc monasterio, quod Conchas vocat, *quod est in honore sancti Salvatoris dedicatum in pago Rodenico* seu Rutenico, locum vocabulo Gressam, cum omni integritate legat, & portionem sibi debitam io loco Vetulla, quæ ipsi ex patre suo Gregorio cootigerat. *Bancos* vero suos aureos, vasorum genus, quos *a domino ac piissimo domino Karolo imperatore* se accepisse dicit, pro remedio animæ suæ io sacerdotes ac pauperes erogari cupit. Item vasa argentea & *æramenta auro vel argento*, vel ferramenta cum aliis ornamentis & supellectili domus suæ, arma item sua, aliaque mobilia, & quadrupedem, quo is utebatur, sacerdotibus, pauperibus, orphanis & viduis distribui. Hæc autem omnia ea conditione legat, ut ipse, dum victurus esset, in sua haberet potestate: & post ipsius obitum usu-fructuario teneret uxor ejus

c Diplom. p. 615.

Ermegundis, si tamen in viduitate permansisset. Actum IX. kalendas Junias, *anno quadragesimo-sexto regnante domino nostro Karolo imperatore.* quem annum Ratpertus monachus sancti Galli componit cum hoc anno octingentesimo tertio-decimo, scilicet tribuendo Carolo totum annum septingentesimum sexagesimum-octavum, quo patri successit. Testamento post Dadilam subscribunt Johannes episcopus & quidam presbyteri ac diaconi, necnon Ansebertus & Basila, aliique. Non diu post hæc superstes fuit Dadilanus, cujus uxor Ermegundis, eo mortuo, de quibusdam rebus ab ipso relictis precariam [a] fecit Theudemiro abbati sancti Petri Psalmodii VIII. kalendas Octobris, anno secundo Ludovici imperatoris. ANN. CHR. 813. a Diplom. p. 615.

Non omittendum hoc loco testamentum Braidingi, viri nobilis ac prædivitis, qui multas possessiones Benedicto abbati Anianensi, ejusque monasterio legavit pro se, *& pro Theobrando genitore suo, Adiasine genitrice, Fulchoteo germano, & Rotrude uxore* sua. Hæ possessiones sitæ erant in pagis Nemausensi, Ucetico, Magdalonensi, & Gavaldenensi. Ex his quædam excipit, quæ in superna arenaria Psalmodiensi monasterio prius dederat. *Actum* VII. *idus Januarias, anno* XLV. *regnante gloriosissimo domino Karolo imperatore*, uti fusius leges in appendice hujusce voluminis. Braidingi donatio.

Ad hunc annum revocanda sunt primordia monasterii beatæ Mariæ de Ovarra in Ripa-curtia in Aragonia, quod Bernardus comes una cum uxore sua Tota ac filiis suis construxit. Ejus rei litteræ habentur in tomo tertio [b] conciliorum Hispaniæ, in quibus Bernardus comes Ripa-curtiæ, & uxor ejus Tota comitissa, filia Galindonis comitis Aragonis, cum consensu & voluntate filiorum suorum Raymundi « & Borrelli comitum, ædificasse dicuntur monasterium in vico Ripa-curtiensi, qui « nuncupatur Ovarra, sito prope flumen Isabana, ad honorem Dei & beatæ Mariæ « virginis & sanctorum apostolorum Petri & Pauli, sancti Stephani & sanctæ Crucis; « illudque fundasse sub regula sancti Benedicti: ubi sub Egicano abbate instituti Ato, « Alvarus, Ratenus, Fedacus, monachi; necnon Somarius, Gimara, Ennego, & « Adefonsus presbyteri, atque Baro diaconus, aliique: quibus alodes & possessiones « assignavit, abstractas de gente paganorum, qui eas a christianis abstulerant *in tempore illo, quo Ripacurtia, & Pallares, & Superarbi erant in possessione paganorum. Facta charta in mense Julio, regnante Carolo rege Francorum, Ennico rege in Aragone*, æra DCCC. LI. subscribunt Bernardus comes & Tota comitissa, Raymundus comes Ripa-curtiæ, & Borrellus comes Pallariensis filii conditorum, qui in illo monasterio humari voluerunt. De Ripa-curtiensis comitatus origine, Superarbis, aliisque hic memoratis lege sis Marcam Hispanicam. Ovarræ cœnobium conditur. b D'Aguirre to. 3. p. 125.

INsequens annus toti orbi christiano, in primis ecclesiæ, morte Caroli imperatoris vere Magni luctuosissimus fuit. Is ipso anni initio post balneum febre correptus, cum in dies languor ingravescetet, septima die ab Hiltibaldo Coloniensi episcopo *sacramenta* [c] *dominici corporis & sanguinis* petiit, *ut exitum suum confirmaret.* Postera die, signo crucis munitus, ubi spiritum suum sollemni psalmi versiculo commendasset, animam efflavit Aquisgrani v. kalendas Februarii, annos natus septuaginta-duos, testibus Eginhardo & Thegano, quos Cointius corrigendos existimat, quasi annos tantum sexaginta-septem Carolus vixerit. at repugnat ipsum ejus epitaphium, quod in arcu ad ejus tumulum erecto in Aquisgranensi basilica sanctæ Mariæ, ab eodem exstructa, hoc modo adscriptum fuit, referente Eginhardo: SUB HOC CONDITORIO SITUM EST CORPUS KAROLI, MAGNI ATQUE ORTHODOXI IMPERATORIS, QUI REGNUM FRANCORUM NOBILITER AMPLIAVIT, ET PER ANNOS XLVII. FELICITER REXIT. DECESSIT SEPTUAGENARIUS, ANNO AB INCARNATIONE DOMINI DCCC. XIIII. INDICTIONE VII. V. KALEND. FEBRUARIAS. Breve & simplex epitaphium pro tanto principe, quem nudum ejus nomen plus prædicat, quam quævis eloquentia. Mortem ejus carmine luxit quidam Columbanus, forte abbas sancti Trudonis, in hymno ad Andream episcopum, qui inter carmina Rabani [d] editus est. Rabanus ipse Caroli obitum retulit in suum martyrologium, ut nonnumquam virorum illustrium nomina kalendariis adscripta leguntur. Idem a Wandalberto factum ob similem causam, si tamen ejus versus sunt, qui in Spicilegio ansulis inclusi, quasi subdititi de Carolo leguntur. Sic in Emmæ reginæ kalendario Lotharii regis ejus conjugis obi- ANN. CHR. 814. XIV. Caroli Magni obitus. c Thegan. c. 7. d Raban. to. 6. p. 217.

ANN. CHR. 814.

tus; sic Mathildis reginæ, aliorumque nomina eidem kalendario inscripta leguntur. Maximo principi plurimum debet Christiana res publica, cujus propagationem ac splendorem regni sui incremento prætulit; plurimum etiam monastica religio, quæ ejus curis ac patrocinio per totum occidentale imperium refloruit, ut palam faciunt concilia & capitularia ejus temporis, & iofinita privilegia monasteriis ab eodem concessa. Falluntur post pseudo-Turpinum, qui viginti quatuor monasteria, pro totidem alphabeti litteris, ab ipso condita commioiscuntur. Sane multa eum monasteria pro conditore habent, quæ ejus favore, privilegiis ac benefactis munita potius, quam ædificiis instructa fuere. quænam ab eo condita fuerint, ex superioribus facile intelligitur.

Magni cognomen merito consecutus est incomparabilis princeps: at illud viventi non fuisse tributum, cum ex Eginhardo aliisque auctoribus æqualibus, tum maxime ex Smaragdo, sancti Michaëlis ad Mosam abbate, intelligitur; nempe ex ejus commentario in Donatum, cujus capite XXI. de quatuor nominum generibus ita scriptum legitur in codice Corbeiensi. *Ergo, si placet, sic ista quatuor propriorum nominum species jam hodie apud nos teneantur, ut dicamus prænomen,* IMPERATOR, *& sit illi proprium dignitatis, quod nulli alio in suo convenit regno: dicamus* KAROLUS, *& sit illi proprium, quod accepit in baptismo: dicamus* FRANCUS, *& sit illi appellativum in genere suo: dicamus* PRUDENS, *& sit illi agnomen appellativum, accidens ei extrinsecus.* ubi certe dicendus fuisset MAGNUS, si hoc cognomen jam tum obtinuisset.

Hunc titulum nullus princeps potiori jure meruit quam Carolus, quem sanctum facile agnosceret universa ecclesia, nisi uxorum & concubinarum pluralitas, etsi forte non simultanea, eximia ejus merita nonnihil obscurasset. Hunc tamen uti sanctum colunt nonnullæ ecclesiæ: at quædam aliæ anniversario defunctorum officio ei parentant. Ejus corpus primo detectum fuit ab Ottone [a] III. sed, abstracto uno ejus dente, in tumulo relictum: donec tandem Fredericus primus deouo inventum, e tumulo extulit, & Carolum ipsum per Paschalem III. antipapam, editis fabulosis de ejus vita commentariis, in sanctorum numerum referri curavit. quod ab Alexandro III. pace composita, dissimulatum, pro approbato postmodum a quibusdam habitum est. Sane Carolum pie decessisse, & saltem sub finem vitæ continenter vixisse, quidquid contra somoietur Wetinus, haud dubitem: quippe qui convocandis pro ecclesiæ reformando statu conciliis, novi testamenti exemplaribus emendandis, aliisque piis operibus immortuus est. Etsi vero post mortem Liutgardis quartæ & ultimæ uxoris, quatuor habuisse coocubinas ab Eginhardo dicitur, eas tamen legali illorum tempore successive habere potuit. quod certe credere par est de principe religiosissimo, cui ecclesiæ leges tantopere cordi erant.

a Chesn. to. 2. p. 219.

XV. Ludovici prima facta Aquisgrani.

Audito patris obitu, Ludovicus e villa pagi Andecavensis Theotvado *, ubi conventum generalem ad purificationem beatæ Mariæ indixerat, statim Aquisgranum contendit: cui obviam processere optimates quique, in primis Wala, summo apud Carolum loco habitus, ob idque Ludovico suspectus. Ubi Aquisgranum venit novus imperator, reserato patris testamento, thesauros ejus, prout constituerat, distribuit. Adfuit etiam paullo post ex Italia Bernardus rex, comitante Adalhardo abbate Corbeiensi, qui ante annos quinque illuc missus a Carolo fuerat. Mox Corbeiam hic, salutato novo cæsare, se recepit: Bernardus vero io Italiam remissus est. Tum Ludovicus Lotharium ac Pippinum filios, quos ex Hirmingarde susceperat, alterum Bajoariæ, alterum Aquitaniæ reges constituit, ratus, id quod res erat, tanti molem imperii majorem esse, quam ut unus subire eam posset. Dehinc generali conventu Aquisgrani habito, missos suos in omnes imperii provincias ad jus suum universis reddendum ire jussit, simulque renovari omnia [b] præcepta, patrum suorum temporibus concessa ecclesiis, eaque manu propria ipse cum subscriptione roboravit.

* Doué.

b Thegan. c. 10.

XVI. Præcepta variis monasteriis concessa.

Unum e primis fuit præceptum, quod Benedicto Anianæ abbati concessit Ludovicus pro libertate & immunitate curruum & navium per totum regnum, datum Aquis kalendis Maii, anno imperii primo, indictione septima. Alterum paullo post Dexter abbas monasterii [c] Duserensis, *quod est constructum in honore sanctæ Mariæ virginis & sancti Petri, aliorumque sanctorum, in territorio Arausico,* ab imperatore obtinuit, oblato præcepto Caroli imperatoris, *in quo continebatur, qualiter ipsum locum,*

c Tournus p. 260.

lectum, qui erat de proprietate soli ejus, ad idem monasterium construendum, vel potius instaurandum, *Norfidio abbati, vel ejus successoribus concesserat*, perpetuis temporibus possidendum. quod Ludovicus ratum habet, concessa insuper libera facultate eligendi abbatis. Actum Aquisgrani anno primo ejus imperii, indictione septima. Tertium præceptum regiæ tutelæ ab eodem indultum est Adalgiso abbati Aninsulensi, qui Rabigaudo successerat, datum itidem Aquisgrani ipsomet anno, kalendis Septembris. Adalgisus successorem habuit Alboïnum, cujus rogatu idem imperator concessit Aninsulensibus facultatem eligendi abbatis secundum regulam sancti Benedicti, *sicut auctoritas canonica & regularis jubet*. Datum Aquisgrani anno imperii ejus duodecimo. Quartum pro monasterio sancti Severini [a] prope Burdegalam, quo ejus loci possessiones confirmantur v. idus Junii. quod monasterium postea cum Blaviensi sancti Romani idem imperator, ad preces Sicharii, episcopi, ecclesiæ Burdegalensi subjecit. Quintum, quo idem imperator ratam habet permutationem, factam inter Petrum abbatem monasterii Nonantulæ, & Rodulfum rectorem monasterii, quod est constructum intra muros civitatis Brixiæ in honore Salvatoris nostri, quod appellatur Monasterium-novum: qua commutatione Petrus «
ex sua parte donat villas Castellionem, Calcinatum, Silvinianum & Monticulum: «
Rodulfus autem villam Reddudum. Data kalendis Augusti, anno I. imperii, indictione «
VII. Actum Aquisgrano. quod diploma authenticum Nonantulæ vidimus. Sextum denique, ut cetera omittam, regiæ defensionis privilegium obtinuit Hilduinus Dionysianus abbas kalendis Decembris, anno itidem primo Ludovici, indictione octava a Septembri inchoata.

ANN. CHR. 814.

[a] Coint. an. 814. n. 64.

Hilduini decessor Waldo seu Walto abbas eodem anno obierat, uti colligitur ex carmine Walafridi Strabonis de visione Wetini, in qua Waldo ante annos decem, quam hæc visio contigerat, (contigit autem anno ejus sæculi vicesimo-quarto) e vivis excessisse, & purgatoriis pœnis errata diluisse dicitur his versibus acrostichis, quibus Waldo exprimitur.

Waltoni abbati Dionysiano succedit Hilduinus.

His visis, celsum cælo montemque propinquum
Adspiciunt, dum ductor ait: Hac arce tenetur
Abbas, ante decem corpus qui liquerat annos.
Ventorum incursus, tempestatumque furores,
Vim pluviæ, multumque ferens discrimen, ibidem
Alluit incauto quidquid neglexerat actu,
Latus ut æterni ducatur regis in aulam,
Deliciasque sacras sanctorum sedis in ævum
Obtineat, pœnaque carens ubi vita sequatur.

Waltonis obitus in necrologiis Dionysiano & Germanensi notatur v. kalendas Aprilis, rectius quam in sancti-Gallensi tertio easdem kalendas. Eum in quadam absidula Dionysianæ basilicæ humatum fuisse, & lumen interdiu noctuque ad ejus sepulcrum arsisse ad suum usque tempus tradit Augiensis monachus anonymus, qui libellum scripsit de translatione sanguinis Christi in monasterium Augiense, quem libellum suo loco referemus. Hilduinus senior, Waltonis successor, in eodem Dionysiano necrologio ad decimum kalendas Decembris, *beati Dionysii monachus & abbas* appellatur. Illustre genus ejus probant fratres ipsius Bernardus & Gairoldus comes, qui in necrologio nostro Germanensi memorantur. Multis laudatur ab omnibus illorum temporum scriptoribus. *Excellentissimum* abbatem vocat Lupus abbas, qui-cum in adolescentia convixerat, alias *nobilitatis, diguitatis & moderationis apice conspicuum*, nempe ob dignitatem archicapellani, qua præditus erat. unde *ecclesiasticorum magister* dicitur ab eodem auctore; & in epistola ecclesiæ Senonensis pro electione Jeremiæ, *sacris negotiis a Deo prælatus*: propterea quod res ecclesiasticas hic solus, aut certe cum rege moderaretur. Ad hæc Frotharius *a Deo electum patrem & magistrum* appellat. Denique Agobardus eum *sanctissimum ac beatissimum vocat* in epistola ad proceres palatii, & *pene solum* cum Wala abbate *in via Dei adjutorem christianissimi imperatoris* Ludovici. quæ elogia longe absunt a conviciis, quibus nostro tempore ob scriptos areopagiticos libros oneratur.

XVII. Mors Angilberti abbatis Centulensis.

Paucis post Carolum diebus superstes fuit Angilbertus Centulensis abbas, quippe

ANN. CHR. 814.

qui eodem anno decessit XII. kalendas Martii, hoc est die vicesimo secundo post obitum Caroli Magni; vir tantæ modestiæ, ut ante fores basilicæ ab se constructæ sepeliri voluerit, ut nemo basilicam intrare posset *qui non sanctam ejus corporis tumbam calcaret*, inquit Hariulfus. Varia ejus epitaphia habentur. unum refert idem auctor quatuor dumtaxat versibus constans, qui laminæ æreæ sepulcri ejus inscripti erant. Aliud legitur inter carmina [a] Alcuini, qui ante eum obierat. Nihil ex ejus scriptis habemus præter quosdam versus, & instrumentum de instauratione monasterii Centulensis. tametsi multas ab eo scriptas fuisse epistolas cum litteræ ad eum scriptæ probant, tum gestæ ab ipso dignitates. Anno ab ejus obitu vicesimo-octavo Ribbodo abbas corpus ejus in ecclesiam inferri curavit; ipsumque e terrâ levari sæculo duodecimo inchoato Anscherus ejidem ejus loci abbas, qui ejus cultum in ecclesia promovit. Ejusdem monasterii regimen post eum beneficio gloriosissimi cæsaris Ludovici obtinuit Hericus seu Ericus abbas, qui villam Sidrudem Heutoni cuidam vassallo in beneficium concessit. Hæc est villa [b] Sidrudis *, a Sigetrude matrona quondam tradita sancto Richario, qui, cum ad transmarinas partes proficisceretur, ibidem hospitari consueverat; ad vestimenta & calceamenta fratrum postea deputata.

a Alcuin. c. 116.

b V. mirac. S. Richarii c. 1.

* Sorrh.

Eodem anno synodo Noviomensi interfuit Ericus cum aliis abbatibus, Adalardo, Nanthario, Fulrado, Hilderico, Remigio, Ebone, & Sigbaldo: qua in synodo inter Wendilmarum Noviomensem & Rothardum Suessionensem episcopos de terminis parochiarum suarum actum est; definitumque, ut Varinæ, Urbs-campus, recentioribus Ursi-campus, Trapiacus, Jerusalem, & ecclesia sancti Leodegarii cum suis villis ad episcopum Noviomensem; cetera loca trans flumen Isaram ad Suessionicum pertinerent. Adalhardus abbas erat Corbeiensis, Nantharius Sithiensis, Fulradus basilicæ sancti Quintini, Hildericus Laubiensis; Remigius, Ebo, & Sigbaldus incertorum locorum secundæ Belgicæ abbates. nisi quod unus ex his Noviomensis sancti Lupi seu Eligii monasterii abbas forte erat.

XVIII. Adalhardi abbatis placitum pro Farfa.

Non multo ante hanc synodum ex Italia, ut jam diximus, reversus erat Adalhardus, qui paullo ante reditum Spoleti in palatio placitum habuerat in causa Benedicti abbatis Farfensis. Actum est in illo placito de quadam donatione, quam Leo civis Reatinus Farfensi monasterio quondam fecerat. Eo mortuo, cum generi ejus contra reclamarent, in judicium vocati sunt a Benedicto abbate. Cum itaque in Spoletano palatio resideret *Adalhard abbas missus domini imperatoris Caroli*, una cum Sigualdo, Gradigiso, & Hisemundo episcopis, Leone judice domini regis, Fratello abbate, aliisque castaldis & scabinis, ad universorum causas audiendas, biduo ventilata est hæc causa, agente Johanne Farfensium advocato; tandemque, auditis utriusque partis rationibus, sententia [c] lata secundum Farfenses anno quadragesimo Caroli in Italia regnantis, & Bernardi ejus nepotis anno quinto, indictione septima, *mense Februarii*; ac proinde paullo post Caroli obitum, cujus nuntius ad notitiam Adalhardi necdum venerat. In chartario Farfensi, ex quo hæc retulimus, fit descriptio palatii non omittenda, prout sequitur. *In primo proaulium, id est locus ante aulam. In secundo salutatorium, id est locus salueandi officio deputatus, juxta majorem domum constitutus. In tertio consistorium, id est domus in palatio magna & ampla, ubi lites & causæ audiebantur & discutiebantur; dictum consistorium a consistendo, quia ibi, ut qualibet audirent & terminarent negotia, judices vel officiales consistere debene. In quarto trichorum, id est domus conviviis deputata, in qua sunt tres ordines mensarum; & dictum est trichorum a tribus choris, id est tribus ordinibus comessantium. In quinto zeta hiemales, id est camera hiberno tempori competentes. In sexto zeta æstivales, id est camera æstivo tempori competentes. In septimo epicaustorium & triclinia accubitanea, id est domus, in qua incensum & aromata in igne ponebantur, ne magnates odore vario reficerentur, in eadem domo tripertito ordine confidentes. In octavo therma, id est balnearum locus calidarum. In nono gymnasium, id est locus disputationibus & diversis exercitationum generibus deputatus. In decimo coquina, id est domus, ubi pulmenta & cibaria coquuntur. In undecimo columbum, id est ubi aquæ influunt. In duodecimo hypodromum, id est locus cursui equorum in palatio deputatus.* Hæc obiter ex chartario Farfensi. Eodem anno Ludovicus imperator insignem donationem fecit monasterio sancti Anthymi diœcesis Senensis, rogatu Apollinaris ejus loci abbatis: cujus rei diploma datum est Aquisgrani IV. kalendas Ja-

c Mus. Ital. to. 1. p. 14 &c.

Palatii descriptio.

S. Anthymi monasterium duplex.

nuarii, anno Ludovici imperatoris primo, in tomo tertio Italiæ sacræ ab Ughello relatum sub Peritheo episcopo, cujus tempore hoc cœnobium a Carolo Magno conditum creditur, novæ cathedrali ecclesiæ Montis-Alcini perpetuo unitum a Pio secundo. Situm erat in comitatu Clusino, in loco, qui dicitur Vallis-Startia. Alia erat in Sabinis, viginti ab urbe Roma passuum millibus, sancti Anthymi nobilis olim abbatia, nunc diruta: ubi olim episcopalem ecclesiam, *Cures* dictam fuisse a Correso fluvio, Holstenius auctor est, cui Lubinus subscribit in Notitia Italiæ abbatiarum. ANN. CHR. 814.

XIX. S. Quintini basilica instauratur a Fulrado abbate.

Adalhardi patrueles erant Fulradus abbas sancti Quintini basilicæ apud Augustam-Veromanduorum, & Folcuinus futurus episcopus Taruennensis, ex Hieronymo patre, Caroli Martelli filio, Bernardi Adalhardi patris germano. Sancti Quintini basilicam olim monachorum fuisse jam probavimus ex electione Ebertramni monachi, qui ex Sithiensi monasterio ad regimen Quintinianæ basilicæ sæculo septimo assumtus fuit. Lagbardi & Hieronymi abbatum post Ebertramnum mentio fit in libro de miraculis sancti Quintini. Hieronymus tempore Pippini regis locum rexit, & post eum Fulradus, de quo in præsens agimus. Is hoc anno novam basilicam inchoasse dicitur a Theodulfo Aurelianensi antistite. quod Hemeræus potius de continuatione, quam de inchoatione fabricæ, utpote Carolo vivente incœptæ, interpretandum existimat. Theodulfi [a] versus, quondam litteris aureis scripti, hujusmodi sunt.

[a] Theodulf. lib. 2. c. 7.

Cum denis lustris ternos minus inclytus annos
Rex ageret Karolus sceptra tenendo pia;
Rebus & humanis exemtus, culmina regni
Linqueret ingentis, rex Ludovice, tibi;
Datque octingentis Christi incarnatio felix
Addere currentis quattuor atque decem;
Condere cœpit opus hujus venerabilis aulæ
Abbas Fulradus, nobilitate cluens.
Namque huic Hieronymus, Carolus pater exstitit illi,
Qui propriæ specimen gentis ad alta tulit,
Bella gerens, pacemque tuens, qui culmina regni
Ad prolem misit, auxiliante Deo.

Monachos ad id tempus ibidem perseverasse colligimus ex Dudone [b] decano ejus ecclesiæ, qui agens de basilica sancti Quintini a Nortmannis combusta: *Quintini*, inquit, *testis super athera noti, incenditur delubrum, monastichis rebus prabaltcatum.* Idem Fulradus sancti Præjecti martyris reliquias, Caroli jussu sibi concessas, sancti Quintini corpori sociare constituerat. *sed qui omnia antequam fiant prævidit, præfatas reliquias alio transferre & locare disposuit: ubi a fratribus monastico ordine decenter ornatis, & abbate prædicti monasterii locatæ honorifice requiescunt*, ut legitur in brevi relatione de adventu sancti Præjecti apud Hemeræum. quod intelligendum videtur de monasterio sancti Præjecti, olim extra, nunc intra muros Augustæ-Veromanduorum posito: cujus prima forte exordia Fulrado tribuenda sunt; restitutio Alberto comiti & sancti Quintini abbati, qui tamen primus ejus auctor vulgo censetur.

[b] Dudo lib. 1. c. 1.

S. Præjecti monasterium.

XX. Adalhardus abbas exsul.

Paullo post synodum Noviomensem Adalhardus abbas in Heri insulam jussu Ludovici augusti relegatus est, Pictonibus & Armoricæ conterminam, ubi olim sanctus Filibertus abbas monasterium exstruxerat, ejus tumulo dein nobilitatum. Id sine accusatore, sine congressu, sine audientia & judicio factum ait Paschasius, non tamen sine quorumdam optimatum invidia, qui Adalhardum, Walam fratrem, eorumque propinquos, ob maximam, qua pollebant, in regno auctoritatem, Ludovico, pio quidem principi, sed suspicioso ac meticuloso, suspectos reddiderunt, & longius ab aula amandari curarunt. Certe timebatur quam maxime Wala, inquit astronomus, utpote summo apud Carolum imperatorem habitus loco, ne forte *aliquid sinistri* contra novum imperatorem moliretur. Adalhardus itaque *pulsus præsentibus bonis, dignitate exutus, vulgi existimatione fœdatus, ob beneficium rei publicæ exsilium tulit.* Mittitur *quasi unus ex ignobilibus* ad Heri insulam. Missus vero illuc *omni humano privatur honore*, atque adeo Corbeiensis abbatiæ regimine, quod

ANN. CHR. 814.

Adalhardus junior, ejus alumnus ac discipulus, eo absente suscepit, atque ad septennium tenuit. Tum procedit senex noster, ait Pascbasius, quasi ad epulas invitatus, ad designatum exsilii locum, fortis fide, mente alacer, conscius puritate; Deo gratias agens, quod dignus inventus esset pro veritate contumeliam pati; tantam denique constantiam præ se ferens, ut duo archiepiscopi, qui eum discedentem salutaverant, imperatori augusto retulerint, numquam ei gaudium simile afferri potuisse, quippe sibi gratulanti, quod pristinam in Christo reciperet libertatem. Quod audiens imperator, pudore suffusus doluit se fecisse, quod jam inhibere suppudebat. At vero pius Christi famulus hoc cæsari quasi pro crimine imputantibus aiebat, id Dei nutu fieri, non hominis potestate; se, ubi Deo visum fuerit, revocandum. *Interim vero*, inquit, *quæso, parcite a Deo collato nobis principi, quod non sua quodam modo, sed Domini nostri, cui peccavimus, utitur voluntate. Ceterum, juxta beati David vocem, si Dominus incitat eum adversum nos, precor suppliciter exorate, ut sacrificium humilitatis nostræ odoretur.* Sic inter omnium voces ac singultus gementium, qui veritatis & justitiæ patronum ac vindicem quasi amissum lugebant, medius ipse consolator aderat, incitatorque factis amplius quam verbis ad virtutes.

Acceptus in Herense monasterium, cui tum Arnulfus abbas præerat, primum quidem inter fratres quasi sub custodia degere videbatur: dein vero, ubi eis propius notus esse cœpit, tum ejus amore toti inardescere, ipsum quam maxime venerari, non ob regiæ propinquitatis honorem, sed ob præstantiam ejus meritorum ac virtutum: ut ejusdem loci pater & totum illud Herensium collegium, in ejus conversi obsequium & admirationem, nihil absque ejus consilio agerent, eique in omnibus morem gererent. Interim ille jam cælesti sabbato ac quiete fruebatur, eratque ipsi felix illa habitatio in modum paradisi, ex quo serpentis invidia primus ejectus homo est. Hinc totus effusus in gratiarum actiones, preces pro exsilii sui auctoribus offerre Deo non cessabat, rogans & obsecrans, ut eis hoc, quodcumque erat, peccatum condonaret; simul lugens ac dolens eorum vicem, qui in delicias & amorem sæculi resoluti, licentiam vel impunitatem scelerum pro felicitate habent. Neque tamen aut loci, quo dudum insederat; aut ejus, in quem propulsus erat, amore tenebatur, paratus pro hominum, vel potius Dei impulsu, locum mutare, utpote cujus conversatio in cælis tota esset. Sic divino arbitrio factum est, ut, qui pæne omnes Europæ partes splendore virtutum suarum illustraverat, etiam extremos Aquitaniæ fines ac recessus eodem lumine collustraret. In eo secessu studia litterarum non omnino abjecit, ut fidem facit historiæ tripertitæ Corbeiensis codex, quem, cum in Heri insula exsul ageret, describi curavit.

XXI. Wala fit Corbeiæ monachus.

Cum vero Corbeia mærens tanto viduata patrono lugeret; in consolationem sui, Domino dispensante, Walam Adalhardi fratrem, virum clarissimum, inter eos quos habebat nobiles, velut tironem suscipere meruit, quem post decessum fratris patrem demum habitura erat. Hunc ipse secessum proprio arbitrio, Deo duce, elegit ad sanandam æmulorum invidiam; sed non ante in monasterium admissus, quam variis repulsis & increpationibus, ut regula præcipit, probatus fuisset. Tum, deposito sæcularis militiæ cingulo, mundique illecebris sine dolore abjectis, quas sine amore penes se habuerat; propositum monachi tanto fervore atripuit, ut ei levia essent, quæ plerisque durissima videntur. Venit enimvero, Pascbasio teste, ad monasticam vitam jam pæne perfectus. quod ex his, quæ superius de sæculari ejus vita diximus, facile intelligitur. Mox omnium oculi in eum, tamquam ad lumen, defixi erant; & qui ab aliis erudiendus venerat, ipse exemplo suæ gravitatis ac probitatis informabat omnes. unde facilius coram sole, quam coram ipso aliquid reprehensione dignum admisissent, pudica mente singuli oculos vultumque ad ejus conspectum submittentes. Forte, cum novitius adhuc esset, tumescente alveo fluminis, jussum est more solito, ut fratres turgentes herbas resecarent, ne aquæ amplius exundarent. Tum ille ceteros exhortari cœpit, ut tunicis tantum induti, (frigus autem rigebat) in aquam se demitterent ad opus accelerandum. Nec mora perplures cum eo aquas ingressi, multo frigore correpti sunt. quo relato ad patrem monasterii juniorem Adalhardum, mox inde extracti sunt, atque increpiti, ne deinceps talia auderent.

Post annuam probationem hospitio præfectus, mirum est quam humilis, quam humanus ac benignus fuerit in omnes. Vidisses eum viliora semper appetere, as-

pera tolerare, horrida & fœtida attrectare, non modo calceamentis hospitum extergendis, sed & vulneribus pauperum curandis, vestibusque abluendis. cujus laborem si quis relevare vellet, conquerebatur, quod ejus officium sic evacuarent, & obedientiam sibi commissam præriperent. Jam vero noctu, post brevissimum somnum, non minus ante, quam post vigilias fratrum, cum Maria indefessus ad pedes Domini Jesu, coram sanctis altaribus prostratus humi jacebat, lacrymarum imbre solum rigans, Deum rogans atque pulsans, ut ei januam pietatis suæ aperiret. Hinc Paschasius nomen ei tribuit magni illius Arsenii, qui lacrymarum singulari dono præditus erat; eumque comparat cum sancto patre Benedicto, atque etiam Jeremia ob adamantinam in improbos constantiam, cum esset virorum omnium mansuetissimus. Denique cum vice sua hiemalem fratrum calefaceret domum, quanto magis igne & fornacis incendio torridus, ac fumo infuscatus videbatur, tanto augustius virtutibus resplendebat. Ex hoc exemplo recte infert Paschasius, nonnullos, qui inter virtutum tirocinia innutriti sunt militaribus rebus, postmodum ad Christi militiam puriores ac perspicaciores accedere, quam si essent inexperti. ANN. CHR 814.

Erant Adalhardo & Walæ Bernarius frater, sorores duæ, Theodrada & Gundrada: ex quibus ille Corbeiæ jam monachus, *Lirinum remittitur*, ut loquitur Paschasius; dein, ut videtur, translatus in sancti Benedicti monasterium, Floriacense an Casinense, ex quo eum postea revocatum, & Corbeiæ demum cum Adalhardo restitutum fuisse astronomus tradit. Gundrada, sororum altera, quæ inter venereos palatii ardores, inter mulcentes delicias atque omnia libidinis blandimenta, sola meruit, ut Paschasius credebat, reportare pudicitiæ palmam, & triumphum victrix obtinere pudoris, ad Pictavense monasterium sanctæ Radegundis ablegata: ut, cui inter palatii discrimina ex parte similis fuerat, in claustro virtutum ejus insignia imitaretur. Denique Theodrada eorum soror Deo devota, quæ jam reddito fructu nuptiarum, secundum castimoniæ gradum arripuerat in parthenone beatæ Mariæ apud Suessionas, ubi sanctimonialium cœtum abbatissa regebat; hæc, inquam, tamquam innocens, sub sancta professione ibidem relinquitur. Ad Walæ uxorem quod attinet, forte hæc fuit Gerberga, filia Willelmi ducis, quæ ob mariti secessum sanctimonialis facta sit, dein jussu Lotharii aquis præfocata, ut superius jam diximus. Hæc fortuna fuit omnium Adalhardi ac Walæ propinquorum. XXII. Propinqui ejus quid passi. Walæ ipsius uxor.

Leidradus antistes initio imperii Ludovici, ut tradit Ado, Lugdunensem archiepiscopatum sponte abdicavit, & in Suessionense sancti Medardi cœnobium se recepit. Haud scio an Hilduinus jam huic loco præerat. nam quæ de Hugonis præfectura leguntur in chronico Novaliciensi, nullam fidem merentur. Leidrado in sedem Lugdunensem subrogatus est Agobardus, antea ejusdem ecclesiæ chorepiscopus, quem Barnardus jussu regis consecravit, consentientibus aliquot ejusdem provinciæ episcopis, id improbantibus aliis, tamquam immane crimen, utpote canonibus apostolorum contrarium, censentibusque, episcopum, vivente altero episcopo, non esse ordinandum. Concilium hac de re Arelate convocatum tradunt, ubi, excusato ægre Barnardo, statutum fuisse dicitur, ut, Leidrado ad suam ecclesiam reverso, Agobardus nihilo minus in suo gradu remaneret: sed ut deinceps nullus episcopus, alio vivente, constitueretur. Non tamen ad suam ecclesiam revertit Leidradus: at quam diu in monasterio sancti Medardi vixerit, incertum. Ejus obitus quinto kalendas Januarias notatur in necrologio ecclesiæ Lugdunensis. XXIII. Leidradus archiepisc. fit monachus apud S. Medardum.

Ubi Ludovicus imperium subiit, mox Benedictum Anianæ abbatem secum in Franciam traxit, eique Maurum-monasterium commisit in Alsatia positum, ubi complures strictioris vitæ sequaces ex Anianæ monasterio adductos collocavit. Verum quia locus ille longius distabat ab Aquisgranensi palatio, ubi residere solebat imperator, nec proinde in promtu aderat Benedictus, quem ille multis de causis sibi necessarium credebat; placuit Ludovico, ut non longe a palatio locum sibi aptum provideret, in quo cum paucis e suis conversaretur. Itaque *fratribus Mauro degentibus* præfecto abbate, ipse cum nonnullis imperatoris voluntati obtemperaturus accessit. Vallis erat a palatio sex fere millibus distans, Inda a proximo rivulo dicta, quæ viro Dei maxime arrisit. Illic novi monasterii sedem figere constituit Benedictus. Perfectis ex regia munificentia ædificiis, ecclesiæ dedicationi, sub titulo sancti Cornelii papæ & martyris factæ, adfuit imperator, qui locum ex fiscalibus prædiis copiosissime ditavit ad triginta fratres alendos, quibus immunitatem XXIV. Benedictus Mauri-monast. reformat, Indam condit.

ANN. CHR. 814.

scripto diplomate concessit. Hinc fratrum numerum ex notis monasteriis Benedictus congregavit, qui aliis exemplo ac documento essent futuri, dum indigenæ, æterno regi militare desiderantes, eorum locum supplerent. Post hæc cœpit vir Dei palatinas præter morem terere fores, & olim dimissum ferre tumultum ob multorum utilitatem. Omnes siquidem, qui quidvis negotii apud imperatorem habebant, causas suas commendabant Benedicto. Hic vero benigne accipiebat universos, eorumque petitiones vel querimonias, schedulis impressas, opportuno tempore offerebat imperatori: qui simul Benedictum videbat, mox ***mappulam, manicasque ejus*** palpabat, si quid ejusmodi schedularum reperiret. Libenter quippe subditorum querimonias audiebat, earumque rationem habebat. Sic Benedictus omnium miserorum patronus & advocatus erat, uti monachorum pater & institutor. Ab hoc tempore Benedictus, cum propter Ludovici commorationem Aquisgrani pæne continuam Indæ demorari cogeretur, Anianæ abbatem suo loco Senegildum præfici curavit.

XXV. Riculfo Moguntino episcopo succedit Heistulfus.

Sub initium hujus anni, aut certe sub præcedentis exitum, e vivis excessit Riculfus pontifex Moguntinus, alio nomine Damœta dictus, sepultusque est in basilica monasterii sancti Albani, ab se condita & dedicata: ubi verno tempore anni superioris concilium, ex provinciis Moguntina & Coloniensi conflatum, habuerat. Non ergo ante senescentem annum superiorem, quo ejus obitus in chronico Saxonico reponitur, nec certe post hunc annum locari potest, quo successor ejus Heistulfus seu Haistulfus ordinatus fuisse dicendus est. quippe qui hoc ipso anno Rabanum presbyterum x. kalendas Januarii ordinavit, anno scilicet primo Ludovici augusti, ex Fuldensibus annalibus Lambecianis. Is in regimine Weissenburgensis monasterii dicitur successisse Bernario, ad cathedram Wormatiensem sub finem octavi sæculi promoto: qui tamen episcopus & abbas appellatur in Augiensi necrologio, tamquam abbatiam simul cum episcopatu, ut tunc non raro fiebat, retinuerit. Idem Perinharius dictus in libro fratrum conscriptorum [a] sancti Galli apud Goldastum, quo in libro, sicut & in Augiensi, ubi Weissenburgenses recensentur, nulla Heistolfi mentio fit: nisi is sit Justolfus episcopus, qui in utroque notatur, cum Perinhario seu Bernario mox dicto, Folwico, Atone, Otgero, & Benedicto episcopis in sancti-Gallensi, quibus Grimaldus abbas ibidem adjungitur; in Augiensi vero Gerhoh abbas inter Justulfum episcopum & Bernarium episcopum & abbatem.

a *Gold. to. 2. rer. Alam. p. 185.*

XXVI. Amalario Trevirensi Hetti abbas Mediolacensis.

Hoc ipso anno Hetti abbas Mediolacensis suffectus est in locum Amalarii metropolitæ Trevirensis, qui diem ultimum absolvit cum legatione Constantinopolitana. Hic auctor est libri de ceremoniis baptismi ad Carolum augustum; non vero quatuor librorum de officiis ecclesiasticis, qui ab aliquot sæculis eidem falso adscripti sunt. Alius quippe fuit Amalarius archiepiscopus Trevirensis, ut diserte probat Sirmundus in epistola ad Constantinum [b] Caëtanum; alius Amalarius horum librorum scriptor, collectorque regulæ canonicorum in synodo Aquisgranensi, de quo fusius [c] in consequentibus agemus. Amalharius episcopus monasterio sancti Eucharii dono dedit collectaneum Eugipii abbatis, qui manu sua nomen proprium codici cum solemni adjuratione sic præscripsit, teste Browero. *Amalheri episcopus civitatis Treforensis, quem adquisivi parvitate mea, trado partibus ecclesiæ sancti Eucharii Treforensis successorum. Quisque futurus sis, sive potens in sæculo, sive pauper, sive scholasticus, sive idiota, te precor per Dominum Christum, qui nos judicaturus est, ut ne auferas illum a supra dicta ecclesia. Et ut firmius cognoscatur, mea manu subscripsi, & in principio, & in fine libri.* Nunc tamen contra legatoris voluntatem iste codex servatur in metropolitana bibliotheca. Sepultus est Amalarius in æde Pauliniana. Ejus successor fuit Hetti abbas Mediolacensis cœnobii, quod Trevirensium antistitum quoddam veluti seminarium erat, natalium splendore illustris, germanus frater Grimoldi seu Grimaldi, Ludovici Germaniæ regis archicapellani, ac demum abbatis sancti Galli, ut inferius videbimus, ubi de ejus obitu agemus, qui post annos prælaturæ triginta-septem contigit, non tantum *triginta*, ut in vulgata historia [d] Trevirensi legitur.

b *Sirmond. to. 4. nova edit. p. 641.*
c *Infra. n. 52.*
d *Spicil. to. 12. p. 213.*

XXVII. Lis inter Fortunatum abbatem & monachos Medianenses.

Non Mediolacensis, sed Medianensis in Vosago, ut superius [e] jam diximus, monasterii abbas fuisse videtur Fortunatus ille, de quo Frotharius episcopus in prima & tertia ex suis epistolis agit. quæ res paullo accuratius hoc loco tractanda est. Sub initium principatus Ludovici augusti magna simultas orta inter Fortunatum abbatem adventitium, & monachos suos, de portione, quæ utrisque competere debebat.

e *Lib. 26. n. 83.*

Fortunatus summo jure totius substantiæ administrationem sibi vindicabat: monachi vero, ut ille erat alieni gregis & instituti, certam sibi portionem assignandam esse contendebant. Res ad Ludovicum delata, commissaque ejus negotii cura Smaragdo abbati sancti Michaëlis ad Mosam, qui monachis *portionem de abbatia dedit, ut regulariter viverent.* Et re quidem vera hi *regulariter* vixere, *quousque Fortunatus recessit:* verum, eo mortuo, Hismundus ejus successor monachorum portionem usurpavit, pollicitus, se eis omnia necessaria *regulariter administraturum.* At ille fidem fefellit. unde monachi conquesti sunt apud Frotharium Tullensem episcopum, dicentes, se, rebus necessariis deficientibus, regulariter vivere non posse. Venit ille, & rem, uti exposita fuerat, ita habere cognovit. Ipso agente, promisit abbas, se omnino emendaturum, quidquid hactenus negligenter ab ipso actum fuerat. Assentiebat Frotharius, & ut monachi pariter consentirent, satagebat. Sed illi timentes, ne, sicut sæpius evenerat, aut per abbatem, aut per ejus ministros, illius promissio frustraretur; ejus promissis fidem habere noluerunt, portionem sibi assignatam reddi postulantes. Negare abbas se id facturum injussu imperatoris. Hujus adeundi facultatem sibi dari unanimi consensu monachi Frothariûm rogarunt, affirmantes malle se de monasterio expelli, & ostiatim mendicando vivere, quam falsis promissionibus eludi, & sub falso monachorum nomine irregulariter vivere. Hanc facultatem eis indulsit Frotharius, idque litteris imperatori significavit, ac monachos aliis litteris Hilduino abbati & archicapellano commendavit. Quid de his statuerit imperator, nobis haud innotescit. Verum in toto hoc negotio actum videtur, non de Mediolacensi monasterio diœcesis Treverensis, sed potius de Medianensi, quod intra fines parochiæ Tullensis situm est. Cur enim ad Frotharium Tullensem reclamassent illi monachi, & non potius ad Treverensem antistitem, ex abbate Mediolacensi, si Mediolacenses ipsi fuissent? Accedit quod eo tempore Medianum-monasterium regebat Fortunatus patriarcha & abbas; &, interposito post eum Waldone, Ismundus episcopus dictus. quæ omnia prædicto negotio apprime congruunt, ut jam superius * ostendimus. Denique in veterrimo codice, quo usus videtur Chesnius in his edendis epistolis, non *Mediolacensis*, sed *Mediolanensis* monasterii adscripta est mentio, ubi forte primitus scriptum fuerat *Medianensis.* Ceterum nullam forte antiquiorem invenias partitionem redditiuum factam inter abbatem & monachos, quam istam, cujus similes, in monasteriis Dionysiano & Germanensi ab Hilduino abbate factas, postea videbimus.

ANN CHR. 814.

Monachorum portio separata.

* Lib. 26. n. 83.

Ismundo seu Ismundo Johannes de Bayone subjungit Theodericum & Reginardum Medianenses abbates. Et Reginardum quidem ejus loci rectorem fuisse constat ex disticho, quod altari beatæ Mariæ ab eo erecto appositum ita legebatur, referente Bayone.

Hoc altare in honore Dei sanctæque Mariæ
Munere de proprio Reginardus contulit abbas.

At vereor, ut Theodericus ejusdem loci rector fuerit, & non potius Senoniensis. Hos enim suspicor esse abbates duos, quibus idem Frotharius inscribit epistolam vicesimam-sextam, in qua agit de luporum infestatione, qui tunc temporis illas plagas devastabant, hominesque, jam superiori anno peste affectos, devorabant; deque murium pernicie, qui vineas ac segetes tum depascebantur. Quapropter Teuderıcum & Ragenardum monet Frotharius, ut præcipiant, omnes presbyteros, « in illis locis commanentes, ad sua monasteria pariter convenire, & per triduum je- « juniis & litaniis insistere, cilicio & sacco obvolvi, cinere conspergi, & communi « supplicatione Domini clementiam obnixe deprecari: ut ejus exuberans misericor- « dia non secundum merita eos dijudicet, sed ad pœnitentiam recurrentes miseri- « corditer suscipere dignetur. Omnem itaque populum *ad confessionem & pænitudinem pro peccatis suis* a sacerdotibus provocandum, *ne subito*, inquit, *nos exitialis* « *morbus absumat, & inferni voracitas perenniter cruciandos absorbeat: & , si mens nostra caritatis amore Dei conspectibus renuit famulari, saltem mortis formidine a malis retracta, in salutiferis actibus convalescat.* Hæc, diversis licet gesta temporibus, continua serie exponere visum est operæ pretium, ut juxta se posita ex mutua collatione amplius elucescant.

ANN. CHR. 814 XXVIII. Hagustaldensis episcopatus deficit. [a] Scrip. x c. 300.

Ut res hujus anni paucis absolvamus, hoc tempore desiisse traditur in regno Northanimbrorum episcopatus Hagustaldensis, qui ab origine, id est ab annis ferme centum & quadraginta, sancto Wilfrido auctore Benedictinis monachis paruerat. Quæ fuerit hujusce cessationis causa, non prodit Richardus [a] ejus loci prior, qui hanc ait accidisse ante devastationem ejus provinciæ, a Danis factam anno ejus sæculi septuagesimo-quinto. quo ex tempore, eversa ejus loci ecclesia, per Eardulfum Lindisfarnensem episcopum Hagustaldensis episcopatus apud Cestram instauratur anno ejusdem noni sæculi octogesimo-tertio; post annos duodecim demum in urbem Dunelmum translatus. Sic Hagustaldensis ecclesia ornamentis & cultoribus fere destituta fuit ad sæculi duodecimi initium: quo ex tempore canonicis regularibus sancti Augustini paruit.

ANN. CHR. 815. XXIX. Ratgarii concordia cum episcopo Wirziburgensi. [b] Tradit. Fuld. p. 563. male 525.

INsequente anno Ratgarius abbas Fuldensis concordiam pacificitur cum Wolfgero Wirziburgensi episcopo: at novas cum suis monachis rixas serit, quæ in apertam demum secessionem verterunt. Lis erat cum episcopo de quibusdam decimationibus, quas Ratgarius in illa parochia Fuldensibus deberi contendebat. Has tandem eis cessit [b] Wolfgerus, ad pristinam discordiam, quæ inter ipsos versabatur, removendam, reformandamque veram concordiam & christianam caritatem. Inter alia dedit episcopus *tum consilio fratrum suorum* prædicto abbati villas quinque cum monasterio Holzkyricha, item septem alias cum monasterio *Ratestorf*, quæ monasteria in illa parochia sita erant. Actum VI. kalendas Aprilis, anno secundo Ludovici imperatoris. De priori monasterio alias diximus. Ratestorfense, monachorum cœnobium Caroli Magni ætate [c] a Reggone, Hattone, Brunichone, sancti Bonifacii memoriæ sub titulo sanctæ Cæciliæ conditum traditur.

[c] Antiq. Fuld. p. 147.

XXX. Fuldæ nova seditio. [d] Lib. 27. n. 82.

Actum est superius [d] de Fuldensibus turbis, ob Ratgarii abbatis sævitiam excitatis, quæ Caroli Magni auctoritate tantisper repressæ, demum in apertam seditionem erupere. Id factum ait Candidus *propter austeritatem indiscreti pastoris*: quo sedente, non pauci monachi, *prætextu alicujus utilitatis*, ad alia monasteria extrusi sunt; &, quod dictu ac visu miserabile fuit, *senes atque decrepiti*, absque ulla commiseratione, ad loca diversa inviti distracti. Hanc tragœdiam pathetice describit Rabanus, testis ejus ipse ac particeps, in carmine tricesimo ad quemdam Fuldensem monachum exsulantem. Tunc Fuldensis congregatio, quæ uno corpore, unaque anima constare videbatur, divisa est in duas partes: quarum una Fuldæ remansit, alia foras extrusa fuit. Nullæ preces, lacrymæ nullæ durum patrem flectere valuerunt. Immo obduruit ille ad preces gemitusque suorum.

Durescit qui animo, & cedere nescit.
Trux deturbat oves, cæde cruentat;
Nullius miseret, sævit in omnes.
His commota malis turba reliquit
Antiquum stabulum: fit peregrina.
Lassis una salus pergere longe est.
& infra: *Diverso interea mœnia luctu*
Miscentur: resonant cymbala cumque,
Et signum ecclesiæ convocat omnes.
Accurrunt tumulo martyris almi:
Flet mista senibus plebs juniorum.
Ex imo gemitus pectore ducunt,
Expanduntque manus cum prece fusa.

sic desinit mutilum carmen, quod quovis colore melius lugubrem hanc scenam repræsentat. Mihi aliquando visum fuit, Rabanum per eam tempestatem peregre abiisse in loca sancta, quod ex ejus commentario in Josue nondum edito colligendum putabam. Verum hunc locum ex Origene desumtum postea deprehendi. Ratgarii feritatem ac facinus Modestus monachus præclaro schemate depinxit, in quo Ratgarius ipse cum pedo pastorali, absque monastico cucullo exhibetur, apposita monocerotis [e] imagine, infesto cornu in oves incurrentis, qualis in sequenti pagina exhibetur.

[e] Fuld. antiq. p. 90.

In his



RATGARII ABBATIS SCHEMA

In his angustiis monachi unum his malis remedium, quod jam in Carolo experti erant, sibi superesse existimarunt, perfugium scilicet ad Ludovicum imperatorem, qui, audita eorum vexatione, tantum doloris se concepisse fassus est, quantum numquam secundum parentis sui Caroli obitum expertus fuerat. Hic itaque occidentales monachos, Aaronem & Adalfridum cum aliquot sociis, ex Gallia accitos, Fuldam ire jussit ad has turbas componendas, ad revocandos exsules, & ad ea corrigenda, quæ in his turbis vitiata fuissent. Illi ubi eo advenerunt, Ratgario quiescere jusso, monasterii statum componere cœperunt, decanis cum præposito constitutis: sicque Fuldensibus pax restituta est, qui *sub eorum magisterio* per aliquod tempus, vitam quietam duxerunt. Nihilo minus hoc anno, si valet Broweri [a] correctio, rogatu Ratgarii abbatis dedicata est ecclesia in Cellis ab Heistulfo Moguntiacensi archiepiscopo in honorem domini nostri Jesu Christi, & sancti Bonifacii martyris, ac sancti Johannis Baptistæ, sanctorumque Petri & Pauli, Martini, Benedicti & Cæciliæ, quod sanctimonialium [b] cœnobium erat, Fulda distans octodecim fere millibus passuum ad ortum solstitialem, juxta collimitium orientalis Franciæ, & tractus Hennebergii.

Monasterium in Cellis.

a *Ibid. p.* 152.

b *Ibid. p.* 146.

XXXI.

Monasteria duo condita in Germania.

Duo eodem anno in eadem Wirziburgensi diœcesi condita fuisse monasteria Bucelinus auctor. Murhartense in pago Wirtembergensi, haud procul ab Hala civitate Suevica, a Ludovico imperatore conditum tradunt; ejusque condendi auctorem fuisse Waldericum seu Walthericum, virum sanctum, primumque loci abbatem, qui eremiticam vitam hactenus sectatus fuerat. Ejus itaque rogatu Ludovicus *in nemore prope castrum suæ proprietatis, quod vulgo Hunenburg dicitur, juxta rivum, qui dicitur Murra*, cœnobium condidisse memoratur pro duodecim fratribus, qui cum Aalcherico abbate illic Deo servire, & secundum instituta regulæ beati Benedicti vivere deberent. Murra dexteram Nicri ripam subit. Alterum Swarzachium ad Mœnum in honorem Salvatoris, ac beatæ Mariæ virginis ac sanctorum Sebastiani ac Felicitatis martyrum a Megingaudo duce seu præfecto regionis, & ab ejusdem uxore Imma ædificatum: cujus Benedictus abbas primus a Bucelino assignatus, eidem loco ad duodetriginta annos præfuisse dicitur. Aliud ejusdem nominis monasterium in diœcesi Argentoratensi, a Ruthardo duce Alsatiæ, ejusque conjuge Irmesinda conditum, de quo alias [c] diximus.

c *Lib.* 20. *n.* 75.

Adalhardus junior.

Tentatum etiam tertium in Saxonia monasterium ab Adalhardo juniore, qui senioris vices exsulantis in regimine Corbeiensi tunc gerebat. Is animo repositum habens magistri sui votum de construendo apud Saxones monasterio, ut scribit auctor libelli de constructione novæ Corbeiæ; sive, quod tradit Paschasius, impulsus a Wala, primo ejus consilii auctore; ejus exsequendi provinciam in se suscepit, atque habito cum fratribus suis, & cum quibusdam Saxonibus consilio, rem ad imperatorem retulit, qui tunc placitum habebat apud Patherbrunnam. Probavit consi-

ANN. CHR. 815.

lium imperator, & ad christianæ in illis partibus religionis profectum illic monasterium monachorum constrni jussit. Petita obtentaque facultas ab Hathumaro diœcesano episcopo. Mox idem abbas cœnobium construere cœpit in loco, Hechi appellato: ubi, cum per sex amplius annos laborasset, nihil tamen perficere potuit. Reservatum id erat seniori Adalhardo, qui post id tempus Corbeiam novam in ea regione exstruxit. Sed de his accuratius infra.

XXXII. Radoni abbati Vedastino succedit Adalungus.

Ad hunc annum refertur obitus Radonis abbatis monasterii Nobiliacensis seu sancti Vedasti apud Atrebatas, olim cancellarii Caroli imperatoris. Laudatur ab Alcuino [a], quod sancti Petri basilicam, in favillas ac cineres redactam, augustius renovaverit, variisque ornamentis, palliis ac vasis sacratis exornaverit, ac tumulum sancti Vedasti, aramque illi adjunctam vario metallo decoraverit. Radoni suffectus Adalungus, legationibus ab Ludovico impositis illustris, uti sequentia docebunt.

[a] Alcuin. epigr. 66 67. 68 & 81.

XXXIII. Justo abbati Claudius inscribit commentarios in Matthæum.

Florebant hoc tempore Justus Carrofensis, Theodemirus Psalmodiensis, & Druсterannus Sollemniacensis abbates, quibus hoc fere anno singulos commentarios destinavit Claudius tum presbyter, dein episcopus Taurinensis, ob impugnatum cultum sacrarum imaginum famosus, qui ante mortem Caroli ex Hispania in Galliam accesserat, & in Ludovici notitiam ac familiaritatem venerat. Ibi Justum abbatem aliquando cum vidisset, rogatus ab eo est, ut ad fratrum ejus utilitatem quosdam commentarios ederet in sanctum evangelium. quod ille incunctanter executus est, edito commentario in Matthæum cum nuncupatoria ad Justum abbatem epistola, cujus hæc verba sunt.

Domino sancto ac beatissimo, cum peculiari cultu & affectu & specialiter excolendo patri Justo abbati, Claudius peccator. Anno octingentesimo quinto-decimo incarnationis salvatoris JESU-CHRISTI *Domini nostri, postquam pius ac mitissimus princeps, sanctæ Dei ecclesiæ catholicæ filius HLudwicus, anno secundo imperii sui, cælesti fultus auxilio, adversus barbaras nationes movisset exercitum, teque abeunte, & discedente tua paternitate ex palatio jam dicti principis ad tutum dilectumque, uti semper, tui monasterii portum: injunxisti mihi, ut aliquod dignum memoria opusculum in expositione evangelii ad legendum dirigerem fratribus monasterii vestri. Atque utinam tanta esset facultas, quanta obediendi voluntas ad id quod vis. Scias me continuo studii mei dirigere voluntatem, & evangelium secundum Matthæum ex opusculis sanctorum patrum, licet nonnullorum quam difficile sit nancisci opera, ut valui, inquirere & explanare conatus sum.*

In consequentibus prolixitatem operis excusat, & codicis inconcinnam ordinationem; quod infirmitati corporis, oculorumque imbecillitati imputandum dicit. In fine optat, ut, si hic *propter spatiamenta terrarum* oculis corporeis se mutuo contueri sæpius non detur; saltem in cælo mutua præsentia gaudere liceat. Usserius, Claudium Hibernum esse ratus, quem ex Hispania ortum fuisse ex Jona constat, edidit fragmentum hujus epistolæ inter Hibernicas, quam integram in Appendice hujus voluminis habes ex codice Laudunensi. Hic est venerabilis Justus abbas ex monasterio Carrofensi, qui ab Ludovico imperatore obtinuit hoc anno præceptum regium, quo monasterii sui possessiones confirmantur, adjecta facultate eligendi abbatis secundum regulam sancti Benedicti. Datum pridie idus Februarii, anno secundo imperii Ludovici, indictione VIII. Actum Aquisgrani palatio regio, ubi sine dubio Justus cum Claudio colloquium habuit. Quod bellum hoc anno *adversus barbaras nationes* motum ait Claudius, id intelligendum de illo bello, quod Ludovicus Caliphæ Cordubensi hoc tempore indixit.

Fidem Ludovicus diploma concedit.

Ceterum, quia de Claudio non infrequens deinceps commemoratio facienda erit, juvat, ad amovenda multorum de natali ejus solo præjudicia, proferre Jonæ episcopi Aurelianensis de eo testimonium, ex quo appareat, ipsum non Scottum Hibernumve, sed Hispanum, & quidem Felicis Urgellensis quondam episcopi discipulum, fuisse. sic enim Jonas de Claudio habet initio libri primi de cultu imaginum contra ipsum. *Is itaque, de quo agitur, exortus ex eadem Hispania, ejusdemque Felicis discipulatui ab ineunte ætate inhærens, per aliquod tempus in palatio memorati gloriosissimi ac serenissimi, Deoque amabilis augusti* Ludovici *in officio presbyteratus militavit. Sed ut aliorum utilitati doctrina prædicationis evangelicæ, quæ illi admodum inesse videbatur, consuleret; ipsius piissimi principis clementia præsul Taurinensis subrogatus est ecclesiæ.* Hæc Jonas, qui ita interpretandus est, ut Claudius Ludo-

vico augusto ante initum imperium adhæserit. Pressius idem Jonas in epistola ad Carolum regem, libris suis præfixa, Luduvicum augustum laudat, quod *quemdam presbyteram, natione Hispanum, nomine Claudium*, qui aliquid temporis in palatio suo in presbyteratus militaverat honore, Taurinensi ecclesiæ præsulem subrogari fecerit. nempe *ut Italicæ plebi, quæ magna ex parte a sanctorum evangelistarum sensibus procul aberat, sacra doctrina consultum ferret*, eis præficiendo hominem, *cui in explanandis sanctorum evangeliorum lectionibus quantulacumque notitia inesse videbatur.*

XXXIV. Theodemiro abbati dicati Claudii commentarii.

Eodem tempore idem Claudius tres libros in Genesim dicavit Theodemiro abbati Gallo, qui postea prolixam contra eum epistolam scripsit, in Jonæ libro tertio magna ex parte relatam. Eidem abbati nuncupati sunt ejusdem Claudii expositiones in Exodum & in Leviticum. Hæc omnia constant ex præfatione ejusdem auctoris, præmissa commentariis in Leviticum, ex qua tempus scriptorum horumce trium commentariorum intelligimus. ita [a] enim ille ad Theodemirum abbatem. *Cogis & compellis, carissime frater Theodemire abba, atque, ut ita dicam, stomachanti animo me reprehendis diu siluisse, nec paruisse jussioni tuæ in expositione Levitici. Biennium est quod tibi direxi expositionum atque informationum littera & spiritus in Exodo libros quatuor, quibus principium est*, POST EXPOSITIONEM LIBRI GENESEOS, *unde ante hos octo annos ex dictis sanctorum patrum de littera & spiritu tres edidi libros.* In fine ejusdem præfationis tempus, quo hæc scribebat, exprimit his verbis: *Adgredimur igitur hoc opus, annuente pietate divina, quadragesimæ tempore, sub die septimo idus Martii, anno incarnationis octingentesimo vigesimo-tertio salvatoris* JESU-CHRISTI *Domini nostri.* Ex his itaque manifestum est, prædicto anno editos a Claudio fuisse commentarios in Leviticum; expositionem vero in Exodum ante biennium, id est anno octingentesimo vicesimo-primo; ac denique libros tres in Genesim ante octo annos, id est hoc ipso anno, quem præ manibus habemus. quæ omnia diligenter observanda sunt ad illustrandam totam in Claudium concertationem, quæ a Theodemiro abbate incœpit.

[a] Analect. to. 1. p. 30.

Theodemirus quis.

Jam vero pretium est operæ inquirere, quis qualisve fuerit hic Theodemirus. Hunc multo cum honore laudat Jonas episcopus Aurelianensis, eum que Gallum fuisse satis innuit initio primi sui libri contra Claudium, qui *in sugillationem ejusdem abbatis, totiusque Gallicanæ ecclesiæ*, prolixum libellum evomuisse dicitur. Idem auctor Theodemirum jam defunctum laudat, cum hæc ad Carolum regem scriberet, id est statim a morte Ludovici augusti. Verba ejus ex eodem libro primo huc referre non pigebit. *Quidam sane sanctæ religionis proposito venerandus, & honestate vitæ imitandus, debitoque honore nominandus Theodemirus, pater monachorum, nunc jam rebus humanis exemtus, cum jam longe lateque fama crebrescente ab eodem Claudio talia geri, & prædicari contra auctoritatem ecclesiasticam didicisset; caritatis officio ductus, & unicæ gentis amore provocatus, eidem Claudio, ut ab his se, quæ reprehensibiliter agebat & docebat, compesceret, litteris caritate refertis mandari curavit.* quibus verbis nihil magis honorificum ad laudem Theodemiri afferri potest. Idem Theodemirus se *centum quadraginta monachis* sub regula sancta Benedicti præfuisse ait in epistola sua, quam fere integram suis libris Jonas inseruit: tametsi *cœnobiolum* suum idem abbas præ modestia vocat. Mihi sane illius temporis abbates consideranti nullus alius occurrit, cui hæc competere possint, quam Theodemirus abbas Psalmodiensis in Septimania monasterii, de cujus origine superius actum est. nam & tempus huic Theodemiro apprime convenit, & elogia, quæ eidem a Jona tribuuntur; & Psalmodiense monasterium ejus dignitatis erat, ut facile centum quadraginta monachos posset capere. Accedit quod Theodemiri monasterium circa fines Hispaniæ situm erat, ut satis innuit Claudius his apologetici sui verbis. *Denuntias te esse turbatum, eo quod rumor abierit ex Italia de me per omnes Gallias usque ad fines Hispaniæ, quasi ego sectam quamdam novam prædicaverim contra regulam fidei catholicæ.* quæ verba quadamtenus indicant Septimaniam, in qua positum erat Psalmodiense monasterium, cui tum abbas præerat, Theodemirus nomine, non alius, ut videtur, ab hoc Theodemiro, primo defensore catholicæ veritatis contra Claudium.

XXXV. Druteranno abbati dicata expositio in epistolam ad Galatas.

Quadragesimæ etiam tempore, & quidem anno vel præcedente, vel subsequente, idem Claudius commentatus est epistolam ad Galatas, suamque lucubrationem

ANN. CHR. 815.

Dructeranno abbati hunc in modum inscripsit. *Domino piissimo, & in Christo summo mihi honore singulariter excolendo Dructeranno abbati, Claudius peccator. Tres, ni fallor, & eo amplius jam pertranseunt tempore anni, quod me adhuc in Alverni caespitis arvo, in palatio pii principis domini Ludovici, tunc regis, modo imperatoris, detentum, socordiam sensus mei tua fervida dilectione adorsus es excitare, ut aliquem fructuosum laborem in epistolis magistri gentium adsumerem apostoli Pauli. Sed quia laboribus & turbinibus mundi depressus, hactenus parere jussioni tuae nequivi; modo, largiente Deo, in isto quadragesimae tempore epistolam beati jam dicti apostoli Pauli ad Galatas ex tractatibus beatorum Augustini & Hieronymi patrum permixtis procuravi ordinare sententiis. In quibus tractatibus cum ad congruentem expositionem multa deesse cernerem, verti me ad alios libros praefati jam patris Augustini, & exinde eam, quae in illis deerat tractatibus, explere studui expositionem.* Dructerannus hic non alius

Calmeliacenses abbates. esse videtur, quam Droctrannus abbas Calmeliacensis seu sancti Theotfredi in pago Aniciensi, imperante Ludovico Pio, episcopus & abbas in veteri ejus monasterii membrana dictus: cui Odilo comes ecclesiam sancti Stephani in pago Diensi donasse dicitur. Erat & alius eodem fere tempore, sed paullo serius, Dructerannus abbas Sollemniacensis in pago Lemovicensi, successor Agiulfi, qui privilegium a Ludovico augusto obtinuit anno imperii ejus quarto. Droctranno Calmeliacensi suffectus est Bodo, cui Ludovicus libertatem monasterii concessit: Bodoni Galterius, de quo postea. Quod vero abbates mox laudati eam familiaritatem cum Claudio habuerint, id eorum studio in litteras sacras, quibus ille deditus erat, tribuendum est, non incuriae, aut in rebus fidei ignorantiae, cum Claudius necdum vulgasset errores suos: quos ubi in publicum spargi animadvertit Theodemirus, mox ab eis scripta epistola illum revocare studuit, ejusque bilem in se provocavit.

XXXVI. Privilegia variis monasteriis concessa. Multa hoc anno variis ecclesiis ac monasteriis indulta sunt a Ludovico privilegia. In primis est illud, quod idem imperator Ductesindo abbati Miciacensis prope Aurelianos monasterii concessit VI. idus Januarii, anno ejus imperii primo nondum revoluto, indictione VIII. quo privilegio immunitatem a teloneis & portoriis eidem monasterio tribuit *de carris, vel sagmariis*, id est equis oneriferis, *seu navigiis, vel de quolibet commercio:* ita ut tres ejus naves libere possint discurrere per Ligerim, Carum, Vinceoam, Sartam, Meduanam, Taunucum, Lidum, Hylarium, ceteraque flumina. Tannucus & Hylarius, si non corrupta nomina, certe ignoti fluvii sunt. nisi forte Hylarius pro Elavere sumtus, qui Helaris dicitur a Sugerio in libro de vita Ludovici Crassi. Vincena vulgo Vigenna * vocatur.

* *la Vienne.*

Alio diplomate idem imperator anno imperii sui secundo, praeceptum immunitatis concessit Teberto, sancti Maxentii apud Pictones abbati, qui Casino a Carolo Magno evocatus dicitur ad excitandam eo in loco monasticam disciplinam. Datum Aquisgrani XIV. kalendas Julii, anno imperii Ludovici secundo, indictione octava. Post biduum idem Ludovicus confirmavit Anianensi monasterio, cui tunc Senegildus abbas vice Benedicti praefectus erat, cellulas duas, nempe Casam-novam, sitam juxta castrum Planitium in pago Ucetico, super fluvium Cicer; aliamque cellam eidem proximam, nomine Gordanicum, quas Willelmus comes quondam exstruxerat. Data XII. kalendas Julias Aquisgrani, anno, ut jam diximus, imperii secundo. quod diploma relatum est a nobis in appendice ad vitam sancti Benedicti Anianae abbatis. Aliud quoque praeceptum ab imperatore obtinuit Olomundus abbas monasterii, quod olim dicebatur Malasti, situm ad castrum cognomine, in territorio Carcassensi, super fluvium Durannum, constructum in honorem sancti Johannis Baptistae, nunc Montis-Olivi appellatum. quod praeceptum obtinuit Olomundus, exhibito diplomate Caroli tunc regis, postea serenissimi augusti, in quo insertum erat, quemad-
» modum idem Olomundus ipsum monasterium a fundamentis exstruxisset, ac pro-
» pter iniquas pravorum hominum infestationes illud cum monachis illic degentibus
» sub tutelam regiam posuisset, ut illis quiete vivere liceret. quod privilegium, ro-
» gante Olomundo, ratum habet Ludovicus, praedictumque monasterium una cum
» cellula sancti Martini, sita in eodem pago super rivulum Lampii, in suam tutelam
» suscipit, cum libertate eligendi abbatis secundum regulam sancti Benedicti. Datum
» VI. idus Decembris, anno secundo ipsius imperii, indictione VIII. Actum Aquis-
» grani palatio regio. quod praeceptum Durandus ad vicem Helisachar recognovit,
uti & sequens.

Francofurti versabatur pridie nonas Augusti idem imperator, cum ad eum accessit Benedictus abbas monasterii Acutiani seu Farfensis in ducatu Spoletano, obsecrans, ut confirmare dignaretur privilegium domini genitoris sui, qui idem monasterium tali privilegio munierat, quali gaudebant *cetera monasteria, qua in Francia sub sancti Benedicti patris norma consistebant*, scilicet ut nullus episcopus de thesauris, aliisve rebus ejus monasterii quidquam detraheret, nec illi quodvis tributum aut censum imponeret: confirmans insuper eidem loco suas possessiones, in hismonasterium sancti Marci evangelistæ ad muros Spoletanos, item monasterium sancti Salvatoris situm prope eamdem civitatem, & puellare monasterium sancti Georgii prope muros urbis Reatinæ, denique monasterium sancti Silvestri vel sanctæ Marinæ in territorio Firmano. quæ omnia litteris suis comprobavit Ludovicus augustus anno secundo imperii *Francenofurd* palatio regio. ANN. CHR. 815. " " " " " " "

Non omittendum hoc loco diploma concessum Barnardo seu Bernardo præsuli Viennensi, quo petente Ludovicus ipsam sedem cum cellulis vel rebus ad ipsam pertinentibus, exemplo Caroli parentis sui, sua defensione & immunitate honoravit, eidemque restituit *cellulam sancti Symphoriani*, olim abstractam ab illa ecclesia; ad hæc *monasterium superius, & monasterium medianum*, cellulas vocat, *constructas in honore sancti Andreæ, & sancti Nicetii*. Actum Aquisgrani palatio, XIV. kalendas Februarii, anno ejus imperii primo, cujus secundus post novem dies inchoandus erat. Viennensia monasteria.

Proximo inde anno Leo papa diuturno confectus morbo, cum corporis, tum animi, ob frequentes in eum, maxime superioris anni, conjurationes, vitam reliquit pridie idus Junii, eique decimo post die Stephanus quartus subrogatus est. Hic statim per legatos Ludovicum augustum de sua electione commonefecit, simulque significavit, se iter ad eum invisendum adoraare, ut ipsum imperatorem inungeret, & cum eodem de ratione constituendæ rei publicæ christianæ consultaret. Quare altero a consecratione sua mense iter in Franciam ingressus est. Stephani voluntate comperta, Ludovicus propere legatos obviam, qui Remos eum adducerent, præmisit, Hildebaldum Coloniensem, Johannem Arelatensem metropolitas, & Theodulfum Aurelianensem episcopum, cui pontifex honoris causa pallium concessit. Tum Ludovicus ipse adventum ejus præveniens, *a monasterio sancti Remigii* uno milliario cum insigni optimatum comitatu occurrit, descendentem ex equo excepit, & in ecclesiam intrantem manu propria sustentavit, uti astronomus in vita Ludovici tradit. Deinde, indicta ad quartum kalendas Septembris die, pontifex, Ludovico atque Hirmingarde præsentibus, rem divinam in ecclesia beatæ Mariæ fecit, moxque illum augustum, hanc augustam coronavit. Hujus coronationis occasione Ludovicus Remensi ecclesiæ gratificari volens, in qua *prædecessores*, inquit, *nostri, reges videlicet Francorum, fidem & sacri baptismatis gratiam perceperunt, in qua & nos per impositionem manus domni Stephani papæ imperialia suscepimus insignia;* eamque ob honorem Dei, parentumque suorum memoriam, sive consecrationis suæ dignitatem a fundamentis restaurare constituens, *quamdam abbatiam, sitam in comitatu Blesensi* *, ad Pertensem pagum, *super fluvium, qui vocatur Vera* *, *ubi est monasterium in honore sancti Petri apostolorum principis dicatum, in silva, quæ vocatur Ders*, cum foreste sua indominicata, Remensi ecclesiæ concedit ad consummandam ipsius ecclesiæ structuram; simulque locum fisci sui in pago Laumensi, ad fodiendam minam plumbi congruum, cum Geminiaca villa, in iisdem finibus sita. Actum Remis kalendis Novembris. Mendosæ sunt aliæ chronicæ notæ in chartario monasterii Dervensis, ex quo hoc diploma in Appendice hujus tomi referemus. Hæc est fabrica novæ ecclesiæ, quam Ebo archiepiscopus una cum matre sua intra annos decem absolvit. ANN. CHR. 816. XXXVII. Leoni papæ succedit Stephanus IV. Remis Ludovicum coronat. " " " " " " " * de Blaise. * la Voire.

Ægrotabat eo tempore Wlfarius Remorum antistes, nec multo post exspiravit, nempe XV. kalendas Septembris. Is immunitatis præceptum ab imperatore Ludovico secundum præceptionem Caroli augusti ejus patris, *ecclesiæ Remensi, monasterioque sancti Remigii*, quod tum archiepiscopi per præpositos regebant, obtinuisse traditur. Ubi de successore legendo actum est, designatus primum Gislemarus quidam; sed ob imperitiam rejectus, locum fecit Eboni, sic veteres scribunt, seu Ebboni, patria transrhenensi, ac *regii fisci familia oriundo*, qui a Carolo Magno li- XXXVIII. Wlfario Remensi episcopo succedit Ebo.

ANN. CHR. 816.

bertate donatus, ob nobilitatem ingenii ad sacros ordines gradatim promotus, Ludovico Aquitaniam regenti ad ministrandum deputatus est, non multo post bibliothecarius ab ipso Ludovico institutus, ut Carolus Calvus scribit in epistola ad Nicolaum papam. Hinc forte *Ludovici collactaneus & conscholasticus* a Frodoardo appellatur, qui matrem ejus Himiltrudem vocat, ejusque epitaphium refert. Hæc de Ebone præmittenda visa sunt ad rerum consequentium lucem, nec sane omnino extra propositum, cum Ebo monasterii sancti Remigii curam gesserit, donec eam curam Eboni monacho, nepoti, ut vocant, suo, commisit, & sub eo Bertigarius præpositus, cujus tempore scriptus est Remigianus codex, nomina monachorum ejus monasterii continens, continuatus ad sæculum quintum-decimum, sub hac inscri-

S. Remigii præpositi.

ptione : *Hic liber conscriptus est in cœnobio sancti Remigii, ex precepto domni Ebonis archiepiscopi, Bertingario preposito ejus sibi obediente.* Bertigario suffectus Raduinus, qui, deposito canonicali habitu ac regimine Berceti in Italia monasterii, monasticum cucullum induit in cœnobio Remigiano, honoremque præposituræ ibidem adeptus est *pro sua probitate*, ut loquitur Hincmarus in libro de vita sancti Remigii, & ex eo Frodoardus.

Unum e præcipuis Ebonis operibus est nova fabrica ecclesiæ Remensis, a Ludovico augusto, ut mox diximus, instituta, quam Ebo intra decem annos absolvit, & in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, uti priorem, & sancti Petri consecravit. Argumento est veterrimus codex ejusdem ecclesiæ, Eusebii Cæsariensis episcopi continens historiam, cujus in multis foliis adscriptum legitur, S. MARIÆ ET S. PETRI REMENSIS CLAUSTRI. Sane sub titulo sancti Petri dicata est ab antiquis retro temporibus subterranea palatii archiepiscopalis capella, hactenus exsistens, ad quam olim certis diebus processio a canonicis fiebat. Hoc sine dubio sancti Petri oratorium est, ubi Chlodoveus Magnus a sancto Remigio in fide catholica eruditus fuisse dicitur apud Frodoardum [a], *cubiculo regis contiguum*, in episcopali palatio tum forte residentis : qui inde ad præparatum baptisterii locum deductus est, & sacro fonte lustratus. Sed hæc extra nostras metas : ad cetera hujus anni sexti-decimi eventa redeundum est.

a Frod. lib. 1. c. 13.

XXXIX. Mortuus est eodem anno Bego seu Biego Parisiorum comes, qui Alpaïdem, Ludovici augusti filiam, conjugem habebat. De eo interpretandi videntur Fuldenses annales Lambeciani [b] ad annum Ludovici tertium, præsenti respondentem : *Piccopinus de amicis regis, qui & filiam imperatoris duxerat uxorem, defunctus est.* Is est Beggo, quem fidelem suum vocat Ludovicus in diplomate hujus anni, quo anno

Bego comes obit. Fossati instaurator.

b Bibl. Cæsar. to. 2.

» Beggo imperatori supplicavit, ut quoddam cœnobiolum, situm in pago Parisiaco
» super fluvium Maternam, in loco, qui dicitur Fossatus, in honorem sanctæ Mariæ
» semper virginis, & sanctorum apostolorum Petri & Pauli constructum, quod ipse
» pæne destructum instauraverat, & ad pristinum statum revocare curaverat, in
» regiam tutelam acciperet Ludovicus, cum abbate, nomine Benedicto, ac mona-
» chis eidem commissis. quod ille gratanti animo approbavit, concessa insuper libera
» electione abbatis secundum regulam sancti Benedicti. Authenticum hac de re præceptum, quod Gerardus a Bosco [c] ex vetere chartulario vulgavit, accepimus ex archivo Fossatensi cum his chronicis notis : *Data* XII. *kal. Julias, anno Christo propitio imperii domni HLudowici piissimi augusti* III. *indictione* VIIII. *Actum Aquis palatio regio.* quod præceptum Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovit & subscripsit. ubi in authentico imperatoris annus tertius quibusdam tricis adscriptus est, littera numerica I. media in longum diducta. quod cum divinare non potuisset quidam imperitus, pro anno tertio temere secundum reposuit. Id evincitur ex alio [d] ejusdem imperatoris diplomate, eidem monasterio immunitatem a portoriis concedentis *ad petitionem Begonis illustris comitis.* quod diploma eodem tempore & loco datum est, scilicet XII. *kal. Julii, anno Christo propitio* III. *imperii domni HLudowici piissimi augusti. indictione* IX. (sic legendum, non X.) *Actum Aquis palatio regio.* De Benedicto Fossatensi abbate inferius.

c Hist. Parif. to. 1. p. 323.

d Ibid. p. 324.

Alpaïdi post mortem mariti Ludovicus parens concessit puellare monasterium S. Petri, Remis ad portam Collaticiam seu Basilicarem positum, eidemque sacro loco immunitatis præceptum, instar Caroli patris sui, largitus est. Hoc cœnobium postea per precariam ipsius Alpaidis, ac filiorum ejus Letardi & Ebrardi, in possessionem Remensis ecclesiæ venisse perhibetur ; modo exstinctum, & collegio universitatis

S. Petri Remense monasterium Alpaidi datum.

e Frodoard. lib. 4. c. 46.

inclusum. Hoc monasterium Inferius dicebatur ad discrimen alterius puellaris item cœnobii, Superioris dicti, quorum alterum, nempe Superius, a sancto Balderico, alterum a sancto Guntberto constructum alias diximus. Legimus nuper ad aquilonarem parietem basilicæ Superioris illius monasterii veterrimum ejus temporis epitaphium, forinsecus affixum, quod huc referre visum est. ANN. CHR. 816.

Consecrata Deo prudens Landrada virago,
Intus habet tumulum, præstolans vivere rursum.
Ast Ocelina foris soror ejus spiritualis.
Utraque propositi servatrix provida sancti,
Præbuit exemplum, quo viveret ordo sororum.
Ergo precemur eis oblectamenta salutis.

Supra nomen Ocelinæ adscriptum est nomen Hildegardis, quod alterum ejus nomen erat, supra-nomen vulgo appellatum.

XL. Franco episcopus Cenomannensis. His subjungendus est obitus Franconis episcopi Cenomannensis, Werdonis abbatis sancti Galli, Frodoini Novaliciensis, & Benedicti Farfensis. Obiit Franco senior III. kalendas Februarii, sepultus in basilica suburbani sancti Vincentii monasterii, quod olim sanctus Domnolus episcopus exstruxerat. Exstat [a] ejus epitaphium, in quo annos viginti-duos Cenomannensem ecclesiam rexisse dicitur. Successor ejus atque nepos Franco junior, nobilis Hasbanius, *in palatio domni Ludovici* diaconi functus officio, a Lantramno Turonensi pontifice, aliisque ejusdem metropolis coëpiscopis, III. kalendas Julias consecratur. Hic sancti Carilefi ecclesiam, quam bonæ memoriæ domnus Albanus, ejusdem monasterii abbas, a fundamentis renovaverat, auxeratque, & nobiliter ornaverat, dedicasse memoratur, & corpus sancti Carilefi in decentiorem locum transposuisse. Idem post regiminis annos decem ac septem ex hac vita migravit, sepultusque est ad pedes avunculi sui Franconis senioris in basilica Vincentiana: ubi epitaphium apponi curavit Aldricus ejus successor, de quo inferius multa erit agendi materia.

a Analect. to. 3. p. 273.

S. Carilefi ecclesiam dicat.

XLI. Werdo abbas S. Galli obit. Werdonis abbatis sancti Galli obitum ad hunc annum differt Ratpertus monachus contra Hepidannum, qui quadriennio eum antevertit. Ratperto favet epitaphium editum a Walafrido Strabone, qui ei annos regiminis triginta-quinque tribuit his versibus.

Hunc rexisse gregem pie per quinquennia septem
Scitur, & omnigenis accumulasse bonis.
Martius Apriles ter deno sole kalendas
Dum visit, Werdo mortem obit, astra subit.

Ex quibus intelligitur, Werdonis novissima principiis meliora fuisse. Ejus obitus III. kalendas Aprilis in necrologio notatur. Eo mortuo, ipsius loci cœnobitæ, concesso sibi privilegio freti, abbatem sibi delegerunt Gozbertum, virum prudentia, corporis statura, & moribus præstantem. Verum Wolfleozus Constantiensis antistes, antecessorum suorum vestigiis inhærens, sed fraterni in suos sancti-Gallenses animi oblitus, monasterii sibi regimen arrogavit, decani tamen dignitate Gozberto relicta. Ille vero, scilicet episcopus, non solum fratres quondam suos nedum mitius habuit, ut contra durius eis jugum imposuerit. Quippe non contentus omnia monasterii negotia Constantiam evocare, etiam cuncta pro arbitrio disponere cœpit, ministeria & officia mutare, dejectis monachis cellario ac promtuariis sæculares præficere, qui adeo res sancti Galli depascebantur & expilabant, ut fratribus, unde viverent, nihil reliqui facerent. Unica miseris inter hæc mala secundum Deum spes erat in Ludovico augusto. Ad eum itaque missi Aquisgranum legati, interque eos Gozbertus electus abbas, de violentia episcopi & injuriis conquesturi. Aderat tum in curia episcopus, cui certa erat victoriæ fiducia ex charta a falsario scripta, quæ sancti Galli monasterium, aliaque plura loca ejus episcopatui pleno jure subjecta mentiebatur. Fervente itaque coram Ludovico disceptatione, episcupus chartam legi rogavit, impetravitque. Sed non sine divino consilio accidit, ut ille non quam volebat chartam legendam protulerit, sed Caroli diploma, quod licet

Lis de Gozberto successore.

ANN. CHR. 816.

omnino ex mente ac sententia cæsaris confectum non esset, multa nihilo minus in commodum monasterii continebat. Legente ministro, ubi errorem advertit antistes, legenus verba interrumpere, nec id diploma esse quod vellet, importune obstrepere. Verum pius imperator, neglectis episcopi officiis, patris litteras lubens auscultavit, novoque diplomate corroboravit eligendi abbatis facultatem, Gozberto in dignitate abbatiali confirmato. Hic vero domum reversus, monasticam disciplinam, nonnihil per has tempestates corruptam, restituit, novum privilegium priori longe insignius obtinuit, demumque animum adjecit ad instaurandam fabricam monasterii, templumque augustius excitandum, quod anno ejus sæculi vicesimo-secundo inchoavit, atque intra septennium absolvit, ac demum anno tricesimo-quinto sollemni ritu dedicari curavit, ut inferius pluribus exponemus. De eo intelligenda videtur Eginhardi epistola secunda, inscripta *religioso Christi famulo Gozberto venerabili abbati*, cujus sanctitatem rogat, ut Bebonem quemdam frui sineret illo beneficio, quod ipse illi *de monasterio sancti Chlodowaldi* ob ejus in se merita concesserat, confirmante domno imperatore. quod de monasterio sancti Chlodoaldi, prope Parisios sito, intelligi vix potest, si Gozbertus ille fuerit abbas sancti Galli.

XLII. Heytonis episcopi & abbatis ecclesia & capitulare.

Inter has altercationes monachi Augienses, qui similes nuper experti fuerant, alta pace & tranquillitate fruebantur, favente in primis Heytone abbate simul & Basileensi episcopo, qui hoc anno Augiæ basilicam in honorem sanctæ Mariæ abs se constructam dedicavit. Is est *Ahyto Basileensis ecclesiæ antistes & abbas cœnobii, quod Augia dicitur*, cujus capitulare in tomo sexto Spicilegii exstat, presbyteris suæ diœcesis ordinatum; idem etiam, quem Constantinopolim a Carolo legatum fuisse diximus. In tertio capitulo præcipit, ut ad salutationes sacerdotales, quæ in missa fieri solent, non solum clerici *& Deo dicatæ*, sed omnis plebs consona voce respondeat. Sexto-decimo, ut mulieres ad altare non accedant, nec *ipsæ Deo dicatæ* in ullo ministerio altaris intermisceantur. Nono-decimo, ut aliud in ecclesia non legatur, aut cantetur, nisi ea quæ auctoritatis divinæ sunt, & patrum orthodoxorum sanxit auctoritas. Item, ne diversa sentiant sacerdotes in judiciis pœnitentium, aliis adulando, aliis detrahendo: sed, considerata qualitate personæ, juxta modum agatur vindictæ censura. Sequenti, ne abutantur eleemosynis fidelium, quæ redemtio peccatorum est, ideoque in his magno timore solliciti sint: *quia magnum periculum est judicem fieri vitæ alienæ, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ.* Hactenus ex capitulari Ahytonis seu Heytonis. Eidem scripta videtur Frotharii Tullensis antistitis epistola tricesima-prima, *reverentissimo ac tota dilectione colendo Hittoni gratia Dei episcopo*, cui fausta omnia precatur. Idem jam privatus Augiæ degens, librum de visione Wetini, ipso dictante, scripsit, præter hodœporicon, de quo alias egimus.

XLIII. Frodoinus abbas Novaliciensis moritur.

Sub idem tempus decessit Frodoinus abbas Novaliciensis post annos præfecturæ quadraginta tres, quos ipsi assignat Attipertus peritissimus librarius in capite textus evangeliorum, quem ejus jussu exaravit. Obiit vero plenus dierum VI. idus Maii, teste chronographo Novaliciensi, qui eum beatum, immo & beatissimum vocat. Amblulfus ei suffectus, in eodem monasterio a Widilone patre oblatus Deo fuerat tempore Widgarii episcopi & abbatis. Post aliquot regiminis annos, pie ac religiose exactos, ad Dominum feliciter migravit. Ejus successor Hugo, quem chronographus a Carolo Magno ibidem oblatum fuisse dicit; idibus Junii obiisse traditur, & quidem in monasterio sancti Medardi apud Suessionas, si qua chronographo hac in re fides, qui illud Novalicii cellam perperam vocat. De Eldrado Hugonis successore inferius agendum.

XLIV. Benedicto Farfensi succedit Ingoaldus.

His omnibus, qui hoc anno e vivis excesserunt, adjungendus est Benedictus abbas Farfensis, qui III. idus Augusti obiisse traditur, post annos regiminis decem, & sex fere menses. Is paullo ante obitum monasterii sui causam egerat Aquisgrani apud Ludovicum imperatorem. Majorianus quidam, duoque ejus filii, Romanus & Hunaldus, res proprietatis suæ Farfensibus facto testamento donaverant, reservato sibi ad vitam usu-fructuario. Interim accidit, ut tertius filius ejusdem Majoriani, nomine Godoaldus, cui quarta ejusdem possessionis portio competebat, Beneventanis, qui postposita fide a Carolo desciverant, se adjungeret; ob idque res ejus fisco addicerentur; simulque tres aliæ portiones, a Majoriano, duobusque ejus filiis monasterio concessæ. quæ cum Ludovico exposuisset Benedictus, mox imperator

ANN. CHR. 816.

rator tres illas portiones eidem restitui jussit. Verum, cum eodem anno Benedictus, nondum acceptis imperialibus litteris, de hoc sæculo migrasset; has ab imperatore facile impetravit Ingoaldus, qui hoc ipso anno Benedicto successit. Hic a Stephano papa privilegium obtinuit, sed sub tributo pensionis annuæ, quod Lotharius imperator [a] a Paschali papa relaxari præcepit, utpote juribus ac libertati monasterii contrarium, quod uni tum imperatori post Langobardorum reges subjectum esse contendebat. quæ controversia denuo renovata fuit sub Sichardo Ingoaldi successore.

a Chron. to. 3. p. 659.

XLV. Josue abbas S. Vincentii ad Vulturnum.

Distulimus ad hunc annum agere de venerabili Josue abbate sancti Vincentii ad Vulturnum, cui Ludovicus hoc anno præceptum immunitatis, more superiorum regum, IV. idus Junii concessit. Erat is, si chronographo Vincentiano credimus, ex regali progenie, ac Ludovici, *qui Almus est appellatus*, ex conjuge, nempe Hermengarde, cognatus: qui cum ad sancti Vincentii cœnobium se recepisset, ita se gessit, ut in sanctæ conversationis studio quemvis superaret. Hinc post mortem Pauli abbatis, quam superioris sæculi anno nonagesimo-secundo accidisse diximus, divino nutu, totiusque congregationis consensu, undecimus post sanctum Paldonem abbas constitutus est. Fallor, si ipse non est Joseb frater ille, laudatus in epistola Theodemari abbatis Casinensis ad Carolum Magnum, qui eum alicui monasterio præfici cupiebat. Theodemari hæc verba sunt. *Joseb quoque frater noster, quem, ut scribere nobis dignati estis, præficere ad regendum monasterium sub regulæ tramite destinatis, habet secundum sacrorum canonum instituta largitatu facultatem, ut hoc possit facere: quæ licentiam monachis tribuunt, etiam ecclesiasticis gradibus sublimari. Videat tamen ille, si sic se potest coartare, ut possit suo exemplo fratribus prodesse. Grandis siquidem & prima est in hoc monachis, & contra regulæ seriem districtio, si eis sine sua electione externus aliquis præponatur. Vestra tamen sagax providaque subtilitas, sicut cælitus mentem hauserit, ita disponat.* Sane Vincentianum monasterium Casino vicinum erat, & Josues electionis tempus accedit ad tempus scriptæ epistolæ, quæ hanc electionem non longo intervallo præcessit. Idem Josue, novam sancti Vincentii basilicam conditurus, antiquissimi rudera templi, quod in territorio Capuano maximis columnis & diversis lapidibus olim a paganis constructum fuerat, in loco, *ubi ædes imperatoris vel cryptæ dicebantur*, a Ludovico augusto fertur obtinuisse, exque illis basilicam longe ampliorem & augustiorem ædificasse, in cujus fronte hoc distichon litteris aureis inscriptum legebatur:

Quæque vides, hospes, pendentia, celsa, vel ima,
Vir Domini Josue struxit cum fratribus una.

Habebat hæc basilica in longitudine passus triginta-sex, & in latitudine cum porticibus passus sexdecim; duodecim in altitudine usque ad trabes, præter adjunctas cameras seu sacella. His attestatur Leo Marsicanus in chronico [b] Casinensi, ubi hoc tempore pulcro admodum opere constructa fuisse dicitur ecclesia sancti Vincentii, *quæ appellatur major*, juxta Vulturnum, a Josue abbate hujus loci. Novæ basilicæ dedicationem a Paschali papa factam asserit chronographus Vincentianus. quod ut verum sit, falsum est quod subdit, Ludovicum imperatorem eidem sollemnitati adfuisse; cum hic toto illo tempore Italiam non adierit. Legimus quidem in ejus vita, ipsum anno septingentesimo nonagesimo-tertio patris jussu in Italiam contendisse cum copiis, ut Pippino fratri Italiæ regi opem ferret contra Beneventanos in eum rebellantes; quos ambo junctis viribus debellaverint. quo fane tempore sancti Vincentii monasterium Ludovicus adire potuit. at longe abest hoc tempus a pontificatu Paschalis primi, anno octingentesimo septimo-decimo electi, a quo hæc dedicatio facta dicitur. Propius vero est quod ait idem chronographus, Josuen synodo Aquisgranensi interfuisse anno sequenti; & sancti Vincentii monasterium eo abbate adeo sanctitatis fama celebratum, ut ex Francorum provinciis, etiam ex aula regia, plurimi illuc convolarint, illorum religionem sequi cupientes; multi quin etiam principes, duces & comites ex cunctis Italiæ finibus eodem confluxerint, felices se reputantes, si quid ex facultatibus suis Deo in illo monasterio potuissent offerre. qua de re variæ donationes leguntur apud eumdem auctorem. Denique Paschali papæ Josue sic acceptus fuit, ut cum a supra dicto imperatore pa-

b Chron. Casin. lib. 1. c. 16.

ANN. CHR. 816.

ctum confirmationis acciperet, (quod in pontificali Romanæ ecclesiæ scriptum se reperisse ait idem chronographus) inter reliquos Franciæ abbates eum adesse pro parte sedis apostolicæ pontifex voluerit : cui e Francia reverso, grati animi & honoris causa, privilegium contulisse dicitur. Hic intelligendum decretum confirmationis, quo Ludovicus augustus donationes, ecclesiæ Romanæ ab avo suo Pippino & Carolo patre factas, Paschali papæ confirmavit : cui decreto tres filii ejus, episcopi decem, abbates octo, & comites quindecim subscripsisse perhibentur. Id factum anno sequenti, qui Josues obitum triennio præcessit.

XLVI. Diploma pro Amiato monasterio.

Antequam ex Italia discedamus, commemorandum est diploma immunitatis, quod a Ludovico vir venerabilis Audoaldus abbas ex monasterio sancti Salvatoris, sito in monte Amiato, prope Clusinum Etruriæ urbem, obtinuit exemplo ejus, quod Carolus, bonæ memoriæ pissimus augustus, olim eidem cœnobio concesserat. Addit Ludovicus liberam electionem abbatis, cum consensu tamen Bernardi regis, Pippini filii, quem dilectum filium suum vocat ob præeminentiam ætatis & dignitatis imperialis. Datum est hoc præceptum Compendio palatio, XV. kalendas Decembris, anno tertio imperii ipsius Ludovici, indictione decima, inchoata a kalendis Septembris. Successerat Audoaldus Leufono abbati, cujus superius mentionem fecimus. Hoc diploma recudit Cointius post Ugbellum, qui primus [a] illud vulgavit.

a Ital. sac. to 3. c. 672.

XLVII. Trasaro abbati Fontanellæ suffectus Einhardus.

Ex Beneventana provincia oriundus erat Trasarus, Fontanellensis monasterii in pago Rotomagensi abbas, qui patriæ desiderio domum reversus, Beneventum a Sigone postea duce, quem ex sacro fonte susceperat, honorifice receptus est, *anno imperii domni Ludovici augusti tertio*, ut legitur in chronico Fontanellensi. Paullo ante ejusdem discessum litteras mundiburdii, Fontanellæ a Carolo Magno indultas, Ludovicus augustus ratas habuit Trasari rogatu. *Data VII. kal. Novembris, anno Christo propitio secundo imperii domni HLudovici piissimi augusti, indictione IX. Actum Niumago palatio regio.* Vacantem præfecturam obtinuit Einhardus ad annos ferme septem : quibus exactis, locum Ansegiso cessit. Is est Eginhardus celebris ille Caroli Magni notarius ac vitæ scriptor, qui, superstite etiam tum uxore, qua-cum cælebs vivebat, plures abbatias rexit, nempe Gandenses sancti Petri in monte Blandinio, & sancti Bavonis; Selingestadiensem, cujus auctor & conditor erat, & Fontanellensem, quam post septem, ut diximus, annos Ansegiso cessit, viro sibi grato & accepto, quem antea regiis sub se ædificiis præfectum apud Aquisgranum instituerat. Hunc idcirco Beseleelem vocat Walafridus Strabo in carmine de Einharto magno,

> ——— *Fabre primum qui percipit omne*
> *Artificum precautus opus.*

Uxorem duxerat Immam, sic eam ipse vocat in epistola tricesima-secunda, & sororem, propterea quod tunc cum ea cælibatum servabat, ex qua olim Wssinum susceperat, probante ipsius epistola tricesima, *carissimo filio Wssin* inscripta. Werdricum Fuldensem monachum *propinquum* [b] suum, itidemque Eburonem [c] agnoscit; & Lothario imperatori scribens, *nepotatem* ejus de quibusdam rebus monet. quod fidem conciliare videtur chronograpbo Laureshamensi, qui Immam Caroli Magni filiam dicit, ac proinde Lotharii amitam. Certe eam *nobilissimam* appellat Lupus, quo titulo nonnisi regiæ principisve stirpis homines tum designari solebant. At permirum sit, Immam inter Caroli filias ab ipso Eginhardo fuisse omissam. sed jam hac de re superius actum. Ceterum fallitur chronographus Lauresbamensis, cui Eginhardus *archicapellanus* Caroli Magni, non solum notarius appellatur, qua dignitate neutiquam præditus fuit. Immam non ante annum ejus sæculi tricesimum-septimum decessisse, postea videbimus. ac proinde cælibatum cum ea servavit per annos minimum viginti, saltem ab anno præsente, quo is Fontanellæ abbatiam obtinuit, non in beneficium, quod olim conjugatis illegitime concessum ; sed in regiminis officium, uti & alias. unde desiderantissimum patrem non semel vocat Lupus, qui & eum præceptorem agnoscit suum; & Eginhardus ipse, vivente uxore, se abbatem in duabus epistolis [d] indigitat. qui titulus etsi hominibus uxoratis post ea tempora, ut Hugoni Magno, concessus sit, sed non Caroli aut Ludovici principatu. at nullo tempore patris nomen eis tributum. Vebemens tamen, ne quid dissimulemus, in

b Eginh. ep. 4.
c Id ep. 29.
d Eginh. ep. 12. & 54.

ANN. CHR. 816.

Eginhardi cælibatum argumentum suppeditat ipsius charta de celia *Michlenstat*, quam Lauresbamensi monasterio donat [a] eo pacto, ut quam diu in hac mortali vita ipse & conjux ejus Imma forent superstites, eam haberent in sua potestate: *filios quoque*, inquit, *si nos habere contigerit, unus ex eis in eadem possessione jure precario nobis succedet.* quæ charta data est anno sexto Ludovici imperii, quo tempore Fontanellensem, & forte Gandenses abbatias jam tenebat. qui locus, sane intricatissimus, hoc modo explicandus videtur, ut si filios post se superstites haberent, unus eorum in illa possessione succederet.

a Chron. to. 3. p. 499.

XLVIII. Egihardi monita ad filium litteris studentem.

Hoc loco præterire non possum egregia monita ipsius Egiohardi [b] ad filium suum Wssinum, qui tum forte Fuldæ studiis litterarum, Rabano præceptore, operam dabat, & quidem, ut opinor, monachus erat. *Vereor namque, fili, & valde metuo, quod, relicto ovili, nec tui, nec mei memor esse debeas. quia juventus immatura, nisi frenis disciplinæ coërcita, haud facile per justitiæ incedit vias. Quam ob rem, mi nate, stude proboe æmulari mores, & quem te semper sequi hortabar, ne ullo pacto offensum habere velis: sed professionis tuæ memor, quantum ipse annuerit, cui te totum commisisti, ejus mandatis insiste discendis. His edoctus, & in opere eorum assuetus, nullo vitalis scientiæ commodo carebis. Sicut te præsens monui, in studio discendi te exerce, & quicquid ex ipso lucidissimo & abundantissimo magni oratoris ingenio assequi nobilis scientiæ poteris, nihil intactum relinque; maxime autem probos mores illius, quibus excellit, imitari memento: quoniam grammatica & rhetorica, ceteraque liberalium artium studia, vana sunt & valde nociva servis Dei, nisi per gratiam divinam bonis moribus subesse noscantur. quia scientia inflat, caritas vero ædificat. Melius mihi quidem est, ut te mortuum videre contingat, quam inflatum & scatentem vitiis. Non enim Salvator a se miraculorum facta, sed mansuetudinem & cordis humilitatem discere præcepit. Quid plura? sæpe hæc & alia hujusmodi a me audisti. Utinam aliquando contingat istis delectari, quibus munditia cordis corporisque per Dei auxilium assequitur.* Hactenus amantissimus pater ad carissimum filium, quem cum servum Dei vocat, suæque professionis memorem esse jubet & obsequentem ei, cui se totum commisit, satis superque ionuit monachum fuisse, forte io monasterio Selingestadiensi, ex quo, *derelicto ovili*, Fuldam accesserit ad Rabanum, magnum illum haud dubie oratorem, cujus probos mores filio imitandos proponit.

b Eginh. ep. 30.

Purgatio ad imperatricem.

Ceterum hoc circiter aono scripta est ejus epistola sexagesima-secunda ad Hermengardem imperatricem augustam, cui purgat accusationem de se factam, quasi discordiam inter Ludovicum, ejusque filios sereret, & loca sacra expilare moliretur. Primum: *Si benefactorum*, inquit, *esset memoria, & præterita recolerentur tempora, inveniretis me sæpius pro seniore vestro certasse, ut pacem haberet & concordiam: & propterea totum in me odium provocasse, quod tempore beatæ memoriæ domni imperatoris erupit: ita ut ejus offensam incurrerem propter illum, & omnes pene majores natu Francorum adversum me indignarentur. Post obitum etiam illius, quotiens pro utilitate illius me opposuerim, reminisci potestis, si vultis. nam, quantum in me fuit, semper in hoc laboravi, ut ipsi inter se concordes efficerentur.* Hæc vero accusatio, ut idem inferius insinuat, ideo ipsi illata fuerat, quod *seniorem* suum, id est Lotharium tum Bajoariæ regem, non reliquisset, & Ludovico non se subdidisset. De altero, *quod autem*, inquit, *subjunxistis, quod quædam loca sancta adire decreverim, atque a jure proprio subtrahere tentaverim; non satis intelligo quid dicere velitis. Non enim recolo me usquam hoc egisse, quia per Domini clementiam, & senioris mei misericordiam, tantam rerum copiam habeo, ut nihil de locis sanctis injuste abstrahere sit necesse.* Hæc ille ad Hermengardem augustam, quæ altero abhinc anno migravit e vita.

XLIX. Diplomata pro Castellione, S. Germano, & Insula-Barbara.

Ad reliqua hujus anni diplomata quod attinet, unum est immunitatis pro quatuor navibus a Ludovico indultæ, vel potius confirmatæ Autisiodorensi sancti Germani cœnobio, cui tunc Alegrecus abbas præerat, datum Aquisgrani VI. idus Martii, anno tertio imperii ipsius Ludovici, uti & alia, quæ sequuntur. Alterum regiæ tutelæ concessum Smaragdu abbati *ex monasterio Castellionis, quod Marsupium nuncupatur*, constructo in honorem sancti Michaëlis archangeli & sanctæ Mariæ virginis sanctique Petri apostoli, quod paullo post ab eodem Smaragdo ad Mosam traossatum est. Actum Aquisgrani palatio regio, IV. nooas Junii. Idem abbas eodem anno aliud de libertate carrorum & sagmariorum obtinuit IV. nonas Septembris. Utrumque editum in tomo tertio nostrorum Analectorum. Alio præcepto Ludovicus quam-

AN. CHR. 816.

» dam piscariam, quam olim ipsius *proavus bonæ memoriæ Karolus* in pagi Pinciacen-
» sis villa Rioïlo, in fluvio Sequanæ fieri jusserat, ob idque Karoli-vennam appella-
» tam, Parisiaco monasterio sancti Germani, ubi Hirmino vir venerabilis pastorali
» tum fungebatur officio, largitur, prout eam parens ejus Carolus serenissimus impe-
» rator & augustus jam concesserat, excepta *una nocturna*, quam monasteria sancti
» Dionysii & sancti Petri, modo sanctæ Genovefæ, ibidem accipiebant. Datum Aquis-
» grani III. kalendas Septembris. Caroli-vennæ * vocabulum hactenus loco hæsit, ejusque mentio fit in libro de miraculis sancti Germani Parisiorum episcopi, ubi hoc diploma integrum retulimus. Privilegium item immunitatis ab eodem imperatore pro quatuor navibus *per Sagonam, Rhodanum, & Dubim* impetravit ibidem III.
» idus Novembris Campio abbas ex monasterio sancti Martini, quod Insula-Barbara
» dicitur, situm super flumen Sagonæ, non procul ab urbe Lugduni, ut legitur in diplomate in Ruderibus [a] ejus monasterii. Denique regiæ defensionis privilegium sub finem ejus anni, nempe nonis Decembris, Aquisgrani concessum est Theode-
» miro abbati Psalmodiensis monasterii, quod est situm in pago Nemausensi, in in-
» sula, quæ vocatur Psalmodia, constructum in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ,
» & sancti Petri principis apostolorum. Hæc de diplomatibus ejus anni.

* *Challevan-ne.*

a *Pag.* 45. & 46.

L.

Figiaci renovatio per Aigmarum abbatem.

Abbatiam Figiacensem, seu Fiacensem apud Cadurcos, antiquitus in honorem sancti Salvatoris conditam, a Pippino rege, ut diximus, pro regia munificentia instructam, a Carolo quoque thesauris & reliquiis locupletatam, Aigmarus venerabilis vitæ abbas pæne destructam renovasse, & a tertio anno Ludovici augusti per annos triginta duos [b] regulariter administrasse memoratur. Hic primum Figiacensis clericus, postmodum a Paschali papa Romæ in monachum simul & abbatem benedictus dicitur, propterea quod in supra dicto cœnobio nllus superesset monachus. Non ergo ante annum Ludovici quartum, quo Paschalis in locum Stephani suffectus est, abbatis titulo insignitus fuit. Inter alia loci ornamenta, magnas duas crucifixi vultus imagines fecit opere argentario, auro, lapidibusque pretiosis adornatas: quarum majorem Figiaci, ad designandam loci prærogativam; minorem Conchis posuit. Omitto incogniti auctoris, qui hæc retulit, minutiora errata in componendo ejus abbatis calculo: qui si ad annum octingentesimum quinquagesimum-secundum pervenit, amplius triginta-duobus annis abbatiam tenuisse, aut certe paullo serius Ludovici anno tertio iniisse dicendus est.

b *Miscellan. Baluz. to.* 2. *p.* 298.

AN. CHR. 817.

LI.

Concilii Aquisgranensis indictio & regula duplex.

» VEterrimi annales Fuldenses, a Lambecio editi, tradunt, anno tertio Ludo-
» vici factum esse concilium magnum Aquisgrani in mense Augusto, præceptum-
» que, ut monachi omnes cursum sancti Benedicti cantarent ordine regulari; duos-
» que codices scriptos fuisse, unum de vita clericorum, alterum de vita nonnarum,
» id est canonicarum. Astronomus in vita Luduvici hoc concilium differt in annum sequentem, atque ineunte æstate habitum fuisse satis innuit, rerum serie hujus anni sic instituta. Post mortem Stephani papæ quarti, quæ hoc anno, istius sæculi septimo-decimo accidit VIII. kalendas Februarii, Paschalis primus, ex abbate monasterii sancti Stephani protomartyris, siti prope Vaticanam basilicam, electus est in ejus locum. Is statim, missis ad imperatorem legatis Aquisgranum, confirmationem pacti seu donationis, antecessoribus suis factæ, & mutuæ amicitiæ ab eo petiit, obtinuitque. Sub finem quadragesimæ feria quinta in cœna Domini, quæ hoc anno incidebat in quintum idus Aprilis, dum Ludovicus ab ecclesia in regiam se reciperet, collapsa porticu, per quam redibat, in terram decidit levi tantum vulnere accepto. Brevi dein sanatus, post viginti dies Noviomagum venatum petiit, indeque reversus est Aqnisgrannm, ubi generalem conventum habuit, in quo suam erga divinum cultum pietatem patefecit. Congregatis enim episcopis cum nobilissimo sanctæ ecclesiæ clero, librum de canonica vita componi & ordinari curavir, in quo totius illius ordinis perfectio continetur, quem librum per omnes sui imperii civitates & monasteria canonici ordinis misit. Idem etiam constituit Benedictum abbatem, & cum eo probatissimos quosque monachos, *qui per omnia monasteria monachorum euntes redeuntesque, uniformem traderent cun?is monasteriis, tam viris, quam sanctimonialibus feminis, vivendi secundum regulam sancti Benedicti incommutabilem morem.* quæ quidem satis ostendunt, uno eodemque tempore, in eodem generali conventu, & regulam pro canonicis, & decreta pro monachis condita fuisse. quod

Cointianæ sententiæ favet, contra quam in editis, in quibus regula canonicorum anno octingentesimo sexto-decimo, anno vero sequenti synodus pro monachis facta legitur. His ita ordinatis, imperator Lotharium filium suum primogenitum in eodem placito imperatorem dici & esse voluit; aliosque duos filios, Pippinum in Aquitaniam, Ludovicum in Bajoariam misit. Dein autumno insequente, Vosagi silvas venationis causa petiit, ac demum instante hieme, Aquisgranum reversus, Bernardi Italiæ regis, fratris sui filii, defectionem accepit. Mirum est apud astronomum nullam fieri mentionem regulæ canonicarum feminarum, quæ in eodem conventu approbata, & forte ab eodem auctore concinnata est, nempe ab Amalario tum diacono, qui librum de vita canonicorum jussus ab imperatore, accepta de palatio librorum copia, ex diversis doctorum sententiis collegisse traditur. Nulla tum mentio facta regulæ Chrodegangi episcopi Mettensis, sive quod insufficiens ad canonicorum vitam ordinandam visa sit, sive quod peculiarem ecclesiam spectare crederetur: seu quod non ita forte tunc nota esset. Nova hæc Aquisgranensis regula constat capitulis centum quadraginta-quinque; regula vero feminarum capitibus viginti-octo, haud scio an etiam ab eodem Amalario ex dictis sanctorum patrum contexta. Acta concilii Romani sub Nicolao II. habiti, in quo utraque hæc regula valde improbata [a] est, innuere videntur, auctorem regulæ feminarum monachum fuisse.

ANN. CHR. 817.

a V. infra n. 53. & lib. 61. n. 33. & seq.

LII. Amalarius auctor regulæ canonicorum.

Hic est Amalarius, qui libros quatuor de divinis seu ecclesiasticis officiis, & alterum de ordine psalmorum seu antiphonarii scripsit, teste Ademaro monacho [b] Ecolismensi, qui eum eo in loco diaconum vocat; at presbyterum in clausula librorum de divinis officiis, ubi eum Symphosium-Amalarium presbyterum appellat. Hæc clausula in tomo secundo Analectorum, cum insigni additamento ad libros illos de divinis officiis, nuper sic edita est. *Explicit liber Symphosii-Amalarii presbyteri venerabilis de divinis officiis, quem misit ad Ludovicum & Lotharium reges, filios Caroli Magni imperatoris: quem librum in hoc corpore transscribi curavit Ademarus indignus monachus in honorem Dei & sancti Benedicti.* Et certe Amalarium ad sacerdotii gradum promotum fuisse intelligitur ex ejus epistola [c] ad Guntardum, qui ipsum interrogaverat, cur non majori se cautela observaret, more ceterorum presbyterorum, ne ilico post consumtum sacrificium spueret. Idem monachus dicitur a Sigeberto, non alius forsan *a reverentissimo Christi famulo Amalhario*, cui Eginhardi epistola tertia scripta est. Denique abbas, immo & chorepiscopus dictus invenitur in quibusdam codicibus, teste Baluzio, an ille *Amalhart abbas* Hornbacensis monasterii in Mettensi diœcesi, notatus in necrologio Augiensi. Certe se ipse Mettensis ecclesiæ clericum satis designat in libris suis; & quidem in Mettensi urbe morabatur sub annum ejus sæculi vicesimum-septimum, quo tempore ad Gregorium papam quartum missus a Ludovico est, ut ipse scribit in prologo ad antiphonarium: cujus legationis mentionem facere videtur Eginbardus in illa epistola tertia, quam Amalhario famulo Dei inscriptam mox diximus. Alius ergo fuit Amalarius episcopus, quidquid contra sentiat Blondellus, ille scilicet, qui una cum Halitgario Cameracensi a synodo Parisiensi anni octingentesimi vicesimi-quinti ad Ludovicum augustum legatus est, nisi forte is fuerit chorepiscopus Mettensis, quo titulo Amalarius noster insignitur in quibusdam codicibus, in quibus abbas & chorepiscopus vocatur. Hic ergo præcipuus auctor est regulæ, si non canonicarum, certe canonicorum, cujus regulæ exemplaria Ludovicus per omnia canonicorum monasteria & ad cathedrales ecclesias imperii sui submitti curavit, in iisque observari ex synodi consulto præcepit, scriptis ad omnes metropolitas epistolis, ut id in suis quique diœcesibus exsequi maturarent. Idem factum de regula canonicarum feminarum. Exstant tres ex his epistolis a paribus, paucis immutatis, Magno Senonensi, Sichario Burdigalensi, & Arnoni Saltzburgensi directæ, quas singulas triplici columna Cointius ad hunc annum distinxit, ut earum facilior esset collatio.

b Labbe. to. 2. bibl. p. 158.

c Spicil. to. 7. p. 168.

LIII. Improbatur hæc regula a Romanis.

Et hæc quidem canonicorum regula in plerisque cathedralibus & collegiatis ecclesiis Gallicanis observata est usque ad sæculum undecimum, etiam a canonicis regularibus a prima illa origine sui instituti. Non placuit hæc canonicorum regula Petro Damiani, qui opusculum vicesimum-quartum scripsit contra sui temporis canonicos, qui, licet in commune fructibus ecclesiarum alerentur, pecuniam nihilo minus, aliaque bona privatim possidebant, idque ex regula prædicta sibi licere asserebant. Idem etiam carpit mensuram cibi ac potus, quæ ad quatuor aut quinque

librasunicuique canonico assignata erat. Nec minus acris utriusque regulæ censura facta est in concilio Romano anni millesimi undelexagesimi sub Nicolao papa secundo, exponente Hildebrando archidiacono, qui ambas illas regulas ob easdem causas valde improbabat. Eadem concilii sententia fuit, maxime in damnanda re-
» gula canonicarum, quibus concessum erat, ut simul ecclesiasticis facultatibus &
» suis proprietatibus uterentur. quod a tempore apostolorum usque ad imperatorem
» Ludovicum nulli professioni sanctimonialium concessum vel permissum fuisse dicitur. *Et certe*, inquit concilium, *hujusmodi sanctimonialium institutionem usque nunc tota Asia, Africa simul & Europa, excepto uno minimo angulo Germaniæ, nec scivit, nec recepit: quam quotquot receperunt, a tempore præfati Ludovici recepisse comprobantur. Unde constat, ante illum sanctimoniales ubivis terrarum habuisse quam sequerentur regulam a beato patre Benedicto, aliquibus dictionibus a virili sexu ad femineum translatu, quam utique in sui regni provinciis inventam nec Ludovicus mutare qualibet ratione debuit aut potuit sine auctoritate & consensu sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis: quia, quamvis imperator & devotus, tamen erat laicus. sed nec monachorum quisquam: quia non est illorum novam in ecclesia proprio suo magisterio vel arbitrio regulam introducere, insuperque illi contrariam, quam beatus Gregorius testatur discretione præcipuam, & sermone luculentam.* quæ idcirco fusius huc referre visum est, ut appareat, novum tunc fuisse illarum canonicarum institutum, in tota Asia, Africa & Europa, ad id tempus ignoratum, immo ad tempus illius concilii, *excepto uno minimo angulo Germaniæ.* ac proinde Romaricenses, Nivialenses, Melbodienses, Castrilocenses, aliasque id genus canonicas in eo, quo nunc gaudent, vivendi genere haud quaquam institutas, sed a monastico statu ad versatilem & arbitrariam hujus ævi consuetudinem sensim prolapsas fuisse. quod etiam Jacobus a Vitriaco acriter reprehendit in historia occidentali. Quamquam longe distant recentiores istæ canonicæ ab antiquioribus illis canonicabus, quæ perpetuo stabilitatis ac continentiæ proposito adstrictæ erant, nec umquam sæculum repetere illis fas erat, ut patet ex articulo octavo-decimo regulæ Aquisgranensis. Nunc vero nulla sunt ejusmodi vota, ne quidem penes abbatissam, nisi paucis in locis. adeoque non status dicendus est hujusmodi canonicarum recens institutum, sed antiquioris canonicarum status eversio.

LIV. Statuta hujus synodi pro monachis.

Quod episcopi & clerici pro canonicis & canonicabus; hoc abbates & monachi pro monachis in eodem Aquisgranensi conventu pro portione præstiterunt, non quidem novam, ut illi, condendo regulam, sed monachos ad Benedictinæ accuratiorem praxim revocando, atque ad uniformem normam reducendo, editis septuaginta-duobus capitulis, alias octoginta pro varia divisione, quæ inviolabiliter observari patres illi præceperunt, brevi hac præfatiuncula apposita: *Anno incarnationis Domini nostri Jesu-Christi octingentesimo septimo-decimo, imperii vero gloriosissimi principis Ludovici quarto, sexto idus Julii, cum in domo Aquisgrani palatii, quæ Lateranis dicitur, abbates cum quam pluribus una suis resedissent monachis, quæ subsequuntur capitula communi consilio ac pari voluntate inviolabiliter a regularibus conservari decreverunt*, id est a monachis, qui jam tum *regulares* dicebantur contra clericos & canonicos, ut alias jam a nobis observatum, qui *sæculares* clerici dicuntur hic, in capitulo quadragesimo. Ea vero fuit, etiam in Casinate principe monasterio, horum capitulorum auctoritas, ut eadem ferme reverentia, ac ipsa regula sancti patris Benedicti, ibidem observarentur, teste Leone [a] Marsicano cardinale Ostiensi, qui tantum septuaginta-duo capitula commemorat. Singula huc referre non videtur operæ pretium, cum in libris editis passim habeantur. Tantum ea, quæ utiliora videntur, vel quæ aliqua luce indigent, proferre satis fuerit.

[a] *Chron. Casin. lib.* 1. *c.* 16.

Secundo capitulo statutum est, *ut monachi omnes, qui possunt, regulam memoriter discant.* quod in congregationibus bene moratis hactenus observatur.

Tertio, ut divinum officium ad præscriptum regulæ celebretur. quamquam Benedictus Anianæ abbas, teste Ardone, sancivit, ut diurna officia juxta Romanum morem, decantando psalmo centesimo decimo-octavo, persolverentur. quod Benedictus ipse exsecutus est ipso ejus obitus die, siquidem dum *cursum persolvere* vellet, in hæc verba ejusdem psalmi *Justus es Domine*, exspiravit. at utrumque officium quotidie solebat recitare, nempe *cursum* Romanum & monasticum, quod *regulare officium* Ardo in ejus vita appellat. In eadem synodo, ut Hildemarus satis innuit, statutum, ut monachi in triduo ante pascha ritum Romanum in officiis divinis se-

querentur. cujus tamen rei nullum decretum in ea synodo legitur. At forte nullum editum fuit, pruptetea quod huic statuto, quod episcopi urgebant, multi abbates, immo & Ludovicus ipse, restiterint. sed tamen usus prævaluit.

Quarto, *ut in coquina, in pistrino, & in ceteris officinis propriis operentur manibus, & vestimenta sua opportuno tempore lavent.* Deinde, *ne nullo umquam tempore post vigilias, causa dormiendi, nisi contigerit eos ante horam constitutam surgere, ad lectos redeant suos.* Omnino ad mentem sancti Benedicti, qui illud intervallum temporis, a vigiliis scilicet ad matutinas laudes, psalmorum vel lectionum * meditationi impendi præcipit.

* a S. Bened. c. 8.

Sexto, *ut in quadragesima, nisi in sabbato sancto, non radantur: in alio autem tempore semel per quindecim dies radantur, & in octavis paschæ.* Quippe eo tempore pœnitentes nec barbam, nec capillum tondebant. Tonsura vero monachorum ad breves capillos redacta erat, unde caput quotidie pectebant: soli ex illis majores clerici corona interrasili & ad cutem detonsa insignes erant. Capitula octavum, nonum, & septuagesimum-octavum juxta vulgatam conciliorum editionem, quæ ad volatilium esum pertinent, peculiari observatione inferius illustrabuntur, uti & ea quæ de libra panis & de vestimentis statuta sunt.

L V. De minutione &c.

Undecimum capitulum est, *ut certum phlebotomiæ tempus non observent, sed unicuique, secundum quod necessitas expostulat, concedatur, & specialis in cibo & in potu tunc consolatio præbeatur.* Ab hoc tempore nihilo minus in kalendariis breviariorum notati sunt singulis mensibus certi dies, quibus sanguinem minuere cuivis licebat, qui dies *æger* aut *minutionis* ob id vocabatur. Duodecimum diebus jejunii, cum regularis post refectionem vespertinam, tum quadragesimalis ante completorium, propter laboris necessitatem vel officium defunctorum, poculum indulget. Quartum-decimum vetat nudos pro quavis causa sub oculis fratrum flagellari, ob verecundiam & honestatem. quod certe observari ubique conveniret, cum legamus quemdam veterum patrum ne pedes quidem coram socio, ut alveum aquæ transiret, nudare voluisse.

Quintum-decimum, ut nullus solus sine alio fratre foras progrediatur. Id tam severe cautum Gregorii Magni tempore, ut monachum, qui secus fecerat, monasterii regimine, ad quod electus fuerat, pontifex excluserit.

Decimum-septimum, ut ob necessitatem colligendi fruges, *constitutum legendi, aut meridie pausandi tempus prætermittatur.* aliis *præmittatur.* sed mendose, uti colligitur ex consequentibus, *& operantes non murmurent*; atque ex titulo ejus capituli, *ne murmurent monachi tempore legendi & meridiano occupati ad colligendas fruges.*

Decimum-octavum, *ut quarta & sexta feria jejunantes, ante aut post nonam, si necessitas fuerit, juxta prioris arbitrium levia opera exerceant.*

Decimum-nonum, *ut in quadragesima, libris de bibliotheca secundum prioris dispositionem acceptis, alios, nisi prior decreverit expedire, non accipiant.* nempe ut fixæ & statæ essent, non versatiles & arbitrariæ monachorum lectiones; & ut libri, quod regula præcipit, ex integro & per ordinem legerentur. Hæc vero distributio pro cujusque captu initio quadragesimæ a præposito fiebat.

Vicesimum-sextum prohibet villas frequenter citra necessitatem adiri, vel monachis administrandas committi. quod certe monachis nequaquam expedit, immo valde perniciosum esse experientia constat, quibus nec cellas seu præposituras, ubi pauciores, quam sex monachi fuerint, habitare conceditur, infra.

Vicesimum-septimum, *ut eadem, quam monachi sui habent, mensura sint abbates contenti, in manducando, in bibendo, in dormiendo, in vestiendo, in operando* seu laborando, *si in aliis utilitatibus non fuerint occupati.* Subsequens, *ut abbas vel quispiam fratrum ad portam monasterii cum hospitibus non reficiat. In refectorio autem omnem eis humanitatem manducandi ac bibendi exhibeat: ipse tamen*, scilicet abbas, *ea cibi potusque mensura contentus sit, quam reliqui fratres accipiunt. Si vero propter hospitem voluerit ad solitam mensuram fratribus, sibique augere aliquid, in sua maneat potestate.* Hoc articulo derogatum videtur capiti quinquagesimo-sexto regulæ de mensa abbatis, quam cum hospitibus & peregrinis semper esse vult sanctus Pater. Neque enim Menardo nostro assentiri possum, id de communi refectorio interpretanti. Hoc vero Aquisgranense capitulum si conferas cum quinquagesimo-secundo, *ut laicus causa manducandi ac bibendi ad refectorium non ducatur*; facile concedes,

ANN. CHR. 817. prius illud de monachis, forte etiam de clericis intelligendum, quos in refectorium duci permittit synodus, non laïcos.

Vicesimo-octavo, ut fratribus, qui ad mensam aliis ministraverint, non in una mensa, sed in propriis locis reficientibus, eadem lectio, quæ prius fratribus facta est, recitetur. quod quidem in monasterio S. Galli, aliisque observatum vidimus: ubi post communem mensam reficientibus lectori & ministris mensæ lectio fiebat.

LVI. De novitiis & pueris &c. Tricesimo-quarto capitulo vetatur, novitium tonderi, aut vestimenta pristina mutare, priusquam, expleto probationis anno, obedientiam promittat, ut in regula sequenti stabilitur, *ut monachus professione facta tribus diebus cuculla coopertum habeat caput*, consuta scilicet ad os cuculla, ut præscribunt ritus Cluniacenses.

Tricesimo-sexto præcipitur, ut pueri, a parentibus in monasteriis oblati, oblationem de se factam confirment, cum ad intelligibilem ætatem pervenerint. Omnino ad mentem decimi concilii Toletani, ut in superioribus [a] observatum. Quamquam Rabanus post hanc Aquisgranensem synodum scripsit libellum contra eos, qui regulæ sancti Benedicti hac in re derogatum volebant, ut in consequentibus [b] videbimus; contenditque puerorum oblationem omnino valituram, etiam si eam oblati pueri matura in ætate ratam non habuissent. De iisdem pueris statuitur capitulo sequenti, *ut carnem non nisi causa infirmitatis manducent.* Itane ergo hæc abstinentiæ lex quinquennes, nam etiam ea ætate offerebantur, puellos obligabat?

a Lib. 11. n. 38

b Infra lib. 30 n. 30.

Tricesimo-octavo articulo ex horis decem, quas sanctus Benedictus labori corporeo deputat, unam tantum detrahit synodus, statuens, *ut in quadragesima usque ad nonam operentur fratres, quatenus, missa celebrata, congruo tempore reficiant.* nempe ad vesperam, ut tempore sancti Benedicti, quo tempore missa singulis ferialibus diebus non videtur celebrata fuisse.

Quadragesimo, his qui e monasterio fugere voluerint, aliorumve gravium criminum rei fuerint, *aut quibus ex integro facta sunt regulares disciplinæ*, ita ut fratrum consortio omnino privati sint, *domus semota* fieri præcipitur hujusmodi, *in qua hieme possit ignis accendi*, & atrium juxta esse, *in quo valeant, quod eis injungitur, operari.* Non ergo probassent patres illi Aquisgranenses angusta illa ergastula, quo vix lux solis penetrare possit, in quibus ad otium, ne dicam ad certam perniciem, miseri illi quibusdam in locis, absque ignis per hiemem adminiculo, recluduntur.

Quadragesimus-secundus articulus est, *ut nullus plebeïus, seu clericus sæcularis in monasterio ad habitandum recipiatur, nisi voluerit fieri monachus.* Insigne hac de re exemplum in monasterio sancti Galli postea videbimus.

Sequens articulus omne genus juramenti monachis interdicit. quod statutum olim ita sacrum erat, ut quovis periculo quidam monachi illud infringere non sustinuerint. Felices, si tales se præstarent, ut iis simpliciter affirmantibus, vel in propria causa, ut olim, etiam nunc crederetur.

Quadragesimus-quartus, *ut abbatibus liceat habere cellas, in quibus aut monachi sint, aut canonici; & abbas providéat, ne minus de monachis ibi habitare permittat quam sex.* scilicet ad servandam qualemcumque regularis disciplinæ formam, sine qua monachi facile monasticum spiritum exstinguunt.

Quadragesimus-quintus, *ut schola in monasterio non habeatur, nisi eorum qui oblati sunt.* Hinc institutæ scholæ exteriores pro pueris extraneis, ut alias diximus.

LVII. De festis &c. Quadragesimo-sexto capitulo annua festa præscribuntur cum plenario seu sollemni officio & gemina refectione: quo in numero mirum est festum sancti Benedicti speciatim non esse expressum.

Sequenti, *ut in parasceve non aliud, nisi panis & aqua sumatur.* Proximo, *ut benedictio post completorium a sacerdote dicatur.* an præsente abbate, si ipse non esset sacerdos? Alia ratio erat de benedictione lectoris, quam abbas, præpositus, vel decanus, *quamvis presbyteri non sint*, tribuere debent, ex capitulo sexagesimo-secundo. Porro lector hanc benedictionem *stando* postulabat, ex capitulo sexagesimo-tertio.

Quadragesimum-nonum habet, *ut de omnibus in eleemosynam datis, tam ecclesiæ quam fratribus, decima pauperibus dentur.* quod religiose in Corbeiensi monasterio, aliisque deinceps, immo ante id tempus observatum.

Quinquagesimo, *ut, prætermissis partitionibus psalterii, psalmi speciales pro eleemosynariis & defunctis cantentur.* Olim quippe pro benefactoribus & defunctis integra

tegra in monasteriis recitabantur psalteria, sed in plures divisa partes, quæ singulæ certo tempore persolvebantur: at his psalteriis psalmos speciales synodus substituit.

Quinquagesimo-primo, *ut in hebdomada pentecostes non flectantur genua, & non jejunetur, nisi statuti fuerint dies jejunii.* scilicet jejunium æstivale quatuor temporum, quod tamen non ubivis semper, ut in Romana ecclesia, olim in hebdomada pentecostes servabatur. Certe in synodo Moguntiacensi anni octingentesimi tertii-decimi collocatur illud jejunium in hebdomada secunda mensis quarti, id est Junii, quæ raro cum hebdomada pentecostes coincidebat.

Quinquagesimo sexto, *ut psalmus invitatorius*, is est *Venite*, & *Gloria* pro defunctis non cantetur.

Quinquagesimo-octavo decernitur, *ut dormitorium juxta oratorium constituatur, ubi supervenientes monachi dormiant.* Hospites alii exteriores habebant ædes, & recte, ne monachi cum sæcularibus permisti sint.

Sexagesimo-tertio, *ut docti fratres eligantur, qui cum supervenientibus hospitibus loquantur.*

Sexagesimo octavo, *ut eulogia fratribus a presbyteris in refectorio dentur*, scilicet ante alios cibos, ut superius diximus ad libellum supplicem Fuldensium, qui hunc morem jam ante synodum servabant, servarique cupiebant.

Septuagesimo-secundo, *ut is, qui noxa culpa tenetur*, id est pænitentiæ addictus, *die dominico remissius habeat*, in cibo videlicet ac potu; *& veniam non petat*, prostratus nimirum, ut aliis diebus.

Jam vero de volatilium esu id præcipit synodus capitulo octavo, *ut volatilia intus forisve, nisi pro infirmitate, nullo tempore comedant* monachi. & capitulo sequenti, *ut nullus episcoporum monachis volatilia comedere præcipiat.* Jam quippe nonnullis impressa hærebat hæc opinio, monachis licere volatilibus vesci ex regulæ concessu, quæ abstinentiam a carnibus quadrupedum, non etiam volatilium, signanter exprimit. Cum vero hæc opinio quorumdam monachorum animis alte infixa esset, eamque doctiores etiam nonnulli, ut Rabanus, propugnarent; ex quadam indulgentia & œconomia patribus synodi Aquisgranensis visum est, concessumque capite septuagesimo-octavo, *ut volatilia in natali Domini & in pascha tantum quatuor diebus, si est unde, comedant: si vero non fuerit unde, non requiratur per debitum. si autem abbas aut monachi abstinere se voluerint*, nempe prædictis diebus, *in eorum sit arbitrio.* ubi temperatur Casinatium indulgentia, qui illam his duobus festis ad octiduum extendebant, Theodemari epistola testante. Ex quibus facile intelligitur, id nonnisi ægre & præter animi sententiam a patribus Aquisgranensibus indultum; eorumque mentem esse, hanc indulgentiam sanctæ regulæ repugnare. unde præter hos dies, volatilia comedi prohibent *intus forisve, nisi pro infirmitate*; etiamsi ab episcopis id permittatur. ubi videntur occurrisse sancti Fructuosi regulæ, qui longinquo itinere destinatis, si *aut a principe, vel episcopo rogentur, pro benedictione & obedientia* carnes volatilium degustare permittit, modo servent apud se de reliquo abstinentiam consuetam. Certe utramque abstinentiam discipulis suis a sancto Benedicto præscriptam fuisse quivis facile concedet, qui attenderit hoc ejus in instituendo ordine suo propositum, in quo homines a sæculi contagio remoti, vitam agerent, non ad delicias, sed ad pauperum mores accommodatam. Hinc est, quod ea vestimenta suis indulget discipulis, quæ vilius, in qua degerent provincia, comparari possent. quod gravi ac diuturno labore vult eos exerceri. quod ægre admodum vini vel exiguam copiam eis concedit, & parabiles tantum escas, nempe duo pulmentaria cocta. non dicturus *cocta*, si de carnibus volatilium, quas nemo, nisi barbarus, incoctas comederit, & non potius de leguminibus locutus fuisset. Quis vero sibi in animum induxerit, virum sanctum, tali animatum proposito, esum quadrupedum, qui vulgarium hominum cibus est, extra infirmitatem resecuisse, volatilia permisisse? Sane hoc fuisset, non delectationes resecare corporis, sed mutare, immo & augere. Nam, ut cum Hieronymo * loquar, *non ideo te carne vesci non putes, si suum agrestium, leporum, atque cervorum, & quadrupedum animantium esculentias reprobes. Non enim hæc pedum numero, sed suavitate & gustu comprobantur.* Denique plerique regulæ commentatores hunc regulæ contextum eo modo, quo diximus, interpretati sunt: ex quibus Turrecremata apposite ad hunc locum: « Licet sanctus Pater, inquit, tantum nominet carnes quadrupedum, prohibitio ta- «

LVIII. Volatilium esus an permissus a S. Benedicto.

* Hieron. epist. 9. ad Salvinam.

AN. CHR. 817.

„ men extenditur usque ad carnes etiam animalium, bipedum scilicet & volatilium. „ Cum enim carnes volatilium sint dulciores, magis delicatæ & pretiosiores; quando „ minus delicatas vetuit, procul dubio magis delicatas & pretiosiores prohibere cre- „ dendus est. Ita ille. Non me fugit, quædam esse contraria exempla, quorum nonnulla jam retulimus, quorumdam monachorum, qui volatilia in certis, at raris casibus comederint. at regulæ sensus [a] ex mente legislatoris, non ex rarioribus illis exemplis petendus. Certe pullorum esum, etsi facilius, solis tamen infirmis permittunt Cæsarius & Aurelianus, qui tempore sancti Benedicti regulas suas scripsere. Idem de Benedicto Anianensi dicendum. Denique ea mens fuit, ut de aliis reformatoribus sileam, Cisterciensium patrum, qui regulam ad amussim sibi servandam proposuere: quorum major esse debet, quam sanctæ Hildegardis contra sentientis, auctoritas.

a V lib. 3. n. 8.

LIX. Pinguedo permissa.

Affine est huic statuto ejusdem synodi capitulum septuagesimum-septimum, *ut fratres aliquid pinguedinis in victu quotidiano habeant, excepta sexta feria, & diebus octo ante natale Domini, & a quinquagesima usque ad pascha.* Id præter regulam concessum monachis Francis propter defectum olei tradunt anonymus auctor in vita sancti Meinwerci episcopi Paderbornensis, & Ordericus [b] Vitalis in historiæ suæ libro octavo. In eadem sententia est alius anonymus, qui sagimen illud *oleum lardivum* vocat. Feriam sextam, atque octo dies ante natale Domini, mirum cur non totum adventum; ad hæc totum tempus a quinquagesima usque ad pascha, ab usu pinguedinis excepere patres Aquisgranenses. Attamen ne quidem feria sexta tunc temporis excepta erat, si monacho sancti-Gallensi [c] credimus in libro primo de vita Caroli Magni, qui cum aliquando ad quemdam episcopum divertisset feria sexta, nec ea die *carnes quadrupedum, aut volatilium* comedere voluisset; pontifex ille, non inventis piscibus, *optimum illi caseum, & ex pinguedine carnium jussit apponi.* Ejusmodi abusus, utendi scilicet sagimine etiam feria sexta, propagatus fuerat ad Cluniacenses tempore Petri venerabilis, qui eum edito decreto abrogavit.

b Orderic. p. 712.

c c. 17.

LX. Libra panis.

De libra panis ita constituunt patres capitulo quinquagesimo-septimo, *ut libra panis triginta solidis per duodecim denarios metiatur;* & quidem *antequam coquatur* panis, ut capituli præfert inscriptio. Hic locus multorum animos torsit, distraxitque in varias sententias. Id alii de pretio panis, alii de pondere, sed immani, interpretantur. Primus e recentioribus rem propius attigit Antonius Yepesius in notis ad hanc synodum Aquisgranensem, quas tomo tertio chronici Benedictini adjecit. Censuit quippe vir doctus, eam legem de pondere libræ Benedictinæ editam more Francorum, qui libram numericam viginti solidis computare solent, solidum vero duodecim denariis: quem computandi morem etiam in ponderibus olim adhibuerint, qua ex observatione divinavit, libram crudi panis a synodo assignatam constitisse libra una & dimidia, ut coctus panis redigeretur ad libram unam Parisinam, quæ pro una libra numerica viginti-quinque solidos exigit; & hanc demum esse libram, quam sanctus Benedictus *propensam* vocat. Nec longe abludit Boherii sententia. *Libra denariorum*, ait, *ideo libra dicitur, quia tantum ponderare solebat.* At locum hunc egregie illustravit libellus de hemina vini Benedictina, cujus eruditus auctor Claudius Lancelotus, postea Benedictinus, nuper mortuus, ex legibus Francorum observat, vicesimam partem unciæ denarium esse; duodecim vero denarios assem efficere, adeo ut tres unciæ quinque asses, & duodecim unciæ libram viginti solidorum constituant; solidum vero denarii duodecim. Hinc est quod in libro tertio [d] capitularium pro heribanno seu multa quadam, *solidi triginta* exiguntur, *id est libra & dimidia.* Itaque cum patres Aquisgranenses libram panis ante coctionem, triginta solidis per duodecim denarios constantem, assignant; octodecim uncias crudi panis, at cocti fere quatuordecim aut sexdecim concedunt: quatuordecim quidem, si primarius ac levior sit panis; sexdecim vero, si secundarius. Eodem fert Hildemarus [e], unus ex antiquioribus regulæ commentator. *Libra*, inquit, *viginti-duos solidos habet, quando crudus est panis: ut cum coctus fuerit, habeat solum viginti.* Recte quidem de libra communi, secus de Benedictina, quæ propensa esse debet.

d Capitul. lib. 3. c. 14. edit. Baluz.

e Hildemar. in cap. 39. regulæ.

LXI. Hemina vini.

De hemina vini id tantum præscribunt patres capitulo vicesimo-secundo, *ubi vinum non est unde hemina detur, duplicem mensuram de cervisia bona* suppleri. Heminam Benedictinam Lancelotus mox laudatus non aliam esse putat quam semisextarium Romanum, qui uncias decem pendet. Postea tamen, in nova libelli sui edi-

tione, duas uncias heminæ Benedictinæ adjecit, eamque duodecim unciis constare permisit, adductus forte argumentis, quæ contra priorem ejus sententiam in prima ad Sæculum quartum Benedictinum præfatione protuleram: ubi heminam Benedictinam octodecim unciis constare, si non certis, saltem certo proximis rationibus ostendisse mihi videor. quæ hoc loco repetere non sinunt historiæ leges. De hemina vini & libra panis consule eruditam Johannis Peleterii dissertationem, jam superius [a] a me laudatam. ANN. CHR. 817.

[a] Lib. 25. n. 70.

LXII. Vestes monasticæ.

Superest agendum de vestimentis, quæ prædicti patres singulis monachis concedunt articulo vicesimo-secundo, nempe *camisias duas*, laneas scilicet, quas Ardo *staminecas* vocat; *tunicas duas, cucullas duas, & cappas duas; pedules quatuor paria, femoralia duo paria, roccum unum, pellicias usque ad talos duas; fasciolas duas, quibus autem necesse est itineris causa, alias duas; wantos in æstate, muffulas in hieme verveeinas; calceamenta diurna paria duo, subtalares per noctem in æstate duas, in hieme vero soccos; saponem, & unctiuram sufficienter.* Hæc illi, longe quidem plura quam sanctus Benedictus, qui camisiarum, capparum, rocci, pellicearum, fasciolarum, wantorum, muffularum, subtalarium, & soccorum non meminit, neque saponis aut uncturæ; nec femoralia nisi itinerantibus concedit. Pedules, genus calceamenti, infra dividuntur in calceamenta diurna, quæ sancto Benedicto caligæ; & nocturna, quæ subtalares in æstate, socci in hieme. Caligæ ad mediam suram, subtalares, instar crepidarum, tantum ad talum pertingebant. Socci olim apud Gallicanos monachos lignea calceamenta in vita sancti Lupicini abbatis dicebantur. Cappæ superiores vestes erant ad talos usque defluentes, cucullæ dictæ in regula; quæ vero hic cucullæ, scapularia ibidem appellantur. Ita Smaragdus abbas rem explicat in commentario: *Cucullam dixit ille*, nempe sanctus Benedictus, *quod nos modo cappam: quod vero dicit scapulare propter opera, nos modo dicimus cucullam.* Ejusmodi cuculla seu scapulare absque manicis totum ambiebat corpus tantum usque ad renes, fissum aliquando cum tæniolis ad utrumque latus, aliis non fissum, qualia videre licet in iconibus Fuldensium monachorum, superius expressis. *Disconsutas* seu fissas vetat capitulum sexagesimum-primum, præter *villosas*, forte pelliceas. De parva hac cuculla præcipit capitulum vicesimum-secundum synodi Aquisgranensis, *ut mensura cuculla duobus consistat cubitis.* Viderat ejusmodi cucullam seu scapulare apologista Henrici quarti imperatoris, cujus hæc verba. *Vidimus nos aliquando vestem cucullatam, parvam quidem, sed ita moderatam, ut desuper usque ad renes tantum deflueret, & utrimque usque ad humerorum confinia pertingeret. qualis certe forma atque mensura proprie dicitur scapulare, quod monachis propter opera tantum assignatur ex mandato regulæ.* Sic ille sæculo undecimo, quo scapularia monachorum, ex Cluniacensium ritu, utrimque fissa & fluctuantia, ad terram usque defluebant. Eadem forma eorum erat ante synodum Aquisgranensem, uti discimus ex Ardone monacho in libro de vita Benedicti Anianensis abbatis, qui cucullam, id est scapulare, quæ prius *usque ad talos* pendebat, ut in Otgerio & Benedicto superius [b] vidimus, ad modum uniformem reduxisse dicitur exemplo Casinensium & Fuldensium, ut *non amplius duobus cubitis* excederet ejus mensura, vel summum *usque ad genua* pertingeret. quod statutum est synodi Aquisgranensis. Denique roccus, clericis lineus, monachis laneus, humeros ambiebat; fasciolæ, redimiculi genus, femoralia & tibialia religabant. Verum de his satis superque satis.

[b] V. Supra lib. 27. n. 50.

LXIII. Benedictus synodi caput & præses.

De hac synodo idem Ardo scribit, Ludovicum præfecisse Benedictum mox laudatum cunctis regni sui cœnobiis, ut, sicut Aquitaniam & Gothiam, ita Francos salutifero imbueret exemplo; adeoque ut harum partium monasteria, quæ a regulari norma defecerant, ad pristinum statum revocaret. Ut autem, quemadmodum una omnium erat professio, iisdem etiam esset salubris una consuetudo; Benedictus jussu imperatoris, congregatis cunctorum cœnobiorum patribus una cum plurimis monachis, multos cum illis resedit dies, regulam ex integro discutiens, obscura dilucidans, dubia solvens; sicque veteres abstulit errores, priscosque ritus avitæ disciplinæ restituit; atque ex eis *capitulare institutum*, id est præmissa statuta, imperatori confirmanda porrexit, ut in omnibus regni sui monasteriis ea observari juberet. Id vero lubens executus est imperator, missis per singula monasteria inspectoribus, qui eam cunctis formam traderent, & qui traditam observari curarent. Perfectum itaque propagatumque est opus divina opitulante misericordia, & una

ANN. CHR. 817.

ubique generaliter observata est regula, ac demum universa monasteria ita ad formam unitatis redacta sunt, quasi ab uno magistro, & uno in loco informarentur: adeo uniformis in cibo & potu, in vigiliis & psalmodia, ceterisque religionis officiis vivendi ratio instituta est. Horum omnium dux, caput, & veluti anima erat Benedictus, cui omnia, tamquam generali præposito, monasteria obtemperabant.

Nomina abbatum omnium, qui synodo Aquisgranensi cum eodem interfuere, singulatim percensere impossibile, & forte supervacaneum foret. Unus ex eis erat Arnulfus abbas Herensis, an etiam Glonnensis, qui cum Benedicto monasterii Dionysiani reformationem promovit. Adfuerunt etiam Josue sancti Vincentii ad Vulturnum, Smaragdus sancti Michaëlis in pago Virdunensi, Apollinarius Flaviniacensis, aliique quamplures, quos inter hi insignores erant. Adfuit forsan etiam abbas Casinensis, quem primum honoris causa, nominare debueram, Gisulfus scilicet, cujus præfecturæ anno ultimo habitam fuisse hanc synodum Leo [a] Marsicanus auctor est. Is decessit exeunte hoc anno, scilicet IX. kalendas Januarii, præfecturæ suæ anno vicesimo-primo. Apollinaris ejus successor abbatiam ad annos undecim tenuit.

a l. 1. Angel. de Nuce in lib. 1. c. 16.

LXIV. Constitutum de monasteriis.

In eodem etiam conventu cum episcopis, abbatibus, & toto senatu Francorum, constitutum fecit imperator de monasteriis regni vel imperii sui, quæ *dona & militiam facere possent; quæ sola dona sine militia; quæ vero nec dona, nec militiam, sed solas orationes pro salute imperatoris, vel filiorum ejus, & stabilitate imperii.* quod constitutum ex mendoso exemplari Sirmundus vulgavit.

HÆC SUNT QUÆ DONA ET MILITIAM *facere debent, numero XIV.*

Monasterium sancti Benedicti, Floriacense in agro Aurelianensi, cujus abbas hoc anno Adalgaudus, de quo infra.

Monasterium Ferrarias in Senonensi. Sigulfus, nobilis abbas & presbyter, cum usque ad senium, & quidem ad hoc tempus, sub canonico habitu laudabiliter vixisset, sponte se Ferrariensis abbatiæ potestate exuit, & monachicam religionem assumsit, regimen abbatiæ cum Ludovici consensu cedens Adalberto discipulo suo, cui usque ad obitum se subjici passus est, ut testatur Lupus abbas in epistola vicesima-nona.

Monasterium Nigelli, seu de Nigella in pago Trecensi, de quo in libro tertio jam egimus.

Monasterium sanctæ Crucis, seu sancti Faronis prope Meldos, non Crucis-sancti-Audoëni seu sancti Leutfredi in pago Ebroïcensi, quod olim Crucis-sancti-Audoëni, recentioribus sancti Leutfredi appellatum.

Monasterium Corbeia in pago Ambianensi. quo tempore exsul erat in Hero insula Adalhardus abbas, cujus vices agebat junior Adalhardus.

Monasterium sanctæ Mariæ Suessionis puellarum, sub Theodrada abbatissa, Adalhardi sorore.

Monasterium Stabulaus in diœcesi Leodicensi. Absalon an Ando abbas.

Monasterium Fariniacum, aliis Favriniacum, locus in pago Vesontionensi, sic in divisione regni Lotharii. De ejus origine nihil compertum. Monasterium olim puellarum, ad cujus abbatissam exstat epistola [b] sancti Bernardi abbatis: nunc virorum sub congregatione sancti Vitoni: ubi Wlfus [c] patricius jussu Brunechildis cæsus est, vulgo Faverniacum.

b Bern. ep. 391.
c Fredeg. c. 29.

Monasterium sancti Eugendi, seu sancti Claudii in Lugdunensi sub Achino, ut videtur, abbate.

Monasterium Novalicium ad radices Cinisii montis. Frodoïnus abbas.

Ultra Rhenum.

Monasterium sancti Nazarii Laureshamense diœcesis Wormatiensis, cui tunc Adalongus abbas præerat.

Monasterium Offunwilarii seu Offonis cella, sive Scutteranum, diœcesis Argentinensis.

In Bavaria.

Monasterium Manauser, vulgo *Mansee*, alias Lunælacense in diœcesi Saltzburgensi. Lambertus abbas.

Monasterium Tegnaaser seu Tegernsense in Frisingensi. De his omnibus superius actum.

HÆC SUNT QUÆ TANTUM DONA dare debent *sine militia*, *numero* XVI.

Monasterium sancti Michaëlis Maresci primi. Valesius de monasterio sancti Michaëlis in Periculo maris hic agi putat, Baluzius de quodam monasterio sancti Michaëlis in Vesontino. Hic vero conjicio designari monasterium sancti Michaëlis in pago Virdunensi, dictum olim *Marsupium* ab amne illic scaturiente, ad quem primitus ad id tempus positum erat, paullo post translatum ad Mosam : ita ut legendum sit, *Monasterium sancti Michaëlis Marsupii*, cui tum Smaragdus præerat.

Monasterium Balma puellarum in diœcesi Vesontionensi.

Monasterium sancti Sequani in Lingonensi.

Monasterium Nantuadis, in Lugdunensi. Eo tempore apud Sebusianos Nantuaco præerat Godelsadus abbas & diaconus, cui Ansmundus quidam & Cæcilia ejus conjux villam Telarciacum in agro Vironensi, aliaque prædia in pagis Lugdunensi, Matiscensi & Autissiodorensi concesserunt anno quarto Ludovici augusti. Exstant hac de re litteræ in chartario Nantuacensi sub hac inscriptione: *Domino & sacrosanctæ ecclesiæ in honore sancti Petri principis apostolorum, & sanctæ Dei genitricis Mariæ, & sancti Michaelis archangeli, quæ sunt constructa in pago Lugdunensi, cui vocabulum est Nantoacis monasterii, ubi vir venerabilis Godelsadus abba sive diaconus, una cum norma monachorum, ibidem Deo deservire videtur.* Ex quo intelligitur, tres illic fuisse ecclesias. *Actum anno quarto regnante & imperante domino nostro HLudovico.* Godelsadi successor Adalramnus, non multo post, hanc ipsam villam eisdem donatoribus in præstariam dedit.

Ultra Rhenum.

Monasterium Snarizaha seu Swarzach in diœcesi Argentinensi. Aliud ejusdem nominis in Herbipolensi.

Monasterium sancti Bonifacii Fuldense in Moguntina sub Ratgario abbate, de quo supra.

Monasterium sancti Wigberti Fritislariæ, locus olim diœcesis Moguntinæ, nunc Paderbornensis:

In Alemannia.

Monasterium Clehenwane, ignotum.

Monasterium Fruhelinwanc, an idem cum Fiutwanga, cujus abbas Gozbertus in necrologio Augiensi.

Monasterium Nazaruda, & istud incognitum.

Monasterium Campita seu Campidona in Suevia, sub Agapito an Gothardo abbate.

In Bavaria.

Monasterium Altemburc, an sancti Altonis, vulgo *Alteumunster*, in diœcesi Frisingensi.

Monasterium Alcahe, haud dubie Altahe seu Altaha, Superius, an Inferius, in Bavaria inferiori ad Danubium.

Monasterium Creansa. Dicerem Cremisa seu Cremisanium, nisi hoc situm esset in Austria superiori, sed Bavariæ conterminum.

Monasterium Mathasco, vulgo *Masce*, in diœcesi Pataviensi.

Monasterium Buria seu Buranum, vulgo Benedicto-Buranum, in Frisingensi.

HÆC SUNT QUÆ NEC DONA, *nec militiam dare debent, sed solas orationes pro salute imperatoris vel filiorum ejus & stabilitate imperii, numero* XVIII.

Monasterium Melaredum, in diœcesi Autissiodorensi, nunc cella abbatiæ sancti Germani Autissiodorensis.

Monasterium Fossatus seu Fossatense prope Parisios, sub Benedicto abbate jam superius [a] laudato, de quo plura inferius. [a] Num. 34.

Monasterium Ludra seu Lutra, in diœcesi Vesontionensi.

Monasterium sancti Gregorii in diœcesi Basileensi, ubi tunc Gothefridus abbas.

Monasterium sancti Mauri, legendum *Monasterium Mauri*, in diœcesi Argentoratensi.

Monasterium Eborrebeim, aliis Ebersheim, ibidem.

Monasterium Clinga, de quo in necrologio Augiensi, *ex monasterio quod Clingo vocatur, sive Plidinfeld, Fleido episcopus & abba*, in diœcesi Spirensi, ab ordine translatum : de quo plura inferius.

Monasterium Savinciaco, lege Saviniacum, in diœcesi Lugdunensi : de quo superius [b] actum est. [b] Lib. 27. n. 70.

ANN. CHR. 817.

Monasterium Crudatis, ita legendum, ad Rhodanum in pago Vivariensi. Huic monasterio concessum est hoc anno privilegium immunitatis a Ludovico augusto ad preces comitis Vivariensis, cujus pater Herebertus hunc locum, qui ex jure fisci » erat, desertum inveniens, monachos ibidem congregaverat, qui eumdem locum, » ipsius & aliorum fidelium adjutorio, instauraverant, idque persequi constitue- » rant, si rex quietos redderet, eisque opportunum præberet auxilium, ita ut ip- » sos monachos una cum abbate illorum Bonaldo, rebusque ad eumdem locum per- » tinentibus sub sua defensione reciperet. quod Ludovicus lubens præstitit, concessa » insuper libera eligendi abbatis facultate. Datum Aquisgrani XVII. kalendas Au- » gusti, anno ejus imperii quarto. Durandus diaconus ad vicem Helizachar recognovit.

Monasterium Dusera, in diœcesi Arausicana.

Monasterium Lorwiu, nobis ignotum.

Ultra Rhenum.

Monasterium Schewanc / *Monasterium Sculturbura* { utrumque ignotum.

In Bavaria.

Monasterium Berch. Exstat *Bergen* monasterium in diœcesi Eistetensi, at sæculo tantum decimo conditum, & extra Bavariam.

Monasterium Methema, lege Methema seu Methama, vulgo *Metten*, in Bavaria inferiore.

Monasterium Scoveuauva. / *Monasterium Alcsburch.* { utrumque ignotum.

Monasterium Wizzenbrunnico, nunc Wesbrunense, a duce Tassilone fundatum, tum sub Adelmaro abbate.

ALIA MONASTERIA, *in Aquitania.*

Monasterium sancti Filiberti, Herense in finibus Pictonum & Armoricæ, in cellam redactum: tunc sub Arnulfo abbate.

Monasterium sancti Maxentii, apud Pictones, an Abbo tum ejus rector.

Monasterium Carroffinii seu Carrofi, ibidem, sub Justo abbate.

Monasterium Brautosmurii seu Brantosmi, apud Petrocorios.

Monasterium sancti Savini, in Pictonibus, institutum a Benedicto abbate Anianensi, qui viginti monachis eo ab se missis abbatem præfecit, cujus nomen ignoratur. Dodo abbas ejus loci religiosissimus inferius commemorandus.

Monasterium sanctæ Crucis puellarum, apud Pictavos.

Monasterium sanctæ Mariæ in Lemovicas, vulgo de Regula, cui Guntrada abbatissa non multo post præfuit.

Monasterium Mastracurii. Baluzius legendum putat *Masciacum*, ut in vita Ludovici Pii, in Biturigibus; an Mauzacum seu Mauciacum apud Arvernos.

Monasterium Menadinii, an Menatense apud Arvernos.

Monasterium Magnilocum, itidem apud Arvernos.

Monasterium Conquas, diœcesis Rutenensis, tunc sub Medraldo abbate, modo sæcularium.

Monasterium sancti Antonii, Baluzius legit *Antonini*, quod monasterium erat olim apud Rutenos. Est & monasterium sancti Antonii de Lezato in comitatu Fuxensi; at medio sæculo decimo conditum.

Monasterium Musciacum, vulgo Moisiacum, apud Cadurcos, nunc canonicorum sæcularium.

In Septimania.

Monasterium sancti Ægidii in valle Flaviana, prope Nemausum, nunc sæcularium canonicorum.

Monasterium Psalmodium, in eadem diœcesi, itidem sæcularium, nunc Alesiensi episcopatui unitum.

Monasterium Anianum, seu Anianense, in Magalonensi, cujus tum Georgius abbas sub Benedicto.

Monasterium sancti Tiberii, in diœcesi Agathensi.

Monasterium Villa-magna, in Biterrensi.

Monasterium sancti Petri in Lunate, alias Juncellense, ibidem.

Monasterium Caunas, in diœcesi Narbonensi.

Monasterium Castelli-Malasci, aliis Mallasti, nunc Montis-Olivi, in Carcassonensi. ANN. CHR. 817.
Monasterium sanctæ Mariæ Caprariensis, in Biterrensi, vulgo *Cabrieres.*
Monasterium sanctæ Mariæ ad Orubionem, vulgo de Crassa, diœcesis Carcassonensis, tunc sub Attala abbate, qui omnium sui monasterii possessionum & immunitatum confirmationem ante biennium a Ludovico augusto impetraverat.
Monasterium sancti Laurentii. Duplex eo nomine monasterium erat in Septimania: unum in diœcesi nunc sancti Pontii ad Nigellam fluviolum, modo unitum monasterio Crassensi mox laudato: aliud in eodem pago ad Vernodubrum, nunc sancti Aniani * dictum. * S. Chignan.
Monasterium sanctæ Eugeniæ, in suburbio Narbonensi, monasterio Fontis-frigidi unitum ab anno millesimo centesimo undenonagesimo, quo Willelmus de Lacu prior & monachi sanctæ Eugeniæ ordinationi & dispositioni abbatis Fontis-frigidi se se subjecerunt.
Monasterium sancti Hilarii, ad Leucum, in diœcesi Carcassonensi. Huic præerat tunc Monnellus abbas, cui privilegium immunitatis, Nampioni decessori suo a Carolo Magno concessum, Ludovicus Pius confirmavit, relatum sine chronicis notis in appendice Capitularium, uti & subsequens Pippini Aquitaniæ regis id ipsum confirmantis ad preces Leonii abbatis: cujus antecessor Egido, Monnelli successor, consimile a Ludovico Pio, Pippini genitore, obtinuerat.
Monasterium Valle-Asperii, Arulense diœcesis Helenensis. Castellanus abbas.

In Tolosano.

Monasterium sancti Papuli, nunc episcopalis sedes a Johanne vigesimo-secundo instituta. Hujus monasterii origo obscura, Carolo Magno tribuitur.
Monasterium Suricinium, seu Soricinium, in diœcesi olim Tolosana, modo Vaurensi, prope castrum olim Verdimium, recentioribus Verdunum.
Monasterium Asilo, vulgo de Manso-Asili, olim Tolosanæ, nunc Appamiensis diœcesis, de quo infra.
Monasterium Venercha, vulgo *Venerque*, sancto Petro sacrum, quatuor leucis a Tolosa; nunc excisum, & attributum ecclesiæ sancti Pontii Tomeriarum.

In Wasconia.

Monasterium Cella-Fraxilii, vulgo *Serres*, in pago Elusano, nunc canonicorum sæcularium, & majori parte unitum ecclesiæ beatæ Mariæ Auscieosis.
Monasterium Simorra, rectius Simorra, sacrum beatæ Mariæ, in diœcesi Auscienfi.
Monasterium Pisciano, vulgo sancti Michaelis de Pisciano, in suburbio Auscioram.
Monasterium Altum-fragitum, vulgo sancti Sixti de Fagito, ad Ratum fluviolum, nunc canonicorum sæcularium in eadem diœcesi.
Monasterium sancti Savini in Levitania ad montes Pyrenæos, quod a sancto Savino eremita vocabulum & originem habet, situm in agro Tarbellensi ad Gavum fluvium, unde Tarbellense vulgo cognominatum, de quo in superioribus [a] egimus. a Lib. 18. n. 74.

Hactenus constitutum de monasteriis a Ludovico conditum, quod manu sua firmavit, & anulo imperiali sigillari jussit. De plerisque monasteriis prædictis superius egimus. aliorum fere originem & casus ad hoc tempus ignoramus: quædam etiam prorsus ignota. De Soricinio & de Manso-Asili mox agemus. Cur vero multa, & quidem insigniora, in hac constitutione prætermissa sint, divinare non licet. Si quis dicat hic agi de monasteriis regiæ, quam vocant, fundationis: de omnibus hic recensitis vix dici potest. Et quam multa ejusmodi omissa sunt, sancti Dionysii & sancti Germani apud Parisios, sancti Medardi apud Suessionas, Centulense, aliaque permulta. Nulla vero de monasteriis Neustriæ recentioris, totiusque Belgicæ primæ ac secundæ, mentio facta, Corbeia & forte monasterio sancti Michaelis exceptis. Atque ut a militia & donis excepta fuerint, an etiam a precibus? Aliis hoc divinandum relinquo.

LXV. Soricinii monasterii origo & abbates.
Soricinium * pagi Tolosani monasterium, sic dictum, non a soricibus, ut quidam vir doctus putat, sed a Sora fluviolo præterlabente, beatæ Mariæ de Sanha, nunc de Pace cognominatum a nonnullis, olim in diœcesi Tolosana, nunc in Vaurensi, post erectam ea in urbe sedem episcopalem, positum est. Ejus conditor Pippinus rex fuisse creditur: sed desunt, quæ id probent, litteræ genuinæ. Ceterum de ejus antiquitate dubitare haud nos sinit præmissum Ludovici constitutum, in quo Suricinium recensetur cum aliis, quæ tantum preces imperatori debebant. Huic * Soreze.

ANN. CHR. 817.

cœnobio tunc præerat Bertrandus seu Bertrannus abbas, cui Ludovicus augustus hoc anno vel insequenti villam Blizentiam confirmavit, aliasque possessiones ab Arecato comite Astaraci concessas in diœcesi Ausciensi, ex quibus Cella-Medulfi coaluit. Nullus ejus loci abbas deinceps occurrit ante Caroli Simplicis principatum : quo tempore Walafridus abbas, præsente Armando seu Airardo archipræsule, hanc cellam cum suis appendicibus Garsiæ comiti ad vitam concedit pretio mille solidorum. quod recentiores ad tempus Caroli Calvi referunt. Sub eodem Carolo Simplice usque ad Lotharium regem invenitur Rumoldus, aliis Rodaldus, Soricinii abbas. Ab eo iterum hiatus ad Seniorellum litterarum magistrum, id est ad sæculum undecimum jam adultum, ubi de illo agemus.

LXVI. Mansi-Asili initia & abbates.

Monasterium sancti Stephani de Manso-Asili, cujus superius meminimus, æque obscuræ originis. Jam exstabat anno Caroli Magni tricesimo-nono, quo Sigobrandus quidam Calasto Azili abbati & fratribus ejus alodia de Cruciaco & de Cassiaco in pago Tolosano cessit, ut legitur in historia Benearnensi. Situm est ad Rivum * fluvium, qui in Garumnam devolvitur ad Rivi * castrum, cui nomen suum tribuit, ubi illud amittit. Calasto abbati videtur successisse Azenarius, cui Ebolatus, ejusque conjux Verana cum duobus filiis donarunt cellam sancti Petri de Silva-agra, in qua corpus sancti Rustici requiescebat, Ludovico augusto imperante. Nulla deinceps ejus monasterii documenta supersunt usque ad annum millesimum vicesimum-quintum, quo Isarnus episcopus Tolosanus res monasterii confirmat, illudque in suam tutelam admittit.

* Riz.
* Rieux.

LXVII. Agiulfus abbas Solemniaci privilegium obtinet.

Iu superiori constituto Ludovici augusti nulla mentio facta est de Sollemniaco monasterio agri Lemovicensis, cujus abbas Agiulfus præceptum immunitatis obtinuit a Ludovico imperatore, prolatis litteris Pippini regis ac Caroli Magni, qui Sollemniaco simile privilegium concesserant. Ludovicianum exstat in tomo secundo Capitularium, datum Aquisgrani IX. kalendas Augustas, imperii Ludovici piissimi augusti anno quarto, iodictione decima. Agiulfo abbati Ductramnus substituitur in vulgatis indicibus, forte Dructramnus. Observatu dignum est ipsius Ludovici præceptum, Aquisgrani hoc anno datum III. kalendas Septembres, confirmantis immunitates, Turonicæ sancti Martini basilicæ a Pippino avo, & patre suo Carolo imperatore concessas : cujus authentico appensa est bulla aurea, in cujus antica parte exhibetur ejus effigies coronata, dextra lanceam, læva scutum præferentis, sub hoc lemmate : D. N. HLUDOWICUS IMP. posticam vero totam occupat hæc inscriptio, RENOVATIO REGNI FRANC. Præter ea sigillum cereum membranæ affixum erat, sed modo detritum. Consimilis bulla aurea Caroli regis authentico appensa est.

LXVIII. Bernardi Italiæ regis defectio.

Antequam solveretur conventus Aquisgranensis, Ludovicus Lotharium, natu-majorem filium, imperii consortem dixit ; alios duos, Ludovicum Bajoariæ, Pippinum Aquitaniæ reges imposuit. Hoc nuntio in Italiam perlato, Bernardus rex, Pippino majore Caroli filio natus, instigantibus proceribus, Ludovico, si qua posset, imperium, quod sibi paterno jure deberi credebat, erepturus, defectionem molitur : moxque omnibus Italiæ civitatibus in sua verba jurare jussis, saltus faucesque alpium idoneis præsidiis firmat. Ejus conjurationis conscii fuisse ex Italia Anselmus Mediolanensis, & Volfoldus Cremonensis antistites, e Francia Theodulfus Aurelianensis arguuntur. Id ubi per Rotaldum Veronensem episcopum & Supponem Brixiæ comitem accepit Ludovicus, qui e Vosago Aquisgranum reversus erat ; contractis ex Francia & Germania copiis, confestim adversus Bernardum contendere properavit. Huc spectat epistola [a] Hetti archiepiscopi Trevirensis, Frothario
» Tullensi antistiti scribentis, terribile ad se pervenisse imperium domni imperatoris,
» ut omnibus legationi suæ subjectis significaret, pararent se ad bellum in Italiam con-
» tra Bernardum nova molientem. Propterea mandare de verbo imperatoris, ut
» omnibus abbatibus, abbatissis, comitibus, vassis dominicis, cunctoque populo suæ
» parochiæ, qui militiam regiæ potestati exhibere deberent, ut primo quoque tem-
» pore ad Italicum bellum ad nutum imperatoris progredi maturarent. Ex illis tamen monasteriis, quæ militiam regi debebant, nullum ex Tullensi parochia memoratum est in regio constituto, quod superius retulimus. Ubi tantam in se belli molem verti Bernardus rescivit, motu perterritus, maxime quod jam a suis se deseri adverteret, arma posuit, seque ultro Ludovico ad Cabilonem sedenti tradidit.

[a] Froth. epist. 25.

cujus

cujus exemplum ceteri ſecuti ſunt. Ludovicus judicium in poſterum annum diſtulit.

ANN. CHR. 817.

LXIX.

Andaginum monachis datum.

Poſt conventum Aquiſgranenſem Walcandus epiſcopus Leodicenſis, parochiæ ſuæ ſtatum io melius reformare cupieos, cellam Andaginenſem, de cujus origine in ſuperioribus [a] actum eſt, vetuſtate pæne collapſam, habitatoribuſque deſtitutam, inſtauravit, ac mooachis inſtituti noſtri conceſſit, quibus Alveus abbas præfectus eſt, forſan ex Prumia aſſumtus, uti & ejus ſucceſſor Marcwardus. Mox eum in locum multi religionis cultores receperunt ſe ſe, maxime *nobiles viri ex monaſterio ſancti Lamberti*, quæ cathedralis eccleſia erat, apoſtolicæ vitæ deſiderio accenſi. Hi, monaſticis votis Deo nuncupatis, locum ab ſe electum illuſtrare cupientes, Walcandum obnixe rogarunt, ſibi ut ſancti Hucberti epiſcopi corpus concedere dignaretur. Eorum precibus commotus antiſtes, qui loci amplificandi ſtudio itidem tenebatur, Adebaldum metropolitam Colooieoſem, ſucceſſorem Hildeboldi, ſuper hac re conſulendum cenſuit. Ambo vero ad Ludovicum imperatorem id referendum conſtituunt, imperator ipſe ad coocilium epiſcoporum, qui religioſorum virorum voto ac poſtulationi annuendum cenſuere, ſancti confeſſoris reliquias eis committi ſatius exiſtimaotes, & in monaſterio prædicto, ubi religioſius honorarentur, collocari. quod factum XI. kalendas Octobris, anno dominicæ incarnationis octiogeoteſimo viceſimo-quinto, qoi Walcandi ordinatioois ſextus-decimus erat. Sacrum corpus integrum, quemadmodum Carlomanoi principis anno tertio, quo ejus elevatio facta fuerat, repertum, in Andaginenſe demum transfertur monaſterium, quod ſancti Hucberti deinceps appellationem obtinuit, multo peregrinorum concurſu ad vitandam rabiem frequentatum. Totam hanc hiſtoriam Walcandi bortatu litteris mandavit Jonas epiſcopus, non alius, nt puto, quam Aurelianenſis, qui Theodulfo ſucceſſit. Miracula deio conſecuta ſcripſit auctor anonymus ſæculo undecimo, ex quibus inſigniora ioferius referentur.

[a] Lib. 19. n. 34.

LXX.

Adalwino epiſcopo Ratiſponæ ſuccedit Baturicus.

Hoc aooo, ejus ſæculi ſeptimo-decimo, Adalwinus epiſcopus Ratiſponenſis, poſt annos prælaturæ viginti-ſex, Baturico locum fecit, ut conſtat ex brevibus annalibus [b] Ratiſponenſibus eo tempore ſcriptis, cum deceſſore ſuo ſepultus in baſilica ſancti Emmerammi. Hinc corrigendus Hundius, qui etiam in hoc falſus eſt, quod ſedis epiſcopalis tranſlationem e prædicta baſilica ad eccleſiam ſancti Petri, cujus tranſlationis Simpertus [c] auctor eſt, eidem Adalwino [d] tribuit. Neque vero quidquam valet Ludovici auguſti vulgatum diploma ad id probandum; nec melioris notæ eſt aliud Carolomaoni, quibus Arnolfus monachus apette reſtagatur. Sub Adalwino itaque Richobaldus abbas ad ſanctum Emmerammum inſtitutus eſt, non ſub Baturico, qui eum a præfectura monaſterii amoviſſe dicitur. Ab eo tempore nulli deioceps ſancti Emmerammi peculiares abbates fuere, ſed iidem qui epiſcopi, per annos amplius centum & quinquaginta, nempe uſque ad pontificatum ſancti Wolfgangi, qui reſtituto in melius monaſtetio Ramvoldum abbatem præfecit. Confer quæ ſuperius [e] diximus de emendandis vulgatis indicibus Ratiſponenſium epiſcoporum. Exſtat prolixum Rabani carmen [f] ad Baturicum epiſcopum nomine Iſamberti preſbyteri & monachi Fuldenſis: ſed in eo nihil obſervatione dignum.

[b] Analect. to. 4. p. 477.
[c] V. ſupr. lib. 26. n. 16.
[d] V. lib. 26. n. 16.
[e] Lib. 22. n. 66.
[f] Raban. carm. 4.

LXXI.

Barnardus Viennenſis antiſtes pallio donatur.

Sub exitum hujus anoi Paſchalis papa primus Barnardum Viennenſem antiſtitem, ſedem ſuam deſerere volentem, litteris cooſirmavit, ſuperius relatis, eidemque mox pallium, quod forte ille nondum petierat, ultro coocceſſit *majorum more*, ad oſtendendam in eum, ejuſque eccleſiam ſedis apoſtolicæ caritatem; ad hæc omnia privilegia, eidem eccleſiæ ab anteceſſoribus ſuis conceſſa, rata habuit. *Scriptum* [g] *per manum Theophylacti notarii & ſcriniarii menſe Decembri, indictione decima. Data per manum Georgii bibliothecarii ſanctæ ſedis apoſtolicæ, nonis Decembris, imperante domino noſtro piiſſimo principe auguſto Ludovico, a Deo coronato, magno & pio imperatore, anno quarto, & patriciatus ejus anno tertio.* ubi legendum videtur *poſt conſulatum ejus anno tertio*, qui novo poſt patris mortem anoo ioeunte numerari cœptus. Cum itaque videret Barnardus, ſibi non licere ad dilectum Ambroniacenſe monaſterium ſuum reverti; alium ſibi ſeceſſum in ſua diœceſi paravit, nempe monaſterium, in loco remotiori, Romanis dicto, poſito ad Iſeram fluvium, inter Gratianopolim & Rhodanum, cujus aquis Iſera immiſcetur: ubi tumultus vitæ actuoſæ identidem deſerens, Deo liberius vacaret. Atque ut locum illum amplius nobilitaret, eo tranſtulit reliquias ſanctorum Severini, Exſuperii & Feliciani ex ſuburbano Viennæ vico Brenniaco, ubi indigno in loco jacebant. Abſoluto ita-

[g] Append. Sæc. 4. Bened. p. 566.

Romanis monaſterium condit.

ANN. CHR. 817.

que monasterio, basilicam in honorem sanctorum apostolorum dedicavit cum comprovincialibus episcopis, eamque Viennensibus archiepiscopis subjectam esse voluit. quod Lotharius augustus litteris, Agilmaro Barnardi successori inscriptis, confirmavit. Romanense monasterium, sancti Barnardi sepultura & patrocinio postea insigne, jam inde a sæculo decimo vertit ad sæculares canonicos, non confundendum cum alio ejusdem nominis monasterio diœcesis Lausannensis, a sancto Romano abbate Lupicini fratre constructo, quod sanctus Wandregisilus in reditu ex Italia adiisse memoratur.

LXXII. Ansegiso Luxovium commissum.

Eodem anno Ludovicus augustus Luxovium, celebre in Galliis monasterium, rectore destitutum post mortem Dadini abbatis, regendum beneficii jure commisit Ansegiso abbati cœnobii Flaviacensis, jam superius laudato, cui post annos sex Fontanellense monasterium, Eginhardo cedente, itidem commissum est. Ea tempestate Luxovienses de pristina severitate multum remiserant, testante Adsone [a] ejus loci abbate. quæ causa Ludovicum impulit, ut eis Ansegisum, *virum dignissimum*, morum gravitate & prudentia præpollentem, ad reparandam disciplinam, eis pastorem præficeret. Mox ille collapsa erigit, dispersa recolligit, ecclesiam amplificat, ejusque parietes pictura exornat: cetera instaurat ædificia, toti denique monasterio novam formam reddit.

a Sæc. 3. Bened. parte 2. p. 456.

LXXIII. S Benigni res & rectores.

Non meliori in statu res erat in Divionensi sancti Benigni monasterio. Tunc locum regebat Erlegaudus seu Herlegaudus abbas, sub quo multa per id tempus facta prædiorum accessio. Ejus rei chartæ apud Perardum exstant. una data die dominico proximo kalendis Augusti, in anno secundo Ludovici imperatoris. quod non de pridiano die ante ipsas kalendas, sed de proximiori sabbato, ut in aliis ejusdem loci tabulis, intelligendum. altera sabbato proximo in mense Octobri; tertia die Jovis post mensem Februarium, anno tertio Ludovici augusti, id est anno ejusdem sæculi sexto-decimo, quod Perardus non recte ad hunc subsequentem annum refert. Idem pro portione erratum in sequenti, quæ donatio est Witgarii presbyteri, Bargas in pago Atoariorum sancto Benigno conferentis *die veneris, tertio idus Februarii, anno sexto regnante domino nostro Ludovico imperatore.* quæ notæ anno ejus sæculi undevicesimo, non vicesimo conveniunt. subsequens est charta ipsius Erlegaudi abbatis, facta anno ipso vicesimo, qua confert *ad ipsum sanctum locum, hoc est presbyteris, diaconibus, lectoribus vel cantoribus*, aliquid de rebus suis, sitis *in centena Oscarensi, in villa Curmulnensi*, quas per instrumenta chartarum comparaverat. *Data die dominico, nonis Februarii*, anno sexto Ludovici imperatoris. Idem Erlegaudus chorepiscopus vocatur in litteris permutationis factæ inter ipsum & Seraphim abbatem Besuensem, de qua inferius. Mirum videri possit, cur in his litteris nullam Erlegaudus mentionem faciat de monachis, sed tantum de presbyteris, diaconibus, lectoribus, & cantoribus ejus monasterii. Verum jam similes locos in superioribus observavimus, quo tamen tempore monachos ibidem exstitisse constat. Certe sub Aridio abbate, quem inter & Erlegaudum unus Hildebrannus intercessit, Dodo quidam, vir nobilis, ad conversionem eo veniens, multa dat sancto Benigno, *& monachis hujus loci* ad suppeditandum eis frumentum, & vinum, simulque pretium, *unde possint praparari duo pulmentaria, secundum quod præcipit regula monachorum.* Sed nimirum, imminuta sub Erlegaudo disciplina, suppudebat eos monachi nomen & forte institutum, quod utrumque Albericus episcopus, Erlegaudo abbate mortuo, in pristinum decus restituit. Hæc paullulum extra ordinem: sed minutiora ejusmodi in unum congerenda visa sunt, ne sæpius recurrant.

LXXIV. Besuense monasterium regit Betto episcopus.

Vicinum erat Benigniano Besuense monasterium in pago Atoariorum, cujus Betto episcopus diœcesanus, id est Lingonensis, providentiam, exclusis jam inde a Pippini tempore monachis, solus habebat. Id probant instrumenta hujus temporis duo: unum est, quo limites ejus monasterii possessionum definiti sunt *in mallo publico* apud Montaniacum villam, ubi illustris vir Hildegarius comes cum scabineis residebat ad multorum causas audiendas, & recto judicio terminandas. Istuc veniens Betto episcopus, cum advocato suo Burgoardo, novem legitimos testes obtulit, qui de prædictis limitibus testimonium ferrent anno secundo Ludovici imperatoris. Alterum ejusdem generis instrumentum datum est anno ejus quarto, id est anno præsenti, quo idem Betto cum Bernardo advocato monasterii sancti Petri Fontis-Besuæ

tredecim testes profert coram Balactario vicecomite, ad vicem prædicti Hildegarii comitis residente, ad fines quarumdam possessionum disterminandos. quæ integra leges in chronico Besuensi, edito cum Benigniano in tomo primo Spicilegii. Paullo post idem qui supra Albericus episcopus locum monachis restituit, eique præfecit Seraphim abbatem. Hi fructus fuere synodi Aquisgranensis. ANN. CHR. 817.

Quo tempore Seraphim abbas Besuensi monasterio præerat, eodem Epelenus seu Eppelenus Melundense in pago Tornodorensi administrabat. Id colligimus ex libro societatum Augiensis cœnobii scripto ante annos octingentos, in quo memorantur [a] *ex monasterio Melundis Epelenus abba; ex monasterio Fontis-Besiu Seraphin abba.* Haud scio an Epelenum præcesserit Bertfredus Melundensis abbas, qui villas quasdam, eidem monasterio a Barnuino & Wulfino collatas, eisdem ad usum beneficii concessit. Precaria sic incipit: *In Christi nomine Bertfredus abba, qui Melundus,* forte *Melundas, monasterium in regimine habere videtur, & cuncta congregatio monachorum, qui ibidem officium Deo fungere videntur,* &c. *Data mense Octobri, anno II. regni domni HLudovici regis.* Huic precariæ subscribit Bertfredus abbas cum monachis novemdecim, præter Eutherium monachum & sacerdotem, qui hanc precariam scripsit & subscripsit. Ex his monachis decem sunt presbyteri, qui se monachos & presbyteros seu sacerdotes dicunt: duo levitæ, ceteri præcise monachi. Inter illos leguntur *Epplenus monachus & presbyter, Jonas monachus & levita.* qui Epplenus si idem est ac Epelenus abbas; dicendum est eum successisse Bertfredo abbati; adeoque hanc precariam anno secundo Ludovici Pii imperatoris factam esse, tametsi rex tantum in diplomatis clausula dicatur. Huic conjecturæ illud favet, quod Jonas ille monachus idem videri possit cum Jona postea Melundensi abbate, qui Jonæ Æduensis episcopi litteris [b] pro canonicis ejusdem urbis ecclesiæ subscripsit anno DCCC LVIII. Sane hæc sententia est nostri Johannis *Elie*, qui nobis illam precariam suppeditavit, in Appendice referendam.

Melundenses abbates.

a Analect. to. 4. p. 645.

b Spicil. to. 8. p. 145.

LXXV. S. Agnetis monasterium instauratum.

Romæ basilica sanctæ Agnetis extramurana hoc anno translata est a Græcanicis sanctimonialibus ad Latinas seu Benedictinas. quod quemadmodum factum sit, prout traditur res, ex veteri codice sic accipe. Initio statim pontificatus Paschalis papa, cum ad lustrandas urbis basilicas se contulisset, inter alias adiit monasterium sanctæ Agnetis extra muros, ubi sanctimoniales græcæ versabantur. Ingressus monasterium, vidit illic virgulta cum vepribus sicut in saltu nata, tectaque nudata imbricibus. Miseranti loci ruinas, venit in mentem quidam probus sacerdos, manuum suarum laboribus victitans, qui uxorem suam (græcanicæ forte communionis erat) ante paucos dies amiserat: quem ad restituendum monasterium aptissimum judicavit. Misso itaque ad eum nuntio, accessit Johannes, id nomen presbytero, supplex ad pedes pontificis, qui aliam ipsi uxorem velle se dare significavit. Repugnanti ad hæc Johanni, & asserenti, se deinceps cælibem vitam velle ducere; institit pontifex, jussitque ut secundam uxorem pro ipsius voluntate duceret, qui priorem præter ejus sententiam habuerat. Reversus domum presbyter cum natis suis communicavit, quid rei agendum esset. Illi parendum pontifici consulunt. Paratus itaque ad imperium presbyter, a Paschali papa ducitur in prædictum monasterium, cujus basilica impluvio & putri mucore fœdata, tota propemodum frutectis obsita, neglecti loci horrorem spectantibus incutiebat. Erat in ea basilica statua beatæ Agnetis martyris, consistens *in pariete muselato.* Ad eam ubi accessisset pontifex, facta oratione anulum presbytero porrexit, quo novam sponsam, hoc est sanctæ Agnetis basilicam, subarraret. Mox acceptum anulum presbyter, qui demum rem intellexerat, in digitum immisit martyris, quæ dexteram protendisse, ac pedem osculaturo sacerdoti porrexisse fertur. Ille vero totus ad resarciendum monasterium conversus, repurgato loco, instauratisque ædificiis, *moniales de Urbe latinas, bonas & castas*, loco græcanicarum illic instituit, quæ ibidem ad sæculum tertium-decimum, & forte ulterius perseverarunt. Dormitorium vetus adhuc superest absque divisis cellis, cum pictura seu imagine sancti Benedicti, & aliorum. Descensus in basilicam fit per gradus triginta-duos, ubi vetus inscriptio legitur de indulgentiis loco ipsi concessis anno supra millesimum ducentesimo quinquagesimo-sexto tempore Luciæ abbatissæ. Ciborium altaris sustinent quatuor ex jaspide columnæ quantivis pretii. Honorius primus absidem musivo decoravit. Super altare majus, absidi & ciborio subjectum, stat præclara statua martyris, cujus caput & brachia ex

ANN. CHR. 817. ære deaurato, cetera ex alabastro, Franciosini sculptoris opus. Alia proinde ab ea, de qua agit anonymus ille auctor, qui id ab se scriptum asserit, prout oculis propriis conspexerat. Narrationem porro suam concludit his verbis: *Actum est hoc miraculum tempore Paschasii papæ primi* (sic Paschalem vocat) *sub anno dominicæ incarnationis octingentesimo septimo-decimo, a constructione sacræ imaginis anno centesimo nonagesimo-secundo, quæ fuit constructa tempore Honorii papæ primi, ab incarnatione vero Domini anno sexcentesimo vigesimo quinto.* Hæc ex codice bibliothecæ Ottobonianæ. Hoc totum paucis verbis exprimit Anastasius in libro pontificum, ubi Paschalis oratorium beatæ Agnetis Christi virginis mire exornasse dicitur. Nunc locum occupant canonici regulares congregationis sancti Salvatoris Bononiensis.

ANN. CHR. 818. LXXVI. Ratgarius abbas Fuldensis abjectus.

RAtgarius abbas Fuldensis, ob cujus severitatem tot in monasterio turbas excitatas vidimus, postremo accusatus a fratribus, & convictus, deponitur, ut tradunt annales Fuldenses; atque in exsilium amandatur. Id factum anno ejus sæculi septimo-decimo; & insequenti Eigil monachus in ejus locum subrogatus est. Hoc judicium a quo prolatum sit, a Ludovico augusto, an a judicibus ab eo delegatis, non produnt annales. Veri simile est sententiam intervenisse Heistolfi archiepiscopi Moguntini. Interim missi ab imperatore Aaron & Adalfridus monachi occidentales cum sociis e Francia, qui Fuldenses in tanta rerum trepidatione & miseria consolarentur & confirmarent, &, si qua in moribus relaxatio per hos tumultus accidisset, fraterna admonitione corrigerent. Hi sine dubio Benedicti Anianæ & Indæ abbatis discipuli erant, sed quo ex monasterio missi, incertum. Invenitur quidem inter fratres conscriptos sancti Galli Aaron monachus ex cœnobio Besuensi: at nulli tunc Besuæ monachi erant, cum duo illi Fuldam directi sunt. Quo tempore hæc missio contigerit, obscurum. Candidus monachus in vita Eigilis abbatis auctor est, Fuldenses *multo tempore* vitam quietam duxisse *sub eorum magisterio, addito præposito, decanis ab eisdem constitutis.* quod factum oporteret ante Ratgarii exauctorationem, ut *multo tempore* Fuldenses sub eorum magisterio vixisse dici possint. Verum *quietam vitam* ante Ratgarium exauctoratum non habuere Fuldenses. Atqui ab eo tempore ad electionem Eigilis abbatis vix solidus annus intercessit. Hic ergo locus commode interpretandus. Talem demum exitum habuere, si non male parta, certe male gesta, male retenta Ratgarii abbatis imperia.

LXXVII. Eigil in ejus locum suffectus.

Non diu præpositi & decanorum magistratu contenta esse potuit Fuldensis congregatio, quæ abbatis parere imperio solebat. Inito proinde cum Aarone ejusque sociis consilio, visum est eis, ut ad imperatorem mitterent unum ex ipsis Adalfridum, virum prudentem & bene morigeratum, & cum eo quosdam e suis fratres, eligendi abbatis facultatem a cæsare petituros. Hanc benigne concessit Ludovicus, monuitque ut ea fieret ex regulæ sanctæ præscripto, sæpe eis inculcans austeritatem indiscreti pastoris, ne posthac in pristinos errores relaberentur; sed ut potius talem eligerent, qui velit esse pater, & possit. Imperatoris mandato fratribus exposito, institutæ a senioribus preces, quibus futuræ electionis successus Deo commendaretur. Inter ea non modica orta est inter fratres, ut fit, dissensio, animis studia in contraria distractis, dum alii virum nobili ex genere, qui ipsos contra comites & potentes sæculi defenderet, præferendum censerent; alii nullam nobilitatis rationem, sed tantum probitatis ac virtutis habendam contenderent. quippe nobili, propinquorum auctoritate subnixo, etiam si durus & inclemens sit, velis, nolis parendum esse. denique Deum ignobilia & infirma mundi elegisse, ut nobiles ac fortes sibi subjiciat. Erant & qui hominem doctum vellent; alii qui juvenem, alii qui mediocrem. Contra reclamabant quidam, abbatem doctum, si semel a sana doctrina recesserit, obfirmari solitum in sua sententia, & veritati multiplices argutias opponere. In hoc uno consentiebant universi, ut patrem benignum ac clementem sibi deligerent, vulgaris memores proverbii: Homo ustulatus ignem timet. Pertentabant itaque seorsim singulorum animos, quos ad regimen melius comparatos videbant, si quid boni ex eorum responsis expiscari possent. Omnibus demum ad electionem faciendam una congregatis, seniores patres ceteris auctores fuere, ut uno animo in unum conspirarent, non quod sibi utile esset, sed quod Deo magis placitum sincere quærentes. Denique sibi videri, nullum alium in hoc loco ea dignitate digniorem esse quam Eigilem ob maturam ætatem, morumque gravitatem.

Mox assensere omnes, præter paucos, qui ejus constantiam verebantur, quippe qui, etsi mitis erga mites & bene morigeratos, sed indisciplinatis durus & austerus videretur. Ille vero contra obniti, excusare provectam ætatem; ceterum se ad tantum onus imparem dicere. Ad quem fratres: Noli, inquit, timere, pater. quia parati sumus ad fascem hujus oneris tecum sponte portandum. tantum ut nos in hac necessitate ne deseras. Acquievit demum ille, fratrum precibus superatus.

Tum vero visus est adeundus imperator, ut electionem probaret. Missus cum electo Aaron presbyter, primus ex occidentalibus monachis. His ad regiam audientiam introductis, præterita turbarum discrimina Ludovicus ob oculos posuit, eosque ad similes vitandas procellas hortatus est. Huc nihil consultius esse, quam ut conversationem suam secundum regulæ auctoritatem componerent; & dura quælibet servandæ pacis & concordiæ causa perferrent. Plura dicentem inducit Candidus monachus, qui Eigilem ait approbatum fuisse in hanc sententiam. Istum nunc vobis committo, fratres, secundum Dei timorem & sanctæ regulæ auctoritatem, ut sit vobis pater, pastor, & frater juxta monasterium beati Benedicti, nempe Casinense, qui hanc eamdem regulam monachorum, Spiritu-sancto repletus, cum magna discretione conscripsit, suisque secum servandam mandavit alumnis. Vos autem, filii, hunc senem patrem vestrum sanctis conversationibus vestris honorate, sincero amore diligite: obedientiam vero non solum illi, verum etiam ad omne opus bonum certatim vobis invicem exhibere curate. Et conversus ad novum abbatem: Tu vero, ait, pater mi, juniores tuos cum omni studio & sagacitate secundum Dei voluntatem servare contende: quatenus in hac sancta concordia perseverantes, ad eum pervenire mereamini, qui ad hoc solummodo descendit de cælo, ut mundum Deo Patri pacificaret per ipsum. Tum immensa & superflua ædificia improbasse dicitur, etiam in ædibus sacris, memor quantæ hac de re querimoniæ ad patrem suum Carolum & ad se delatæ fuissent. Longe quippe satius esse, ut pauperes egeni ex his impensis pascantur. Hæc, pluribus prosequitur imperatoris nomine Candidus monachus, qui horum monitorum necessitatem experimento noverat. Profectus inde cum comitibus Eigil ad Heistolfum metropolitam Moguntinum: qui ipsum inter alia monuit, ut talem se filiis patrem exhiberet, qualem sibi & fratribus suis Ratgarium esse postulabat in libello supplici, quem Carolo quondam porrexerant. His dictis, solito more novum abbatem benedixit, benedictumque Fuldam redire permisit: ubi eo, quo par erat, honore a fratribus obviam effusis acceptus est. Non multo post basilicam per has tempestates neglectam reficere, novisque ornamentis decorare aggressus est, pavimentis refundendis, novis altaribus construendis, cryptis duabus etiam additis, quarum una solis ortum, altera occasum respiciebat. Denique ut humanitatem & clementiam suam insigni exemplo declararet, Ratgarium ab exsilio revocari curavit: qui demum quietus vixit, & basilicam in honorem beatæ Mariæ in proximo sancti Bonifacii monte ædificavit.

LXXVIII. Bernardus rex & socii conjurationis puniti.

Paucis post pascha diebus Ludovicus imperator Aquisgrani judicium de Bernardo Italiæ rege, qui ipsi apud Cabilonem se dediderat, deque sociis ejus conjurationis exercuit. Cum judices Bernardum, ceterosque capitalis sententiæ damnassent, imperatori sat fuit eum luminibus orbasse, episcopos in diversa relegasse exsilia. Tertio abhinc die Bernardus decessit, nempe XV. kalendas Maii, sepultus Mediolani in basilica Ambrosiana, ubi etiam nunc ejus tumulus visitur cum brevi epiraphio, ab aliis relato. Haud scio an ejusdem conjurationis conscii fuerint Drogo, Hugo, & Theodoricus, Ludovici fratres naturales, qui jussu ejus sacra tonsione multati fuere. Episcopi in diversa monasteria relegati dicuntur: ex quibus Theodulfus Aurelianensis Andecavos amandatus est, privatusque abbatia Floriacensi, quam per annos novem-decim ac dimidium tenuisse perhibetur in veteri abbatum indice, qui in ipso desinit.

LXXIX. Adalgaudus Floriaci abbas privilegium obtinet.

Tunc Floriacensibus restituta libertas eligendi abbatis, & quidem ab anno superiore, quo Theodulfus majestatis reus habitus fuit. Electus mox Adalgaudus abbas privilegium immunitatis a teloneis pro quatuor navibus ab imperatore obtinuit hoc anno, datum [a] Aurelianis VI. kalendas Augusti, anno imperii ejus quinto, indictione XI. Ejusmodi privilegii meminit Adrevaldus in libro de miraculis [b] sancti Benedicti, ubi miraculum tempore Rahonis comitis factum commemorat. Forte una

[a] Biblioth. Floriac. p. 252.
[b] Adrevald. c. 19.

ANN. CHR. 818.

Floriacensium navis, sale onusta, ex urbe Namnetica, nullo portorio a regiis ministris exacto, Aurelianos pervenit: ubi a telonariis vectigalis gratia detenta, contemto regali privilegio, quæstioni primum, ac demum fisco subjicitur, atque cum ceteris navibus procuratori portus committitur. Hæc acta dominica die, qua die, cum circa horam diei tertiam cuncti missarum celebratione detinerentur, hæc navis e portu nullo agente soluta & emota, subito absque humano remige, medium Ligerim petit, ubi vis aquæ decurrentis major erat: indeque adversis fluctibus enatando, appulit ad posterulam, quæ *usque hodie*, ait Adrevaldus, *sancti Benedicti dicitur*. Omnibus in admirationem facti conversis, pudore suffusi sunt fisci procuratores, qui in posterum nihil tale commiserunt. Vellem Adrevaldum habere vadem consimilis miraculi, quod Diedericus Germanus monachus in historia sua de illatione sancti Benedicti primus retulit. Per id tempus Floriaci vigebant studia litterarum, testante Theodulfo in capitulari, cujus capite undevicesimo presbyteros monet, ut consanguineos suos ad scholam mittant in ecclesia sanctæ Crucis, quæ cathedralis est, *aut in monasterio sancti Aniani, aut sancti Benedicti*.

Heimo abbas pro Magno-loco.

Aurelianis in urbem Andecavorum profectus est Ludovicus, ubi dum versaretur, Magno-loco cœnobio, apud Arvenos condito in honorem sancti Sebastiani, præceptum immunitatis ac tuitionis concessit rogatu Heimonis ejus loci venerabilis abbatis. Datum *Andecavis palatio*, XVI. kalendas Septembris, anno imperii quinto. Durandus diaconus ad vicem Helizacharis recognovit.

LXXX. Landveneci regula recepta.

Quod Bernardus in Italia, id in Armorica tentavit dux Murmannus, aliis Marmonius, qui se regem ferebat. Profectus contra eum Ludovicus, dum Aurelianis versaretur, prædictum Adalgaudo abbati privilegium concessit, tum iter cum exercitu prosecutus, Andecavos prætergressus, Murmannum interfecit, totamque Armoricam suæ ditioni asseruit. In illa expeditione, dum super Elegium * fluvium juxta silvam Brisiaci * castra fixisset, audito regulam sancti Benedicti necdum in Landvenecensi sancti Winwaloei monasterio receptam esse; Marmonoco abbati ad se accedenti præcepit, ut sanctam regulam sequerentur, &, tonsura Scottorum rejecta, quam ad id tempus cum ritibus veterum Brittonum retinuerant, Romanam cum ceteris ecclesiis sibi imponerent. Hujus rei præceptum edidit Ludovicus, » significans omnibus episcopis & universo ordini ecclesiastico in Britannia consistenti, » quod, cum Marmonocus abbas ex monasterio *Landewinnoch* ipsius adiisset præsen- » tiam, & illum de conversatione monachorum illarum partium, sive de tonsione in- » terrogasset, rescissetque ab eo, ipsos hactenus retinere, quod ab Scottis sive de con- » versatione, sive de tonsione capitum accepissent, contra morem totius sanctæ apo- » stolicæ atque Romanæ ecclesiæ; eidem Marmonoco ipse jusserit, ut juxta regu- » lam sancti Benedicti patris viverent, utpote possibilem & laude dignam; & de ton- » sura capitis cum sancta Romana ecclesia concordarent, adeoque non modo in præ- » dicto monasterio eumdem vivendi morem, qui in sancti atque eximii patris Bene- » dicti regula descriptus est, sed etiam in aliis ejusdem provinciæ locis monachi ob- » servare curarent. ubi vides, quanta fuerit piissimi principis in rem nostram caritas & sollicitudo.

* Elli.

* Brisiac.

Hermingardis imperatrix Andecavis an sepulta.

Post hanc expeditionem Ludovicus in urbem Andecavorum revertit, ubi Hermingardem augustam ægrotantem reliquerat. quæ biduo post, morbo invalescente, decessit V. nonas Octobris. *Curata autem regina sepultura*, inquit astronomus, *imperator per Rotomagum & Ambianorum urbem, recto itinere se Aquisgranum ad hiberna contulit*. Ex quo intelligitur, Hermingardem Andecavis sepultam fuisse, non in monasterio Eresteimensi, quod paullo supra Argentoratum, Illum inter & Ischeram amnes, pro nobilibus sanctimonialibus condidisse fertur: cujus cœnobii originem Bruschius, & cum eo Cointius Hermingardi, Lotharii imperatoris uxori, tribuere malunt. Ut ut sit, exstabat ante annum ejus sæculi septuagesimum hoc monasterium *Erensteim*, quod in divisione facta Carolum inter & Ludovicum reges, in sorte Ludovici numeratur.

LXXXI. Radechis Casini monachus an sub Apollinari abbate.

In reditu Aquisgranum Ludovicus obvios habuit legatos Siconis ducis Beneventani, dona ipsi afferentes, eique necem Grimoaldi antecessoris sui excusantes. Quippe Radechis, Consinus seu Compsanus comes in Hirpinis, cum Sicone Agerenteo castaldeo, hunc ducem per insidias sine causa occiderat, atque ei Siconem substituerat. Dein facti pænitentia ductus, collo catena implicito, ad Casinense

ANN. CHR. 818.

sancti Benedicti monasterium se contulerat, se reum, impium, & homicidam cum multo gemitu agnoscens, atque pro piaculo monachum fieri exposcens. Admissus in monasterium, indutusque monastico habitu, tanta se districtione corporis animique coram æterno Arbitro coërcuit, ut nulli dubium esset, ipsum facinorum suorum veniam a Deo impetrasse. Leo Marsicanus [a] hanc conversionem retulit ad præfecturam Apollinaris abbatis, qui Gisulfo hoc anno ineunte successerat, non anno sequente, ut quidam volunt. De hoc piissimo abbate, scilicet Apollinari, ex majorum testimonio tradit Victor papa secundus, & cum ipso Leo [b] Marsicanus, eum, cum aliquando ad visendas monasterii possessiones Lirim fluvium, qui planitiem Casino subjectam irrigat, trajicere cogeretur; deficiente navicula, signo crucis munitum se, ita ut erat indutus & calceatus, in fluvium injecisse, atque in ulteriorem ripam siccis pedibus appulisse, ut non tam super aquas, quam super aridam incessisse videretur. Multæ ejus tempore cœnobio factæ donationes a Leone memoratæ. una est Danielis clerici, nobilis Tarentini, qui ad extrema redactus, se ipsum, suaque omnia cum plurimis servis in cella sancti Gregorii, Aquino vicina, per syngrapham eidem obtulit monasterio. Hujus abbatis anno tertio, & quidem anno incarnationis dominicæ octingentesimo & vicesimo, Sarracenos in Siciliam irrupisse tradit Leo Marsicanus: quod Apollinaris chronologiæ superius allatæ convenit.

LXXXII. Nantuacenses abbates.

Actum est superius [c] de Godelsado abbate Nantuacensis apud Sebusianos monasterii, cui Ansmundus & Cæcilia ejus conjux quædam prædia contulere anno quarto Ludovici augusti. Godelsado non multo post successit Adalramnus abbas, a quo iidem Ansmundus & Cæcilia eadem prædia pro vitæ suæ tempore precario receperunt. Eorum hac de re litteræ sic inscriptæ sunt: *Adalramnus in Dei nomine sacerdos & abba, qui monasterio Nantoaco praest ad regendos fratres secundum normam sanctorum patrum, una cum ipsa congregatione, dilecto filio Ansmundo, & uxori sua Cacilia.* In his litteris dicuntur iidem donatores villam Telerciacum, aliasque Nantuacensibus contulisse pro animarum suarum redemtione, *ad missas & psalteria decantanda*: easdemque precario recipere, eo pacto, ut post suum decessum eædem villæ cum suis augmentis & emolumentis revertantur ad dominium & usum monasterii. In his litteris Adalramnus *sacerdos* dicitur, id est episcopus, scilicet Matisconensis, ejus nominis primus. unde Ansmundum, virum haud dubie præpotentem, filium suum vocat. Certe *episcopi* titulo afficitur in præclaro instrumento apud Guichenonem [d], ubi *Alranus*, truncato, ut fit, vocabulo, appellatur. Hoc instrumentum est donationis, quam Albitius comes, filius bonæ recordationis Ratberti & Richildis, & uxor ipsius Odda, filia bonæ recordationis Gautherii & Godaniæ, de rebus suis *secundum legem Salicam* fecerunt *sacrosancto sancti Petri Nantoadu monasterio, quod constructum est in pago Lugdunensi, ubi praest venerabilis in Christo Alranus episcopus.* Res vero, quarum donationem faciunt, sitæ sunt in pago Lugdunensi, in valle Ligerica apud Neremias, Escalonem, & Daniacum, aliisque in locis. quæ omnia ea lege tradunt, ut nullus episcopus, abbas aut comes, aliave quævis interposita persona, quidquam ex his minuere vel subtrahere ausit, retento tamen sibi ad vitam suam, suorumque liberorum usu-fructu. Huic vero donationi sic consentit Odda, ut, si viro suo supervixerit, sæculoque relicto habitum religionis induerit, ac Deo vota sua fecerit, ex ipsis rebus usum-fructum capiat. si vero hoc non egerit, usu-fructu ipso careat, & omnia *ad ipsam casam Dei* revertantur. Desunt in hoc instrumento, uti & in præcedenti, chronicæ notæ: sed diu post hunc annum differri non potest: propterea quod Ermoldus erat Nantoaci abbas principatu Ludovici & Lotharii imperatorum, qui monachis Nantoaci monasterii immunitatem ab omnibus teloneis concesserunt, ita ut eorum *sagmata*, id est equi oneriferi, *carra, vel qualibet vehicula*, quovis discurrentia ob utilitatem vel necessitatem jam dicti monasterii ejusque congregationis, nihil omnino regiis ministris persolvant. Caret chronicis notis hoc præceptum: sed in ejus fine hæc leguntur in chartario Nantuacensi: *Illis temporibus prefuerunt Guiffardus & Ermoldus cœnobio Nantuacensi.* Certe hoc diploma editum est ante secessionem Lotharii augusti a Ludovico parente, ac proinde ante annum DCCCXXXIII. Forte hic est Ermoldus abbas, per quem Ludovicus augustus anno sequenti, id est tricesimo-quarto, mandavit filio suo Pippino, ut res ecclesiasticas, quas vel suis tribuerat, vel ipse suis usibus præripuerat, absque cunctatione ecclesiis res-

[a] *Chron. Casin lib. 1. c. 20.*

[b] *Ibid. c. 19.*

[c] *Num 64.*

[d] *Bugi probat. p. 225.*

ANN. CHR. 818

a Bugé probat. p. 214.

tituerет. Cum vero abbates citra electionem Nantuacensibus a rege imponerentur, Lothario imperatori supplicarunt monachi, ut sibi libera eligendi abbatis facultas redderetur. Assensit Lotharius, dato præcepto, quod apud Guichenonem [a] absque chronologicis characteribus reperies. quo tempore Fulgerius Nantuaci abbas erat; ut in chartario legitur. An hæc electionis libertas tenuerit, incertum. nam hæc abbatia processu temporis subjecta fuit ecclesiæ Lugdunensi & Aureliano archiepiscopo, qui Nantuaco cœnobio annis undecim præfuisse dicitur, cujus demum permissu electus est Bertramnus abbas: cui suffectus Adalramnus secundus, & ipse episcopus Matisconensis, de quibus agendum suis locis.

LXXXIII. Capitula S. Galli.

b Capitul. to. 2.

* al. novitiarum.

Ad hunc anoum Baluzius [b] retulit capitula quædam pertinentia ad regularem disciplinam, quæ Grimaldus & Tatto monachi sancti-Gallenses Regimberto præceptori suo direxerunt cum exemplo regulæ sancti Benedicti, quæ ex quodam transscripta dicitur exemplari ipsius codicis, quem beatus Pater sacris manibus suis exaraverat. Ubinam asservaretur ille codex autographus, Casini an alibi, non explicant illi monachi, qui subjecta capitula Regimberto submittunt cum hoc titulo, quem nos ipsi in codice sancti Galli legimus: *Capitula notitiarum * de his, in quibus præceptum regalæ & constitationes novellorum conciliorum acutias nos considerare, & promptias exercere jassio imperialis ammonet.* Ex hoc titulo facile conjicerem, hæc capitula edita fuisse jussu imperatoris in synodo Aquisgranensi ad stabiliendum in omnibus monasteriis ritum uniformem, quem synodus præceperat. Hæc capitula recusa sunt in appendice prima Sæculi quarti Benedictini. His affines sunt veteres consuetudines monasteriorum, quas ex codice Augiensi edidimus in tomo quarto Analectorum, quod hoc loco notasse sufficiat.

Alia monasterii Augiensis.

Majoris momenti videntur alia duodecim capitula ad Auvam seu Augiam directa a quibusdam ejus loci monachis, quos ad quemdam venerabilem abbatem, forte Benedictum Anianensem, Augiensis abbas delegaverat, ut ex illo abbate ejusque monachis regularis vitæ normam condiscerent, & ad suos Augienses referrent.
» Hæc vero capitula diligentissime observanda esse dicunt in epistola eis præfixa: ne,
» dum regulares monachi venerint, qui jussu imperiali omnia cœnobia gentis suæ,
» ubi opus fuerit, instruere debebunt, imparatiores inveniant ad ea observanda. Ex
quo intelligitur, hæc capitula scripta fuisse itidem paullo post synodum Aquisgranensem, in qua imperator quosdam monasteriorum visitatores designaverat. In tertio
» ex his capitulis præscribitur, ut quotidie sex deputati fratres sacram offerant obla-
» tionem, haud dubie communionem sacram accepturi, incipientes ab abbate, & sic
» deinceps per ordinem: qui etiam peregrinorum pedes lavare debeant. Quarto, ut
» in dominicis diebus omnes pariter ex ordine *accedant ad pacem, ad communionem*,
» præter illos, qui nimia senectute vel infirmitate inter illos stare non possunt: qui
» tamen separatim communicare debeant. *Si quis vero hoc spiritali dono, id est corporis*
» *& sanguinis Domini nostri Jesu-Christi*, se privaverit; pater monasterii, qui præsens
» semper esse debet dum communicant, omissæ communionis rationem exiget. qui
unus locus sufficit ad refellendam neoterici dissertatoris interpretationem horum regulæ verborum, *sic accedant ad pacem, ad communionem*, quæ ad fictitiam commu-
» nionem detorquet. Quinto, ut nullus omnino fratrum sit excusatus a lectione, quin
» omnes sint præsentes una cum patre monasterii. quibus legentibus, hora competente
» præpositus vel senior decanus tintinnabulum pulset, ut hebdomadarii & ceteri ser-
» vitores juxta præceptum regulæ accipiant mixtum, quod lector tantum post sextam
» accipiat. Septimo, ut in refectorio, facta benedictione, veniant duo presbyteri
» ad abbatem, fracturi panem, denique *eulogium* ceteris fratribus, antequam ad mensam resideant. qua de re diximus superius [c] ad libellum supplicem monachorum Fuldensium, & ad capitulum sexagesimum octavum synodi Aquisgranensis. tum addi-
» tur in eodem septimo capitulo Augiensi, ut, cum signum cellararius ad potum pul-
» saverit benedicendum, statim octo vel decem juvenes surgant *ad miscendum fratri-*
» *bus*. Octavo, ut per totum tempus æstivum, *dum fratres bis in die reficiunt*, post
» horam orationis nonam exspectent in oratorio, dum signum pulsaverit ad bibendum
» poculum in refectorio. quo facto, vadant ad capitulum; & quod eis injunctum
» fuerit, laborent usque ad primum signum vesperatum. Ad secundum signum mox
» ad ecclesiam pergant, ibique oratione facta, sedentes legant vel orent, dum ves-
» peræ incipiant; similiterque post vesperas, dum signum sonuerit ad refectorium.

c Lib. 27. n. 83.

Hoc

ANN. CHR. 818.

Hoc articulo explicatur locus regulæ ambiguus de gemina refectione per totam æstatem, extra feriam quartam & sextam, in quibus ob jejunium regulare unica refectio erat. Undecimo, defunctorum vigilia hoc modo celebrari præcipitur. Vesperis de more finitis succedunt vesperæ pro defunctis; & post completorium vigiliæ cum antiphonis ac responsoriis, *plenissime atque suavissime* canendis; & post nocturnas vigilias matutini seu laudes pro mortuis. Prima luce missam celebrent pro defunctis publicam, in qua omnes pariter sacram offerant oblationem pro peccatis mortuorum. Hac finita, statim cantent Primam, aut Tertiam. Hæc ex illis capitulis, quæ in prædicta appendice nostra itidem recusa sunt ex editione Baluziana.

LXXXIV. Obiit hoc anno Magnus pontifex Senonensis, cui Hieremias successit. Hunc cœnobii Centulensis seu sancti Richarii monachum fuisse tradunt Clarius monachus in chronico sancti Petri Senonensis, & Hugo Autisiodorensis monachus in chronologia sua, aliique recentiores. Omnibus præiverat Hariulfus [a] in chronico Centulensi, ubi scribit, Hieremiam monachum & thesaurarium sancti Richarii, regnantibus Ludovico & Carlomanno, Ludovici Balbi filiis, eum Nortmanni Centulensi monasterio imminerent, fuga sibi consuluisse, asportatis inde secum reliquiis sacris, quas in monasterio sanctæ Columbæ prope Senonas deposuerit: ubi a fratribus abbas electus; ac demum creatus archiepiscopus Senonensis has reliquias in cathedralem sancti Stephani ecclesiam transtulerit. Idem prædictus Clarius & Hugo referunt, atque ad Ludovici Pii principatum detorquent. Verum hæc Nortmannorum impressio convenire vix potest cum tempore Hieremiæ Magni successuris, qui hoc anno sedem Senonensem adeptus est. Quocirca dicendum, aut prædictos auctores, nominis æquivocatione deceptos, ex duobus ejusdem nominis ac sæculi archiepiscopis unicum conflasse: aut, si unus fuit Hieremias hujus sedis antistes ex Centulensi monacho, hunc Caroli Magni aut Ludovici Pii principatu ad sanctæ Columbæ monasterium accessisse. Certe optime affectus in monachos fuit Hieremias Magni successor, qui & in sanctæ Columbæ monasterio sepeliri voluit; nec alterius ejusdem nominis archiepiscopi statuendi idoneum argumentum nobis occurrit; nullus locus vacuus relictus. Ceterum maritimas illas Morinorum oras, a quibus non longe abest Centulense monasterium, a Nortmannico terrore Caroli Magni principatu haud immunes fuisse testantur Francorum annales ad annum octingentesimum, quo Carolus litus oceani Gallici perlustrasse dicitur, & in mari classem instituisse contra Nortmannos, qui piraticam in ipso mari exercebant.

Magno Senonensi episcopo succedit Hieremias.

a Spicil. to. 4. p. 518.

LXXXV. Suburbano sanctæ Columbæ monasterio tunc præerat Jacob abbas canonicus, cum eo accessit Benedictus, monastici ordinis *ferventissimus* ille reparator, ut illud, uti cetera omnia regni monasteria, regulariter ordinaret. Eam ob rem quasdam villas, a priscis temporibus ad usus fratrum Deo ibidem servientium destinatas, segregasse dicitur, ut absque regali publicove servitio, vel qualibet abbatis donatione aut exactione, usibus eorum perpetuo deservirent. In his memoratur unum hospitium, quod *Aufridus & Donatus, nepotes Jeremiæ Senonicæ urbis episcopi*, eidem monasterio legaliter contulerant. Hæc omnia discimus ex diplomate Ludovici augusti, prædicto cœnobio concesso ad preces Supplicii abbatis, de quo inferius: in cujus diplomatis præludio imperator testatur, se ad monasticum ordinem, quem usquequaque depravatum esse constaret, corrigendum atque emendandum, immo ad pristinum debitumque modum & rectitudinem, auxiliante Domino, reducendum, *quemdam abbatem ejusdem ordinis ferventissimum, Benedictum cognominatum*, per cuncta monasteria imperii sibi a Deo concessi destinasse. quo nihil illustrius ad commendandum Benedictum. Hoc diploma datum est anno Ludoviciani imperii vicesimo-tertio, quo anno Supplicius abbas ejus loci erat, forte post Jacob illum canonicum abbatem a Benedicto institutus ad conservandam monasticam disciplinam. Redeo ad Hieremiam archiepiscopum, cui Ludovicus denuo subjecisse dicitur apud Clarium abbatiam sanctæ Columbæ, quam antecessores sui amiserant, ut esset sub tuitione archiepiscopi Senonensis. Postea tamen idem monasterium pristinam libertatem auctoritate supra dicti diplomatis recuperavit, sed postmodum denuo amisit sub Carolo Calvo, ut suis locis videbimus, quam modo qualemcumque retinet.

S. Columbæ reformatio per Benedictum.

LXXXVI. Tunc in Fossatensi monasterio florebat Benedictus alter, quem Bego Parisiorum comes ante annos tres loco ab se restituto abbatem præfecerat. Post Babolenum, primum ejusdem cœnobii auctorem & abbatem, memorantur Elafredus, Richardus &

Benedictus abbas Fossatensis, aliique.

ANN. CHR. 818.

Henarchus, omnes sub Pippini principatu: quibus succedunt Rainaldus, Richarius, & Optatus, quem Benedictus excepit, alius a magno illo Benedicto Anianensi, cui multis annis supervixit. Ea vero hujus Benedicti religio, ea fama & existimatio fuit, ut Fontanellenses monachi per id tempus, quo Eginhardus abbatis titulum potius quam locum Fontanellæ tenebat, eum ad se invitaverint ad languentem disciplinam excitandam. unde *a viro justo Benedicto, Fossatensis cænobii abbate, in hac philosophia* monastica eruditi perhibentur in chronico [a] Fontanellensi. Idem Benedictus novam basilicam elegantiori opere in suo monasterio exstruxit, eamque a sancto Aldrico, Senonum post Hieremiam antistite, dedicari curavit, non ante annum ejus sæculi vicesimum-nonum, quo Aldricus electus est.

[a] *Spicil. to. 3. p. 234.*

LXXXVII. Monachi S. Martini fiunt sæculares.

Hoc tempore basilica sancti Martini apud Turonos a monastico instituto ad canonicum prolapsa erat. Id factum constat, non Alcuino, sed Fridegiso seu Fridugiso abbate, cujus primis præfecturæ annis monachi ejus loci adhuc dicebantur, quorum alii se monachos, alii se canonicos jam regnante Carolo dicebant, ut ex Carolina epistola superius [b] ostendimus, ad eos scripta occasione cujusdam clerici Aurelianensis, qui ad sancti Martini basilicam refugerat. Monachi vero nomen eos Fridegiso abbate aliquamdiu retinuisse intelligimus ex libello de fratribus conscriptis sancti Galli, quos inter recensentur *nomina fratrum de Turonis*, nempe *Fridegisus abba, Flodomarus monachus, Gisledramnus monachus, Ausegarius monachus, Adilleodus monachus*, & alii apud Goldastum, nulla canonicorum mentione facta. Jam vero ad canonicorum habitum & mores defecerant hoc anno, Ludovici imperii quinto, quo testamentum condiderunt Hagano & Adjutor germani, *infra* * *monasterium sancti* » *Martini sub serenissimo domno Fredegiso canonicam pariter vitam degentes*; quod quidem » pro remedio animarum suarum, & domini sui prædicti abbatis benevolentia impulsi, » facere decreverant. Hoc vero testamento legant post obitum suum sancto Martino » *ad peculiare fratrum*, mansum suum indominicatum in pago Blesensi, in condita Pon- » tilapidensi, * villa Blidrico, cum suis appendicibus, aliaque prædia in pagis Turonico » & Andecavensi, eo pacto, ut, quamdiu vixerint, ipsas res cum omni soliditate » & integritate retineant; & ut annis singulis, in die vigiliarum sancti Petri, IV. ka- » lendas Julii, ad refectionem fratrum modia octo vini inter refectorium persolvan- » tur, & ad collationem modia totidem, pulli centum triginta, & caseus, si tem- » pus ferat; *& ad illos pu fantes* (hi erant clerici ministeriales, ut in Corbeiensi mo- » nasterio) *inter panem & vinum modium unum, & ad illud hospitale similiter; & in* » *illo sacrario vinum & oblatæ.* Ad luminaria vero *ejusdem cellulæ sancti Petri, quam* » *Hiltfredus regere videtur supra ipsum monasterium*, ipsa die olei aut ceræ libræ tres; » atque de Braico ad illam ecclesiam sancti Petri, quæ est juxta ecclesiam sancti Ve- » nantii, de oleo aut de cera libræ tres. Hæc autem omnia illi decano, qui pro tem- » pore fuerit, consignari præcipit, ut ipse ea fratribus dispensari faciat, utpote *in* » *peculiare fratrum*, excluso scilicet abbate, legata. Hæc acta *anno quinto domni Lu-* » *dovici serenissimi imperatoris.* Tunc ergo canonicam vitam agebant monachi, eamque monasticæ omnino prætulerant forte post synodum Aquisgranensem, in qua regula canonicis præscripta est. Ejus rei si non auctor, saltem approbator fuit abbas Fridegisus, cujus instinctu & opera similis in sancti Audomari monasterio facta mutatio est. Jam tempore sancti Odonis abbatis Cluniacensis, qui sub finem istius sæculi ad sanctum Martinum canonicus fuerat, ea invaluerat persuasio, conversionem illam monachorum in canonicos factam fuisse post cædem ejus loci monachorum, quos angelus Dei omnes, uno excepto, ob solutiorem vitam vestesque incompositas, interfecisset. Rem aliter narrat Ademarus monachus. Ea tempestate, inquit ille, monachi sancti Martini Turonenses, nemine cogente, ante corpus beati confessoris, abjecto monastico habitu, datis super ejus tumulum sacramentis, canonicalem induerunt. tum carnibus refecti, mox peste correpti, mane facto in lectis omnes ad unum reperti sunt mortui; sicque deinceps locus ipse a canonicis inhabitatur. Et forte quidem pestis quædam multos ex illis monachis e medio sustulit, quæ res vulgari fabulæ occasionem dedit. nam hujus mutationis sola in causa haud dubie fuit nimia monachorum licentia, & indulgentia Fridegisi abbatis.

[b] *Lib. 27. n. 16.*

* id est intra.

* de Pontlevoy.

LXXXVIII. Ejus monasterii status post illam mutationem.

Qualis ejus basilicæ status post illam conversionem fuerit, ex vetustis monumentis sic accipe. Erant olim eo in loco trecenti monachi, qui perennem Dei laudem noctu & interdiu continuabant. Hi redacti primum ad ducentos canonicos,

quibus sub abbate decanus præerat, perenni illa psalmodia in horas interpolatas mutata. Vivianus abbas Antoniacum villam ad usus horum ducentorum canonicorum concessit. quod Carolus Calvus confirmavit Carisiaci, anno regni sui octavo, indictione XII. Scholæ etiam ibidem gratuitæ institutæ ex munificencia Adalardi abbatis, quæ prius meritoriæ erant, quam ille *abominabilem* consuetudinem vocat. Ad hanc itaque abolendam idem Adalardus res quasdam assignat Amalrico canonico, necnon Miloni & Guichardo, ea conditione, ut in schola jam dicta, *de psalmis, notis, aliisque nihil* meriti quærant vel accipiant, nisi quod sponte oblatum fuerit. idque Carolus Calvus Turonis anno quinto regni sui ratum habuit. Ad abbatem quod attinet, liberam ejus electionem canonicis tribuit Ludovicus Pius, petente Judith augusta, post obitum Fridugisi abbatis faciendam: quo mortuo, *memorati fratres habeant facultatem de seipsis eligendi abbatem, quem optimum & nobilitate generis, & probitate morum, & in scripturis eruditum judicaverint*: si vero talis inibi reperiri non possit, imperiali potestati id reservatum jubet. *Data pridie nonas Novembris, anno Christo propitio octavo-decimo imperii Ludovici piissimi augusti, indictione decima. Actum Theodonis-villa palatio regio.* Hirminmaris ad vicem Fridugisi recognovit, quem Fridugisum a Fridugiso abbate distinguit Cointius, ratus Fridugisum cancellarium Fridugiso abbati aliquot annis superstitem fuisse, quod inferius expendemus. Non diu penes Martinianos canonicos stetit hæc facultas, quam Carolus Calvus, aliique reges sibi denuo vindicaverunt. Hanc abbatiam tenuere sæculo nono & insequente maximi quique principes, in his Rotbertus Fortis, stirpis regiæ nunc feliciter regnantis caput, ejusque filii Odo, Rotbertus, & alii ejusdem stirpis, quasi hereditario jure: donec tandem ipsi Francorum regi hæc dignitas annexa est. ANN. CHR. 818.

Non prætermittendum id, quod de hac mutatione scripsere medio sæculo duodecimo Philippus decanus, Rainaldus thesaurarius, totumque capitulum beati Martini Toronensis in epistola ad Philippum archiepiscopum Coloniensem, in qua de vita & quibusdam sancti Martini miraculis agunt. *Multis*, inquiunt, *post hac annis evolutis, mutationem & ordinis, & consuetudinis passa est hæc ecclesia; & pro monachis, vel propter inertiam, vel propter frequentantium inquietudinem, integre non prosequentibus, canonici a principibus terræ substituti sunt, trecentis, quæ tunc temporis erant, prabendis ad numerum centum-quinquaginta* * *restrictis. Et ad temperandum laborem illum fastidiosum & intolerabilem*, nempe laudis perpetuæ, *juges illa & interminabiles psallentium alternationes ad certas & discretas, sicut in aliis fit ecclesiis, horas distincta sunt. De redditibus autem & thesauris ecclesiæ ipsius pars maxima decisa est: de qua tres congregationes, quæ ad canonicorum arbitrium subservirent, constructæ & dicatæ sunt. quæ omnia hodieque in Christi nomine constant.* Ecclesiæ illæ erant sancti Venantii, hactenus collegiata; ecclesiæ sancti Benedicti, & sancti Petri, quæ tres minores abbatiæ erant. Hæc de monasterio sancti Martini, ejusque ecclesia, qua nulla fere insignior in tota Gallia, nedum Europa: ut nullus olim sanctus in tota Gallia Martino clarior. Hanc profusis, ut ita dicam, manibus episcopi & principes, privilegiis, latifundiis, & honoribus cumularunt, approbata immunitate etiam spiritali, quam Ludovicus augustus singulari diplomate sartam tectam esse voluit.

* Superius 160.

ANN. CHR. 819. LXXXIX. Deas monasterium conditur.

JAm procedendum ad annum insequentem octingentesimum decimum-nonum, quo Arnulfus abbas Herensis ab Ludovico augusto eam facultatem impetravit, ut ex fluvio Bedonia in monasterium Deas, recens ab se conditum, aquam per viam publicam deduceret. Exstat in historia Trenorchiensi ejus rei diploma, cujus hæc summa est. Arnulfus venerabilis abbas ex monasterio sancti Filiberti, quod est « in insula Æri seu Heri, ad imperatorem accedens, regiæ celsitudini exposuit, se « ob frequentes incursiones barbarorum, qui sæpe ipsum monasterium depopulaban- « tur, in animum induxisse extra insulam in pago Herbadilico *, loco Deas appellato, « construere monasterium, & ob commoditatem ejusdem monasterii & congregatio- « nis ibidem degentis, ex fluvio Bedonia *, si modo rex annueret, per viam regiam « velle aquam deducere, constructo eo in loco ponte, ut transeuntibus nihil impedi- « mento esset. cui petitioni assensum præbuit Ludovicus, dato diplomate Aquisgrani « palatio XVII. kalendas Aprilis, anno sexto imperii domni Ludovici piissimi augusti, « quod Durandus diaconus ad vicem Helizachar recognovit. Hæc cella decem cir- «

* d'Herbauges. * la Bolegne.

ANN. CHR. 819.

citer leucis ab Heri insula, totidemque ab urbe Namneto distabat, sita prope Grandem-lacum, hactenus prioratus subjectus abbatiæ Trenorchiensi, de qua inferius agemus. Barbari, de quibus in illo diplomate agitur, dicuntur Sarraceni in libro secundo Ermentarii monachi de miraculis sancti Filiberti, quibus Nortmanni postea successerunt.

Diploma pro Conchen. — Paucis post diebus idem imperator immunitatis præceptum concessit Conchensi apud Ruthenos monasterio, in quo multa de ejusdem loci fortuna primisque abbatibus, jam superius * a nobis relata, commemorat, quæ hic repetere nihil attinet. Datum est hoc diploma itidem Aquisgrani eodem anno, VI. idus Aprilis.

* Num. 2.

XC. Aliud pro Bella cella. — Wlfarius, vir illuster ac nobilis, cellam in confinio pagi Albigensis in honorem magni Benedicti recens exstruxerat, tradideratque Benedicto Indensi tum abbati, qui monachos duodecim ibidem cum abbate collocaverat. His consultum volens Benedictus, qui plurima penes Ludovicum auctoritate pollebat, ab eo postulavit, adjunctis sibi Nibridio archiepiscopo Narbonensi & Georgio abbate Anianensis monasterii, qui paullo ante Senegildo ab se suffectus fuerat, ut cuidam cellulæ, in pa-» go Albiensi super fluvium Aquotis sitæ, vocabulo Bellæ-cellæ, quæ nuperrime in » fundo Wlfarii comitis in honorem sancti Benedicti & aliorum sanctorum constructa » erat, libertatem eligendi abbatis vellet concedere, ut semper de ipsa loci con-» gregatione abbatem eligere possent, quamdiu tales ibidem invenirentur; sin minus, » ut e monasterio Anianensi eligeretur. Ad hæc, si monachi ejusdem cellæ a suo pro-» posito in aliquo exorbitarent, ut a rectore Anianensi emendarentur: ceterum si suæ » professionis propositum recte observarent, ut nihil infestum ab Anianensibus pa-» terentur, ut in omnibus quiete vivere valeant. Postulatis fecit satis imperator opti-» mus, dato præcepto Aquisgrani VII. idus Martii, anno imperii sexto, indictione » duodecima.

XCI. Smaragdus abbas monasterium novum condit. — Hoc tempore Smaragdus, abbas Castellionis seu Marsupii in agro Virdunensi, monasterium transtulit ad ripam Mosæ, quem locum ab eo monte, ubi primum cœnobium locatum fuerat, *uno millario Germanico* distitisse ait antiquus chronographus, hoc est duabus Francicis leucis. Hujus translationis causa hæc fuit, quod in eum montem operosa & difficilis esset aquarum, aliarumque rerum necessariarum devectio. In priori tamen monasterio, quod Vetus postea nuncupatum, aliquot e fratribus reliquit, qui Deo, sanctoque Michaëli, utriusque loci patrono, solitum persolverent cultum; statuitque sub anathematis, ut tradunt, interminatione, ut ibidem fratres omnes humarentur. quod ad tempora Urbani secundi papæ religiose observatum. Paullo post hanc translationem Ludovicus imperator cum Lothario filio imperii consorte libertatem eligendi abbatis concessit, *non solum Veteri monasterio, quod dicitur Castellio, sed potius novo, quod nostro*, inquit, *tempore a fundamentis ædificatum est, nuncupante Marsupium, quod est situm in pago Virdunensi super fluvium Mosa vel rivulum Marsupium*, eo scilicet in loco, ubi Marsupius in Mosam influit, *constructum in honore sancti Michaëlis archangeli, ubi præsenti tempore auctore Deo abbas Smaragdus præest*. Hoc diploma in chartario caret chronicis notis. Commune itaque utrique monasterio erat initio Marsupii seu Masupii vocabulum, quod utrumque ad Marsupium rivulum positum esset. Superest etiam nunc ecclesia Veteris-monasterii, in qua Wolfoaldus & Adalsinda ejus uxor conditores[b] sepulti sunt. Circa novum monasterium accrevit opidum, sancti Michaëlis dictum * a monasterio, non autem ab opido monasterium, quod sancti Michaëlis ad Mosam, ad aliorum cognominum discrimen, deinceps appellabimus. Non diu post hanc translationem superstes fuit Smaragdus abbas, in Veteri-monasterio humatus cum hoc epitaphio, in quo hujusce translationis fit mentio.

b V. lib. 19. n. 41.

* S. Mihiel.

Ejus obitus, scripta & successores.

Cum pius imperii Ludovicus jura teneret,
Smaragdus viguit istius abba loci.
Qui locus, humanis quod erat minus usibus aptus,
Haud procul hinc sedem transtulit ille suam.
Cum tamen ad regnum meruit celeste venire,
Reddidit antiquo membra ferenda loco.
Scorpio jam Phœbum duodena parte premebat,
Sidera theologo cum patuere viro.

In recentiori necrologio ejus obitus notatur die vicesima-nona Octobris. Theologum vocat epitaphii auctor ob præstantiam doctrinæ, quam probant relicta ab eo monumenta, ex quibus hæc tantum edita sunt, nempe liber de virtutibus, *Diadema monachorum* inscriptus; *Via regia*, qui liber Carolo Magno aut Ludovico Pio nuncupatus videtur, editus in Spicilegii tomo quinto; epistola & collatio de processione Spiritus-sancti; commentarius in regulam sancti Benedicti, Rabano aliisque falso adscriptus, in quo synodi Aquisgranensis decreta [a] non semel laudantur. Nondum editi sunt ejus commentarii in Donatum, scholaribus, quos frequentes in monasterio habuit, indubie prælecti, quorum fragmenta quædam retulimus cum chronico ejus monasterii in tomo secundo Analectorum. Ibidem hæc studia perseverabant sæculo decimo, quo tempore Johannes, abbas postea Gorziensis, *in cænobio sancti Michaelis super Mosam fluvium* moratus dicitur: *ubi tunc temporis Hildebaldus quidam grammaticus professus, ex discipulis domni Remigii, quondam doctissimi ea arte magistri, scholas habebat.* Ibidem etiam nunc florent cum pietate studia litterarum sub Benedictina congregatione sancti Vitoni. Librum inscriptum *Diadema monachorum* ex patrum sententiis defloravit Smaragdus hortatu Josephi abbatis, ut fidem facit vetus codex modo Colbertinæ bibliothecæ, in cujus fine hæc leguntur: *Hunc modicum libellum Smaragdus de diversis virtutibus collegit Joseph abbate, & ei nomen* DIADEMA MONACHORUM *imposuit*: quia sicut *diadema gemmis, ita hic liber fulget virtutibus.* Joseph iste videtur tum abbas fuisse ejus monasterii. quod si ita est, ejus nomine & auctoritate loquitur Smaragdus, cum sub finem præfationis ita scribit: *Volumus ut ad eorum* (monachorum) *capitulum quotidie legatur vespertinum*, id est ad collationem, quæ ex regulæ præscripto fit ante completorium: demissius locuturus, si abbatis nomine, aut abbas ipse non dixisset. Ceterum *Diadema monachorum* & *Viam regiam* unius ejusdemque esse auctoris, facile est ex utriusque comparatione conjicere, etsi nomen auctoris non præferrent. Smaragdum laudat Honorius [b] Augustodunensis, quo auctore testante, idem Smaragdus, *Lectiones & evangelia, in diversis officiis legenda, per circulum anni exposuit.* Ejus successor Hildoinus abbas confirmationem a Ludovico imperatore obtinuit cujusdam commutationis, quam fecerat Smaragdus religiosus abbas. cujus rei diploma exstat sine temporis nota in chronico: sed ex invocatione colligitur id datum fuisse ante depositionem Ludovici imperatoris. Hildoinum excepit Hadegaudus, memoratus in duobus diplomatibus Lotharii imperatoris, anno regni ejus in Italia vicesimo-primo, in Francia primo, id est anno Christi octingentesimo quadragesimo. Huic suffectus legitur Hainardus cancellarius Caroli Crassi imperatoris, in necrologio laudatus tertia-decima die Aprilis. De Stephano Tungrensi episcopo ejus successore alias.

ANN. CHR. 819.

[a] In cap. 15. & 55.

[b] Honor. lib. 4. c. 6.

XCII. Eginhardus abbas S. Bavonis & Blandinii.

In Gandensi sancti Bavonis monasterio post mortem Briddonis abbatis, quæ ante annos tres accidisse dicitur, cum monasterium incendio deformatum fuisset, monachi hac illac dispersi sine rectore vixerunt, dum Eginhardus seu Einhardus eis præpositus est. Is præceptum immunitatis hoc anno a Ludovico imperatore obtinuit pro monasterio, quod dicitur Ganda, sito in pago Bracbatensi, & constructo " in honorem sancti Petri principis apostolorum, ubi sanctus Bavo confessor Christi " corpore requiescit. quæ fere verba sunt diplomatis, quod datum est Aquisgrani idi- " bus Aprilis, anno imperii sexto, indictione XII. Idem etiam Eginhardus abbas fuit Blandiniensis apud Gandavum monasterii, ut probat ejus epistola duodecima, Liutardo presbytero & Eremberto vicedomino fidelibus suis scripta, quibus significat se injunxisse Willibaldo presbytero, ut censum suum recipiat ab hominibus suis, tam " apud sanctum Bavonem, quam in Blandinio monasterio; eisque mandat ut eidem " adjutorium impendant, *ut eumdem censum & pleniter, & in bono argento recipiat.* "

Eodem anno Eginhardus cellam *Michlenstat*, sitam in pago Plumgowe, in silva Odonewaldi, super fluvium Mimilungum, quam Ludovici augusti dono habebat in proprietatem, assentiente Imma conjuge, facto testamento tradit monasterio sancti Nazarii, quod vocatur *Lauresham*, ubi vir venerabilis Adalungus pastor & rector tum erat: ea tamen conditione, ut, quamdiu ambo vixerint, hanc cellam habeant in sua potestate; & post eorum obitum unus e filiis, si quis fuerit superstes. Hæc donatio facta est in Laureshamo monasterio pridie idus Septembris, anno sexto Ludovici imperatoris. Hirminmaris diaconus, notarius imperialis, has litteras scripsit,

Laurissæ beneficus.

ANN. CHR 819.

Laurissæ abbates.

relatas in chronico Lureshamensi. Ad hunc itaque annum pervenit Adalungus abbas ejus loci, electus anno octingentesimo-quinto: qui proinde annis amplius tredecim monasterium rexit. Mendum haud dubie irrepsit hoc loco in chronicon, ubi pro tredecim annis legendum puto triginta-tribus annis. siquidem Samuel, Adalungi successor, non ante annum ejus sæculi tricesimum octavum regimen iniit, quippe qui annos tantum septemdecim locum rexisse, & anno quinquagesimo-quinto decessisse perhibetur.

XCIII. Fuldensis basilicæ dedicatio.

Fuldensem basilicam, ante biennium ab Eigile abbate instaurari cœptam, Heistolfus Moguntinus antistes in honorem Salvatoris kalendis Novembris hujus anni consecravit: cui celebritati quam plurimi alii episcopi, abbates, presbyteri & comites invitati adfuerunt, cum infinita promiscui vulgi multitudine. Tunc etiam sancti Bonifacii corpus translatum est in locum novæ basilicæ sibi præparatum, sacrum feretrum gestantibus Heistulfo & Eigile, quibus a tergo manum præbebat Ercanbertus, presbyter & monachus, germanus Baugolfi quondam abbatis, adjuvantibus Theotgario abbate incerti loci, simulque Bruunwardo atque Rabano, ut Candidus in carmine tradit. Annum diemque signavit Rabanus tum in martyrologio, tum in carmine ad Heistolfum, præfixo libris de institutione clericorum, quos ipsi dedicavit. Postridie Humbertus *chorepiscopus* jussu archiepiscopi sui Heistolfi duas ejusdem ecclesiæ cryptas consecrasse dicitur, totumque opus ejus diei cum summa reverentia explevisse. Videtur is esse Humbertus episcopus Wirziburgensis, unus ex Heistolfi suffraganeis, ac proinde legendum forte hoc loco coëpiscopus: tametsi & in prosa & in metro *chorepiscopus* legitur. Cryptæ orientalis altare sanctis Antonio, Paulo seniori seu eremitæ, Anastasio martyri & monacho, Sabæ & Theodosio abbatibus sacrum erat: septemtrionalis sanctis Stephano, Laurentio, aliisque martyribus nuncupatum. In abside orientali altare princeps sancto Salvatori; in porticu meridiana ara sancto Clementi, aliisque martyribus consecrata. Aliæ aræ erant, ad crucem, ubi sanctus Bonifacius primum sepultus fuerat; in parte septemtrionali transversæ domus; in dextra & sinistra illius arcus, qui domum orientalem respicit; in parte meridiana ipsius transversæ domus, ubi cum beata Agnete, aliisque virginibus sancta Scholastica colebatur; denique in crypta absidis occidentalis, ubi sanctus Bonifacius quiescebat, sanctus Benedictus monachorum pater cum sanctis Honorato & Columbano honorabatur. Hæc omnia versibus Rabanus exornavit. quæ idcirco referre visum est, ut & numerum altarium basilicæ Fuldensis, & formam ejus lectores intelligant. Erant ergo in illa basilica minimum decem altaria: forma vero hæc fere erat, uti ejus orthographiam ex prædictis concinnavit Browerus. Basilica in modum crucis fabricata fuit. Transversaria moles, quæ medium templum ab aquilone in austrum intersecuit, cum cellis altarium & absidis recipiendo lumini a summo ad imum comparata, habebat vestibula seu porticus utrimque a meridie & septemtrione, & angustos aditus, in quibus expositæ ad cultum sacræ reliquiæ. Quatuor portis aditus in ecclesiam patebat. Prima, quæ nunc Alba dicitur, olim sancti Petri nomen sortita est: secunda sancti Pauli, tertia sancti Stephani, a suis quæque sacellis nuncupatæ: quarta dicta Abbatis, quæ suum quoque sacellum habuisse creditur. Eodem tempore Eigil abbas, cum permissu Heistulfi archiepiscopi, ossa sanctæ Liobæ virginis & abbatissæ, quæ, quod sancti Bonifacii propinqua esset, ibidem sepulta fuerat, in australi porticu *juxta memoriam* seu altare sancti Ignatii martyris posuit, ubi sepulcro condita, inquit Rudolfus ejus vitæ scriptor, miraculis vivit & gloria.

XCIV. Eigil cœmeterium & claustrum novum ædificat.

Nec his contentus piissimus abbas, *cum consilio & consensu fratrum* parvam ecclesiam subterraneam rotundo opere ædificavit ad cœmeterium fratrum: cujus structura ab una columna lapidea in medio posita, arcubus hinc inde in eamdem reflexis & compaginatis, solide exsurgebat: superius vero octonis subrecta columnis, in summitate uno lapide concludebatur. quod cœmeterium seu oratorium anno abhinc tertio, id est octingentesimo vicesimo-secundo, & quidem XVIII. kalendas Februarii, ab eodem Heistolfo dedicatum est in honorem sancti Michaëlis archangeli, sancti Johannis evangelistæ, sancti Abundii martyris, & sancti Amandi confessoris. His, quæ ad cultum divinum pertinebant, eo modo absolutis, idem vir venerabilis, licet jam senio morboque pæne confectus, novum monasterii claustrum ædificare cogitavit. Vocatis ad consilium fratribus, quæsitum est, quo in loco ap-

tius & congruentius exstrui posset. Sic abbati & fratribus unanimitas maxima inerat, nihilque citra consilium fratrum abbas modestissimus suscipiebat. Quorumdam sententia erat, ut in priori loco contra meridianam ecclesiæ plagam collocaretur: aliis consultius visum est, ut *Romano more* contra plagam occidentalem poneretur, ob proximitatem sancti Bonifacii, qui in ea basilicæ parte quiescebat. cui posteriori sententiæ omnes, etiam prioris auctores, consenserunt. Sic fuit in diebus Eigilis abbatis fratribus pax, cor unum & anima una in Deo; nec erat qui perturbaret monasterium, tam firma & delectabili concordia roboratum. Quippe nec abbas amantissimis fratribus, nec fratres optimo ac modestissimo abbati ullam molestiam inferebant. Omnes vero non modo abbati, sed sibi invicem obedientiam & obsequium, ut regula præcipit, certatim impendebant. Denique omni industria & sagacitate pius abbas satagebat, ut gregem sibi commissum, divina opitulante gratia, in Dei servitio manu teneret, nullumque zeli vel livoris dolo, nullum prava suspicione fatigabat: sed omnes diligebat, & ipse omnibus dilectus & honoratus. Hoc boni abbatis specimen in Eigile Candidus monachus, ejus vitæ scriptor, exhibet, monasteriorum præfectis sane imitandum. ANN. CHR. 819.

XCV. Rabanus Heistulfo dicat libros de institutione clericorum.

Non multo post hanc dedicationem, & quidem eodem anno, Rabanus libros tres de institutione clericorum Heistulfo metropolitæ nuncupavit. Occasio scribendi operis hæc fuit, ut diversis quæstionibus fratrum suorum, maxime eorum, *qui in sacris ordinibus pollebant*, faceret satis, qui ipsum de officio suo, & variis ritibus, qui in ecclesia Dei observantur, sæpissime interrogabant. In primo libro agitur de ecclesiasticis ordinibus & vestibus; ac de baptismo, chrismate, corpore & sanguine Domini, & de officio missæ secundum ritum Romanæ ecclesiæ: in secundo de canonicis officiis, jejuniis, ac pænitentia, atque de fide variisque hæresibus: in tertio de doctrina ecclesiastico viro congruente, & de modo eam comparandi. Opus suum auctor subjicit, ut par erat, censuræ Heistulfi archiepiscopi sui, a quo ait se accepisse *ecclesiasticam dignitatem*, id est sacerdotium. Tempus vero conditi operis versibus ei præmissis, qui seorsim [a] cum aliis ejus poëmatiis editi sunt, signanter expressit, nempe statim a dedicatione Fuldensis basilicæ, facta per Heistulfum, cui Eigil abbas hos libros in grati animi testimonium offerri ac nuncupari voluit, testante Rabano ipso, qui, notato anno octingentesimo nono-decimo, quo facta dedicatio est, hæc subdit:

Abbas namque meus, vesterque fidelis amicus,
Ægil hoc voluit reddere vota tibi.

qui Ægil seu Eigil post biennium humanis exemtus est. Hæc itaque scribebat Rabanus ante annos quadraginta, quam Photius, pulso Ignatio, in sedem Constantinopolitanam intruderetur; ac proinde longe ante schisma ab eo conflatum, & criminationes ab ipso Latinis objectas. In his, quod nullam de azymo pane in sacrificium, a Latinis contra græcanicum morem adhibito, mentionem faciat; secus quam Michael Cerularius pontificatu Leonis noni, aliique Græci post eum; ex hoc inquam silentio vir magni nominis Sirmundus palmare argumentum deduxisse sibi visus est, panis azymi usum in ecclesia latina tempore Photii nondum obtinuisse, nec nisi medio illo intervallo, quod inter Photium & Michaelem Cerularium effluxit, invectum fuisse. Atqui tamen Rabanus in prædicta commentatione de institutione clericorum, ita hunc panis azymi usum apud Latinos receptum esse innuit, ut non arbitrarium, sed necessarium esse asserat. nam præmisso effato, non aliud in sacramentis offerri licere, nisi quod Dominus ipse constituit, & suo nos docuit exemplo, hæc [b] infert: « *Ergo panem infermentatum, & vinum aqua mixtum in sacramentum corporis & sanguinis Christi sanctificari oportet.* » Hæc Rabanus, cum in editis, tum in scriptis libris, ut fidem faciunt duo exemplaria bibliothecæ regiæ, quorum unum annos sexcentos præ se fert, alterum octingentos, hoc est ipsam Rabani ætatem. quæ sane verba satis superque ostendunt, hunc usum latinæ ecclesiæ tunc fuisse; sufficiuntque ad evertendum palmare illud argumentum, quod Sirmundus ex silentio Photii opposuit. Hoc porro argumentum eo validius censeri debet, quod Rabanus in epistola ad Heistulfum profiteatur se acturum hoc in libro *de officio missæ secundum morem Romanæ ecclesiæ.* in qua proinde panis infermentatus eo tempore

a Raban. carm. p. 231.

b Id. lib. 1. de instit. cleric. c. 31.

ANN CHR. 819.

jam receptus erat. Hæc obiter, ut in loco, quæ a me olim singulari libello disserta sunt.

XCVI. S. Zachariæ cœnobium Venetiis conditum. a Ital. sac. to. 5. c. 1264.

Sub hoc tempus corpus sancti Zachariæ prophetæ, magni Johannis-Baptistæ parentis, a Leone imperatore Constantinopolitano, una cum parte ligni sanctæ crucis, aliisque sacris reliquiis, dono datum [a] Angelo & Justiniano Participatiis ducibus, ac Venetias allatum, sollemni pompa in ecclesia sancti Zachariæ non procul ab eorum palatio deponitur; ibique nobile virginum Benedictinarum cœnobium ab iisdem principibus magnifice exstructum, opibusque ac privilegiis affatim locupletatum, quod hodie quoque ceteris ejus urbis monasteriis, cum antiquitate, tum decore, & dignitate præstat. De Agnete Maurocena ejusdem loci abbatissa inferius agemus. Erat tunc temporis prope urbem paludoso in loco situm sancti Servuli martyris monasterium; ubi monachi nostri Ordinis censu inopes, rebusque necessariis destituti conversabantur sub Johanne abbate. Is fratrum suorum relevaturus ærumnas, ad eosdem duces Angelum & Justinianum accessit, rogans & obsecrans, ut eisdem subsidium opemque pro sua pietate conferrent. Hi vero servorum Dei sortem miserati, eumdem Johannem cum suis fratribus ab illa ecclesia sancti Servuli transtulerunt ad quoddam sui juris oratorium prope fluvium Hime, ibique adjuncto monasterio res necessarias abunde suppeditarunt, ut monachi illic quieti viverent *eo ordine, quo docet beati Benedicti regula*, ut legitur in litteris [b] hac de re conditis: ea tamen lege, ut in priori ecclesia beati Servuli quidam, sive monachi seu clerici, superessent ad diurnum, nocturnumve officium persolvendum, quibus necessaria conferrentur ex novo monasterio, quod ab omni exactione & functione publica liberum esse voluerunt. Illud etiam ab eisdem ducibus cautum, ut neque Gradensis patriarcha, nec Rivoaltensis episcopus, ullum e monachis invitum ad concilium trahat, ullam ab eis exactionem, ulla xenia, seu quamlibet procurationem exigat; ut sine quavis molestia *regulari lege* vivere illis liceret: denique ut ex omnibus ejusdem loci *monachis, aut clericis, aut consamiliaribus*, qui inde missi, id est ejecti, fuerint, non suscipiant vel defendant. Actum mense Martio, indictione XII. quæ huic anno convenit. Is est Johannes sancti Servuli abbas, qui, pulso Fortunato * patriarcha Gradensi, eam sedem invasit, eodem restituto monasterium suum repetere coactus. Porro novum illud virorum monasterium postmodum ejusdem Ordinis virginibus concessum est. Ibidem antiquitus exstabat sancti Laurentii ecclesia, quam Ursus Olivolensis episcopus, Angeli mox laudati filius, commutavit in puellare nostri Ordinis monasterium, cui sororem suam præfecit. Ejusdem pontificatu sancti Marci evangelistæ reliquiæ Venetias allatæ.

Aliud S. Servuli

b Ibid. c. 1265.


* v. lib. 26. n. 83.

S. Laurentii parthenon.

XCVII. S. Stephani monasterium Ravennæ. c Rub. p. 236. d Id. p. 164.

Vix sedem Ravennatem post Martinum episcopum inierat Petronax seu Petronacius, cum privilegium [c] ecclesiæ suæ obtinuit a Paschale I. in quo monasterium sancti Stephani, prope palatium situm, cum monachis suis eidem ecclesiæ subjicitur. Nec plura de hoc monasterio, nisi idem sit cum illa sancti Stephani [d] ecclesia, quam Maximus episcopus *novies post consulatum Basilii junioris* exstruxit.





ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI

ANN. CHR. 810.

LIBER VICESIMUS-NONUS.

Ab anno Christi 810. ad annum 826.



AGEBATUR annus vicesimus supra octingentesimum, Ludovici augusti septimus, cum Fridugisus abbas Martinianus, canonicus sæcularis, abbatia Sithiensi post mortem Nantharii ejus loci rectoris donatus est, non fratrum electione, sed forte principis jussu & mandato. Hic initio suæ administrationis rem fecit Sithiensibus maxime ingratam, quæ ipsum valde infestum, & quasi tyrannum, posteris exhibuit. Duo erant Sithiensium monasteria omnino proxima: unum præcipuum sancti Petri seu sancti Bertini in valle positum, quod capitaneum appellabant, ubi tum octoginta-tres monachi versabantur: alterum sanctæ Mariæ in monte proximo, a sancto Audomaro conditum ad cœmeterium fratrum, ab eoque sancti Audomari monasterium dictum, ubi sexaginta monachi erant. Una utriusque monasterii congregatio erat: utrumque unius ejusdemque abbatis imperio regebatur. Simul abbatiam adeptus est Fridugisus, non canonica, ut diximus electione, sed extranea (quod a tempore sancti Bertini nondum acciderat) potestate; mox ille suas augere opes ex monachorum diminutione constituit. Nam in principe sancti Bertini monasterio numerum monachorum, viginti-tribus, quos sibi adversos putavit, expulsis, ad sexaginta redegit: at in altero sancti Audomari sexaginta monachis ejectis triginta canonicos substituit, quæ res fraternam utriusque loci concordiam abrupit, dum monachi Bertiniani avitum reverentiæ ac præeminentiæ honorem sibi vindicabant, canonicorumque subjectionem: canonici contra, sæcularis abbatis fulti auctoritate, principatum in monachos sibi arrogabant. quæ omnia invisam, ut diximus, Fridugisi memoriam Sithiensibus reddidere. Reformata tamen utcumque ab Hugone abbate utriusque loci concordia est, prærogativa monachis restituta: dum tandem superiori patrum nostrorum sæculo sancti Audomari ecclesia sede episcopali donata est.

I. Fridugisus abbas Sithiensis.

II. Cormaricensibus data facultas eligendi abbatis.

Cormaricensibus monachis favorabiliorem se præbuit Fridugisus, & ipse abbas Martinianus. Cum enim ad id tempus non alium Cormaricenses abbatem, quam Martinianum habuissent, & locus ipse *cella sancti Pauli* hactenus dictus fuisset; idem

ANN. CHR. 810. Fridugisus obtinuit a Ludovico cæsare, ut in posterum proprio abbate gauderet, ejusque electio esset penes Cormaricenses, cum consensu tamen abbatis & canonicorum sancti Martini. Vulgatum est hac de re diploma, sed non sine mendis, in Gallia chri-
» stiana, datum Aquisgrani nonis Martii, anno septimo imperii Ludovici augusti, indictio-
» ne XIII. ad preces Fridugisi abbatis. Hic Ludovico exhibuit præceptum Caroli impe-
» ratoris, in quo legebatur, Alcuinum monasterii sancti Martini abbatem in cella sancti
» Pauli, quæ rustico nomine Cormaricus dicitur, ab Hitherio quondam constructa, con-
» stituisse monachos, qui secundum regulam sancti Benedicti viverent; petiitque idem
» Fridugisus, ut donationes, ab iisdem abbatibus, aliisque eidem loco factas, suis litteris
« Ludovicus ratas & inviolatas esse juberet. quod quidem præstitit imperator, dato man-
» dato, ut ne quis locum illum subtraheret potestati sancti Martini, utque monachi ejus
» loci pleniter sub regula sancti Benedicti viverent; eisque liceret ex suo cœtu abba-
» tem eligere secundum eamdem regulam, aut certe ex vicinis locis, cum consensu
» tamen abbatis & congregationis sancti Martini. In fine diplomatis Ludovicus monachorum numerum ad quinquaginta definit: qui tamen numerus crescentibus facultatibus augeri possit. Concesso privilegio, primus electus ex Cormaricensibus Jacob abbas, sed quo anno incertum. Nulla enim instrumenta facta leguntur ante annum Ludovici decimum-octavum, quo Fridugisus abbas villam Mardonium in dotem novæ ecclesiæ ab se constructæ donavit Cormariceno monasterio, cui Jacob abbas tum præerat. Viguit hæc electionis libertas usque ad tempus Leonis papæ decimi & Francisci primi Francorum regis; isque ritus in eligendo Cormariceno abbate obtinebat, ut mortuo abbate baculus pastoralis ad sanctum Martinum deferretur, quem novus electus e tumulo sancti Martini reciperet in signum subjectionis, quam dato sacramento in capitulo canonicorum affirmaret.

Jacob electus.

III. Ramnincus abbas Navensis.

Navense sancti Sulpicii apud Bituricas monasterium eo tempore administrabat Ramnincus abbas, de cujus antecessoribus nulla nobis supersunt monumenta. Falluntur qui Ebrardum & Gunfindum, Ramninci successores, eidem anteponunt. Ram-
» ninco abbate, Halbertus diaconus & Ansarius, clericos Deo & sancto Sulpicio do-
» naverunt mansum suum, situm in pago Biturico, in vicaria Auliquiacensium, loco
» qui vocatur Maidunus, super alveolum Averis, ad fluviolum Dadomnam, ad sti-
» pendia monachorum ibidem degentium. Data III. nonas Maii, anno HLudovici se-
» renissimi regis septimo, & octavo Pippini regis, quem pater ejus Carolus ante mortem Aquitaniæ regem dixerat. Idem Ramnincus diploma immunitatis a portoriis, aliisque exactionibus obtinuit a Ludovico augusto. De Ebrardo ejus successore infra.

Castellanus Arulensis. a Marca Hisp. p. 766.

Eodem anno Castellanus abbas monasterii sanctæ Mariæ Arulensis, quod ipse in valle Asperia diœcesis Helenensis sub sancta regula exstruxerat, regiæ tutelæ litteras cum facultate eligendi abbatis obtinuit a Ludovico augusto Aquisgrani XV. kalendas Octobris, anno ejus imperii septimo, indictione quarta-decima a kalendis Septembris inchoata. De Babila Castellani successore inferius.

IV. Rabanus scribit libros de computo.

b Baluz. to. 1. Miscell. p. 1. &c.

Unus e præcipuis ejus temporis, Alcuino mortuo, magistris fuit Rabanus, ejusdem Alcuini discipulus, qui tunc scholas Fuldenses magna cum laude ac discipulorum frequentia tenebat. Hinc est, quod dubias illi quæstiones explicandas non pauci proponebant. In his Macarius quidam monachus ab eo petiit, ut quibusdam de computo [b] propositionibus responderet, easque illustraret. Fecit ille quod rogabatur, sed non eo ordine, quo sibi propositæ fuerant: *quia confusa series vim cognoscendi abstulit, & tædium lectionis invexit.* Procedit hic liber dialogorum more, constatque capitulis nonaginta-sex, in quorum sexagesimo-septimo auctor ait, hunc librum ab se scriptum fuisse anno octingentesimo vicesimo, indictione tertia. Haud scio an ille idem sit Macarius Scottus, contra quem Ratramnus librum de anima scripsit.

V. Emmerammi abbates.

Annus hic quartus erat Baturici Ratisponensis episcopi, qui & ipse abbas primarius sancti Emmerammi cœnobii habebatur. Ejus vices tunc ibidem agebat Sigefridus, uti discimus ex ejus litteris donationis, sancto Emmerammo factæ in hæc verba. *Ego indignus servus servorum Dei Sigefridus ... ad salutem animæ meæ, patris, necnon genitricis, ceterorumque, quorum datione & auxilio locus iste constructus cernitur juxta flumen Ibna, in Dei amore & beati patris Benedicti, trado ad sanctum Emmerammum, propria mea, quæ hereditario jure mihi successerunt... Mezhildam quoque ac Bobilam contrado ad sanctum Emmerammum, ubi venerabilis vir Baturicus*

ANN. CHR. 820.

abbas & episcopus præsens rector esse videtur. Id factum *anno incarnationis dominicæ* DCCC XX. *quarto quoque venerabilis viri Baturici episcopi, anno quoque domini nostri serenissimi imperatoris augusti HLudowici* VII. *indictione* XI. lege XIII. *die dominico,* IV. *nonas Decembris.* Post biennium Immo quidam res suas tradidit sancto Emmerammo, nempe *anno incarnationis Domini* DCCC XXII. *&* VIII. *cæsaris augusti Ludowici, &* V. *domini Baturici episcopi, die lunæ, feria secunda post pascha,* XVIII. *kalendas Maii, ante altare sancti Emmerammi coram domino Baturico episcopo,* & aliis. Ad hæc in eodem codice traditionum legitur commutatio quarumdam rerum, facta inter Baturicum & Sigimundum abbatem anno DCCC XXIX. Denique alia commutatio inter Apollonium abbatem & Erchanfridum diaconum anno DCCC LXVI.

V. Josuæ abbati S. Vincentii succedit Epiphanius.

Non ante hunc annum videtur obiisse Josue abbas sancti Vincentii ad Vulturnum fluvium in Benevento. Nequaquam sibi constat ejus loci chronographus, cum scribit eum decessisse *anno octingentesimo decimo-octavo, indictione tertia-decima.* neque enim illi anno convenit hæc indictio, sed præsenti DCCC XX. Certe Josue confirmationem omnium regiorum præceptorum a Ludovico augusto obtinuit *tertio idus Januarias, anno imperii* ejus *sexto, indictione duodecima,* quæ anno superiori respondet. Augendi itaque anni ejus regiminis, quod tenuit ab anno septingentesimo nonagesimo-secundo ad hunc annum, quo plenus meritis a sæculo migravit in cælum IV. nonas Maii. Ejus corpus in limine dextro ecclesiæ sepultum, postea cum ossibus venerabilis Autperti, aliorumque patrum in ecclesiam illatum est, positumque in grandi sarcophago cum domni Hilarii abbatis corpore, teste chronographo. Josuæ successit Epiphanius abbas, de quo inferius agemus.

Fugitivi regia auctoritate Farfam revocati.

Sub id tempus e Farfensi monasterio, incertum qua causa, quave occasione, complures monachi fuga lapsi sunt, qui sæcularium quorumdam fulti auctoritate, ad officium revocari non poterant. Ea res Ingoaldum abbatem coëgit adire Ludovicum, ut imperialem ad eos revocandos auctoritatem interponeret. Pulsatus hac de re imperator, præceptum edidit, ut fugitivi monachi & oblati secundum regulam, qui per episcopia & diversa loca vagabantur, retenti a nonnullis hominibus, qui eos missis abbatis restituere nolebant; quam primum ab iisdem missis requisiti fuissent, absque ulla mora vel contradictione redderentur: qui secus fecissent, ad imperatoris judicium evocarentur. Datum Aquisgrani palatio regio IV. kalendas Maii, anno septimo imperii Ludovici piissimi augusti, indictione XIII. Meminit Ingoaldus abbas hujus profectionis suæ in Franciam in placito, quod a missis dominicis, Aledramno comite, Adelardo & Leone vassis, & missis ejusdem Ludovici augusti Nursiæ contra Guinichisum ducem obtinuit anno sequenti, ad asserendam monasterio suo donationem, a quodam Paulo, & Tasia ejus uxore factam, quando se ipsos cum rebus suis monasterio obtulerant. Huic placito subscribunt post missos Sicualdus, Hitto, & Liuthardus episcopi: quorum primus Spoletanæ ecclesiæ, tertius Lucerinæ, medius incertæ ecclesiæ præerat. In eodem placito fit mentio de Ludovici tum regis expeditione cum Pippino fratre suo in Beneventum, quod proinde in appendicem integrum cum jam dicto præcepto referendum visum est. Hoc placitum Ludovicus augustus anno sequente confirmavit.

ANN. CHR. 821.

VI. Benedictus abbas Indensis ægrotat.

ANnus insequens magnum Ordinis monastici lumen Benedictum, Ananiæ quondam, tunc vero Indæ abbatem, e vivis sustulit, magno rei publicæ monasticæ detrimento. Cœperat ante id tempus variis atteri infirmitatibus, corpusque jam continuis multos per annos laboribus, vigiliis, jejuniisque confectum, novo nihilo minus patientiæ certamine exercebatur. Ille vero, quo validius his infirmitatibus pulsabatur, eo intentius orationi cum lacrymis ac lectionibus insistebat. Nullus otiosum reperit, nullus fabulis aut inanibus rebus occupatum. sic deficientibus corporis viribus, animi adamante durioris persistebat intentio. Aut legebat per se ipse, aut legentem audiebat. Lectio ei familiarior de vita & obitu sanctorum patrum: qua lectione confirmatus animus, fortior in dies fieri videbatur. Carnibus quadrupedum numquam usus est a die suæ conversionis, balneis raro, nec nisi extremo vitæ suæ tempore, cum jam languoribus corpus attritum esset. Demum febre tentari cœpit VII. idus Februarii, qui dies hoc anno in feriam quintam incidebat. Erat tum Aquisgrani in palatio imperatoris, cui ipso die multorum causas pro suo more ac necessitates exposuerat. Postridie portoriorum immunitatem Indensibus impetra-

ANN. CHR. 821.

vit. Ubi febre se correptum sensit, mox in mansionem suam, quam scilicet Aquisgrani habebat, se recepit. Tum vero tanta magnatum adfuit multitudo & frequentia episcoporum, abbatum, ac monachorum, ut monachi, ejus familiares, vix ad eum possent accedere. Ipsa nocte jussu imperatoris per Tanculfum camerarium deductus est in proximum Indæ monasterium, comitante Helisachare abbate, amico ipsius fidelissimo, qui ei usque ad supremum halitum assidue adhæsit. Erat is cancellarius imperatoris, idemque ex ordine canonicorum abbas, Trevirensis, ut quidam putant, monasterii sancti Maximini, dein Centulensis. Prima luce ad monasterium pervenit Benedictus, & quidem feria sexta. Hora diei tertia, omnes a se exire præcepit, & usque ad sextam horam solus permansit. Post hæc admissus Helisachar cum præposito monasterii, percontatus est ut se haberet. Ille numquam se tam bene fuisse respondit, seque inter choros sanctorum coram Domino adstitisse. Sabbato vocatis fratribus monita salubria dedit, confessus, se ab annis quadraginta-octo, ex quo monachus fuerat, nullo umquam die, nisi præmissis lacrymis, cibum sumsisse. Ipso die imperatori, & aliis quibusdam scripsit, nempe Nibridio archiepiscopo Narbonensi, & Georgio Anianensi abbati. Excidit epistola ad imperatorem: supersunt aliæ duæ, quas ob tanti viri memoriam ac reverentiam, lectorumque profectum huc referre juvat ex Ardone, eo ordine quo ab eo relatæ sunt. Prima ad Georgium sic habet.

VII. Georgio abbati Anianæ scribit.

Summa in Domino beatitudinis ac felicitatis Georgio, monasterii Aniani abbati, & cunctis filiis ac fratribus nostris, bene & vigilanter sub norma patris degentibus Benedicti, ultimus omnium abbatum Benedictus optat jam in extremis positus salutem. Super omnibus igitur, quæ meum ardent animum, & præ cunctis curam inquirunt rebus, hoc est, quod de vestro maxime sollicitor vitæ regularis ordine. Nempe nequaquam ullo modo ignoro vos nobiliter desudare, & nostri fidelissime fore memores, neque ullo indigere adhortationis verbo. Verumtamen in ultimis constitutus, ignorans utrum jam vos videre queam, urgente erga vos caritate animum, nonnulla tam per fideles verba amicos, quamque per epistolas curavi dirigere. Denique ipsi nostis, qualiter totis, quantum valui, nisibus, quam diu potui, & vitæ, & exhortationis exempla monstravi sollicitus vobis. Nunc, filii mei, precor & per ipsum testor Deum, ut unanimes in caritatis nexu idem sitis sapientes, neque ullos, quos vel mecum adduxi, vel alicubi propter aliquod exemplum, aut pro aliqua re misi, quasi habeatis extraneos: sed quicumque ad vos iterum ex illis reverti voluerit, & regulariter vobiscum versari, pie benigniterque velut fratres recipite, ut decet. Deo enim gratias non deerit vobis corporale subsidium. Omnibus autem generaliter, maxime vero illis, quos nobis in amicitia junctos nostis, diligentissimum semper attendite affectum, &, ut potestis, aliis pauperioribus, quæ supersunt vobis, necessaria monasteriis ministrate. Abbati quoque Modario de monasterio sancti Tiberii auxilium, in quibus indiguerit, ferte: & de his, & de aliis, veluti in vita nostra, magis autem post mortem agite meam. Sicut ergo multa monasteria, dudum vitiata, jam aliquid emendationis a nobis accepisse videntur, largiente Deo: ita omnimodis nunc cavete, ne (quod absit, te posco misericors Domine) sinistram viam, (perversam) scilicet, queant ullo tempore tenere. Monasterio vero Indæ, velut fratribus estote juncti unicis. Helisacar quoque, qui præ omnibus super terram, omni tempore vobis exstitit amicus fidelissimus canonicorum, & fratres ipsos in eo habetote semper loco, & ad eum semper sit refugium vestrum. Sed vobis ita nunc suggero, quia ignoro utrum in præsenti vos videam sæculo. Jam septimo idus Februarii acerbissimo, dante misericordia Christi, (morbi) tactus verbere, nihil aliud quam ultimum celeri expecto diem vocationis.

Hæc scribebat Benedictus IV. idus Februarii ad suos Anianenses: sic vero ad Nibridium archiepiscopum Narbonensem.

VIII. Nibridio item archiepiscopo.

Venerabili in Christo patri Nibridio archiepiscopo, Benedictus ultimus omnium abbatum abbas, sempiternæ felicitatis salutem opto in Domino. Eia, vir Dei, pareat modo caritas ac dilectio seu benevolentia, qua semper, modo in quantum potes, sive per te ipsum, seu familiares & amicos, necnon per omnia monasteria, ubicumque transmittere potueris, ut orationes, tam in psalmis, quam in missis, pro me ad Dominum fundere non cessent, quia modo valde necessarium mihi est. Scito, pater dilecte, quia jam in extremis pugno, ad finem curro: jam anima a corpore separatur, & in hac luce oculis corporis te minime video. Ille qui potens est facere de immundo mundum, de

peccatore justum, de impio sanctum, faciat nos pariter regnum perfrui sempiternum, ibique cum omnibus sanctis cantare canticum novum. Supplico, carissime pater, ut, sicut semper mercedem habuisti de fratribus, qui degunt in Aniano monasterio: ita semper, usque dum sancta anima a corpore egreditur vestro, melius ac melius habeatis in vestra sancta dilectione. Omnes istis in partibus amicos, familiares, & propinquos commendo. In monasterio quoque vestro totis viribus, sicut credo, facitis, eisque ad perseverantiam laborare studete, & illam sententiam, tam in divitibus, quam in pauperibus, quam Dominus per beatum apostolum suum Paulum dignatus est dicere, ubi ait, Argue, obsecra, increpa: semper ex ore proferte vestro ad omnes. Vestra sanctitas, credo, bene sciat quem arguere debeat, quem obsecrare, & quem increpare. Propterea dico, pater, ut nullum periculum remaneat in vobis, unde in perpetuum damnari debeatis, sed libera voce cum Psalmista dicere valeatis: Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem & salutare tuum dixi. Tamen omnia cum caritate & discretione agite; vosque Trinitas sancta custodiat, & præmium largiatur æternum, amen.*

ANN. CHR. 821.

* al. nostro.

Hactenus Benedicti epistola ad Nibridium seu Nebridium, quem alii Nefridium vocant, putantque eumdem esse cum Nefridio abbate Orbionensis monasterii seu beatæ Mariæ de Crassa, de quo mentio est in præmissa epistola, ubi monasterium Nebridii appellatur, quod in ejus provincia situm esset, forsan etiam quod ejus rector & abbas exstitisset. Hæc acta dominica die, qua vir Dei *regulare officium* persolvisse traditur, tota nocte in precibus & psalmodiis transacta. Sequenti cum *regulare explesset officium*, quod regula præscribit, & *cursum* vellet persolvere, id est Romanum, (nam quotidie utrumque recitabat) ubi ventum est ad versiculum illum, *Justus es Domine*, se deficere dixit, adjecitque, *fac cum servo tuo, Domine, secundum misericordiam tuam.* sicque in hæc verba spiritum emisit III. idus Februarii, quæ feria secunda erat. Ipsa vero hora, qua migravit ad Christum, ejus obitum Stabulo episcopo Magalonensi, in cujus diœcesi Anianæ monasterium situm erat, cælitus revelatum fuisse tradunt. Postridie sepultus est, nempe pridie idus Februarii, qui dies ejus depositionis sub ritu duplici notatur in veteri kalendario Gellonensi, idemque in fastis sacris Anianensis monasterii celebratur, & in ecclesiastico officio per totam diœcesim Montipessulanam, mirum quod neglectus apud ipsos Indenses; dignus certe ob tanti viri in rem monasticam meritum, qui in toto sancti Benedicti Ordine similiter recolatur. Post tertium diem Indenses monachi sepulcrum illius aperuerunt, ejusque corpus in vas lapideum, quod imperator ipsi parari jusserat, transmutarunt. tum vero discooperta ejus facie, nihil pristini ruboris amisisse deprehenderunt, ut iidem in litteris suis testantur, ad Anianenses de communis parentis obitu scriptis, quas itidem integras huc referre par est, veluti quoddam vitæ ejus compendium.

Obit ac sepelitur.

Benedictus igitur abbas, in provincia Gotia exortus, sub Pippino rege Francorum, & post ejus decessum sub Carolo filio ejus, ab infantiæ tempore usque in adolescentiam militavit. Post hæc autem, relicto palatio, in monasterio sancti Sequani in provincia Burgundionum habitum veri monachi suscepit: ibique duobus ac semis annis consistens, Deo jugiter militavit. Sed quia ibi regularem usum minime reperit, in Gotiæ partibus migravit, ibique super fluvium Anianum manu propria cellam primitus; postmodum vero cum ipsis fratribus, qui ob amorem Christi sub ejus regimine venerant, monasterium ex novo opere construxit, in quo non longo post tempore trecentos sub suo regimine monachos habuit. Defunctoque Carolo imperatore, Ludovicus filius ejus imperium suscipiens, Benedictum venerabilem virum, una cum suis quibusdam discipulis in Franciam venire fecit, ac primitus in pago Alsacense monasterium ei Maurum dedit: postmodum vero pro ejus amore juxta Aquis palatium, super fluvium Indam, ex novo opere ei monasterium ædificavit. Hic est Benedictus, per quem Dominus Christus in omni regno Francorum regulam sancti Benedicti restauravit. Hic habuit sub regimine suo monasteria duodecim, id est Anianum, Gellonem, Casam-novam, Insulam-barbaram, Menatem, sanctum Savinum, sanctum Maximinum, Masciacum, Cormariacum, Cellam-novam in Tolosano, Monasterium-Maurum in Alsatz, Indam ex jussu imperatoris ob illius ac discipulorum ejus usum ædificatam, & de fiscis regalibus ditatam. In his omnibus ex doctrina sua monachos & rectores misit. Curam autem maximam habuit de omni ordine ecclesiastico, videlicet monachorum, canonicorum, atque laicorum, maxime autem monachorum. Imperator autem omne ejus consilium libenter audivit, & fecit. unde & a

IX. Indensium de eo epistola.

ANN. CHR. 821.

quibusdam Monachus vocitatur, videlicet quod monachos sancti viri pro ejus amore semper suos proprios appellavit, & post ejus decessum hactenus abbatem se monasterii illius palam esse profitetur. Sanctus igitur vir usque ad obitum suum in palatio regis pro augmento fidelium, non pro terrenis rebus perseveravit, quia juxta erat monasterium, in quo degebat. Ante quartum vero exitus sui diem, adhuc sanus omnia imperatori, quæ ei solitus erat dicere, replicavit: & in ipsa die febre correptus, ad mansionem suam usque pervenit. Altera vero die audientes hæc omnes magnates imperatoris ad eum visitandum venerunt. Tanta autem ibi fuit multitudo episcoporum, abbatum, ac monachorum, ut nobis, qui eum ibi custodiebamus, vix ad eum accedere facultas esset. Helisacar autem abbas primus ad eum venit, & cum eo usque ad obitum perseveravit. Quinta siquidem feria ægrotavit: in sexta autem feria nocte misit imperator Tanculfum camerarium, jubens ut eum in ipsa nocte ad monasterium ferremus. quem levantes ante gallorum cantum, una cum Helisacar & suis ac nostris hominibus, prima hora diei ad monasterium deduximus. Cumque esset tertia diei hora, omnes a se exire præcepit, & usque ad sextam horam solus permansit. Post hæc ingressus supra dictus abbas cum præposito nostro, percunctati sunt quomodo ageret. quibus ipse respondit, numquam se tam bene fuisse. adjunxitque: Usque modo inter choros sanctorum coram Domino adstiti. In crastina autem, fratribus ad se vocatis, eis monita salutis dedit, & tunc professus est, quia quadraginta-octo anni essent, ex quo monachus fuerat, in quibus annis nullo die antea panem comedit, donec coram Deo lacrymas funderet. In ipsa die brevem admonitionem imperatori misit, & alias per diversa monasteria direxit. Iisdem vero venerabilis vir omne officium suum de quinque annis & duobus mensibus ante obitum suum, sicut in ejus tabulis post ejus decessum reperimus, & ipse vivens quibusdam dixit, cantatum per semetipsum reliquit. Obiit autem septuagenarius tertio idus Februarii, anno ab incarnatione Domini octingentesimo vigesimo primo, indictione decima-quarta, concurrente uno, epacta decima-quarta, anno nono imperii Ludovici piissimi imperatoris. Post tertium vero diem sepulcrum ejus aperuimus, & cum in vas lapideum, quod imperator paraverat, mutavimus: discooperientes autem faciem ejus, vidimus in fronte & circa oculos ac labia ejus tantum ruborem, quantum nec vivus habuerat. His ita exceptis & ita se habentibus, nos famuli ex monasterio Inda, videlicet Deidonus, Levigildus, Bertadus, & Desiderius, tibi Ardoni magistro nostro salutem in Domino optamus, petimusque caritati tuæ, ut secundum a Deo datam tibi sapientiam de vita patris nostri Benedicti libellum componas, & eum nobis dirigas. Salutant vos omnes fratres nostri; & vos salutate omnes fratres nostros, amen.*

* id est recitatum.

Hæc videtur fuisse encyclica epistola missa ad omnia monasteria ad significandum piissimi Benedicti obitum, excepta clausula ad Anianenses; signanter vero ad Ardonem ejus loci monachum ac magistrum, quem ad Benedicti acta litteris mandanda cohortantur. quod ille exsecutus est, scripto de ejus vita libro, quem nos auctorem, utpote fide dignissimum, secuti sumus. Id vero discriminis est inter Ardonem & præmissam epistolam, quod Ardo dicat, Benedictum *quinquennii & octo mensium spatio*; Indenses vero *duobus & semis annis* in sancti Sequani monasterio perstitisse. Ardonis lectio retinenda est. Indenses forte spectant tantum annos duos, quos Benedictus privatus apud sanctum Sequanum exegit; Ardo vero alios tres addit quibus cellerarii officio functus est. In hac autem epistola maxime observanda sunt hæc verba; quibus Benedictus *in omni regno Francorum regulam sancti Benedicti restaurasse* perhibetur, id est in integrum restituisse, & jam dudum observatam in totius regni Francorum monasteriis, sed tum neglectam & incultam, ac pæne emortuam excitasse. quod unum argumentum sufficit ad eos refellendos, qui viro sancto Benedictinæ regulæ primariam in regno Francorum propagationem, non tantum restitutionem tribuendam esse opinantur. De monasteriis duodecim ei subjectis, quæ velut præpositus generalis per secundarios abbates regebat, superius actum est: ubi *sanctum Maximinum* intellige, non Trevirense, sed Miciacense apud Aurelianos, cujus primus abbas ac patronus est sanctus Maximinus; alius a sancto Maximino episcopo Trevirensi.

X. Benedictus idem cum Eutycio abbate.

Quod a Benedicto de se dictum tradunt Indenses, eum paullo ante extremum halitum dixisse, se nullo umquam die absque profusis lacrymis cibum sumsisse; hoc item de Euticio abbate Gallo commemorat Johannes monachus in libro de vita sancti Odonis abbatis Cluniacensis. Quin etiam alia duo idem Johannes Euticio

ANN. CHR 821.

tribuit, quæ Benedicto convenire constat, nempe collectionem *ex beatorum patrum regulis & institutionibus*, quæ Concordia regularum est; & gratiam Ludovici imperatoris, apud quem in tanto amore habitus dicitur Euticius, *ut intra palatium suum illi construeret monasterium.* quod non de alio quam de Indensi explicari potest, *sex non amplius millibus* dissito a palatio Aquisgranensi. quod facile homo exterus intra palatium positum dicere potuit. Ex his asserere non dubitem, unum eumdemque esse ut nominis significatione, sic re ipsa, Benedictum & Euticium, a quo Cluniacenses suos ritus ac consuetudines acceperunt. Alii duo erant ejusdem nominis & ordinis abbates eodem tempore clarissimi, Benedictus Fossatensis, & Benedictus abbas Ambrosianæ basilicæ apud Mediolanum, quorum superius facta mentio est.

XI. Scripta ejus ac successores.

Ad Benedicti nostri scripta quod attinet, præter Concordiam regularum, earumque Codicem, & homiliarum quarumdam collectionem eidem codici subjunctam, ipsi etiam tribuitur liber [a] de Ordine monasticæ conversationis editus apud Haeftenum. Verum multa in hoc Ordine discrepant a statutis Benedicti abbatis Anianensis, ut recte Cointius [b] observavit. nam, ut pauca e multis seligamus, illius Ordinis auctor id intervallum temporis, quod a laudibus matutinis ad primam restat, somno capiendo indulget: Benedictus cum synodo Aquisgranensi *orando ac legendo* vult insumi, teste Ardone, qui ritus a Benedicto institutos in libro de ejus vita singillatim commemorat. Idem Benedictus tribus per diem vicibus fratres altaria circumire præcipit, nempe ante vigilias nocturnas, ante primam, & post completorium: quale nihil præcipit prædictus auctor. Ritus a Benedicto instituti, synodi Aquisgranensis statutis omnino conformes, non modo ab Ardone relati sunt, sed etiam in separato libello, cujus duo exemplaria vidimus, unum in bibliotheca sancti Galli, alterum in Augiensi sub hoc titulo, qui in priori desideratur: *Capitula, qualiter observationes sacræ in nonnullis habentur, quas bonæ memoriæ Benedictus secundus in cœnobiis suis alumnis habere instituit.* quem libellum habes in tomo quarto [c] nostrorum Analectorum sub hoc titulo: *Antiquæ consuetudines monasteriorum Ordinis sancti Benedicti.* Non dubitem quin ex ejusmodi consuetudinibus, tum apud Ardonem, tum in hoc libello collectis, suas acceperint primi Cluniacensis monasterii institutores, quas Euticio abbati acceptas refert, ut mox dicebamus, Johannes monachus in libro de vita sancti Odonis abbatis. Præter ea in codice Caunensis in Septimania monasterii habetur ejusdem Benedicti libellus de modo bene vivendi, ex diversis patrum sententiis collectus, quem *Serenissimo atque invictissimo semperque triumphatori*, Carolo an Ludovico imperatori, inscribit *exiguus Benedictus abbas, servus servorum Dei*, cum epistola, quæ in fine Sæculi [d] quarti Benedictini vulgata est. Ad hæc eidem Benedicto tribuitur pænitentialis liber, ex codice sancti Galli editus in appendice capitularium Baluziana cum hocce titulo: *Excerptus diversarum modus pænitentiarum, a Benedicto abbate distinctus de regula sancti Benedicti abbatis.* Denique eruditus Baluzius [e] vulgavit quædam Opuscula sub nomine sancti Benedicti abbatis Anianensis, quorum primum testimonia de incarnatione & individua Trinitate contra Felicianam hæresim, & de non iterando baptismo continet, quod *Benedictus filio Guarnario* inscribit. Alterum est *disputatio Benedicti levitæ adversus Felicianam impietatem*; tum sequitur epistola Benedicti ad prædictum Guarnarium. Postremo *confessio Benedicti levitæ, etsi peccatoris, nonnumquam erronei.* Verum, cum constet Benedictum Anianæ abbatem sacerdotio insignitum fuisse; dubitare licet, an ei tribuenda sint hæc Opuscula, in quibus nulla monastici ejus instituti mentio habetur. Hæc de Benedicti scriptis. Revolvi Johannis abbatis Juncellensis libros tres de laude Anianæ, scriptos rogatu nepotis sui Johannis Bibentis-aquas, monachi ac sacristæ ejusdem Anianensis monasterii, in quibus multa fabulosa, nihil scitu dignum continetur. In sermone de basilicæ Anianensis dedicatione a nobis edito illud unum notandum, *quod gloriosa Virgo*, id est ejus oratorium, *sexum a suis limitibus exclusit femineum, & intra peculiare filii sui templum interjectis annis recipit, quos prisca consuetudo in utrumque templum penetrare non sivit.* Successor ejus apud Indam Wicardus usque ad annum DCCCXLII. quo anno mortuus IV. idus Aprilis, Adalongum successorem habuit. Adalongus vero ipso anno villam Crassiniacum a Ludovico Germaniæ rege impetravit, diplomate dato Aquisgrani VII. kalendas Aprilis, anno secundo Ludovici gloriosissimi regis, indictione quinta. Cetera fere vetera Indensium documenta periere usque ad Ottonem Magnum. Abbatum subsequentium indicem Bucelinus refert.

a V. lib. 22. n. 11.

b Coint. to. 7. p. 553. & seqq.

c pag. 458.

d p. 572.

e Miscell. to. 5. p. 1. & seqq.

ANN. CHR. 822.

XII. S. Tiberii abbates & Caunenses.

Modarius abbas sancti Tiberii seu Cesarionensis monasterii, in superiori laudatus epistola Benedicti ad Georgium Anianæ abbatem, tertius erat a condito cœnobio, successor Atilionis, qui Adrebaldum ejus loci primum rectorem exceperat, ut superius vidimus. Ceterum Modarius, hinc tantum notus, successorem habuit Bonesindum; an proximum, asserere non ausim. Modario æqualis, uti & conterraneus erat Azenarins, abbas & ipse tertins monasterii Caunensis, cujus primus abbas Anianus, secundus fuit Daniel, superius [a] laudati. Azenarius Danielis successor quædam in Villa-rotunda seu Petra-rotunda, villa Caseriaco, acquisivit anno nono imperante Ludovico, id est ipso anno quem decurrimus. Johannes Azenario jam successerat anno ejusdem imperatoris quarto-decimo, quo Toloniacum in pago Reddensi * a Centullo accepit. Si litura aut hiatus non est in charta Caunensi authentica, cujns specimen in tabella vicesima-septima de re diplomatica, exemplum integrum in libro sexto [b] ibidem exhibuimus; Johannes abbas jam erat octavo anno Ludovici gloriosissimi imperatoris, quo vinea quædam, sita in villa Marinorena, in insula Lici, territorio Narbonensi, à quodam Maimone in extremis legata, facto a testibus juramento, asserta est monasterio sancti Petri apud Caunas, agente Mancione presbytero, qui erat *abogadus de Joanne abbate*, id est advocatus Johannis abbatis. Actum *sub die pridie Kalendas Abriles, anno octabo imperante domno nostro gloriosissimo Ludoihceo imperatore*. Ubi si annus octavus ex integro expressus est (nam hiatus quidam est in authentico, ut ex specimine apparet) corrigenda chronica nota superioris instrumenti, pro Azenario abbate, dati anno nono imperii Ludovici augusti. Johanni abbati matrona quædam, nomine Ispanildes, & fratribus Caunensis monasterii, seu basilicæ sanctorum apostolorum Petri & Pauli *in ripa Argentidupri*, bona sua testamento legat. De his minutiis satis. Idem Johannes concilio Toletano quarto-decimo interfuit jussu Sunifredi archiepiscopi sui, id est Narbouensis. De Hilderico ejus successore infra. Ludovicus item anno imperii sui octavo privilegium regiæ defensionis concessit Teutpaldo abbati Altahæ inferioris in Bavaria.

a Lib. 25. n. 3.

* De Reuex.

b Diplom. p. 513.

Teutpaldus abbas Altahensis.

XIII. Adalhardus abbas ab exsilio revocatur.

Jam septem annos Adalhardus abbas in Herensi monasterio exsul corpore, sed animo liber transegerat; cum Ludovicus augustus, deposita demum inani suspicione, & sancti viri propinqui sui comperta innocentia, eum ab exsilio revocavit, ac propriis honoribus reddidit, quem proprius meritorum honor ubique comitabatur, & exsilium ipsum clariorem reddiderat. Redit itaque vir summus gratulantibus ac plaudentibus pæne universis, suisque Corbeiensibus tandem restituitur, qui amantissimum patrem profusis gaudiis, quasi triumphantem acceperunt. Soli ex omnibus de ejus recessu contristati sunt Herenses monachi, in his venerabilis Ragnardus, qui lætus quidem erat de reditu optimi patris in proprium locum, sed dolebat magnopere, quod tanti viri præsentia privaretur. Is postea electus est abbas, teste Paschasio; si Herensis monasterii, locandus post Arnulfum, qui tum ei loco præerat. Digressus ab Hero Adalhardus, longa corporis confectus macie, pervenit ad palatium, cunctisque hærentibus, *quo modo ei celsitudo regia satisfaceret*, ipse verecundiæ imperatoris occurrere volens, proruit in medium, blandisque alloquiis nihil se de ejusmodi facto in animo retinere persuasit. Post hæc Corbeiæ suæ regimen, jubente principe, denuo resumere cogitur, flagitantibus filiis suis, qui eum cum immensis excepere gaudiis, non tamen sine quodam tristitiæ nubilo, quod carissimum patrem febris tum vexaret. Hujus restitutionis meminit non modo Paschasius, sed etiam Annalista Laureshamensis & astronomus, qui ambo restitutum Corbeiæ Adalhardum tradunt, ejusque fratrem Bernarium, quem in Lirinense monasterium exsilio deportatum diximus. Hunc tamen *a monasterio sancti Benedicti*, id est Floriacensi, revocatum asserit astronomus, quo nimirum e Lirinensi translatus fuerat. De Wala & Gundrada silent historici, quod ambo remanserint in monasteriis, in quibus habitabant; Wala quidem in Corbeiensi, quod sponte elegerat; Gundrada in Pictavensi sanctæ Radegundis monasterio, quod exsuli fuerat assignatum.

XIV. Theodulfus an Aurelianos reversus.

Eodem etiam tempore revocati sunt alii, qui ante quadriennium ob suspicionem læsæ majestatis, id est initæ cum Bernardo Italiæ rege conjurationis, relegati fuerant; nempe Anselmus Mediolanensis antistes, & Theodulfus Aurelianensis: nam Wolfoldus Cremonensis in exsilio decesserat. Ex quibus Theodulfus, qui Andecavos amandatus fuerat, an Aurelianos reversus illic decesserit, an vero Andecavis obierit, non ita exploratum. Hunc in reditu defunctum tradit antiquus chronographus

ANN. CHR. 821.

graphus [a] apud Chesnium; Letaldus monachus Miciacensis [b] veneno exstinctum dicit post reditum Aurelianos: at ipsius Theodulfi epitaphium innuit, hunc Andecavis mortuum ac sepultum fuisse. Quod epitaphium, e veterrimo codice sancti Vitoni a me pridem editum, hoc loco reponere non gravabor.

[a] Chesn. to. 3. p. 336.
[b] Sec. 1. Bened. p. 601.

Illius cineres saxo servantur in isto,
Qui quondam populis præsul & abba fuit.
Non noster genitus, noster habeatur alumnus:
Protulit hunc Speria, Gallia sed nutriit:
Urbs populosa satis Ligerim super Aurelianis,
Quæ olim læta fuit hoc residente patre.
Prô dolor! hunc pepulit propria de sede malignus.
Mœnibus his traditur exsul, & exsul erat.

ubi de Aurelianis, tamquam de urbe a sepulturæ loco aliena; & de Andecavorum urbe, uti præsente, agitur. Verum quo in loco apud Andecavos mortuus, sepultusve sit Theodulfus, non facile dixerim. Astronomus auctor est, episcopos prædictæ conscios conjurationis monasteriis mancipatos fuisse. Duo erant tum apud Andecavos haud incelebria virorum monasteria, unum sancti Albini, alterum sanctorum Sergii & Bacchi. An in alterutrum retrusus fuerit Theodulfus, ubive sepultus sit, nulla monumenta produnt. Is in carmine diei Palmarum accommodato, quod Andecavis exsul, *ut a pueris cantaretur*, composuit, mentionem facit omnium ejus urbis ecclesiarum, in quibus, præter sancti Albini & sancti Sergii basilicas, memoratur cella sancti Petri.

Et, Petre, cella tuo vocitata e nomine sancto,
Quos quit, ad hoc laudum mittere gestit opus.

quæ satis innuunt exiguam monachorum cellam tum fuisse: nunc vero insignis collegiata ecclesia est, prima post cathedralem. Ceterum innocentiam ipse suam probat in carmine ad Aiulfum Bituricensem metropolitam, eique Moduinus episcopus Æduensis suffragatur his versibus:

Exsilium innocuus pateris pertriste, sacerdos,
Inclytus expertus præsul enorme malum.

Ejus obitus in necrologio nostro ponitur XIV. Kalendas Octobris. Theodulfo in sedem Aurelianensem successit Jonas, de quo non una erit inferius dicendi occasio.

XV. Ansfridus Nonantulæ abbas post Petrum.

Petro abbati Nonantulensi itidem mortuo subrogatus est hoc anno Ansfridus, vir religiosus & devotus, qui sanctissime vixisse traditur. Ut Petrus ejus decessor cum Amalario archiepiscopo Trevirensi, sic iste cum Halitgario episcopo Cameracensi Constantinopolim legationis causa missus est post annos sex ad Michaelem imperatorem, a quo honorifice accepti sunt. Idem capsam evangelii totam auream, & pretiosis ornatam lapidibus fecisse dicitur, & calicem prægrandem cum patena, utrumque auro & lapillis decoratum. Nonantulæ præfuit annos septemdecim, uti ejus decessor. Tertius fuit abbas a sancto Anselmo primo loci auctore ac rectore. Sequentium abbatum nomina recensentur apud Ughellum [a], sed fere nuda usque ad Leopardum, qui ordine quartus-decimus fuit, ordinatus extremo hujus sæculi anno, quo tempore de eo agemus. Legimus in archivo Nouantulensi authenticum diploma Ludovici augusti, confirmantis pactum, quod inter sese fecerunt Petrus abbas Nonantulæ & Gisus Mutinensis episcopus de baptismalibus ecclesiis, datum Aquisgrani kalendis Octobris, anno imperii VI. indictione XII.

[a] Ital. sac. to. 5. a 477. & seqq.

ANN. CHR. 822.

XVI. Adalhardus abbas statuta edit.

REdditus Corbeiensibus suis, ita ut diximus, Adalhardus abbas, primo quoque tempore monasterii sui statum in melius componere, novisque statutis totius familiæ ordinem disponere maturavit. Vulgatus est hac de re breviculus in tomo quarto Spicilegii, in duos distinctus libellos, *quem Adalhardus, ad Corbeiam regressus, anno incarnationis Domini octingentesimo vigesimo-secundo, mense Januarii, indictione quinta-decima, imperii vero gloriosi Chluduici augusti octavo, fieri jussit.* Quo ex bre-

ANN. CHR. 822. viculo quamdam ejus monasterii œconomiam paucis hic repræsentare conabimur. Totum monasterium in sex classes divisum erat. Prima fratres seu monachos: secunda clericos, quorum alii præcise clerici, alii peculiari vocabulo *pulsantes* appellabantur; *& scholarios*: tertia matricularios & famulos: quarta provendarios: quinta vassallos: sexta hospites continebat. Monachi omnino trecenti quinquaginta erant, cum vir sanctus Corbeiam reversus est. Trecentos minimum in posterum esse jubet, at non amplius quam quadringentos. Ex his alii aliorum præfecti, alii ministeriales. Præfecti post abbatem erant præpositus & decani: ministeriales, camerarius, cellerarii duo, major & minor; & senescalcus. Camerarium spectabat cura de vestimentis & fabris; cellerarios de victu & commeatu; senescalcum de reditibus monasterii: quibus singulis suos *breves* seu memorialia rerum agendarum Adalhardus præscripsit. Ex clericis duodecim pulsantes, alii simpliciter clerici septem erant. *Pulsantes* ideo dictos existimo, quod horas divini officii pulsarent, & ea, quæ ad cultum divinum pertinebant, curarent. Alii clerici cellarium, curticulam abbatis, & domum infirmorum procurabant. Omnes, post præpositum & decanum majorem, *ad custodem sancti Iohannis* respiciebant, quæ una est ex ecclesiis monasterii Corbeiensis, ad famulorum usum olim deputata, modo parœcialis. Apud S. Stephanum officia divina celebrant duodecim præbendarii clerici, *Caritabiles* dicti, qui pulsantibus clericis successerunt. Ex laïcis, quæ tertia classis erat, matricularii duodecim, alii laïci triginta: quorum ab invicem hoc discrimen erat, quod matricularii matriculæ inscripti, atque adeo stati & fixi erant: alii mobiles ad nutum officialium. Ex utrisque alii res interiores, alii exteriores curabant. In monasterio tres eorum cameræ erant: prima sutores, caballarios, & fullonem: secunda fabros grossarios, aurifices, pergaminarium sutores, scrutarios, saminatorem, qui cote cultros acuebat, & fusarios: tertia cellarii, dispensæ, portæ, infirmorum ministros, gararios, qui nemoribus secandis præerant, carpentarios, mattiones seu latomos quatuor, & medicos duos comprehendebat. Qui vero extra monasterium erant, molinos, piscariam, stabulum, hortos, buriam ad lintea & vestimenta dealbanda, arboretam novam seu arborum seminarium, oves & vivarium procurabant. Omnes illi, numero centum quinquaginta, *provendarii* dicebantur, etiam clerici, id est præbendarii, quod monasterii præbenda & impensis alerentur. In hospitali pauperes minimum duodecim quotidie excipiebantur, præter alios discurrentes. Peregrini clerici admittebantur in refectorium. Ad hos omnes alendos quinque millia & quingenti modii annonæ, ram de spelta, quam de tritico suppeditati: & ex unoquoque modio triginta panes confecti. Corbus modios duodecim continebat. Ad hæc decima ex omnibus rebus dabatur, ut in synodo Aquisgranensi constitutum fuerat. Modius vini sextaria continebat sexdecim; singula sextaria sex calices. Cellerarius junior singulis fratribus *heminam suam* (sic legendum, non *geminam*) *sub aquali mensura anteponebat*. De potu quotidie pauperibus distribuebatur dimidius modius, id est sextaria octo: ex quibus sextaria quatuor dividebantur inter illos duodecim peregrinos, ita ut unusquisque duos calices acciperet. Res haud memorabiles fusius persequor: sed quæ locis obscuris afferunt lucem. Ad fratres seu monachos quod attinet, qui culinæ officium exercebant, rigidum servabant silentium; atque ut ipsum silentium non esset sine fructu, psalmos sine intermissione concinebant. Fercula ex leguminibus constabant, & piscibus. Nemini præter eos in culinam aditus erat: omnia ex fenestra & per fenestram dabantur & accipiebantur. In summa, omnium ea silentii religio erat, ut vel a non necessariis tacerent, vel necessaria dicerent, vel psalmos canerent. Libri secundi caput secundum inscribitur, *de metris in festivitatibus dandis*: ubi forte legendum de meris præter quotidianam mensuram dandis in illis festivitatibus; eum ad modum quo famulis monasterii ejusmodi *consolatio* in certis festis danda præscribitur in libri primi capite secundo. Hæc in prædictis Statutis observatione haud indigna visa sunt: ex quibus conjicere possumus, perennem illo in monasterio laudem viguisse, ut in vicino Centulensi, ubi fere par numerus monachorum erat.

XVII. Ludovicus Adalhardo, aliisque satisfacit Attiniaci. Dum ordinando in hunc modum Corbeiensi monasterio incumbit Adalhardus, denuo a Ludovico augusto accersitur in palatium, quod velut sol redivivus splendore suo illustravit, stupentibus cunctis, exsilium tanto viro, nulla nisi invidiæ causa, fuisse irrogatum. Hujus facinoris noxa Ludovici altius insedit animo, statuitque in publico Francorum conventu id expiare, aliaque id genus, quæ tum in fratres suos,

Drogonem, Hugonem & Theodericum, quos sacra tonsura invitos multaverat; tum in Bernardum ex Pippino fratre nepotem, ipsius jussu oculis orbatum, perpetraverat. Propterea indicitur ad mensem Augustum Francorum conventus in villam regiam Attiniacum ad Axonam; ubi convocatis ad concilium episcopis, abbatibus, spiritualibusque viris, atque regni sui proceribus, primo quidem fratribus suis reconciliatus est, & de his quæ tum in Bernardum, tum in Adalhardum ejusque propinquos peccaverat, sponte publicam pœnitentiam egit. Tunc vero contigit id, quod Paschasius commemorat, nempe ut quorumdam tonsura transiret ad coronam, darentque Deo sponte, quod dudum inviti, & quasi ad ignominiam acceperant. Id intelligendum de Drogone & Hugone, quorum alteri Mettensem postea episcopatum, alteri *cœnobialia monasteria*, ut Theganus[a] loquitur, Ludovicus concessit. In eodem conventu imperator edito capitulari unicuique jus suum asseruit, curavitque Adalhardus, ut novitates vocum, teste Paschasio, & temerariæ juxta Apostolum præsumtiones, velut pestis, in omnibus reprimerentur. His recte factis clarius enituit vir sanctus, & factus est omnibus decuplo honoratior, ita ut in ore omnium esset Adalhardus. Hinc factum est, ut tamquam pater ab omnibus coleretur, inquit Paschasius; eratque ecclesiarum magistris humilitate filius, consilio & prudentia magister. Argumento est in primis consultatio & supplicatio Agobardi archiepiscopi Lugdunensis, *Patribus sanctis Adalhardo, Walæ, & Helisachari* porrecta, de baptismo Judaïcorum mancipiorum. Idem antistes in alio [b] libro maxime laudat Adalhardum ob res gestas in conventu Attiniacensi, in quo vir Dei, imperatoris pietate & ad omne rectum propensa voluntate perspecta, dicebat, se numquam sublimius vel gloriosius causam profectus publici moveri & cogitari vidisse a tempore Pippini usque ad diem illum: tantum ne respondentium & obedientium negligentia humiliaretur. Addiditque ipse cum ceteris primoribus, dixitque toti concilio: quidquid utile adinvenire potuissent ad cavenda peccata, ad erigendam illustrandamque religionem, ac fidem corroborandam, confidenter edicerent, certi se ad explenda omnia promtum & obtemperantem imperatorem habituros. Tum ait Agobardus, qui præsens aderat, se Adalhardo suggessisse pericula de rebus ecclesiasticis, quas homines laïci in usus proprios expendebant contra canones, spiritu Dei firmatos, consensu totius mundi, obedientia principum, consonantia scripturarum, qui absque periculo religionis violari non possent. Frustra obtendi a laïcis necessitates, quarum causa se impune putant res sacras in usus communes convertere: quæ necessitates, licet tunc hominibus futuræ & absentes essent, Deo tamen præsentes erant; quodque spiritu divino statuit ecclesia, id usque ad finem sæculi Deum voluisse custodiri. His dictis assensere reverentissimi viri Adalhardus & Helisachar abbates: utrum vero audita retulerint domino imperatori, se nescire ait Agobardus, qui id nondum emendatum esse dicit cum hæc scriberet.

a Thegan. lib. 1. c. 14.

Adalhardi auctoritas in illo conventu.

b Agobard. de dispens. rer. eccl. cap. 2 & seqq.

XVIII. Liber de ordine palatii ab eo scriptus.

Ex his nemo non videt, quanta in existimatione tum fuerit Adalhardus, quantave ejus esset in palatio auctoritas. Hac vero usus est, non ad proprium commodum, sed ad communem rei publicæ utilitatem. Hoc animo, quod ad monasterii sui ordinem componendum fecerat, idem etiam in palatio tentatum ab eo est, scripto libro de ordine palatii, cujus fragmenta Hincmarus Remorum antistes retulit in epistola ad episcopos Franciæ, quam pro recta novi ac juvenis principis institutione, maxime ex hoc libro composuit: qua in epistola sic de Adalhardo ejusque libro loquitur. *Adalhardum senem & sapientem, domni Caroli magni imperatoris propinquum, & monasterii Corbeiæ abbatem, inter primos consiliarios primum in adolescentia mea vidi: cujus librum de ordine palatii legi & scripsi.* Utinam integrum ad nos transmisisset.

XIX. Abbatum electio monachis restituta.

Ad hunc conventum Attiniacensem Cointius refert capitulare illud, in cujus articulo secundo, post restitutam ecclesiis episcoporum electionem, monasteriis etiam generatim libera facultas eligendi abbatis restituta est, superiorum temporum usu non parum interpolata. Hic articulus sic habet. *Monachorum siquidem causam qualiter, Deo opitulante, ex parte disposuerimus; & quomodo ex seipsis sibi eligendi abbates licentiam dederimus; & qualiter, Deo opitulante, quieti vivere, propositumque indefessi custodire valerent, ordinaverimus; in alia schedula diligenter adnotare fecimus; & , ut apud successores nostros ratum foret, & inviolabiliter conservaretur, confirmavimus.* Excidit hæc schedula, nec diu tenuit religiosi principis sanctio, quam ratam & invio-

ANN. CHR. 822.

labilem esse optabat. Jam sæculo septimo *innumerabilia monasteria per omne regnum Francorum sub libertatis privilegio* consistebant : at sæculo octavo per illas bellorum, cum externorum, tum domesticorum, procellas, plerisque omnibus hæc ademta facultas est. Privilegium id sit episcoporum ac principum, an juris naturalis ac divini prærogativa, ut suum quique in spirituali regimine caput eligant; hic disputare non est animus. Id vero exploratum esse debet apud omnes, eam semper fuisse optimorum cum principum, tum episcoporum persuasionem, longe satius esse & convenientius, ut electio à monachis pendeat : quod & canonum decreta, & Justiniani leges, non tantum regulæ omnibus & ubivis probatæ auctoritas, sanciunt.

XX. *Corbeiæ-novæ construendæ occasio.*

In eodem etiam conventu Adalhardo auctor fuisse videtur Ludovicus augustus, ut in Saxoniam iter susciperet ad novi monasterii fabricam accelerandam, quam ante annos septem inchoatam, Adalhardus junior imperfectam reliquerat : quod quemadmodum factum sit, ab origine repetere convenit. Primum ejus consilii auctorem fuisse Walam, auctor est Paschasius in ejus epitaphio, præferendus utique libello de constructione novæ Corbeiæ, qui hoc elogium Adalhardo tribuit. Walam in Saxonia natum fuisse & Saxonici generis, non uno in loco tradit Paschasius, nimirum ex materna linea : nam ex paterna Francum exstitisse constat. Mirum vero est Adalhardum Saxonico genere ortum numquam dici ab eodem auctore : quod innuit aliam Adalhardi, Walæ aliam matrem fuisse. Dum itaque Adalhardus senior in Hero insula exsul ageret, contigit Saxones haud paucos, Adalhardo juniore Corbeiam regente, conversionis[a] gratia istuc accedere, & de rebus suis tradere, quo novum illis in partibus cœnobium ædificaretur. Unde ut Wala erat *amore fervens circa Deum, circa religionem sanctam, circa propinquos sui generis & patriam*, crebris juniorem Adalhardum proabbatem precibus sollicitare & urgere cœpit, huic operi ut laborem impenderet, sumtusque præberet. Assensit ille, sicque cœptum est opus cum prospero successu : sed non omni ex parte perfectum & absolutum, ut ex præcitato libello intelligimus, in quo ita factum memoratur. Approbato novi condendi cœnobii consilio, Adalhardus junior imperatorem adiit, tum Patherbrunnæ morantem, ut id cum ejus fieret imperio & voluntate. Placuit piissimo principi hæc petitio, moxque Hathumarum seu Bathuradum loci episcopum accersiri jussit, ut construendo in sua parochia monasterio consensum præberet. Eo libenter assentiente, electus est locus Hethi seu Hetha dictus, moxque ibidem monasterium condi cœptum anno ejus sæculi, ut diximus, quinto-decimo. Ab eo die remisit imperator eidem abbati omne servitium, quod ex eo loco ad se pertinebat, ut liberius sanctum opus impleretur. Ita factum est, ut ab ea die & deinceps religio monachorum etiam in Saxonia succresceret; sed tamen non multum proficeret, propterea quod locus ita aridus erat, ut nec victum, nec vestimentum ibidem invenire possent monachi, sed omnia ex veteri Corbeia acciperent. Augebatur tamen in dies numerus monachorum ex nobilissimo Saxonum genere, ibique pueri bonæ indolis optime nutriebantur; & licet opibus essent pauperes, religione tamen sancta pollebant. Eo in statu res fuere per sex amplius annos, quo tempore Adalhardus senior in exsilio versabatur. Interim Adalbertus, qui novi cœnobii præpositus erat, cum rei familiaris urgeret necessitas, monachos in tres partes diversos cum singulis præpositis dividere cogitur : sed nec sic urgentissimæ necessitati satis consultum. Quare de mutando loco simul tractare cœperunt : quæ mutatio, revocato demum Adalhardo seniore, opere completa est.

Hethi primo cœnobium conditum.

XXI. *Corbeia-nova constituitur.*

Reversus ab exsilio Adalhardus, restitutusque in pristinos honores, cum jam dictos monachos in tanta esse penuria cognovisset, annonam quantocius, ceteraque necessaria eis suppeditari curavit. Dein ab imperatore facultatem obtinuit transferendi alium in locum monasterii, quem vitæ monasticæ aptiorem & commodiorem inveniret. Accepta facultate, immo jussione imperatoris, qui hoc ipsum maxime probavit; hujus rei causa in Saxoniam cum Wala fratre iter aggressus est optimus senex. Eo cum pervenissent, indicatus est eis à fratribus locus super Wisaram seu Visurgim fluvium, in pagi Auguensis villa regia, Huxeri * appellata, qui locus monachorum habitationi aptissimus visus est. Mox inito cum episcopis & comitibus, ac nobilissimis viris ejus gentis consilio, eumdem locum repurgare, & monasterium ibidem collocare constituerunt. Tempus eorum adventus in hunc locum diserte assignat prædictus libellus, aliaque domestica monumenta, nempe annum octingentesimum vicesimum-secundum dominicæ incarnationis, sub die VIII. idus Augusti. Ubi eo accessere,

a *Pasch. lib. 1. de Arsenio. c. 13.*

* *al.* Huxori.

ANN. CHR. 822.

loco ex omni parte circumspecto, monasterii sedem fixere, prostratique in orationem, psalmos & litanias decantavere: tum jacta linea infixi paxilli ad designandum locum templi & regularium ædificiorum. Invitatus dein Bathuradus episcopus, locum sacravit, vexillumque sanctæ crucis erexit in loco altaris, jussitque ut locus ex nomine matris Nova-Corbeia vocaretur. Id factum VIII. kalendas Septembris. Rebus jam utcumque dispositis, a priori sede recesserunt monachi VII. kalendas Septembris, veneruntque altera die ad locum destinatum: ubi prima missarum sollemnia cum gratiarum actione celebrarunt. Post hæc Adalhardus & Wala in Franciam reversi. Hæc ex prædicto libello: cui quædam addenda nobis suppeditat Paschasius, qui sanctorum fratrum eo in itinere comes fuerat.

XXII. Tempus expenditur.

Sed antequam hæc persequamur, observanda est difficultas quædam circa tempus, quo ambo fratres in locum Huxeri accessisse dicuntur, nempe VIII. idus Augusti anni præsentis. si enim Attiniacensis conventus mense Augusto ejusdem anni habitus est, ut tradunt annales Laureshamenses: quî fieri potuit, ut post hunc conventum Adalhardus ea die ad prædictum locum una cum fratre pervenerit? Subest & alia difficultas non minor ex iisdem annalibus & astronomo in vita Ludovici, qui soluto conventu Lotharium filium suum in Italiam misisse dicitur, & cum eo Walam seu Walachum affinem suum monachum, & Geruntium ostiarium, quorum consilio res Italici regni componeret Lotharius. Verum Paschasius, Saxonici itineris comes, auctor est omni exceptione major, Walam simul cum Adalhardo in Saxoniam profectum fuisse: *qui* [a] *cum lineas manu tenderent ad opus, & arundine metirent, ac disponerent utraque loca*, nempe virorum ac puellarum, *quibus in locis singula fierent*; juxta Ezechielem fundamenta & culmen in cælo locare videbantur.

a *Paschas. lib. 1. de Arsenio c. 15.*

Wala quando missus in Italiam.

Anticipato itaque ab astronomo & annalasta prædictis actum est de Walæ in Italiam missione, quæ non nisi post ejus ex Saxonia reditum fieri potuit. Eodem modo explicandi Eginhardi annales, in quibus idem legitur atque in Laureshamensibus, quorum auctor forte in assignando mense habiti conventus Attiniacensis lapsus est. Ad hanc missionem spectat locus ex prologo Amalarii in antiphonarium, ubi Wala libros antiphonarios secum in Franciam attulisse dicitur, quando hac *legatione in Italia* functus est. Ob hanc legationem *pædagogus* [b] *augusti cæsaris ultra Penninas alpes* vocatur a Paschasio, eo missus a Ludovico *cum augusto filio ejus ob institutionem & dispositionem regni*, utpote *fidissimus & propinquus*. In ea legatione insigne præ ceteris justitiæ specimen ab illo editum memorat Paschasius. Vidua nobilis cuidam judici præpotenti, tamquam defensori, se suaque commiserat, pæne dimidium rerum suarum testamento ei assignans, ut cetera sibi tuta manerent. Ille vero subornatis testibus totum usurpavit. Tum illa infelix vidua, suis viduata rebus, cum nullum apud Italos, ne quidem apud episcopum, cui ab imperatore Lothario causa ipsius commissa fuerat, patrocinium invenisset, transcensis alpibus Ludovici pietatem imploravit. Causæ cognitione ad se remissa, Wala eam redire in Italiam jubet, brevi illuc eam subsecuturus, causamque discussurus. Ad ejus adventum contremuit Italia omnis, in primis iniquus judex, cui una spes in falsis testibus ac patronis supererat. Additum sceleri scelus, illata nece viduæ per immissos tres e suis satellites, qui eam occulte peremerunt. Sed quia tres in illo diro negotio erant, videbatur non satis tutum ad silentium. Sepositis itaque longe ab invicem, uni eorum duos alios interficiendos mandavit. Producta ad Walam causa, nullus testis inventus, qui perversum judicem convinceret. Anxio Wala & zelo succenso, unus tandem ex illis cæsis repertus, in cujusdam subterraneo specu defossus. Tenetur reus specus dominus: criminatur alter, cujus instinctu scelus patratum esse vehemens suspicio erat. Sic occlusis ad eliciendam veritatem viis omnibus, cum reum populares fere omnes ut innocentem absolverent, ad solita refugit arma Wala noster, sibi suisque jejunium indicit; & cum illis in oratione pervigilem noctem traducit. Prima luce productus ad judicium reus, urgente conscientia, mox corruit ad pedes Walæ tremens ac gemens, coactus confiteri, quod hactenus occultum tenuerat; cœpitque omnes denotare, quorum præsidio fuerat usus, isthæc ut auderet, nihil sibi ex omnibus viduæ bonis superesse asserens, quippe quæ ad corrumpendos judices, qui præsentes aderant, universa expendisset. Ita omnes divino convicti judicio, pudore confusi discessere: reus clementer redditus est pænitentiæ. sic ferebant illorum temporum mores.

b *Ibid. cap. 25. & 26.*

ANN. CHR. 822. XXIII.

Corbeiæ-novæ situs & dotes.

Sed longius digredimur a nova Corbeia, cujus constructionis quasdam insignes circumstantias ex Paschasio hic supplendas recepimus. Locus, in quo positum erat monasterium, totusque ager circumpositus, fertilissimus & amœnissimus, ad quemdam Saxonem pertinebat, cui sic arridebat, ut nulli mortalium, præterquam uni Walæ, sibi dudum amicitia conjuncto, ne quidem regi, sponte cessurus fuisset. Theodradum vocat in libro de vita sancti Adalhardi Gerardus, qui eum Corbeiæ in Gallia monachum factum esse dicit. Walæ itaque hortatu hic libenter tradidit Deo, quidquid in terra carius possidebat. Hunc vero locum ita describit Paschasius in actis sancti Adalhardi. Est autem locus *pergentibus ad ortum solis de Fontepatris*, id est Patherbrunna, *situs supra littus Wisera, in modum Δ litteræ vallis planitie collocatus; habens ad ortum solis præfatum alveum, & montem porrectum in facie juxta fluvium. Porro a meridie mons altus egrediens, e fluvii sinu tendit ad occasum: a septemtrione vero alter e regione pars situ pergit, quousque se invicem, viam per medium dantes, copulentur: atque ita in medio fit vallis, figuram Δ hoc modo, quantum recordor, exprimens.* Ita Paschasius oculatus testis. Novo monasterio attributa post biennium prædicta villa Huxeri a Ludovico augusto, cujus hac de re diploma [a] extat, in quo pius Imperator ait, se ad idem cœnobium dedicandum ex capella palatii sui misisse venerabiles sancti Stephani protomartyris reliquias. Idem litteras tuitionis Corbeiæ-novæ tunc concessit.

a *Annal. Paderborn. p. 74.*

Prima condendi in tam longinqua [b] regione monasterii ratio hæc fuit, quod, cum nova lux Christi in eadem gente nuper refulsisset per evangelii prædicationem, visum est Adalhardo & Walæ, ut cælestia illis in partibus ædificia constabilirent ad tutandam perennandamque religionem; atque adeo ut non modo virorum, sed etiam puellarum ibidem spiritalem arcem construerent. In his vero construendis
» propugnaculis tria [c] in primis suos monebant: nempe ut ne rebus multum ditescere
» gauderent, neu divitias sæculi appeterent, eis cor apponendo, sed omnino delicias
» & voluptates, tamquam venena, fugerent: denique ne honoribus ac fastu delecta-
» rentur ac superbirent. quæ res multis in Gallia ecclesiis, bene olim fundatis, per-
» niciem attulisset. Studerent proinde esse pauperes spiritu, humiles, mansueti, mi-
» sericordes, justitiam præ divitiis esurientes: ut illis omnes bene vellent propter
» eorum cordis munditiam, bene optarent; nec propter invidentiam rerum ac ter-
» renam felicitatem, eos sæculi servitute opprimerent. Atque ut idem ipsi in veteri
Corbeia exemplum darent, res sibi donatas in usus fratrum novæ Corbeiæ transtu-
» lerunt. Hinc ortæ illorum querelæ, quod bona monasterii sui diriperent piissimi fra-
» tres, ut aliena loca ditarent. Insignis est hanc in rem senis Adalhardi [d] admonitio ad
» suos Corbeienses, eis per omnia commendantis, ut in nullo terrenorum cupidi essent,
» neque quidquam vellent accipere, unde alii gravarentur: & si heredes essent do-
» natoris, caverent ne forte ipsi, quorum erat hereditas, postmodum inopes fierent.
» Hæc erat ejus sollicita & pia consideratio in omnibus, quibus præerat, locis, ut
» neque inhonestum quidquam acciperet; neque aliquis, quasi causa misericordiæ,
» postmodum pænitudine premeretur. quippe aiebat, multos non solum rectores ec-
» clesiarum, sed etiam eos, qui sæculo renuntiasse videntur, ob id deceptos fuisse,
» quod rebus nimiis abundarent; adeoque sæculo ac rei publicæ denuo servire coge-
» rentur, qui mortui mundo esse debuerant. Et ideo nos infelices, qui liberi in Chri-
« sto esse debuimus, turpissimæ servituti addicti sumus vel inviti. Quapropter filioli,
» inquiebat, estote contenti paupertate Christi, sine qua nemo est dives.

b *Paschas. ibid. c. 15.*

c *ibid. c. 18.*

Præclara monachis monita.

d *Vita num. 68.*

Neque tacendum quod in Saxonico illo itinere Walæ contigisse narrat Paschasius, quod ipsis ejus auctoris verbis [e] huc referre juvat. *Eo in tempore*, inquit, *in itinere positus, nullum in noctibus apparatum sibi sinebat fieri, sicut solent viantes facere, quo tegeremur imbribus: neque tentorium aliquod sibi permittebat erigere die & nocte. Sed fusi super terram quiescebamus, & juxta illud quod quidam canit, salubres nobis herba dabat somnos. nisi quod beatus pater sibi ac mihi providebat egregie satis profundos atque amplissimos, ut adsolent fieri illa in terra, agri sulcos, ubi jubebat mihi nostrum sternere lectum, quorum latera hinc inde pulcris nos ambiendo fovebant fulcris, cum equi sella in medio posita, quæ unam mihi alpem ad caput præbebat, alteram illi: nec aliud quid habentes in eo, nisi quod in die supra, & (nocte) deorsum habuimus. Hæc tota mollities lecti erat, & ambitio satis honesta.* Jam vero quanto honore Wala præ Adalhardo fratre, quantove ambitu a popularibus suis acceptus sit, tradit idem

e *Paschas. de Arsenio lib. 1. c. 16.*

ANN. CHR. 822.

auctor. Omnes quippe in Walam oculos intendere, eumque præ nimio amore admirabundi circumvallare; abducere seorsim ab Adalhardo, quem sui fulciebant. Tum Adalhardus gavisus tum pro sui neglectu, tum pro fratris susceptione, conversus ad Paschasium: *Bene possumus nos, frater*, ait, *hinc abire, quia nemo nos hic curat, neque aliquid esse attendit.* sicque, acceptis tantum duobus sociis, ad præsignatum locum regressus est. Vereor ne nimius sim in his referendis: sed tantorum virorum amor me rapit, quorum in monasterio primos studiorum meorum conatus, post longas infirmitatis inducias, olim resumsi.

XXIV. Herifordense monasterium virginum.

Dimidium tantum facti implesse sibi visi fuissent illustres germani, nisi præter virorum monasterium, etiam sacris virginibus, ut sic utrique sexui consultum esset, alterum erexissent. Locus primitus dictus *Herford*, situs in comitatu Ravensbergico, nunc sub ditione electoris Brandeburgici, opido cognomini nobilitatus: postea sanctæ Pusinnæ vocabulum accepit, post translatas e Gallia in illum parthenona sanctæ Pusinnæ virginis reliquias. Ut nova Corbeia ad exemplum antiquæ Corbeiæ: sic Herifordense monasterium institutum est *ad exemplum monasterii sanctimonialium in Suessionis civitate exsistentium*, ut legimus in diplomate Ludovici Germaniæ regis: cui monasterio Theodrada, Adalhardi & Walæ germana soror, tunc præerat. Prima Herifordensis antistita videtur fuisse Tetta, laudata in diplomate [a] Ludovici augusti anno ejus sæculi duodequadragesimo, e Suessionico parthenone, ut veri simillimum est, educta: cui successit Addila, de qua inferius agemus. Utrumque hoc monasterium caput & parens fuit aliorum in illis partibus monasteriorum, quæ ex duplici illo fonte pietatem ac religionem acceperunt, & in alias etiam terras derivarunt. Perstat etiam nunc utrumque, Corbeia quidem nova sub catholica religione & ordine sancti Benedicti; Herifordenses vero monachæ, sensim ad canonicalem statum degeneres, postmodum turpi defectione ad Lutheranismum prolapsæ sunt.

a *Annal. Paderborn. p. 115.*

XXV. Visbechi abbatia, aliæque.

Condita est eodem tempore, sed incerto auctore, abbatia Visbechi in pago Leriga, cujus loci abbas, Castus nomine, regiæ tuitionis præceptum obtinuit a Ludovico augusto: cujus in litteris *vir venerabilis Castus abba ecclesiæ, quæ vocatur Fisebechi, cum subjectis ecclesiis in eodem pago Leriga; & cum decima de silva Ammeri & Ponteburg, & ceteris ecclesiis in Hesiga & Fenkiga, excepta una ecclesia in Saxlinga, quam concessimus*, inquit Ludovicus, *ad parochiam sancti Pauli reverti ad locum, qui vocatur Mimigernaford, ubi Gerfridus episcopus præesse videtur*, ad imperialem celsitudinem accessisse dicitur, ut ipsum sanctum locum sub sua defensione & emunitatis tuitione reciperet: cujus petitioni libenter assensit imperator. Actum Aquisgrani v. nonas Septembris, anno imperii Ludoviciani octavo, indictione XIV. ut recte in annalibus Paderbornensibus [b]. Hæc abbatia seu abbatiola, ut passim vocatur, adjuncta fuit Corbeiæ-novæ monasterio, diœcesis olim Osnabrugensis, nunc Monasteriensis, sita in præfectura Vechtensi, modo redacta in parœcialem ecclesiam, cujus collatio spectat ad abbatem principem Corbeiensem, Visbeke hactenus appellata. Castus abbas, cui hoc diploma inscriptum est, is videtur esse, cujus fit mentio in actis [c] sancti Liudgeri episcopi, Gerbertus alio nomine vocatus, sociusque Liudgeri in peregrinatione Romana.

b *Annal. Paderborn. p. 68.*

c *Sæc. 4. act. to 1 p. 25.*

Ad hæc, duo virginum monasteria eodem fere tempore in illis partibus condita sunt, si Hermanno Stangefolo in annalibus circuli Wesphaliei credimus: nempe Lisbomense ad Lippiam fluvium, cujus loci prima abbatissa, nomine Roschwindis, Pippini regis filia Caroli Magni soror perperam dicitur: alterum Herdekense in comitatu Marchensi ad Ruram, modo collegium nobilium virginum in Herdike conditum, cujus conditrix Friderina de stirpe Caroli Magni, nullo allato testimonio, fuisse asseritur. His accedit Wildeshusium * monasterium virorum in diœcesi Bremensi, conditum a Wigberto Witichindi filio, qui ibidem sepultus est.

* *Wildershausen.*

XXVI. Eigil abbas Fuldensis obit.

Fuldæ excessit e vivis hoc anno piissimus Eigil abbas, cum regiminis annos quinque vix explevisset, & ædificium claustri jam multum promovisset. Tum vero venerabilis pater morbo correptus, mortemque imminentem præsagiens, in cœmeterium ab se conditum se deferri orationis causa rogavit. Eo delatus, arrepto sarculo, sepulturæ suæ locum designavit in orientali parte cœmeterii, & pro modulo languentium virium primus humum tantisper effodit; ibidemque sarcophagum in locum monumenti aptavit. Inde in domum reductus, lecto decubuit desperatus. Vo-

ANN. CHR. 822.

cati fratres exitum ejus precibus Deo commendant. Admonitus a fratribus, ut, si qua occulta residerent animo, continuo *confessione & digna pænitentia* expurgaret; tum ut, si quem læsisset, veniam peteret; si ipse læsus a quoquam fuisset, noxam remitteret: admonitionem gratanter accepit, moxque veniam petiit, deditque vicissim ex animo. Demum, ubi fratribus se denuo commendasset, animam exhalavit, lugentibus monachis optimi patris jacturam, quibus compertum erat, qualem habuissent patrem, at nescientibus qualem accepturi essent: quæ res, ob superiorum temporum procellas, eos maxime anxios ac sollicitos tenebat. Annus ejus obitus diserte assignatur in domesticis monumentis; at incertus dies, quem nec Candidus monachus, qui prosa & metro ejus acta digessit, nec quivis alius expressit. Exstat in libro secundo traditionum Fuldensium donatio [a] quædam, Eigili facta VI. *nonas Augusti, anno nono regnante Ludovico imperatore*: ibidemque alia invenitur facta HRabano abbati [b] ejus successori, *anno dominicæ incarnationis octingentesimo vicesimo-secundo, indictione quinta-decima, regni HLudovici anno nono, mense Octobri, die quinto kalendas Novembris.* Ex quo intelligitur, Eigilis supremum diem incidisse in illud tempus intermedium, quod a sexto nonas Augusti ad quintum kalendas Novembris effluxit. Ejus corpus humatum est in sepulchro, quod ipse sibi paraverat, cum his versibus, quos etiam ipse sibi dictaverat.

a Tradit. Fuld. p. 527. & 528.
b Ibid. p. 532. & seq.

Abbas hic Eigil tumulatus forte quiesco,
Qui dudum multis notus in orbe fui.
Hicque mea parvo clauduntur membra sepulcro,
Quod vivens ipse construere studui.
Hic Dominum exspecto, qui solvet vincula leti:
Cum veniet, credo, surgere me faciet.

Aliud epitaphium eidem composuit discipulus ac successor Rabanus, quod cuivis obvium huc referre tanti non est. Libros de Eigilis vita duos, nempe prosa oratione & metro, scripsit Candidus monachus Fuldensis, patrio nomine Bruun dictus, eosque *dilectissimo fratri & compresbytero suo Modesto* nuncupavit, alio nomine Reccheo dicto, & quidem juniori, ad discrimen alterius cognominis senioris. Hi sunt Modestus & Candidus, qui ad Clementem Scottum cum aliis, grammaticæ studendi gratia, in Galliam a Ratgario abbate missi memorantur. Nondum publicus cultus Eigili abbati piissimo ab ecclesia concessus.

XXVII. Rabanus succedit.

Ei successit, ut jam diximus, Rabanus celebris magister, qui nomen suum cum adspiratione HRabanus amat scribere. Præclaras res ab hoc abbate gestas explicare omnes difficile est. Ab eo siquidem sarta tecta viguit Fuldæ monastica disciplina, auctaque magnopere loci existimatio & fama, uti & monachorum religio; rei item familiari non exigua facta accessio; litterarum studia mirifice, ut in illa ætate, exculta; regum ac principum, quibus semper acceptissimus fuit, conciliata benevolentia; &, quod primum commemorandum erat, basilicis, sacris aris ac reliquiis additus & amplificatus cultus atque honos. Audiendus hoc loco Trithemius. *Sub ejus regimine monasterium Fuldense rebus atque personis crevit quotidie, & fama sanctitatis monachorum ejus per totum se regnum Francorum diffudit. Præcipue tamen abbatis HRabani opinio doctrinæ & sanctimoniæ in ore fuit omnium celebris & gloriosa, non solum apud Germanos, sed etiam apud Gallicanos quoque & Italos: cujus viri fama reges & principes, episcopos & doctores quoslibet, etiam longius distantes, in ejus venerationem permovit. Ex omni regno Francorum, quod tunc erat unum Germanis & Gallis, ad audiendum illum certatim confluebant viri multarum facultatum periti, & se fore beatos existimabant, qui ad ejus fuissent familiaritatem admissi. Multi quoque principes, nobiles & cives, HRabani magisterio filios suos commiserunt imbuendos, variis atque magnificis præceptorem donis & muneribus honorantes: quos ille tanta sedulitate docuit, qua major excogitari vix potuisset.* Docendi tamen provinciam tantisper remisit abbas, idque muneris aliis sub se præceptoribus commisit. Monachos centum quinquaginta Fuldæ ipso abbate fuisse Meginfridus apud Trithemium auctor est. Ab initio statim regimine libros octo in Matthæum Heistulfo archiepiscopo suo nuncupavit, præfatus se hos ex scriptis patrum in eorum commodum contexuisse, qui librorum copiam non habent, aut quibus profundos patrum sensus in pluribus, præ intelligentiæ

Libros in Matthæum Heistulfo dicat.

ANN. CHR. 822.

gentiæ inopia, ſcrutari non licet. *Horum ergo lectioni*, inquit, *intentas, quantam mihi præ innumeris monaſticæ ſervitutis retinaculis licuit, & pro nutrimento parvulorum, quod non parvam nobis ingerit moleſtiam, & le ionis facit injuriam; ipſe mihi dictator ſimul & notarius & librarius exſiſtens, in ſchedulis ea mandare curavi, quæ ab eis expoſita ſunt, vel ipſis eorum ſyllabis, vel certe meis breviandi cauſa ſermonibus.* Hæc Rabanus, qui notarii laborem ipſe abbas non ſubterfugiebat.

Paullo ante Eigilem Arno ſeu Aquila Saltzburgenſis antiſtes e vita migravit nono kalendas Februarii: ſepultus eſt in crypta, quam ipſe ſibi, haud dubie in baſilica ſancti Petri, vivens paraverat, ut verſus teſtantur ſequentis epitaphii, quod ex codice [a] Ratiſponenſi olim edidimus. XXVIII. Arnoni archiepiſcopo ſuffectus Adalramnus. [a] Analect. to. 4. p. 328.

Quiſque velis cryptam ſubſiſtens noſſe viator,
Scito quod ipſe mihi vivus hanc Arno peregi,
Qui fueram rector præſentis regmine ſedis,
Ac opibus multis multoque potitus honore.
Nunc hic, omiſſis cunctis, mea membra quieſcunt.

Cetera omitto, quibus preces a lectoribus poſtulat. Arnoni ſucceſſorem vulgati indices tribuunt in ſeſquiannum Amilonem ſeu Ammilonium ex abbate ſancti Petri; cui Adalramnum ſubſtituunt. At veterrimus poëta [b] illius temporis, qui primorum Bajoariæ epiſcoporum ſyllabos concinnavit; expuncto Amilone, Arnoni proxime ſubjungit Adalramnum. nam laudato Arnone, cui erectam tribuit metropolim, de ſucceſſore mox ſubdit: [b] ibid. p. 325.

Huic ſucceſſit Adalramnus antiſtis amatus,
Quem papa Eugenius compſit amore pio.

Quid muneris ante pontificatum geſſerit Adalramnus, non proditur in duplici [c] ejus epitaphio, in cujus poſteriori Saltzburgenſem eccleſiam *per tria luſtra* rexiſſe dicitur. [c] ibid. p. 328 & 329.

Sub idem etiam tempus Hericus abbas Centulenſis in Pontivo morte ſua locum reſignavit Helſachari abbati ex ordine canonicorum, ſed religioſiſſimo, cujus inſtitutione limina monaſterii feminis interdicta fuiſſe teſtatur anonymus in libro primo de miraculis ſancti Richarii, ejus loci primi abbatis. Narrat ille auctor, cuidam patrifamilias in regione Burgundionum unicam ſuperfuiſſe filiam paralyticam, quæ nulla medicorum arte, ſanctorumve invocatione ſanari potuerat. Admonitus in ſomnis pater, ut in Franciæ plagas boreales veniret ad ſancti Richarii monaſterium, quod *ſpatio quindecim leucarum* a portu *Quentowic* aberat; pararetque tres cereos pro unoquoque totidem ejus loci eccleſiarum altari: mox, filia lecticæ impoſita, iter accelerat, eoque pervenit biduo ante feſtivitatem ſancti Richarii, quæ VII. idus Octobris colitur, cum ſcilicet ex Foreſti-cella, ubi primum ſepultus fuerat, Centulam ejus corpus relatum eſt. *Et quia mos in illo tempore*, inquit anonymus, *inſtituente præclaro abbate Elizachar, de rat limina monaſterii feminis tetigiſſe, a meridiei climate binæ extendit teatoria.* In pervigilio feſtivitatis ſingulos cereos ſingulis altaribus imponit: quædam munuſcula beato Richario fratribuſque offert, qui viciſſim poſt feſtivæ diei miſſarum ſollemnia *ex vinatico ſancti Richarii*, & ex ſuis apothecis vinum ei mittunt. Puella potum ex illo *vinatico*, haud dubie benedicto, ſibi dari poſcit, manum præter ſolitum prætendit, hauſtoque poculo integram ſanitatem conſecuta eſt. Quæ quidem minutiora referre viſum eſt ad mores illorum temporum pernoſcendos. XXIX. Herico abbati Centulenſi Helſachar.

Adalberto abbati Ferrarienſi ſuffectus eſt anno ſuperiori Aldricus ejus loci monachus & preſbyter, quem Ludovicus auguſtus *præceptorem palatinam* inſtituiſſe dicitur, id eſt ſcholis palatinis præfeciſſe, Adalberto poſt quartum regiminis ſui annum mortuo, Aldricus unanimi fratrum conſenſu electus, hoc anno ad confirmandam in Elnonenſi cœnobio regularem diſciplinam a Ludovico imperatore miſſus eſt. Teſtes hujus rei litteræ Ludovici auguſti, in quibus ejus ſerenitatem adiiſſe dicitur vir « venerabilis Adaleodus abbas monaſterii ſancti Amandi, una cum Aldrico miſſo ip- « ſius imperatoris, quem is ad prædictum cœnobium ſe miſiſſe ait *ad ordinem regulæ ſancti* « XXX. Aldricus Adalberti abbatis Ferrarienſis ſucceſſor.

AN. CHR. 803. „ *Benedicti confirmandum*; ac supplicasse, ut ejusdem cœnobii congregationi quasdam „ res deputaret & confirmaret ad usus ac necessitates fratrum, nempe ad victum, vestimenta, & calceamenta, ceterosque usus necessarios. Hujus rei causa Ludovicus „ quædam assignat prædia in pagis Bracbatensi, Menpisco, seu Tornacensi, & in „ Flandris; sed & in pago Laudunensi Barisiacum cum omnibus appendicibus suis: „ quæ omnia, excluso abbate, monachis speciatim attribuit: eum ad modum, quo „ Benedictus Anianæ abbas portionem redditαum monachis sanctæ Columbæ superius „ assignavit. Ad hæc imperator ex omni supellectile ejusdem ecclesiæ seu monasterii, „ per omnes ejus villas & possessiones ipsius cœnobii rectoris, qui portionem separatam habebat, Elnonensibus monachis tribuit partem de annona, legumine, fœno, „ formatico, porcis, poledris, camsilis, pastis, vino & ovis, veluti quemdam censum annuum ab ipsis percipiendum. Data III. kalendas Julii, anno imperii nono, indictione XV. Actum Stratella-villa.

XXXI. Tructesindus post Georgium abbas Anianæ electus. Benedicto abbati Indensi, quem anno superiori mortuum diximus, non diu superstes fuit Georgius Anianensis abbas, cui ille in extremis epistolam scripsit. Id discimus ex diplomate Ludovici augusti, concesso ad preces Tructesindi abbatis Anianensis, Georgii successoris, hoc anno, & quidem XIX. kalendas Septembris, ut mox videbimus. Tructesindi electioni interfuere Nibridius archiepiscopus Narbonensis, cui suos Anianenses Benedictus moriens commendaverat, & Agobardus Lugdunensis, qui rem, uti gesta fuerat, Ludovico retulit. Electum mox confirmavit imperator, scriptis ad Anianenses & Gellonenses litteris, quæ optimi principis reverentiam in Benedictum recens defunctum, studiumque in ejus discipulos ac religionem mirum in modum produnt; dignæ certe, quæ hoc loco integræ ex nostro Acherio referantur.

Ludovici pii hac de re epistola. *In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator augustus. venerabilibus fratribus in Aniano sive Gellone monasterio constitutis. Proxime accidit Agobardum archiepiscopum ad nostram devenisse præsentiam, indicans nobis, quomodo eo præsente & Nibridio archiepiscopo, sine mora omnes pari consensu Tructesindum super vos elegissetis abbatem: cui facto, quia rationabile nobis videbatur, adsensum præbere non distulimus, desiderantes ac optantes, ut pietas divina id ad suam & ad vestram communem salutem proficere faciat; & ille patris ac pastoris inter vos locum obtineat; & vos ut Christi oves pari humilitate ac devotione, sicuti dignum & rectum est, subditi, & obedientes ei sitis. Et hac obedientia vel humilitatis subjectio caritatis munimine est roboranda. Quod sine simulatione falsæ extrinsecus ostentationis in vobis fieri necesse est. Vos enim optime nostis, cum quanto studio ac sudore a beatæ memoriæ domno Benedicto, patre vestro, locus iste primo inchoatus ac constructus est. Deinde qua diligentia ille nitebatur, ut vos, quos divina superni Pastoris gratia per sua devotionis instantiam inibi condunaverat, secundum monasticæ vitæ regulam recte conversaremini. Quod & Deo largiente, juxta id quod desideravit, ad effectum perduxit. Sed & de sacro-sancto eodem examine per imperium a Deo nobis commissum longe lateque piæ conversationis normam coadunavit e vobis, & disseminare non destitit. Et cum profecto ita se res habeat, dignum vos admonere statuimus, ut Deo cooperante id efficere studeatis, ne in diebus vestris res tam egregie inchoata, & ad incrementum perducta, quolibet casu quicquam detrimenti sumat: sed tales semper per Dei misericordiam esse studeatis, ut de vobis possint, sicut prius, magistri & doctores sanctæ non solum regularis vitæ, verum omnis spiritalis normæ & præcipui apicis adsumi, ubicumque necessitas vel voluntas fuerit. Porro Tructesindum abbatem vestrum ammonitum esse volumus, ut circa vos paternum exerceat amorem, & consideret secundum ætatem, vel valetudinem corporis, vel infirmitatis molestiam, quid cui conveniat ex subjectis sibi; & caveat omnimodis, ne in negligentes adeo fervida zeli castigatio modum excedat, ut eos pusillanimes reddat; nec apud observantes mandata Dei talis sit, ut torpore & desidia in iis rigorem constitutiæ frangat: sed maxima discretione, juxta Apostolum, sit omnibus omnia factus, ut omnes ad se pertinentes salvare possit. Quod si forte evenerit, quod nos non optamus, ut ille extra regulam, vobis a memorato Benedicto optime traditam, in aliquo deviaverit; & magis voluerit quæ agenda sunt, proprio arbitrio & voluntate, quam vestro communi consilio agere; vos eum, ut carissimi fratres & filii, cum omni mansuetudine & patientia corrigite; & si vobis adsensum præbuerit, & per vos correctus fuerit, hoc Dei dono tribuatis. Si vero ille pertinacior in sua, quod absit, permanere voluerit sententia; tunc nobis id significari prius faciatis, quam foris vi-*

* f vestri.

*cinis nostris * notum fiat: quia cum in aliis exercemus potestatem, in vobis tamen paternum semper volumus obtinere affectum. Et quamvis hæc licentia a nobis sit vobis concessa; tamen summopere cavendum est, ne de qualibet re adversus abbatem vestrum levi ira, aut prava inflammati perturbatione, frustra pertinaci audacia adversus eum commoveamini. Nam si aliquis vestrum sine ratione adversus eum inflammabitur, & nostras aures sine causa pulsaverit; nos adversus se noverit districta animadversione commotum, ut ille, qui ejusmodi est, ceteris fiat documentum, ne in posterum aliquis audeat adversus magistrum suum injuste consurgere. Vos quoque, seniores, in omnibus adjuvate eum tam in districtione juniorum fratrum, quam & in reliqua utilitate monasterii; nec illum solum sub tanti ponderis onere gravari patiamini; sed, juxta Apostolum, invicem onera portate; & sic adimplebitis legem Christi. Vos autem, juniores fratres, statuimus ammonere, ut in omnibus abbati vestro & senioribus fratribus obedientes sitis & humiles, non protervi, non murmuratores: sed cum omni humilitate ac mansuetudine servate propositum vestrum. Nam si secus egeritis, ut aliquis vestrum adversus abbatem & fratres insletur, & non sui abbatis & fratrum sustinuerit correctionem; hunc nobis cum festinatione mitti præcipimus, ut eum in talem dirigamus locum, unde ille vobis minime possit quicquam inferre scandali. Hæc vobis ideo scribere jussimus, ut cognoscere possitis, quantam curam ac sollicitudinem de vobis habere desideramus. Eamdem cum familiaritatem, quam cum pia recordationis Benedicto abbate vestro habere visi sumus; si præcepta ejus obedienter custodire volueritis, vobiscum similiter habere volumus, & curam vestri ipsius monasterii semper agere. Et quia constat per chartam donationis prædicti patris vestri, idem monasterium genitoris nostri prius & deinde nostrum esse alodem; eamdem licentiam, quam ipse prius, & nos deinceps per præcepta immunitatis visi sumus concedere, perpetuis temporibus firmiter observare, & inviolabiliter conservare promittimus: ut, quandocumque divina vocatione prædictus abbas, vel successores ejus de hac luce migraverint, quamdiu inter vos tales invenire potueritis, qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, per sæpe scriptam & roborandam nostram auctoritatem licentiam habeat semper eligendi abbatem. Optamus vos pro nobis orantes, ac sanctum propositum vestrum custodientes in Christo semper bene valere. Amen.*

XXXII. Arnaldi comitis donatio.

Quod hæc epistola scripta est ad Anianenses & Gellonenses, id arguit etiam Gellonenses suffragia sua contulisse in electionem abbatis Anianensis, cui Gellonense monasterium, ejusque abbas subjacebant. An ad hunc annum pervenerit Juliofredus abbas Gellonensis, an ei jam tum successerat [a] Hucerandus abbas, hæret in dubio animus. Ceterum Tructesindi electionem hoc anno ante mensem Septembrem factam fuisse, comperimus ex Ludovici imperatoris diplomate, quo donationem villæ de Cinciano, Anianensi monasterio ab Arnaldo comite factam, confirmat rogatu Tructesindi venerabilis abbatis ex monasterio, quod dicitur Aniana, XIX. kalendas Septembris, anno nono imperii domni HLudovici piissimi augusti, actum Carbonaco-villa, palatio regio. Quod diploma Hirminmaris diaconus *ad vicem Fridugisi abbatis* recognovit. In aliis etiam diplomatibus inferius memorandis idem Fridugisus abbas appellatur. Ejus generis est ejusdem imperatoris & anni præceptum, relatum in libro sexto [b] de re diplomatica, ad confirmandam quamdam commutationem, factam inter Hilduinum abbatem Dionysianum & Hildulfum de quibusdam bonis, sitis in pago Scarponensi. quod præceptum itidem *Hirmiumaris ad vicem Fridugisi abbatis* recognovit & subscripsit. Ex his aliisque colligimus, Fridugisum Ludovici cancellarium haud alium esse a Fridugiso abbate Martiniano & Sithiensi; eodemque tempore cum Helisachare itidem abbate cancellarium fuisse. Prædicta villa de Cinciano sita erat in pago Biterrensi, eamque Arnaldus comes domno Benedicto sub vadimonio tradiderat: sed, eo mortuo, scilicet Arnaldo, missi dominici easdem res ad partes fisci revocaverant; quas deinde Benedicto Ludovicus restituerat, idque his litteris ratum habet, in appendice referendis.

a V. lib. 28. n. 6.

b Diplom. p. 113. & seq.

XXXIII. S. Basoli abbates.

Hic subit recordatio alterius Benedicti abbatis sancti Basoli prope Remos, religiosi viri, qui tempore Ebonis archiepiscopi rector constitutus, magna cum modestia familiam sancti Basoli tractasse [c] dicitur, & in simplicitate Domino serviens, variis ecclesiam ornasse donariis, & post non modicum vitæ spatium ad Dominum transiisse. Huic successit germanus frater, moribus longe dissimilis, nomine Spernus, cupiditatis facibus ardens, qui aliquando temulentus, spreto fratre, quod ex rebus abbatiæ nihil boni sibi vindicasset, villarum procuratoribus mandavit sibi ruricolas

c Frodoard. lib. 2. c. 3.

ANN. CHR. 822.

in crastinum exhiberi, ut ab eis facultates ipsorum intentatis suppliciis extorqueret. Quo illi audito, noctem in precibus pervigilem ducunt, sancti Basoli opem implorantes. Nec inanes preces: nam sequenti die Spernus in lecto mortuus repertus est.

XXXIV. Capitulare pro parthenone sanctæ Crucis apud Pictavos.

Sub hoc tempus capitulare de puellari monasterio sanctæ Crucis, apud Pictavos sito, Ludovicus imperator fieri præcepit, atque ut idem ab omnibus observaretur, glorioso filio suo Pippino commisit.

Primum capitulum est, *ut a nemine prædictæ sanctimoniales opprimantur injuste, vel condemnentur, ab ipso domno Pippino rege provideatur.*

Secundum, *ut a nemine temporale servitium exterius ullo modo quæratur, nisi quantum ab eis quæsivi, postquam eas sub regulari norma vivere constitui.* Quod intelligendum de restituta eo in loco per Ludovicum regulari disciplina & accurata regulæ S. Benedicti observatione, quæ inibi temporum lapsu defecerat. Etsi enim beata Radegundis ejus loci virginibus regulam sancti Cæsarii præscripserat; processu tamen temporis ibidem regula sancti Benedicti recepta est. Exstat apud Frodoardum [a] Hincmari fragmentum epistolæ, *Rotrudi Deo sacratæ & ceteris sororibus monasterii sanctæ Crucis & sanctæ Radegundis pro electione abbatissæ ipsius monasterii* scriptæ, in qua eas ad concordiam & caritatem adductis Benedictinæ regulæ verbis hortatur.

[a] idem lib. 3. c. 26.

Tertium capitulum est, *ut res monasterii, quas modo habent, non prius ab ullo auferantur, quam ut ante domnum Pippinum, aut ante comitem palatii illius præfata ratio reddatur.*

Quartum, *ut temporale servitium in opere femineo ab eis ad partem dominicam nullatenus quæratur: quia, si hoc fieri cœperit, omnino ordo regularis stare non poterit.* In constitutione Ludovici augusti superius edita monasterium sanctæ Crucis puellarum recensetur inter illa Aquitaniæ monasteria, quæ solas orationes debebant.

Quintum, *ut de ceteris quæstionibus, quæ aut alii ab ipsis, aut ipsæ quærunt ab aliis, secundum consuetudinem ante comitem vel vicarios ejus justitiam reddant, & accipiant, tantum ut juste fiant.*

Sextum, *ut omnino caveatur, ne ultra centenarium numerum congregatio illa per cujuscumque petitionem multiplicetur.* Hoc statutum est contra homines præpotentes, qui puellas in hunc locum, ubi gratuito admittebantur, vi & potestate intrudebant.

Septimum, *ut omnino provideatur, ne clericorum numerus plusquam triginta augeatur; & ipsi per omnia ad dictam congregationem sanctæ Crucis honeste & perfecte obedientes sint atque subjecti. . . . . Sin autem, liber discedat: colonus autem vel servus ad naturale servitium, velit nolit, redeat.* Jam ergo clerici monachis successerant in basilica sanctæ Mariæ, postea sanctæ Radegundis dicta, ideo instituti, ut virginibus in rebus sacris ministrarent; adeoque hi, sive monachi, sive clerici, virginibus obsequentes essent, non sic tamen ut eis abbatissæ benedictionem impertirent. Quod contra morem sanctæ ecclesiæ fieri cœptum vetat Carolus Magnus in capitulari, quod superius retulimus.

Octavum denique capitulum est, *ut si quando necesse fuerit, per jussionem domni Pippini regis, Ramnulfum specialiter missum habeant. Quando vero necesse non fuerit, advocatus earum per se justitiam faciat, & accipiat.* Ex quo intelligitur, advocatos monasteriorum aliquando per se justitiam dixisse, ut modo ballivos. Parthenoni sanctæ Crucis tunc præerat Gerberta abbatissa, quæ post annos tres præceptum a Pippino rege Aquitaniæ de duobus mercatis villarum suarum obtinuit

XXXV. Senonum monasteria reformata.

In urbe Senonensi quatuor tum erant ordinis nostri virorum monasteria, nempe sancti Petri, sanctæ Columbæ, sancti Johannis, & sancti Remigii, præter duo puellarum, sancti Hilarii, & sancti Maximini, sub finem sæculi octavi constructa. De monasterii sanctæ Columbæ reformatione per Benedictum facta in superiori libro egimus: de tribus aliis idem actum constat ex præclaro diplomate Ludovici augusti, quod jam non semel editum, ex authentico hic iterum recudere non ab re fuerit.

In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, HLudowicus divina ordinante providentia imperator augustus. Si illius amore, cujus munere ceteris mortalibus prælati sumus, soli Deo sub sancta religione militantibus ad laudem honoremque ipsius & ad animarum salutem supernis angelorum cœtibus in æterna beatitudine adscribendarum, terrena commoda subsidii temporalis, sine quibus præsens vita transigi non potest, comparamus, ut illi tantummodo sine impedimento, quantum præsentis mortalitatis finit

fragilitas, libere deserviant, cui semel se mancipasse ad laudem obsequiumque ipsius toto vitæ suæ cursu noscuntur; nostri laboris studium & pietatis opus apud Deum nullatenus fore sine fructu credimus, sine quo nec velle quisquam bene potest, quanto magis perficere. Igitur comperiat omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ, tam præsentium, quam futurorum sinceritas, quia vir venerabilis Hieremias, sanctæ Senonicæ ecclesiæ archiepiscopus, humili suggestione clementiæ nostræ innotuit, eo quod cellæ cœnobiales episcopii, cui auctore Deo præest, id est cella sancti Petri, & cella sancti Johannis, & cella sancti Remigii, in quibus monachi sub sancta regula disciplina religiosam vitam divina pietati toto laboris adnisu debent exhibere, variis casibus diversisque indigentiis, quibus humana fulcitur fragilitas, ante addicti sub manibus & potestate antecessorum ipsius, urgente omnimoda inopia, longe a suo proposito aberrantes exorbitaverunt, dum videlicet memoratarum substantia cellarum per divisionem olim factam imminuta fuisset; & qui præerant episcopi, non habentes unde subsidia sumtuum suis usibus necessaria caperent, ex eisdem cellis, quantum extorquere quibant, dum aliunde sufficientiam habere non possent, dari sibi cogebant. sicque fiebat, ut hii, qui devota stabilitate mentis & corporis ibidem supernæ pietati laudes persolvere, suamque vitam commendare, pro nostra quoque, conjugis, ac liberorum incolumitate, & pro regni divina nobis miseratione concessi conservatione, proque totius ecclesiæ indulgentia & felici ad æternam beatitudinem perventione interpellare debebant, dum a monasterii claustris turpiter quæritando ea, quibus suam tuerentur inopiam, longe lateque vagarent; confuso ordine, quem servare debebant, non solum eorum causa, quæ præmisimus, nobis nihil prodesse poterant, verum etiam sibi suisque prælatis non absurde plurimum crederentur obesse. Cujus rei gratia, memorati episcopi precibus admoniti, dignum opus supra fieri duximus: ut, dum adhuc in hoc mortali corpore subsistimus, non solum qui nunc temporis in eisdem locis divinis cultibus mancipati esse noscuntur; sed illis quoque, qui futuris temporibus amore superni sapientiæ inlustrati, eadem ad serviendum Deo expetierint loca, prospiciamus: quatenus ex eisdem temporalium solatia sumtuum suo ordini congruentia habeant, quibus in hac peregrinatione interim sustentari queant, donec ad æternæ patriæ gaudia divina misericordia vocati valeant pervenire. Constituentes itaque hoc nostræ auctoritatis præceptum, juxta memorati episcopi petitionem, decrevimus fieri: ut ex rebus, quascumque supra jam nominatæ cellæ nunc temporis usibus monachorum ibidem Deo deservientium deputatas habent, nullus episcoporum, quicumque divina vocatione per tempora successerit, præsumat aliquid subtrahere vel imminuere quolibet argumento vel occasione, neque in beneficium dare, aut suis usibus adplicare: sed ita per omnia conservari studeat, sicuti memoratus episcopus in libelli serie singula loca per ordinem adnotando digessit, & manu sua subscripsit, & in conventu episcoporum eos, qui aderant, subscribere rogavit, propter cavendas omnimodis contentiones, quæ futuris temporibus poterant oboriri; sed nec etiam aliud servitium vel majora munera inde sibi pro tempore usurpet, præter ea, quæ in libello eodem idem ipse episcopus inserere putavit. Ac ne hujus decreti causa in eisdem cœnobiis abbates vel monachi constituti contra suum incipiant superbire episcopum; præcavimus omnem occasionem amputandam, neque locum diabolo dandum, salva scilicet in omnibus auctoritate & potestate episcopi in cunctis ecclesiasticæ regulæ disciplinis: videlicet ut easdem cellas sub proprio semper regimine gubernans, secundum institutionem sanctæ regulæ abbates constituat, &, si necesse fuerit, mutet; prava quæque corrigat, superflua resecet, virtutes nutriat, eradicet vitia, atque, ut bonus agricola, evellens frutices, patrum sequens instituta, discernat, qualem cuique terræ sementem mandare debeat. Hanc autem nostræ constitutionis auctoritatem ideo factam, ne religionis ordo in supra scriptis locis, nostris futurisque temporibus confundatur, sed per omnia in Dei servitio, ad cujus laudem & obsequium conditi sumus, inviolabiliter in perpetuum conservetur, ut pleniorem in Dei nomine cunctis temporibus obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. Signum HLudowici serenissimi augusti. Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi. Data XV. kal. Junii, anno Christo propitio VIIII. imperii domni nostri HLudowici serenissimi augusti, indictione XV. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.

ANN. CHR. 822.

Cellas humiliori vocabulo appellat hæc monasteria Ludovicus, aut potius Hieremias qui præceptum obtinuit, ut eorum majorem subjectionem denotet. Hoc præceptum Carolus Calvus suo diplomate confirmavit anno regni sui octavo. Ex tri-

ANN. CHR. 822.

bus illis monasteriis duo supersunt, nimirum sancti Petri, Vivi vulgo dicti, & sancti Johannis, quod posterius modo est canonicorum regularium ordinis sancti Augustini, tunc monachorum sub sancta regula, ut alia duo, viventium. Abbatia sancti Remigii Vallilias postea translata fuit, ut infra videbimus, deinde in primum locum denuo relata, modo penitus excisa est: cujus portio abbatialis missionariis clericis, conventualis sancti Petri monasterio tributa.

XXXVI. Mauriaci cella conditur.

Huic sancti Petri monasterio tum præerat Frodbertus abbas, cujus rogatu Hieremias archiepiscopus cellam *in Aquitania*, id est apud Arvernos, in honorem sancti Petri ædificavit in proprio fundo ejusdem cœnobii, quem Theodechildis ejus conditrix & Rasolus comes Arvernorum ad stipendia monachorum ei contulerant. Locus Mauriacus dictus, ab Hieremia Noviacus, priscum hactenus vocabulum retinet. Illic *monachi regulares* ex abbatia sancti Petri instituti sub custodia Frodberti abbatis ejusque successorum, qui villas & ecclesias, eidem abbatiæ in Aquitaniæ pagis Arvernico & Lemovicensi subjectas, administrarent. Idem Hieremias & cum eo Frodbertus abbas privilegium a Ludovico augusto impetrarunt de eadem cella, omnibusque appendicibus cœnobii sancti Petri Senonensis: cui post Frodbertum Albertus abbas præfuit, ut ex Clario [a] discimus.

XXXVII. S. Christinæ monasterium apud Insubres.

Exstabat jam inde a principatu Caroli Magni monasterium sanctæ Christinæ apud Insubres, prope Ollonam seu Olonnam palatium, ad fluvium Olenam, sextodecimo circiter milliario a Mediolano versus occidentem æstivum: cujus loci abbas Petrus hoc anno præceptum [b] immunitatis a Ludovico imperatore obtinuit, confir-
" mante privilegium genitoris sui Karoli bonæ memoriæ serenissimi imperatoris, qui
" prædictum monasterium cum omnibus rebus suis, tam a regibus & reginis, quam
" a ceteris fidelibus eidem concessis, sub sua defensione acceperat. quod argumento est, hoc monasterium ante Carolum Magnum exstitisse, & a Langobardorum regibus ac reginis dotatum fuisse. Datum est Ludovici diploma IV. kalendas Octobris *Cispiacho in Ardna*, anno ejus imperii nono, indictione prima a Septembri inchoata. Idem Petrus consimile privilegium [c] impetravit a Lothario augusto, datum Ollona palatio regio, anno ejus imperii quinto-decimo, indictione prima. Eadem immunitas, agente Trasoaldo abbate, concessa a Carlomanno Italiæ rege, qui insuper eidem loco quædam ex regia munificentia donavit, ea ductus ratione, quod illud monasterium esset aliis *substantia in fame*, atque *hospitum & peregrinorum susceptioni paratissimum*. Eadem immunitas a Widone imperatore concessa. Sane quod de hospitium susceptione hic legitur, auctoritatem habet ex Glabro Rodulfo, quo referente discimus, Guillelmum abbatem Divionensem in reditu ex Italia *ad cœnobium sanctæ Christinæ* pervenisse, ibique in lectum decubuisse; tum paullulum convalescentem Vercellas accessisse, ubi gravius periclitari cœpit. Trasoaldo videtur successisse Gisulfus abbas, cui Johannes octavus scripsit. Procedente sæculo quinto-decimo Venturus de Marnis episcopus Cremonensis abbas erat hujus monasterii: quod demum a Gregorio XIII. pontifice collegio Germanico urbis Romæ unitum est.

XXXVIII. Winigisus dux fit monachus.

Winigisus seu Guinichisus dux Spoletanus, eo nomine secundus, jam confectus ætate, rebus se abdicans humanis, monachum induit; neque ita multo post morbo oppressus, migravit e vita. Quo in loco monasticen professus sit, non produnt annales Laureshamenses, ex quibus hæc discimus. In ejus locum Suppo Brixiæ comes substitutus ibidem perhibetur. Duo erant eodem tempore ab anno ejus sæculi sexto-decimo duces Spoletani, Winigisus & Gerardus, ut fidem facit tabularium Farfense, in quo placitum refertur, superiori anno Nursiæ habitum coram Aledramno comite, aliisque missis dominicis, præsentibus Guinigiso & Gerardo ducibus: in quo Ingoaldus abbas Farfensis donationem, monasterio suo a quodam Paulo & Tasia factam, vindicavit contra Guinigisum ducem, qui res donatas fisci rationibus adjicere volebat. Hæc controversia, superiori anno cum Ingoaldo abbate habita a Winigiso duce, nos movet, ut ne eum Farfæ monachum induisse facile credamus. Accedit, quod Guinichisus filius ejusdem ducis cognominis, vassus imperatoris, eidem monasterio nonnihil injuriæ fecit anno proximo, cum in quamdam curtem ipsius monasterii ingressus, eam penitus diripuit, ut patet ex placito evindicationis, quod Ingoaldus abbas contra eum obtinuit Spoleti, anno Ludovici & Lotharii imperatorum decimo & quarto, mense Aprili, indictione prima. Hinc colligitur verum non esse quod quidam scribunt, Winigisum ducem nulla virili stirpe

[a] Spicil. to. 2. p. 710.
[b] Capitul. to. 2. c. 1413.
[c] ibid. c. 1438. 1504. & 1521.

relicta decessisse, nisi Guinichisus filius ipso placiti anno dicatur obiisse.

In Castella-veteri subsistit hactenus monasterium beatæ Mariæ de Aguilari, nunc Ordinis Præmonstratensis, primitus Benedictini, quod hoc anno conditum traditur. Ejus conditores memorantur Opila abbas monasterii sancti Michaëlis ad fluvium Iberum in opido Tabulato, ejusque frater Alpidus miles, qui illud primum sub titulo sanctorum apostolorum Petri & Pauli dedicari curarunt. Post annos triginta Osorius comes Deo in eodem loco se suaque omnia consecravit sub Opila abbate, facto testamento v. kalendas Martias, æra octingentesima nonagesima. Hoc monasterium ad Præmonstratenses translatum est post medium sæculum duodecimum. ANN. CHR. 822. XXXIX. Monasterium B. Mariæ de Aguilari.

Postero anno reversus e Saxonia senior Adalhardus, Corbeiæ antiquæ regimen abdicare, & se demum his exuere curis voluit, ut deinceps uni Deo, sibique soli esset intentus. Sed nequaquam id passi sunt fratres, eique senectutis suæ excusationem prætendenti ex adverso reponunt; quanto ætate maturiorem, tanto ad virtutem ac perfectionem contendentibus aptiorem ac salubriorem sibi videri: præsertim cum vigore animi & viriditate necdum exhaustæ carnis adhuc præditus esset, adeoque laboribus ac vigiliis tolerandis non impar, ut ipsos juvenes, etiam validissimos & constantissimos, superaret. Erat quippe annorum victor, & cedere nescius senectuti. Nemo illo fere austerior, nemo in seipsum severior ac durior. Unde a suis fratribus & filiis publice quam sæpe correptus, cur sibi tam immitis esset, qui aliis adeo humanus ac indulgens erat, benignis eos verbis leniebat: Ego « mei curam, inquiens, habebo, & prorsus vestro providebo famulo, ne fame aut la- « boribus fatigatus pereat. Sed paullo post nihilo minus solitas vitæ asperitates repe- « tebat. Etsi vero fratres omnes cordi & animo impressos gerebat; eorum tamen nomina in tabellis descripta numquam pæne deponebat e manibus, ita omnes sedulo inspiciens, ut singulis attenderet, singulorum mores ac necessitates exploraret. Denique in tanto discipulorum numero nullam hebdomadam elabi sinebat, qua fere unumquemque non alloqueretur, solaretur, hortaretur, & congruis monitis instrueret. Ad exteros quod attinet, nullum caritatis ac misericordiæ officium non implebat. quippe cælibes viros ac viduas in sibi subjectis locis inopes per singulas villas constituens, eis stipendia jugiter ministrari curabat. Orphanorum quoque ac debilium, necnon hospitum iisdem in locis opportunius veluti xenodochium quoddam constituerat, ut res monasterii omnibus commune quasi patrimonium esset. In his vero locis sollicitos instituebat ministros, qui omni sagacitate & industria universorum commodis providerent. In administrandis porro monasterii possessionibus idoneos adhibebat fratres, per quos ita cuncta disponebat, ut omnibus satis esset, nec quid cuiquam superflueret; sed omnia ad Dei laudem pro cujusque usu necessario distribuerentur. Denique ita se gerebat adversus omnes, ut monasterii famuli velut patrem experirentur; superbi vero ac tumidi ut dominum probarent; boni omnes virtutibus faventem; mali vitiorum inclementissimum insectatorem sentirent. Ceterum hoc ipso anno, ut in libello de constructione novæ Corbeiæ legitur, iterum in Saxoniam profectus est cum non paucis fratribus ad revisendam novam Corbeiam, cujus etiam rector & abbas erat; &, tota ejus loci congregatione convocata, omnes informavit de iis, quæ ad cultum divinum & ad religionem sanctam pertinebant.

ANN. CHR. 823. XL. Adalhardus Corbeiæ regimen invitus retinet.

Ut se gerit.

Unus ex his, qui Adalhardum in hoc secundo itinere comitati sunt, fratribus veteris Corbeiæ, Anscharius fuit, qui tum ejus monasterii scholas puerorum una cum Witmaro venerando patre moderabatur, dum Paschasius Radbertus, Adalhardi individuus comes, majoris momenti negotiis occuparetur. Anscharius seu Ansgarius, quem alii Anskerum vocant, in ipso Corbeia opido, aut certe in suburbana villa Folieto, natus fuisse traditur. Puer genitrice orbatus, a puerilibus nugis Deiparæ virginis Mariæ, in cujus comitatu ipsius mater visa est, monitis revocatus, mox puerilia consortia vitare, lectione, meditatione, ceterisque pietatis officiis occupari cœpit, ita ut subitam ejus conversionem socii mirarentur. Paullo post in Corbeiensi Galliæ monasterio, longe ante conditam Corbeiam-novam, Deo oblatus, ut Remberti verbis utar, tonsusque ac monasticis eruditus disciplinis, obedientiam promisit. Deinde a prioris propositi fervore sensim frigescere cœpit: at Caroli imperatoris gloriosissimi morte perculsus simul & excitatus, rursus ad se se

XLI. Anscharii prima facta, & missio in Corbeiam-novam.

ANN. CHR. 823.

rediit, & sanctæ Dei Genitricis admonitione in memoriam recurrente, totus in Dei servitium conversus, orationi, vigiliis atque inediæ sedulam operam dedit. Accessit in die festo pentecostes raptus ad purgatorium & paradisum, ubi se martyrem fore intellexit, non quidem gladio materiali, sed spiritali mortificandum. Post hæc magister scholæ ibidem institutus, cum eundo vel redeundo a scholis ad claustrum, in pervio beati Johannis Baptistæ oratorio precibus insistere soleret, forte aliquando a Christo Domino de confitendis peccatis ibidem admonetur, moxque de eorum remissione fit certior. Hinc discimus quo in loco sitæ fuerint scholæ illæ Corbeienses, nempe ultra oratorium beati Johannis-Baptistæ, a monasterio publica modo via disparatum, tributumque virginibus Benedictinis, quæ infirmorum pauperum curam habent. Ex quibus intelligitur, eodem in loco positas fuisse scholas illas, ubi etiam nunc exiguum collegium cernitur, scilicet juxta ecclesiam S. Albini.

Eo magistro accidit, ut quidam puerulus in schola, Fulbertus nomine, a socio tabula percussus, paullo post exstinctus sit. qua de re vir Dei supra modum tristitia affectus, quod sub ejus magisterio id accidisset; viso cælesti postea recreatus est, cum Fulbertum inter martyres relatum vidit, quod vulnus illatum non modo patienter tulisset, sed etiam percussori lubens culpam condonasset. Hæc omnia Rembertus, ejus discipulus & in episcopatu successor, ab ipso accepta fusius retulit, quæ strictim commemorare oportuit ad comprobandam adolescentis monachi sanctitatem. Cum vero nova Corbeia jam condita esset atque perfecta, ad eum locum Anscharius una cum aliis fratribus mittitur, ut illic docendi officio fungeretur. quo in munere tam præclare se gessit, ut etiam ei prædicandi publice verbi Dei provincia commissa sit; sicque ejusdem loci primus esset magister scholæ, & doctor.

XLII. Præcepta duo Adalhardo concessa.

* V. Chron. Huxar. apud Paullinum p. 26. & 27.

Sub Adalardo abbate in Corbeia-nova unus ac viginti monachi exstitere, ex quibus * Berewarthus prior, Eiloldus portarius, Hrodradus hospitalarins, Magherus infirmarius, Aldrius cellarius, Ramwartus magister caritatum, Ansgarius lector, Warinus, abbas postea Corbeiensis, Gautbertus episcopus Suecorum, & alii. Auctus est plurimum Warino secundo abbate monachorum numerus, qui jam ad octoginta excreverat. In reditu e nova Corbeia senior Adalhardus Ludovicum imperatorem adiit, Ingelheimii in suburbio Moguntiacensi tunc commorantem, ab eoque duplex obtinuit præceptum: unum imperialis tutelæ ac defensionis pro nova Corbeia, quale habebant omnes fere in Francia ecclesiæ: alterum, quo ejusdem cœnobii possessiones omnes confirmantur, ac libera conceditur abbatis electio secun-
„ dum regulam sancti Benedicti. In hoc posteriori præcepto imperator ait, se ad idem
„ monasterium dedicandum ex sacri palatii capella misisse venerabiles ac sacrosanctas
„ reliquias beati Stephani protomartyris, primi ejusdem ecclesiæ patroni, cui postea sanctus Vitus martyr accessit. Datum est utrumque præceptum in palatio regio *Ingelinheim* VI. kalendas Augustas, anno decimo imperii HLudowici piissimi augusti, indictione prima. Utrumque a nobis editum est, primum quidem in libro sexto de re diplomatica, posterius in observationibus nostris ad translationem sancti Viti, longe emendatius quam apud Stangefolum, ex quo Cointius illud accepit.

XLIII. Compendiensi conventui interest.

Post hæc Adalhardus cum Helisachare abbate interfuit conventui, quem ad kalendas Novembres Ludovicus Compendium indixerat. In eo actum est de dispensatione rerum ecclesiasticarum, quas non modo laïci, sed & clerici in alios usus, quam par erat, expendebant; simulque de reformanda concordia inter episcopos & comites, qui hac de re inter se se dissidebant. In eo conventu Agobardus colloquium de his negotiis habuit cum Adalhardo & Helisachare, quorum præcipua erat auctoritas apud imperatorem: qui quidem pro sua pietate satis egit, ut omnia componerentur ad canonicas leges, sed parum apud comites & honoratos profecit, teste ipso Agobardo, qui hoc de conventu agit in libro de dispensatione ecclesiasticarum rerum, ubi Adalhardum & Helisacharem laudat.

XLIV. Hilduinus abbas S. Medardi novam condit basilicam.

Apud Suessionas monasterium sancti Medardi eo tempore administrabat Hilduinus abbas Dionysianus, qui forte Ursioni abbati successerat. Exstat in chartaceo codice illius monasterii præceptum immunitatis, sed sine chronicis notis, quod venerabilis Ursio abbas basilicæ domni Medardi obtinuit a Carolo Magno nondum imperatore, instar illius, quod Chlotharius quondam eidem basilicæ concesserat. Idem Carolus *abbatiam septuaginta monachorum*, sitam in pago Namnetensi, & quidem ab ipso fundatam, sancto Medardo contulisse dicitur,

dicitur, cum eo, ut triginta monachi in abbatia illa Deo servituri remanerent. Quænam sit illa abbatia, ignoramus. In vulgatis indicibus abbatum sancti Medardi post Ursionem interponitur Hugo, Caroli Magni filius naturalis: at spatium ejus præfecturæ nullum invenias ab anno ejus sæculi vicesimo-primo, quo in gratiam Ludovici fratris restitutus, abbatias habere cœpit. Redeo ad Hilduinum abbatem, qui novam tunc basilicam in honorem sanctæ Trinitatis & sanctæ Mariæ construxisse memoratur. Ejus rei fidem facit charta [a] Bertæ sororis Ludovici augusti, quam *venerabili patri Hilduino monasterii sancti Medardi abbati, vel sacri palatii archicapellano* inscribit Berta, *magni & invictissimi imperatoris Caroli filia*, quæ villam Bernogellum in pago Noviomensi, super fluvium Axonam, ad casam sancti Medardi tradit, " eo pacto, ut ad basilicam, quam tum *in honore sanctæ Trinitatis, & sanctæ Mariæ,* " *omniumque Sanctorum* idem Hilduinus construxit, deserviret; & ut ob memoriam " genitoris sui una die quolibet anno, quando fratres anniversarias pro se orationes fa- " cerent, ex eadem villa refectionem haberent. Eodem instrumento Berta in benefi- " cium a monasterio accipit villam Cuschiriacum *, sub annuo censu solidorum undecim, quos in festivitate sancti Medardi ad luminaria quotannis se persoluturam promittit. Sic mos eo tempore passim obtinebat, ut, cum alicujus prædii vel villæ donatio cuivis ecclesiæ fieret, eadem vel alia res in beneficium donatori ad vitam traderetur. *Actum Compendio palatio, anno decimo domni nostri Ludovici serenissimi augusti imperatoris, sub die quarta-decima Januarii;* atque adeo initio anni insequentis, quo annus undecimus Ludovici a die vicesima-nona Januarii incipiebat. Ceterum ex hac charta probatur id, quod superius diximus, Bertam nequaquam sanctimonialem factam fuisse, cum Angilbertus ejus maritus in Centulense monasterium se recepit. Idem Hilduinus, monachis sancti Medardi adversus successorum abbatum rapacitatem consultum volens, anno Ludovici imperatoris tertio-decimo, certa eis prædia & stipendia ad victum, ceterosque usus necessarios assignavit pro centum triginta monachis: quæ stipendia ut nullo umquam tempore eis subtraherentur aut minuerentur, imperiale præceptum a Ludovico impetravit. Viderat has litteras Jacobus Brolius, quas reperire non potuimus. Translatis eum in locum sancti Sebastiani reliquiis, nova ibidem basilica ædificari cœpta, ut inferius videbimus. In choro basilicæ sancti Medardi suspensa fuit ad sæculum patrum nostrorum argentea corona ingentis ponderis ac magnitudinis, candelabris ac sanctorum imaginibus circumcincta, quam idem Hilduinus abbas conflari curaverat. Verum hæc anno sextidecimi sæculi quadragesimo-quarto a militibus Caroli Quinti imperatoris, cum sancita pace illac ejus exercitus transiret, furto sublata est, testante Jacobo Brolio in historia nondum edita monasterii sancti Germani Pratensis.

ANN. CHR. 813.

[a] Diplom. p. 314.

Bertæ donatio.

* Cuchari.

XLV. Idem Hilduinus monasterio Dionysiano, cujus itidem abbas erat, a Ludovico & Lothario augustis obtinuit remissionem pensionis annuæ ducentorum vini modiorum, quos primo quidem gratuito abbas Dionysianus occasione cujusdam vini penuriæ, *ad Vern* palatium; dein ex quadam consuetudine successores persolverant; jam vero regii exactores *pro lege & debito censu* exigebant. Ejus remissionis præceptum habetur in libro sexto de re diplomatica ex autbentico exemplari, ex quo chronologici characteres avulsi sunt. Antequam ulterius progrediamur, quo in statu sancti Dionysii monasterium tunc esset, expendere juvat ad sequentia illustranda. Cum disciplinam regularem ibidem Ludovicus restitui curavit, quod post annos novem factum inferius videbimus; *monasticus ordo*, principio illic institutus, *nulla necessitate præpediente, nullius rei inopia obsistente*, ita deformatus erat, ut jam *penitus avulsus* videretur. Inquisitione vero per Aldricum Senonensem & Ebonem Remensem metropolitas jussu Ludovici augusti ibidem facta, id certis compertum argumentis, quod idem monasterium ordini monastico primitus constructum, dedi- " catum, & ditatum fuisset; & in eo ipse ordo usque ad tempus, quo sceptra impe- " rialia Ludovicus accepit, & usque ad Hilduini prælationem ibidem *utcumque* vi- " guisset. Ventum deinde ad personarum interrogationem: ex quibus quidam qui " eamdem professionem fecerant, desertores ejusdem propositi facti, rebus humanis " jam exemti erant: alii non eamdem professionem se fecisse inficiati, a testibus con- " victi sunt: quidam, immo maxima pars, se fecisse confessi, sed in apostasiam pro- " lapsi, veniam petierunt: quidam denique in sanctæ religionis proposito viriliter " consistentes, in quamdam monasterii cellam se receperant, ut regularem illic vitam "

Pensio vini monasterio S. Dionysii relaxata.

Qualis tunc monasterii status.

ANN. CHR. 823.

absque impedimento servarent. Hujus secessionis auctores fuerant Benedictus Anianensis & Arnulfus Herensis abbates, qui ad emendanda totius Galliæ monasteria missi ab imperatore, nullum aliud opportunius Dionysianæ relaxationi remedium invenerant. Ceterum monasticus ordo numquam ex integro interpolatus aut exstinctus fuit in S. Dionysii monasterio, ut perspicuum est ex prædicta inquisitione, & ex præmissis illis quatuor ejus loci monachorum generibus, quæ in diplomate Ludovici imperatoris super hujus ordinis restitutione illic facta diserte assignantur: nec monachis ibidem successit ordo canonicorum, nisi hoc nomine monachos solutiores & laxiores intelligas: quales certe identidem eo in loco exstitisse inficiari non possumus.

XLVI. Hincmarus ibidem monachus.

Unum his opponi potest, quod Hincmarus ejusdem loci monachus in eodem monasterio, ut de se ipse [a] scribit in epistola ad Nicolaum papam, ab ipsis rudimen„tis infantiæ *sub canonico habitu* educatus sit, indeque eductus, in palatio domni „HLudovici imperatoris non modico tempore manserit. Conversis autem *ad regula„rem vitam & habitum fratribus*, in monasterio sancti Dionysii, ubi nutritus fuerat, „in illo, sæculum fugiens, sine spe vel appetitu episcopatus, aut alicujus prælatio„nis, *diutius degnit*. Hæc prima sunt Hincmari, vel ipso teste, tirocinia. Ex quo illud evinci videtur, monachos illic ita defecisse, ut *sub canonico habitu* vixerint, antequam *regularem vitam & habitum* resumerent. An forte canonicus erat in basilica sancti Pauli, Dionysianæ adjuncta? ubi hactenus sæcularium canonicorum collegium est. an vero canonicus in exterioribus scholis manebat? Nam cum in monasteriis nostri ordinis per illa tempora pueri, etiam sæculares, educarentur, in quibus quidam clerici erant, facile apud Dionysianos educari potuit Hincmarus sub canonico habitu, qui ejus loci monachorum non esset. Sed quia hi *ad regularem vitam & habitum* reversi dicuntur, satius est reponere, habitum illum pseudomonachorum potius *canonicum* fuisse quam regularem ac monasticum: qualis certe monachorum nostro ævo erat in plerisque monasteriis Gallicanis, priusquam congregatio sancti Mauri in illa introducta esset. Certe ex prædicta inquisitione constat, ex ejusmodi monachis Dionysianis, qui ante restitutam regularem disciplinam illic degebant, nullos non confessos aut convictos fuisse, quod monasticæ vitæ professionem fecissent. Qualis vero eorum ante id tempus habitus fuerit, ex illius specimine intelligimus, quod in majori porta basilicæ Dionysianæ cernitur, quale illud superius [b] exhibuimus.

a Hincmar. epist. 26.

b lib. 25. n. 5.

Patria ejus & parentes.

Hincmari patriam & parentes nulli veterum, quod quidem sciam, litteris prodiderunt. Eum illustri genere ortum fuisse patet ex eo, quod Bertranno comiti Tardunensi propinquitate junctus fuerit, teste Frodoardo [c], qui ejus epistolam *Bertranno illustri comiti Tardunensis pagi, propinquo suo* scriptam laudat. Propinquus itidem ejus Bernardus [d] comes Tolosanus, ad quem plures epistolas scripsit. Hic Bernardus comes, eo nomine secundus, filius fuit Ragemundi seu Raymundi comitis itidem Tolosani, qui monasterium Vabrense in pago Rutenico exstruxit, ac Bernardo filio locum fecit anno [e] Caroli Calvi vicesimo-quinto. Bernardus in idem monasterium munificus fuit. Præter hos propinquos Hincmarus Hildegundem sororem habuit, cujus filio vel genero [f] scribit, quo pacto erga Ludovicum regem transrhenensem se gerere deberet, ne suum alodem, quem in Alemannia habebat, auferret ob relictum ejus dominium. Si ex patria Hincmari episcopi Laudunensis, qui ejus nepos vulgari sensu dicitur, conjecturam de ejus patria capere licet, eum ex diœcesi Remensi ortum dicere possumus. sic enim hic in epistola [g] ad Hincmarum nepotem: *Et tu ergo in diœcesi Remensi natus, & in metropoli Remorum nutritus, & in municipio Lauduni ordinatus, non te civilem vel civicum, sed municipem .... debueras recognoscere.* Quod nepotem *in diœcesi Remensi* natum scribit, id non de pago Remensi, sed de metropolitana provincia intelligendum esse constat ex alio [h] ejusdem loco, ubi Hincmarus junior ex Bononiæ *territorio nativus* dicitur. Denique Hincmarus senior nepotis sui *sobrinum* Anselmum vocat. Ceterum Hincmarus senior in monasterio sancti Dionysii *ab ipsis rudimentis infantiæ*, ut mox vidimus, educatus est sub Hilduino abbate, quem ipse *nutritorem* suum vocat in epistola ad Carolum Calvum. E monasterio in palatium Ludovici prodiit: dein, restituta in sancti Dionysii monasterio monastica disciplina, regularem vitam professus, paullo post Hilduinum abbatem suum in Saxoniam relegatum secutus est: sed mox ab eo divulsus ob constantem fidem in Ludovicum, cujus exauctorationi Hildui-

c Frodoard. lib. 3. c. 26.

d ibid.

e Catel. hist. comit. Tolos. p. 74.

f Frodoard lib. 3. c. 28.

g ibid. c. 22.

h Hincm. opusc. 33. c. 1.

nus conſenſerat, in ſuum revertit monaſterium : ubi ſacrorum pignorum cuſtos factus, ſanctæ Mariæ Compendienſis, ſanctique Geremari præfecturas a rege obtinuit, aliarumque rerum poſſeſſionem, quas præſul ordinatus eccleſiæ ſancti Dionyſii facto teſtamento reſtituit. Hunc *venerabilem monaſterii ſancti Dionyſii monachum atque presbyterum, virum doctum atque eruditum* vocat Lotharius imperator in epiſtola ad Leonem papam quartum : & ipſe Hincmarus [a] *doctrinam communis patris noſtri beati Benedicti* laudat. Idem in prædicta epiſtola ad Carolum Calvum, *ubi meminit domni nutritoris ſui Hilduini abbatis, ſacri palatii clericorum ſummi*, id eſt archicapellani, quod Labbeus perperam Hilduino juniori aptat; idem, inquam, Hincmarus mentionem facit de quodam clerico ipſius Hilduini ſenioris, nomine Bodone, clericum ſub ſe habente, dicto Wandelmaro, qui *cantilenam*, ſeu cantandi peritiam, *optime a Teutgario magiſtro in ſancti Dionyſii monaſterio didicerat*. quem Hucbertus præceptor palatii, ad Meldenſem epiſcopatum poſt mortem Hildrici promotus, a Bodone ad erudiendos clericos ſuos obtinuit, eique abbatiolam ſancti Sanctini ejuſdem urbis in beneficium dedit. Hucberti promotio facta ibidem legitur, quando in *Franconofurd* palatio ex Judith auguſta natus fuit Carolus, poſtea Calvus cognominatus. quod hoc ipſo anno, & quidem *menſe Junio*, contigiſſe aſtronomus in vita Ludovici tradit. Natalis Caroli regis dies ſignantius *idibus Junii* notatur in ſtatutis [b] Adalhardi abbatis Corbeienſis.

a *Hincm. to. 1. p. 443.*

Caroli Calvi ortus.

b *Spicil. to. 4. p. 13*

XLVII. Hilduinus abbas S. Germani Pariſiis.

Præter abbatias ſancti Dionyſii & ſancti Medardi Hilduinus etiam ſub ſua cura habuit Pariſienſe monaſterium ſancti Germani, quod à Pratis poſteri appellarunt : ſed quo anno hanc præfecturam inierit, cuive ſucceſſerit, non ita exploratum. Jam huic monaſterio præerat anno Ludovici imperatoris ſexto-decimo, quo anno partitionem, inter abbatem & monachos a ſe factam, regio diplomate comprobari curavit. Irminonem hujus loci abbatem ſuperius laudavimus non ſemel, eumque Caroli magni teſtamento ſubſcripſiſſe notavimus. Idem inter miſſos nominatur, ex quorum relatione Ludovicus ampliorem aream [c] canonicis Tornacenſibus conceſſit anno imperii ſecundo. Poſt annos duos præceptum ab eodem imperatore [d] obtinuit pro piſcaria Caroli-vennæ. De eo nihil deinceps legitur in domeſticis monumentis. Jacobus Brolius, cum vulgatis abbatum indicibus, proximum ei ſucceſſorem tribuit Hilduinum : at in veteri catalogo Regulæ ante annos quingentos præmiſſo, medius interponitur Haimo abbas, & poſt eum Hilduinus ſenior : at de Haimone cetera ſilent hujus loci inſtrumenta. Certe vix poſt hunc annum rejici poteſt Hilduini hoc in monaſterio præfectura. Quod vero Hilduinus plures abbatias tenuerit contra canones, non tam in cauſa fuiſſe videtur ejus cupiditas, quam poſtulatio monachorum, qui quem ſibi ſuiſque rationibus magis favorabilem & majori auctoritate præditum ex ordine monachorum probabant, eum facile adoptabant abbatem præ ſæcularibus, qui eorum bonis inhiabant.

c *Miræus notit. c. 28.*

d *ſupra lib. 28. n. 49.*

XLVIII. Lotharius Romæ coronatus.

Lotharius, filius Ludovici auguſti, jam a patre conſors imperii dictus, ab eoque miſſus in Italiam, compoſitis rebus, cum de reditu ad patrem cogitaret, invitatu Paſchalis papæ Romam acceſſit imminente paſchæ ſollemnitate, ipſoque die apud ſanctum Petrum diadema imperiale cum nomine Auguſti accepit, ut ſcribit Aſtronomus. Gravis inter chronologos controverſia eſt, an ab hoc anno Lotharius, id eſt ab hac coronatione, annos imperii ſui computaverit, an potius ab anno ſuperiore, quo rex Bajoariæ a patre dictus eſt; an vero ab anno ejus ſæculi ſeptimo-decimo, quo pater eum imperii conſortem primum dixit : quo ex tempore, ut Paſchaſius [e] in epitaphio Arſenii ſeu Walæ auctor eſt, *in omni conſcriptione & nomiſmate* Ludovicus nomen ejus expreſſum voluit. Certe ab hoc anno paſſim repetitur epocha ſeu calculus Lotharianorum diplomatum ante mortem patris; aliquando ab anno viceſimo-ſecundo, aut a viceſimo-tertio, quo a Paſchali coronatus eſt. Unde in præfatione concilii Romani, per menſem Novembrem anno ejus ſæculi viceſimo-ſexto habiti, hæ notæ chronicæ apponuntur : *Imperante domino noſtro piiſſimo auguſto HLudovico, a Deo coronato magno imperatore anno tertio-decimo, ſed & Lothario novo imperatore anno decimo*; calculo ducto ab anno decimo-ſeptimo, quo pater eum in conſortium imperii adſcivit. At vero poſt mortem Ludovici, Lotharius duplicem calculum adhibere ſolet; unum regni Francici a viceſima Junii die anni DCCCXL. qua Ludovicus deceſſit : alterum Italici ab anno viceſimo, ut fuſius in libro ſecundo [f] de re diplomatica demonſtratum eſt. Poſt coronationem ſuam Lotharius

e *Paſchaſ. lib. 2. c. 17.*

Wala cum eo redit.

f *Diplom. lib. 2. c. 26. n. 14. & 15.*

ANN. CHR. 823.

in Franciam contendit, & Francofurtum ad patrem mense Junio pervenit, Wala comitante, qui deinceps in Francia cum Adalhardo fratre commoratus est.

XLIX. *Adalungus abbas Vedastinus Romam legatus.* Vix in Franciam appulerat Lotharius, cnm nuntius eo perlatus est, Theodorum sanctæ Romanæ ecclesiæ primicerium, ac generum ejus Leonem nomenclatorem, in patriarchio Lateranensi primum oculis orbatos, dein capite plexos fuisse; idque factum aiebant, quod illi partibus Lotharii faverent. Nec deerant, qui hoc facinus dicerent jussu vel consilio Paschalis pontificis perpetratum. Ad id explorandum ac diligenter investigandum Romam missi sunt Adalungus abbas monasterii sancti Vedasti Atrebatensis, & Hunfridus Curiensis in Rætia comes. Sed antequam discederent, venerunt legati Paschalis papæ, ut illud probrum a pontifice amolirentur. His anditis, nihilo minus Ludovicus missos suos Romam ire jussit ad factum maturius discutiendum. At rei gestæ veritatem assequi non potuere, & Paschalis in frequenti episcoporum & sacerdotum consessu se ipse sacramento ab hac infamia purgavit. quod cum nuntii ad Lnduvicum retulissent, Compeudii tunc degentem, ille nihil ulterius inquirendum censuit.

L. *S. Ursmari elevatio.* Post annos decem supra centum, quam sanctus Ursmarus abbas primus Laubiensis sepultus fuerat, Fulradus abbas ejus loci post Ramnericum avunculum Hildrici successorem, idemque abbas etiam basilicæ sancti Quintini apud Augustam-Viromanduorum, cujus superius meminimus, corpus sacrum e tumulo efferri, & in decentiorem locum transferri curavit. Hæc elevatio cum insigni pompa & frequentia VII. kalendas Aprilis facta est permissu ac jussu Halitgarii episcopi Cameracensis, nuper reversi e Saxonicis partibus, ubi cum Ebone Remorum antistite prædicandi evangelii causa aliquamdiu perstiterat. *Laubienses abbates.* Triennio post hanc elevationem decessit Fulradus, successorem sortitus Eggardum abbatem, cujus tempore, ut Folcuini chronographi verbis utar, ordinatio prima facta est in illo monasterio, agente Theoderico episcopo Cameracensi, Ludovico imperatore adhuc superstite. Eggardo rebus humanis exemto subrogatur Harbertus Corbeiæ monachus, vir bonus, de quo inferius.

LI. *Ansegisus abbas Fontanellense monasterium restruit.* In horum abbatum numero nullus Ansegiso locus, quem nonnulli recentiores abbatem Laubiensem perperam dicunt. Erat is Luxoviensis monasterii rector ab annis sex, hocque anno Fontanellensis monasterii præfecturam, Eginhardo cedente, jussu Ludovici imperatoris accepit. Hoc in munere tot præclara gessit, ut novus Wandregisilus aut Ansbertus redivivus, magna Fontanellæ lumina, haberi posset. Sub ejus decessoribus monachorum numerus multum minutus fuerat, adeoque laxata regularis disciplina, ut status regulæ sancti Benedicti jam prope casurus videretur, potiusque canonicorum quam monachorum ritu illic viveretur. Jam quidem per Benedictum abbatem Fossatensem quodam modo restitui cœpta fuerat disciplina: at pristinum splendorem recepit per Ansegisum, qui e Luxovio monasterio, quod etiam tum religione præcellebat, monachos Dei timentes ac probatissimos secum adduxit, qui monasticas leges, jam pæne Fontanellæ abrogatas, non minus factis, quam verbis edocerent. Ipse etiam Ansegisus abbas exemplo suis prælucebat, idem signifer ac dux sanctissimæ disciplinæ; & quicumque illum audiebat præcipientem, aliter agentem redarguere non poterat. Sermones ejus utiles ac serii, non faceti; mores graves. Idem vitiorum osor; aliorum nec acerbus reprehensor, nec curiosus scrutator; cunctis benignus, firmus & constans in adversis, in prosperis modestus & humilis; terrenorum spretor, quæ in pios usus convertebat. Justitiam ejus probat chronographus ex legationibus, quibus jussu augustorum frequenter perfunctus traditur, maxime ex illa, quam Ludovici mandato in partibus marcæ Hispanicæ gessit adversus Gautselmum ejusdem marcæ custodem, qui Bernardi Septimaniæ comitis frater, Willelmi ducis filius erat.

Varia ejusdem Ansegisi donaria recenset chronographus Fontanellensis, tum Luxovio, tum Fontanellæ impensa: in quibus calicem aureum, duas hinc inde ansulas habentem, Fontanellæ dedit cum lectionario in membranis purpureis scripto, & quatuor evangeliis ejusdem generis formæ, quæ litteris aureis scribi jussit, sed morte imperfectum reliquit. Magnam itidem librorum copiam eidem monasterio dedit, quos idem chronographus singillatim recenset. Ad hæc *clerum auxit*, id est numerum monachorum, eisque præclarum dormitorium construi jussit, longitudinis pedum octo & ducentorum, latitudinis viginti-septem, altitudinis quatuor su-

ANN. CHR. 823.

præ sexaginta. Refectorium etiam fabricavit cum adjuncto cellario, variisque picturis decorari fecit a Madalulfo egregio pictore Cameracensi. Præter ea majorem, quam vocant, domum ædificari præcepit cum camera & caminata; atque domum curiæ sive conventus, quæ *græce beleuterion* * dicta est, quod in ea fratres consilium de *qualibet* re haberent. Illic quotidie lectio divina recitari solita. Capitulum vulgo appellamus, ubi post mortem humari voluit. Denique in medio porticus, quæ ante dormitorium posita erat, *domum chartarum* constituit; *domum* vero *librorum*, quæ *græce pyrgiscos* dicitur, ante refectorium collocavit, ejusque tegulas, uti & dormitorii, clavis ferreis configi curavit.

* l. *bouleuterium.*

Faviacensi quoque munificus.

Eidem etiam commissum erat Flaviacense apud Bellovacos monasterium, tunc ad canonicorum mores prolapsum, cui ornando consimilem curam impendit, maxime in augenda bibliotheca, quam multis voluminibus locupletavit, a chronographo itidem recensitis. Hoc Flaviacense cœnobium post eum obtinuit Hincmarus. Exstat apud eumdem chronographum constitutio Ansegisi abbatis de victu ac vestitu Fontanellensium, in qua prædia assignat, ex quibus necessaria quæque fratribus suppeditarentur, ova, pisa, fabæ, mel, sicera, porci saginati ad adipem & lardum faciendum; aucipastæ, pullipastæ, & pulli ad nativitatem Domini & pascha; cera, oleum, & ligna; *drappi* seu panni ad camisias seu stamineas faciendas, coria bovina ad calceos, filtra ad soccos, rocci, cappæ, pelles vervecinæ ad pelliceas; capelli, vuanti, fasciolæ, & alia id genus.

LII. Claudii Taurinensis libri in Leviticum ad Theodemirum abbatem.

Claudius episcopus Taurinensis commentarios in Leviticum hoc anno aggressus est quadragesimæ tempore, & quidem VII. idus Martii, ut ipse scribit * in epistola ad Theodemirum abbatem, cui hos libros nuncupavit. In fine horum commentariorum locum refert ex libro sancti Augustini de vera religione, in quo legitur, honorandos esse mortuos, qui pie vixerint, propter imitationem, non adorandos propter religionem; adeoque angelos caritate, non servitute honorandos. quibus præmissis hæc subdit: *Hanc adstruendo & defendendo veritatem, opprobrium factus sum vicinis meis, & timor notis meis, in tantum, ut qui videbant nos, non solum deridebant; sed etiam digito unus alteri ostendebant.* Ex quo intelligitur, Claudium ab hoc tempore cœpisse errores suos disseminare, & ex hoc Augustini loco male intellecto, non modo imaginibus, sed etiam reliquiis honorem & cultum detraxisse. Quod multorum deinceps concertationum seminarium fuit. Idem ad suas partes hoc officii genere pertrahere studuit Theodemirum abbatem Psalmodiensis, ut putamus, monasterii: qui adeo Claudii erroribus non assensus est, ut etiam primus in eum calamum exseruerit scripta insigni epistola, quam ex Jona episcopo fere integram postea referemus.

" a *Analect. to.* " *1. p. 34.*

LIII. Hetto Augiæ præfecturam cedit Erlebaldo.

Heito seu Hetto, aliis Ahito, episcopus Basileensis, idemque Augiensis monasterii abbas, abdicatis honoribus in Augiam suam, vitæ privatæ studio, se recepit, atque electione fratribus permissa, suo discipulo, Erlebaldo nomine, sponte se subjecit. Hæc paucis præstringit Hermannus, sed pluribus Walafridus Strabo in carmine de Wetino prosequitur, idque factum ait anno decimo Ludovici imperatoris, ac proinde hoc anno, vel superiore, ut apud Hermannum: cujus lectio in eo corrigenda, quod Erlebaldus tertius-decimus Augiæ abbas dicitur, qui tantum decimus fuit. Hetto episcopus, post legationem in orientem magno cum honore gestam, post octodecim episcopatus annos, teste Walafrido, fastidio rerum labentium pulsari cœpit, ac secessum meditari, ne temporalium honorum fuco ab æternis avocaretur. Accessit huic cogitationi letalis morbus, qui ipsum redegit ad extrema, & obsequentem voluntatem ad vitam privatam redegit.

Ille dolor dilectus erat, carissima febris:
Mors contemta: fuga hæc occasio prima patebat.

Annum agebat ætatis sexagesimum, qui Ludovici decimus imperii erat, cum in amicam solitudinem se recepit, privatam deinceps vitam acturus. Permissa fratribus electione, magna omnium consensione eligitur Erlebaldus, quo nomine vir audax significatur. Erat is ex genere nobilium senatorum, qui annos natus septemdecim, ad Insulanense seu Augiense monasterium accesserat. Admissus in collegium fratrum, Hettonis magisterio traditur pietate ac litteris imbuendus. Missus dein ad

ANN. CHR. 823.

quemdam Scottum, forte Clementem, quem in Gallia litteras docuisse testatur sancti Galli monachus initio vitæ Caroli Magni. Sic litteris æque ac virtutibus excultus, ab Hettone socius legationis adoptatur. Suffectus tandem in ejus locum abbas, adeo virtutibus excelluit, ut magistro superiorem Walafridus asserere non dubitet. Quamquam idem maxime laudat Hettonis modestiam & humilitatem, numquam satis prædicandam. quippe

Hic pater ante fuit : modo filius adstat. obaudit,
Per natumque regi proprium vult corde paterno.

Certabat ex adverso Erlebaldi modestia, qui nihil inconsulto patre agere sustinebat. Hæc utroque vivente canebat Walafridus Strabo duodevicennis, Augiensis & ipse monachus, dein abbas, in carmine de visione Wetini, de qua sequenti anno agemus.

LIV. Meginradus Augiæ monachus, dein eremita.

Erlebaldi propinquus sanguine, ac discipulus fuit Meginradus, monachus & ipse Augiensis, dein eremita. Hic in Alemanniæ pago Sulgoviæ, ad Danubium, nobili genere ortus tempore Caroli Magni, puer in Augiensi monasterio educandus & instituendus Erlebaldo tum monacho traditur. Jam adolescens, anno ætatis vicesimo-quinto diaconus ordinatus, haud multo post ad presbyterii gradum, suadente magistro, promovetur. Eidem auctor fuit Erlebaldus abbas, jugum vitæ monasticæ ut demum subiret. Consensit ille salubri consilio, & promissionem fecit ex regulæ præscripto, nec segniter adimplevit. Dein ob probatos mores in quamdam monasterii cellam ab Erlebaldo mittitur, sitam juxta lacum Turicinum *, quem interfluit Lindemacus * fluvius, ut ibidem scholæ præesset. Forte aliquando piscandi causa cum scholaribus suis profectus ad fluvium quemdam, qui in illa solitudine decurrit, locum invenit vitæ solitariæ aptissimum, cujus desiderio mirifice captus est. Reversus ad cellam, re Deo commendata, cellam scholamque paullo post deseruit, eoque in loco cellulam sibi uni ad habitandum exstruxit anno ejus sæculi vicesimo-octavo, ibique septem annos solitarius exegit, matrona quadam necessaria suppeditante. Post annos septem vicinis populis vulgatus, turbam ad se venientium ferre non valens, locum mutat, atque in planitiem montibus circumseptam, adeoque accessu difficilem, quæ a prædicto lacu quatuor millibus distabat, se abdidit. Illic, subsidia ferentibus viris religiosis, in primis Heilwica abbatissa, necessariam sibi ædiculam construxit, & ad reliquum vitæ tempus consedit, assiduis se macerans jejuniis, jugi orationi insistens. Visitur ad hoc tempus haud procul ab Einsidlensi monasterio prima ejus sedes cum oratorio eidem sacro : quo ex loco regulam sancti Benedicti, scripta Cassiani, missalem librum & codicem homiliarum in posteriorem hanc cellam attulisse traditur. Heilwicam abbatissam, cujus opem Meginradus expertus est, eamdem esse putat Hartmannus monachus Einsidlensis cum Hildegarde, Ludovici Germanici regis filia, cui pater Tiguri cœnobium, *Frawenmunster* dictum, eo tempore ædificabat. at plusculum differunt hæc nomina, quam ut eidem personæ convenire possint ; necdum Hildegardis habilis fuisse videtur regendo virginum cœnobio, cum Meginradus in postremam hanc cellam se reclusit.

* de Zuric.
* Limmat.

LV. Diplomata pro S Gregorio, S. Grata, & Balneolis.

Hoc anno vir venerabilis Gotafridus abbas ex monasterio sancti Gregorii in Alsatia, quod alio nomine Confluens vocatur, a Ludovico imperatore in eleemosynam obtinuit partem quamdam silvæ eidem monasterio contiguæ, quæ ad fiscum Columbarium * pertinebat. Actum pridie idus Junii, anno decimo imperii Ludovici, indictione prima, Franconofurti palatio regio. Hoc præceptum habes in appendice hujusce voluminis. Post aliquot dies cum in eodem palatio imperator versaretur, Possedonius episcopus Urgellensis, sollicitus de monasterio sanctæ Gratæ, quod instauraverat, regiæ tutelæ ac defensionis præceptum a Ludovico * impetravit,
» procurante Matfredo comite, ita ut idem monasterium, quod dicitur sancta Grata,
» situm super fluvium Bosegiam, dicatumque in honorem sanctæ Dei genitricis Ma-
» riæ, cum cellula sancti Fructuosi, suisque appendicibus, sub regia potestate con-
» sisteret, sicut cetera Septimaniæ monasteria ; liceretque monachis eligere abba-
» tem, quemcumque voluissent, secundum regulam sancti Benedicti ; & ut nullus
» episcopus aut comes vel missus quamlibet ibidem dominationem aut tyrannidem

* de Colmar.
a Marca Hisp. col. 767. & seq.

exerceret. Datum Franconofurti XI. kalendas Julias, anno item decimo imperii, indictione prima. Idem privilegium post annos viginti Carolus Calvus confirmavit. AN. CHR. 823.

E palatio Franconofurti Ludovicus in Arduennam silvam venaturus; dein Compendium ad conventum indictum proficiscens, Attiniacum accessit. Illic cum versaretur, ejus celsitudinem [a] adiit Rampo comes, eidem suggerens, quod quidam vir religiosus, nomine Bonitus, quemdam locum desertum, Balniolas dictum, situm in pago Bisuldunensi, ubi antiquitus ecclesia fundata fuerat, concessu Odilonis quondam comitis accepisset, ibique construxisset ecclesiam in honorem sancti Stephani protomartyris cum habitaculis monachorum, qui ibidem sub norma religionis perpetuo degerent. Mortuo dein Bonito, quod Mercoralis vir venerabilis, agente Nimbridio archiepiscopo, in ejus locum suffectus sit, quem in præsentiam imperatoris adductum idem Rampo Ludovico augusto commendavit, & sub ejus tutelam & mundeburdem cum monasterio monachisque accipi rogavit, concedique liberam eligendi abbatis facultatem. quod imperator ratum habuit. Datum III. idus Septembris anno decimo imperii, indictione prima, Attiniaco palatio regio. quod privilegium postea Carolus ejus filius confirmavit, ubi Rampo marchio appellatur, ut Baluzius [b] observavit.

a *Capitul. to. 2. c. 1425.*

b *Ibid. col. 349. & 354.*

LVI. Commutatio Conchensium cum ecclesia Laudunensi.

Ejusdem imperatoris anno decimo facta est commutatio [c] inter Laudunensem ecclesiam beatæ Mariæ, & monasterium Conchense diœcesis Rutenensis, & quidem mense Septembri, cum Ludovicus imperator Aquis palatio versaretur, obiter forte, cum in Arduenna silva venationis causa moraretur. Eo accedens ex regione Aquitaniæ Anastasius abbas Conchensis monasterii sancti Salvatoris, ab imperatore petiit, sibi ut liceret commutationem quamdam facere cum Bertrando vasso dominico, qui quasdem res ecclesiæ Laudunensis in beneficium tenebat, positas in pago Arvernensi, juxta cellulam sancti Salvatoris, in loco, qui dicitur Molini-Piscini. Annuit petitioni imperator, designavitque missum venerabilem virum Stabilem episcopum, ut faciendæ commutationi præesset. Has itaque res dedit Bertrandus Anastasio abbati, qui vicissim partibus sanctæ Mariæ Laudunensis alia in eodem pago concessit, in his villam *in valle Ambianensi*, quam *Amalfredus abbas* Conchensi monasterio donaverat. Litteris commutationis subscribit Stabilis episcopus, nimirum Arvernensis, jubente Ludovico imperatore.

c *Capitul. to. 2. c. 1424.*

LVII. Gosbaldus abbas Altahensis.

Ad hunc annum refert Cointius præceptum Ludovici Bajoariæ regis, quod Gozbaldus abbas Altahæ-inferioris pro, ea qua pollebat apud eumdem principem, auctoritate obtinuit de quibusdam rebus, sitis *in villa, quæ vocatur Ingolstat*, quas idem Gosbaldus prius in beneficium habuerat. *Datum XV. kalendas Septembris anno septimo regni domni Ludovici regis in orientali Francia, indictione quarta. Actum Helicobrunno palatio regio.* Cointius reponit *indictione prima*, initio ducto regni Ludovici ab anno ejus sæculi septimo-decimo, quo is rex Bajoariæ dictus a patre est. Verum hoc in diplomate non agitur de regno Bajoariæ, sed Franciæ orientalis, cujus initium fere decennio serius statuendum esse inferius videbimus.

ANN. CHR. 824.

LVIII. Paschali papæ succedit Eugenius.

Postero anno Paschalis papa diem extremum obiit pridie idus Maii: cujus in locum Eugenius, eo nomine secundus, sublectus est non sine adversantium partium tumultu. Ad hunc componendum missus a Ludovico patre Lotharius, qui tum Compendii in palatio cum patre versabatur. Illic hujus initio anni, præceptum edidit pro ecclesia Comensi, ubi corpus sancti Abundii confessoris requiescere dicitur, ad preces Leonis episcopi, confirmans præcepta superiorum regum, ac judicium a Carolo Magno prolatum super altercatione quondam orta inter Petrum Leonis præcessorem, & Waldonem abbatem sancti Dionysii in Francia, de quibusdam rebus, sitis in Valle-Tellina, in ducatu Mediolanensi, quas Waldo monasterio suo asserere volebat. Hæ vero erant ecclesiæ tres baptismales, & monasteriolum sancti Fidelis, pertinens ad ecclesiam Comensem. Datum est hoc præceptum Compendii III. nonas Januarii, Ludovici augusti anno undecimo, Lotharii secundo, ex quo scilicet rex Italiæ a patre dictus fuerat, indictione secunda. Hoc præceptum ex Ughello Cointius retulit ad hunc annum: qua de re nihil legitur in antiquitatibus Dionysianis, nisi quod Dubletus [d] diploma Caroli Magni affert, confirmantis ea, quæ in Langobardia & in Valle-Tellina sancto Dionysio concesserat.

Lis de rebus S. Dionysii in Valle-Tellina.

d *Doublet p. 711.*

Lotharius inde Romam profectus, motus super electione pontificis exortos seda-

ANN. CHR. 824.

vit, & ne in posterum similes orirentur, edita constitutione præcavit, in qua non semel obedientiam domno apostolico inculcat. Hanc vero constitutionem fecisse a Cointio [a] dicitur, non ut urbis dominus, cujos dominium papæ jam ante septennium cum ducatu Romano Ludovicus cesserat, sed ut protector ac defensor, quam sibi suisque successoribus prærogativam hic retinuerat. Lotharium hoc in itinere comitatus est Hilduinus, archicapellanus, ac sancti Dionysii sanctique Medardi abbas, cujus consilio Lotharius motus illos composuisse dicitur, & statum populi-Romani ita correxisse, ut omnes qui rerum suarum direptionem passi fuerant, de restitutione bonorum sibi facta mirifice recreati fuerint. quod præter anonymum scriptorem libelli de translatione sancti Sebastiani testantur annales Laureshamenses. Wala etiam in Eugenii ordinatione multum laborasse a Paschasio [b] memoratur.

a *Coint. to 7. p. 699 & seq.*

Hilduinus Romam comitatur Lotharium.

b *Paschas. lib. 1. c. 28.*

LIX.

Legati orientis ob sacras imagines.

Interim Ludovicus in minorem Britanniam, quæ rebellionem moliebatur, profectus est, eoque bello confecto Rutomagum regressus, legatos Michaelis imperatoris hæretici, Constantinopoli missos, audivit, litteras cum donis afferentes, ad pacem, ut præ se ferebant, componendam, sed re vera ad bellum sacris imaginibus conciendum, adducendumque Ludovicum in impii belli societatem. Inter cetera munera legati attulerunt libros Dionysii de hierarchia, de græco in latinum conversus, quos in vigilia festi sancti Dionysii in ejus monasterio cum gaudio susceptos fuisse tradit Hilduinus abbas in epistola ad Ludovicum Areopagiticis præfixa. His divalibus litteris arguebatur intempestivum, ut ferebant, immoderatumque Græcorum studium in sanctas imagines: quod scilicet sanctas cruces de templis expellerent, earumque loco pictas imagines statuerent, accendentes coram eis lucernas, incensumque adolentes. ad hæc, quod eas psallendo adorarent, ab eisque auxilium peterent, easque filiorum suorum de baptismatis fonte susceptrices facerent. Quin etiam addebant, quosdam sacerdotum colores ex imaginibus erasos immiscere vino & oblationibus sacris; & ex hac oblatione, post missarum sollemnia, communionem sacram fidelibus porrigere; aliaque multa id genus apud Græcos patrari. Sane quod arguunt Græcos catholicos nonnullos, qui sanctorum imagines filiorum suorum de baptismatis fonte susceptrices faciebant, argumentum suppeditat factum Johannis Spatharii, qui sancti Demetrii imaginem pro susceptore adhibuerat. quod probat Theodorus [c] Studita. His litteris nonnihil commotus Ludovicus, petita ab Eugenio facultate, conventum episcoporum Luteciam-Parisiorum indixit ad kalendas Novembres anni sequentis: quo in conventu libellus ex sententiis patrum contextus est, assertumque retinendas imagines, at nequaquam adorandas, ullove superstitioso cultu honorandas, ut fusius suo loco videbimus.

c *Theodor. lib. 1. ep. 17.*

LX.

Theodemirus abbas refellit Claudii errores.

Græcorum hæreticorum contagione ante legatorum adventum afflatus fuerat Claudius episcopus Taurinensis, & non modo sacrarum imaginum, sed etiam sanctorum ac sacrarum reliquiarum, immo & sanctæ crucis cultum impugnare cœperat, insuper & imagines ipsas a cunctis parochiæ suæ basilicis eliminare & abolere. Idem Theodemirum abbatem in suas partes pertrahere tentaverat, commentario in Leviticum ei nuncupatn, in cujus fine conqueritur, quod ob veritatem, ut ipse dictitabat, assertam Augustini testimonio, adversariorum conviciis impeteretur. at Theodemirus adeo ejus erroribus suffragatus non est, ut ejus errores impugnaverit primus, & quidem vivente adhuc Paschali papa, ut ex quinta ejus objectione conjicitur, in qua domnum apostolicum ob illus errores Claudio valde indignatum esse aiebat. Ad quod respondens Claudius: *Hoc dixisti*, inquit, *de Paschali ecclesiæ Romanæ episcopo, qui præsente jam corruit vita.* Jam ergo devixerat Paschalis, dum Claudius hæc scriberet adversus Theodemirum, respondens ad quintam ejus objectionem, in qua Theodemirus dixerat sibi displicere, quod domnus apostolicus Claudio esset indignatus. *Quinta tua objectio est*, ait Claudius, *& displicere tibi dicis, eo quod domnus apostolicus indignatus sit mihi.* quæ Theodemiri verba Paschalem superstitem fuisse satis innuunt. Et Theodemirus quidem non acerbe, sed amice Claudium, scripta ad eum epistola, commonuerat, si quo modo hominem, quadam sibi necessitudine conjunctum, ab errore posset revocare. at ille litteris ab amico directis superbe ac proterve respondit, apologetico, quod vocat, edito contra Theodemirum abbatem: cujus defensionem Dungalus reclusus suscepit biennio post synodum Parisiensem; tum Jonas Aurelianorum episcopus sub extremum tempus Ludovici augusti tribus libris, quos iisdem Ludovico & Claudio mortuis perfecit,

ANN. CHR. 824.

cit, & Carolo Calvo nuncupavit, inserta in tertio libro maxima ex parte epistola Theodemiri abbatis, qui etiam tum decesserat, immo forte antequam Dungalus ejus defensionem suscepisset. Theodemirum adversus Claudium scripsisse primum, eumque amica epistola ad catholicas partes revocare studuisse, auctor est Jonas in libro primo, cujus hæc verba. *Quidam sane sancta religionis proposito venerandus, & honestate vita imitandus, debitoque honore nominandus, Theodemirus pater monachorum, nunc jam rebus humanis exemtus, cum jam longe lateque fama crebrescente, ab eodem Claudio talia geri & prædicari contra auctoritatem ecclesiasticam didicisset, caritatis officio ductus, & unice gentis amore provocatus, eidem Claudio, ut ab his se, qua reprehensibiliter agebat, & docebat, compesceret, litteris caritate refertis mandari curavit. Ille e contra fraterna admonitionis impatiens, turbidaque indignatione permotus, non solum in illum se juste redarguentem, verum etiam in omnes sancta catholica & apostolica ecclesia sincerissimos cultores, Galliam, Germaniamque incolentes, Christoque domino devotissime militantes, & ab imaginum superstitiosa adoratione immunes, diversarum reprehensionum ac vituperationum jacula intorsit, eosque & idololatriæ abominatione, & falsæ religionis superstitione, & innumeris aliis sceleribus irretitos, sicut textus suarum litterarum demonstrat, appellare non erubuit.* Hactenus Jonæ verba, quæ Theodemiri virtutem, pietatem, zelum & eruditionem non mediocriter commendant.

LXI. Peregrinationes a Claudio improbatæ.

Binas a Theodemiro in Claudium scriptas fuisse epistolas ex Jona intelligimus. In priori duo in Claudio carpebat, nempe quod sacrarum imaginum ac crucis dominicæ cultum abrogaret, & quod peregrinationes ad loca-sancta, ob venerationem sanctorum factas, improbaret. Accepta hac epistola, Claudius responsum edidit sub hoc titulo: *Apologeticum atque rescriptum Claudii episcopi adversus Theodemirum abbatem.* quo in rescripto errores suos pertinaciter defendit, ac Theodemirum sugillat, eidem objiciens, cur peregrinationes monachis suis ille interdiceret, quas in aliis fidelibus probabat. *Te ipsum primum interrogare volo*, inquiebat ille. *Si pænitentiam agere, esse Romam pergere nosti; cur tu tanto tempore tantas animas perdidisti, quas in monasterio retinuisti, & pænitentiæ causa in monasterio recepisti, & non eas Romam misisti, sed potius tibi servire fecisti?* Alteram itaque epistolam scribere coactus est Theodemirus, quæ itidem duas, ut prima, habebat partes. Pars prior epistolæ cum tota prima epistola intercidit: secundæ epistolæ posteriorem partem retulit Jonas in libro tertio, ubi Theodemirus ad hanc Claudii objectionem ita respondet, se ideo monachos in monasterio retinere, ne Romam pergant, quod sanctus Benedictus non aliam probet officinam, ubi instrumenta bonorum operum exerceantur, quam claustra monasterii & stabilitatem in congregatione; omnia monachis necessaria in monasterio concessa, ut nulla sit eis necessitas vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. Monachos ideo secreta monasterii petere, ut securi ab externis tumultibus esse queant; idque sancitum in synodo Chalcedonensi. Ceterum monachos suos ipsi non servire, sed mutuam ac reciprocam inter ipsum & fratres esse servitutem; seque contendere, ut minimum inter illos, ac ministrum omnium, non dominum se præstaret. Addebat Claudius, Theodemirum *habere catervam monachorum centum quadraginta, qui omnes pænitentiæ causa ad ipsum venerant.* Numerum agnoscit Theodemirus, at negat eos ad se venisse, sed ad Domini misericordiam convolasse dicit. *Non ergo eos ad me*, inquit, *venisse dixerim, qui non mei causa, sed salutis suæ, sæculo renuntiaverunt.* Theodemirum porro anno sequenti vel subsequenti decessisse inde colligimus, quod Dungalus altero anno post synodum Parisiensem ejus defensionem suscepit.

LXII. Glannafolium instauratur.

Sub idem tempus Glannafoliense apud Andecavos monasterium, conditum a sancto Mauro abbate, beati Benedicti discipulo, quod principatu Pippini regis a Gaidulfo Ravennate eversum ac profligatum diximus, a Rorigone comite, cui locus pæne desertus & vacuus a Ludovico augusto commissus fuerat, & a Bilechilde ejus uxore instaurari cœpit. Hi cum pari consensu vitam monasticam meditarentur, locum aliquando invisunt, ejusque vastitatem miserati, eumdem in pristinam religionem reformare constituunt. Hujus rei causa Lambertum, religiosæ vitæ virum, e Majori-monasterio S. Martini Turonis advocant, accito etiam Ebbone, viro strenuo, consanguinitate sibi conjuncto: quibuscum consilium suum communicant. Probato ab utroque consilio ac laudato ardentiores facti, confestim operi manum

ANN CHR. 824.

admovent, & novæ fabricæ fundamenta locant. Interim, quibusdam impedimentis remoram injicientibus, cum intermissum opus esset, admonetur in somnis Jacob abbas Cormaricensis, Rorigonem comitem in Britanniam adiret, eumque ad resumendum opus excitaret. Restitanti verbera inflicta conveniendi comitis necessitatem imponunt. Somnia hæc comiti visa: at ostensæ verberum cicatrices rem persuadent. Tum comes naufragii, conjux partus periculo liberati, ambo ad sancti Mauri tumulum accedunt. Comes de maturando opere cælitus admonetur. Vocati denuo Lambertus & Ebbo eos cohortantur, ut fabricam quantocius perficiant.

Loco itaque recepto, quem Bertingus quidam, non ignobili ortus genere, cum conjuge Huninga in beneficium ab ipsis acceperat, Rotigo & Bilechildis tanti operis adjutorem inquirunt. Venit in mentem Fossatensis monasterii religio, ubi Gauzbertus, frater ipsius Rorigonis, monachus erat sub Ingelberto abbate, vitæ sanctissimæ viro. Ingelbertum itaque litteris ac precibus sollicitant, pio ut operi adjutorem se præbere ne gravetur. Ille precibus eorum tandem victus, eo accedit cum perfectioribus e suis fratribus, quorum duo præcipui, magna duo in ordine lumina, fuere, Gauzbertus mox laudatus, & Willelmus, non imparis nobilitatis ac religionis asceta. Perfectis ædificiis, Ingelbertus non minimum fratrum numerum ibidem instituit; eisque in sancta religione confirmatis, dein ad propria reversus est. At vero comes, ne forte lapsu temporis regularis disciplina eo in loco tepesceret, a Ludovico augusto præceptum obtinuit, ut rectores Fossatensis monasterii curam ac sollicitudinem huic loco in posterum semper impenderent, tales ibidem instituendo præpositos & magistros, quorum nutu ac providentia cuncta illic interius, exteriusque studiose disponerentur. At brevi dissolutum est pium opus per Nortmannos. Hic est Rorigo comes parochiæ Turonensis, laudatus in actis [a] Aldrici episcopi Cenomannensis, unus ex his, cui inquisitio de monasterio Aninsulensi a Ludovico imperatore commissa [b] fuit, atque Ebroino præter alios Pictavensi episcopo, ipsius Rorigonis propinquo. Hic, accepto Glannafolio a Pippino rege, Fossatenses inde expulit post mortem Rorigonis, qui in monasterio Glannafoliensi humatus est. Bilechildis ejus conjux monasticam vitam professa, incerti loci abbatissa facta est, *speciale sancta viduitatu decus*, ait Odo abbas, qui plurima de his rebus ab ea se accepisse dicit. Exstat apud Beslium in historia episcoporum Pictavensium charta » Rorigonis comitis, qui prædium suum Maiminias, situm in pago Andecavensi, » sancto Mauro, sicut genitor ipsius Gauzlinus & mater Aldetrud habuerant, tradit « ad monasterium Glanna, ubi beatus Maurus corpore quiescit, & ubi vir venerabi- » lis germanus suus Gauzbertus, devotissimus Christi famulus, una cum aliis mona- » chis regularem vitam ducit, & filium suum Gauzlinum Deo obtulerat. Actum in » ipso cœnobio sancti Mauri anno vicesimo-sexto imperii Ludovici augusti, die sabba- » to, ipso die kalendarum Martii. Hæc continenter referre visum est, quod juxta sese posita magis quam divulsa elucescant. Ceterum Ingelbertus abbas Fossatensis successit Benedicto, superius laudato, non ante annum ejus sæculi tricesimum, quo fere anno Benedictus Fossatensem basilicam ab se conditam per Aldricum archiepiscopum Senonensem dedicari curavit. Is est Ingelbertus abbas, qui tractatus sancti Augustini in Johannem scribi jussit *in honore Dei & sancti Petri*, ut in codice Fossatensi legitur. Non confundendum monasterium Glanna seu Glannafolium, cum Glonna seu Glomna sancti Florentii cœnobio ejusdem diœcesis, quod Glanna nonnullis perperam appellatur.

a Balux. to. 3. Misc. p. 5.

b ibid. p. 117.

Glanna & Glonna diversa.

LXIII. Theodradæ abbatissæ & Einhardi abbatis commutatio.

Non rerum, sed personarum habenda ratio est referendis litteris Theodradæ abbatissæ Argentogilensis & Einhardi seu Eginhardi abbatis de commutatione quorumdam mancipiorum. Erat Theodrada seu Theodredana filia Caroli Magni, Ludovici augusti soror, superius [c] jam laudata. Convenit itaque inter Theodredanam » nobilissimam abbatissam monasterii sanctæ Mariæ Argentogilensis, atque inter ve- » nerabilem Einhardum abbatem, consentientibus ancillis Dei ejusdem parthenonis » & bonis viris, ut quædam inter se mancipia permutarent. Et quidem ex parte » Theodradæ abbatissæ datus Gulfocus presbyter: ex parte vero Einhardi duo pro » eo mancipia. Duæ utrimque conscriptæ hac de re litteræ de more pariculæ seu ejus- » dem tenoris: multa argenti obsistentibus imposita. Res tantilli momenti his riti- » bus sancita. Actum Argentogelo ante basilicam sanctæ Mariæ, anno undecimo re- » gnante domno HLudowico piissimo imperatore. Illud novum in hac commutatione,

c lib. 26. n. 95.

quod presbyter inter mancipia censeatur: cum servos ad clericatum non manumissos nefas esset promoveri. Forte Gulfocus invito domino ordinatus fuerat. Has litteras vide sis in libro sexto de re diplomatica. Non multo post eadem Theodrada petiit a Ludovico & Lothario augustis, ut monasterium Argentogilum, abbatiæ sancti Dionysii ab Ermenrico, ejusque conjuge Mumana conditoribus subjectum, quod ipsa per beneficium primo genitoris sui Caroli serenissimi imperatoris, dein Ludovici augusti acceperat, eidem abbatiæ post suum decessum restitueretur, nisi aliud ei monasterium in compensationem datum fuisset. Favit dilectæ sororis suæ precibus Ludovicus augustus, dato diplomate, quod Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovit, editum a Dubleto [a] absque chronicis notis. Effectu tamen caruit hoc Ludovici præceptum usque ad principatum Ludovici sexti, cognomento Crassi, cujus tempore Sugerius hoc monasterium sancto Dionysio postliminio vindicavit.

Diploma de restitutione Argentogili.

a *Dublet p. 736. & seq.*

LXIV. Hismundi abbatis lis cum suis monachis.

Fervebat hoc tempore simultas inter Hismundum abbatem & monachos suos, id est Medianenses, siquidem probatur nostra hac de re conjectura, quam superius [b] exposuimus. Adoptatus in ejus loci abbatem Fortunatus patriarcha Gradensis, portionem redituum monasterii peculiarem ac separatam agente Smaragdo abbate monachis concesserat, *ut regulariter viverent*. Effectus successit pro voto, *quousque Fortunatus recessit*. Id factum anno ejus sæculi vicesimo-primo, cum Fortunatus Constantinopolim se recepit, ut tradunt annales Laureshamenses; aut certe anno ejusdem sæculi vicesimo-quinto ineunte, cum Romam ex illa urbe profecturus, in Francia decessit. Suffectus in ejus locum Hismundus, haud dubie sæcularis itidem abbas, portionem monachorum usurpavit, pollicitus se omnia eis necessaria regulariter administraturum: at promissis non stetit. Offensi hac de re monachi, Frotharium episcopum Tullensem appellarunt. Promisit abbas episcopo, se omnia emendaturum. Verum monachi, jam ludificati, nullam ejus verbis fidem habuere. Negante abbate, se injussu imperatoris portionem monachis restituere velle; omnes communi consensu ac prece a Frothario facultatem adeundi imperatoris postularunt, dicentes, se malle de monasterio expelli, & ostiatim victum petere, quam falsis abbatis promissionibus credere. Annuit eorum precibus episcopus, eosdem scriptis litteris commendans tum Ludovico imperatori, tum Hilduino abbati, tum Getungo, *summo sacri palatii ostiario*. Hoc argumentum est trium primarum Frotharii epistolarum, inter quas epistola ad Ludovicum scripta desideratur.

b *lib. 28. n. 27.*

LXV. Erlefredus abbas Senoniensis.

Mediano-monasterio vicinum est Senoniense, cui tunc Erlefredus abbas præerat, Norgandi, superiori sæculo laudati, haud scio an proximus successor. Hoc monasterium, quod principio fuerat imperiale, tunc versabatur sub manu & potestate episcopi Mettensis ex eo tempore, quo Angilramnus ejus urbis antistes hunc locum a Carolo Magno obtinuerat, etiam postquam Norgandus abbas ab eodem subrogatus fuerat. Ex eo itaque tempore hujus cœnobii abbates, teste Richerio [c] monacho, ab episcopo Mettensi temporalia, a Tullensi vero spiritualia recipiebant. Cum hæc ita se haberent, contigit quosdam monachos Senonienses absque permissu Frotharii Tullensis episcopi extra diœcesim proficisci, obtentu quarumdam querelarum, quas ad imperatorem aliosve referebant. Conquestus est hac de re Frotharius epistola decima, *nobilissimæ dignitatis viro, & celso honore dignissimo Drogoni, ecclesiæ Mettensis episcopo*, inscripta: in qua ait sibi oppido displicere de quibusdam monachis cœnobii ejus, *cui Erlefredus rector esse videtur*, quod parochiam suam absque suo permissu, quasi ob quasdam reclamationes, egrediantur, & quo tendant, se penitus ignorare. Porro si ad eum veniant, ordinem canonicum debuisse conservari, nec sibi jus canonicum & reverentiam auferri. Addit in eadem epistola, esse aliam in sua parochia ejus dominationis cellam, sitam in Warengisi-villa *, quam etiam monachi Gorzienses sine sua licentia inhabitabant. *sed quia inter eos*, inquit, *me constat adolevisse, hæc utcumque mea parvitas tolerat.* Hæc villa & cella adjuncta est opido sancti Nicolai, penderque hactenus ab ecclesia Gorziensi, modo sæculari. In necrologio Senoniensi laudatur XII. kalendas Maii *Erlefridus abbas hujus loci*. De abbatibus Senoniensibus à Norgando, præter nuda quædam nomina, nihil fere habet Richerius chronographus usque ad Adelhardum, qui *quartus-decimus* [d] *a primo fundatore* fuisse dicitur, non tam abbas, quam dilapidator. Forte post Erlefridum locandus Boniceolus, cujus mentio est in veterrimo necrologio Au-

c *Spicil. to. 3. p. 303.*

* *warenge-ville.*

d *ibid. p. 317.*

ANN. CHR. 824.

giensi, & in Senoniensi v. kalendas Augusti, ubi *Bonciolus abbas hujus loci* appellatur, uti & apud Richerium [a], ubi Stephano abbati præponitur.

[a] ibid. p. 299.

LXVI. Visio Wetini monachi Augiensis.

Celeberrima in primis per ea tempora fuit visio Wetini monachi Augiensis, quæ hoc anno contigit paucis ante ejus obitum diebus. Fuerat is nobili ortus genere, primum canonicus, dein monachus Augiensis cœnobii, ubi etiam litteras docuit, &, quod Walafridus Strabo de eo canit,

Moribus in castis vitam medioeriter egit,
Laudibus ex hominum multas vulgatus ad oras.

Agebatur annus Christi concepti octingentesimus vicesimus-quartus, Ludovici Pii cæsaris undecimus ex eodem auctore, cum die sabbati, tricesima Novembris (forte dies æger erat) potionem quamdam procurandæ valetudinis causa, cum nonnullis fratribus sumsit: quæ potio ceteris profuit, soli nocuit Wetino, stomachum movit, fastidium ciborum ingessit. Dominica sequente levius habuit usque ad feriam tertiam: qua die sub vesperam, cœnantibus fratribus, in privatam cellulam se recepit: ubi lectulo compositus, clausis oculis, sed necdum in somnum resolutis, malignum spiritum cum caterva dæmonum; tum sanctos, angelumque, qui ipsum defenderent, sibi videre visus est. Expergefactus visum duobus fratribus narravit, preces pro se ab eis flagitavit, ac principium libri quarti dialogorum beati Gregorii papæ sibi legi rogavit. Post hanc lectionem, cum se in lecto ad quietem collocasset, eidem dormienti adstare visus est angelus, qui prius apparuerat; ab eoque ductus in purgatorium: ubi sacerdotes, monachos, Waldonem abbatem, Adalhelmum episcopum, Carolum imperatorem piacularibus tormentis addictos conspexit, comitesque non paucos, qui ob rapinas & injustitias in hæc tormenta conjecti fuerant. Dein longe gratissimum Vetino spectaculum objectum, nempe beatorum sedes, a quibus postridie se moriturum intelligit. Post hæc ab angelo duce varia ei monita pro aliis data. Pro monachis, ut a peculio & a cupiditate abstinerent; eibi potusque parcitatem, vestium modestiam, pauperiemque ac humilitatem sectarentur. Pro virginibus Deo sacris, ne viduæ eis abbatissæ præponerentur in dedecus ac probrum virginitatis, cui conservandæ fideles bona sua monasteriis contulerant. Nusquam melius institui monastici disciplinam, quam *in transmarinis regionibus* vigere. quod de orientalibus monachis, an de Britannicis intelligendum sit, incertum. Postremo ceteris hominibus nullum magis horrendum crimen, quam innaturale, quod causa esset pestis tum grassantis. Sibi demum redditus Wetinus, custodes excitat, visa refert, scribique quantocius postulat. Illi nocturnum silentium interrumpere non ausi, ut scriptorem accerserent, in primam lucem differendum monent, atque interim visa ceræ committunt. Prima luce adsunt Hetto, qui abbas & episcopus fuerat; Erlebaldus tunc abbas; tertius Tacens magister, quartus Theganmarus, venerabilis senex, *confessor fratrum*; quintus Tatto, e palatino factus olim monachus, Walafridi Strabonis magister. His omnibus visa raptim commemorat Wetinus, Hettone prosa oratione hæc litteris mandante: quod anno sequenti *Strabus Walafridus* metro reddidit, *jussu Adalgisi venerandi patris*; idque *Grimaldo capellano* palatii, & quidem summo, Wetini propinquo, nuncupavit, epistola præmissa, in qua *Erlebaldum dominum* seu abbatem, & *Tattonem præceptorem* suum laudat. Visis in litteras relatis, Wetinus Walafridum ipsum accersit, *breves* ad se commendandum monasteriis scribi jubet; nocte insequente psalmos pro se recitari præcipit, præitque omnibus ipse psallens; demumque *sumto viatico*, ultimam hujus vitæ instabilis clausit horam. Meminit hujus visionis Hincmarus Remorum antistes in epistola de visione Bernoldi presbyteri; & post eum Ratpertus monachus in libro de casibus monasterii sancti Galli, ubi codices bibliothecæ recensens, *visiones Wetini & Baronti* commemorat. De Baronti visione, deque similibus visis sancti Fursei abbatis in superioribus egimus. Vulgatæ sunt & aliæ nono sæculo, ut Audradi monachi revelationes; & sæculo insequente visiones Flothildis: de quibus quid sentiendum sit, paullisper inquirere non ab re fuerit.

LXVII. Quid de ejusmodi visionibus sentiendum.

Omnes ejusmodi visiones, ut verbo usitato loquar, conscriptæ videntur ad mores hominum componendos. Quasdam veras esse, nec omnino confictas haud dubito, qualis fuit hæc Wetini, ab Hettone, viro gravi, primum mandata litteris;

ANN. CHR. 824.

quales fuere Furſei abbatis & Drithelmi, aliæque nonnullæ a Beda bona fide relatæ; qualis etiam forte Baronti : at quo minus quædam etiam conficta fuerint, haud abnuerim. Nempe ut facilius homines a vitiis revocarentur, venit in mentem illorum temporum piis quibuſdam hominibus, viſiones ejuſmodi ſpargere in vulgus; quin etiam epiſtolas edere, tamquam cælo demiſſas, ut major dictis ſuis conciliaretur fides & auctoritas. Idem judicium eſt de quibuſdam epiſtolis confictis, qualis eſt epiſtola nomine Jeſu-Chriſti ſcripta ad commendandam in primis dominicæ diei obſervationem, a Baluzio edita in appendice capitularium. Ejuſdem generis fuerunt etiam duodecim capitula Gabrielis archangeli, quæ Albricus quidam cæcus Ludovico imperatori per Einhardum ſeu Eginhardum abbatem offerenda ac legenda tradidit, ut Eginhardus ipſe ſcribit in libro tertio de miraculis ſanctorum Marcellini & Petri, & poſt eum annales Fuldenſes.

Conſimilis ſuperiori epiſtolæ, ſi non eadem, eſt illa, quæ in Hiſpania ævo Gregorii Magni vulgata eſt ſub nomine Chriſti Domini, ac pro divina habita, lectaque publice a quibuſdam etiam epiſcopis, in his a Vincentio epiſcopo Eboſitanæ inſulæ, qui eam itidem legendam Liciniano epiſcopo Carthaginis-Spartariæ ſubmiſit. Verum has nænias rejecit prudentiſſimus antiſtes, ſcripta ad Vincentium præclara epiſtola, quæ ab eminentiſſimo Joſepho Aguirrio Cardinale primum publici juris facta eſt in tomo tertio [a] Hiſpaniæ conciliorum. In his litteris ſcribit Licinianus, ſe, acceptæ epiſtolæ lecto exordio, tales nænias impatienter tuliſſe, ſtatimque epiſtolam ſcidiſſe, & in terram abjeciſſe; ceterum ſe mirari, quod his fabulis credulus fuerit Vincentius, & de tribunali populis eas annuntiaverit, quaſi litteras a Chriſto miſſas : in quibus nec ſermo elegans, nec doctrina ſana reperiatur. *Abſit*, inquit, *a ſanctitate tua hoc credere, ut epiſtola nunc nobis mittantur a Chriſto. Sufficiat enim quod locutus eſt in prophetis, per ſeipſum, & per ſuos apoſtolos. Nam & de his non litteras tranſmittebat e cælo, ſed Spiritu-ſancto eorum corda replebat.* Ejuſdem argumenti eſt epiſtola hæc, atque illa Baluziana, nempe ad inculcandam religionem diei dominicæ, uſque ad ſuperſtitionem : illud tantum diſcriminis eſt, quod Baluziana *in Jeroſolymis ad portam* cecidiſſe dicitur : hæc vero de cælo deſcendiſſe *ſuper altare Chriſti in memoria* ſeu oratorio *ſancti Petri apoſtoli.* Sed hæc leviora mitto. In fine Vincentium graviter monet Licinianus, emendet quod temere credidit, & in conſpectu populi ipſam epiſtolam reſcindat, eumque pœniteat, quod de tribunali eam fecerit recitari. Deinceps ſi qua nova vel inuſitata, præter ſcripturas ſacras, divulgata fuerint, omnino abjicienda & deteſtanda noverit, beati Pauli apoſtoli ſequens doctrinam ex epiſtola ad Galatas : *Si quis evangelizaverit vobis præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.* Nunc reliqua hujus anni facta proſequamur.

[a] *D'Aguirro to. 3. p. 428. & ſeq.*

LXVIII. Agauni monachis canonici ſubſtituti.

Regebat hoc tempore Sedunenſem epiſcopatum Adalungus antiſtes, cujus inſtinctu monachis Agauno pulſis canonici triginta-duo hoc anno ſubſtituti dicuntur. Id pontificia auctoritate factum aiunt, poſtulante Ludovico imperatore. verum piiſſimi principis in monaſticum ordinem propenſio id credere non ſinit; & pontificis nomen, quem Alexandrum ſecundum, immani a Ludovico intervallo ſejunctum, vocant, ad hoc tantum invectum eſt, ut illi mutationi quidam affingatur color. Quamquam Alexander ſecundus proceſſu temporis id probare potuit, quod citra pontificiam auctoritatem Eugenii ſecundi, quem alii pro Alexandro obtrudunt, factum ſit ex ſola licentia monachorum, qui ſenſim, ut illis temporibus, ad canonicorum mores & habitum defecerint.

ANN. CHR. 825.

LXIX. Diploma pro Miciaco.

LOnge aliam de Ludovico piiſſimo imperatore opinionem nobis ſuggerunt varia diplomata & præcepta, quæ pro monaſtico ordine, tum conſervando, tum reſtituendo, variis monaſteriis conceſſit. Præter multa jam ſuperius memorata, unum occurrit anno ejus imperii duodecimo, Chriſti ſupra octingenteſimum viceſimoquinto, conceſſum Miciacenſi ſancti Maximini prope Aurelianos monaſterio, ad preces Jonæ ejus urbis epiſcopi; qui ordinem monaſticum ibidem reſtituerat per Benedictum abbatem Anianenſem. quod ut futuris temporibus inconvulſum & inviolatum eſſet, a Ludovico petiit, ut privilegium, quod ipſe ob divinæ ſervitutis honorem, & monaſticum ordinem inibi conſervandum, aſſenſu metropolitani ſui Hieremiæ & canonicorum ſuorum, eidem loco fecerat, imperiali auctoritate confirmaret. nempe ut in eadem cella, *in qua olim ſanctos viros ſub monaſtico ordine probabiliter vixiſſe, Deoque placuiſſe evidentia argumenta teſtantur, quorum etiam in-*

AN. CHR. 815.

» *terventu idem ordo in eodem loco creditur esse restitutus*, Aurelianensibus episcopis » procurantibus semper regularis ordo religiosissime teneatur ac custodiatur; & post » mortem abbatis alius secundum idem privilegium eligatur; ad hæc ut res ab ipso in » usus monachorum concessæ non minuantur ab episcopis, immo potius, siquidem li- » buerit, augeantur. Si secus faxint, res ad notitiam Senonici metropolitæ referatur, » qui omnia in statum pristinum revocare curet, adhibitis suæ diœceseos suffraganeis » episcopis. Actum Aquisgrani XIII. kalendas Martii, anno Ludovici piissimi au- gusti duodecimo, indictione tertia. quod diploma Cointius integrum ex chartario Aurelianensi retulit. Post aliquot menses Alboinus abbas Aninsulæ a Ludovico augusto præceptum obtinuit de libera eligendi abbatis facultate, datum Aquisgrani pridie kalendas Junii, anno duodecimo imperii Ludovici, indictione tertia. Hic est Alboinus abbas, aliis Albanus [a] dictus, qui sancti Carilefi basilicam amplificavit, ornavitque, eamque per juniorem Franconem episcopum Cenomannensem consecrari curavit, & corpus sancti Carilefi in eamdem transferri. Idem privilegium Reinoldus abbas a Carolo Calvo renovari impetravit.

Aliud pro Aninsula.

a Analect. to. 3. p. 273.

LXX.

Cluniaci permutatio a Ludovico confirmata.

Aquisgrani adhuc versabatur Ludovicus III. nonas Junii, cum Cluniaci permutationem, ab Hildebaldo Matisconensi episcopo factam, procurante Hilduino abbate & archicapellano, confirmavit. Non leviter prætereunda ejus rei commemoratio, quod prima hæc sit insignis postea loci mentio, qui celeberrimo ejus nominis monasterio dedit originem. Is mihi videtur esse Warinus Arvernorum comes, qui una cum Berengario Tolosæ [b] comite Lupum-Centulli Wasconem rebellantem vicit, & coram imperatore læsæ majestatis convicit anno ejus sæculi undevicesimo. Tunc Cluniacus villa pagi Matisconensis pendebat ab ejus urbis ecclesia, eamque Leduardus antistes obtinuisse dicitur a Carolo Magno in augmentum dotis ecclesiæ suæ cathedralis, sancto Vincentio martyri sacræ, cui hoc anno Hildebaldus præsidebat. Hunc inter & Warinum comitem, & uxorem ejus Albanam convenit, » ut commutationem quarumdam rerum inter sese facerent pro communi sua utilitate. » Dedit itaque Hildebaldus episcopus, *ex ratione sui episcopatus*, Warino comiti & » uxori ejus Albanæ in pago Matiscensi villam, *cujus vocabulum est Cluniacus*, cum » ecclesia ejusdem villæ, & cum casis, agris, ceterisque ad eam pertinentibus; nec- » non villam Loptannacum * in pago Nivernensi cum sua ecclesia. Warinus vero » & Albana eidem Hildebaldo ad partem ejus ecclesiæ tradiderunt villam Genulia- » cum in eodem pago Matiscensi cum ecclesia ibidem constructa, ejusque appendici- » bus; necnon *in ducatu Arvernico*, pago Donobrensi, villam Lituinias, cum rebus » omnibus ad eam pertinentibus. qui posterior locus conjecturam nostram de Warino Arvernorum comite non parum confirmat. ubi vides, ecclesias laicis tum concessas etiam ab episcopis, nempe cum earum dote, sic tamen, ut ministros ecclesiæ procurarent. Duo pro more illius permutationis paria exempla confecta. quæ omnia » Ludovicus singulari diplomate rata habuit, dato Aquisgrani III. nonas Junias, » anno duodecimo domni Ludovici piissimi augusti, indictione tertia; idque Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovit. Litteras hujusce permutationis legimus in chartaceo codice bibliothecæ Boherianæ apud Divionem, simulque notitiam investituræ de Cluniaco factam per Hildebaldum episcopum in manus Warini comitis & uxoris ejus, quæ constanter *Alba* seu *Albana*, quod perinde est, appellatur. Utræque litteræ datæ sunt *anno duodecimo regnante Ludovico imperatore*, uti & præmissum Ludovici hac de re diploma, quod multoties recusum exstat tum apud Chesnium in notis ad bibliothecam Cluniacensem, & in historia domus Vergiacensis, tum apud Petrum Cussetum in historia Cabilonensi, tum apud Cointium, aliosque. Quo pacto Cluniacum Ava obtinuerit, incertum: quem locum postea Willelmo fratri suo ad condendum cœnobium, toto orbe celebratum, concessit, ut suo loco videbimus. Non me fugit Avam hanc nonnullis eamdem videri cum Alba seu Albana Warini uxore. sed præter nominis dissimilitudinem, id omnino repugnat Avæ ætati, quæ ultra annum nongentesimum processit, patremque Bernardum non ante annum octingentesimum octogesimum-sextum amisit. Ceterum Hildebaldus » episcopus in villa Cluniaco *nobile cœnobium* in honorem beatorum apostolorum Pe- » tri & Pauli condidisse, & sacrasse dicitur in quodam instrumento, a nobis alias [c] » relato; eique duas ecclesias, unam in villa Corta, alteram in villa Galoniaco, assignasse. quod proinde clericorum collegium fuerit ante conditum a Willelmo cœ-

b Eginardi annal.

* al. Aptannacum.

Warinus comes Arvernorum.

Alba ejus uxor & Ava distinctæ.

Cluniaci status.

c Sæc. 5. Benedict. p. 75.

nobium monachorum. Certe ante cœnobii conditionem duæ illic ecclesiæ erant, una sancti Petri, quæ præcipua erat; altera sanctæ Mariæ; & quædam donationes *sacerdotibus servientibus in ecclesia sancti Petri* ante id tempus factæ leguntur. Hæc in antecessum de celeberrimo loco. ANN. CHR. 825.

Michaëlis imperatoris orientis legatis ac litteris permotus Ludovicus augustus, synodum episcoporum Luteciam-Parisiorum ad kalendas Novembris indixit, ut Gallicanæ ecclesiæ sententiam ac fidem de cultu sacrarum imaginum proferrent. In illa synodo conditus est liber, collectus ex sententiis veterum patrum & monumentorum ecclesiæ, quibus probaretur, retinendas quidem in ecclesia imagines ad fidelium documentum: at nequaquam adorandas, ullove superstitioso cultu honorandas. Hujus collectionis præcipuus auctor censetur Agobardus archiepiscopus Lugdunensis. Missus liber Aquisgranum per Halitgarium & Amalarium episcopos ad Ludovicum, eidemque oblatus VIII. idus Decembris, ad Eugenium papam postea perferendus. Præcipitem collectorum diligentiam arguit Baronius, quod prolixa collectio intra tam breve spatium cum maturo judicio fieri non potuerit. Sed cum vereretur Ludovicus, ne lecto integro libro pontifex commoveretur; collecta ex eo capitula ei direxit per Hieremiam Senonensem & Jonam Aurelianensem antistites, dato mandato, ut hac de re prudenter ac moderate cum Eugenio agerent. Quis fuerit hujusce legationis exitus, incertum: nisi quod Gallicana ecclesia in sua sententia perstitit usque ad finem sæculi noni, quo fere tempore cum aliis ecclesiis in consensionem venit, approbato moderato cultu, quem sub adorationis nomine antea rejiciebat. Multa in hunc librum objiciunt Baronius & Bellarminus, quæ non sunt hujus loci. Hæc tantum in transcursu delibasse sufficiat ad ea illustranda, quæ inferius hoc de argumento dicentur. LXXI. Synodus Parisiensis de imaginibus.

Wetini visionem Walafridus Strabus seu Strabo hoc anno in paschali festo versibus heroicis reddidit, quam Hetto, quondam episcopus & abbas, prosa oratione litteris anno superiore mandaverat. Hanc lucubrationem Walafridus aggressus est *jussu Adalgisi venerandi patris*, eamque Grimaldo archicapellano Ludovici Germaniæ regis nuncupavit, cum vix annum ætatis octavum-decimum transegerat, ut in epistola nuncupatoria de se ipse testatur. De viro non incelebri quædam hic in antecessum præmittenda, quæ dicendis afferent lucem. Walafridi genus & patriam ignoramus, quamquam eum ex Alamannia ortum fuisse nulla mihi dubitatio. In carmine ad Chonradum comitem, obscurum ingenio, *atque natalibus* se dicit. Strabus vel Strabo indiscriminatim dictus est, quod oculos distortos haberet. tametsi se Strabum dicere malebat. Hinc in versibus ad Grimaldum magistrum, quem alio nomine Homerum vocat: LXXII. Walafridi Strabonis vitæ compendium.

Edidit hæc Strabus, parvissima portio fratrum.
Augia quos vestris insula alit precibus.
Strabonem quamquam dicendum regula clamet,
Strabum me ipse volo dicere: Strabus ero.

Augiæ monachum & alumnum fuisse, vel ex his versibus patet, quem recentiores plerique, post Trithemium, sancti-Gallensibus adjungunt. Augiam ipse suam iterum vocat in fine poëmatis de sancto Mammete martyre.

Illic sancte tui Mammes memor esto poëta,
Augia quem felix Strabonem nomine nutrit.

Herlebaldum Augiæ abbatem dominum, Tattonem præceptorem, Maurum HRabanum etiam magistrum suum vocat. Præcocis ingenii eum fuisse probant versus ab eo scripti ad Ebonem Remensem anno ætatis quinto-decimo, aliaque ad Agobardum Lugdunensem archiepiscopum,

Dum vix ter senos habuisset temporis annos.

quo anno Wetini visionem versibus lusit, acrostichis nomina retegens quorumdam mortuorum, quos Hetto nominibus propriis, ut eorum memoriæ parceret, designare noluerat. Familiaritatem habuit cum primoribus ejus temporis viris, immo

ANN. CHR. 825.

etiam cum regibus, quos versibus celebravit. Ejus poëmata primus edidit Henricus Canisius: in quibus suum in litteras studium prodit Walafridus, ita scribens ad Agobardum:

Nam, fateor, si certa mihi nunc optio detur,
Ut capiam mundi dona, vel ingenii:
Otia liberius verum secura sciendi,
Aurea quam sacla, sed peritura, sequar.

Hæc juvenilia oblectamenta erant. Ceterum ad seria quoque studia eum haud inhabilem fuisse testantur relictæ ab eo lucubrationes, nempe libri duo de vita & miraculis sancti Galli, quos etiam metro reddere cœperat, sed opus imperfectum reliquit: liber de vita sancti Othmari abbatis sancti Galli; expositio in septuagintasex primos psalmos, quæ nondum edita servatur in bibliotheca sancti Galli; glossæ in scripturam sacram; denique liber de ecclesiasticis officiis, quod præcipuum ejus opus est. De his, deque abbatiali ejus dignitate & obitu pro nata occasione inferius agendum.

LXXIII. Hunnafeldense monasterii.

Sub initium hujus anni factus est *publicus conventus Popponis comitis & totius comitatus in terminis villa, quæ dicitur Geismari*, in eoque facta est magna inquisitio de terminis monasterii, *quod nuncupatur Hunnafeld*, cujus bona quidam vicini invaserant. Pendebat hoc monasterium a Fuldensi, cujus legati ad hoc placitum convenerant. Restitutio ab invasoribus facta, qui ea in beneficium deinceps acceperunt. Exstat in libro secundo traditionum Fuldensium [a] ejus placiti notitia, facta anno ab incarnatione Domini octingentesimo vicesimo-quinto, Ludovici imperatoris duodecimo, mense Februario, id est x. kalendas Martii. Porro hoc monasterium virginum a Carolo Magno sub titulo sanctæ Crucis originem habuisse, & in collegialem vertisse ecclesiam, ex Browero [b] intelligimus, qui collegiales ecclesias, Fuldensi olim monasterio subjectas, recensens, primo loco meminit *sanctæ Crucis Hunfeldiæ ex parthenone virginum a Carolo Magno*: at situm non indicat. Aliud placitum Popponis comitis anno Ludovici quarto-decimo habitum [c] est, cui Rabanus abbas interfuit.

a Tradit. Fuld. p. 544.
b Antiq. Fuld. p. 147.
c Tradit. Fuld. p. 145.

LXXIV. Arnulfus aliique abbates insignes mortui.

Hoc eodem anno e vivis excesserunt insignes abbates, Arnulfus Glonnensis seu sancti Florentii veteris apud Pictones in diœcesi Andecavensi, Apollinaris Flaviniacensis simul & Reomaensis in Burgundia, quibus Frodbertum abbatem sancti Petri apud Senonas adjungunt. Laudatus est jam non semel Arnulfus abbas Glonnensis, idemque, ut mihi videtur, Herensis, qui non parum contulit cum Benedicto abbate Anianensi ad restituendam in Gallia monasticam disciplinam. Ejus obitus notatur hoc anno, successorque Hilboldus in brevi chronico Glonnensi, his verbis: *Anno octingentesimo vicesimo-quinto, indictione tertia, Hilboldus abbas efficitur, obeunte Arnulfo anno sexto-decimo*, id est, si bene capio, anno regiminis sui sexto-decimo. Ejusdem nominis eodemque tempore abbates Herenses fuere Arnulfus & Hilboldus, nisi quod superiori anno Hilboldus Arnulfo successisse dicitur, sed facili calculi errore, qui non impedit, ne unos eosdemque utrobique abbates fuisse existimemus. Hinc corrigendus index abbatum sancti Florentii in Gallia christiana, ubi Frotbertus Arnulfo subrogatur, qui non Arnulfo, sed Hilboldo post annos aliquot suffectus est. Apollinaris abbas obiit pridie kalendas Aprilis, anno duodecimo imperii Ludovici, ex chronico Hugonis abbatis Flaviniacensis. Successit in utroque loco Vigilius, Flaviniacensi nimirum & Reomaensi. Defuncto etiam per id tempus Frodberto abbati sancti Petri apud Senonas suffectus est Albertus. Obiit eodem anno abbas Castrensis, cujus nomen ignoratur. Adelmus ejus successor ab astrologorum deliriis conversus est ad speculanda librorum sacrorum mysteria, ut ex his versibus intelligitur.

Quæ ventura forent, tentavit prodere Adelmus,
Astrorum vanis lusus imaginibus.
Ex libro Mosis vitæ secreta futura
Novit, & hoc sacro lumine vera videt:
Astrorumque loco sunt illi vulnera Christi.
Non sunt majora his sidera vulneribus.

Insignium

ANN. CHR. 815.

LXXV. Montis-ferrati descriptio.

Insignium ordinis nostri locorum, etiam ante condita inibi monasteria, investigare origines, non videtur a nostro proposito alienum. Hoc in genere modo nobis occurrit Mons-ferratus, celebri in primis nostri ordinis monasterio, sed præcipue beatissimæ virginis Mariæ cultu illustris, cujus primam celebritatem ad hæc tempora refert illustrissimus Petrus de Marca, edita singulari dissertatione de origine & progressu cultus beatæ Virginis in sacro illo monte. Et primo quidem præmittit ejus loci descriptionem, quam totidem magni viri verbis [a] huc afferre gloriabimur. Celebris est in Lacetania Mons-ferratus, Dei-paræ virgini jam olim hodieque sacer, „
& monasterio ordinis sancti Benedicti insignis, non tantum ob cautium eminentiam „
commendandus, sed præcipue ob ludentis naturæ in effigianda illa mole artificium. „
Ibi enim ab imis radicibus in columnarum modum perpetua serie ex latere uno, qua „
Rubricato flumine abluuntur, jugi fastigia consurgunt. Illis imminet via ad latus, „
ornata virentibus arborum foliis, ne oculi viatorum conspectu præcipitii lædantur, „
quod infra est. Hac igitur ad aream planam, in qua conditum monasterium, & „
elegans basilica nova veteri adjecta. Inde prospectus est, hinc ad inferiora juga, „
Anlesæ & Martorelli oppida; illinc ad subjacentem vicum Monasteriolum *, & in „
pagos Vallensem atque Manresensem, & in Pyrenæos montes, quamquam longo „
intervallo remotos. Ex hac area rursum ædibus imminentes scopuli ordine & fi- „
gura columnari caput in altum efferunt: ad quorum verticem laboriosis & angustis „
scalarum gradibus rupi affixis eniruntur quidam: alii vero per anfractum montis & „
scrupeas semitas. Inibi mons in duas partes, ac si serra sectus esset, unde illi nomen, „
finditur, per scopulos sese continuos attollens, convalle per declivia jugorum hine „
& inde porrecta, quæ torrente e superiore vertice delapso, & aggesta e confluenti- „
bus quaquaversum imbrium ruinis aqua tumido, per medium fere secatur, Vallis- „
mala dicta; quæque dein ad monasterii muros promissa, desinit in Rubricato. Et „
hic est limes episcopatuum Barcinonensis & Ausonensis sive Vicensis. Ceterum su- „
perior illa pars convallis, asperrimis rupibus & arboribus intersecta, ab anachoretis „
incolitur: quorum casæ saxis affixæ aptam huic vitæ instituto habitationem præ- „
bent. Hactenus a viro eloquentissimo descripta est pars montis potior, qua scilicet a Rubricato ad ædem sacram orienti obversa protenditur; deinde ab æde illa ad convallem & summum montis cacumen. Si quis Barcinone istue accesserit, alia se prodit ejus montis facies ad meridiem. Continui enim scopuli videntur, illinc nu- „
di, hinc arboribus vestiti, in altum assurgentes, qui viatori spem itineris asperitate „
sua penitus adimunt, nisi quatenus se viæ exordiis committens, per illud latus mon- „
tis in gyrum enititur, & ad illam viam accedit, quæ in flexu orientis columnatis „
jugis imposita occurrit, uti jam diximus. Per illud autem flexuosum iter gradienti- „
bus, postquam ad editiora loca perventum est, amœnissimus est prospectus in subja- „
centem oram usque ad campum Penitensem & montes illos, qui cingunt Tarraco- „
nensem. A latere septemtrionis mitior est via, luxuriantibus arborum frondibus „
perpetuo virens, quæque oculis blanditur per novas rupium figuras, quæ, fere con- „
tinuæ & indivisæ, in varios cuneos fastigiantur: ita ut hinc turrita castella, illinc „
organorum musicorum tubi, alibi eques insidens equo, atque aliæ diversæ figuræ ex- „
primi videantur, miro naturæ lascivientis opere seu prolapsione. Hactenus Montis- „
ferrati descriptio, prolixa quidem, sed grata & jucunda non solum ob celebritatem loci, sed etiam ob auctoris illustrissimi elegantiam & auctoritatem, qui locum sacrum curiose lustraverat, & præcipuo studio venerabatur.

[a] Marca Hisp. col. 306.

* Monistrol.

LXXVI. B. Maria quando illic coli cœpta.

Jam vero quo tempore gloriosissima Virgo Dei genitrix in sacro illo monte coli cœperit, non levis est difficultas. Propius fidem est id quod scribit [b] eruditissimus antistes, Francos illius cultus fundamenta jecisse, quando Ludovici regis ductu, & Caroli Magni illius patris auspiciis, Barcinonem civitatem a Sarracenorum servitute vindicarunt. Obsessa quippe Barcinone anno octingentesimo-sexto, & Mauris erepta Gallicorum armorum pondere atque Christianorum indigenarum deditione, ad castrum quoque Terraciæ eadem felicitate pugnatum est. quod opidum est non ignobile, in Vallensi pago situm, in conspectu Montis-ferrati, modico ab ejus radicibus intervallo. Est in eodem quoque Vallensi pago sancti Cucufatis monasterium, a Ludovico tunc excitatum in ruderibus castri Octaviani. Quid vetat, quin suam quoque in beatam Mariam pietatem protulerit, oratorio in montis illius jugis excitato; ibique victoriarum suarum veluti trophæum in jugis illis posuerit? Accedit

[b] ibid. col. 333. & seqq.

ANN. CHR. 825.

quod anno præsenti octingentesimo vicesimo-quinto accidit infausta illa & nefanda Aizonis Gothi proditio, qui a comitatu regio ex Gallia secedens, Ausonam per dolum invasit, & auxilio Abderhamenis Sarraceni avulsit a regno Gallico, quidquid a Rubricato amne usque ad Sicorim & Iberum intercipitur. quæ tamen ab Aizone vix retenta, in Sarracenorum ditionem mox integra cessere: donec victricibus armis Wicfredi comitis Barcinonensis ex parte repetita sunt, propagato dein per varias bellorum vices sequentium comitum imperio, qui tandem Ilerdam & Dertusam recepere. Wicfredus ille, cui Pilosi cognomen hæsit, primus Manresæ opidum cum adjunctis agris, ipsoque Monte-ferrato usque ad Equalatam eripuit a Sarracenis, adjecta regioni isti Manresensis comitatus nomenclatura & dignitate. Tunc ad Ausonensem pagum profectus cum exercitu, Mauris ex eo undequaque pulsis, ad restaurandas ecclesias animum convertit anno octingentesimo octuagesimo-octavo. Idem ecclesiam vici Ausonensis luculentis reditibus donavit, & monasterium Rivipullense ordinis sancti Benedicti, a se conditum, summa cum munificentia locupletavit. Inter cetera illi contulit ecclesiam beatæ Mariæ, in cacumine Montis-ferrati positam, ut patet ex tabulis donationis, quas Lotharius rex Francorum confirmavit, facta mentione diserta ecclesiæ beatæ Mariæ, sitæ in cacumine Montis-ferrati. Exstabat ergo ibidem beatæ Mariæ ecclesia, & quidem ante illam Aizonis defectionem & Sarracenorum deinde in ea loca imperium, atque adeo ante annum octingentesimum vicesimum-quintum. Si quis vero ejus ecclesiæ originem referre velit ante Maurorum in Hispanias irruptionem, quæ accidit anno septingentesimo decimo-quarto, non omnino repugnat illustrissimus dissertator, quando major ecclesiæ vetustas adjicitur, quod est præcipuum ejus dissertationis propositum, etsi de Francorum gloria, quam suo illo opere commendare volebat, inde aliquid detrahatur. Certe vetus locorum traditio habet, repertam illic a pastoribus imaginem beatissimæ Virginis, natum sinu suo complectentis: cujus religione perfusi vicini, atque adeo Franci regionis indeptæ domini, una cum Gotholensibus indigenis consilium de construenda in ejus honorem ecclesia sumserint. Quo vero tempore ad illam ecclesiam insigne, quod modo illic visitur, cœnobium accreverit, suo loco dicturi sumus.

ANN. CHR. 826.

LXXVII

S. Aniani monasterium in Septimania conditur.

* S. Chinian.

* Beziers.

* Vernazoubre.

Non ultra hunc annum differri potest origo monasterii sancti Aniani * & sancti Laurentii martyris, quod Durandus abbas in pagi Narbonensis villa, olim dicta Vernodubro ad fluviolum cognominem exstruxit. Distat æquali fere octo milliarium intervallo a Biterris * & a sancto Pontio-Tomeriarum, positum, ut dixi, ad amnem Vernodubrum *, in valle peramœna. Ut ejus monasterii primordia ulterius non differamus, persuadet regiæ tutelæ præceptum, Durando abbati a Ludovico & Lothario augustis concessum anno imperii tertio-decimo, ejus sæculi vicesimo-sexto. » Illis litteris notum fit universis, quod Durandus abbas in Septimaniæ pago Narbonensi monasterium novo opere in honorem beatissimi Aniani confessoris Christi inchoaverit in villa, quæ dicitur Vernodubrus, loco Holatiano, in proprio, quod Ludovicus imperator eidem liberali munificentia contulerat. ibidemque monachos perplures congregaverit, quibus abbatem, nomine Woïcam, præfecit, quibusdam rebus, mancipiis, libris, variaque supellectile eidem monasterio collatis. quæ omnia per chartulam traditionis Ludovico imperatori ad proprium tradere cupiebat; ut per ejus providentiam & auctoritatem monasticus ordo ibidem in perpetuum conservaretur. Hoc donum gratanter accepit imperator, atque hoc monasterium cum universis rebus ad illud pertinentibus in suam defensionem suscepit: ut quietius ibidem servi Dei vivere, ac Domino famulari possent, & contra malos homines res ejusdem cœnobii defendi, sicut aliæ res imperialis proprietatis: rogans insuper successores suos, ut idem monasterium sub sua speciali tuitione retineant, neque patiantur, ut episcopo, ullive alteri monasterio subjiciatur, aut in beneficium cuivis tribuatur. Denique constituit idem imperator, ut mortuo abbate monachis alium per suum ipsius successorumque consensum secundum regulam eligere liceat. Actum Carisiaco palatio regio kalendis Augusti, anno tertio-decimo Ludovici piissimi augusti, Lotharii quarto, indictione quarta. Hirminmaris notarius ad vicem Fridugisi diploma recognovit. Quis fuerit ille *Durandus abba*, sic eum nude Ludovicus in superiori diplomate appellat, haud compertum. Non videtur ulli monasterio addictus fuisse, sed potius unus ex illustribus illis abbatibus, qui in comitatu imperatoris erant.

alias certe monasterium suum ipse rexisset, non per Woïcam, & imperator eum certi monasterii abbatem dixisset. Sunt qui putent eum esse Durandum diaconum, qui Helisacaris, & Fridugisi notarius erat, multaque diplomata ad eorum vicem recognovit ac subscripsit. Hæc conjectura, quam in medio relinquere malim, quam incassum discutere. De Woïcæ abbatis rebus gestis ac successoribus nihil invenimus ante Frojam abbatem, qui locum rexit Caroli Simplicis principatu.

LXXVIII. Adalhardi abbatis Corbeiæ obitus.

Sed reflectenda oratio est ad hujus anni initium, quo sanctus Adalhardus senior, magnum illud Corbeiæ, immo totius monastici ordinis, ne dicam Galliæ, lumen, (*præsidium totius Europæ* vocat Paschasius) exstinctum est, immo in cælos translatum, ut fulgeat in perpetuas æternitates. Sub finem aoni superioris, cum emeritus senex, velut alter Simeon, ad natalem Domioi diem accensis lampadibus occurrere, & regem regum Dominum Jesum-Christum, procedentem de thalamo suo, ulnis suis suscipere studiose pararet; triduo ante sacrum illud festum gravissima febre tentari cœpit, dum pro suo more media nocte in basilica precibus vacaret ac lacrymis, unde cognomen Jeremiæ accepit. Ita nihilo minus perdurans ad vigilias tantæ festivitatis, iisdem una cum fratribus interfuit, quo altius canebant chori, eo amplius in jubilo mentis effusus in lacrymas; sicque ad matutioas laudes perseveravit. Ingravesceote in dies morbo, ipse nihilo miuus invicto animo jugiter Deo intentus erat, rebusque omnibus providendis & ordinandis, quasi nihil mali pateretur. sed præcipue expurgandæ conscientiæ animum applicabat; veniam de erratis ab omnibus petens, omnibusque tribuens: & cum ad quædam discutieoda non satis parem se crederet; quibusdam e fratribus, quorum unus Paschasius erat, ea examinanda exposuit, anxius ac sollicitus, an divinum de his judicium sustinere posset, quæ magis alios, quam ipsum spectabaot. Serenata demum conscientia, omnes ac singulos monebat instruebatque, & ut post obitum suum de eligendo successore pacifice agerent, hortabatur, nulla Walæ fratris mentiooe facta. Dein fidem suam exposuit; ac salutaria monita, quæ suis commendare solitus erat, denuo ioculcavit, ut ea firmius eorum animis inhærerent. Interim quotidie in oratorio beati Martini, quem profusiori studio semper coluerat, missas audiens, communionem sanctam percipiebat ad ultimum vitæ suæ diem. Eo instante, adfuit e Bellovacis beatus vir Hildemannus episcopus, quem ipse monachum nutrierat, eique deinceps jugiter adstitit ad extremum vitæ halitum, atque ipsum propriis manibus una cum fratribus sepelivit. Eodem monente interrogatus vir sanctus a fratribus, qui eum peccatorum pondere prægravatum non esse sciebant, num benedicto oleo, sicut ab apostolo Jacobo traditum est, perungi vellet; tum ille, erectis in cælum oculis, id se maxime cupere significavit. Dum hoc sacramentum eidem ministraretur; ipse lacrymis perfusus, oculis in Deum defixis, extensis ad cælos manibus, invocans Spiritum-sanctum dicebat: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secuodum verbum tuum in pace, « quia percepi omnia tui mysterii sacramenta. Et ounc quid superest, nisi ut ad te « veniam? verumtamen non sicut ego volo, sed quod tu vis fiat. Deinde frequenter « ingeminabat, se lætum mori, ut ad Deum perveniret, & ad gaudia sempiterna. Denique Christi Domini visione recreatus, peracto die octavo natalis ejus, prima luce diei sequentis matutinos coram se recitari præcepit. quibus dictis, obmutuit. Tunc convenientibus una fratribus omoibus, commuoionem sanctam percepit hora diei prima, & continuis deio fratrum precibus Deo commendatus, eadem qua Christus hora spiritum Deo reddidit, fere octogenarius, IV. nonas Januarii. quo die in martyrologio Nevelonis Corbeiensis monachi signatur *Natalis sancti Adalardi confessoris & abbatis, cui Christus in transitu mortis apparuit.* Ipso die pastum fratribus persolvere debebat præpositus Ternacensis. Primus res ab eo gestas funebri potius oratione, quam stilo historico litteris mandavit Paschasius Radbertus, ejus discipulus ac familiaris, qui eum solum abbatem, id est unum hoc nomine dignum, se reperisse dicit; unum ex universis, qui alterius potius quam sua commoda quæreret, qui suos cordatius ac tenerius, non secus ac mater unicum filium, diligeret. Hunc idem auctor Jeremiam ob præcipuum donum lacrymarum, Antonium ob virtutum aliorum æmulationem vocat; Aurelium-Augustinum, tum ob id, quod vivente ipsius antecessore abbas Corbeiensis electus sit, tum ob doctrinam & eloquentiam. quo in genere ejus epistolas laudat, & post eum Gerardus, quas excidisse dolemus. Trium linguarum peritiam habebat, Romanæ vulgaris, Teutiscæ seu Teutonicæ, & Latioæ.

ANN. CHR. 826.

Ex ejus scriptis supersunt tantum Statuta pro suo monasterio, fragmentum libri de ordine palatii apud Hincmarum, & Breve admonitionum, quas fratribus suis facere solebat. Statutis ejus paucula inserta sunt a posteris, ut obitus Ludovici augusti, qui ei annis quatuordecim supervixit. nam Adalhardum anno ejus sæculi vicesimo-sexto ineunte decessisse constat. Vicesimum-quintum præfert chronicon Saxonicum, at secundum veterem calculum, qui novum annum a paschate inchoabat. Corbeiæ-antiquæ præfuit annis amplius quadraginta, novæ dumtaxat quatuor. Successores ejus, Wala frater in antiqua, Warinus in nova. Virtutes ejusdem multis prædicat Paschasius, prudentiam & justitiam, sed in primis fidem in promissis: cujus virtutis specimen exhibet in fragmento epistolæ, Lothario imperatori scriptæ in hæc verba. *Quid putas, inquit, o princeps? si fides sæpe inter cruores & sævientium arma, etiam inter paganos, tantum valuit, ut quisque se committeret alterius fidei sacramentis: quantum valere debeat fœdus Christiani in veritate promissum? Non te decipiat aliquis, obsecro, inquit, imperator: quia fides cum contra aliquem violatur, non homo, sed Deus testis, & veritas in ea contemnitur.* Felix Lotharius, si tam salubri consilio ad hæsisset.

Post Paschasium sancti Adalhardi vita strictiori modo scripta est sæculo undecimo a Gerardo Corbeiæ monacho, post abbate & conditore Sylvæ-majoris in pago Burdegalensi, qui & libros de ejus miraculis duos adjecit, in quibus de ejus elevatione & cultu actum est. Sepultus est vir sanctus in basilica sancti Petri *sub fastigio*, id est turri, inter ejusdem ecclesiæ medioximæ quatuor centra seu axes turrim sustinentes; hoc est ante gradum cancelli inferioris, qui presbyterium a choro separabat; tectus polito lapide, super quem hoc epitaphium octonis sculptum versibus legebatur.

Hic jacet eximius meritis venerabilis abba
Noster Adalhardus, dignus honore senex;
Regia prosapiis, paradisi jure colonus;
Vir caritate probus, moribus atque fide.
Quem dum sub tumulo recolis tu quisque viator,
Cerne quid es, quid eris: mors quia cuncta rapit.
Nam post octavas Domini hic carne solutus,
Succedente die astra petivit ovans.

LXXIX. Herioldus rex Danorum baptizatus, Anscharium secum ducit.

Cum Ingelheimii prope Moguntiam Ludovicus mense Junio moraretur, ad eum accessit Herioldus Danorum rex cum uxore multoque suorum comitatu, regno suo pulsus; qui, suadente imperatore, christianam professus fidem, Moguntiaci, in basilica monasterii sancti Albani, cum conjuge aliisque, quos secum adduxerat, sacri baptismatis unda perfusus est, plurimisque muneribus donatus ab imperatore, qui eum e fonte levavit, Judith augusta idem officium ejus uxori exhibente. In patriam reversurus, evangelii præconem ab imperatore petiit, qui ipsi continuo adhæreret, sibique ac subditis suis ad corroborandam suscipiendamque fidem magister esset doctrinæ salutaris. Cum talis vir ad id officii anxie quæreretur, imperatori suggessit venerabilis Wala Corbeiæ abbas, unum se habere monachum, is Anscharius erat, ad id muneris aptissimum, optimis præditum moribus, multoque affectum studio in religionem; at se nescire, hancne provinciam libenter suscepturus esset. Vocatus in palatium Anscharius, qui ante tres annos in novam Corbeiam docendi gratia missus, forte in Corbeiam-veterem jam reversus erat, ad omnia, quæ sibi præciperentur, paratum se esse respondit. Multis hoc propositum insanum aut impossibile reputantibus, eumque dehortantibus, ipse nihilo minus in sententia persistens, hominum consortia fugere, domi manere, & in quadam vinea, palatio proxima, solus degere, orationi ac lectioni vacare. Adjunxit se ultro illi Autbertus ejusdem Corbeiæ monachus, qui tunc cum Wala abbate in palatio erat.

Ambo itaque deducti sunt ad imperatorem; qui eorum proposito maxime delectatus est. Acceptis omnibus subsidiis, quæ tanto itineri ac proposito necessaria videbantur, profecti cum Herioldo rege, non sine gravi difficultate Coloniam perveniunt, Danis super eos parum intentis, quippe qui longe aliter educati fuerant. Eam sedem tunc regebat Hadelboldus antistes, qui eorum necessitati compatiens, navem eis peculiarem, ubi sua reponerent, concessit, duabus mansiunculis instructam: qua-

rum una Herioldus nsus, deinceps cum eisdem familiarius agere cœpit, eorumque contubernio delectari. In Daniam appulsi, mox evangelium circumquaque disseminare cœperunt. Votis ac conatibus piis respondit successus, multique exemplo & doctrina eorum ad fidem perducti sunt. Porro ad propagandam religionem nihil opportunius aut conducibilius evangelicis præconibus visum est, quam institutio scholarum, in quibus pueri indigenæ cum litteris, tum fidei christianæ mysteriis erudirentur. Quæsiti ad hoc pueri, quos emerent, aut voluntarios adducerent. Quidam etiam ab Herioldo suppeditati: ex quibus primum seminarium duodecim amplius puerorum institutum est. Cum vero tam arduo duo non sufficerent operi, adsciti aliunde adjutores, quorum ope ac subsidio christiana religio in illis partibus mirifice propagata. Post biennium Autbertus gravi morbo correptus, inde ad novam Corbeiam curandæ valetudinis causa deducitur: ubi, languore diutino ingravescente, felici transitu in tempore paschæ, uti cælitus ei prædictum fuerat, extremum diem clausit.

ANN. CHR. 826.

LXXX. Corbeiæ-novæ donatio sub Warino abbate facta.

Per id tempus Ludovicus augustus monasterio novæ Corbeiæ, suo jussu ab Adalhardo seniore constructo, ad subsidium monachorum concessit capellam, quam dudum genitor ipsius Carolus in castello Heresburgo ædificari curaverat, cum omnibus rebus, mancipiis ac decimis ad eam pertinentibus. Actum *Ingilinheim* palatio regio, datumque XII. kalendas Julii, anno ejus imperii tertio-decimo, indictione quarta. Ad hæc Meppiam cum sua ecclesia idem Ludovicus eidem cœnobio contulisse dicitur cum marca circumposita, quam a Bernhardo comite emerat. Superior donatio facta est sub Warino Corbeiæ-novæ abbate, tametsi nulla ejus mentio fit in diplomate Ludoviciano, quod Nicolaus Scatenus [a] vulgavit primus, Cointius ex Monumentis Paderbornensibus retulit. Warinus illustri apud Saxones ortus genere, patrem habuit Egbertum, *comitem ac ducem clarissimum* cis Wiseram; *matrem splendidissimam*, Idam nomine, *cujus fratres atque clarissimi viri*, ex quorum sorore nata est Hadewic, quæ ad regimen Herifordensis monasterii *divino nutu* promota fuisse perhibetur in libello de translatione sanctæ Pusinnæ virginis in monasterium Corbeiæ-novæ. Hadwigis frater erat Cobbo, *qui in palatio Caroli* Calvi *quotidianis ejus adhærebat obsequiis*. Hinc exploditur fabulosa Warini genealogia, a Meibomio relata ex Johanne Letznero. Tumidum ex genere fastum in Warino videtur carpere Paschasius [b] in libro primo de epitaphio Walæ, qui eum ad mensuram monasticæ disciplinæ ac modestiæ reducturus fuisset, teste Paschasio ipso, si non tam cito in Italiam rursus propulsus esset. *Pro certo namque comperimus*, inquit, quia ultra *nequaquam ibi præesset* Warinus, *priusquam de se humilia sentire debuisset, & non inflari pro genere, non delicias amplecti, non lascivire nugis sæculi & vanitatibus, neque quæ mundi sunt sectari*. Warinus tamen *admirandæ sanctitatis* prædicatur a Witichindo in libro secundo annalium. quod elogium si verum est, cum ab hac superbia demum resipuisse oportet, aut certe Paschasium quodam in eum præjudicio, quod fit nonnumquam etiam in sanctis viris, laborasse.

a *Annal. Paderborn*, p. 83.

b *Paschas. lib.* 1. c. 10.

LXXXI. Capitulare Ingelheimii.

Antequam Ingelheimio discederet imperator, capitulare ibidem edidit, in quo inter alia sancitum est, ut, si quis sacerdotem aut levitam, monachumve interfecisset, vel debilitasset; sexaginta solidos persolveret, armisque relictis in monasterio reliquum vitæ sub arta pænitentia exigeret. Ad hæc, ut privilegia, ecclesiis & clericis concessa, semper incorrupta remanerent. Ingelheimio Francofurtum secundo Mœno delatus est imperator mense Octobri, ubi medio mense conventum habuit, & Aizonis defectionem accepit. Inde reversus Ingelheimium, præceptum immunitatis exemplo Caroli genitoris sui concessit monasterio, quod nuncupatur « Confluentis, in honorem sancti Gregorii, constructum in pago Elsaciensi, rogatu « Gotafridi venerabilis ejus loci abbatis. Actum *Ingilheim* palatio regio, VI. kalendas Novembris, anno ejusdem imperatoris tertio-decimo, indictione quarta. « Hic est Godefridus abbas, qui una cum Bernoldo Argentoratensi episcopo arbiter a Ludovico imperatore constitutus anno superiori dicitur ad finiendam litem inter Victorem episcopum Curiensem atque Rodaricum & Herloïnum comites, qui ejus episcopatus quædam bona per vim retinebant. Legimus hac de re diploma Ludovici augusti, quo Victorem Curiensem episcopum a Rodarici infestationibus securum « reddit sub eorumdem missorum testimonio. Actum *Strazburg* civitate VIII. « kalendas Augusti, anno ejus imperii duodecimo, indictione tertia. «

Gotafridus abbas Gregoriani monasterii.

ANN. CHR. 826. LXXXII. Heistulfo episcopo Moguntino succedit Otgarius. Mortuus est hoc anno Heistulfus Moguntinus antistes, & quidem v. kalendas Januarii, sepultusque ad sanctum Albanum, postquam Herioldum Danorum regem, ut veri simillimum est, baptizasset. Suffectus in ejus locum Otgarius abbas Weissenburgensis, quem Grimaldus in abbatiæ regimine excepit. In codice fratrum conscriptorum monasterii sancti Galli, inter nomina fratrum de monasterio *Wizanburg* notantur post Atonem episcopum *Otger episcopus & Grimaldus abba.* Otgarius inter hujus sæculi fluctus admodum constans fuisse traditur, sacris in litteris studiosus, animo placidus, & longa exercitatione probatus. Multa recurret de eo agendi occasio per annos viginti-duos, quibus Moguntinam sedem tenuit, successorem Rabanum sortitus.

LXXXIII. Swarzachium transfertur. a *Supra lib. 20. n. 73.* Duplex superius distinximus monasterium Swarzachium, primum antiquius, procedente a sæculo octavo conditum in diœcesi Argentoratensi: alterum uno sæculo posterius in Wirziburgensi. Primum illud, *Arnolfesaw* principio dictum, a Ruthardo primitus conditum in sinistra Rheni ripa, cum incendio consumtum fuisset, in alteram ripam hoc anno translatum est, probante Ludovico augusto ad preces Widonis abbatis, ut regium diploma fidem facit a Guillimanno relatum: in quo venerabilis abbas Wido de *Arnolfesaw*, comitante ipsum Bernalto episcopo Argentinensi, imperialem celsitudinem adiisse dicitur, & monasterium suum flammis absumtum exposuisse; insuper a comite Rutelino, in cujus comitatu situm erat, se multis affici injuriis, ideoque rogare, ut illud ultra Rhenum flumen, in propriam Salicam terram, transferre sibi liceat, pertinentem ad curiam Ulmenam: cum eo tamen, ut jus, quo cœnobii fundator comes Ruthardus ipsam cortem dotavit, firmum & inviolabile permaneat. *Et quia prædictum cœnobium*, inquit imperator, *transferre cogitamus, ipsum quoque nomen mutare volumus; & nomen, quod Erchangarus comes, in cujus comitatu situs est locus* novi monasterii, *impesuit; nos quoque firmantes Schwarzach monasterio coaptamus.* Datum anno Lodoviciani imperii tertio decimo. Mendosum est hoc diploma in appendice chronici Yepesiani.

LXXXIV. Wala abbas ut se gerit. Qualem se in Corbeiæ antiquæ regimine Wala exhibuerit, pluribus exponit Paschasius sub finem libri primi de ejus epitaphio: ubi ait, se ad regimen huic similem vidisse neminem, qui tanta virtutum polleret industria, & sanctæ sollicitudinis cura tam indefessus ubique vigeret; qui gregem sibi commissum præsens, absensve ita intenderet: quippe qui pæne nihil aliud cogitabat, quam quo pacto de singulis ante tribunal Christi rationem redditurus esset. Unde sæpe suos admonebat, ut voluntatem propriam, quemadmodum regula præcipit, & sui corporis potestatem ipsi resignarent: alioquin non se, sed illos utriusque rationem Deo reddituros. Quanta vero fuerit ejus in sanandis animorum morbis industria, insigni exemplo Paschasius probat. Forte quidam e fratribus, superbia inflatus, alterius prælationem invidebat, seque vilissima contectum cuculla hiemali, alterum cultiori veste indutum gravate admodum ferebat. Hoc animadvertens vigilantissimus pastor, cuculla optimi subtegminis se induit, fatrique pater obvius veniens, irruit super collum ejus, & dato osculo sua eum cuculla induit, illiusque cuculla se vestivit, multisque diebus usus est. Tanta patris optimi humanitate & humilitate pudefactus frater, tumorem & invidiam ex animo penitus deposuit. Ecce in uno facto, ait Paschasius, tria conspeximus: medicinam fratris, patris augmentum, & omnium nostrum religionis exemplum. Sed quia tales non sumus; valde nobis ingemiscendum, quia de cultioribus dum delectamur rebus, etiam a sæcularibus despicimur, profecto quia sciunt quid esse debuimus. Erant qui eum durum & immitem dicerent, nec satis aliis conformem. At si durus fuit, inquit Paschasius, illis utique, qui nec suppliciis, nec præmiis, emendarentur. Omni namque industria & sagacitate satagebat, ut ne quis diaboli astutia deceptus periret. Iis porro, qui non satis aliis conformem causabantur, modeste respondebat, non tantam se cordis latitudinem habere, ut omnia posset. ac deinde, Quibus me conformari optarent? numquid ignavis aut vitiosis, vaniloquis & jocosis? at præferendam Apostoli sententiam, ne conformemur huic sæculo, immo potius reformemur in novitate sensus. His effatis alius se jugi conatu erigebat ad virtutes, ne levitas dissolveret mentis, quæ gravitas caritatis ejus animo ingeneraverat.

LXXXV. S. Sebastiani translatio in monasterium S. Medardi. Reversus anno superiori ex urbe Roma Hilduinus abbas sancti Medardi, aliorumque monasteriorum, cum de sua apud Eugenium papam familiaritate & gratia

multa dixisset; ea occasione utendum censuit Rodoinus præpositus sancti Medardi, vir multa sagacitate, & industria præditus, ut aliquas insignes reliquias suo monasterio procuraret. Quam ob rem Hilduino auctor fuit, ut suam hac de re auctoritatem, tum apud Ludovicum augustum, tum apud summum pontificem interponeret. Facile assensit abbas, moxque cum Rodoïno ipso *Aquasgrani* ad imperatorem contendit, ab eo litteras ad pontificem commendatitias petiturus. His acceptis, Rodoïnus Romam iter instituit animo obtinendi corporis sancti Silvestri pontificis; sed postea, mutato apud Lingonas consilio, cogitationem suam ad sanctum Sebastianum convertit. Tandem hoc anno *cum ingenti frequentia & magno apparatu* Romam ingressus, primum omnium quosdam curiæ primores sibi conciliandos existimavit, *antequam majestatem apostolicam* adiret. Erant præ omnibus pontifici familiares Quirinus superista, hæc curiæ dignitas, Theophylactus numenculator, & Ingoaldus abbas reverentissimus, haud dubie Farfensis, qui tum *ex precepto imperatoris* ad Beneventanos profectus erat, *episcopium Albocurtæ descripturus*. Adductus ad pontificis audientiam cum suis Rodoïnus, ad pedes pontificis advolutus, regium ei diploma offert. Litteras gratanter accepit pontifex, at petitionem ægre tulit, nec tanti martyris corpus concedi posse satis superque patefecit. Animum tamen haud quaquam despondet Rodoïnus, immo difficultate ardentior factus, singulos prensat, quorum major erat apud pontificem auctoritas. Indicto conventu privato sacerdotum, & eorum qui a secretis erant, imperatoris petitionem exponit Eugenius. Perculsi hac re omnes rem dissuadent, multaque afferunt in excusationem: Hadrianum scilicet, Leonem, & Paschalem pontifices martyris tumulum reserare voluisse; at divinitus ab incœpto fuisse deterritos. Nemini cessurum impune, si quis id denuo moliatur. Sed tandem, Ingoberto comite agente, petitionem admittit pontifex, ejusque rei secretius exsequendæ mandatum Johanni episcopo committit.

Itur itaque ad tumuli locum, tertio ab urbe milliario distantem, quem *ob stationem navium Catacumbas* appellabant: præmissisque jejunio ac precibus, sepulcrum martyris, nonnullis reclamantibus, aperitur, favente & adjuvante in primis post Johannem episcopum Ingoaldo archimandrita, qui ex Beneventana legatione redierat. Aperto sepulcro, suavis odor ex eo exspirat: sacrum inde corpus effertur, offerturque pontifici, *ejus ut anulo ex more consignaretur*. Cum vero solum beati martyris brachium loculo includi quidam suaderent; fraudem abbas Ingoaldus detexit Rodoïno, qui demum totum corpus obtinuit. Idem etiam corpus sancti Gregorii papæ ab æditius basilicæ sancti Petri furtim expressisse dicitur. tametsi post annos duos Gregorius papa quartus, ut Johannes diaconus & Anastasius tradunt, illud e tumulo extulit.

Acceptis itaque venerandis reliquiis, Rodoïnus cum suis quantocius urbe egressus, prima die *ad monasterium Ingoaldi*, id est Farfense, venit; tum iter prosecutus, Placentiam, montem-Jovis, Octodurum prope Agaunum prætergreditur. Varia in itinere patrata miracula: quorum unum accidit in cella sancti Sereni prope Cantumerulam abbatiam Briegii tractus. Advenienti sacro corpori obviam cum sollemni totius cleri pompa procedit Rothadus Suessionum antistes: quo comitante, loculus sacer primo *in basilicam majorem beatorum martyrum Gervasii & Protasii* invehitur; inde *ad sanctæ virginis Mariæ monasterium deportatur*, ibique magnifice excipitur. Tum ad flumen Axonam evectus, impulsu remigum defertur versus monasterium sancti Medardi. Aderat ad litus fluminis exspectabunda tota concio monachorum, qui novum patronum cum triumpho excipiunt, & juxta sancti Medardi tumulum deponunt, dominica secunda Adventus. Infinita novi hospitis meritis patrata ibidem miracula, quibus illius temporis auctores fidem adstruunt. Hæc omnia scriptis mandavit Odilo monachus, edito hac de re libro, quem Ingranno decano sancti Medardi, ineunte sæculo decimo, nuncupavit: quo in libro laudat Eginhardi annales, qui de hac translatione ac subsecutis miraculis testimonium perhibent. Huic spectaculo interfuit præcellentissima Ludovici augusti soror Berta, quæ singula diligenter observabat, ut ea fratri augusto, ejusque optimatibus congruo tempore enarraret. Citantur etiam in testimonium Rothadus ejus urbis antistes, Gislebertus Suessorum seu Suessionum comes, & Rotfridus itidem comes. Eo confluebat in dies infinita turba peregrinorum, quibus religio erat templi aditum subire, antequam *mentes confessionis ac pœnitentiæ, corpora quoque aquis* abluissent. cujus rei

ANN. CHR. 826.

exemplum in Judith augusta inferius videbimus. Tanta vero donaria sancto martyri a fidelibus tunc collata sunt, *ut ponderis numerique summam viderentur excedere. adeo ut octoginta quinque modiorum diversorum nomismatum argenti cumulus exercesceret, præter monilia virorum ac mulierum, missoria quoque diversi ponderis: auri quoque nongentarum librarum summa fieret.*

LXXXVI. Nova S. Medardi basilica.

Hinc novæ condendæ basilicæ consilium & subsidium ab Hilduino sumtum, quod Rodoïnus præpositus impigre exsecutus est. De hac translatione & nova basilica Wandalbertus in metrico martyrologio, quod post annos duodecim composuit, ita canit ad quintum idus Decembris.

Sebastianum quinis celebramus ab urbe
Translatum, proprio quo Gallica rura patrono
Exsultant, ingens templum cui surgit & ara,
Antiquosque nitent æquantia culmina fastus.

Tres minimum erant basilicæ in monasterio sancti Medardi. Præcipua sanctissimæ virgini Mariæ sacra: altera sanctæ Trinitati: tertia sanctæ Sophiæ seu increatæ Sapientiæ, quæ palatii regii ibidem exstructi capella erat. Secundam Hilduinus jam instauraverat, ex dictis [a], ante sancti Sebastiani translationem; at prima illa, quæ a Sigiberto rege primitus exstructa fuerat, ob frequentiam populorum ad reliquias sancti Sebastiani confluentium, *a Rodoino præposito ejusdem cœnobii*, Ludovici augusti jussu, *cooperante Hilduino abbate* funditus destructa, & in *maximo ambitu augustius est instaurata*, ut scribit auctor [b] anonymus ejus temporis: cui Odilo in historia translationis sancti Sebastiani attestatur. Hujus instaurationis meminit Nithardus in libro tertio, simulque translatarum in eam reliquiarum sancti Sebastiani, sancti Medardi, aliorumque sanctorum, ac speciatim sancti Gregorii: cujus loculum Constantia regina, Roberti regis conjux, ornasse perhibetur in libro de miraculis ejusdem sancti Gregorii apud Bollandum [c]: ubi sollemnis a Josleno episcopo supplicatio indicta dicitur, reliquiis sancti Gregorii sollemni pompa per urbem Suessionum delatis ad reprimendam pestem, quæ deinceps grassari desiit. Certe has reliquias ibidem haberi credebat archiepiscopus ille, ut quidem puto, Senonensis, qui, ut scribit Johannes [d] Saresberiensis, in procinctu ferendæ sententiæ contra vexatores beati Thomæ pontificis Cantuariensis, iter arripuit ad urbem Suessionum, ut beatæ Virgini, cujus ibi memoria celebris est; & beato Drausio, ad quem confugiunt pugnaturi; *& beato Gregorio Anglicanæ ecclesiæ fundatori, qui in eadem urbe requiescit*, agonem suum precibus commendaret. Quo minus mirandum est, si eadem fuit persuasio Gosuini abbatis Aquicinctensis, qui in sancti Medardi monasterio ægrotans, videre sibi visus est de loco sanctuarii virum egredi *secus mausoleum, quod beati Gregorii creditur ossa continere*, a quo & sanatus est. quo facto, ait vitæ [e] sancti Gosuini scriptor, *Gregorius tam abbati Gaufrido, quam quibusdam claustralium voluit quod acciderat non taceri: quatenus de miraculi perpetratione, de superborum confusione, qui dicerent Gregorium non esse in loco illo, de exaltatione ecclesiæ suæ hilariores redderentur.* Hæc quo pacto conciliari possint cum Johanne diacono & Anastasio, non facile est statuere. Quod attinet ad sancti Sebastiani reliquias, nullus veterum non concedit, immo non testatur, eas in sancti Medardi cœnobium translatas fuisse. Unus Ado partem tantum istuc allatam dicit, cui Baronius assentitur. De hac translatione & miraculis inde consecutis insignis est locus apud astronomum in vita Ludovici augusti. Eadem sententia, eademque fere verba sunt annalium Laureshamensium, quos Eginhardi esse primus censuit Andreas Chesnius, allato testimonio Odilonis monachi ex prologo in librum de translatione sancti Sebastiani, ubi hos annales *de gestis Caroli Magni & filii ipsius HLudovici Agenardus, cognomento Sapiens*, scripsisse memoratur. quod argumentum, ab auctore subæquali profectum, conjecturis prævalere debet Caroli Cointii, qui hos annales Eginhardi esse negat, Laureshamenses vocare solitus. quo titulo donati sunt ab Hermanno comite Nuenario, qui primus eos in lucem emisit. Eosdem annales Marquardus Freherus tribuit Adelmo cuidam Benedictino, alii Ademaro monacho Ecolismensi. Ceterum codex Jolianus, quo usi sumus, sancti Sebastiani translationis historiam continens, olim monasterii sancti Medardi, scriptus est a Gondacro monacho, uti versus eidem subjecti testantur.

Marginalia: S. Gregorii reliquiæ ibidem. — Eginhardi annales eidem asserti.

[a] Supra num. 44.
[b] Spicil. to. 8. p. 406.
[c] Bolland. in append. to. 2. Martii.
[d] Johan. Saresb. ep. 159.
[e] Vita S. Gosuini lib. 2. c. 10.

Besuense

ANN. CHR. 815. LXXXVII. *Besuense monasterium instauratur.*

Besuense in Burgundia monasterium, quod ab annis fere octoginta profligari cœptum, nunc prope interitum erat, Albericus Lingonum antistes pissimus hoc tempore a fundamentis denuo excitavit, ibidemque monachos restituit, quibus Seraphim abbas præfectus ab eo est. Ejus cladis prima causa fuerat Angla mala femina, quæ hoc cœnobium a Pippino rege adepta, multum detrimenti eidem loco attulit. Successere in ejus locum episcopi Lingonenses, quorum alii abbates canonici ordinis, expulsis monachis, substituerunt, alii res monasterii omnes in suos usus derivarunt. Sic locus in solitudinem redactus fuit usque ad pontificatum Alberici, qui gravissimo dolore iliorum vexatus, sanitatem beati Petri apostoli meritis recuperasse fertur eo pacto, ut hunc locum instauraret, & monasticum ibidem ordinem repararet. quod ille incunctanter exsecutus est, monachis aliunde adscitis, quibus Seraphim abbatem præfecit. Id serius hoc anno factum non fuisse probat charta commutationis, quæ inter Seraphim Besuensem & Theutonem Campellensem sancti Leodegarii abbatem de quibusdam rebus, probante Alberico episcopo, transacta est anno tertio-decimo Ludovici augusti, qui post biennium hanc monastici ordinis restitutionem imperiali diplomate confirmavit. Litteræ [a] prædictæ commutationis datæ sunt *Fonte-Besua monasterio publice*, III. kalendas Aprilis, anno, ut jam dixi, tertio-decimo domini HLudovici imperatoris. ac proinde jam ante mensem Aprilem hujus anni facta erat instauratio monasterii Besuensis, cui Seraphim abbas tum præerat. Id fieri cœptum forte in reditu Alberici episcopi, qui missus dominicus anno superiori in provinciis Lugdunensi, Tarentasiensi & Viennensi cum Richardo comite a Ludovico augusto constitutus fuerat. Ceterum Campellense sancti Leodegarii monasterium, cujus tunc abbas Theuto erat, olim non incelebre, nunc prioratus est abbatiæ sancti Germani Autissiodorensis. Idem Albericus regularem disciplinam in Divionensi sancti Benigni cœnobio postea restituit.

[a] Spicil. to. 1. p. 513.

LXXXVIII. *Concilii Romani decretum de abbatibus.*

In concilio Romano, quod Eugenii papæ jussu in Vaticano habitum est Ludovici imperatoris anno tertio-decimo, Lotharii decimo, mensis Novembris die quintadecima, indictione quarta, sancitum capitulo vicesimo-septimo, ut *abbates per cœnobia, vel, ut hoc tempore nuncupantur, monasteria*, tales constituantur, qui hoc nomine digni sint; *ita docti*, ut fratrum errata cognoscere possint, & emendare; *sacerdotalem quoque honorem sint adepti*, ut peccantium fratrum valeant refrenare & amputare commissa, *& statuta regularum* observari curent. Quidam nihilo minus abbates sacerdotii deinceps expertes fuere, ut Paschasius Radbertus, aliique nonnulli. Capitulo sequenti episcopis præscribitur, accurate animadvertendum, ut monachi, qui solo habitu in eorum diœcesi extra monasteria exsistentes, religiositate populis illudunt, boni pastoris studio coartentur, ut aut ad proprium revertantur monasterium, aut in aliud mittantur: *ut, qui semel se Deo voverunt, & habitum monachi ostenderunt, vel comas totonderunt, regularem teneant vitam, uno scilicet, ut convenit, dormitorio dormientes atque exsistentes, & ad similitudinem apostolorum omnia peragentes*, quibus nihil erat proprium, sed omnia communia. Undetricesimo, ut feminæ, quæ habitum religiosum aut velamen obtentu religiositatis susceperunt, aut in monasteriis regulariter vivant, aut in domibus religiosum habitum caste observent. Tricesimo-secundo, ut, qui inviti in monasteria intromissi sunt, nisi volentes ibidem non retineantur. Tricesimo-quarto, ut in universis episcopiis, subjectisque plebibus & aliis locis, in quibus necessitas fuerit, magistri & doctores constituantur, qui studia litterarum, liberaliumque artium, ac sancta dogmata doceant.

LXXXIX. *Diplomata pro Farfa, & pro Senonensi monasterio.*

Idem Eugenius Farfensi monasterio sub annua pensinne duas confirmavit massas *juris monasterii sanctæ Bibianæ, quod est positum infra nobilissimam urbem Romanam, quarum una Pompeiana, altera Bagas nuncupatur*, ab antecessoribus suis in perpetuum Farfæ concessas. Pontificium hac de re diploma imperiali auctoritate ratum habuit Lotharius augustus ad preces Ingoaldi abbatis, sanxitque, ut, sicut a domino & spirituali patre Eugenio summo pontifice memoratæ massæ cum universis adjacentiis & opportunitatibus suis monasterio sanctæ atque perpetuæ virginis Mariæ territorii Sabinensis, prædictoque Ingoaldo abbati, suisque successoribus per scripturam fuerant sub statuta pensione confirmatæ: ita per imperialem auctoritatem sub jure ipsius monasterii perpetuo manerent. Data pridie kalendas Junias, anno imperii serenissimi domini Ludovici augusti duodecimo, regnique Lotharii gloriosissimi imperatoris in Italia tertio, indictione quarta. *Actum Olonna palatio*

ANN. CHR. 826.

regio in pago Mediolanensi, ubi annus Lotharii tertius desumitur ab ejus coronatione per Eugenium facta, de qua superius actum est.

Eædem fere sunt ehronicæ notæ diplomatis, quo Ludovicus & Lotharius impe- » ratores augusti fideli suo Ricbodoni abbati Senooiensis monasterii in beneficium » coocedunt cellulam in Vosago sitam, in loco, qui dicitur Aluwini-montis, super » fluvium Bruscam, quod jam dudum ejus avunculus, Wicbodus nomine, episcopio » Mettensi tradiderat. quæ cellula eo pacto Ricbodoni concessa est, ut post ejus obi- » tum *ad jus monasterii Senonica*, quod ad prædictum episcopium pertinet, ex inte- » gro cedat. *Data* xv. *kal. Januarii, anno Christo propitio* xii *. *imperii domni HLudowici* » *& domni HLotharii* iiii. *indict one* iiii. Actum Aquisgrani palatio.

* sic authent. f. xiii.

X C. Cuteclarense monasterium in Hispania.

Exstabat hoc tempore in Hispania Cuteclarense monasterium virginum, beatissimæ Mariæ virgini sacrum, non longe ab urbe Corduba ad occidenralem plagam, qua in urbe Maurorum reges sedem fixerant. Monasterium eo in loco duplex erat: primum ac præcipuum virginum, alterum virorum, qui sub Frugello * abbate ibi tunc conversabantur. Sub ejus disciplinam illuc se contulerunt Petrus sacerdos Astigiranus, & Walabonsus diaconus Elephensis, qui studiorum causa Cordubam profecti, postea scientia & doctrina scripturarum pollentes, *sub Frugello abbate monasterio sanctæ & gloriosæ virginis Mariæ præficiuntur*, teste Eulogio, ut scilicet virginibus sacris ministrarenr. Eodem etiam se recepit sanctus Sabinianus, ex vico sive opido Froniano *montanæ Cordubensis* ortus; omnes postmodum a Mauris martyrio affecti, cum quibusdam ejus loci virginibus sacris.

a Eulog. lib. 2. c. 4.





ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

ANN. CHR. 827.

LIBER TRICESIMUS.

Ab anno Christi 827. ad annum 832.



I. Stabulensium religio.

VIGEBAT hoc tempore in Stabulensi & Malmundariensi Arduennæ monasteriis disciplina regularis cum studiis litterarum sub Hautone abbate. Hujus rei argumentum nobis suppeditat Christiani-Druthmari prologus in Matthæum, qui *venerabilibus in Christo patribus, in cœnobiis sancti Petri principis apostolorum, cognominibus Stabulariis, sedula devotione Deo militantibus, & ad feliciora tendentibus* inscriptus est. Versabatur eo tempore apud eos Christianus Corbeiæ monachus, ac juvenes monachos sacris litteris imbuebat. De eorum religione ita in eodem prologo loquitur. *Supra omnes homines vestra mihi est gratior societas; quia est sincera & absque dolo; & quam Deus docuit, sanctique ejus apostoli tenuere, ac posteris tenendam tradiderunt. Non enim est fel amaritudinis in vobis, neque zelus inquietatis: sed fides firma, caritas inviolabilis erga Deum ac proximos. Et, licet rebus terrenis egentes sitis, virtutibus tamen repleti estis: ita ut qui vos perfecte agnoverit, ulterius dilectione a vobis non possit separari. sed, si modico tempore vobiscum quis moratus fuerit, pro certo intelliget, quia Deus cohabitator vestri sit, & Spiritus-sanctus regat opera vestra. Neque enim habitabit diu malus inter vos, neque permanebit in consortio vestro: quia sicut aurum & argentum in camino probationis sordes abjiciunt, ita & qui inter vos venerit, aut desinet a malo opere, aut certe alienus efficietur a consortiis vestris. Qui namque inter vos conversantur, non multum mirentur, si plurimi sancti in his monasteriis probabiles fuerunt: sed pro certo experientur, quia qui apud vos non est bonus, sine dubio nusquam alicubi erit; & si reges & principes, atque vulgaris populus vos veraciter agnovissent, ut veros Christi discipulos amarent, supra omnes homines venerarentur ac diligerent.* Hæc, tametsi paullo serius dicta, hic in antecessum præmittenda visa sunt ad sequentium fidem.

II. Dervense monasterium monachis restituitur.

Anno quippe supra octingentesimum vicesimo-septimo Hauto, utriusque monasterii abbas, regularem disciplinam inde hausit, refuditque in monasterium Dervense, quod eidem commissum erat, alio nomine Puteolus dictum. Magna principio fuerat inter utraque monasteria affinitas ob sanctum Berchariurn Dervensis monasterii auctorem, qui primis quondam monasticæ vitæ rudimentis apud Stabulenses imbutus fuerat. Verum abrupta potius quam interrupta erat ea societas a principatu Caroli

ANN. CHR. 817.

Martelli, cujus tempore Derveoses cum monastico habitu militaria arma arripere, ut se suaque tutarentur, compulsi; dein, abjectis cucullis, a sacri ordinis instituto ad sæculares mores prolapsi erant. Ita fere anonymus in libro de miraculis sancti Bercharii abbatis. Sic deflexerat eo in loco ad canonicum ordinem monastica religio: cujus restituendæ causa Hauto abbas, quem prædictus anonymus Odonem vocat, Aquisgrani adiit Ludovicum augustum, ejusque mansuetudini suggessit, quod „ is locus aptus esset ad monasterium regulare, ac servis Dei monasticam vitam age- „ re volentibus opportunus; immo quod illic a principio exstitisset *monasterium re-* „ *gulare*, uti præcepta regalia faciebant fidem. quo comperto, piissimus imperator „ venerabilem virum Hebonem Remensem archiepiscopum, & aliquos e suffraganeis „ ejus illuc ire jussit, locumque diligenter circumspicere, & explorare, non solum „ an ipse locus aptus esset ad monasticum ordinem observandum, verum etiam utrum „ clerici ibi degentes monasticen amplecti vellent. Illi vero imperialibus jussis obse- „ cuti, aptum locum invenerunt ad normam regularem custodiendam, & clericos ibi „ degentes ad eam sponte amplectendam paratos. quod cum imperatori renuntiatum, „ probatumque esset, petente Hautone idem regium hac de re præceptum dedit, „ jussitque, ut deinceps prædictum monasterium sub monastico ordine persistat, & „ monachi inibi degentes perenniter monasticam vitam ducant sub regula sancti Benedicti. quæ ab eo tempore ad nos usque feliciter ibidem perseveravit, vigetque etiam nunc sub congregatione sancti Vitoni. Datum est diploma Aquisgrani pridie idus Februarii, anno Ludovici quarto-decimo, Lotharii decimo, indictione quinta: quod Durandus ad vicem Fridugisi recognovit. Editum est in appendice Sæculi tertii Benedictini, in appendice Capitularium, & apud Cointium ad hunc annum. Statim post hoc imperiale præceptum ibidem restitutos fuisse monachos intelligitur ex charta Harduini presbyteri, qui anno sequenti res suas, sitas in pago Barrensi, contulit monasterio in Dervo, *ubi Haudo abbas & sui monachi deserviunt*, adducti utique ex congregatione Stabulensi. *Actum Barrense castro, sive ad Maurimunt, ubi levatum est istud testamentum* x. *kalendas Octobris, anno quinto-decimo regnante piissimo imperatore Ludowico*, qui hanc monachorum eo in loco restitutionem postea confirmavit.

Altivillarensis abbas Petrus.

Non sic interpolata fuit monastica professio in monasterio Altivillarensi, quod, uti & Dervense, sancto Berchario auctore & primo abbate gloriatur. Hoc tunc regebat Petrus abbas, cujus tempore Ebo Remorum antistes egregium codicem evangeliorum per Placidum magistrum litteris aureis exarari curavit, ac sancto Petro ibidem obtulit. Hactenus in eodem monasterio asservatur iste codex, cujus initio præmittuntur quidam versus, ex quibus sequentes ad supplendam ejus loci historiam excerpere visum est.

Ebo, Remense decus, præsul pastorque coruscus,
Doctor evangelicus, præcelsi regis amicus,
Hunc in amore Dei, Petrique in honore beati
Librum jussit agi, plenus spiraminis almi.
Cujus ad imperium accelerans velociter illum
Abba humilis noster Petrus, Placidusque magister
Cœpit anhelanter, perfecit & ipse flagranter.
Hunc auro interius Christi decoravit amicus,
Atque ebore exterius pulcre decompsit opimus.

Alii versus nihil observatione aut luce dignum continent.

III. Dungalus in Claudium scribit pro sacris imaginibus.

Interim fervebat in Gallia disceptatio de sacris imaginibus incentore in primis Claudio Taurinorum episcopo, qui exitiale eis bellum indixerat. Earum defensionem primus susceperat Theodemirus abbas, ut superius vidimus: verum, eo mortuo, Dungalus ejus vices supplevit, & post eum Jonas episcopus Aurelianensis. Qui librum Dungali primus in lucem protulit Papirius Massonus, eo codice usus est, qui videtur scriptus in monasterio beati Dionysii ad Sequanam flumen, ubi in manus Velii Benedictini Ordinis & bibliothecarii, nobilis & docti viri, visus est, venitque deinde in manus Pauli Petavii Senatoris Parisiensis. Ex quo conjectura erat, Dungalum cœnobii Dionysiani monachum exstitisse. Reclusus vocatur a nonnullis, qualis erat Sigobertus ille reclusus ejusdem loci, qui a Carolo principe ad

ANN. CHR. 827.

Gregorium papam secundum una cum Grimone abbate Corbeiensi missus est. Et fortasse Dungalus ille reclusus fuerit, ad quem Ebo Remorum antistes refugit post restiturionem Ludovici augusti; qua comperta, Ebo *territus* Remis *Parisiacam fugit ad urbem, ad quemdam reclusum, ut saltem cum eo delitescens, imperatoris iram evaderet.* Non Gallus, sed alienigena erat Dungalus, forte Scottus, qui *dudum in hanc terram* advenerat, ut ipse initio libri sui testatur, antequam in Claudium stilum exsereret. Annos amplius viginti supra octingentos numerat ab incarnatinne Christi ad id tempus, & quidem *biennium*, ex quo apud gloriosissimos & religiosissimos principes inquisitio de sacris imaginibus *diligentius* facta fuerat in palatio: ubi divinæ scripturæ sanctorum librorum & probatissimorum virorum exemplis atque auctoritatibus cum quanta & quali moderatione sint habendæ diffinitum est. quod de synodo Parisiensi ante biennium habita, ac de libello in ea condito intelligendum videtur. Neque obstar, quod hæc collatio *in palatio* facta dicatur. nam, prærerquam quod in Parisiaco fieri potuit, certe, si de Aquisgranensi, ubi tum versabarur Ludovicus, id intelligi velis, ita conciliari potest, quod acta collationis Parisiensis Aquisgranum ad Ludovicum delata sint, ibidemque discussa, ut superius vidimus. Hoc itaque anno librum suum Dungalus scribere aggressus est, in quo sacrarum imaginum usum ac cultum moderatum, uti & sanctæ crucis ac reliquiarum, piasque peregrinationes propugnat adversus Claudium, qui hæc omnia repudiabat. Is in liraniis & in ceteris ecclesiæ officiis nullum Sanctorum memorari volebat, eorumque anniversaria festa vetabat celebrari. *Propter istam autem insanissimam perversitatem rennit ad conventum occurrere episcoporum, vocans illorum synodum congregationem asinorum*, teste Dungalo sub finem libri sui. qui genius est ac loquendi modus omnium hæreticorum. Hic est Dungalus, quem Carolus Magnus de duplici solis defectu, qui anno ejus sæculi decimo accidit, per Waldonem abbatem Dionysianum consuluit, ut superius [a] vidimus. Ex quo intelligitur, Dungalum, si non in ipso sancti Dionysii monasterio, saltem haud longe reclusum fuisse. Viventis elogium a quodam illius temporis poëta scriptum habes in calce hujusce voluminis, ubi discipulos habuisse, eosque litteris sacris imbuisse dicitur. Legimus in codice Remigiano quoddam ejusdem acrostichon ad Hildoardum episcopum, scilicet Cameracensem & Atrebatensem, cujus in honorem *Dungalus peregrinus*, ita se ipse vocat, hos versus composuir. Cererum, ut ad superiorem ejus librum revertamur, paucis suam hic auctor de sacris imaginibus sententiam præstringit sub finem libri in hunc modum. *His ergo omnibus superius comprehensis, certissime & evidentissime patet, picturas sanctas, & sanctam Domini crucem, & sacras electorum Dei reliquias, dignis & congruis honoribus a catholicis & orthodoxis in Deo & propter Deum venerari oportere: non ut sacrificando eis divinus honor & cultus, soli Deo omnium creatori debitus, sit a quoquam deferendus: sed ut in ejus amore, honore, laude, & gloria, sua sancta insignia & venerabilia vasa, prout decet, singula eorum a fidelibus & religiosis, salva fide, & non ficta, honorentur & amplectantur.* Ex quibus perspicuum est, imaginibus sacris a Dungalo tribui religiosum cultum, qualem sanctæ cruci ac reliquiis sanctorum tunc temporis Gallicana impendebat ecclesia. Eadem fuit Hincmari Remorum pontificis, & Walafridi Strabonis sententia, ut inferius videbimus.

[a] lib. 27. n. 89.

IV. Ansegisus abbas edit libros quatuor capitularium.

Hoc etiam anno Ansegisus abbas Fontanellensis simul & Luxoviensis edidit libros quatuor capitularium, ex variis Caroli ac Ludovici augustorum capitularibus collectos, de quibus ita præfatur. *Dominante per sæcula infinita omnium dominatore Christo salvatore nostro, creatore universæ creaturæ, anno incarnationis ipsius octingentesimo vicesimo-septimo, indictione quinta, anno vero tertio-decimo imperii gloriosissimorum principum, domni HLudowici augusti, christianæ religionis magni propagatoris, & HLotharii Cæsaris filii ipsius, Ansegisus, nullis præcedentibus meritis, sed gratia Dei omnipotentis abba, pro amore bonæ memoriæ domni Karoli Magni imperatoris christianorum, atque præcellentissimi ac piissimi domni HLudowici augusti filii ipsius sincera dilectione, necnon & præclari HLothar i Cæsaris filii piissimi HLudowici imperatoris, hæc subter descripta adunavi capitula: quæ procul dubio, quia ad sanctæ ecclesiæ profectum facta sunt, pro utili firmiter tenenda sunt lege.* Ita vetus editio Pithœana: a qua non parum dissidet nova, id est Baluziana, cum in ordine capitulorum, tum in præmissa præfatione, in qua Lotharii nomine expuncto, *filiorum* Ludovici augusti collective fit mentio. quod Carolus Coinrius non probat. Quatuor Ansegisi libros sequuntur

ANN. CHR. 817.

tres appendices: quarum prima capitula ecclesiastica, secunda *mundana* sive sæcularia, tertia ecclesiastica simul & mundana continet. His quatuor libris, tribusque appendicibus Benedictus levita Moguntiacensis principatu Caroli Calvi tres alios libros adjecit, *Autcario* seu Otgario archiepiscopo suo *præcipiente*: quibus libris confuse admodum digestis, & non modo ex capitularibus regum ab Ansegiso omissis, sed etiam ex canonibus conciliorum, decretisque summorum pontificum consarcinatis, quatuor itidem appendices adjunctæ sunt.

Hoc ipso anno Angelomus monachus Luxoviensis commentarios in libros regum ad Ludovicum imperatorem a Sigeberto dicitur composuisse, & quidem instinctu Drogonis episcopi Mettensis, ejusque monasterii abbatis. Verum si Ansegisus Luxovii abbatiam, ut quidem veri simillimum est, ad obitum usque retinuit; non ante annum octingentesimum tricesimum-quintum hos commentarios Angelomus composuisse dicendus est.

V. Rabani commentarii Otgario dicati.

Haud scio an certius sit quod idem Sigebertus de Rabano abbate scribit, eum scilicet hoc anno tractatus in librum Sapientiæ, & in Ecclesiasticum ad Otgarium Moguntinum archiepiscopum edidisse. Expositio in Sapientiam tribus libris; in Ecclesiasticum vero decem constat. In epistola nuncupatoria utriusque libri Rabanus non abbatem se, sed in priori nudo nomine HRabanum, in posteriori HRabanum peccatorem dicit. Priorem commentationem offert Otgario honoris causa, cum terrenarum rerum opes non haberet, ea solummodo possidens, *quæ ad sanctorum pauperum Christi necessitatem sublevandam* pertinent. In fine præfationis ait se habere in manibus explanationem libri Ecclesiastici, eidem illam oblaturus, ut aliquod ei solatium in expositione divinarum scripturarum exhiberet.

VI. Amalarius Romam adit.

Hic annus Eugenii papæ supremus fuit, cujus obitus accidit III. idus Augusti. Valentinus in ejus locum suffectus, in pontificatu vix mensem explevit. Eo mortuo, Gregorius sublectus, eo nomine quartus. Initio ejus pontificatus Amalarius presbyter Mettensis a Ludovico augusto Romam ad pontificem missus est, non ob aliam, ut videtur, causam, quam ut dubia sua de rebus ecclesiasticis illustranda proponeret Romanæ ecclesiæ clericis, earum rerum peritis. Hujus legationis meminit ipse in prologo ad librum de ordine antiphonarii. Cum enim hos libros inter se in sua provincia discordantes animadvertisset; hoc scrupulo aliquantum relevatus est *inventa copia antiphonariorum in monasterio Corbeiensi*, nempe trium voluminum de nocturnali officio; & quarti, quod solum diurnale continebat. quæ quidem Wala, quando Romana legatione functus est, secum ex Urbe in Franciam attulerat, ut ex Gregorio papa Amalarius accepit, quando Romam missus est *a sancto & christianissimo imperatore HLudovico ad sanctum & reverendissimum papam Gregorium*. Ita ille in prologo de ordine antiphonarii, in quo elaborando prædictis codicibus monasterii Corbeiensis usus est, simul opera & labore sacerdotis Dei Elisagari seu Elisacaris, apprime eruditi, & in lectione ac divino cultu studiosissimi, qui abbas erat Centulensis, & *inter priores primus palatii excellentissimi HLudovici imperatoris*. In ea legatione Amalarius ministros ecclesiæ sancti Petri de multis rebus ecclesiasticis sciscitatus est, & ex eorum responsis alteram præfationem adjecit libris quatuor de ecclesiasticis officiis, quos prius elucubraverat, & Ludovico imperatori dicaverat. His libris postea idem, ut videtur, auctor subjecit insigne supplementum de monasticis officiis, quod ex codice monasterii sancti Martialis Lemovicensis editum est in tomo secundo Analectorum nostrorum, stilo ita præmissis libris conforme, ut ab eodem auctore profectum indubie videatur.

VII. SS. Marcellini & Petri translatio.

Translatio reliquiarum sanctorum martyrum Marcellini & Petri, ex urbe Roma in Germaniam hoc anno ab Eginhardo abbate facta, monasterio Selingestadiensi originem dedit. Has reliquias, cooperante Deidona diacono, e basilica sancti Tiburtii effossas, furtim sustulit Ratleicus notarius Eginhardi, ejusdem postea successor in regimine prædicti monasterii, easque in Germaniam attulit. Hanc translationem, & miracula inde consecuta, quatuor libris scripsit Eginhardus, cum rythmo de eorumdem martyrum vita & passione. Ratleicus Roma cum sacris revertens reliquiis, Ticini in basilica beati Johannis Baptistæ, quæ vulgo Domnanæ vocatur, tuncque ex beneficio regum ad Eginhardum pertinebat, aliquot hospitatus est dies. Tum Caput-laci, Solodorum Burgundionum, & Argentoratum prætergressus; inde per Rhenum secunda aqua navigando, cum ad locum, qui Portus vocatur,

venisset; orientalem fluminis ripam egressus, quinta mansione ad locum *Michilunstat* nuncupatum, Laureshamensibus ab Eginhardo antea concessum, pervenit, in eo saltu Germaniæ positum, qui *Odenowald* appellatur, distatque a Mœno flumine circiter leucas sex. Illic basilicam, recens ab Eginhardo exstructam, sed nondum dedicatam cum invenisset, in eam sacras intulit reliquias, ibique, veluti perpetuo permansuras, deposuit. Variis tamen signis & indiciis cælitus ostensum est, eas alio transferendas esse: post longas inducias cælestibus tandem ostentis paruit Eginhardus. Ex hoc itaque loco progressi sacrorum cinerum portitores, primo ad villam *Osthein* profecti, in basilicam ejusdem villæ, beato Martino sacram, loculum intulerunt: ubi sanctimonialis quædam, nomine Ruodlang, ex monasterio *Machesbach*, quod ab eadem ecclesia unius leucæ spatio disparatum erat, omnium membrorum sanitatem recepit. Crastino Eginhardus, qui viam præverterat, sanctis occurrit eo in loco, ubi Gaspentia fluviolus Mœno miscetur. Inde sacras illas martyrum exuvias ad *Mulinheim* superiorem, qui locus postea *Saligstad* seu *Salingestat* dictus est, detulerunt. Postridie sacra corpora novo loculo recondita, in abside basilicæ locaverunt; &, *sicut in Francia mos tunc erat*, superposito ligneo culmine (ciborium seu fredam appellabant) linteis ac sericis palliis contexerunt: ibidemque altare erectum, duobus vexillis dominicæ passionis, quæ feretrum in via præcedere solebant, hinc & inde defixis, ordinatisque clericis, qui assidue divinas laudes inibi celebrarent. Eginhardus dein regali diplomate Aquisgranum in palatium evocatus, ab Hilduino sancti Medardi abbate partem recepit sancti Marcellini reliquiarum, quam Hunus presbyter, ab eo Romam cum Ratleïco missus, clam subripuerat. Eam ob rem missi ad sancti Medardi cœnobium clerici duo, Hiltfridus presbyter, & Filimarus subdiaconus, nummis aureis centum *benedictionis gratia* eidem loco datis, partem illam receperunt sacrarum reliquiarum, eamque Aquisgranum, comitantibus duobus fratribus e cœnobio sancti Medardi, primum consignarunt Hilduino, ibi tunc in comitatu exsistenti: qui eam post paschales dies insequentis anni Eginhardo ibidem restituit.

Salingestadensis monasterii origo.

Miraculis quibusdam illic patratis, Ludovicus augustus sanctis martyribus quoddam prædiolum, situm juxta fluvium Aram; Judith vero *regina*, id est imperatrix, cingulum suum ex auro & gemmis factum obtulit. Delata demum ea pars reliquiarum Mulinheimium sexto-decimo die ab egressu ex Aquisgrano, & uno loculo cum aliis eorumdem martyrum reliquiis conclusa. Hæc duobus prioribus Eginhardi libris comprehensa: posteriores duo varia ibidem facta miracula complectuntur. In his gibbo exoneratus traditur Albricus quidam cæcus, qui capitula quædam, suggerentibus sanctis martyribus, describi, atque Ludovico imperatori legenda per Eginhardum offerri curavit. Hæc sunt capitula duodecim, quæ ab archangelo Gabriele revelata dicuntur: ex quibus Ludovicus, ait Eginhardus, *perpauca adimplere curavit*; ob id post mortem castigari creditus ab annalista [a] Fuldensi, qui Ludovici Germaniæ regis ejus filii visum ea de re commemorat. In libro quarto referuntur miracula in palatio patrata; erga *Droeum* seu Drogonem, *regis*, id est imperatoris, *cubicularium*, natione Græcum; *erga Gerlacum de urbe Remorum*, qui propter ædificia palatii Aquisgranum venerat; erga Gerwardum palatii bibliothecarium, cui Eginhardus epistolam quartam-decimam scripsit; aliosque. Postea memorantur alia miracula, in aliis facta locis, quibus sanctorum martyrum reliquiæ concessæ fuerant. Ex his primus omnium *Georgius presbyter & rector monasterii sancti Salvii martyris, quod in pago Fanomartensi* *, *in vico Valentianas appellato, in ripa Scaldis fluvii situm est*, portionem quamdam sacrarum reliquiarum accepit per Theodardum diaconum suum. Hic est Georgius Veneticus, qui de patria sua ad imperatorem « venit, & in Aquensi palatio organum, quod græce *hydraulica* vocatur, mirifica « arte composuit. Id anno superiori factum Eginhardus in annalibus tradit. In illo « sancti Salvii monasterio inter alios quidam cæcus, Hildebonus nomine, eo profectus *de monasterio, quod ad Duos-gemellos appellatur*, lumen oculorum recepit. Deinde Eginhardus subdit miracula facta in monasterio sancti Bavonis apud Gandam, ubi Scaldis fluvius * Legicæ conjungitur: cujus loci fratribus reliquiæ eorumdem martyrum anno sequenti missæ sunt ab ipso Eginhardo, qui ejus monasterii abbas erat. Denique alia recitat facta Trajecti ad Mosam in basilica sancti Servatii, in Folchardo de monasterio, *quod Meldradsum*; in Dothio de monasterio Scottorum,

[a] *Annal. Fuld. an. 874.*

* *de Famars.*

* *la Lis.*

ANN. CHR. 827.

quod Fossa vocatur; & in virgine Deo sacrata, nomine Saliga, *ex monasterio sanctimonialium, Eike vocabulo, super Mosam fluvium*, quod nunc est collegium nobilium canonicarum, ut alias diximus.

S. Tiburtii translatio ad S. Medardum.

Eodem tempore facta est translatio reliquiarum sancti Tiburtii, aliorumque martyrum ex urbe Roma in sancti Medardi cœnobium Suessionense per Hunum illum presbyterum, quem Hilduinus Romam hujus rei causa cum Ratleico miserat. Hujus translationis historiam, præmissæ Eginhardi narrationi consimilem, retulit Odilo monachus superius laudatus, ad Ingrannum decanum sancti Medardi, eam consignans anno sequenti, pridie idus Julii.

VIII. Finani reclusi obitus.

Finanus Scottus, Rhinaugiæ in Suevia reclusus, non videtur hunc annum excessisse. Sub annum octingentesimum eo secessit; ubi post quinquennium vitæ communis, reclusus in cellam privatam, viginti-duobus annis in illa reclusione perseveravit. De hoc monasterio nihil occurrit dicendum in præsens, præter ea, quæ ad prædictum annum [a] retulimus.

a lib. 26. n. 102.

IX. Sigualdus abbas Epternaci obit.

Epternacensem apud Treviros abbatiam Sigualdus seu Sigoaldus episcopus Spoletanus dudum obtinuisse dicitur a Bruschio, & ad hunc annum retinuisse, qui ejus extremus fuit. Hic, testante [b] Ughello, Lothario in primis carus fuit ob medicinæ peritiam, ob idque multa ab eo privilegia & donaria, in his abbatiam sancti Petri de Florentillo, in Umbria sitam, per summam habendi ditandique episcopatus cupiditatem extorsit. Hanc adeptus monachos inde ejecit, sed non impune, Deum mox iratum expertus, inflicta horribili lepra, ex qua demum interiit. Nec sic tamen vita functus insequentem ultionem evitare potuit. Si quidem cum per tres continentes dies, tamquam e subjecto incendio, densissima fumi nubes exsurrexisset e tumulo, reperere miraculo admoniti clerici, episcopi deflagrasse cadaver, inque fœtentissimos cineres diffluisse. Ita Ughellus, penes quem sit ejus rei fides. Ut ut res se habet, Sigualdus concilio Romano anno superiori non interfuit cum aliis ejus regionis episcopis: at unus ex arbitris fuit in placito Spoletano, quod in causa Farfensis monasterii ante sex annos habitum est. Liutardus in episcopatu Spoletano ei successit; in Epternacensi abbatia Thietgaudus seu Theutgaudus, qui post Hettium Trevirensis archiepiscopus fuit.

b Ital. sac. to. 1. c. 173.

X. Pippini præceptum pro S. Maxentio.

Ineunte hoc anno Pippinus Aquitaniæ rex præceptum edidit pro monasterio S. Maxentii, sito *in territorio* seu pago Pictavensi, ubi sanctus Leodegarius corpore requiescit: quod, cum in potestate comitum fuisset per beneficium regum superio-
„ rum, Pippinus in pristinum statum restituere cœperat, assignata monachis portione
„ rerum ad ipsos pertinentium, & abbate regulari ibidem constituto, qui secundum
„ regulam sancti Benedicti vitam monasticam degeret, & sub nullius potestate, præ-
„ terquam regia, consisteret. Sed quia aliam portionem rerum prædicti monasterii
„ in beneficium datam, eidem monasterio propter quamdam regni utilitatem seu ne-
„ cessitatem reddere necdum poterat; hoc immunitatis præceptum ei concedit Pippi-
„ nus, idem monasterium cum portione rerum, quas possidebat, ab omni publica
„ exactione, id est ab expeditione exercitali; & bannis atque heribannis, operibusque
„ publicis atque paratis, liberum & absolutum declarans. quod antea eidem loco fuerat concessum, ut patet ex constitutione Ludovici augusti, in qua monasterium sancti Maxentii numeratur inter ea monasteria Aquitaniæ, quæ nec dona, nec militiam, sed solas orationes debebant. Ad hæc præcipit Pippinus, ut quicumque res ceteras monasterii in beneficium tenebant, eidem *nonas & decimas atque opera pleniter persolvant*, quoadusque ipsæ res eidem loco demum restituantur. *Data III. idus Januarii, anno tertio-decimo imperii domni Ludovici serenissimi augusti, & tertio decimo regni nostri. Actum in Casanogili palatio.*

Abbates ejus loci.

Tunc sancti Maxentii cœnobium regebat Reinardus abbas, successor Tetberti, de quo superius actum est. Ante hunc abbatem ingens hiatus est ab Audulfo abbate, qui corpus sancti Leodegarii episcopi & martyris in suum monasterium transtulit sæculo septimo. Ab eo tempore nullus occurrit abbas ante Tetbertum, qui præceptum immunitatis obtinuit a Ludovico augusto anno ejus imperii secundo. Reinardus Tetberti successor Ticiacum villam pagi Pictavensis a Pippino rege impetravit ad deprecationem Bernardi comitis, qui eam in beneficium habebat. *Data XI. kalendas Januarii, anno duodecimo imperii domni Ludovici serenissimi augusti, & eodem regni nostri. Actum ad illa Warda prope Andiaco in Dei nomine feliciter, amen.* Hoc itaque diploma datum est sub finem anni superioris

perioris, & post aliquot dies anni subsequentis datum alterum, anno tertio-decimo Ludovici & Pippini desinente. De Abbone Reinardi successore inferius.

ANN. CHR. 827.

XI. Palatia regum Aquitaniæ.

Casanegilum seu Cassinogilum & Andiacum, ubi data hæc diplomata, duo erant ex quatuor Aquitaniæ regum palatiis, in quibus Ludovicus ex præcepto patris hiberna transigebat. Alia duo erant Theotvadum * apud Andecavos, & Evrogilum seu Ebrogilum * apud Arvernos. Cassinogilum * ad Garumnam statuit, describitque Aimoinus in libro de miraculis sancti Benedicti. Andiacum idem cum Jocundiaco pagi Lemovicini palatio censet Hadrianus Valesius, truncato, ut putat, vocabulo. Verum Andiacum a Jocundiaco penitus diversum esse probat noster Michael Germanus in libro de palatiis regum Francorum, idque persuadent multa vetera regum diplomata, quæ Andiaci edita sunt. Andiagum in pago Ecolismensi locat chronographus [a] Fontanellensis, idem forte cum Andiaco : at locus nondum omnino exploratus. Non minus obscura *illa warda prope Andiacum*, quam Andiacum ipsum, quo nomine custodiam vulgo significari constat, forte castellum seu arcem quamdam, sitam prope Andiacum palatium. Plura itaque erant Aquitaniæ regum palatia, quam quatuor illa, quæ Carolus Ludovico filio ad hiberna vicissim transigenda assignaverat; nec Jocundiacum * ex illis quatuor censendum est, positum ad ripam fluvii Vigennæ, ubi modo ecclesia sanctæ Felicitatis visitur.

* *Doé.*
* *Ebreuil.*
* *Cassenuil.*

[a] *chron Fontanell. c. 7.*

* *Jogonsac.*

ANN. CHR. 828.

XII. Stradense monasterium conditur.

HOc est *Jogantiacum palatium*, in quo dum versaretur Pippinus, privilegium edidit pro monasterio Stradensi, quod anno ab incarnatione Domini octingentesimo vicesimo-octavo conditum fuisse auctor est anonymus in libro de vita S. Genulfi, cujus reliquiæ postmodum illuc translatæ sunt. Positum est hoc monasterium in occidentali plaga Biturici pagi ad Agnerem seu Angerem * fluvium, loco jucundo & amœno, in villa, quæ Strada olim dicta, dein sancti Genulfi vocabulum accepit a monasterio adjuncto. Hæc villa ex jure erat Wicfredi Biturigum comitis, qui ex regali prosapia oriundus traditur : cui non imparis splendoris conjux, Oda nomine, copulata fuit, ex clarissimo Francorum genere orta. His una filia erat Agana, quæ Rotberto cuidam, magnæ apud Pippinum regem potentiæ viro, nupta est. Porro hujus Rotberti filiam idem rex uxorem duxisse dicitur, ex eaque Pippinum & Carolum, geminasque filias suscepisse. Verum Ingeltrudem conjugem Pippini, non Rotberti, sed Thietberti comitis Matricensis filiam fuisse tradunt Eginhardi annales, probatque charta ejusdem Pippini, a Duboucheto relata, in qua uxorem suam Ingeltrudem, ejusque patrem Thetbertum, avum Nebelungum vocat. Absolutis monasterii ædificiis, basilica in honorem Salvatoris, sanctæque Mariæ Dei genitricis, & sanctorum apostolorum, omniumque sanctorum dedicata est, sacris etiam decorata reliquiis, *ex sacra videlicet palla, Magni Gregorii papæ meritis divinitus cruentata, sicut in gestis ejus legitur*, aliisque sanctorum pignoribus. Primus Stradensis monasterii abbas Dodo, pater venerabilis, fuit : qui quo ex loco assumtus sit, non prodit anonymus; hoc unum addens, cœnobium fuisse commissum Dodoni abbati & religiosis cœnobitis, *qui secundum institutionem beatissimi patris Benedicti semper illud regerent.* Ex aliis monumentis discimus, abbatem sancti Savini apud Pictones fuisse hunc Dodonem, de quo alias uberior erit dicendi materia. Privilegium immunitatis eidem cœnobio rogatu Wicfredi comitis Pippinus concessit in Jocundiaco palatio, anno decimo-septimo imperii genitoris sui domni Ludovici serenissimi augusti, & sexto-decimo regni sui; idemque ecclesiæ Cildraci donationem, ab eisdem conjugibus factam anno regni sui vicesimo-quarto, qui vitæ ipsius postremus fuit, regiis litteris confirmavit. Sub idem tempus decessere Wicfredus & Oda, quorum corpora, ut ipsi præceperant, extra ecclesiam beatæ Mariæ ad dexteram ingredientium sepulta fuere : postmodum a fratribus in ecclesiam illata, hinc & inde ad altare ejusdem beatissimæ Deiparæ condita sunt.

* *l'Indre.*

XIII. S. Cypriani monasterium apud Pictones.

Hoc ipso anno Pippinus rex monasterium sancti Cypriani martyris, fratris sancti Savini, prope Augustoritum-Pictonum, ad prospectum urbis orientalem, ad Clinum amnem condidisse traditur. Eo in loco ante id tempus ecclesiam beatæ Mariæ sacram exstitisse ferunt. Non diu incolume stetit hoc monasterium, quod a Normannis eversum instauravit Frotharius Pictonum antistes procedente sæculo decimo, quo ex tempore longe illustrius haberi cœpit, hactenus non incelebre sub congregatione sancti Mauri. Idem princeps monasticum ordinem in Ecolismensi sancti Eparchii

S. Eparchii

ANN. CHR. 828.

Cœnobium monachis restituitur.

abbatia restituisse perhibetur, ejectis canonicis, qui vetus illud monasterium a principatu Caroli Martelli occupaverant. Utrique monasterio præfectus dicitur Martinus abbas in chronico Malliacensi : at vereor ne id anticipato dictum sit de Martino abbate, qui monasteriis sæculo decimo instaurandis subsidium attulit. Idem chronographus Brantosmi originem eidem Pippino tribuit, quam potius Pippino regi Francorum, ejus proavo, tribuendam esse superius ostendimus. Eadem fortuna fuit a Nortmannis sancti Eparchii monasterii atque sancti Cypriani : at serius instauratio facta est, nempe labente sæculo decimo : quod sancti Eparchii monasterium sæculo insequenti subjectum fuit Angeriacensi abbatiæ, de cujus origine hoc loco agendum est.

XIV. Angeriacensis monasterii origo.

Angeriacum seu Engeriacum, quod Angeliacum vulgus appellat, opidum est pagi Santonensis ad Vultumnam * fluvium, quinque circiter leucis a Mediolano-Santonum distans, quod monasterio cognomini celebritatem suam acceptam refert. Locus est solo & cælo jucundissimus, olim ædibus regiis illustris, quas Pippinus Aquitaniæ rex in monachorum habitacula, suadente Ludovico patre, convertit. Virgini Deiparæ sacra erat vetus loci basilica, quam sancto Johanni Baptistæ Pippinus nuncupatam voluit ob translatum in eam caput, sic tum jam creditum est, sanctissimi Præcursoris. Libellus hac de re dudum editus id tribuit Pippino seniori : at omnino sublestæ fidei est tota istius libelli narratio, quæ in chronico Malliacensi compendio refertur, tribuitque Pippino juniori, Ludovici filio, Engeriacensis monasterii constructionem. Allatum caput cum tribus sanctorum Innocentium corporibus a Felicio nescio quo, sacerdote & monacho, qui hæc Alexandria asportasse traditur, depositum fuit in nova basilica, a Pippino in ejus honorem exstructa, intra ciborium sex columnis lapideis mirifice compositum. Processu temporis, id est anno decimo supra millesimum, inventum est prædictum caput *in theca saxea turrita instar pyramidis*, ut suo loco videbimus. Eamdem sortem a Nortmannis pertulit, ac cetera, monasterium sancti Johannis, ante medium sæculum decimum restitutum a Ratgario comite & Ebbone, assensu Ludovici Transmarini.

* *la Boutonne.*

XV. Ludovicus venit ad S. Medardum.

Cum in monasterio sancti Medardi apud Suessionas continua ederentur miracula meritis sancti Sebastiani nuper eo translati, istuc Ludovicus, vere pius imperator, cum Judith augusta non ante accedere sustinuit, quam regali exutus purpura, & calceamentis tertio ferme a loco lapide rejectis, nudis cum conjuge pedibus, divini ibidem Numinis præsentiam reveritus esset. Et quia flagitiosos quosdam, confessione haud expurgatos, vi quadam arcana coactos crimina sua vulgare Judith augusta acceperat; totam se prius ad Christi clementiam convertit, *agens cum venerabilibus sacerdotibus culparum suarum secreti mysterii munus*; eleemosynarum quoque, ceterorumque bonorum operum impendiis *per spatium interjecti temporis* peccata sua redimens; sicque expiata, itineri demum cum imperatore se commisit. Hic in mentem venit illud Hieronymi in epistola contra Vigilantium : *Quando iratus fuero, & aliquid mali in meo animo agitavero, & me nocturnum phantasma deluserit, basilicas martyrum intrare non audeo. ita totus & corpore & animo pertremisco.* Acceptus eo quo decebat honore ab Hilduino abbate fratribusque Ludovicus, deductusque cum festivo cantu & apparatu ad loculum martyris, in humili quo erant habitu ambo conjuges, substratis sibi palliis, ante altare in faciem procumbunt, multas Deo & sancto martyri preces cum lacrymis effundunt. Dein, resumtis cum diademate imperialibus ornamentis, consistorium subiens imperator, missarum sollemnia in honore sancti martyris celebrari jussit; & cum ad evangelium ventum esset, calicem aureum ingentis ponderis cum patena, patris sui Magni Caroli monogrammate insignita, manibus propriis, dum legeretur evangelium, tenuit, *& eum oblatione sacranda eidem dicavit.* Peractis sacris, ad sacrum loculum cum conjuge denuo accessit, fusisque prolixis precibus, regiis ornamentis *usque ad subuculam* ambo exuti, ea S. martyri obtulere, & ad ejus tumulum reposuere. Ad hæc textum evangeliorum, aureis characteribus in membranis purpureis exaratum, laminisque ejusdem metalli coopertum, qui hodie quoque illic asservatur, cum aliis donariis obtulit princeps, concessa facultate cudendæ monetæ. Quin etiam abbatiam sancti Stephani protomartyris Cauciacum *, ad Axonam prope Compendium sitam, quæ septingentarum familiarum erat, ad templi fabricam amplificandam dedit, idque præcepto regiæ auctoritatis & anuli sui impressione roboravit. Cum vero aliquamdiu ibidem

* *Choisy.*

moratus esset, sæpiusque sancti martyris tumulum frequentaret; non minima devotioni pristinæ incrementa adjecit, visis, quæ illic interim edita sunt, miraculis: ut, cum quadam die *ad sancta Sophiæ capellam, qua palatio inhærebat*, oraturus procederet, ad limen substiterit, professus se cupere ibidem reliquum vitæ agere. Exstat in Compendiensi sancti Cornelii bibliotheca vetertimus codex, sancti Fulgentii opera continens, ad cujus calcem hæc leguntur. *Hunc codicem venerabilis Elizachar abbas, per manus Aldrici filii sui in Christo, sancto. . . dedit.* ubi scriptum videtur fuisse sancti Medardi nomen, quod nonnemo erasit.

XVI. Magnilocensibus concessæ S. Sebastiani reliquiæ.

Vulgatæ circumquaque ac rumore diffusæ sancti Sebastiani virtutes, Arvernos usque penetrarunt, perveneruntque ad aures Magnilocensium monachorum, qui ipsum sanctum martyrem patronum habebant. Missi ab eis Suessionas oratores, qui ejusdem reliquias a sancti-Medardensibus expeterent. Hi a Rodoino præposito, fratribusque humanissime excepti, causam itineris sui aperiunt. se quidem tantum beneficium haud mereri: at fraternæ caritatis, quippe qui *ejusdem erant ordinis*, memores esse monent, suæque petitioni favere obsecrant. Unum utrisque patronum esse, sibi communis patroni deesse reliquias, quas illi integras possidebant. Olim quidem duos e suis pseudomonachos a se discessisse; sed postea facti utcumque pænitentes, Romam profectos sancti Sebastiani reliquias perquisiisse, ut ad suos facilem reditum hoc pignore præpararent: at pro martyre pagani cujusdam ossa, multæ pecuniæ redemta pretio, in monasterium attulisse: quæ altari pro sacris reliquiis imposita, subito fragore & turbine cælitus immisso disjecta, & in frusta discissa in pavimentum dissiluerint, dum fratres post missarum sollemnia lautioribus epulis in refectorio indulgerent. Ob id se popularium ludibrio & improperiis objectos precari, ut se tandem hoc intolerabili relevarent pudore. quod facile præstiterint, si ipsi ab eorum caritate quantulumcumque reliquiarum sacrarum fuerint consecuti. His auditis, Rodoinus fraterno affectu compassus, operam hac de re suam apud Hilduinum fratresque eo lubentius spondet, quod hac concessione sancti Sebastiani cultus amplius propagaretur. Impetrato itaque ab Hilduino fratribusque assensu, prædictis oratoribus linteum, quo sacra martyris ossa involuta fuerant, *per collationem venerabilis Rothadi antistitis*, dari præcepit. Illi vero se reliquias sancti martyris, non lintea, quibus in sua regione abundarent, expetiisse causantur. Indignati ob inurbanam responsionem sancti-Medardenses, linteum in cistulam recolligunt, nec sequidquam aliud daturos affirmant. Tum vero illi postridie pænitudine acti, veniam precantur, oblatumque munus sibi dari poscunt. Rodoinus demum suorum precibus flexus, non totum, ut prius, sed tantum ejus partem, sacerdotum manibus sectam, concedi jussit. quam illi multo gratiosius, quam totum ante, accipientes, in præparatum sacellum repositam, religiosa fratrum turba cum hymnorum cantu comitante, ad propria attulerunt, id est ad monasterium Magnilocense, a Magno auctore sic dictum, quod Odilo, hujus facti assertor, *in provincia Aquitania, in pago Alvernico, vico Tudurnensi* locat.

XVII. Boso Floriacensis abbas reliquias ab Hilduino obtinet.

Multo liberalius actum est cum monachis Floriacensibus, quibus Hilduinus abbas insignem portionem reliquiarum sancti Dionysii, sanctique Sebastiani concessit. quod antequam exponamus, de abbatibus Floriacensibus quædam præmittenda sunt. Theodulfo episcopo & abbati in exsilium pulso suffectus fuerat, ut vidimus, regularis abbas Adalgaudus, qui initio statim sui regiminis privilegium a Ludovico imperatore obtinuit pro immunitate quatuor navium: cujus rei occasione miraculum a sancto Benedicto patratum superius retulimus. Aliud ejusdem abbatis tempore factum commemorat Adrevaldus de quodam pedibus debili, cui a nativitate non gradiendi, sed rependi tantum facultas concessa fuerat. Hic in basilica beatissimæ virginis Mariæ, cum diu ad sacros sancti Benedicti cineres excubasset, tandem extensis non sine gravissimo dolore nervis erectus, nequaquam tamen subito gressum recepit, donec titubantia genua solidarentur. Servatur proinde ad aliquod tempus *in domo pauperum hospitio deputata*, dum robustior redderetur. Post aliquot dies, *residentibus una fratribus hora diei tertia post lectionem capituli regularis, sanctorumque memoriam*, jussu Adalgaudi abbatis ille quondam languidus sacro sistitur conventui, atque ad suspicionem e quorumdam animis, de ejus sospitate dubitantium, amovendam, situlam aqua plenam gestare jubetur. quod confestim cum omnium admiratione & persuasione miraculi factum est. Nihil deinceps legitur de Adalgaudo ab-

ANN. CHR. 818. bate, qui hoc fere tempore locum fecit Bosoni abbati, qui Ludovico augusto addictissimus fuit. Hic aliquando e palatio, ad quod ab imperatore vocatus fuerat, rediens, divertit ad sancti Dionysii monasterium, ubi familiare cum Hilduino abbate colloquium habuit, petitque, sibi ut reliquias sancti Dionysii, sanctique Sebastiani largiri dignaretur. Annuit Hilduinus ea conditione, ut quotannis apud Floriacenses celeberrima eorumdem sanctorum festivitas *more monastico* haberetur. quo promisso, Boso optatas reliquias accepit, quas in basilica sanctæ Mariæ cum festiva pompa deposuit XI. kalendas Julias. Sacram pompam sequebatur innumera promiscui vulgi multitudo. Verum quia *ex antiqua auctoritate* feminas, ne quidem *intra exteriores portas monasterii*, admitti licebat; vix nobiliores quique junctis cum sequiori sexu precibus extorquere quoquo modo ab abbate & fratribus potuerunt, ut *extra portam monasterii* ad occidentalem plagam, in loco nemoribus consito, tentorium extendere juberent, ubi sacræ reliquiæ certo tempore, id est vigilia dominicæ diei, exponerentur ad vesperam diei sequentis sub reverenti vigilum custodia, tam monachorum, quam clericorum; indeque in locum suum referrentur. Perseverabat nihilo minus inter varia miracula sanctorum martyrum virtus quoque sancti Benedicti in patrandis miris sanitatum operationibus, quas Adrevaldus enarrat: in quibus Raculfus, comitis officium in pago Tornodorensi agens, in rabiem versus, meritis sancti Benedicti sanatus fuisse perhibetur. Hactenus Floriacenses nostri asservant duo coxendicis ossa sancti Sebastiani, cujus in honorem parœcialis ejus loci ecclesia dedicata est.

XVIII. Ostroldus episcopus Laudunensis S. Sebastiano reconciliatur. Fama est Ostroldum episcopum, *qui ea tempestate Lugduni præsidebat*, sic absolute Laudunum vocat Odilo, cum aliis episcopis hunc populorum ad sanctum Sebastianum concursum haud probasse, dicentibus rectius fore, ut ecclesiæ parœciales, in quibus baptismi fideique donum fideles perciperent, quam alienæ, ex his ditarentur stipendiis, earumque pupilli ac viduæ alerentur. Ita quidem plerique episcopi. Ostroldus vero conscenso pulpito: Ut quid, aiebat, Suessionas pervagari, quasi Sebastianum martyrem illic reperturos? eum quippe Romæ sepultum residere, nec inde umquam motum fuisse. Præsens adesse venerabile Dei-genitricis templum. hoc frequentarent: hic vota sua voverent ac redderent. Non opus esse aliorsum vagari, & externa quærere, eaque suspecta auxilia. Cum multa in hunc modum ad populum perorasset, eum nocte insecuta ferunt a sancto Sebastiano in somnis increpitum, multisque castigatum verberibus jussum fuisse, ut Suessionas nudis pedibus iret, sicque injuriam martyri factam piaret. Jussis paruisse Ostroldum ait Odilo, & in posterum sancti Sebastiani cultus præconem simul & approbatorem exstitisse. Non deessent forte hoc tempore, qui pluris facerent episcopi admonitionem, quam vulgatam correptionem sancti Sebastiani.

XIX. Hilduini abbatis commutatio. Redeo ad Hilduinum abbatem, qui anno præcedente commutationem [a] fecit cum quodam Fulcerico quarumdam rerum, quæ ad sancti Dionysii monasterium in pago Andecavo pertinebant, aliis rebus in pago Parisiaco a Fulcerico acceptis. Id ab Hilduino factum de more *cum consensu fratrum suorum*; duæque commutationis litteræ pari tenore conscriptæ sunt, manibusque bonorum hominum roboratæ: quas Ludovicus & Lotharius regio diplomate comprobarunt, dato in Carisiaco palatio regio IV. idus Novembris, anno imperii Ludovici quarto-decimo, Lotharii sexto ab ipsius coronatione Romæ facta, indictione sexta. Haud scio an idem sit [b] Fulcricus, quicum Albericus Lingonum antistes commutationem fecit quarumdam rerum, quæ ad sancti Benigni monasterium pertinebant.

a *Diplom. p.* 516.

b *Perard. p.* 17.

XX. S. Benigni basilica refecta & reformatio. Decesserat hoc tempore sancti Benigni abbas Herlegaudus, sub quo ita laxata fuit illic monastica disciplina, ut ejus loci cœnobitas nominis sui suppuderet, jamque non se monachos, sed clericos dicerent. Non tamen domus Dei curam penitus abjecit Herlegaudus, quippe qui basilicam resarturus, subsidium a Ludovico augusto in pium opus postulavit. Postulatis fecit satis piissimus princeps, scriptis litteris ad comitem illius pagi vassosque, dominicos in hunc modum.

In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator augustus, Amadeo comiti, Helia & Waldo, Isembardo & Barberto vassis nostris. Notum sit vobis, quia volumus, ut adjutorium faciatis Herlegaudo diacono ad restaurandam & recooperiendam ecclesiam sancti Benigni martyris Christi, propter illam scilicet rationem, quia compertum nobis est, quod vos de ratione

ejusdem ecclesiæ beneficia habeatis ; & nonas , & decimas in omnibus dare faciatis : quia justum est. Propterea constituimus vobis , ut ad restaurandam illam ecclesiam , & cooperiendam , adjutorium præstetis. Videte ut omnino impleatis , atque expressim vobis demandamus , ut nullam exinde habeatis neglgentiam , si gratiam nostram vultis habere. Et ut certius cognoscatis hanc nostram esse jussionem , de anulo nostro jussimus sigillari.

Nullæ passim hujusmodi litteris , quæ Mandata dici possunt , chronicæ notæ , nec quo præcise anno Herlegaudus obierit , satis exploratum. Id compertum , Albericum eo mortuo monasticum ordinem in pristinum ibidem statum reformare studuisse , eique congregationi Herlebertum seu Erlebertum sub eo chorepiscopum ab ipso præpositum anno superiore : quo anno Erlebertum inter & Seraphim [a] abbatem Besuensem quarumdam rerum facta permutatio est. Dedit Erlebertus chorepiscopus (coëpiscopum chronographus vocat) de ratione sancti Benigni Seraphim abbati ad partem sancti Petri Besuensis in villis pagi Atoariensis Luco & Verona , quidquid in illis sanctus Benignus possidebat : contra vero Seraphim abbas e rebus sancti Petri Besuensis Erleberto chorepiscopo ad partem sancti Benigni fratrumque ejus loci , quidquid in vico sancti Benigni , vicinisque finibus habebant Besuenses. *Actum Divioni , vico sancti Benigni publice , die sabbato* VI. *kalendas Augusti , anno quarto-decimo regnante domino nostro Ludovico imperatore.* quam commutationem Albericus episcopus ratam habuit. Hæ notæ chronicæ anno ejus sæculi vicesimo-septimo conveniunt. Aliæ subinde permutationes de rebus sancti Benigni factæ sunt, non ab Erleberto , sed vel a fratribus sancti Benigni , vel ab episcopo Alberico annis Ludovici augusti vicesimo-tertio & vicesimo-quarto apud Perardum : sive tum decessisset Erlebertus, sive rerum penes eum administratio amplius non esset. Paullo post hos annos Ingelramnos episcopus atque abbas monasterii regimen accepit.

a *Perard. p.* 16.

XXI. *Wilafredus abbas Montis-olivi*

Monasterio Malasti seu Montis-olivi in pago Carcassensi privilegium mundeburdii ante annos tredecim concesserat [b] Ludovicus augustus rogatu Olomundi abbatis, qui hoc monasterium nuvo opere exstruxisse memoratur. Obiit Olomundus abbas III. idus Decembris ante hunc annum : quo Wilafredus ejus successor præceptum obtinuit a Pippino rege Aquitanorum, confirmante privilegium regiæ tuitionis, ejus decessori a Ludovico augusto concessum , obsecrans , ut prædictum monasterium una cum cellulis sancti Martini ei subjectis , quæ sunt sitæ in eodem pago Carcassensi super rivulum Lampi , sive sanctæ Cæciliæ & sancti Petri , quæ super fluvium Duranum , omnibusque ad eadem loca pertinentibus , sub sua defensione & immunitatis tuitione susciperet. quod quidem exemplo genitoris sui haud gravate præstitit Pippinus , insuperque eisdem fratribus duas villas cessit , juxta ipsum monasterium positas , cum libera eligendi abbatis facultate. *Data* VIII. *idus . . . anno quinto-decimo imperii domni HLudovici serenissimi augusti , anno vero regni domni Pippini regis quarto-decimo* , ut in authentico legitur , non *duodecimo* , ut in editis. *Actum in monasterio sancti Martialis* , nempe in civitate Lemovicum. quod monasterium primo titulum Salvatoris , dein sancti Martialis tulit , & quidem ante hunc annum, uti Cointius ex hoc loco observat adversus eos , qui negant, nomen sancti Martialis huic cœnobio inditum fuisse ante elevationem corporis sancti Martialis , quæ post biennium facta est.

b *supra lib.* 28 *n.* 36.

XXII. *Lirino facta donatio.*

Regebat tunc Lirinense monasterium Leotmundus abbas , cujus tempore illustris vir Leybulfus, & uxor ejus Odda , sacrosanctæ Dei ecclesiæ sancti Honorati & sancti Caprasii monasterii Lerinensis, siti prope pagum Forojuliensem , ubi & venerabilis Leotmundus abbas præerat , de rebus suis propriis ea dederunt , quæ habebant in pago Arelatensi , in insula civitati suburbana , quæ ipsis per commutationis epistolam & licentiam domini ac serenissimi Ludovici imperatoris obvenerant ad proprium : ubi etiam ecclesiam in honore sanctæ Mariæ & sancti Honorati sanctique Vincentii construxerant. Acta XVII. kalendas Aprilis, anno quinto-decimo Ludovici imperatoris. His litteris post donatores subscribunt Benedictus archiepiscopus Aquensis, Noto Arelatensis, Heldebonus episcopus Antipolitanus , aliique complures.

XXIII. *Mauri-monasterii instauratio & abbates.*

In Alsatia Mauri monasterium hoc anno , cum chartis ac vetustis documentis , incendio conflagrasse traditur. Ejus instaurationem Ludovicus commisit fratri suo Drogoni Mettensi episcopo , qui corpora sanctorum [c] Cælestis & Adjutoris eodem

c *Spicil. to.* 6. *p.* 644.

ANN. CHR. 818.

intulit. Sacræ pompæ interfuit, novæque fabricæ studium & operam impendit Celsus abbas, Petri Galli ab anno superiore successur, qui ad annum ejus sæculi quinquagesimum-tertium regimem ac vitam produxisse fertur; eidemque post tres vacationis annos subrogatus Theodericus in annos novem: cujus successores Alexander annum unum, Philippus annos sex, Andreas octodecim; quinque Wendelinus, anno octingentesimo nonagesimo electus; Conradus ejus successor annos duodecim abbatiam rexisse dicuntur. In libro societatum Augiensium sæpius laudato, qui annos excedit octingentos, memoratur ex Mauri-monasterio Hartricus episcopus, an illius monasterii abbas, incertum. Plura de hoc monasterio habes apud Jodocum Coccium in libro de Dagoberto.

XXIV. Cremifanii abbas Sigehardus & privilegium. a supra lib. 24. n. 81.

In superioribus a egimus de Chremisensi seu Cremisaniensi Austriæ superioris monasterio, deque Fatero seu Faterico primo ejus abbate, cui Wlframus abbas, nulla re gesta memorandus; & post eum Sigehardus successit. Hic præsenti anno ab imperatoribus Ludovico & Lothario nova monasterio suo incrementa bonorum accepit, ad deprecationem Ludovici Bajoariorum regis & Geroldi comitis, quorum instinctu prædicti augusti concedunt cuidam monasterio suo, cujus vocabulum est » Chremise, quod est constructum in honore & veneratione Domini & Salvatoris » nostri Jesu-Christi, situm in pago Trungowe, ubi tunc vir venerabilis Sigehardus » præerat, & monachis ibidem per tempora victuris, quoddam territorium in pago » Grunzwiti, juxta montem *Sumerbech*, quod hactenus servi vel sclavi ejusdem mo» nasterii ad censum tenuerant comiti solvendum: ubi etiam monachi prædicti ecclesiam, domosque cum ceteris ædificiis construxerant. Datum XI. kalendas Apri» lis, anno imperii Ludowici quinto-decimo, Lotharii sexto, a sua coronatione Ro» mæ facta, indictione sexta. Actum Aquisgrani palatio regio. quod diploma Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovit. Integrum refertur in annalium Cremisaneusium libro primo. In his post Sigehardum abbatem magnus hiatus est usque ad Burchardum abbatem, qui tempore Arnulfi regis in monasterii tabulis occurrit. Si vera est nostra de Chaminceso conjectura, inter hos duos abbates locandus est Liutfridus, qui in prædicto Augiensi necrologio notatur *ex monasterio Chaminceso*, quod de Chremisensi mihi visum est interpretandum.

XXV. Apollinari abbati Casinati succedit Deusdedit.

Sub finem hujus anni Apollinaris Casinensis abbas ad superos migravit V. kalendas Decembris post annos undecim præfecturæ, quam insigni pietate illustravit. Sepultus est primum prope ecclesiam sancti Benedicti, juxta gradus porticus, qua ad oratorium sancti Martini aditus erat. Dein sacrum ejus corpus ad lævam sacelli beati Bertharii abbatis & martyris positum, necdum ad novum translatum erat, cum Angelus de Nuce Chronicon Casinense notis illustrabat. Successor ejus Deusdedit, quintus-decimus Casini abbas, annos tantum sex sacro monti præfuit, in carcere confectus non sine opinione sanctitatis, eo conjectus jussu Sichardi Beneventani ducis spurcissimi & avarissimi, cujus pater ac decessor Sico in Deusdedit abbatem optime affectus fuerat, eique præceptum de fluvio Lauri, omnibusque ad eum ex jure palatii pertinentibus fecerat.

ANN. CHR. 819. XXVI. Gallarum status & vitia a Wala notata.

HActenus prosperis successibus immensum creverat Gallicanum imperium: sed vitia ex prosperitate orta potestati immensis laboribus partæ ingentem non multo post perniciem attulerunt; & peccata populi, longe lateque accumulata, ut Paschasii verbis utar, *clades, pestilentias, fames, inæqualitates aërum, terroresque etiam visionum* accersiverunt. Ob hanc causam miracula sanctorum, quanta & qualia numquam audita sint, nuper coruscasse idem auctor tradit: idque divino consilio factum ait, *si quo modo post tenebras cæcitatis nostræ*, inquit, *ad veram lucem, quæ Christus est, tandem expergefacti resurgamus*. Tantis malis ut obviam iretur, Ludovicus augustus generale placitum Aquisgranum convocavit, & ex omnium sententia quatuor diversis locis concilia in annum sequentem indicta sunt: ut episcopi & sacerdotes dispicerent, quibus modis ira divina placari posset. *Hos quippe constat vicarios esse apostolorum & luminaria mundi. Per hos igitur eorumque doctrinam tales tantique piissimi principes sibi suisque fideliter crediderunt misericordiam propitiari divinam*, ut legitur in prologo synodi Parisiensis, quæ una fuit e quatuor, anno undetricesimo celebratis.

In hoc placito præ ceteris enituit studium ac zelus venerabilis Walæ abbatis Cor-

ANN. CHR. 819.

beiensis, qui jussis piissimi imperatoris obtemperans, diligentius inquirere mandantis, *quid esset in quo Deus offensus esset, vel quibus placari posset operibus*, parvam edidit schedulam, in qua universa hujus regni vitia litteris depinxit; quæ omnia deinde ad comitatum reversus coram Ludovico augusto, cunctisque ecclesiarum præsulibus ac senatoribus proposuit. Hæc quinque capitulis comprehendit, a Paschasio relatis in libro secundo de epitaphio Arsenii, quo nomine Walam in duobus illis libris perpetuo appellat. Primum omnium, præmisso, totius ecclesiæ statum duobus constare & administrari ordinibus, sacerdotio & imperio, imperatorem ac regem monet, ut suo mancipatus sit officio; nec divinis se ingerat, sed ea tantum curet, quæ sui juris sunt propria. Episcopi vero & ministri ecclesiarum specialius quæ Dei sunt agant, & ne sæcularibus se immisceant. Deinde rex tales in regno suo rectores constituat, quales Dominus in lege requirit, quos utique probos ad regendum populum Dei, & idoneos cognoscat; qui avaritiam oderint, ac justitiam diligant; non qui pro libitu ipsi assententur. Ad hæc ne res ecclesiarum sibi suisque usurpet, quippe quæ nihil aliud sint, quam pretia peccatorum, vota fidelium, patrimonia pauperum. Idcirco, inquiebat, quod semel legitime consecratum est Deo, suis militibus, id est ministris, & pauperibus ad usus militiæ suæ libere concedatur. Habeat igitur rex rem publicam libere in usus militiæ suæ dispensandam: habeat & Christus res ecclesiarum, quasi alteram rem publicam, omnium indigentium & sibi servientium usibus, suis commissam ministris fidelibus: & hoc sit regis officium, ut talibus committatur, qui & fideliter dispensent, & sapienter provideant: ut sic omnes glorificent Deum, & gaudeant in Christo, non minus ex futurorum promissis, quam ex præsentium solatio. Ad hæc sæculares homines reponebant, rem publicam sic *attenuatam* & attritam esse, ut ad præsentes regni necessitates sufficere non valeret. proinde rebus ecclesiasticis juvari oportere. At, si res publica, inquiebat ille, sine suffragio rerum ecclesiasticarum subsistere non valet; quærendus est modus & ordo cum summa religione, quo id per pontifices fieri debeat. Præterea monebat, ut episcopatus secundum canonicam auctoritatem darentur; arguebatque in primis clericos palatii, quos capellanos vocant, *qui non ob aliud*, inquit, *serviunt, nisi ob honores ecclesiarum & quæstus ac lucri gratiam sine probatione magisterii*. Denique monasteriorum pericula exponebat, quorum nonnulla jam a laïcis tenebantur; ob idque mundi usibus ac studiis occupata & depravata erant: quia, etsi de his rex bene agere cœpisset, in fine tamen, crebrescentibus malis, a sæcularibus pervasa fuerant. His aliisque a Wala expositis, ab imperatore indicta sunt, ut jam dixi, quatuor in locis concilia, nempe Moguntiæ, in urbe Parisiorum, apud Lugdunum & Tolosam: in quibus multa præclare in rem præsentem constituta: sed nullum malis remedium allatum, prohibentibus maxime regni *consulibus* seu comitibus, qui, *quia noluerunt recipere spiritum veritatis ad correptionem, receperunt spiritum erroris ad vertiginem*, inquit Paschasius. Hinc jam rarus, qui regibus fidem exhibeat: nullus, patriæ aut civibus qui recte consulat; nullus, qui sociis & amicis debitam caritatem impendat. Judices nonnisi venale aliquid agunt: populus imperialibus non suffragatur officiis: auctoritas non viget prælatorum, quoniam imperialis & regum deperiit: res publica & ecclesiarum pauperrima est, quia prædones ea diripiunt. Ita prædictus auctor: qui his malis cumulum additum dicit per Nasonem seu Ammissarium, quo nomine Bernardum intelligit, Septimaniæ & Tolosæ comitem & marcæ Hispanicæ præfectum, de quo postea dicendum erit. Post prædictum placitum Wala lienteriæ morbo correptus, ad monasterium suum se recepit, de his silere in posterum volens.

XXVII. Concilia his de rebus habita.

Quatuor illis conciliis præmissum fuerat anno præcedente capitulare Aquisgrani factum, in quo præscripta fuerant capitula, in eisdem tractanda conciliis: nempe de decimis, quæ ad capellas dominicas dantur, & hominibus qui eas habent, & in suos usus convertunt. De feminis, quæ in quibusdam locis temere velamen sibi imponunt. De monasteriolis puellarum in legatione Autgarii, archiepiscopi scilicet Moguntini, in quibus nullus ordo bonæ conversationis tenetur. De monasteriolis etiam diversis in missatico Alberici, nempe episcopi Lingonensis, qui missus dominicus erat in provinciis Lugdunensi, Tarentasiensi, & Viennensi. Ad hæc inquirendum erat de judicio aquæ-frigidæ, & de his qui usuris inserviebant. Capitula etiam missis dominicis ibidem præscripta. His addita capitula pro

ANN. CHR. 829. lege habenda de honore ecclesiarum, multisque aliis rebus, præsentissimum ingruentibus morbis remedium haud dubie allatura, si recte observata fuissent.

Sed præclara est Ludovici augusti epistola, quæ generatim populo legenda missa fuit, in qua religiosissimus princeps suo & Lotharii nomine scribit, se eo anno generale jejunium per totum regnum celebrari jussisse, Deumque tota devotione obsecrari, ut sibi manifestaret, in quibus ipse offensus esset, & quo demum pacto placari posset, & ut ad correctionem necessariam tranquillum tempus concedere dignaretur. Eam ob caussam statuisse, ut primo omnium archiepiscopi cum suis suffraganeis in locis congruis tempore opportuno convenirent; & ibi tam de sua, quam de aliorum omnium correctione & emendatione secundum divinam auctoritatem inquirerent, omnibusque exponerent. Ad hæc se missos dominicos per totum regnum destinasse, qui omnia perperam acta emendarent; se vero per singulas hebdomadas uno die in palatio ad caussas audiendas adfuturum. quæ omnia ut prosperum successum habeant, velle, ut triduanum jejunium generatim secunda feria post octavas pentecostes celebrandum indicatur, & religiose ab omnibus observetur. Nimius sum forte in his referendis: sed rerum subsequentium narratio id exigere videbatur.

Ex his quatuor conciliis (tria tantum numerat Paschasius) unum superest Parisiense, tribus libris constans, insigne profecto catholicæ religionis monumentum: quorum in libro primo agitur de dignitate & officio episcoporum, ac de clericis & monachis: in secundo de officiis regum ejusque ministrorum, aliorumque laïcorum: in tertio fit quædam recapitulatio eorum, quorum observatio præcipue necessaria erat, Ludovico & Lothario augustis directa. In capite quadragesimo-tertio libri primi arguuntur quædam abbatissæ & sanctimoniales, quæ non solum viduas, sed etiam virgines puellas velare solitæ erant. quod pæne in omnibus monasteriis puellaribus fiebat, ideo scilicet, quia dum se corrumpunt, nihil sibi obesse ad peccandum tale velamentum putent. quod in posterum fieri sub interminatione pœnæ canonicæ cavetur. Capitulum sequens est contra quasdam nobiles feminas, quæ amissis viris velabantur, & in domibus propriis residebant; statutumque, ut deinceps, non ante triginta dies a viri sui obitu, in monasteriis sub spiritualis matris regimine Deo servituræ se subdant. Quadragesimum-sextum est contra quosdam canonicos & monachos, qui, posthabito religionis suæ pudore, monasteria sanctimonialium, tam monacharum, quam canonicarum, inconsulto episcopo suo, propinquitatis aut familiaritatis confessionisve obtentu, impudenter atque irreverenter adibant. quod deinceps prohibetur, nisi forte eis præcipiatur propter opus necessarium ab episcopo civitatis. Porro si sacerdotibus sanctimoniales peccata sua confiteri voluerint, id nonnisi in ecclesia, coram sancto altari, adstantibus haud procul testibus, faciant. si autem infirmitas præpedierit, ut in ecclesia eadem confessio fieri nequeat, in qualibet domo facienda sit, nonnisi testibus similiter haud procul adstantibus fiat. Si vero colloquendum est, in auditorio sub testimonio virorum religiosorum, & religiosarum feminarum fiat. In tertio libro inter alia constitutum est, ut scholæ publicæ in tribus saltem imperii locis fiant: ut deterreantur clerici & monachi, qui palatia passim adeunt. Abbates vero canonicos, & regulares, id est monasticos, & abbatissas, sive laicos, qui monasteria tum habebant, Parisienses patres ab imperatore poscunt admoneri, ut bonum exemplum præbeant, & loca sibi concessa deperire & destrui per negligentiam non sinant; & congregationibus sibi commissis necessaria, cum in spiritualibus, tum in temporalibus, subsidia administrare non negligant: ne forte propter aliquam inopiam, & divina officia negligantur, & ipsæ congregationes irreligiosius vivere compellantur. In eodem conventu actum est de reformatione monasterii sancti Dionysii, ut inferius videbimus.

XXVIII. Aldricus metropolita Senonum. Concilio Parisiensi interfuit cum suis suffraganeis Aldricus archiepiscopus Senonum, qui in eodem concilio consecratus fuisse videtur. Erat is ante pontificatum abbas Ferrariensis, de quo Lupus, ejus post Odonem abbatem successor, in epistola [a] ad Wenilonem archiepiscopum Aldrici successorem: *Decessor vester*, inquit, *beatæ memoriæ Aldricus, præfati cæsaris Ludovici jussu, nobis, cum esset abbas, ablatus, & ecclesiæ Senonicæ pontifex factus est.* Suffectus est in locum Hieremiæ, qui anno præcedenti decesserat. Vacabat archiepiscopatus, cum Ludovicus diploma de celebrandis quatuor conciliis edidit. Colitur Aldricus in ecclesia Senonensi die sexta Junii, qui forte ordinationis ejus est dies. nam obitus ipsius incidit in decimum Octobris,

[a] Lupus epist. 29.

Octobris, translatio vero in tricesimam Junii. Ipsa die sexta Junii, quæ hoc anno dominica erat, cœptum est concilium Parisiense, cui Aldricus interfuit. Post Hieremiæ obitum vacavit aliquantum temporis sedes Senonensis. Id probat epistola quinta-decima inter Frotharianas ad Hilduinum abbatem, quem ecclesia illa obnixe precatur, ut huic tandem vacationi finem imponi curet. Ejusdem sunt argumenti sequentes duæ ad Eginhardum abbatem & Judith augustam, in quibus mirari se scribunt clerici Senonenses, quod ipsorum electus a missis dominicis non plena benevolentia susceptus sit, quod de Aldrico, an de alio, in cujus locum electus sit Aldricus, interpretandum sit, non satis compertum. ANN. CHR. 829.

Eodem fere tempore vacavit sedes Autissiodorensis mortuo Angelelmo episcopo, e Bajoario patre orto, qui ex abbate ejus urbis basilicæ sanctorum Gervasii & Protasii Aaroni antistiti substitutus fuerat, sepultus in basilica sancti Germani, cujus cellæ seu cœnobio sancti Salvatoris *tabulam argenteam cum signo sonorissimo* dedisse traditur. Hic patruus fuit Heribaldi ipsius successoris, nati ex patre Antelmo, matre Frotilde Vastiocensi, qui post *avunculi sui* seu patrui decessum a clero & populo electus fuit, *Aldrico cum coëpiscopis, ex præcepto Ludovici imperatoris, hujus negotium procurante*; & quidem in basilica sancti Germani, ubi etiam ordinatus est: cujus loci eum abbatem fuisse volunt recentiores, qua de re nihil in historia [a] episcoporum Autissiodorensium legitur. Heribaldi mentio inferius recurret, a quo Deusdedit abbas sancti Germani liberam eligendi abbatis facultatem obtinuit. Heribaldum episcopum Autissiodorensem sacrat. [a] *Labbe to. 1. p. 432.*

Dum apud Parisios sumus, non prætermittenda hoc loco partitio, quam Hilduinus abbas suburbani sancti Germani monasterii, uti & sancti Dionysii & sancti Medardi, hoc anno fecit, consulens monachorum quieti & utilitati adversus rapacitatem abbatum sæcularium, quos sibi successores verebatur; statuensque numerum monachorum centum-viginti, quibus certam prædiorum portionem ad necessaria stipendia assignavit. Hanc partitionem imperiali diplomate approbari curavit, quod, tametsi jam vulgatum, huc referre non pigebit. XXIX. Hilduinus portionem bonorum dat monachis S. Germani.

In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, HLudovicus & HLotharius divina ordinante providentia imperatores augusti. Si ea, quæ fideles imperii nostri pro statu & utilitate ecclesiarum ac servorum Dei fideliter ac devote ob Dei amorem in locis sibi commissis statuerunt, nostris confirmamus edictis; hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem, & totius regni a Deo nobis commissi tutelam mansurum esse credimus, & retributorem Dominum in futuro habere confidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ ac nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia vir venerabilis Hilduinus, monasterii sancti Vincentii ac sancti Germani abba, necnon & sacri palatii nostri archicapellanus, nostræ suggessit serenitati, quod pro Dei omnipotentis amore, & futuro ejusdem congregationis cavendo periculo, ne aliqua successorum suorum negligentia aut parcitate ordo inea futuris temporibus perturbaretur monasticus, stipendia eorum, quæ annuatim in cibo & potu accipere debebant, necnon & quasdam villas, specialiter necessitatibus illorum deserviendas, constituisset ac deputasset, atque per litterarum seriem & largitionis suæ chartam, sua, aliorumque bonorum hominum manibus roboratam, eis concessisset ac delegasset: quatenus nulla occasione, nec rei publicæ servitio, quisquam ex successoribus suis impedimentum in futuro inferre potuisset, pro quo a via rectitudinis & observatione regulari oberrare necesse esset: sed deputatis sibi rebus & stipendiis contenti, absque necessitate & inopia, regularem normam tenere, & sine prævaricatione, quantum humana sinit fragilitas, observare quivissent. Unde humiliter petiit ac postulavit celsitudinem nostram, ut pro rei firmitate, super eamdem constitutionem auctoritatis præceptum nostræ, pro divino intuitu ac ipsorum sanctorum reverentia, fieri juberemus, per quod inantea stabilis & inviolata permaneret. Nos vero petitioni illius, quia necessaria & rationabilis erat, aurem accommodantes, & qua voluntate ac ratione talia clementiæ nostræ suggereret, perspicue intelligentes, veluti postulaverat, fieri adjudicavimus. Quapropter statuimus atque jubemus, secundum quod in illius ordinatione continetur, ut dentur eis annis singulis de tritico puro modii mille quadringenti & quadraginta; & in susceptionem hospitum modii centum octoginta, quod sunt simul modii mille sexcenti-viginti; de vino modii duo millia; de legumine modii centum-octoginta; de caseo pensas centum-sexaginta; de pingaedine autem modii viginti, aut porci quinquaginta, quales meliores inveniri possunt; de butyro modii quatuor, de melle carrada una ex modiis octo, vel sicut ex censa de villa Laca-*

* *f.* rapacitate.

ANN. CHR. 829.

* Antony. * la Celle. * Marolles prés Montereau. * Cachant. * Nogent l'Artaud. * Espigneul. * Valeton. * Esmant. * al. Utta Osta.

*rias persolvitur; & mensalem de duodecim villis melle & cera, id est unoquoque mense sextaria quatuor, & cera libras duas; de sale modii centum; volatilia cum ovis de duobus festis, id est pascha & natalis Domini. Ad vestimenta etiam vel omnes eorum necessitates, secundum regularem institutionem procurandas, constituimus illis easdem villas, quas ipse per suam concessionem eis visus est condonasse: id est Antoniacum * cum ipsa capella, vel quicquid ad suum opus præsentialiter habuit, vel quicquid inde homines per precarias tenent, vel quicquid per beneficium illius aliqui adhuc habent, & illis pertinere videtur, ut post eorum discessum ad usum fratrum revertantur. Alteram, cujus vocabulum est Cella *, quæ dicitur Villaris, cum omnibus appendiciis suis, quantum ipse præsenti tempore ad suum opus illic habuit, vel quicquid homines per precaria vel beneficia illius tenent, & illic pertinere videtur. Tertiam, quæ vocatur Matriolas *, cum omni integritate sua. Quartam, quæ voca ur Cati-cantus *. Quintam, cujus vocabulum est Novigentus *, cum omni integritate sua. Sextam, cujus vocabulum est Spinogilum *, cum ipsa capella, vel quicquid inde ad suum opus habuit. Septimam, locellum, qui vocatur Valedronis *. Octavam, quæ dicitur Agmantus *, una cum ipsa silva, quæ vocatur Usta *. Has ergo villas cum appendiciis & reditibus suis, ut diximus, ad omnes ejusdem congregationis, tam infirmorum, quam senum, necessitates faciendas, & sustentacula mortalis vitæ ministranda, imperiali auctoritate & indulgentia per hoc præceptum confirmationis nostræ, sicut prædictus venerabilis abbas in sua prædicta constitutione, stabili jure eis concedimus ac confirmamus: præcipientes, ut nullus abbas per successiones, quod salubri egit consilio, subtrahere aut minuere audeat, aut ad suos usus retorqueat, aut alicui in beneficio tribuat: sed neque servitia ex eis exactet, neque paraveredos, aut expensas ad hospitum susceptiones recipiat; neque ullas in aliqua re exactiones inde exigat absque inevitabili necessitate, præter mensuras in principali ecclesia beati Germani, & in ponte Parisius longo a tempore dispositas: & si augeri adjudicaverit, & numerum monachorum in majus augeri, amplificari pecunia majori licentiam habeat. Hæc autem, ut putamus, ad usus centum-viginti monachorum sufficiunt: distrahendi autem aut minuendi eas, quas pro Dei statuimus amore, nequaquam præsumat. Sed si facere præsumpserit, & post discessum nostrum hanc nostram confirmationem, quam supra dicti venerabilis viri Hilduini constitutionem fecimus, violare voluerit, querela ad successores nostros, qui tunc temporis nobis superstites fuerint, devenerit, ipsique agnita auctoritate nostra statuta nostra defendant, & suæ auctoritatis præcepto confirment: qualiter futuris temporibus fratres, in cœnobio supra dicto regulam beati Benedicti servantes, absque perturbatione libere Deo deservire queant, ubisque merces exinde in perpetua recompensetur æternitate. Et ut hæc auctoritas, quam ob amorem Dei, & animæ nostræ remedium statuimus, firmiorem obtineat vigorem, & deinceps inconvulsa valeat perdurare, manus nostræ subscriptione eam subterfirmavimus, & anulo nostro sigillari jussimus. Data idibus Januarii, anno Christo propitio sexto-decimo imperii domni HLudovici serenissimi augusti, indictione septima. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.*

Deest annus Lothariani imperii in chartario, ex quo hoc diploma primum a Jacobo Brolio erutum est. Anno sequenti ejusdem cœnobii monachi a Pippino Aquitaniæ rege obtinuere confirmationem quarumdam villarum, quas ad stipendia fratrum Carolus & Ludovicus augusti in Aquitania concesserant. Hæ villæ sunt Vernogilus, Cixiacus, Lixiniacus, Noveridus, Casiliacus, Quinciacus, & Villa-Buslana. *Data idus Augusti, anno decimo-septimo imperii domni HLudovici serenissimi augusti, & quinto-decimo*; forte *sexto decimo*, regni nostri. *Actum in Aviziaci-villa.* Anno prædicto synodi Parisiensis Inchadus senior Parisiorum antistes similem bonorum
» partitionem ecclesiæ suæ canonicis fecit, eo pacto, ut sarta-tecta ad eos pertineant,
» & supervenientes fratres, tam canonicos, quam monachos aliarum congregationum,
» cum caritate excipiant: quorum alterum in constitutione Hilduini exprimitur, nempe hospitum exceptio: alterum reticetur, quod proinde abbatis officium erat.

XXX. Gothescalcus Fulda egressus.

Etsi Moguntini concilii acta exciderint, ex aliis tamen monumentis discimus, in eo actum fuisse de Gothescalco monacho, qui se invitum Fuldæ tonsum & monachum factum fuisse adversus Rabanum abbatem causabatur. Erat is nobilis Saxo, filius Berni comitis, a puero educatus in Fuldensi monasterio, ibique litteris informatus a Rabano, qui anno DCCC XXII. factus abbas, eum vitæ monasticæ mancipavit. Certe Gothescalcum a primis annis in monasterio secundum regulam obla-

tum & tonsum fuisse testis est Hincmarus,[a] cujus hæc verba sunt. *In hymno vespertinali, quem Gotheschalcus ab ipsis rudimentis infantiæ in monachorum monasterio, in quo secundum regulam oblatus & tonsus exstitit, & usque ad adultam ætatem mansit, cum monachis labiis cecinit*, &c. Id de Fuldensi monasterio intelligendum esse mox patebit. Ex his conjicere licet, Gothescalcum puerum Deo a parentibus oblatum fuisse in Fuldensi monasterio sub Eigile abbate; eoque mortuo, cum inde jam adultus exire vellet, illic remanere coactum a Rabano abbate, qui votum parentum ex regulæ præscripto pueros in perpetuum obligare censebat contra quorumdam secus sentientium opinionem, quos ille singulari libello refutavit, ut postea videbimus. Hinc Gothescalcus, cui jam adulto præceptoris, & forte monasticæ vitæ severitas gravior erat, conquestus est in Moguntino concilio hujus anni apud Otgarium archiepiscopum, aliosque patres, quod Rabanus abbas ipsum ad vitæ monasticæ professionem adegisset, & votum parentum, de se puero factum, ratum habere coëgisset. His querelis favens cum aliis episcopis Otgarius, Gothescalcum a voto absolvit: ab hac vero sententia Rabanus appellavit ad Ludovicum imperatorem, cui libellum suum de oblatione puerorum ejus rei causa obtulit. Hæc omnia testabatur epistola Hattonis abbatis ad ipsum Gothescalcum, a Centuriatoribus Magdeburgensibus lecta, qui ita hac de re[b] loquuntur. « Gothescalcum, comitis Saxonis Berni filium, qui invitus votum monasticum fecerat, in synodo cum multis aliis episcopis « anno Domini DCCC XXIX. absolvit Otgarius archiepiscopus, ut testatur Hatto ab- » bas Fuldensis in epistola ad eumdem, scilicet Otgarium. & infra.[c] « Cum adhuc Rabanus abbas esset, Gothescalcus eum in synodo accusavit, quod se invitum fecis- « set monachum, ac synodus Gothescalcum absolvit: sed Rabanus contra eam senten- « tiam protestatus, ad Ludovicum appellavit anno Domini DCCC XXIX. Idem alibi[d] repetunt Centuriatores, qui acta hujus concilii non semel laudant, eique interfuisse dicunt viginti-novem episcopos, chorepiscopos quatuor, & sex abbates. Utinam hæc acta & Hattonis epistolam reperire licuisset, quæ Browerum, Fuldenses antiquitates revolventem, aliosque fugerunt. Hæc me amice monuit abstrusæ eruditionis sagacissimus indagator D. Pelebester. Quid hac de re statuerit Ludovicus, incertum. Forte ejus mandato sententiam revocavit Otgarius; sicque Gothescalcus monasticum habitum retinere coactus est: sed quia Fuldæ cum Rabano abbate remanere noluit, ex Germania egressus in Galliam venit, seque recepit in Orbacense monasterium: ubi quid ei acciderit, inferius dicturi sumus.

Rabani liber de oblatione puerorum.

Venio ad librum, quem Rabanus scripsit contra eos, qui repugnant institutis S. patris Benedicti de irrevocabili oblatione puerorum. Hujus libri meminit Rudolfus scholasticus, ipsius Rabani discipulus, in ejus vita: ubi scripta ejus enumerans, *Ad Ludovicum imperatorem*, inquit, *scripsit librum unum contra eos, qui oblationem secundum regulam S. Benedicti destruere volebant.* Hujus libri, qui in editis desideratur, copia nobis facta est ex codice Mellicensis in Austria monasterii, eumque integrum in appendice referemus. In hoc libro Rabanus refellit eos, qui S. Benedicti institutis detrahebant, quod pueris, a parentibus oblatis in monasterio, omnem potestatem adimat revertendi ad sæculum. Id vero scripturæ sacræ consentaneum esse probat Rabanus variis testimoniis, cum ex veteri, tum ex novo testamento adductis. Initio libri mirandos, immo miserandos dicit illos, qui hoc negligentes, quod in infantia professi sunt; quod in primordio vitæ suæ abdicaverunt, quasi eminentioris ac majoris dignitatis sit, ei præponunt. tum subdit quod in Gothescalcum maxime cadere videtur. *Sunt ergo quidam, qui a cunabulis suis sacras litteras didicerunt, & sancta ecclesia nutrimento tamdiu aliti sunt, quousque satis educati in sublime sacrorum ordinum proveherentur. Sed ingrati tanto munere, contraria orthodoxorum fidei sentiunt. Aiunt enim pompatice pravorum dogmatum impudentes artifices, quod non liceat parentibus filios parvulos ad Dei servitium tradere; nec convenire homini libero ingenuum filium servum facere; humanam legem Deo imponere, voluntates ac dominationem omnem humanis sanctionibus subjicere conantes.* Ex superioribus verbis intelligitur, Gothescalcum tunc temporis ad sacros ordines fuisse promotum: qui tamen in Remensi provincia postmodum ordinatus fuisse dicitur, ut suo loco[e] videbimus, forte sacerdos. Porro hoc opusculum ejus occasione conditum fuisse, liquet ex consequentibus, ubi Rabanus rationem adducit, ob quam parentum oblationem Gothescalcus suæ libertati non præjudicare debere aiebat: nempe quod testes suæ ipsius oblationis non fuerint

[a] Hincm. de non trina deitate, fol. 12.

[b] Centur. IX. c. X. col. 543.

[c] Ibid. col. 546.

[d] Ibid. col. 404.

[e] infra lib. 33. n. 70.

ANN. CHR. 829.

ex gente sua, scilicet Saxones, sed Franci. quod Saxonum legibus esset contrarium *Cum enim audierint*, inquit Rabanus, *regularem oblationem in pueris minoris ætatis testibus idoneis confirmari debere : quia aperte contraire atque resistere veritati non audent, ex obliquo quærunt, quomodo id, quod perversa mente tractant, hoc actu nefando perficiant. Subtiliter argumentantur, atque hoc in commentum erroris sui assumunt, quo facilius possint sibi obsequentes atque obedientes deludere : quod non liceat cuilibet testes citare ad confirmandam veritatem religionis christianæ, nisi de propria sua gente. Verbi gratia dicunt, quod super Saxonem nullus de Francorum aut Romanorum, (id est Gallorum) aut ex alia qualibet gente, licet inter suos nobilis natu, atque honestus conversatione habeatur, nisi Saxo, testis esse possit. Hoc enim aiunt legem gentis suæ pati non posse, ut alterius gentis homo in testimonium citetur ad infringendam legem libertatis suæ. Quasi illi libertatem*, infit Rabanus, *ac nobilitatem generis sui perdant, qui servitium Christi profitentur : cum magis illi liberi sint, qui uni Deo, quam qui diversis vitiis atque peccatis servire probantur.* Hæc tamen fere tota ratio erat Gothescalci ad refutandam vim voti, quod ex oblatione parentum contraxerat : atque inde manifestum est, quod Centuriatores ex epistola Hattonis abbatis asseruere, eum genere Saxonem, atque adeo Berni comitis filium exstitisse. Hinc idem auctor Saxonibus improperat ingrati animi vitium, qui cum a Francis conversi fuissent ad christianam fidem, eos in causis suis testes adhiberi non debere contendebant, *contra jus cæli, contraque jus fori*. Hæc satis de illo libro, in quo Rabanus tria probat : pri-
» mum licere homini christiano suam sobolem Deo consecrare : alterum, votum
» quod Deo vovetur, sine magno reatu omitti non posse : postremum, vitam monas-
» ticam non humana, sed divina auctoritate institutam esse. Ex his omnibus innotescit causa & occasio simultatis, quæ Rabanum inter & Gothescalcum postea excitata est.

XXXI. Anscharii missio ad Suecos.

Inter ea legati a Sueonum seu Suecorum partibus ad Ludovicum imperatorem Aquisgranum adveniunt, inter alia significantes, esse in sua gente non paucos, qui christianæ religionis cultum amplecti cuperent, regisque animum ad excipiendos evangelii præcones satis propensum ac benevolum videri. Hoc nuntio plurimum delectatus religiosissimus princeps, Walam abbatem consulit, num quem e suis haberet, qui pro Christi nomine in illas partes proficisci vellet; aut certe cum Herioldo Danorum rege morari, dum Anscharius, ejus gentis apostolus, ad Sueones mitteretur. Mox ad palatium accersitur Anscharius, dato mandato, *ne se raderet, antequam ad præsentiam imperatoris veniret*. Forte ut, recrescentibus capillis, minus illas gentes monasticæ tonsuræ novitas offenderet. Accessit læto animo vir Dei, meditati consilii præscius, & ad subeunda quælibet discrimina paratus ex duplici visione, quæ ipsi, dum in vetere-Corbeia moraretur, patefacta est, remissionem ipsi peccatorum portendens ob missionem suam ad conversionem gentium. Itaque in præsentiam Cæsaris adductus, indubitanter asseruit, se paratum ad omnia, quæ ipsi pro nomine Christi ab imperatore præciperentur. Probato consilio, venerabilis Wala socium ei adjunxit *nonnum Witmarum* monachum veteris-Corbeiæ, ultro se ad pii operis subsidium offerentem; jussitque cum Herioldo remanere *patrem devotissimum Gislemarum, fide & operibus bonis probatum, atque in zelo Dei ferventissimum*, qui rem christianam apud Danos curaret. Tum, paratis omnibus ad eam missionem necessariis, Anscharius cum sociis, legatique Sueonum Mosæ fluvio se committunt, secundo flumine in oceanum, atque inde in Sueciam transmissuri. Sed antequam oceanum ingrederentur, in piratas offendunt, qui, post unum & alterum conflictum, victores facti, naves & omnia in eis contenta, exceptis his, quæ illi ad terram fugientes secum asportare potuere, diripiunt; adeoque munera regia, quæ in Sueciam deferebant, & quadraginta circiter codices, quos ad suum usum destinaverant.

Verum nihilo commotior vir Dei, cum alii reverti suaderent, per Germaniam & Daniam iter persequi non destitit, quod, etsi longissimum & arduum, pedibus confecit cum sociis, navigio tantum interjacentia freta prætergressus; demumque pervenit ad emporium Sueciæ celeberrimum Byrcam; ubi a rege, qui Bern seu Bernus vocabatur, audita eorum adventus causa perbenigne accepti sunt. Dehinc, habito cum suis optimatibus consilio, rex eis in regno suo manendi & prædicandi Christi evangelii potestatem fecit, concessa etiam subditis suis facultate, ut quicum-

que vellent, Christi doctrinam amplecterentur. Regis exemplo multi ejus regni proceres Christi præconibus favere: quos inter Byrcæ præfectus, idemque regis consiliarius & familiaris, Herigarius nomine, sacri baptismatis fonte in primis ablutus est, fidei catholicæ sincerus dein cultor, qui in fundo suo ecclesiam primus fabricavit. Cum per dimidium annum, quod currentis anni reliquum erat, servi Dei legatorum promissionem certo experimento probassent; cum regiis litteris ad Ludovicum augustum reverti constituunt, ut ei rerum statum & legationis suæ prosperos successus exponant. ANN. CHR. 829.

XXXII. Carolus rex dictus, & Bernardus camerarius.

Interim Ludovicus, indicto Wormatiam conventu, ibidem Carolo minorenni, id est sexenni, ex Juditha filio, portionem regni dare constituit, Lothario rogatu patris primum assentiente, cujus rei postmodum ipsum graviter pœnituit. Suevia itaque Carolo cum Rætia & parte Burgundiæ concessa. qua re offensi Judithæ privigni, a patre recesserunt, magnorum deinde motuum auctores. Accessit ad infestæ rei cumulum Bernardi Septimaniæ ducis summa in palatio auctoritas, quem eodem tempore imperator, tamquam *in supplementum* ac præsidium sumens, camerarium constituit, &, Carolo novo rege ei commendato, *secundum a se in imperio* fecit. quæ duæ res magnam regno, ipsique Ludovico perniciem accersiverunt. Erat, ut alias jam monuimus, Bernardus filius Willelmi quondam Septimaniæ ducis, ejus qui Gellonense monasterium condidit, ibidemque monachus piissime decessit; Naso a Paschasio dictus, forte ex patre, cui brevem nasum fuisse tradunt, & a brevi naso cognomen consecutum. Patris in dignitatem successit Bernardus, Septimaniæ ac Tolosæ dux, insuperque marcæ Hispanicæ a Ludovico præfectus, id est factus comes Barcinonensis, antequam camerarius & in palatio summus crearetur. Huic conjux erat Dodana, quæ ipsi nupserat ante annos sex, ex qua post biennium a conjugio Willelmum filium susceperat. Bernardo duæ sorores erant, Helinburga & Gerberga, quarum hæc sanctimonialis jussu Lotharii in profluentem [a] Ararim, tamquam venefica projecta, aquisque præfocata est. Alterutram [b] in matrimonium duxerat ante monachatum Wala, forte Gerbergam, quæ post ejus in monasterium secessum sanctimonialis facta sit. Tot tantisque honoribus auctus Bernardus, aliorum procerum invidiam excitavit, idemque forte potestatis suæ abusu provitavit. qua de re a Wala sororio suo, sed frustra, increpitus, Judith augustæ primum, cujus gratia & familiaritas suspicione haud caruit, ac demum Ludovico ipsi extremum tantum-non exitium attulit.

a Thegan cap. 52.
b Paschas. lib. 2. c. 8.

XXXIII. Odo comes Floriacensibus infestus.

Exauctoratus est in eodem Wormatiæ conventu Matfridus Aurelianorum comes *ob inertiam*, Adrevaldo [c] testante; ejusque in locum suffectus Hodo seu Odo, filius Theodeberti comitis Madriacensis, fraterque Roberti comitis, ex quo Rotbertum cognomento Fortem, qui tertiæ stirpis regiæ apud nos feliciter regnantis caput est, prodiisse recentiores non pauci existimant. Novo honore *contra sui naturam* elatus Odo, cunctas res ecclesiæ Aurelianensis, excepta matricula seu portione pauperum, abbatias quoque sancti Aniani, necnon sancti Benedicti in suam redigere potestatem molitur. Haud scio an in vivis adhuc supererat Adelgaudus, an Boso ei jam successerat in regimine monasterii Floriacensis: cujus loci fratres, ut Odonis molitioni obviam irent, cum sanctorum reliquiis eum adeunt, supplicantes, ut ne res, servis Dei ad cultum divinum traditas, in alienos usus transferret. At nihil apud eum preces, nihil sanctorum reliquiæ valuere. Quæ vero inde consecuta sint, inferius aperiemus.

c Adrevald. de mirac. S. Bened. c. 20.

XXXIV. Tancrado abbati Prumiensi succedit Marcwardus.

Hoc ipso anno Tancradus Prumiensis abbas obiisse traditur in chronico Reginonis ejusdem loci abbatis; eique successisse Marcwardus, *vir prudens, & sacræ religioni deditus.* Quo ex monasterio hic assumtus sit, cujasve fuerit, non prodit idem auctor. Affinis erat Lupi abbatis Ferrariensis, qui, si non in Senonensi Galliæ provincia, certe in Gallia natus fuerat, & filium Guagonis *nepotem* suum, ac Marcwardi *propinquum* [d] appellat. Is mihi aliquando idem fuisse visus est ac Marrimardus, Senonicæ civitatis præfectus, quem Aldricus archiepiscopus e Fossatensi monasterio, cujus basilicam dedicaverat, revertens, pro foribus ecclesiæ beati Stephani superbe ac tumide se gerentem corripuit, correptumque monachum fieri persuasit. At certum est hunc plane alium fuisse. siquidem Marcwardus abbas Prumiensis factus est ante dedicationem basilicæ Fossatensis, & quidem eodem anno, quo Aldricus promotus est ad sedem Senonensem. Ceterum Marcwardum cœtui

d Lupus epist. 91.

ANN. CHR. 819.

a id. ep. 119.

Ferrariensi sub Aldrico abbate adscriptum fuisse intelligitur ex Lupi epistola [a] ad ipsum Marcwardum, cujus intercessionem apud imperatorem flagitat; *ut, quoniam de loco,* inquit, *nostro sitis, a quo vos corpore dumtaxat ecclesiastica utilitas abduxerit; isque diminutione facultatum vehementer attenuetur, atque religioni paupertas impedimento sit; intercessionis opem instaurationi ejus impensissimo studio conferatis.* Ex hoc duplici capite, affinitatis scilicet cum Lupo, & monasticæ apud Ferrarias professionis, magna illa necessitudo profluxit tum inter Marcwardum & Lupum, tum Ferrarienses inter & Prumienses. Ad hæc Marcwardus abbas, uti & Tancradus ejus decessor, Andaginensis monasterii, modo sancti Huberti, rector fuisse traditur. Eodem tempore successisse creditur Gothefredo abbati sancti Gregorii in Alsatia Pertholfus, laudatus in veterrimo codice societatum Augiensium.

Gregoriani abbates.

XXXV. Placitum Romæ pro Farfensibus.

Romæ insigne placitum habitum est a missis impetialibus in palatio Lateranensi. » Eo convenere ad singulorum causas audiendas Joseph episcopus & Leo comes, missi » Ludovici magni imperatoris, in præsentia domni Gregorii papæ, & una simul cum » eis Leo episcopus & bibliothecarius sanctæ Romanæ ecclesiæ, Theophylactus no- » menculator, aliique, quos inter Ingoaldus & Aceris seu Acerisius abbates aderant. » In primis causam dixit Ingoaldus abbas Acutiani seu Farfensis sanctæ Mariæ mo- » nasterii cum Audulfo advocato suo. Actor adversæ partis erat Gregorius advocatus » sanctæ Romanæ ecclesiæ. Materia litis curtis Corviniana, tresque aliæ, nempe S. » Viti in Parmis, sanctæ Mariæ in Vico-novo, alia in Bariliano, & Pontiana, quas » Farfenses a pontificibus Romanis Stephano quarto, Eugenio secundo & Paschali » primo sibi per vim ereptas causabantur. Negante Gregorio has curtes esse juris Far- » fensium, immo eas sanctæ Romanæ ecclesiæ ex lege competere asserente; actores » Farfensium, Ingoaldus abbas & Audulfus advocatus, jussi sunt exhibere, si qua ha- » berent causæ suæ *monimina, aut testes.* Producta ab eis primum instrumenta, quo- » rum in uno continebatur, quo pacto Ansilberga, abbatissa monasterii sancti Salvato- » ris de Brixia, ipsas curtes Acutiano sanctæ Mariæ monasterio legavisset, quas litteras » Teudicus dux eidem Ansilbergæ de ipsis curtibus emiserat. Productum & aliud » lectumque, quo modo Ansa regina, Desiderii conjux, curtem sancti Viti a Teuto- » ne episcopo Reatinæ civitatis per commutationem acceperat, eamdemque postea » Ansilbergæ filiæ suæ donaverat: tum præceptum Caroli imperatoris easdem curtes » cum rebus suis eidem monasterio confirmantis. Gregorius ex adverso hæc instrumenta » rejiciebat, ea ratione, quod Farfenses numquam has curtes habuissent, vel tenuis- » sent. Instabant Farfenses actores, asserebantque, eas a se possessas fuisse, donec il- » las per vim abstulissent pontifices. In his altercationibus a judicibus decretum est, » fidejussores ab utrisque partibus constitui, quibus ad sistendum se in futurum judi- » cium constringerentur. Altera itaque die citati utrimque actores. Producti primum » a Farfensibus quatuor testes, quos Gregorius probos homines agnovit, separati ab » invicem testes, præmisso super sancta evangelia juramento, secundum Farfenses tes- » timonium præstiterunt, asserentes, quod tempore Langobardorum, dein Caroli » imperatoris seu regis has curtes tenuerant Farfenses; ibique resederint præpositi Jo- » hannes, Petrus, & Christianus monachi, usque dum per vim Hadrianus & Leo » pontifices eas a monasterio abstulerant. Præter hos auditi & alii duodecim testes, » qui idem affirmarunt, idem etiam Audulfus advocatus monasterii. Post hæc lata est » sententia secundum Farfenses contra pontificem: hic vero Cæsarem appellavit. In- » terim nihilo minus judices possessionem illarum curtium Farfensibus adjudicarunt. » Actum anno imperii domini Ludovici sexto-decimo, mense Januario per indictio- » nem septimam. Hoc placitum in appendicem integrum referre visum est, cujus breve compendium habetur in chronico [b] Farfensi. Ibidem legitur diploma [c] Ludovici & Lotharii imperatorum augustorum, datum x. kalendas Julii, anno Ludovici quinto-decimo, Lotharii septimo a sua coronatione Romæ facta, indictione septima; quo diplomate monasterio Farfensi & Ingoaldo abbati donatur monasteriolum sancti Stephani, situm in finibus Teatinæ & Vocitanæ regionis, in loco, cujus vocabulum est Lucana. Ejusdem Ingoaldi tempore Lotharius augustus, approbante Ludovico patre, monasterium exemit ab annua pensione, Romanis pontificibus persolvi solita ad tutanda Farfensium jura, quæ jam pontifices suis distracti negotiis discutere non poterant.

b Chesnius to. 3. p. 656.
c ibid. p. 658.

Non diu post prædictum placitum supervixit Ingoaldus abbas, cujus obitus con-

tigit VII. kalendas Aprilis. Ingoaldum excepit Sichardus abbas loci tertius-decimus, pro sancto habitus, qui longe lateque exemplum boni certaminis in omnibus præbuisse dicitur. Salvatoris oratorium exstruxit, beatæ Mariæ basilicæ adjunctum, cum crypta subterranea, ubi corpora sanctorum martyrum Valentini & Hilarii, quæ in ecclesiam sanctæ Mariæ e Tusciæ partibus translata fuerant, una cum corpore sancti Alexandri, beatæ Felicitatis filii, quod ipse a Gregorio papa quarto acceperat, recondidit. Eidem confirmatio monasterii sancti Stephani, in finibus Teatinis siti, a Lothario imperatore facta est. Multa item sub eo bonorum accessio per annos quatuordecim ac dimidium, quibus Farfensibus præfuit, *magnificus* ob id a chronographo, non tantum sanctus appellatus. ANN. CHR. 829. Ingoaldo abbati suffectus Sichardus.

In majori Britannia Wlfredus Cantuariensis præsul ex hac vita decessit: cujus in locum electus est Feologildus abbas VII. kalendas Maii, V. idus Junii ordinatus ad breve tempus, defunctus eodem anno kalendis Septembris. Hic abbas, an suburbani monasterii sancti Augustini, duobus conciliis apud Spelmannum subscripsisse invenitur, nempe Becanceldensi anno octingentesimo, in quo decretum fuit ex mandato Leonis papæ tertii, ut homines sæculares super ecclesias non habeant dominium; & post tres inde annos Cloveshoviensi, ubi actum est etiam de libertate ecclesiarum, cujus rei decretum Feologeld abbas manu sua roboravit. Defuncti locum supplevit Ceolnothus seu Celnothus decanus ecclesiæ Christi, quæ Cantuariensis cathedralis erat, electus III. kalendas Julii anni sequentis, ordinatusque VI. kalendas Septembris, a Gregorio quarto pallio donatus. Sub ejus regimine, quod diuturnum fuit, id est annorum amplius quadraginta, duplici infortunio ejus ecclesia laboravit. nam ex pestilentia monachi cathedrales, præter quinque, omnes exstincti sunt, nullique per aliquod tempus inventi, qui defunctorum in locum substituerentur. adeo ut ex consensu & rogatu reliquorum monachorum clerici & presbyteri sæculares cum monachis divina officia explerent, dum monachorum numerus restitutus fuisset: nempe reddita pace, quam Dani, eo tempore in illas partes effusi, quod alterum infortunium fuit, per multos annos interturbarunt, cum trecentis navibus in Angliam appulsi. XXXVI. Cantuarienses archiepiscopi.

INsequens annus octingentesimus tricesimus lugubrem ac funestam toti occidentali imperio, sed maxime Galliæ regno scenam aperuit, quæ per annos amplius quinque, quibus Ludovici augusti filii a patre divortium fecere, producta, sequentium dein, cum a domesticis, tum ab externis, malorum origo ac seminarium fuit. Duplex, ut præmissum est, harum tempestatum causa: Caroli scilicet minorennis provectio in regnum, & Bernardi ad summos honores, summamque potestatem. Hinc conjurati regni proceres Pippinum Aquitaniæ regem adeunt, eumque in societatem conspirationis adducunt, dicentes, non modo ceteros, sed ipsum etiam a Ludovico patre contemni, prælato Carolo, prælato Bernardo, qui unus in aula regia dominaretur; non virtutis ope, sed obscœnis amoribus, illam gratiam & potestatem adeptus. Optimi filii partes esse hoc probrum a regia domo propellere, quando pater non averteret; immo Bernardi præstigiis delusus, nec animadverteret. His consiliis incitatus Pippini animus, copias contrahit, quasi patris injuriam ulturos, eumque quantocius convenire parat. Dum hæc proceres moliuntur; Ludovicus circa tempus quadragesimæ loca mari vicina lustrabat, quo in itinere Centulense, aliaque monasteria invisit. Inde revertens, Pippini procerumque molimina accepit. Forte Werimbriam * seu Vermeriam jam accesserat, quæ villa regia est haud procul a Compendio; quo Pippinus cum suis copiis contendit, progressus per urbem Aurelianorum, ubi, sublato Odone comite, Bernardi consobrino, Matfridum restituit. Hoc nuntio Ludovicus attonitus, Bernardo fuga sibi consulere; Judithæ vero in Laudunense sanctæ Mariæ monasterium, alio nomine sancti Johannis dictum, se includere jussit: ipse Compendium se recepit. His compertis, Pippinus & conjurationis auctores Juditham e monasterio ad se adduci jubent, variisque minis exterritam adigunt, ut ipsa monasticam vitam subiret, atque idem facere Ludovicum persuaderet. Tum illa deducta ad imperatorem, secretum hac de re colloquium cum ipso habuit; qui ei auctor fuit, ut vitandæ mortis causa sibi velum imponeret: ipse vero de tonsione sua spatium deliberandi petiit. Ita Judith ad conjuratos reversa, jussu eorum in Pictavense sanctæ Crucis seu sanctæ Radegundis monasterium retrusa

ANN. CHR. 830. XXXVII. Motus in Gallia contra Ludovicum.

* *Verberie.*

est. Bernardus vero Barcinonem se recepit, ut in annalibus Bertinianis legitur. Dum
ANN. CHR. 830. in illo parthenone Judith velata est, ita Christo Domino die nocteque famulari studuit, ita virginibus Deo ibidem famulantibus placuit, teste annalista Mettensi, *ut omnes profiterentur, se eam velle imitari.* Hanc *mutato habitu regali, induto habitu sanctimoniali*, custodiæ inclusam fuisse auctor est Agobardus, qui nimius videtur in exaggeranda ejus lascivia: quæ, etsi a multis credita & traducta in vulgus, forte ab inimicis conficta est, quod Theganus asserit, aut certe plurimum aucta ad eam perdendam. Harum rerum nuntio ad Lotharium imperatorem in Italiam perlato, repente mense Maïo inde advolavit, probatisque conjuratorum consiliis, eis se socium adjunxit.

XXXVIII. Wala quid tum egerit. Quid rei tum gesserit Wala, non prodit Astronomus, ex quo hæc desumsimus, sed ea singillatim Paschasius exponit. Cum omnia susque deque in aula regia vertere comperisset Wala, his malis, quoad in se fuit, obviam ire constituit, ac resistere pro fide regi ac regno debita, pro amore patriæ ac populi, pro religione ecclesiarum ac salute civium: quæ res sua ipsius vita ei cariores erant. Primum itaque serio admonendum censuit Bernardum sororium suum, a quo totius mali labes oriri videbatur. Verum ubi nihil monita, nihil preces apud eum valere cognovit; spe sua frustratus, dolens gemensque ad monasterium suum rediit. Post paullo eum conveniunt palatii primores, expulsi ac dejecti, pejora prioribus nuntiantes, ab eoque consilium quærunt. Ille vero mærens ac lugens omnes singillatim hortatur, ut sustinentes exspectantesque Dei judicium, ad palatium redeant, salubriora regi consilia, qua fieri posset, persuasuri. Verum illi non multo post ad eum redeunt, eoque ventum esse dicunt, ut tyrannus Ludovicum clam perimere molietur, ut sibi augustam conjugio copularet. Hæc a gravissimis & (quod ipsi videbatur) veracissimis viris dicta pro certis ac indubitatis habuit Wala, cœpitque cum sanctis quibusdam episcopis, aliisque optimatibus deliberare, quid in tam lubrico rerum articulo agendum esset. Omnium una sententia fuit, eum partes regni & ecclesiæ suscipere debere, quippe qui acceptior omnibus, & honorabilior universis haberetur. Ita ille se in magnum discrimen conjecit, nihil jam de se sollicitus: tantum ut imminentem principibus, præsulibus ecclesiarum, cunctoque populo interitum propulsare posset. Commoniti ac commoti his de rebus Pippinus Aquitaniæ, & Ludovicus Germaniæ reges, una cum proceribus conveniunt, omnesque in id conspirant, *non ut augustus imperio privaretur*, sed ut totius mali auctor Bernardus *esset in contumeliam, in ruinam, & in opprobrium sempiternum.* cui sane consilio & definitioni Wala, quantumvis reluctans, assensum demum præbuit, nullum alium jam evadendi modum superesse ratus. Hæc pluribus refert Paschasius, qui eidem concioni ac negotio præsens interfuit. Conventus dein imperator consentit, ut Judith sub sacro velamine deinceps pœnitentiam agat; spondetque, se in posterum nihil sine optimatum ac procerum consilio acturum. quo facto consalutatur ab omnibus cum immensis præconiis imperator, majorque ei, si fieri posset, fides a populo defertur. Sic Wala imminens Ludovico, cunctoque regno exitium avertit. *Nihil itaque idem contra cæsarem, quamvis aliter insiti malignantes sentiant, sed pro cæsare fecit & imperio, pro patria & pro omnibus majoribus natu, pro fide & zelo Dei, pro religione christianitatis & salute civium.* Unde alii qui sanius sapiebant, tamquam patrem patriæ & liberatorem omnium extollebant. Tunc adfuit ex Italia Lotharius, cujus adventu multa sunt detecta, ac Bernardi fautores male habiti: ex quibus Heribertus ejus frater luminum amissione multatus est, & Odo comes, ejus consobrinus, exsilio deportatus. Hæc ante æstatem facta: quæ secuta sunt ab autumno inferius referemus.

XXXIX. Anscharius episcopus ordinatur. Paullo ante has turbas, & quidem ineunte anno, Anscharius cum socio Witmaro ex Suecia Aquisgranum, priusquam conventus solveretur, ad Ludovicum accessit, legationis suæ fructus ac successus eidem expositurus. His plurimum recreatus imperator, de instituendo in aquilonaribus partibus archiepiscopatu, quod Carolus ejus parens olim in votis habuerat, serio cogitare cœpit, ut inde facilius prædicatio ac sementis evangelii ad barbaras illas nationes propagaretur. Habito itaque cum episcopis consilio, sedem archiepiscopalem Hammaburgi constituit, cui universa Nordalbingorum ecclesia subjaceret, omnesque regiones aquilonares, ad constituendos episcopos ac presbyteros, in illas partes ad evangelicum munus destinandos,

nandos; jussitque Anscharium ad novam illam sedem archiepiscopum a Drogone Mettensi præsule consecrari, in præsentia Ebonis Remensis, Hetti Trevirensis, & Otgarii Moguntini archiepiscoporum, assistentibus atque una consecrantibus Helingaudo Werdensi, & Willerico Bremensi episcopis, quibus antea transalbianæ Saxoniæ cura, utpote vicinioribus, commendata fuerat. Illic primitus ecclesia per quemdam Galliæ episcopum, Amalharium nomine, a Carolo istuc missum, consecrata fuerat, ejusque loci parochia cuidam presbytero, Heriduch appellato, commissa, quem Carolus episcopum ibidem ordinari decreverat, sed mors ipsius consilium prævertit. Natus erat Anscharius annos triginta, cum promotus est ad archiepiscopatum: cui ad supplementum rei familiaris Ludovicus concessit cellam Turholtum in Belgio, quæ tunc ad Tornacensem diœcesim pertinebat, nunc ad Brugensem, opidum modo comitatus cognominis caput. Ut vero novæ huic dignitati robur ac præsidium necessarium adderetur; Anscharium per Bernoldum Argentoratensem & Ratoldum seu Rotaldum Suessionensem episcopos, & per Geroldum illustrissimum comitem Pannonici limitis præfectum, Romam misit ad Gregorium papam, a quo novæ sedis confirmationem & pallium accepit Anscharius cum dignitate legati apostolici per illas aquilonares plagas, qualis antea Eboni Remorum antistiti a Paschali papa concessa fuerat. Hujus propinquus Gauzbertus eidem Anschario adjutor datus est, factus ob id episcopus, dictusque Simon in sua consecratione: uti Willibrordo Clementis nomen, ne quid de Winfrido seu Bonifacio dicam, in ordinatione sua inditum est. Diploma pontificium Gregorii papæ, Anschario concessum, quod sæpius recusum est, huc referre non videtur operæ pretium. Eo accepto, novus antistes ad diœcesim sibi commissam revertit, moxque muneris sui implens officium, multos ad christ anæ fidei gratiam adduxit. Cœpit quoque ex Danorum ac Sclavorum gente nonnullos emere pueros, quosdam etiam ex captivitate redimere, quos ad Dei servitium educaret: ex quibus aliquos in cella sua Turholtensi collocavit. In his apostolicis laboribus socios & coadjutores habuit ex vetere-Corbeia monachos, quorum doctrina & institutione in illis partibus feliciter crevit, adolevitque christiana religio.

XL. Præcepta Centulensibus & Sithiensibus data.

Dum oras maritimas, ad Armoricam usque profecturus, obiret imperator, in monasterium *sancti Otmari* seu Audomari, *quod dicitur Sitdiu* seu Sithiu, causa orationis accessit, ut testantur annales Mettenses, ubi conjuratorum motus primum accepit. Ibidem ad preces Fridugisi abbatis confirmasse videtur præceptum regiæ defensionis & immunitatis, quam Carolus ipsius parens olim eidem abbatiæ concesserat. Datum est Ludovici diploma XIV. kalendas Aprilis, anno decimo-septimo imperii, indictione octava: sed locus non exprimitur neque in Folquini chartario, ex quo illud desumsimus ad librum sextum de re-diplomatica, neque in chronico Iperiano. at nullus dubitem, quin datum sit in ipso sancti Bertini monasterio, non in *palatio N.uhem*, quod Malbrancus designavit. Ex opido sancti Audomari in Centulense sancti Richarii monasterium, cui tunc Helisacar abbas præerat, orationis causa adiisse ab Hariulfo dicitur: tametsi regium diploma eidem cœnobio concessum est *in monasterio sancti Gualarici* seu Walarici, datum III. nonas Aprilis, anno imperii decimo-septimo, indictione octava. Hoc diploma eo obtinuere Centulenses, ut neque abbates ejus loci, nec regii ministri, nec quivis alii de rebus seu villis, quas ad victum & vestimentum habebant, quidquam abstrahere aut minuere, aut in alienos usus detorquere auderet, nec lidimonium ad litus maris tutandum, aut hostilitium ad exercitum, aliamve exactionem extorquere. In illo præcepto exprimuntur ex villæ, de quibus maxime timebatur: qualis erat Sidrutis seu Sigetrudis-villa, quam Heutonis heredes ejus exemplo forte invasuri essent: non vero aliæ, quas Centulenses fratres quiete possidebant, ut Centula, Abbatis-villa, aliæque.

Ludovici varia fortuna.

E monasterio sancti Walarici cursum reflexit Ludovicus, & per Werimbriam villam regiam Compendium venit, ubi ad insequentem autumnum indictus est Noviomagum regni procerum conventus, mandatumque Judithæ augustæ, quam Aquisgrani reliquerat, ut Laudunum in monasterium sanctæ Mariæ se reciperet; Bernardus vero Barcinonem remissus. Interim Pippinus Werimbriam accedit, Juditham e monasterio accersit, eaque imperat, quæ superius diximus. Lotharius vero ex Italia Compendium advolat mense Maio. Imperatori Compendium accedenti ob-

ANN. CHR. 830.

viam venisse a Tbegano dicitur Pippinus filius ejus cum magnatibus primis patris sui, Hilduino archicapellano, Jesse Ambianensi episcopo, Hugone & Matfrido, aliisque conjuratis; & imperatorem e throno deturbare voluisse, quod Ludovicus Bajoariæ rex probibuerit. Idem e Bajoaria tunc venisse perhibetur a Pascbasio. qui auctores longe præferendi sunt Caroli Contii opinationi, qui Ludovicum e Bajoaria pedem non movisse ante Octobrem existimat. Post adventum Lotbarii Pippinus in Aquitaniam, & Ludovicus in Bajoariam remeavit. Interim Lotbarius Ludovicum augustum cum Carolo rege minorenni sub libera custodia detinuit, patrisque lateri assidue adhærere jussit monachos, qui eum ad vitam monasticam amplectendam adbortarentur. at contra accidit. nam monachi, qui quod factum fuerat dolebant, eidem auctores fuere, ut rem publicam in melius restituendam reciperet. quod cum facile assensisset, Guntbaldum monachum sub specie religionis ad Pippinum ac Ludovicum filios suos misit, promittens, si suæ restitutioni eum his, qui id cupiebant, adesse vellent, se regnum utrique amplificaturum. qui ambo patris voluntati ex animo paruere. Compendio Salmontiacum dein cum Lotbario profectus, ex suæ proprietatis jure Fraxinetum villam pagi Bellovacensis, Dominicam-villam pagi Remensis, & Montiniacum pagi Meldensis, suggerente Lotbario, contulit monasterio Carrofensi, sito in pago Pictavensi, cui venerabilis Guntbaldus abbas tum præerat. cujus diplomatis summam Johannes Beslius retulit, magnam partem Labbeus in Miscellaneis curiosis cum hac clausula: *Data idibus Augusti, anno Christo propitio decimo-septimo imperii domni Ludovici serenissimi imperatoris, & Lotharii augusti octavo*, a coronatione ejus facta per Paschalem papam. *Actum Salmontiaco palatio regio.*

Carrofo donatio ab eo facta.

XLI. Hirsaugiense monasterium conditur.

Ad huuc annum referuntur primordia percelebris monasterii Hirsaugiensis, quod Erlafridus comes in Spirensi diœcesi a fundamentis exstruxit. Huic filius erat Nottingus Vercellarum antistes, qui corpus sancti Aurelii, Redicianorum in Armenia episcopi, Mediolano Vercellas attulit, indeque clam in Germaniam ad patrium solum advexit. Erat haud procul a castello Erlafridi comitis, qui in Calba demorabatur, oratorium sancto Nazario martyri sacrum, quod monti adjuncto nomen dedit. Huc sacras reliquias Nottingus cum inferre disponeret, cæcus quidam in ipso itinere sancti Aurelii invocatione lumen recepisse traditur eo in loco, ubi monasterium postea ædificatum est, prout eidem cæco antea cælitus designatum fuerat. Miraculo & cælesti oraculo commotus Erlafridus comes religiosissimus, mox novæ fabricæ fundamenta in declivio montis posuit cum filio Ermenfrido, impensasque lubens suppeditavit ad novum monasterium, quod intra septennium absolvit, suppetias etiam conferente Nottingo episcopo, qui magnum pondus auri & argenti ad patrem, maturandi operis causa, misisse dicitur, necnon cruces aureas, argenteasque, calices, libros, & ornamenta, quibus nova domus Dei instrueretur. Hæc pluribus Johannes Trithemius tum in breviori bistoria Hirsaugiensi, tum in prolixiori cbronico ejus loci, quod sancti-Gallensibus typis nuper vulgatum est.

XLII. S. Galli nova basilica & translatio S. Othmari.

Hoc quoque anno Gozpertus seu Gosbertus abbas sancti Galli, monastica disciplina post varios motus restituta, rebusque in meliorem statum reformatis, ad instaurandam monasterii fabricam, templumque augustius exeitandum adjecit animum. Quare veterem demolitus, novam ampliore mque basilicam a fundamentis exstruxit, eamdemque intra septem annos absolutam, nono demum anno dedicari curavit. Meminere solius basilicæ Hepidannus, Ratpertus & Hermannus: at monasterium quoque ab eodem abbate instauratum & amplificatum fuisse inferius videbimus. De anno levis est Hepidanni ab aliis discrepantia, qui basilicæ novæ initia superiori anno consignat, forte inchoatæ ante pascha, quod novi anni secundum plerosque exordium erat. Aperte favet huic calculo tempus secundæ translationis sancti Othmari abbatis, quæ in eversione veteris basilicæ apud Isonem facta dieitur *decimo-septimo kalendas Maii, in die sancto Parasceves*, id est præsenti anno octingentesimo tricesimo, quo pascha in quintum-decimum kalendas Maii incidebat. In eadem basilica, juxta aram beati Johannis Baptistæ, inquit Walafridus in ejus vita, arca quædam parieti contigua, non magnis lapidibus opere cæmenticio in quatuor lateribus constructa; superius autem tabulis, quarum grossitudo trium vel quatuor erat digitorum, in transversum positis, cæmentoque superlitis, cooperta videbatur: in qua sancti viri corpus, paullo altius a monumento erectum, tabula

tantum lignea supposita jacebat, quod altius terræ infossum sancti-Gallenses putabant. Ideoque in eversione basilicæ tumulum remanere integrum posse credentes, muros ecclesiæ machinis arietum subruendo, dum quidam saxum haud grande super arcam illam jecisset, quæ parietinis cadentibus hactenus intacta fuerat, mox quadam ex parte confracta est. Cognito itaque sancti patris reliquias in illa arca haberi, cum magno eas honore inde extulerunt, & in ecclesia beati Petri pone altare posuerunt.

XLIII. S. Marci reliquiæ Augiam allatæ.

De corpore sancti Marci evangelistæ disceptant Veneti & nostri Augienses, qui utrique hoc sacrum depositum sibi vindicare contendunt. Veneti ex urbe Alexandria ad se allatum anno superiore; Augienses hoc anno a Ratholdo Veronensi episcopo, suo quondam alumno, concessum affirmant. Litem dirimit facili negotio Cointius, totum assignans Venetis, a quibus Ratholdus partem acceperit, Augiensibus postea concessam. Eodem compendio conciliat ipsos Augienses & Nonantulenses monachos, qui utrique reliquias sanctorum martyrum Synesii & Theopompi se habere gloriantur. Breve sane & expeditum in ejusmodi rebus reliquiariis judicium: sed nec semper tutum, nec satis acceptum litigantibus, qui totum, non partem sibi competere passim contendunt. Nescio quid fraudis subolet id, quod ait Hermannus, corpus scilicet sancti Marci evangelistæ *sub nomine Valentis martyris* Ratholdo Veronensi episcopo a duce Venetiæ impetratum fuisse, & *cum corpore Genesii martyris* in Augiam insulam allatum. Ita in editione Canisiana: in aliis Synesii nomen pro Genesio ponitur. Huic chronologiæ repugnat Ughellus, qui Rotaldi seu Ratholdi obitum paullo post Mantuanam synodum anni octingentesimi vicesimi-quarti contigisse scribit, Audumque episcopum ab eo tempore substituit, altero Rotaldo in annum octingentesimum quadragesimum admisso. Verum unus est utrobique Ratoldus, qui ad hunc annum quadragesimum pervenit; nec Audus sub Ludovico Pio, sed sub Ludovico secundo Lotharii filio locandus videtur. Regebat hoc tempore jam ab octo annis Augiense monasterium Erlebaldus abbas, sub quo Meginradus ad diaconatum, & paullo post ad presbyteratus gradum promotus est, ut superius diximus.

XLIV. Gozbaldus abbas Altahæ diploma obtinet.

Reversus in Bajoariam Ludovicus rex, ineunte Octobri Ratisponæ residebat. Illic cum versaretur, ad eum accessit vir venerabilis Gozbaldus, sacri ejus palatii summus capellanus, & abbas Altahæ-inferioris, quod monasterium in honorem sancti Mauricii sacratum est; petiitque, ut res eidem monasterio in terra Avarorum a Carolo Magno, postquam eos subegisset, concessas, sua auctoritate confirmare dignaretur. quod benigne præstitit, dato diplomate *pridie nonas Octobris, anno Christo propitio decimo-septimo regalis imperii domni Ludovici serenissimi augusti, anno quinto regni nostri, indictione nona. Actum in Regenspurch civitate.* Hanc Ludovici regis epocham ab anno octingentesimo vicesimo-quinto, quo post Aquisgranensem conventum a patre in Bajoariam missus est, repetendam censet Cointius, hoc exemplo adductus.

Ludovici regis diplomatum variæ epochæ.

Huic consimile est aliud [a] ejusdem Ludovici regis præceptum, quamdam præstariam confirmantis, quam Baturicus episcopus Ratisponensis Erchanfrido diacono & capellano ipsius regis, atque Baturico ejus propinquo fecerat de quibusdam rebus, monasterio sancti Emmerammi ab eodem Erchanfrido prius concessis. Hoc diploma datum est *Reginesburch* seu Ratisponæ xv. kalendas Septembris, anno decimo-octavo Ludovici serenissimi augusti, anno Ludovici regis sexto, indictione nona, id est anno Christi octingentesimo tricesimo-primo. Adalleodus diaconus ad vicem Gauzbaldi recognovit. Verum non uniformis, sed varius fuit calculus Ludovici regis diplomatum, quorum alia ab anno decimo-septimo, alia ab anno vicesimo-primo, alia a vicesimo-sexto aut insequente, alia denique ab anno tricesimo-tertio calculum ducunt, ut in libro secundo [b] de re diplomatica ostensum est. quod inferius denuo retractabimus. Gozbaldus post-modum factus est episcopus Wirziburgensis.

[a] *Metrop. Salisb. & Coint. to. 8. p. 183.*

[b] *Diplom. p. 206. 207.*

XLV. Hilduinus & Wala in exsilium pulsi.

Interim conventus indictus Noviomagi ad Vahalim mense Octobri habitus est: ad quem Hilduinus abbas venit cum eo comitatu & apparatu, qui Ludovico augusto suspectus merito fuit. Quare ab eo interrogatus, cur hostili, non simplici, uti mandatum erat, more venisset; cum justam rationem non attulisset, continuo e palatio abscedere jussus est, & cum paucis hominibus *juxta Patrisbrunnam in expeditionali tabernaculo hiemare*, ut tradit astronomus; & quidem *ablatis abbatiis*, testante Frodoardo in historia [c] Remensi, ubi Hincmarus cum permissu *proprii*

[c] *Frodoard. lib. 3. c. 5.*

ANN. CHR. 830.

episcopi & cum benedictione fratrum Hilduinum secutus in exsilium dicitur. At in libellu de constructione novæ-Corbeiæ Hilduinus in monasterin ejusdem Corbeiæ, quæ in diœcesi Patherbrunnensi sita est, exsulasse fertur. quod facile cum astrnnomo conciliari potest. Archicapellani dignitas Fulconi concessa, abbati, ut Cointius putat, Gemeticensi: sancti Medardi abbatia haud scio an Agobardo, quod in vulgatis indicibus legitur. tametsi neque Dionysiana, neque sancti Germani abbatiæ ulli alteri concessæ leguntur. Certe Agobardus Judithæ augustæ, si quisquam alius, infensissimus fuit: ut parum veri simile sit, ipsum abbatia sancti Medardi a Ludovico donatum fuisse. Longe mitius actum, si astronomo credimus, cum Wala abbate, qui ad mnnasterium suum, id est Corbeiense, redire jussus est, ibique regulariter conversari. Verum ex Paschasio discimus, longe duriorem eidem inflictam fuisse pœnam, nec nisi post longa & dura exsilia in monasterium suum rediisse. Et primo quidem relegatus est ad Lemanium * lacum, ubi eum *in altissima & artissima specu* degentem jussu Ludovici augusti invisit idem Paschasius, eo directus *ob ecclesiasticarum & monastirarum rerum negotia*; simul eidem persuasurus, *ut in aliquo se excessisse fateretur*, & deinceps in omnibus imperatori assentiretur. quo facto in gratiam rediret, quod & cæsar magnnpere optabat. Verum ille nihil contra conscientiam, nihil contra imperatorem se commisisse existimans, monenti acquiescere noluit, maluitque exsilium sustinere innocens, quam falsum contra se testimonium dicere. Alii etiam magnates, ejusdem, ut putabatur, factionis, in diversa deportati sunt exsilia: laïci quidem tonsura multati; clerici vero retrusi in monasteria: Jesse Ambianorum episcopus, ceteris visus nocentior, dignitate sua privatur. In eodem conventu decretum est, *per auctoritatem apostolicam & per consensum episcoporum*, ut Judith augusta revocaretur, eo pacto, ut vel se legibus defenderet, vel judicium Francorum subiret. Quapropter Ludovicus augustus Carolum filium, & Drogonem episcopum fratrem suum cum aliis optimatibus obviam ei misit, qui eam ad Aquisgrani palatium cum magno honore e Pictavensi sanctæ Crucis parthenone reducerent.

* In lac de Geneve.

XLVI. S. Juniani translatio Nobiliacum.

Distat ab illa urbe millibus ferme quinque Nobiliacense monasterium: ubi monachorum religiosissima congregatio tunc devotissime Deo militabat sub Godoleno tertio abbate, ab eo tempore, quo hic locus, cella quondam Pictavensis sancti Hilarii basilicæ, in abbatiam, agente Atone abbate Hilariano, provecta fuerat Carolo Magno regnante. Primus ejus loci abbas fuerat Hermenbertus, cui suffectus Nemaldus, Nemaldo Godolenus, postremus abbas Mariacensis ejusdem pagi monasterii, quod tunc pæne in solitudinem redactum erat. Illic jacebat haud condigno cum honore corpus sancti Juniani abbatis, quod Godolenus abbas Nobiliacum transferre decrevit, faventibus Sigibrando episcopo, & Fulcone abbate sancti Hilarii atque archicapellano, Ludovici augusti an Pippini Aquitaniæ regis. Huic translationi occasinnem præbuit nova basilica Nobiliaci exstructa a Godoleno abbate, qui eam hoc anno, & quidem VIII. idus Novembris, quæ dominica dies erat, in honorem sancti Hilarii dedicari curavit; eademque die sancti Juniani reliquias in novam basilicam cum sollemni pompa transferri, locarique *ad orientem juxta altaris crepidinem*, teste Wlfino-Boëtio ejus temporis auctore, qui librum de vita & translatione S. Juniani eidem Godoleno abbati nnncupavit. Mariaci ante Godolenum abbas fuisse videtur Dadenus, qui servum quemdam liberum se ferentem monasterio suo vindicavit in illo placito, qund Godilus missus illustris viri Bernardi comitis habuit *die Mercoris Pictavis civitate, duodecimo kalendas Julias, anno secundo regnante Lodovico rege*, id est anno Christi Domini septingentesimo octogesimo-secundo. Ab hac translatinne Mariacum in cellam redactum est abbatiæ Nobiliacensis.

XLVII. Ludovici diploma pro Besua

Superius [a] actum est de Besuensis monasterii instauratione, per Albericum episcopum facta: qui metuens id, quod jam experimento didicerar, ne scilicet Besuenses rebus, quas eis assignaverat, a successoribus episcopis spoliarentur; non tantum sua, sed etiam regali auctoritate hanc traditionem confirmari curavit. Hujus rei causa Luduvicum adiit, Novinmagi forte adhuc residentem, eique suggessit, [b] quo
» pacto quamdam abbatiam, cujus vocabulum est Fons-Besuus, ubi quondam monachi
» regulariter vixerant, penitus destructam, ex rebus episcopatus sui denuo ædificasset,
» monachisque ibidem restitutis abbatem præfecisset, nomine Seraphim; & ut melius ac
» liberius ejus loci monachi Deo sub norma sanctæ regulæ militarent, non solum res,

a lib. 29. num. 87.
b Spicil. to. 1. p. 507.

quæ ex jure eidem abbatiæ competebant, sed etiam nonnulla ex rebus sui episcopatus, probante Agobardo metropolitano cum suffraganeis ejus & clero Lingonensi, eisdem monachis assignasset; in his decimas illarum vinearum, quas eidem loco Amalgarius, *dux & fundator hujus sacri cœnobii*, olim contulerat, aliaque, singillatim in diplomate expressa, quod H Ludowicus & H Lotharius imperatores augusti ad hujus rei confirmationem concesserunt. Annum incarnationis pro annis imperatorum posuit Johannes chronographus, relicta tantum ex authentico indictione octava, quæ huic anno respondet. Certe hoc diploma datum est ante annum insequentem, quo Lotharii nomen in litteris Ludovicianis, uti & in nummis, ex præcepto patris omitti cœptum est. « AN. CHR. 830.

XLVIII. S. Glodesindis translationes.

Tres legimus translationes corporis sanctæ Glodesindis virginis & abbatissæ Metensis in parthenone olim dicto sancti Petri, cui postea sanctæ Glodesindis vocabulum inditum est. Post obitum hæc sepulta fuit in extra-murana basilica Apostolorum, quæ *necdum corpore beati Arnulfi* ac nomine *insignis erat*, ut scribit Johannes abbas in libello de translationibus & miraculis sanctæ Glodesindis, quem priori de ejus vita libro adjecit. Hoc vel uno argumento revincitur opinio eorum, qui cum Cointio Glodesindis ætatem summovent ad principatum Childerici extremi regis Merovingieæ stirpis, qui toto sæculo posterior sancto Arnulfo exstitit. Postquam sacræ illius virginis corpus in basilica sanctorum Apostolorum extra muros urbis per annos viginti-quinque jacuisset, quædam sanctimonialis ejus cœnobii cælitus admonita fuisse traditur, ut majori basilicæ sancti Petri altera adjacens extrinsecus in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ construeretur, ad quam ex majori ecclesia sanctimonialibus pateret ingressus. Verum quia tunc temporis *regia tutela* locus suberat; rogatione ad regem perlata, novæ condendæ basilicæ facultas obtenta est, adjecto insuper regiæ liberalitatis edicto, ut nova illa basilica sororum deinceps cœmeterium esset, & in eamdem corpus sanctæ Glodesindis incunctanter transferretur. sic & longitudini itineris, quod funeribus ancillarum Dei extra urbem exportandis incommodum ac laboriosum erat, provisum est, & earum devotioni in piissimam earum matrem Glodesindem. Aperto sepulcro corpus integrum & incorruptum repertum: quod in novam basilicam delatum sanctimoniales *de more ecclesiastico lavant & exornant, & in sarcophago novo*, ad dexteram partem altaris sanctæ Dei genitricis Mariæ, *humo desuper aggesta, diligenter componunt*. Post multos deinde annos, hoc est anno Christi octingentesimo tricesimo, Ludovici augusti decimoseptimo, Drogonis Mettensis præsulis octavo, cum sepulcrum beatæ Glodesindis se sponte subrigeret; rei novitate audita Drogo fidos ad hoc inspiciendum ministros *cum archidiacono majore, quem chorepiscopum vocant*, direxit. quorum relatu impulsus antistes, cum sacra clericorum ac populorum pompa ad locum accessit, præmissis precibus sepulcrum reseravit, & sancta illa virginalia membra, quorum compages adhuc integra erat, e tumulo extulit, & feretro imposita in majorem intulit basilicam, paullo a muris civitatis disjunctam: in cujus fronte orientali, extra murum urbis, nova illa basilica sanctæ Dei Genitricis posita erat. Ipsa autem basilica major, *antiquo ab initio*, inquit Johannes abbas, nomine & honore sancti Sulpicii Biturici episcopi & confessoris consecrata erat, insignita nihilo minus etiam nomine sanctæ Dei genitricis Mariæ & sancti Petri, quos primos ejus patronos esse non dubito, quibus postea sanctus Sulpicius accessit, *in cunctis scriptis vel polypticis* ejusdem monasterii laudatus. In hac ergo basilica, *sarcophago novo post sacrum altare praparato*, sacrum beatæ virginis Glodesindis corpus cum debito cultu & honore collocatum fuit, multis deinceps miraculis illustratum, quorum nonnulla Johannes commemorat. De tertia ejus translatione in sæculo sequenti agendum.

XLIX. S. Antoninus abbas Surrentinus.

Colitur Surrenti in regno Neapolitano sanctus Antoninus abbas, qui ad hoc tempus videtur pervenisse. Ex alia provincia, jam monachus incerti loci, in Campaniam-Felicem migravit, adhæsitque Catello episcopo Stabiensi, cujus loci episcopalis sedes, eversa urbe, ad Castrum-maris translata est. Dein Surrentum invitatus, Bonifacio abbati in oratorio sancti Agrippini sociatur, eidem mortuo postea suffectus. Inter alia ejus operum monumenta, in honorem S. Martini exstruxit oratorium, cujus valvas insigni opere ipse sculpsit, haud ignobilis in arte architectonica magister. Vitis etiam ab eodem plantata in terra inculta, quæ ex una parte atrio basilicæ juncta, ex alia marinæ ripæ præcipitium attinebat; deinceps ob sanctissimi coloni meri-

ANN. CHR 830. tum vini exquisiti ac celebrati ferax, *quod principibus & magnatibus pro munere mitti solet.* Denique vir Dei, emenso vitæ corruptibilis spatio, interrogatus a fratribus, quo in loco sepeliri vellet; rogavit, *ut nec intra, nec extra urbem ipsum sepelirent.* quo dicto exspiravit in Domino *sexto decimo kalendas Martii, consule Probiano.* Incerti fratres ex *dubio quasi oraculo*, quonam in loco sepeliendus esset; in ipso muro civitatis tumulum ei contra orientem composuerunt. sic ejus votis factum satis, ut nec intra, nec extra urbem humaretur. Corpus a parentibus ejus repetitum reddere noluerunt Surrentini, qui eodem in loco ipsi oratorium construxerunt. In obsidione urbis per Sicardum Beneventanum ducem, lapis murali tormento emissus, vasto impetu ad muri locum, ubi sanctum corpus asservabatur, advolavit, sed non violavit. qua de re Sicardus pœnas sancto dedisse memoratur. Hæc aliaque plura tradit scriptor ejus vitæ anonymus haud ineruditus, a quo laudatur Stephanus quidam, ejus loci religiosus presbyter ac præpositus, & venerandi corporis custos, vir tantæ abstinentiæ, ut toto anno *per tres legitimas hebdomada ferias*, pane & aqua contentus, semel in die reficeret. Is cerotum sive unguentum, quibuslibet morbis præsentissimum remedium, in pyxide eburnea diligenter sigillatum, in ipsa altaris arca ad triduum reponebat, ipse interim jejuniis & precibus intentus: & post triduum extractum signo crucis impresso exaratum reperiebat; si absque signo crucis, expers salutis erat. Ille vero quos, superno judicio obstante, sanare non poterat, monitis salutaribus instruebat. Denique Sarraceni, ad Ænariam seu Ischiam appulsi insulam, cum cuncta igni & ferro ac prædatione vastarent, sancti Antonini præcipue meritis fugati: ad hæc pejerantes ad ejus tumulum cælitus puniti.

Stephanus præpositus miræ abstinentiæ.

L. S. Mariæ parthenon apud Forumjulium.

Dum Ludovicus Noviomagi, ut superius [a] vidimus, hoc anno moraretur, ad ejus præsentiam accessit Maxentius Aquilegiensis patriarcha, petiitque, ut puellare monasterium beatæ Mariæ, situm intra muros civitatis Fori-Julii, in loco, qui dicitur Vallis, juxta basilicam sancti Johannis, Aquilegiensi matri ecclesiæ sancti Marci evangelistæ & sancti Hermagoræ martyris atque pontificis, concederetur. quod ab imperatore obtinuit, dato diplomate in appendice referendo, quod Ludovici & Lotharii nominibus inscriptum, subscriptumque est. Ex quo intelligitur, Lotharii nomen, quodmodo [b] notabam, necdum in monumentis publicis expunctum fuisse. *Data III. idus Novembris, anno Christo propitio XVII. domni imperatoris HLudovici serenissimi, & HLotharii augusti VIIII. Actum Niumaga palatio regio.* De hoc monasterio hæc me monuit illustrissimus Philippus à Turre Foro-Juliensis, recens, dum hæc scribo, dictus episcopus Adriensis, vir multa eruditione & humanitate præditus. Monasterium sacrarum virginum sanctæ Mariæ in Valle, Ordinis sancti Benedicti in civitate Fori-Julii antiquissimum est, fundatumque asserunt nostri ab Herpho & Maro nobilibus Longobardis in gratiam Seltrudæ matris, annuentibus Desiderio & Agilulfo regibus, quod tamen nullo antiquitatis monumento fulcitur. Habentur in hoc monasterio etiam alia privilegia, puta Berengarii, qui palatium, Guastaldagium nuncupatum, sanctimonialibus donat; item Ottonis, summorum pontificum, & patriarcharum, jurisdictionem meri & mixti imperii concedentium, quam judici sæculari demandant, in aliquot villarum homines.

[a] supra n. 45.
[b] supra n. 47.

Alia in illis locis monasteria.

Addit vir illustrissimus, exstare aliud Aquilegiense parthenium, a Poppone patriarcha sub finem sæculi undecimi exstructum, amplissima jurisdictione, opibus & privilegiis insigne: at monasteria virorum nulla superesse in tota Foro-Juliensi provincia, nisi commendata, immo penitus, ut vocant, sæcularizata: ex quibus duo nobilissima, Rosacense nimirum & Sextense, & aliud non adeo insigne Mosacense. Rosacensis initia nono sæculo adscribi, ubi monachi ad sæculum quintum-decimum exstabant: quod monasterium Trithemius in annalibus Hirsaugiensibus laudat. Pro Sextensi vero haberi privilegium Ludovici secundi imperatoris. Porro Mosacense serius, id est undecimo sæculo, conditum ab Eccelino comite Mosacensi, qui in expeditione terræ-sanctæ obiit. Denique aliud olim exstitisse ad fontes Timavi, cujus vestigia nulla supersint. Hactenus ex epistola viri illustrissimi ad me scripta. Ad ordinem revertor.

LI. Rabanus libros in pentatheucum dicat Freculfo.

Sub hoc etiam tempus Rabanus commentarios suos in Pentatheuchum Freculfo episcopo Lexoviensi, cum singulis ad singulos tractatus epistolis, inscripsit: quibus præmissa est ipsius Freculfi epistola, eum ad has commentationes invitantis. Hanc inscribit *Freculfus, episcoporum infimus, venerabili abbati Mauro & consacerdoti, præ-*

AN. CHR. 830.

fatus, se in occiduo litore oceani pastorem factum, populum fame verbi salutaris « tabescentem reperisse, sed minime suam sentientem inediam. Jam vero lacte ab se « alitum, panem sibi dari deposcere: quem ipse a Rabano sibi præberi postulat, ex- « ponendo Pentateucho primum litterali, dein spiritali sensu ex sententiis patrum, quo- « rum nomina in margine apponat cum suo ipsius nomine, ubi de suo quid inserue- « rit. Sic factum iri, ut vertatur occasus, inquit, noster in orientem; & regio con- « tigua axi occiduo fiat Judæa, nostrique Brittonum vicini erunt Israëlitæ. Tum oc- « cupat objectionem, cur id laboris ipse non subiret. respondetque, nullam sibi ad « hoc opus librorum copiam suppetere, quippe qui in episcopio sibi commisso, nec « ipsos veteris novique testamenti libros reperisset, multo minus horum expositiones. « Principio imperitiam suam excusat Rabanus, cui nec scientiæ opes, nec eloquentiæ facultas vires tribuant: *maxime cum in deserto*, inquit, *rurali opere magis institutus sim victum propriis manibus quærere, quam urbana facundia libros condere.* Sed tandem paruit imperanti, sanctorum patrum libris diligentissime ad hoc perlectis, notatisque ad oram eorum nominibus, cum suo agnomine, ubi sententiam suam exprimebat. In his epistolis Freculfum passim, ut decebat, sanctum patrem, non semel *sanctum fratrem & sanctissimum* compellat. In prologo super Leviticum itidem ad hoc opus minus idoneum se dicit, *præcipue*, ait, *tum in desertis locis conversans, maxima occupatione detinear, qua servire, ac necessaria providere famulis Christi, sub regula sancti Benedicti degentibus, cotidie compellar, nec otium habeam patrum dicta pleniter perscrutari.* Freculfum monachum Ordinis nostri vocat cum Trithemio Bellarminus. quamquam de monastica ejus professione nihil certum hactenus nobis occurrit. Ipse Freculfus præceptorem suum appellat Helisacarem abbatem, qui eidem auctor fuit, ut libros duos chronicorum componeret. quorum priorem ab initio mundi ad Octavianum Cæsarem pertingentem ipsi Helisachari; alterum ab Octaviano ad Langobardorum in Italia regnum Judith augustæ nuncupavit. Hos vero libros contexuit ex sententiis antiquorum, cum hagiographorum, tum gentilium scriptorum. Ex quo intelligitur, præmissos Rabani commentarios eidem Freculfo, recens creato episcopo, dicatos fuisse, antequam hos libros, quibus ad scribenda chronica usus est, comparasset. quippe qui ne quidem sacros libros sibi suppetere ait in superiori epistola ad Rabanum.

LII. Alii ejus commentarii ad Hilduinum & Fridunicum.

Ante civiles motus Ludovici filiorum adversus patrem, scriptos ab eodem auctore existimo commentarios in libros Regum ad Hilduinum abbatem & sacri palatii archicapellanum, qui aliquam Rabani scriptionem sibi utilem ab eo petierat per quemdam Fuldensem monachum, quem Rabanus ad palatium *præterito anno* direxerat. Itaque hi commentarii ad Hilduinum missi sunt ante hunc annum, quo e palatio abscedere, & in exsilium ire compulsus est. Eamdem expositionem postea obtulit Fuldæ Ludovico imperatori, ut ipse testatur in prologo ad commentationes in libros Paralipomenon, quas Ludovico Bajoariæ regi nuncupavit. *Ante annos aliquot*, inquit, *rogatu Hildoini abbatis, in regum libros, secundum sensum catholicorum patrum, quatuor commentariorum libros edidi: quos & sacratissimo genitori vestro Ludowico imperatori præsentialiter in nostro monasterio tradidi.* De hoc Ludovici Fuldam itinere nihil legere memini apud illorum temporum auctores. Non multo post librum Josue exposuit, petente Fridurico episcopo Trajectensi ad Rhenum, certe ante annum hujus sæculi tricesimum-quartum, qno idem Friduricus cæsus fuit. Edita est a nobis Rabani epistola nuncupatoria ad eumdem, in qua eum laudat, quod inde quærat sacræ legis confirmationem, unde acceperat christianæ religionis exordium, nimirum per beatissimum Christi martyrem Bonifacium, qui gentem Fresonum, cui Fridurícus præerat, non solum verbo, sed etiam sanguinis sui effusione ad fidem Christi converterat. Ad eumdem exstat carmen ipsius Rabani, ordine decimum. Mirum vero est, unum virum, docendi & regendi monasterii variis distractum officiis, tot libris scribendis, & manu sua exarandis, nedum componendis, parem fuisse, totque sanctorum patrum voluminibus pervolvendis, ex quibus suas maxime commentatinnes concinnabat, uti his compendiis librorum penuriam ex bibliotheca Fuldensi in aliis suppleret.

ANN. CHR. 831.

CUm Ludovicus augustus Aquisgrani una cum Lothario filio hiberna transigeret, Juditham, e Pictavensi monasterio ad se reversam, benigne excepit: verum non

ANN. CHR. 831

LIII. Judith e monasterio revocata.

prius uxoris loco habuit, quam ipsa legitime objecta crimina expiasset. quod in die purificationis anno tricesimo-primo factum est. quo facto, omnibus his, qui capitali sententia damnati fuerant, mortis pœna relaxata. Hoc modo compositis rebus, filii in sua quisque regna dimissi. Post pascha Ludovicus imperator Ingelheimium accessit: ubi his, qui in exsilium vel in carcerem missi fuerant, est ignotum, iisque bona restituta; optione data aliis, qui tonsi fuerant, utrum in eo statu permanere vellent, an ad pristinum habitum reverti. Sic Judith cum Ludovico augusto mansit, filiusque ejus Carolus, vix octo annorum puer. Eodem quoque tempore revocati ejusdem Judithæ fratres, Conradus & Rodulfus, jamdudum attonsi.

Guntbaldi monachi ambitio.

Cum ita res publica paullulum respirare videretur, Guntbaldus monachus, qui specie religionis a Ludovico augusto ad Pippinum ac Ludovicum anno præcedente missus fuerat, quia multum imperatoris restitutioni cooperatus erat, secundum in imperio affectabat locum, teste Nithardo, qui cujus monasterii monachus fuerit, non prodit, tametsi eum ex sancti Medardi cœnobio fuisse vix dubitem. Verum Guntbaldi consilia disturbabant hinc Bernardus, qui amissum gradum recuperare nitebatur; illinc Pippinus & Ludovicus reges, qui, etsi auctiora a patre regna obtinuerant, primum tamen a patre in imperio locum habere contendebant.

LIV. Ab exsilio Hilduinus revocatus.

Etsi hi, qui a Ludovico augusto in exsilium missi fuerant, absoluti fuisse dicuntur, atque imperatoris gratiam recuperasse; ex eo tamen numero excipiendi sunt Wala & Helisacar abbates, Matfridus comes, aliique nonnulli. Melior sors fuit Hilduini abbatis, agente in primis Hincmaro tum monacho, cui, referente Frodoardo [a], tanta erat apud imperatorem gratia, ut non ante *pro suo nutritore* eum interpellare destiterit, *donec ab exsilio revocatus, duarum fuerit abbatiatum prælationi restitutus*, Dionysianæ nimirum ac Germanensis, una excepta sancti Medardi abbatia, quam Agobardo, forsan alii ab Lugdunensi antistite, concessam ferunt. Non tamen archicapellani dignitatem recuperasse creditur, quæ Fulconi abbati antea tradita fuerat. Priusquam Hilduinus e Corbeiæ-novæ monasterio, ubi exsilii sui tempore manere permissus est, in Galliam reverteretur, Warino ejus loci abbati fratribusque promiserat, se, si in locum pristinum restitueretur, unum e corporibus sanctorum eis daturum, quæ in sua potestate habiturus esset.

a Frodoard. lib. 3. c. 2.

LV. Wala alio deportatur.

Non sic actum est cum Wala abbate, qui cum ad Lemanium lacum in excelsa rupe, unde Penninas alpes & prædictum lacum prospectabat, pæne inter nubes elevatus, vitam ageret, quoad mortalibus fas est, angelicam; non satis tuta visa est augusto fautoribusque Judithæ ejus custodia, propterea quod vicinus erat Lothario, qui illis in partibus, a consortio rejectus imperii, tum morabatur. Quam ob rem e præcelsa illa specu transportatur ad Herum insulam, omnium terrarum extremam, ubi quondam frater ipsius Adalhardus septem annis itidem exsul egerat. Non minuit clarissimi nominis gloriam vastus novi exsilii locus: immo potius illustriorem reddidit, fama ejus circumquaque respersa cum odoramentis virtutum, quæ illic reliquit. Id tantum discriminis inter utrumque locum ponit Paschasius, quod in priori cælum & Penninas alpes, necnon Lemanium lacum cernebat: hic vero solummodo mare cælumque: utrobique Deum meditari solitus, quem semper sibi præsentem secum ferebat. Perstabat ad id tempus Herense sancti Filiberti monasterium, in quo Wala, quemadmodum olim Adalhardus frater, hospitio exceptus est, ut ex Paschasio intelligitur. Verum quia Pippinus Aquitaniæ rex non longe ab illis partibus aberat, in quem manus injicere adversarii decreverant; non diu in Hero insula remanere permissus est Wala, cujus merita etsi venerabantur, magis tamen consilia metuebant. Educitur itaque, quamvis cum honore, non tamen sine injuria, ab illo exsilio, *& deportatur officiosissime, quasi incensum odoriferum, per medias Gallias ad Germaniam.* Ipse vero semper ubique secum patriam ferebat: quia ubique notus, ubique dilectus, ubique ab omnibus, *quanto innocentior, tanto carius amabatur.* Quid plura? *reliquit monachorum alvearium virtutibus mellificatum*, cum suis, tum monachorum Herensium, a quibus abstractus fuit: & ecce rursus cum gaudio, ubi perducitur in Germaniam cum honesto episcoporum & abbatum comitatu, *monachorum chorus eum suscepit.* quod de Fuldensibus forsan interpretandum. Ita ubique monachorum consortia habuit, quorum commendaretur precibus, solatiis foveretur & officiis: quos & ipse vicissim suis informabat exemplis, sermonibusque & consiliis instruebat. Verum in illo Germaniæ monasteriu non

diu

ANN. CHR. 531.

diu etiam residere ipsi licuit, ne forte cum Ludovico rege colloquia & consilia misceret. Reducitur itaque tandem ad proprium Corbeiæ suæ cœnobium, sed suis privatus honoribus, id est abbatiali dignitate. quæ res non minus tristitiæ, quam gaudii suis attulit; mærentibus, quod amantissimum patrem suo privatum officio viderent: sed tamen gaudentibus, quod ejus præsentia, colloquio & adspectu frui ipsis liceret.

LVI. Paschasius librum scribit de corpore & sanguine Domini.

Priusquam ab exsilio Wala in suum monasterium reversus esset, quod non contigit ante annum insequentem; Paschasius Radbertus, ejusdem cœnobii doctissimus & piissimus monachus ac levita, librum de corpore & sanguine Domini scribere aggressus est. Tempus ipse indicat tum in prologo, tum initio ejus libri, ubi ait, *discordiarum anfractibus pene labi orbem, effusa super magnates contentione imperii.* quod in prologo distinctius explicat, nempe cum Arsenius *exsilium* ferret *pro fide* in cæsarem & in rem publicam. Id vero de Wala intelligendum esse constat ex ipsius Arsenii epitaphio, in quo Wala perpetuo Arsenius vel Hieremias appellatur; non de Adalhardo ejus fratre, uti ante annos sexcentos creditum est, probante ejus temporis codice Corbeiensi, cujus in prologo, post laudatum Arsenium, *quem nostra nunc nobis secula*, inquit Paschasius, *Hieremiam alterum tulerunt ab illo*, ita habet codex: *Præfatus autem pater, scilicet Adelardus, ut justitiæ faventibus moris est; exsilium fert pro fide.* Ex quo intelligitur, eo tempore quo scriptus est codex, id est ante annos sexcentos, Arsenium, de quo in illo prologo fit mentio, creditum Adalhardum; adeoque librum Paschasii scriptum fuisse tempore exsilii ipsius Adalhardi, quod ineunte Ludovici augusti principatu ad annos septem contigit. quæ omnium eruditorum sententia fuit, antequam epitaphium Arsenii seu Walæ reperissemus. Verum, eo reperto & in lucem edito, sententiam mutare oportuit; constansque demum universorum ac decretorium judicium esse debet, hunc Paschasii librum compositum fuisse tempore exsilii Walæ abbatis, id est anno ejus sæculi tricesimo-primo.

LVII. Placidio abbati inscribit, seu Warino.

Hoc opusculum aggressus est Paschasius rogatu cujusdam abbatis, & quidem discipuli sui, qui Placidius seu Placidus in plerisque libris, cum scriptis, tum editis, appellatur, uti etiam Sigebertus, Trithemius, aliique legerunt. Variant libri titulus & inscriptio præfationis in scriptis & editis. In Colbertino codice prologi titulus sic habet: *Prologus Paschasii Radberti ad Placidum discipulum suum.* Præfatio in editis inscripta est, *Dilectissimo filio, vice Christi præsidenti magistro.* quæ verba abbatem designant. Rem explicant Mettensis, Gemblacensis & Colbertinus codex, ubi salutatio effertur hoc modo: *Paschasius Radbertus Placidio suo salutem.* tum, *Dilectissimo filio, vice Christi præsidenti magistro.* Magis genuina & genio modestissimi auctoris accommodata est codicis Corbeiensis & Germanensis inscriptio, *Paschasius Radbertus levita, monachorum omnium peripsema, dilectissimo filio &c.* qualem omnino inscriptionem libris suis Paschasius adhibere solet. sed id parvi refert, cum ex omnibus constet, hunc librum ab eo scriptum esse *ad Placidium discipulum suum.* quod de Warino abbate Corbeiæ-novæ interpretandum esse docet ejusdem auctoris epistola ad Carolum Calvum, cui secundam libri sui editionem obtulit, præmissa epistola, in qua ait, se regiæ majestati offerre, non ignavi ponderis munus metalli, *sed libellum, quamvis exiguum corpore, magnum tamen, de sacramentis sacræ communionis, quem dudum Placidio*, inquit, *meo, Warino abbati, devoto & fideli vestro consecrans, ideo sic communius volui stilo temperare subulco, ut ea, quæ de sacramento corporis & sanguinis Christi sunt necessaria rescire, quos necdum unda liberalium attigerat litterarum, vitæ pabulum & salutis haustum planius caperent ad medelam.* Unus itaque atque idem est Placidius ac Warinus, cujus adscititium erat hoc nomen, pro more illorum temporum, & ipse abbas Corbeiæ-novæ a morte sancti Adalhardi utriusque Corbeiæ abbatis, id est ab anno octingentesimo vicesimo-sexto.

Ad hæc ex superioribus verbis intelligitur, hunc librum scriptum fuisse, non ad refellendos ullos hæreticos, sed ad erudiendos juniores Corbeiæ-novæ pueros & monachos, quos *necdum unda liberalium attigerat artium.* quibus itidem verbis usus fuerat Paschasius in præfatione ad Placidium. Denique librum hunc indiscriminatim inscriptum fuisse *de sacramentis*, ac *de sacramento corporis & sanguinis Domini.* Certe in codice Corbeiensi inscribitur, *Liber Ratberti Paschasii de corpore & sanguine Domini*; & post capitu-

ANN. CHR. 831.

lationem, *Liber de sacramentis.* quo nomine ab ipso Paschasio laudatur in commentario super Matthæum. unde occasionem sumsit Ludovicus Cellotius distinguendi duos Paschasii de eucharistia libros : unum breviorem *de corpore & sanguine Domini*, hactenus vulgatum : alterum prolixiorem *de sacramentis*, quem ait excidisse. Verum unum eumdemque Paschasii librum esse constat, qui nunc *de sacramentis*, nunc *de corpore & sanguine Domini* dicitur. Sic Fulbertus in epistola prima ad Deodatum, *duo vita sacramenta, id est dominici corporis & sanguinis* vocat. quem loquendi modum explicans Algerus : *Dicuntur*, inquit [a], *duo sacramenta panis & vinum, quantum ad diversas suas species : cum tamen sint unum, quantum ad unam & eamdem suam significationem.* Non omittendum id, quod idem Paschasius ait in epistola ad Fredugardum, *se puero* cudisse hunc libellum. ubi *pueri* nomine Placidium intelligit, non habita ratione ætatis, quippe qui jam ab annis sex abbas, [b] & quidem sacerdos erat : sed quod ejus discipulus fuisset. quemadmodum Alcuinus in quadam epistola [c] Maurum seu Rabanum *puerum* appellat, qui tamen Fuldensibus tum scholis præfectus erat. Warinum itaque puerum vocat Paschasius, quod eum a puero erudiisset : Placidium vero, sic enim constanter in antiquis libris scribitur, seu Placidum, quod eumdem ipse, velut Maurus alter, ab undis sæculi eripuisset. *Propter hoc*, inquit in præfatione ad hunc librum, *a primævo indefessus curavi te rapere de inter-undas : sed, fateor, tibi melotam patris supra verticem profuisse.* ubi alludit ad verba Gregorii Magni de sancto Placido, qui a Mauro ereptus ex eminenti naufragio, contestatus est, se super caput suum vidisse melotem patris sui Benedicti, cui Paschasius Arsenium seu Walam comparat, qui Warinum ex undis sæculi eripuerat, Paschasio cooperante. Huc spectat ipsius præfationis initium, ex qua jam superiora verba retulimus : *Novit igitur, non ambigo, tua experimento disciplinarum sollertia, quod Arsenius noster, quem nostra nunc nobis sæcula Hieremiam alterum tulerunt ab illo, in fidei te mihi commiserit ratione. Propter quod a primævo indefessus curavi te rapere de-inter-undas. sed fateor, tibi magis melotam patris supra verticem profuisse, qua denique subvectus te congratulor evasisse : me quoque jocundor non in vacuum cucurrisse.* His verbis subjiciuntur sequentia in codice Corbeiensi : *Præfatus autem pater, uti justitia faventibus moris est, exsilium fert pro fide, illo ut utar Comici, quia plenus rimarum veritatem sciens silere noluit. unde adhuc suspecti sumus, quid Dei dispensatio ex eo ulterius velit, quem jam inspicimus pro messionibus meritorum hinc inde divinitus agitari. Tu autem non es secutus juvenilia*, & cetera, ut in editis libris, in quibus hæc desunt, supplenda ex prædicto codice Corbeiensi, cujus glossema post ea verba, *Præfatus autem pater, scilicet Adelardus*, e medio tollere visum est ob necessarias, quas diximus, rationes. Leviusculum est, quod prædicto libro præmittuntur quindecim versus acrostichi auctoris in librum suum, quorum primæ litteræ conjunctæ faciunt *Radbertus levita.*

[a] Alger. lib. 2. c. 8.
[b] Paschas. c. 21.
[c] Alcuin. epist. 15.

LVIII. Hujus libri argumentum & dignitas.

Tria potissimum docet hoc in opere Paschasius : nempe verum Christi Domini corpus, verumque sanguinem exsistere in sanctissimo eucharistiæ sacramento : panis & vini substantiam facta consecratione non superesse : denique ipsum corpus non aliud esse, quam quod de Maria virgine natum est. quæ tria statim ab initio libri paucis aperit in hunc modum. *Licet figura panis & vini hic sit, omnino nihil aliud, quam caro Christi & sanguis post consecrationem credenda sunt. unde ipsa Veritas ad discipulos hæc inquit : Caro mea est pro mundi vita. &, ut mirabilius loquar, non alia plane, quam quæ nata est de Maria, & passa in cruce, & resurrexit de sepulcro.* Ad hæc tria alia ex his consequentia docet, scilicet, Christum *in mysterio quotidie* [d] *veraciter immolari* : eucharistiam *& veritatem* [d] *esse & figuram* : denique secessui obnoxiam [e] non esse. Præsentiam porro realem, & substantiæ panis & vini conversionem ita asserit, ut, si quis utrumque non credat, *impio deteriorem* [f] pronuntiet. unde in epistola ad Fredugardum, quem alii Frudegardum vocant, hanc *sanctorum fidem* appellat ; secus sentientes ait, *contra ipsum Dominum, & contra omnem ecclesiam* agere, id est contra universam ecclesiam, seu contra totius orbis christiani ecclesias. Denique in commentario super Matthæum, idem Paschasius neminem prorsus esse dicit, *qui in aperto hoc ita esse contradicat, quod totus orbis credit, & confitetur.* Atqui non ignorabat vir doctus, quid de Eucharistia tum sentiret ecclesia ; neque vero eo impudentiæ prolapsurus fuisset, ut fingeret ita sentire ecclesiam universam, si alia tum fuisset ecclesiæ fides. Proclive quidem est & familiare novatori-

[d] ibid. cap. 2. 4. & 9.
[e] ibid. c. 4.
[f] ibid. c. 20.

bus, sui temporis ecclesiam arguere, fideles a recepta fide revocare, & se primos demum jactitare avitæ religionis instauratores. ut vero quisquam, a receptis dogmatibus desciscens, palam affirmare ausit, se cum sui temporis ac regni ecclesia universa convenire, hactenus forsan inventus est nemo. Quippe longe alia ratio est recentiorum Calvinistarum, qui Græcos hujus temporis, sed longe distantes, secum de eucharistiæ fide consentire ausi sunt asserere, reclamantibus undique Græcis, & publica testimonia proferentibus in condemnationem & exsecrationem impositorum sibi errorum. At vero Paschasius, non unum orbis angulum, singularesve ecclesiæ populos, sed *totum orbem* christianum, nemine palam ad multos annos contradicente, confiteri affirmate dicit, quod ipse sentiebat, scribebatque. Denique Paschasium, longe post vulgatum hunc librum, omnibus sui temporis Gallicanis episcopis venerabilem fuisse constat cum ex aliis multis, tum ex privilegio, quod synodi Parisiensis patres viginti ipsius rogatu Corbeiensi monasterio contulerunt, cum eximio elogio ejus monachorum, qui sine dubio magistri ac præceptoris sui doctrina imbuti erant. Fatendum est tamen exortos fuisse post aliquot annos quosdam ipsius auctoris ac libri adversarios: sed peculiares illæ concertationes fuerunt, nulla ecclesiæ episcoporumve auctoritate comprobatæ, immo vero ab his rejectæ; nec tam de re ipsa, quam de quibusdam loquendi modis excitatæ, ut suis locis videbimus. Ceterum ea fuit semper hujus operis in ecclesia Latina existimatio, ut illud, veluti publicum quoddam catholicæ de eucharistia fidei monumentum, suspexerint omnes, ejusque auctor viam ceteris aperuerit, qui hoc de argumento deinceps scripserunt. Eximium opus fœdissimis erroribus depravavit Jobus Gastius Lutheranus in editione Haganoensi, quam superioris sæculi anno duodetricesimo procuravit. Impostoris errata recensuit Philippus Labbeus in altera dissertatione de scriptoribus ecclesiasticis.

ANN. CHR. 831.

LIX. Centulensis abbatiæ recensio.

Cum Helisacar Centulensis abbas adhuc in exsilio, incerto loco, versaretur, jussu Luduvici augusti facta est descriptio seu recensio omnium Centulensis monasterii possessionum, *tam in thesauro ecclesiæ, quam in bonis forensibus*, imperatori ipsi exhibenda. Facta est, inquam, hæc descriptio anno Christi Domini octingentesimo tricesimo-primo, Ludovici decimo-octavo, indictione nona, in primis de ecclesiasticis rebus, tum de prædiis ac possessionibus, denique de vassallis, qui ex eadem abbatia beneficia tenebant, qualis omnino habetur in chronico [a] Centulensi. Primo itaque describuntur ea omnia, quæ in tribus habebantur ejus loci præcipuis ecclesiis, quarum una major sancti Salvatoris & sancti Richarii, altera sanctæ Mariæ, tertia sancti Benedicti nomine & cultu insignita erat. Harum ecclesiarum recensentur altaria, eorumque ornamenta, sacra supellex: in quibus enumerantur *flabellum argenteum*, ad muscas a sacrificio abigendas; *circuli ad signa pendentes*, ex ære, argento, aurichalco; *canna argentea*, ad communionem scilicet; *baculus auro, argento, & crystallo* ornatus, haud dubie pastoralis; *brocci serici* & lanei, *roccus pectoralis*, *wanti castanei* auro parati, quæ omnia abbatis ornamenta erant; capellum auro paratum. Deinde libri bibliothecæ sigillatim recensentur, in his *Fulgentii libri quatuordecim, qui per singulos libros unam litteram detrahit*, recens ab Hommæo vulgati, quos magno Fulgentio prorsus indignos existimo; *expositio Pelagii super tredecim epistolas Pauli*, Ambrosio pridem, sed perperam adscripta; *Dictys & Dares Phrygius*; ex libris sacrarii, *missales Gelasiani*, aliique. In summa codices omnes numero ducenti quinquaginta-sex: ex quibus *omnes codices librorum claustralium de divinitate*, hoc est de rebus divinis ac spiritualibus, sunt centum nonaginta-quinque: ceteri *de libris grammaticorum*, historicorum aliorumque antiquorum. Post hæc enumerantur monasterii prædia & possessiones. Tum fit recensio eorum, quæ habebantur in cellis monasterio subjectis, nempe in Foresti-cella, ubi tres erant ecclesiæ, sanctæ Mariæ, sancti Petri, & sancti Richarii, cum canonicis triginta; in cellula Botritio pagi Terragonensis seu Teruanensis, ubi decem canonici; & in cellula pagi Ambianensium, quæ vocatur Incra, ubi canonici duodecim. Postremo loco recensentur nomina eorum, qui beneficia ex sancto Richario habebant, qui cum sibi subditis militibus abbati, præposito, aliisque monasterii ministris servire & adesse debebant, quocumque perrexissent; qui denique in festis sancti Richarii, natalis Domini, resurrectionis & pentecostes monasterio adesse tenebantur, accurate ornati, *& ex sua frequentia regalem pene curiam facientes.*

[a] Spicil. to. 4. pag. 480. & seqq.

ANN. CHR. 831. L X.

Ansegisi abbatis largitio monasteriis facta.

Huic descriptioni subjicienda est largitio quam Ansegisus abbas Fontanellensis anno regiminis sui octavo fieri curavit, in editis male octavo-decimo, siquidem annos tantum decem cum mensibus quinque abbatiam tenuisse dicitur. Hoc igitur anno cum in paralysim incidisset, vocatis domesticis ac familiaribus suis, *hanc rerum suarum distributionem* fieri curavit a venerabili viro Hildemanno episcopo Bellovacensi, sancti Adalhardi abbatis quondam discipulo, adjunctis Berteningo & Gerlone laïcis, simulque Landone monacho.

Et primo quidem largitus est fratribus Fontanellensis monasterii libras nonaginta, quibus antea quotannis triginta libras in censum dare consueverat, ex portione videlicet abbatis, quæ tum haud dubie distincta & separata erat, ut aliis in locis, a conventuali. Ad hæc assignavit famulis laïcis libras decem; senibus in xenodochio & ceteris mansionibus pauperum solidos decem; universæ familiæ ejusdem cœnobii libras quadraginta. Post hæc quinquaginta tribus, cum monasteriis, tum ecclesiis, singulas summas distribuit, de quibus singillatim agendum videtur hoc loco, ad internoscendum statum quorumdam ejus temporis monasteriorum.

1. *Ad Gemeticum cœnobium libras quinque direxit.* Notum hoc insigne cœnobium agri Rotomagensis ad Sequanam, haud procul a Fontanella, conditum a sancto Filiberto abbate.

2. *Ad Logium libram unam.* quod monasterium virginum erat itidem ad Sequanam, prope Calidum-beccum opidum, situm in loco, qui nunc Logiensis portus dicitur, jam pridem destructum.

3. *Ad Fiscamnum libram unam.* Insigne tum puellarum monasterium in Caletis ad oceanum, auctore Waningo, nunc virorum a sua instauratione sæculo decimo facta.

4. *Ad Villart libram unam.* Et hoc cœnobium virginum in Caletis, hactenus celebre, a sancto Filiberto institutum, Monasterium-Villare appellatum.

5. *Ad Longogilum libram unam.* Incognitum monasterium, haud dubie situm in iisdem partibus, nisi si hoc est monasterium in Neustria inferiori, quod Longiledium seu Lonlaium vocant.

6. *Ad sanctum Walericum libram unam.* Exstat etiam nunc hoc monasterium ad ostia Somenæ in oceanum, Leuconaënse olim dictum, nunc sancti Walerici seu Walarici ab auctore & primo abbate.

7. *Ad beatum Richarium libras duas & semis.* Hoc est Centulense, de quo mox agebamus. Ex majori summa pecuniæ locorum dignitas æstimanda, aut donatoris studium.

8. *Ad sanctum Audomarum libras duas & semis.* Hoc est Sithiense sancti Bertini monasterium, solo nomine notissimum, tunc sub Fridugiso abbate.

9. *Ad sanctum Audoënum in Rotomago libras quinque. Ad sanctam Mariam in domo ejusdem ecclesiæ libras duas. Ad sanctum Martinum in eadem urbe, & ceteris cellis solidos viginti-quinque. Ragnoardo ejusdem urbis archiepiscopo libras decem: videlicet ut quinque presbyteris, & alias quinque pauperibus erogaret.* Illustre est cœnobium sancti Audoëni episcopi tumulo ac nomine, olim sancti Petri. Obscurum est an *sancta Maria in domo ejusdem ecclesiæ* intelligenda sit de cathedrali sanctæ Mariæ ecclesia; an potius de quadam basilica monasterii sancti Audoëni, beatæ Mariæ sacra, quem locum ita interpretandum esse docet tum pronomen *ejusdem* appositum relate ad sanctum Audoënum; tum assignatio librarum decem facta Ragnoardo ejusdem urbis archiepiscopo, quæ summa presbyteris ecclesiæ cathedralis & pauperibus distribuenda erat. At forte legendum *ejusdem urbis.* Omnino quid simile habes in articulo vicesimo-septimo, ubi *Belloaci illis canonicis libram unam*; & post alia *Hildemanno episcopo ad presbyteros & pauperes libras decem* assignatas leges. Duæ sunt in eadem urbe sancti Martini ecclesiæ modo parœciales.

10. *Ad Pentale monasterium solidos quindecim; ad Penante solidos quindecim.* Pentale monasterium, a Childeberto rege conditum ad confluxum Lirizini * amnis in Sequanam, infra Pontem-Audomari, pro sancto Samsone episcopo Dolensi, qui serpentem ex eo loco ejecit, eidemque nomen suum reliquit. Penante forte non aliud fuerit a Dolensi monasterio, ubi idem vir Dei sepultus est.

* la Lizaine.

11. *Ad Pratellos similiter*, id est solidos quindecim. Pratellense itaque monasterium jam eo tempore exstabat, instauratum proinde ab Humfredo nobili viro, ad

Riselam amnem, prope Pontem-Audumari; idque duplex, virorum ac puellarum, nostri ordinis utrumque. ANN CHR. 831.

12. *Ad Ebroicas civit. tem libram unam. Ad illam Crucem sancti Audoëni l bras duas.* Civitatis nomine, vel urbis, hic & in sequentibus intellige ecclesiam cathedralem. Notum est monasterium sub nomine Crucis sancti Leutfredi ad fluvium Auduram in pago Ebroïcensi.

13. *Ad Lixovium urbem libram unam. Ad Fontanas cœnobium solidos duodecim.* Ignotum modo cœnobium diœcesis quondam Lexoviensis.

14. *Ad Bajocas civitatem libras duas. Ad Duorum-Gemellorum monasterium libras duas.* Destructum pridem hoc monasterium, a beato Martino abbate Vertavensi & sancto Ebrulfo Uticensi olim inhabitatum.

15. *Ad sanctum Martinum Turonensem libras quinque. Illis canonicis in domo libram un m.* Id intelligendum de ecclesia cathedrali Turonensi; uti etiam in sequenti de Aurelianensi.

16. *Ad sanctum Anianum Aurelianensem libram unam. Illis canonicis in domo libram unam.* Incertum an tunc basilica sancti Aniani ad canonicalem statum defecerat. Quod sequitur intelligendum est de cathedrali sanctæ Crucis ecclesia, quæ *Domus* nomine, uti & præcedens, designatur.

17. *Ad sanctum Benedictum in Floriaco libram unam.* Notius est hoc sancti Benedicti monasterium agri Aurelianensis, quam ut explicari exigat. Boso tunc abbas ejus loci erat.

18. *Ad Ferrarias libras duas.* Et hoc notissimum est in diœcesi Senonensi ad Lupam amnem in pago Wastinensi, tunc sub Odone abbate.

19. *Ad sanctum Carilefum libram unam & semis.* Aninsulense principio dictum in diœcesi Cenomannica, ab auctore dein sancti Carilefi nomine insignitum.

20. *Ad Curbionem monasterium libram unam.* Modo cella sancti Launomari in diœcesi Carnutensi.

21. *Ad sanctam Columbam in Senonis illis monachis libras duas. Ill s canonicis in eadem civitate libras duas. Item ad sanctum Petrum illis monach s in eadem urbe libram unam.* Perstant etiam nunc monasteria sanctæ Columbæ & sancti Petri apud Senonas. Nihil hic assignatum monasterio sancti Remigii in eadem urbe. Nisi de hoc intelligendus sit articulus sequens.

22. *In Autisiodoro urbe illis canonicis libram unam. Ad sanctum Remigium illis monachis similiter. Ad s nctum Her acleum in eadem urbe similiter. Item in Autisiodoro ad sanctum Germanum illis monachis libram unam.* quod unum e nostris monasterium hactenus in eadem urbe subsistit.

23. *Ad Trecas illis monachis ad sanctum Petrum libram unam.* Cellense appellatur, situm in ipso Trecarum suburbio.

24. *Ad sanctam Crucem Meldu illis monachis similiter*, id est libram unam. Nunc sancti Faronis ab auctore dictum, quod olim præcipue sanctæ Crucis; contra Crux S. Audoëni, mox laudatum appellabatur.

25. *Ad Fossatos monasterium illis monachis libras duas.* Situm in pago Parisiaco ad Matronam, nunc sancti Mauri dictum, conversum ad sæculares canonicos.

26. *Ad sanctam Genovefam Parisius libras duas. Ad sanctum Germanum Par sius libras tres. In eadem urbe illis canonicis libram unam. Ad sanctum Dionysium l bras quinque. Ad Calam monasterium libras duas.* Incertum an monasterium sanctæ Genovefæ, primitus sancti Petri, quod modo canonici regulares Ordinis sancti Augustini possident, tunc monachos retinuerit. Dionysianæ & sancti Germani abbatiis præerat Hilduinus. Calense agri Parisiensis cœnobium virginum ab annis sex regebat Hegilwich abbatissa.

27. *Ad sanctum Lucianum illis monachis libras duas. Belloaci illis canonicis libram unam. Ad Flaviacum illis canonicis libras quindecim. Ad opus famulorum eorum libras decem. Hildemanno episcopo ad presbyteros & pauperes libras decem. Ad Oratorium monasterium solidos quindecim. Ad Fontanidum monasterium solidos decem. Ad Insulam monasterium solidos decem.* Hactenus perstat sancti Luciani monasterium in suburbio Bellovacensi. Flaviacum, nunc sancti Geremari monasterium, tunc canonicorum, nunc rursus monachorum liberalius ditat Ansegisus, quod ejus regimen haberet. Oratorium virginum cœnobium erat a sancta Angadrisma olim inhabitatum, nunc

ANN. CHR. 831.

destructum, uti & Fontanidum seu Fontanedum, & Insula monasterium, Isla dictum in concilio Duziacensi, nunc prædium abbatiæ Flaviacensis seu sancti Germari. Sancti Pauli parthenon pro Oratorio instauratus.

* Andeley.

28. *Ad Andelagum * monasterium solidos duodecim.* Celebre olim virginum cœnobium ad Sequanam, decem circiter millibus supra Rotomagum, Anglicanarum quondam virginum nobilitatum secessu, testante Beda, jam dudum excisum.

29. *Ad Malardum-vallem solidos decem.* Ignotus hodie locus, nisi hoc sit Meleredense monasterium pagi Autisiodorensis.

30. *Ad Resbace monasterium libram unam & semis.* Hoc Briegii tractus monasterium ad torrentem cognominem condidit Dado seu Audoenus, ac Jerusalem appellari voluit. Warinus Corbeiæ novæ abbas tunc etiam Resbaco præsidebat, ex libello de translatione sancti Viti, de quo inferius.

31. *Ad sanctum Salvium in Brago solidos decem.* Bragum Hadriano Valesio idem videtur ac Monasteriolum castrum Ambianorum ad Quantiam fluvium, quod primo Bragum, deinde a sancti Salvii monasterio Monasteriolum dictum fuerit.

32. *Ad Malam monasterium libram unam.* Nulla de hoc monasterio notitia.

33. *Ad sanctum Vedastum in Atrebato libras duas.* Hactenus nomen retinet locus insignis, olim Nobiliacus appellatus.

34. *Ad Cameracum libras duas. Ad sanctum Gaugericum libram unam.* Illa cathedralis, hæc collegiata ecclesia.

35. *Ad Corbeiam libras quinque.* Luce clarius hoc monasterium, ubi tunc Wala abbas privatam agere vitam jussus est.

36. *Ad sanctum Eligium in Noviomo civitate libram unam. item ad eamdem urbem canonicis libram unam.* Nuper intra urbem a nostris restructum est sancti Eligii monasterium, quod ab annis fere centum ad arcem construendam eversum fuerat, primitus sancto Lupo sacrum.

37. *Item ad Suessionis civitatem canonicis libram unam. Ad sanctum Crispinum solidos quindecim. Ad sanctum Medardum monachis libram unam. Illis sanctimonialibus libras tres*, nempe celebris parthenonis beatæ Mariæ, hodie quoque florentissimi; uti etiam floret sancti Medardi abbatia e nostris, qui etiam basilicam sancti Crispini majoris possident, Ansegisi tempore a clericis, ut videtur, occupatam.

38. *Ad Remis illis canonicis libram unam. Ad sanctum Remigium in eadem urbe monachis l bram unam.* quibus tunc, vel certe paullo post præfectus est Ebo monachus a cognomine archiepiscopo, patruo an avunculo suo.

39. *Ad sanctum Memmium in Catalauno libram unam. Ad eamdem urbem solidos quindecim.* Sancti Memmii basilica olim monachorum, nunc canonicis regularibus Augustinianis subest. Huic præfuerat aliquot annis Ansegisus.

40. *Ad Altum-montem monasterium, quo sanctus Anibertus quondam exsilio fuit intrusus, atque consortiis inde ereptus humanis, solidos quindecim.* Hodie quoque superest in diœcesi Cameracensi.

41. *Ad Malbodium cœnobium libram unam.* Notissimum in Hainoensi pago ad Sabim fluvium, olim monacharum, nunc nobilium canonicarum, uti & sequens.

42. *Ad Castrilocum monasterium similiter.* Exstat etiam nunc apud Montes Haunoniæ, sanctæ Waldetrudis a conditrice dictum.

43. *Ad Laubias monasterium libram unam.* Percelebre monasterium virorum, itidem ad Sabim.

44. *Ad Indam cœnobium libras duas*, prope Aquisgranum, de cujus origine actum superius, nunc S. Cornelii dictum.

45. *Ad Lingonas illis canonicis libram unam.*

46. *Ad Luxovium libras viginti-quinque, id est ipso monasterio libras decem. Ad Fontanas cellam ejusdem cœnobii libram unam & semis. Ad Cusantiam similiter. Ad Anagrates libras duas.* Tanta in Luxovienses Ansegisi liberalitas arguit, eum etiam tunc ejus loci abbatem fuisse. Quæ sequuntur cellæ sunt monasterii Luxoviensis.

47. *Ad Romarici-montem libram unam.* Notissima hæc nobilium modo canonicarum abbatia, cui adjunctum cœnobium monachorum.

48. *Ad Balmam similiter libram unam & semis.* Hactenus sanctimonialium nostri Ordinis in diœcesi Vesontionensi.

49. *Ad Morbach cœnobium libram unam.* Nobile ad hoc usque tempus ac princi-

pale nostri Ordinis monasterium in superioris Alsatiæ montibus, diœcesis Basileensis. ANN. CHR. 831.

50. *Ad sanctum Gregorium libram unam.* Vicinum est superiori hoc monasterium, florens sub congregatione sancti Vitoni.

51. *Ad Monasterium-Mauri libram unam*, in Alsatia inferiori situm est prope Tabernas-Alsaticas.

52. *Ad Melundas libram unam.* Melundense * monasterium diœcesis Lingonensis in pago Tornodorensi, non confundendum cum Miliduneusi sancti Petri ad Sequanam. * *Molime.*

53. *Ad sanctum Reginbertum, ubi primo elementa didicerat litterarum, per manus quoque matris suæ in usus egenorum viginti libras expendit.* Hic deesse puto summam sancto Reginberto concessam: ita ut alia erogatio censenda sit, quam per manus matris suæ fieri curavit Ansegisus. Hic vero locus interpretandus videtur de monasterio sancti Ragneberti diœcesis Lugdunensis, quod olim Bebronense a Bebrona præterfluente torrente dictum est, hactenus superstes.

Præter hæc omnia idem abbas per manus Berteningi, cujus superius facta mentio est, *libras viginti* in usus egentium erogasse memoratur. Ipse vero sibi famulantibus libras quadraginta distribuit. Denique *tribus vicibus omnes opes suas egenis ac pauperibus erogari fecit, nihil sibi reservans.* sic eleemosynis sibi viam ad æternam gloriam præparavit. Mirabitur forte nonnemo, qui licuerit abbati regulari tantas opes, tot tantaque munera in monasteria & ecclesias alienas profundere. nam etsi hæc prædia non erant, sed manuales erogationes, ex parsimonia forte portionis suæ abbatialis comparatæ; tamen eas pro libito appendere non videtur ipsis licuisse, quod sibi tamen licere abbates etiam regulares illorum temporum existimabant, tum ex communi usu, qui ipsis pro lege erat; tum ex regulæ auctoritate, quæ summam abbatibus rerum omnium potestatem concedere videtur. Verum potestas hæc arbitraria non est, sed communium votorum legibus circumscripta, adeoque paupertatis, quæ pro portione non minus abbates adstringit, quam privatos monachos, quorum parsimonia cedere debet in communes monasterii usus. Alia ratio est de eleemosynis in egenos erogandis, quarum dispensatio abbati ex regulæ præscripto commissa est. Ansegisi liberalitas qui excusanda.

LXI. Rothonense monasterium conditur a Convoione.

Non ante hunc annum conditum fuisse videtur Rothonense sancti Salvatoris monasterium, quod in Armorica, diœcesi Venetensi positum est ad Vicenoniam * seu Visnoniam fluvium, ibidem auctum duobus fluviolis Uldone * & Adene paullo infra Rothonum *. Hujus monasterii auctor ac primus abbas fuit sanctus Convoio seu Convoionus, claris parentibus ortus ex Cambliciaco * vico, in clerum Venetensem allectus, atque in archidiaconi gradum promotus a Romario ejusdem urbis episcopo, quem alii Rainarium seu Rainaldum vocant. Cum vero per aliquot annos id officii diligenter implevisset vir sanctus, sæcularis glorinlæ ac pompæ fastidio pulsari cœpit, ac veræ philosophiæ amore, quem etiam quibusdam ejusdem cleri sociis inspiravit. Hi *seno numero* fuisse dicuntur in litteris Ratvili cujusdam, in quibus Convoion ad Ratvilum tyrannum, (sic ille se ipse vocat) forte illius pagi comitem, accessisse dicitur, eum obsecrans, ut congruum ipsi locum *ad opus Dei exercendum* largiri dignaretur. quod ille præstitit, consentiente filio suo Catvoreto, concedens ei locum *Rothon* vocatum, quem ipse postulabat. Id factum feria quinta. Mox in ipsum locum ingressus est Convnion & alii fratres, omnes *seno numero*, mundum prorsus ex animo abdicantes. Non multo post Ratvilus eo accessit, ipsum locum ac fratres visitaturus; ac donationem factam confirmavit *quarta feria mensis Junii, regnante domno Ludovico, decimo-octavo anno imperii ejus.* quod præsenti anno respondet. Itaque vix ante hunc annum locari potest hujus monasterii prima constructio, quam quidam annales octo annis antevertunt. Hanc vero constructionem cum permissu Ludovici augusti factam ipse imperator testatur in diplomate, quo postea locum ipsum possessionibus auxit. Convoionis in primo illo secessu socii fuere Wincalon, Louhemelius, Condelocus, Conhoiarnus, & Thetvius, ex clero Venetensi cum eo profecti: quibus accessit Gerfridus eremita, eorum in monastica professione institutor cum Fidweteno, de quibus in consequentibus acturi sumus. Huic calculo de origine Rothonensis monasterii repugnare videtur liber de vita ipsius Convoionis, quo in libello Ludovicus augustus, Marcomo tyranno devicto,

* *la Villaine* * *l'Aoust.* * *Redon.* * *Combleffac.*

ANN. CHR. 831.

generale principum & pontificum concilium in Venetensi urbe celebrasse dicitur; eoque absoluto, divertisse ad beatum virum Conwoionem, in eremo vitam angelicam ducentem, ejusque religione ac monachorum ejusdem conversatione mirifice recreatus fuisse. Atqui hanc Ludovici in Marcomum expeditionem, ac generalem conventum inde consecutum anno ejus sæculi decimo-octavo collocant Astronomus in vita Ludovici Pii & annales Bertiniani. quo proinde anno jam conditum fuisset Rothonense monasterium. Verum non satis sibi constat scriptor ille vitæ sancti Conwoionis, cum addit, eodem tempore imperatorem confirmasse Conwoioni locum Rothonensem, eumque obtulisse Salvatoris altari, ab omni homine liberum & immunem, *anno imperii vicesimo-primo, incarnati Verbi octingentesimo tricesimo-tertio.* quod nostro calculo quadrat, non annalibus Francorum, in quibus nulla hoc anno Ludovici expeditio in Marcomum facta memoratur.

LXII. Legatio ad ducem Nomenoium.

In libro primo de miraculis sancti Conwoionis nonnulla referuntur, ad illustrandam Rothonensis monasterii originem perquam opportuna. Exstructis ex tempore monachorum habitaculis, Conwoion cum consilio fratrum, unum e suis prudentem ac fidelem virum, cui nomen Louhemel, ad Nominoë seu Nomenoium Britanniæ principem misit, tunc in aula *Botnumel* residentem, ut ejus patrocinio ac tutela novi Rothonenses incolæ contra vicinos tyrannos protegerentur, quippe qui nulla cupiditate rerum temporalium, sed propter amorem patriæ cælestis eo se se receperant. Aderat forte in comitatu principis quidam adversarins monachorum, Illoc nomine, qui seductores illos, sic monachos vocabat, audiendos non esse dixit. ceterum sibi jure hereditario competere hunc locum, quem illi seductores occupaverant. Indignatus ad inurbanum sermonem Nominoë: Dic nobis, inquit, inimice Dei, an melius est eo in loco impios ac latrones habitare, quam sanctos Dei sacerdotes & monachos, qui pro totius mundi salute assiduas Deo preces fundant? tum conversus ad prædictum oratorem, sciscitatus est de presbyteris illis, qui Rothonum convenerant: quisnam esset Conwoion, quo ex loco, qnave ex stirpe natus. Ad hæc Louhemel Conwoionem ait esse generis senatorii, filium cujusdam nobilissimi viri, nomine Cononi, de plebe Camliaca, *ex potestate sancti Melanii Redonensis episcopi*, id est, si bene capio, ex loco subjecto abbatiæ sancti Melanii episcopi Redonensis; hominem in divinis scripturis a pueritia eruditum, vigiliis ac jejuniis deditum, qui assidue lectioni aut scriptioni vacet, aut manibus laboret, fratresque suos jugiter erudiat & adhortetur, omnis sæcularis potestatis expers, totusque Dei servitio mancipatus. Porro socios ejus esse virum vitæ venerabilis, nomine Wincalonem, nobilibus parentibus natum, Rorgoni comiti notissimum & valde familiarem, qui omnibus propter Deum & animæ suæ salutem nuntinm remiserat; necnon Condelocum Dei sacerdotem, Widoni comiti carissimum; duosque alios presbyteros, Conhoiarnum & Thetvium, qui omnes Conwoioni tamquam magistro adhærebant, & obedientes erant. Impetratum a Nomenoïo quod petebatur. Non tamen omnino deferbuit Illoci in Conwoionem ejusque socios conceptus furor, donec miraculum quoddam Rothoni patratum cognovit in Joworeto linguæ usu orbato, cui loquendi facultas, in basilica Salvatoris concessa, Illoci, aliorumque invidiam repressit. Pluris constitit Hincanto sua nequitia, ipsius Illoci nepoti, qui ob factas sanctis viris injurias ac minas, pertransito Uldone fluvio, pede percussus interiit.

Conwoion à Ludovico bis repulsus.

His nihilo minus alii item adversarii successere Ricowinus comes, scilicet Pictavensis, & Rainarius Venetensis antistes: qui Ludovici augusti animum in Conwoionem exasperarunt, atque ab ejus conspectu removerunt. Tunc Ludovicus in palatio Lemovicensi, haud dubie Jocundiaco, ad Cadrium montem posito, versabatur. Hunc adiit Conwoion, ut Rothonensis loci donationem regiis litteris confirmari curaret. Verum prædictis adversariis agentibus repulsus, ne quidem Turonis ab eo id obtinere potuit, quod demum apud Theodonis-villam impetravit.

LXIII. Gerfredus eremita Conwoioni adjungitur.

Tunc temporis versabatur in extremis Britanniæ partibus quidam eremita, Gerfredus nomine, nempe in Silva [a] *Wenoc*, sita inter Josselinum & Casam, ubi cum sancto viro, Fidweteno nomine, per viginti annos vitam eremiticam duxerat, ab omni liquore, qui inebriare possit, abstinens: qui eo ex Glannafoliensi sancti Mauri cœnobio secesserat. Hic cælitus admonitus, ut servos Dei *rudes monachos*, in quodam loco deserto commorantes, & manibus certatim operantes adiret, doceretque modum, quo *secundum regulam* viverent; in urbem Venetiam accessit, & a quodam presbytero

[a] *la Forest de la Noue.*

ANN. CHR. 831.

presbytero perhumane hospitio acceptus, locum rescivit, ubi viri sancti habitarent; eoque ab eodem presbytero deductus est. Advenienti obviam processit cum suis Conwoion, & magno cum jubilo in monasterio eum deduxerunt. Fecit itaque ille quod divinitus admonitus fuerat; mansitque cum servis Dei per duos ferme annos, ut eos in disciplina regulari erudiret. Postea vero ad cœnobium suum, id est ad monasterium sancti Mauri, juxta fluvium Ligeris situm, reversus est.

LXIV. Pippini & Ludovici diplomata pro Cormarico.

Pippinus Aquitaniæ rex aderat Aquisgrani cum Ludovico parente v. kalendas Martii, cum Fridugisi abbatis rogatu liberum duarum navium discursum per Ligerim, Viennam, Carum, & Tavagum, aliaque flumina, cum immunitate portoriorum, Cormaricensi monasterio concessit, anno decimo-octavo imperii domni Ludovici serenissimi augusti, Pippini regis decimo-septimu. Actum Aquisgrani palatio regio. Suabodus diaconus ad vicem Ebroini diploma recognovit. Post dies tredecim idem Fridugisus abbas Ludovico augusto exposuit, se habitacula fratrum Cormariceni monasterii, cui tunc Jacob abbas præerat, melius & honestius reformasse, « cum antea non secundum id, quod regula sancti Benedicti præcipit, constructa essent; & ad decorem & ornamentum ejusdem monasterii ecclesiam novo opere inibi « exstrui curasse, ac de rebus sancti Martini, & de villa pagi Turonici, quæ vocatur Mardoni *, eamdem ecclesiam dotasse. quod ab imperatore confirmari petiit, « obtinuitque. Actum Aquisgrani VI. idus Martii, anno decimo-octavo imperii domni Ludovici pissimi augusti, indictione nona. Nulla in hoc diplomate, aliisve deinceps a Ludovico editis mentio fit de Lothario imperatore, cujus nomen, ob secessionem a patre factam, omissum est in præceptis & nummis cudendis.

* al. Brunomium.

Conventus hujus anni.

Hoc porro diploma datum est Aquisgrani paullo post conventum ibidem habitum, in quo factiosi puniti sunt; Lotharius in Italiam, Pippinus in Aquitaniam, Ludovicus in Bajoariam ire permissi, auctis regnis Pippino & Ludovico, quod patri magis obsequentes visi fuissent; at sola Italia Lothario relicta, cum eo, ut citra patris voluntatem nihil deinceps in regno moliretur. Præter ea duo alii conventus hoc anno habiti sunt, nempe Ingelheimii & apud Theodonis-villam: quorum posterior autumno celebratus. In hoc Bernardus, ex Hispaniæ marca reversus ad imperatorem, cum nemo crimen ei objectum more Francorum persequi vellet, sacramento se purgavit. Pippinus patri suspectus redditus, propterea quod huic conventui adesse vocatus distulit. Hinc occasio nata Walam transferendi in Germaniam ex Hero insula, Pictonibus, atque adeo Aquitaniæ proxima, ne cum Pippino consilia misceret. Pippinus tandem soluto conventu ad patrem accessit Aquisgranum sub natale Domini: sed cum illic correptionis gratia remorari jussus esset; veritus ne quid sibi accideret adversi, inscio patre clam in Aquitaniam recessit. Indictum ob id generale placitum Aurelianos in sequentem annum: ad quod vocati ex Italia Lotharius, Ludovicus ex Bajoaria, ut quid de Pippini fuga statuendum esset, deliberaretur. Hæc fusius in annalibus Bertinianis & astronomo, quæ strictim hoc loco præstringenda visa sunt ad res nostras illustrandas.

LXV. S. Wigberti ecclesia Hersfeldensis renovata.

De translatione sancti Wigberti abbatis e Fritislaria Hersfeldiam superius actum est, deque ejus corporis depositione in monumento, quod Lullus Moguntinus antistes, annuente Carolo Magno, more per Gallias ac Germaniam usitatn, auro, argento, ceterisque metallis exornandum curaverat. Miraculis crebrescentibus, cum locus iste magno fidelium concursu frequentaretur, Brunus abbas Hersfeldensis de nova condenda basilica cogitare cœpit. Hoc consilio cum Rabano abbate Fuldensi communicato, ambo novæ sancti Wigberti ecclesiæ fundamenta hoc anno posuerunt VI. idus Julii, feria secunda, teste Lamberto. Hanc fabricam post mortem Bruni Rabanus jam archiepiscopus absolvit, eamque dedicavit anno ejus sæculi quinquagesimo, & quidem v. kalendas Novembris. Huc spectant ipsius Rabani versus de ecclesia sancti Wigberti, cujus corpus in abside orientali quiescere dicitur. Post annos fere ducentos dedicata est crypta Hersfeldensis, atque in eam translatæ reliquiæ sanctorum confessorum Wigberti & Lulli, ut tradit idem Lambertus, eximius chronographus & monachus hujus cœnobii, quod superest etiam nunc, tametsi reditibus multum accisis, quorum pinguior possessio a Landgravio Hassiæ occupata est. Idem Rabanus abbas permutationem quorumdam bonorum fecit cum Marcwardo abbate Prumiensi, probante Ludovico augusto. Actum publice in monasterio Prumiæ hoc ipso anno, indictione nona, prima die mensis Maii.

ANN. CHR. 831.

LXVI. Fabarienses abbates.

Longum hactenus silentium tenuimus de Fabariensi perillustri Rætiæ monasterio, propterea quod nuda tantum abbatum nomina, nec ea satis comperta, apud Bucelinum haberemus. Nobis vero in præsens occurrit Johannes abbas, quem Bucelinus ipse ante annos quinque suggerit, sed statim dejectum ad tempus scribit, suffectis interim Hattone & Udalrico, quibus denuo Johannem substituit. at Johannem hoc anno Fabariæ præfuisse constat ex diplomate Ludovici imperatoris, nobis quondam lecto in libro de antiquitatibus monasterii Fabariensis in *Rucantia*, auctore Augustino Stoklino, Murensi tum decano, postea Fabariæ abbate, qui opus illud anno decimi-septimi sæculi vicesimo-octavo composuit, multa scitu digna de hoc monasterio referens, sed absque indice abbatum. Hunc codicem, in Murensi apud Helvetos cœnobio asservatum, olim cursim revolvimus, dum ante annos aliquot illic versaremur; ex eoque eruimus summaria tantum quorumdam diplomatum, in » quibus unum est Ludovici imperatoris augusti, qui ad preces Johannis Fabariæ ab- » batis reprimit infestationes Roderici comitis in ipsum monasterium, missis suis eo directis, Bernoldo scilicet episcopo Strazburgensi, Gotfrido sancti Gregorii abbate, » atque Rotario comite. Actum *Ingulheim* palatio regio, v. idus Junii, anno decimo- » octavo imperii domni Ludovici piissimi augusti, indictione nona. quod Hirminma- » ris notarius ad vicem Fridurici * recognovit. Iidem Bernoldus episcopus & Gotfridus abbas ab eodem imperatore antea missi fuerant ad coercendum eumdem Rodericum comitem, Victori Curiensi episcopo infestum: cujus rei summarium ex eodem codice superius retulimus. Exstat in eodem libro præceptum Lotharii im- » peratoris, qui rogatu Silvani abbatis venerabilis monasterii Fabariensis, quod con- » structum est in honore sanctæ Mariæ in pago Rætiæ, ipsum locum suscipit in suo » mundiburdio, & liberam abbatis eligendi facultatem concedit, uti concesserant » avus Carolus & genitor suus Ludovicus augustus. Haud scio an sani sint in eo libro chronici characteres istius diplomatis, quod Eichardus ad vicem Agilmari recognovit, datum *Strazburch* civitate, *anno Christo propitio imperii decimo-nono, regni domni Lotharii piissimi augusti vicesimo-primo, indictione tertia.* quæ indictio anno octingentesimo quadragesimo respondet. De aliis abbatibus in illo codice nihil occurrit usque ad principatum Caroli Crassi, a quo Vitalis abbas diploma obtinuit.

* *Fridugisi.*

LXVII. Laudense S. Petri monasterium.

Apud Insubres, Laude-Pompeia *, suburbana [a] sancti Petri ecclesia, rogantibus clericis, in monasterium monachorum conversa est, probante Ludovico augusto, ad preces Racleti episcopi ejus ecclesiæ administratoris, qui locum amplissimis bonis ac privilegiis locupletavit. Auctæ ejusdem abbatiæ immunitates ab Andrea episcopo sæculi decimi anno septuagesimo-secundo, Liutprando abbate. Perstitit hæc abbatia ad superius patrum nostrorum sæculum, quo ejus bona Germanico Romanæ urbis collegio ad sanctum Apollinarem unita sunt.

* *Lodi.*

a *Ital. sacr. to. 4. c. 395.*

LXVIII. Præceptum pro S. Vincentio ad Vulturnum.

Præerat eo tempore monasterio sancti Vincentii ad Vulturnum Epiphanius abbas, qui hoc anno *per legatos* seu oratores suos Ludovico augusto exhiberi curavit litteras quasdam Lupi ducis de casis viginti-quatuor in Amiterno & Savino sitis; necnon quatuor judicata de quibusdam mancipiis ex villa Trita, quæ se a debito servitio eximere nitebantur; petiitque, ut ea omnia sancto Vincentio imperator confirmare dignaretur exemplo genitoris sui domni Caroli præstantissimi imperatoris, cujus auctoritate prædicti servi jam ad debitum servitium revocati fuerant. Ludovicianum diploma datum videtur Aquisgrani, & quidem kalendis Aprilis, anno ejus imperii decimo-octavo, indictione haud dubie nona, tametsi in editis hiatus est in indictione, & loco palatii, ubi præceptum editum est.

LXIX. Gaudentius præfectus Ambrosianæ basilicæ.

Aliud erat sancti Vincentii monasterium apud Mediolanum, cujus abbas Gaudentius hoc ipso anno Ambrosianæ basilicæ ab Angilberto archiepiscopo præfectus fuit. Exstant hac de re ipsius Angilberti litteræ apud Puricellum & Ughellum, » quarum hæc summa est. Cum idem pontifex, de suæ parochiæ monasteriis perquam » sollicitus, ea *ad tramitem sanctæ conversationis* revocare studeret; vertit se ad subur- » banum sancti Ambrosii monasterium, tunc pastore destitutum post mortem Ari- » gausi abbatis, qui Benedicto primo ejus basilicæ rectori successerat. Anxio archie- » piscopo, quem huic loco præficeret, cum nullus ibi ad regimen idoneus ob relaxa- » tionem ordinis regularis reperiretur; non alius occurrit ad id munus aptior, quam » Gaudentius, quem antea monasterii sancti Vincentii abbatem instituerat. Idem » itaque Ambrosianæ basilicæ abbas constitutus est ab Angilberto, qui eamdem eccle-

ANN. CHR. 831.

siam, *& altare*, quod inibi recens mirifice ob amorem sancti Ambrosii erexerat, monachis confirmavit sub tutela & custodia Gaudentii abbatis, simulque omnes istius monasterii possessiones: ut monachi ibidem absque indigentia quietam *sub sancta regula* vitam possent ducere. Vitiosos in editis chronicos hujus instrumenti characteres reponit Cointius anno dominorum nostrorum HLudovici & HLotharii imperatorum decimo-octavo, & quarto-decimo, pridie kalendas Martii, qui characteres anno præsenti conveniunt. Sancti Vincentii monasterium, in præmissis Angilberti litteris memoratum, cui Gaudentius abbas antea præerat, non aliud videtur quam illud oratorium sancti Vincentii in Prata, quod Arigauso abbati Ambrosianæ basilicæ ab Oldeperto archiepiscopo concessum fuisse superius diximus.

Quod attinet ad altare, quod ab se fabricatum in Ambrosiana basilica memorat Angilbertus, integrum visitur etiam nunc, accurate descriptum [a] a Puricello, qui tabulas ejusdem altaris in æs incidi ac repræsentari curavit. Pars ejus anterior tota est aurea; duo latera & posterior pars ex argento deaurato: omnia gemmis lapillisque pretiosis intermicant. Posteriorem partem exornant tabulæ duodecim argenteæ, sancti Ambrosii gesta præcipua exhibentes. Ad utrumque latus variæ sanctorum imagines, quarum in una Gaudentius tribunam sancto Ambrosio offerens cum altero monacho exhibetur: in altera duæ, ut quidem videtur, sanctimoniales, qua de re videsis quæ in nostro Italico itinere [b] diximus. Volvinius eximii operis artifex.

[a] *Ambros. basil. p. 102. & seqq.*

[b] *Iter. Ital. pag. 16.*

ANN. CHR. 832.

LXX. Gallici motus.

IN Gallia Ludovicus augustus, ineunte vere anni insequentis, ad motus quosdam Aquitaniæ componendos Aquisgrano profectus, conventum Aurelianos indixit, eoque Lotharium ex Italia, Ludovicum e Bajoaria venire præcepit. Alterum quoque placitum eodem indictum in autumnum, habitumque est. Illuc adesse jussus Pippinus, ut suæ ex Aquisgranensi palatio fugæ rationem redderet; inde etiam, inscio patre, clam discedit, resque novas in Aquitania moliri pergit, Bernardo Septimaniæ duce, ut tum fama erat, pravis consiliis adhærente, qui sibi prælatum in palatio Guntbaldum monachum gravate admodum ferebat. Pippinus ob eam causam Treviros in liberam custodiam missus, Bernardus palatinis honoribus spoliatus est. At Pippinus Treviris se subducens, quaquaversum vagatur. Hinc indignatus pater, Carolo filio natu-minimo Aquitaniam tradit. Interim in Bajoaria etiam fere similes motus, auctore Ludovico rege: cujus rei occasione Wala e Germania in suum monasterium remittitur: ipse Ludovicus ad illos motus componendos eo advolans, Augustæ Vindelicorum filio reconciliatur. Redeunti Moguntiam imperatori Lotharius occurrit, in speciem præ fratribus patri obsequentior, seque ab injustis eorum molitionibus insontem probavit.

LXXI. Dervensi monasterio Ludovicus beneficus.

Antequam vero Aquisgrano discederet Ludovicus, diploma edidit pro monasterio Dervensi, quod nuper ordini monastico restitutum fuerat, eique Dodiniacam curtem liberaliter concessit. Datum est hoc præceptum Aquisgrani XIV. kalendas Martii, anno decimo-nono imperii Ludovici piissimi augusti, indictione decima; idque obtinuit Haudo venerabilis abbas monasterii, cujus vocabulum est *Ders*, qui ipsum monasterium novo opere excitaverat, & a canonico ordine ad monasticum reformaverat. cui ob hoc factum gratias agit imperator, & ad subsidium pio operi conferendum prædictam Dodiniacam curtem, sitam in comitatu Breonensi, duodecim mansos habentem, eidem monasterio confert. Quadriennio ante sub eodem abbate Harduinus presbyter eidem loco res suas donaverat, sitas in pago Barrensi. *Actum Barrense castro, sive ad Maurimunt, ubi levatum est istud testamentum*, X. *kalendas Octobris, anno quinto-decimo regnante piissimo imperatore Luedowico.* Nec plura de Haudone abbate, qui post quadriennium videtur obiisse.

LXXII. S. Dionysii reformatio.

Jam instabat tempus condicti Aurelianos ad autumnum conventus; cum Ludovicus ex urbe Moguntia iter instituit per agrum Parisiensem, atque in percelebri sancti Dionysii monasterio substitit per aliquot dies. Ibi aderat VII. kalendas Septembris, quo die amplissimum diploma edidit ad confirmandam monasticæ disciplinæ restitutionem, sub ipsius auspiciis nuper ibidem factam per episcopos maxime provinciales. Jam superius dictum est, Dionysianos monachos a prisca monasticæ institutionis disciplina longe tum descivisse, habitumque cum moribus mutasse, paucis exceptis, quibus religio fuerat sanctioris vitæ instituta penitus deserere, quique

ANN. CHR. 832. *in cella ejusdem majoris monasterii*, seorsim ab aliis sejuncti degebant. Hujus disjunctionis auctores fuerant Benedictus Anianensis & Arnulfus Herensis abbates, quos Ludovicus initio sui principatus per omnia imperii sui monasteria miserat, ut monasticam in eis disciplinam ex synodi Aquisgranensis præscripto instaurarent. Hi, cum prædictum monasterium nulla arte ad pristinum statum revocare potuissent, id unum sibi reliqui superesse censuerant, ut religiosiores monachos a solutioribus sejungerent, ne aliorum contagio corrumperentur, & in quamdam cellam eidem monasterio subjectam segregarent. quod forte de cella sancti Dionysii de Murno *, ad Isaram prope Bellum-montem sita, quæ tunc temporis erecta est, intelligendum. Non placuit hæc moderatio patribus in synodo Parisiensi anni octingentesimi tricesiminoni congregatis: quibus visum est primitivæ disciplinæ formam Dionysiano restituere monasterio, hortatore in primis Hilduino abbate, idque ut quantocius fieret, conjunctis una precibus, ab imperatore, pii operis studiosissimo, facile impetrarunt. Itaque mandatum Aldrico metropolitano Senonensi, & Eboni Remensi archiepiscopo, aliisque præsulibus ad hoc convocatis, ut de primaria ejus monasterii vivendi ratione diligentem inquisitionem facerent, & in antiquam formam omnia restituerent. Facta inquisitio est, probatumque certis & indubitatis instrumentis, hoc monasterium a principio *ordini monastico dicatum* fuisse, & a regibus Francorum amplissimis ditatum possessionibus, *quo in eo monasticus ordo* perpetuo *Deo deserviret*. Tum inquisitum de moribus eorum, qui sacrum hunc locum tunc incolebant. Horum quadruplex classis inventa. Quidam sancti propositi violatores novissime in eo statu pessime decesserant: *quorum perditio non sine magno animi ferri potest mœrore*. Nonnulli factam professionem pernegantes, sed testibus certis convicti, pro sua contumacia canonicæ pœnitentiæ subjecti fuere. Quidam, iique plures numero, in apostasiam prolapsi, solo prostrati culpæ veniam obnixe poposcerunt, *& cucullis sui propositi*, coram episcopis cleroque & multa nobilium frequentia, sponte resumtis, *in commune* regularem promissionem, ne quando sanctæ professionis proposito denuo exciderent, sponte iteraverunt. Pars denique, illi scilicet, qui sanctæ religionis studio in sejunctam cellam secesserant, in locum pristinum cum ceteris restituti sunt. His ita constitutis, episcopi hujus renovationis factum litteris mandari curarunt, conscriptis duobus unius tenoris exemplis, quorum unum in archivo ipsius monasterii, alterum in palatinis scriniis, ob monimentum recte facti & stabilitatem restituti ordinis, asservaretur. Hæc omnia totidem verbis retulit in suo diplomate Ludovicus augustus ex litteris episcoporum, quarum authenticum exemplar, sed magna ex parte lacerum, superest in archivo Dionysiano, quale a nobis in libro sexto * de re diplomatica editum est cum subscriptione Aldrici metropolitæ Senonensis, & Inchadi Parisiacensis ecclesiæ episcopi, qui *ob amissionem luminum* scribere non valens, solummodo signum crucis manu propria apposuit.

* Monst. V. infra n. 74.

* Diplom. p. 518.

Jam res compositæ & in integrum restitutæ ibidem videbantur, cum nova rursus seditio excitata est. Nempe quidam e monachis, renovatæ professionis impatientes, absque abbatis sui venia, propriive episcopi aut metropolitani permissu, imperatorem adeunt, eidem libellum offerentes, conviciis plenum in episcopos, qui rem restituerant. Hos continuo per Hilduinum abbatem, tametsi de eorum innocentia certus erat, citari jubet imperator. Mox illi adfuerunt, auditique sunt, &c, comperta demum criminationum falsitate, eorum purgata innocentia est. Ita pudefacti seditionis auctores, & ad saniorem mentem conversi, tres chartulas, suis nominibus, cum gradus monachique appellatione subscriptas, ad rei gestæ validius robur ac præsidium confecerunt: quarum una ad sepulcrum sancti Dionysii deponeretur: alteram imperator, tertiam monasterii abbas servaret. Ad hæc imperatori supplicarunt omnes, ut res tota imperialibus litteris confirmaretur. ut, quod canonica docet auctoritas, & vota regum, cunctorumque fidelium, qui ipsum locum propter monasticum ordinem dotaverant, exposcunt, nullo umquam tempore idem ordo, quod *sine periculo, & regis, & regni, fieri non possit*, ex eo loco avellatur, sed semper in eodem monasterio permaneat, floreat, & felicibus successibus, Deo favente, polleat. Supplicantibus benigne annuit imperator; atque ut id ratum & inviolabile in perpetuum esset, duas imperialis præcepti conscriptiones fieri jussit: quarum una in palatinis archivis, altera in Dionysianis asservaretur.

LXXIII. Ludovici hac de re diploma.

Hactenus in monasterii tabulario integrum habetur illud exemplar, quod, etsi

prolixius, ob rei gestæ gravitatem, ex authentico ipso accurate descriptum, huc referre visum est operæ pretium. ANN. CHR. 832.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, HLudowicus divina ordinante providentia imperator augustus. Divinis praeceptis & apostolicis monitis incitamur, sed & imperatoris regiminis officio commonemur, ut pro ecclesiæ statu atque sanctæ religionis augmento impigro semper vigilemus affectu, ac pernecessario seu fructuoso studiosoque laboremus effectu; & si quid usquam reprehensioni invenitur obnoxium, regia auctoritatis sollicitudine corrigamus: quatenus avia revocantes, superflua amputantes, conlapsa quoque reparemus, atque reparata & ab ecclesiasticis viris, apostolorumque Domini successoribus, Spiritu-sancto regente, bene statuta, edictis imperialibus confirmemus. Quia dignum profecto est, ut quod sacerdotalis dignitas divino inluminata Spiritu corpori Christi, quod est ecclesia, ejusdem Dei ac Domini & Salvatoris nostri redempta sanguine, adinvenit in salute, vel reformata statuit in religionis augmento, id imperialis majestas inviolabiliter permansurum in perpetuum potestatis suæ studeat roborari præcepto. quoniam quicquid in hujuscemodi negotiis laboratum, seu pio cultui a nobis fuerit dedicatum, hoc procul dubio nostræ mansuetudinis regno & populo regendo credimus specialiter profuturum. Idcirco notum esse volumus omnibus fidelibus, præsentibus scilicet & futuris, quia, postquam Deo auspice imperium paternum suscepimus, studii nobis maxime semper fuit, ut Domini ecclesia, magnificentia ejus humilitati nostræ divinitus regenda tuendaque commissa, felicibus polleret successibus; eamque, quantum nostra adtinet augustæ devotioni, incessanter ad meliora provehere, & ab illa quicquid noxium erat eradicare, atque in ea incrementa virtutum plantare. Quapropter sæpissime sacerdotes Domini, quorum id officii esse noveramus, admonere curavimus, ac nostram principalem auctoritatem adjutricem ad eorum ministerium juxta voluntatem Dei exsequendum prompte exhibuimus, ut quicquid in ordinibus ecclesiasticis, vel in quacumque persona emendatione dignum invenirent, pastorali auctoritate, postposita qualibet torporis negligentia vel personarum acceptione, incunctanter corrigerent, & ad statum rectitudinis perducere decertarent. Verum cum ipsi, nostra sedula exhortatione admoniti, suaque sollerti vigilantia de statu & profectu sanctæ ecclesiæ, & sacris ordinibus, & his quæ emendatione digna videbantur, conventu apud Parisius jussione nostra habito strenua & devota perspicacitate tractarent; inter cætera visum est illis, ut monasterium præclarissimi & eximii Christi martyris beati Dionysii sociorumque ejus, quod constat tantorum martyrum nomine Deo dedicatum, & a regibus Francorum, progenitoribusque gloriæ nostræ, amplissimis rebus ditatum, quo in eo monasticus ordo religiose Deo deserviret, magna emendatione & correctione opus haberet. Quoniam ab eo idem ordo ad multorum discrimen, nulla necessitate præpediente, nullius rei inopia obsistente, penitus erat avulsus. Quam causam, tam per se, quamque & per venerabilem prudentemque virum Hilduinum, memorati monasterii religiosum abbatem, nostræ serenitatis auribus intimaverunt, uti nostra piissima imperiali potestate per eorum auctoritatem corrigeretur. unde dignitas imperii nostri tantorum virorum saluberrimam admonitionem, & ejusdem venerabilis abbatis Hilduini preces humillimas more tranquillitatis nostræ solito gratanter benigneque suscipiens, atque in omnibus emendabile judicans, ne tanti ordinis conlapsio salutis nostræ quoquo modo fieret damnatio; ad eosdem Præsules ecclesiarum idem censuimus referre negotium, ut nostri principatus auctoritate, eorumque judicio, quibus tanta est conlata potestas a Domino, isdem ordo in eodem loco absque retractatione restitueretur. Venientes ergo Aldricus metropolita Senonicus cum suffraganeis suis, necnon & Ebo metropolita Durocortorum cum suffraganeis suis, ad memoratum monasterium, habito conventu, primum quod idem monasterium ordini monastico constructum, dedicatum, & rebus ditatum fuerit, & in eo ipse ordo usque ad tempus, quo sceptra imperialia, superna largiente gratia, clementia nostra suscepit; & supra memorati Hilduini abbatis prælationem ibidem utcumque viguerit, manifestis indiciis, regumque antiquis & modernis præceptis, & episcoporum privilegiis, ac fidelium donationibus palam cunctis est factum. Deinde diligentem inquisitionem fecerunt super his, qui in eodem loco regularem promissionem fecerunt: ex quibus quidam, qui eamdem professionem fecerant, desertores ejusdem propositi effecti, rebus humanis jam erant exempti: quorum perditio non sine magno animi ferri potest mærore. Quidam etiam non eamdem professionem se fecisse mentiti sunt: sed testibus patenter convicti, pro sua contumacia canonica pænitentia sunt subacti. Quidam vero, immo maxima pars, qui

ANN. CHR. 832.

hactenus in apostasiam prolapsi fuerant, coram venientes, soloque se prostrantes, confessi sunt eamdem professionem in eodem loco regulariter se promisisse, suique misereri, & a Domino veniam pro tanto admisso dari humiliter flagitavere. qua confessione facta, cucullis sui propositi coram cœtu episcoporum & ceterorum sacerdotum, cunctique sequentis ordinis cleri, nobiliumque virorum non modica circum adsistente turba, se induerunt, atque in commune, ne aliquando sicuti sibi aliisque jam in eodem loco contigerat, ab sancta professionis proposito diabolico propulsarentur instinctu, regularem promissionem iteraverunt. Pars denique quadam eorum, illi scilicet qui divinæ inspirationis munere acti, & amore devincti in sancta religionis proposito & habitu, adprime absque ulla refragatione aut interpolatione elegerunt viriliter permanere, & in cella ejusdem majoris monasterii, postquam ceteri monasticam vitam & habitum deseruerunt, usque ad hanc nostræ demandationis synodum habitam degere, ante jam memoratos venerabiles patres venerunt, locumque pristinum, in quo promissionem fecerant, & regulariter, licet minus perfecte, vixerant; sibi & se petierunt loco restitui. quorum semotio ob id acciderat, quoniam, ut prædiximus, mox ut divina dignatio nos paterna sede suscepta imperialibus sceptris inniti voluit, piæ intentionis nostræ sollicitudo exsequi procuravit, ut religio, decor, & omnis honestas a domno & genitore nostro divæ memoriæ Karolo cœpta & instituta, liquido & veraciter, remota omni simulatione, in propriis quibusque maneret & vigeret ordinibus. Unde ad monasticæ institutionis normam corrigendam, duos religiosos & venerabilis vitæ viros, Benedictum & Arnulfum abbates, constituimus, qui per nostrum a Deo gubernandum & conservandum imperium seduli huic negotio studiose insisterent. Iidem vero boni & devoti, sed simplicissimi patres, supra memoratorum fratrum calliditate & duritia suaque simplicitate abducti, non studio, sed minus subtili & necessaria investigatione & providentia, fallentes eos qui in soliditate sua professa salvationis perduraverunt, a monasterio removerunt, atque in memorata cella collocaverunt: & illos, qui propria voluntatis libitus, non virtute, sed versutia quæsierunt, ac collo de sub jugo regulæ excusso loro disligatoris vice soluti, ampliori itinere cælestem patriam petere sunt conati, in domiciliis reverendi habitus & vitæ monasticæ reliquerunt. Sed laudabilius hi patres ecclesiæ auctoritate sua digne petitioni fratrum, quos in sua religionis virtute diximus permansisse, quia sic nostri assensus jussio fuerat, annuentes, rationabiliter & canonice satisfecerunt, & ob suggestionis notitiam, ut nostræ panderetur celsitudini, qualiter vel quo ordine tam devotissimum factum ab eisdem religiosissimis viris sit celebratum, duas super hoc jure, pari tenore, conscriptiones fecerunt, easque manibus firmaverunt propriis, ut altera earum in archivo ipsius monasterii ob memoriam & stabilitatem inibi hujus ordinis per futura tempora servaretur: alteram nostræ magnitudini direxerunt, ut illam palatinis scriniis juberemus recondere ob monimentum, & istius rite facti perpetuam firmitatem. Sed cum idem ordo, Deo annuente, quantum divinitus videri dabatur, in eodem loco feliciter succederet; antiquus salutis humanæ inimicus quosdam ex ipsis fratribus sua organa efficiens, adeo insidiarum suarum furiis exagitavit, ut, conspiratione & conjuratione facta, & propositum monasticum abnegarent, & sine licentia sui abbatis propriique episcopi ac metropolitani, eorum legati dignitatis nostræ dominationem adirent, & molestiam super hac ratione contra canonicam & propositi sui institutionem serenitatis nostræ auribus inferre præsumerent, offerentes nobis tomum in accusationem & blasphemiam episcoporum, qui se de apostasia, in qua versabantur, paterna sollicitudine nostra auctoritate correxerant, & ad propositum, quod abdicaverant, redire suaserant: addentes etiam in eadem schedula alia, quæ digna non sunt imperialibus nostris scriptis interseri. Porro nostra sollertia, auditis eorum querimoniis, supra memorato venerabili viro Hilduino nostra jussit clementia, ut eosdem episcopos, contra quos querebantur, nec non & alios ab accusatione immunes, jussione nostra ad ipsum venire mandaret monasterium. Et quia ad notitiam nostram ipsi fratres suos misere clamores, unde nil ambiguum & sine justa diffinitionis decreto fas est abscedere; complurium episcoporum diligenti examine rem reventilari, & canonice diffiniri, & consopiri præcepimus: non quasi de præfata memoratorum patrum sententia, quæ excellentiæ nostræ bene manebat per omnia cognita, vel in aliquo dubitantes: sed ut major Christo Domino Deo nostro de percalcato hoste, qui jam dictos excitaverat fratres, triumphus fieret; & in eodem loco firmiori, quia iterata, stipulatione idem ordo confirmaretur. Et quoniam super pastores ecclesiæ dignitati nostræ imperiali quæcumque ingerebatur accusatio, non sine certo & rationabili obliteraretur judicio: qui ad condictum tempus & diem ad suprascriptum venere monasterium, & ipsis

ANN. CHR. 831.

accusatoribus cum scripto, quod clementia nostra tulerant, coram exhibitis, cuncta, quæ in eorum accusatione dixerant vel scripserant, falsa esse veris assertionibus, idoneisque prolatis testibus probaverunt, sicut ex ordine inscripto manifestatur: quod ex hac causa a secunda constitutionis nostræ synodo archivo nostri palatii cum cartulis, quæ nomina testium continent qui utrisque conventibus interfuerunt, directis, ob gestorum memoriam conservatur: unde aliud etiam ab ipsius monasterii scriniis retinetur. Ipsi de cetero fratres, respectu divino processu temporis corda illorum tangente, propositi sui strenui & præteritarum negligentiarum pænitentia devoti exsecutores effecti, consensu salubri & prudenti tres cartulas conscripserunt: ut una earum ad caput gloriosissimorum Christi martyrum fieret: altera regiæ dominationis nostræ custodia servari demandaretur: tertiam vero ipsius monasterii abbas haberet: in quibus se a beato patre Benedicto, docente sancto Spiritu, descriptam regulam sunt servare velle professi; & unusquisque eorum nomen proprium cum gradu & monachi appellatione eisdem cartis subterfirmavit: quarum unam benignitatis nostræ præsentiæ exhibuerunt, humiliter postulantes, sicut & sæpe memorati venerabiles patres, a quibus synodales diffinitiones celebratæ sunt, auctoritatem nostram sedulo petierunt: quatenus hoc, quod tam subtili & diligenti investigatione inventum, & justa ratione diffinitum, seu salubri restitutione reparatum, atque canonica auctoritate statutum esse dinoscitur, amplitudinis nostræ privilegio scriptis imperialibus confirmaremus: ut quod canonica docet auctoritas, & vota regum cunctorumque fidelium, qui ipsum locum propter monasticum ordinem ibi servandum rebus suis ditaverunt, demonstrant, cum nequaquam ab eo sine periculo & regis, & regni possit avelli, nostra imperialis potestas confirmatione provideat, ne ex eodem loco modernis futurisque temporibus idem ordo destituatur: sed potius, Christo Domino largiente, ad cumulum mercedis nostræ, conjugis quoque & prolis, eorumque salutem, quorum post tantum lapsum reparatio facta est, necnon & eorum, per quos Deo annuente nostra auctoritate eadem reparatio celebrata est, simul & illorum informationem, qui post ad monasticum ordinem Domino inspirante ad eumdem confluxerint locum, remota omni simulatione semper in eodem monasterio regularis ordo permaneat, floreat, & felicibus successibus Deo opem ferente polleat. Et ut hæc auctoritas, quam ob Dei amorem & animæ nostræ conjugis & prolis, ut prædiximus, salutem atque imperii nostri statum constituimus, firmiorem obtineat vigorem, & deinceps inconvulsa valeat perdurare; duas inde pari tenore conscriptas firmationes fieri jussimus: ut una imperialis aulæ recondistorio palatinis salvetur excubiis: altera ab ipsius monasterii custodibus in perpetuum diligenti cura debeat provideri; easque manus nostræ subscriptione subter firmavimus, & de anulo nostro sigillare jussimus.

——— *Signum Hludowici serenissimi Imperatoris.*

——— ——— *Hirminmaris notarius ad vicem Theotonis recognovi & subscripsi.*

Data VII. *kalendas Septembris, anno Christo propitio* XVIIII. *imperii domni Hludowici serenissimi imperatoris, indictione* X. *Actum monasterio sancti Dionysii in Dei nomine feliciter, amen.*

Præter hoc diploma Ludovicus alterum præceptum ibidem, eodemque tempore edidit, quo partitionem bonorum monachis ab Hilduino factam confirmavit. Hilduini hac de re litteræ ex authentico instrumento, sed aliquot in locis mutilo, a nobis vulgatæ sunt in libro sexto [a] de re diplomatica: quibus in litteris Hilduinus ordinis monastici restitutionem ibidem factam eodem modo, atque episcopi & Ludovicus ipse, commemorat, aitque prælecta fuisse privilegia & præcepta regum, ac pontificum, *maxime autem privilegium Landrici religiosi Parisiorum episcopi*, sancientis, ut hic regularis ordo inviolabiliter conservetur; & Chlodovei regis præceptum, *sanctorum, qui usque hodie miraculis coruscant, manibus roboratum.* Hanc vero partitionem Hilduinus, non ambitione vani nominis, aut cupiditate præsentis gloriæ, sed sola futuræ retributionis mercede a se factam dicit cum consilio & consensu Ludovici domini sui, ut ne monasticus ordo in eodem loco umquam deficiat, sicut præteritis temporibus contigit, in tantum, ut pastorali negligentia diuturna, & incuria temporalis subsidii monachi a majori parte ipsum habitum abjecissent: quidam vero ex Dei amore in sanctæ religionis pro-

LXXIV. Partitio bonorum ab Hilduino facta confirmatur.

a *Diplom. p.* 519.

AN. CHR. 832. „ posito & habitu strenue permansissent, assignata eis villa, in qua *cella est illis de*
„ *novo fundata.* Ne igitur aliquando ex subsidii temporalis defectu monachi in simi-
„ lem lapsum corruerent, & *a via rectitudinis & regula sancti Benedicti institutione*
„ qualibet cavillatione in futuro oberrarent aut deviarent; statuit Hilduinus, ut den-
„ tur eis annis singulis de tritico puro ad eorum & hospitum in refectorium venien-
„ tium opus modia duo millia centum; *ad præbendam famulorum eis servientium* de
„ sigale modia nongenta; de vino puro ad eorumdem monachorum & hospitum usum
„ modia duo millia quingenta, præter cervisiam ad usus famulorum; de legumine
„ modia trecenta; de adipe modia triginta-quinque; de butyro sestertia triginta; vo-
„ latilia in pascha & natale Domini; de lignis mensuræ, quæ midi appellantur, mille
„ centum; & alia multa, quæ fastidiosum esset per singula enumerare. Ad hæc porro

* Mours.

suppeditanda villas quasdam assignat, quarum una est *Murnum* *, *ut antiquitus vocabatur, nunc autem cella sancti Dionysii*, forte illa ipsa, in quam Donysiani monachi generalis corruptelæ expertes secesserant; Tosonis-vallis cum Flaviaco & appendicibus suis, cella sancti Martini, & aliæ villæ complures; ad hæc de pago Pontiu censum de platesis & angullis Somnensibus. quæ omnia, *ad centum quinquaginta monachorum numerum* assignata, minui umquam a successoribus abbatibus vetat; augeri vero cupit, ut, *multiplicatis opibus, accumulentur & servitii divini*
„ *cultores.* Hæc porro, ad usum & vestimenta fratrum perpetim cedere constituit
„ Hilduinus: ut servi Dei ibidem degentes absque ulla penuria vel quovis prætextu
„ omnipotenti Deo cum omni observatione regulari deserviant. *Actum in monasterio*
„ *sancti apostolorum Principis, excellentissimorumque martyrum Dionysii, Rustici, & Eleu-*
„ *therii, anno decimo-nono HLudowici serenissimi imperatoris, indictione decima. Data*
„ XI. *kalendas Februarias in Dei nomine feliciter.* Subscribunt Aldricus Senonensis, Ebo
„ Remensis, Otgarius Moguntinus archiepiscopi; Drogo Mettensis episcopus, Witga-
„ rius Taurinensis, Erchanradus Parisiacensis, Jonas Aurelianensis, Heribaldus Alcedro-
„ nensis seu Autisiodorensis, Tractarius episcopus incerti loci. Hanc autem Hilduini abbatis constitutionem postea confirmavit Ludovicus imperator VII. kalendas Septembris, iisdem anno & indictione, & quidem in monasterio sancti Dionysii. Ex quo intelligitur, annum decimum-nonum imperii Ludovici, in prædictis Hilduini litteris expressum, repetendum esse ab eo tempore, quo Luduvicus imperii consors a patre dictus est, non a Caroli parentis obitu, qui tantum V. kalendas Februarii accidit.

In iisdem litteris quædam observatione videntur digna. Primo quod in eis fiat mentio de privilegio Landrici Parisiorum episcopi Dionysianis concesso, deque confirmatione facta per Chloduveum regem, cujus præceptum sanctorum, qui tum miraculis coruscabant, manibus roboratum dicitur. quod in libro quinto de re diplomatica integrum in æs incisum habetur. Deinde singula modia vini tunc constitisse tantum sexdecim sextariis, ut ex statutis sancti Adalhardi alias probavimus. Ad hæc mensuras tum vulgares ligni *modos* appellari in authentico exemplari, non nudos, ut in edito diplomate Ludoviciano. Præter ea synodum illam episcoporum, in qua de restituendo ibidem monastico ordine actum est, habitam fuisse ante scriptas litteras Hilduini, ac proinde ante hunc annum: quo ineunte hæ litteræ datæ sunt, quibus subscripsit Erchanradus Parisiorum antistes, successor Inchadi senioris, qui synodalibus illis litteris subscripserat. Insuper monasterium sancti Dionysii titulo etiam sancti Petri insignitum fuisse: cujus in honorem Stephanus papa ibidem altare ad sepulcrum sancti Dionysii erexerat. Accedit quod Witgarius Taurinensis antistes Hilduini litteris subscripsit. quod argumento est, Claudium ejus sedis episcopum, si non tunc mortuum, certe exauctoratum fuisse, ut Witgario locum faceret, qui in vulgatis [a] indicibus desideratur.

a Ital. sac. to 4 c. 1432.

LXXV. Fossatensis basilicæ dedicatio per Aldricum

b Supra lib. 28 n. 65

Marrymardi conversio.

Ad hoc idem tempus referendum est id, quod de Aldrico Senonum pontifice in ejus actis legitur: qui, cum *pro magnis negotiis* ad urbem Parisiorum venisset, Fossatensis monasterii novam basilicam in honorem beatæ Mariæ dedicavit rogatu Fossatensis abbatis, qui eamdem basilicam [b] *ipse construxerat.* Is est Benedictus, alius proinde a Benedicto abbate Anianensi, qui jam dudum, id est ante annos decem, e vivis excesserat. Dein ad propria reversus pontifex, dum pro foribus cathedralis beati Stephani ecclesiæ subsisteret, vidit quemdam prætereuntem, Marrymardum nomine, superbos spiritus præ se ferentem: cujus incessus vagus, torvi ac truces oculi,

oculi, cervix erecta, sermo procax & terrificus. Interrogatus ab Aldrico quis esset; ille se custodem civitatis esse respondit. Ad quem sanctus præsul: Si aliurum, inquit, custos es, eccur te ipsum custodire & observare contemnis? & unde tibi tam immodicus fastus, tanta jactantia, cum sis pulvis & cinis? His aliisque dictis vir Dei tumidam hominis elationem repressit, sicque pectus ejus divinæ caritatis sagittis confixit & attrivit, ut incunctanter monachum se fieri postularet. atque ita factum est.

LXXVI. Benedicti abbatis successor Ingelbertus.

Prædictæ dedicationi non diu supervixit Benedictus abbas Fossatensis, cujus successor Ingelbertus monachos e suis submisit ad instaurandum Glannafoliense monasterium, quod Fossatensi tunc subjectum fuit. Idem Ingelbertus Brogilum villam pagi Cenomannici a Ludovico imperatore obtinuit, ibidemque monachos collocavit, ut inferius videbimus. Virum fuisse librorum ac litterarum studiosissimum probant relicti codices Fossatenses, ejus jussu conscripti, ut tractatus sancti Augustini in Johannem, & ecclesiastica historia Eusebii ex versione Rufini, quam Odelo monachus emendavit, testante subscriptione, quæ ad calcem libri undecimi legitur in hunc modum. *Lege in Christo feliciter. Memento ejus scriptoris in bonum. Vivas Christo feliciter in ævum. Ego Odelo, famulorum Christi famulus, jussu venerabilis Ingelberti abbatis hunc codicem, ut potui, emendavi. Omnes qui legitis, pro multimodis peccatis meis intercedite. Vivatis in Christo, amen.* Forte ejusdem Ingelberti tempore scriptus est polyptychus monasterii Fossatensis, editus in appendice capitularium Baluziana.[a]

[a] *Capitul. to. 2. c. 1387.*

LXXVII. Franconi episcopo Cenomanensi succedit Aldricus.

Apud Cenomannos obiit hoc anno Franco junior ejus urbis episcopus VIII. idus Novembris, cum septemdecim annos illi ecclesiæ præfuisset. Huic subrogatur eodem anno Aldricus ex primicerio urbis Mettensis, qui hoc nomine universum ejus parochiæ clerum moderabatur, ordinatus XI. kalendas Januarii, quæ dies dominica erat. Huc dubium movet Cointius, quod tanti momenti non est, ut huic calculo obstare possit. Medio inter Franconis obitum & Aldrici ordinationem intervallo Ludovicus augustus, qui Aldrici electionem approbavit, Turonis versabatur, & quidem XVIII. kalendas Decembris, quo die sancti Martini clericis restitutionem quarumdam villarum, a Fridugiso abbate factam, præcepto suo ratam habuit; eisdem insuper concedens, ut de omnibus, quæ ad sepulcrum sancti Martini a fidelibus conferrentur, tertiam partem in suos usus acciperent, exceptis vestimentis, certisque speciebus, quæ ad ornandum, honorandumve sepulcrum sancti Martini offerendæ essent. *Data* XVIII. *kalendas Decembris, anno Christo propitio decimo-nono imperii domni Ludovici piissimi augusti, indictione decima. Actum Turonis monasterio sancti Martini in Dei nomine feliciter.* quod diploma *Hirminmaris notarius ad vicem Theotonis recognovit*, uti & Dionysianum, quod mox retulimus. Theoto cancellarius erat cum Fridugiso abbate, distinguendus a cognomine abbate Majoris-monasterii, de quo in consequentibus agemus.

LXXVIII. Placitum pro monasterio Arulensi.

In diœcesi Helenensi florebat tunc Babila seu Babilanus abbas monasterii Arulensis, de cujus terminis pagenses[b] eorum locorum concertabant. Adducti a Babila in judicium coram Berengario comite, Salomone episcopo, aliisque assessoribus, facta diligenti inquisitione, causa exciderunt; statutumque, ut termini, sicut lex Gotthorum continet, in locis designatis defigerentur ad omnem controversiam in posterum removendam. sic Berengarius comes eidem abbati res suas in integrum restituit, facta eidem *charta revestitoria* IV. *nonas Februarias, anno decimo-nono imperante domno nostro HLodoico imperatore.*

[b] *Marca Hisp. p. 769.*

LXXIX. Regula monasterium in Wasconia.

Circa hæc tempora jam exstabat in Wasconia monasterium Regula, vulgo *Squirs* appellatum, immo jam in eo defecerat monastica disciplina, ut colligitur ex tabulario ejus monasterii, in quo Bertrandus comes monasterium *Squirs*, vocabulo Genoliaco, *quod modo*, inquit, *sub regulari disciplina manet*, sed sub illius comitis potestate, consentiente uxore sua Berta, & filiis suis Guillelmo, Gausberto, Arnaldo, & Bernardo, tradit *domno Adasio abbati & monachis*, quibus regulariter vivere inibi sub ejus potestate placuerit secundum regulam sancti Benedicti: eo tamen pacto, ut sint isti monachi in subjectione regis ad locum salvum faciendum, non etiam ad aliquod persolvendum. Nulla temporis nota huic instrumento apponitur: at cum hoc monasterium a Normannis destructum sit anno ejus sæculi quadragesimo-octavo; hinc recte infert illustrissimus Petrus de Marca[c] hoc referendum videri ad Ludovici augusti principatum. De hujus monasterii restitutione agemus æculo sequenti.

[c] *Marca Bearn. lib. 3. c. 5.*



ANN. CHR. 833.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER TRICESIMUS-PRIMUS.

Ab anno Christi 833. ad annum 837.

I. Franciciæ rei status.



ENTUM est ad lubricum Franciciæ historiæ locum, ad annum scilicet noni sæculi tricesimum-tertium, nigro notandum lapillo, utpote Ludovici augusti exauctoratione infamem. Jam eo in statu res erant, ut nec pater filiis, nec patri fiderent filii, qui Carolum minimum-natu fratrem sibi præferri haudquaquam ferre poterant, sibique a patre insidias parari credebant, aut certe credere simulabant. Nec deerat conceptæ opinioni color, Aquitania a Pippino in Carolum translata. Quare Ludovicus & Pippinus populos ad defectionem sollicitant, & Lotharium fratrem, ut rem publicam invadat, jam sponte currentem impellunt; atque ut efficacius quod moliebantur perficere possent, Gregorium summum pontificem multis precibus ad suas partes advocant, specie, ut patrem filiis reconciliaret. Mox tres germani reges, contractis repente ingentibus copiis, in Alsatiam contendunt: quibus pater, Wormatiam profectus, armato & ipse exercitu mense Maio occurrit, ibique, quid agendum esset, diu deliberavit cum episcopis sibi addictis: qui Gregorio papæ denuntiare non dubitarunt, si excommunicaturus eos, qui a partibus imperatoris starent, venisset, excommunicatus abiret. Paschasius addit, episcopos pontifici depositionem comminatos fuisse. Tandem VIII. kalendas Julias, die festo sancti Johannis, conventum est in unum Alsatiæ locum, qui a Nithardo Mons-Sigwaldi, ab Astronomo ex eventu Campus-mendacii appellatur. Eo eum venisset imperator, arma utrimque e vestigio posita. Gregorius primum Ludovicum augustum allocutus, causam itineris sui exposuit, atque omnia, quæ ad conciliandam eum filiis pacem pertinere visa sunt, disseruit. Post aliquot dies reversus ad filios, eamdem causam oravit: verum ob tumultum populi, donis ac promissis minisque ab officio abstracti, ad imperatorem, ut condictum erat, regredi non potuit. Interim III. kalendas Julias jam prope erat, ut ad summam dimicationem veniretur, tum vero Ludovicus filios monuit, ut ne se potestati furentis ac præcipitis multitudinis permitterent. cui filii benignum in speciem responsum reddiderunt, relictis castris ut ad ipsos veniret, ab ipsis qua par erat reve-

ANN. CHR. 833.

rentia excipiendus. His verbis deceptus Ludovicus, ad eos perrexit, sed statim perrexisse pœnituit. nam cum uxore & Carolo a filiis comprehensus, ipse cum Carolo in Franciam a Lothario abductus, Judith in civitatem Italiæ Dertonam relegata est. quibus rebus merito offensus Gregorius, Romam re infecta se recepit. Pippinus inde in Aquitaniam, Ludovicus in Bajoariam recedentes, Lothario summam totius peragendæ tragœdiæ commiserunt. Ipse vero, Carolo Prumiæ commendato, patrem Suessionas secum adductum in monasterio sancti Medardi sub diligenti custodia servari præcepit, indicto Compendium ad kalendas Octobris conventu: in quo exauctorationis sententia in Ludovicum absentem, nec auditum, nedum convictum, ab Ebone, aliisque ejusdem factionis episcopis prolata fuit; moxque Ludovicus ante corpus sancti Medardi sanctique Sebastiani arma deponere, & imperio se abdicare coactus, pullaque veste indutus, in eodem monasterio usque ad festum sancti Martini reclusus perstitit, quem postea Lotharius Aquas hibernatum deduxit. Hæc summa rerum hoc anno gestarum, in quibus quid nostri egerint, quasve partes sustinuerint, nunc singillatim exponendum est.

II. Brogilum, aliaque Cenomanicæ ecclesiæ restituta.

Verum his nonnulla præmittenda sunt, quæ ante hos motus acciderunt. In primis Aldricus Cenomannorum antistes villas pagi Cenomanniei, Brogilum, Novamvillam, aliasque nonnullas, quas ministri regii occupaverant, ecclesiæ suæ restitui petiit. Missi ab imperatore Simon presbyter & venerabilis abbas incerti loci, atque Heidemannus vassallus ad inquirendam rei veritatem. qua competta, prædictarum villarum restitutio facta est, edito diplomate VI. idus Januarias, anno decimo-nono (sic legendum) imperii domni HLudovici piissimi augusti, indictione undecima. quod Hirminmaris ad vicem Theotonis recognovit. Hæc est villa Brogilus, quæ postea Fossatensi monasterio ad cellam monachorum exstruendam concessa est.

Theodo abbas Majoris-monasterii. a V. infra num. 23.

Theoto concellarius alius est [a] a Theodone abbate Majoris-monasterii, cujus tempore Troannus comes & uxor ejus Bova res quasdam proprietatis suæ, sitas in pago Vindocinensi, in condita Navoliensi, loco nuncupato Marciago, aliaque conferunt *ad monasterium, quod vocatur Majus, quod est constructum super alveum Ligeris, prope Turonis civitatem, in honore sanctæ Mariæ genitricis Dei, & beati Petri principis apostolorum, & beati Martini confessoris, ab eodem Christi confessore fundatum: unde venerabilis vir domnus Theoto abba esse videtur.* Hæc vero donatio ab ipsis facta est eo pacto, ut iidem & filius eorum Troandus vitæ suæ tempore memoratas res possideant; & a fratribus Majoris-monasterii villas eorum Vetus-mansiones in pago Cenomannico, & in Abrincatino in illa Mussa in beneficium sub annuo censu accipiant. *Data in mense Martio, anno vigesimo imperii domni nostri HLudovici serenissimi augusti.* Hic est Theodo abbas, cui Judith augusta villam Cambonem, sitam in pago Blesensi seu Dunensi, concessit anno decimo-nono imperii Ludovici, ut in Miscellaneis Labbeanis legitur.

III. S. Balthildis translatio.

Id factum in reditu imperatoris ex Aquitania, quo tempore Calense agri Parisiensis cœnobium obiter invisit. ubi ab annis octo venerabilis Hegilwich abbatissa, Judithæ imperatricis parens, *magno gregi sanctimonialium* præerat. In familiari colloquio incidit sermo de beatissima Baltechilde seu Balthilde quondam regina, ac demum ejus loci monacha, deque sancta ejus vitæ conversatione, cujus relatu mirifice delectatus est pius imperator. Hinc occasionem atripuit Hegilwich eidem suadendi, ut sacrum beatæ Balthildis corpus a loco, ubi jacebat, id est a subterranea crypta basilicæ sanctæ Crucis, in novam sanctæ Dei genitricis Mariæ ecclesiam, a Gisla abbatissa nuper ædificatam, ubi cœtus sacrarum virginum interdiu noctuque Deo laudes persolvebat, transferri permitteret. quod non modo permisit imperator, sed quantocius fieri præcepit. His freta jussis abbatissa, IV. kalendas Martii, quæ in feriam quartam hoc anno incidebat, *cleri Dei sacerdotes, sanctasque virgines, & pudicas viduas*, ejusdem cœnobii haud dubie incolas, convocavit, eisque conceptum de translatione consilium aperuit. Id unanimi consensu comprobarunt omnes. Mox una in ecclesiam sanctæ Crucis conveniunt, tum celebratis missarum sollemniis, tumulum reserant: in quo sacrum corpus post multos annos ita integrum repertum est, quasi ipsa die sepulturæ traditum fuisset. Visum est abbatissæ rem Parisiensi episcopo, Erchanradus is tum erat, quam primum renuntiare: ut ipse venerandum corpus in aliam ecclesiam transferret. Interim, dum ille moras nectit, confluentibus ad tumulum fidelibus, miracula quædam patrata. quæ

ANN. CHR. 831.

* Coulon.

ubi rescivit imperator, villam pagi Meldici, *Colon* * appellatam, quæ hactenus est de jure monasterii, translationis gratia eidem loco liberaliter concessit. Post octodecim ab aperto tumulo dies, Calam advenit Erchanradus cum numerosa turba clericorum, tum post missarum sollemnia ad sacrum corpus accedit, illudque cum insigni pompa transportat in ecclesiam sanctæ Dei genitricis Mariæ, ac pone altare medianum collocat. Eodem tempore elatum e tumulo, eodemque in loco repositum corpusculum pusiolæ Radegundis, a Balthilde quondam e sacro fonte susceptæ, quæ septennis paullulo ante Balthildem mortua, ibidemque sepulta fuerat. Celebratur hæc translatio XVI. kalendas Aprilis in monasteriis Corbeiensi & Calensi, quorum piissima regina conditrix fuit.

IV. Ludovicus dat Mintriacum S. Dionysio.

a Diplom. p. 521.

* Mitry.

Digressus e Cala monasterio Ludovicus, venit ad Vernum palatium, ad Isaram positum infra Compendium: uti discimus[a] ex diplomate, quo villam pagi Parisiaci, vocabulo Mintriacum *, contulit ecclesiæ, quam *vir venerabilis Hilduinus, abbas rel'giosus monasterii sancti apostolorum principis, excellentissimorumque martyrum Dionysii, Rustici & Eleutherii*, quos imperator speciales protectores suos vocat, *ante pedes eorumdem beatissimorum martyrum*, ad laudem Dei ac Domini Jesu-Christi, *in honore sanctæ & invi:latæ semper Virginis, cæli totiusque mundi Reginæ*, ac sancti Præcursoris Christi, pro imperatoris, ejusque conjugis ac prolis salute recens ædificaverat: ubi *permulta & pretiosissima sanctorum pignora* collocavit. Hæc vero do- » natio eidem loco facta est ad luminaria & ornamenta ibidem procuranda, eo pacto, » ut in purificatione sanctæ Mariæ, ac die martyrii beatissimorum Petri & Pauli, & » in sollemnitate gloriosissimi Christi martyris Sebastiani, atque in anniversario ipsius » imperatoris, & dilectæ ejus conjugis Judith, quando ipsi ex hoc mundo decessis- » sent, ex rebus ejus villæ monachi ipsius sancti cœnobii refectionem habeant, *semotis* » *solatiis caritatis*, quæ de rebus ecclesiæ in sollemnitatibus deputatis ex imperiali aucto- » ritate jam habebant; & in iisdem diebus, juxta possibilitatem, pauperum refectio » fiat. Hanc porro donationem *sub specialis custodis*, seu *abbatis, qui fidelis, religiosus, & regularis eidem divino domicilio fratrum electione deputabitur, dispensatione & ordinatione* remanere jubet imperator, obsecratque obnixe successores suos inviolatam ab eis conservari. *Data XIII. kalendas Februarias, anno Christo propitio decimo-nono imperii domni HLudovici piissimi augusti, indictione undecima. A⁄⁄um Vern palatio regio.* Hirminmaris notarius ad vicem Theotonis diploma recognovit & subscripsit. Hæc ecclesia seu potius oratorium beatæ Mariæ hactenus visitur in crypta subterranea ad pedes veteris tumuli sancti Dionysii ejusque sociorum. Legimus ipsius Hilduini mutilas litteras, quibus huic oratorio, cujus dedicatio kalendis Novembris facta dicitur, in dotem assignat *viculum, qui Ermedonis dicitur, & mansum in Aqua-picta* ad luminaria suppeditanda, præter ea, quæ *de thesauro ad pedes sanctorum* ex antiqua consuetudine donabantur. Insuper statuit, ut *ex monachis hujus sanctæ congregationis succedentes sibi per vices omni tempore in ea* capella *tam diurnum, quam nocturnum more Romano officium faciant.* In hoc præcepto Hilduinus, non jam archicapellanus, ut alias ante suam defectionem, sed præcise abbas sancti Dionysii appellatur; jam quidem reversus in gratiam imperatoris, quem ut sibi amplius demereretur, hoc oratorium ejus causa exstruxit; sed tamen in archicapellani dignitatem neutiquam deinceps restitutus. Hinc colligas falsum esse quod ait[b] Frodoardus, Hilduinum, cum Gregorius papa in Galliam venit, & Francorum regnum defecit ab imperatore Ludovico, conatum fuisse abducere Hincmarum ab obsequio imperatoris; sed nequaquam id ab eo obtinere potuisse.

b Frod. lib. 3. c. 1.

V. Glannafolium subjicitur Fossatensi monasterio.

Sub idem tempus, dum Aquisgrani resideret imperator, ad eum accessit Rorigo comes, ab eoque præceptum obtinuit, ut rectores Fussatenses providentiam semper haberent Glannafoliensis monasterii ab se instaurati, eidemque perpetuam sollicitudinem adhiberent, tales videlicet ex suis illi congregationi præficiendo rectores & præpositos, quorum nutu & arbitrio cuncta ibidem interius, exteriusque disponerentur. Ita rem commemorat Odo abbas Glannafoliensis, qui addit hoc præceptum tempore Ingelberti abbatis ablatum, ignique crematum fuisse nescio quo casu, quem melius reticendum, quam proferendum putavit. Habetur tamen id genus præcepti in chartaceo codice Fossatensi, ex quo illud eruit Stephanus Baluzius in appendice capitularium, & post eum Carolus Cointius & Gerardus de Bosco: qui, licet quosdam nævos in eo deprehenderint, haud tamen rejiciendum, immo a se recu-

ANN. CHR. 833.

dendum censuerunt, utpote cujus auctoritate res multæ, ab ipsis relatæ, vel referendæ, confirmentur. In ejusmodi vero diplomate imperatori suggerit Rorigo comes, « quo pacto cœnobium Glaonafolium, ubi *venerabile corpus sancti Mauri, patris Benedicti discipuli*, ejusdemque loci quondam abbatis, jaceret humatum, penitus destructum inveniens, una cum conjuge Bilechilde instaurare, & ad pristinum statum restituere aggressus sit, eumdemque locum Engilberto seu Ingelberto abbati Fossatensi, sibique subjectis fratribus commiserit, ut disciplina regularis ibidem perpetuo conservaretur: postulatque ab imperatore id confirmari. quod ratum habet piissimus augustus, sanciens, ut prædictus abbas ejusque successores ipsum locum, qui *Glauna* dicitur, perpetuo teneant, gubernentque, tales ibidem præponendo rectores & præpositos, quorum nutu ac dispositione cuncta secundum regulam sancti Benedicti intus forisque ordinentur ad normam Fossatensis monasterii, &, præciso peculio, juxta traditiooem apostolicam omnia ibidem communia sint, & sub regiæ immunitatis tuitinne consistant. Hoc diploma datum dicitur Aquisgrani VIII. kalendas Septembris, anno Ludovici imperatoris undecimo, indictione uodecima. » At erratum in diem itrepsisse cོostat, quo die, id est VIII. kaleodas Septembris, Ludovicus Aquisgrano procul aberat, ut rerum consequentia mox docebit. Insolitæ sunt etiam, sed tamen haud sine exemplo, ejus diplomatis comminationes, quales in aliis Ludovicianis vix occurrunt, forte additæ ab eo, qui hoc præceptum recensuit. His litteris acceptis, Ingelbertus Gauzbertum sub se abbatem Glannæ instituit, qui illud toto vitæ suæ tempore, tum sub Rotigone loci instauratore ac tutore, tum sub Ebroïno ejus cognato religiosissime rexit.

VI. Ludovicus filiis cum copiis occurrit.

Ludovicus Cenomannis ineunte anno Aquisgranum reversus, Wormatiam ante initium quadragesimæ accessit, ibique pascha & pentecosten celebravit. Hic, audita filiorum defectione, subitarium exercitum, ut eis occurrat, contrahere properat, atque utrumque ordinem, militarem & ecclesiasticum, ad hanc expeditionem præsto esse jubet. Ejus rei testis est Agobardus io epistola ad Ludovicum ipsum, ubi ait se ad ejus præsentiam tum venire jussum, *ut cum ceteris ecclesiasticis viris*, quos scilicet seditiosis adhærere suspicio erat, *contra injustos reprehensores justæ reprehensionis oppositionem adhibere posset.* Verum ille imperiali præcepto non paruit, allegans apostolicas litteras, sacratissimis diebus paschalibus ad se perlatas de indicendis jejuniis & precibus: quod unum his commotionibus remedium adhibendum persuadere conatur. ceterum nefas esse, quod etiam in sequentibus ad Ludovicum litteris urget, resilire a divisione imperii inter regios filios primum facta; nec *sine gravi periculo & reatu animæ* eam mutari posse.

Wala ad papam venire cogitur.

Intetim Wala privatam vitam agebat io suo monasterio, alieous omnino ab his turbis, quibus denuo haud se immiscere animo constituerat. Verum hoc propositum retinere ipsi haud integrum fuit. Afferuntur a Gregorio papa litteræ, cum multa adjuratiooe præcipientes, ad pontificem ut quantocius veniat *pro pace, pro reconciliatione patris & filiorum, principum & seniorum, pro statu ecclesiarum, pro adunatione populi, & salvatione totius imperii.* at ille recusat venire. Instant missi ab regiis filiis cum multis militibus, qui totum occupabant cœnobium, vimque ei se facturos comminaotur. Ad extremum cedit Corbeiensium fratrum precibus, suadentium, ut summo pontifici obtemperaret. Et sane qui *consiliarius totius imperii*, non solum pro genere ac vitæ merito, sed etiam imperatoris electione constitutus erat, tam lubrico & periculoso rerum articulo deesse non debebat. Pergit itaque vel invitus pro officio, a fratribus impulsus, a summo pontifice cum grandi obtestatione vocatus, a filiis augusti regibus sollicitatus, a præsulibus optanis & populo: si quo modo concordiam & pacem reformaret. Incessit, comitante Paschasio per medias exercitus imperialis phalanges, a quibus sibi plurimum, ob Judithæ odium, timendum erat: sed tandem accessit incolumis ad summum pootificem, in Alsatia cum regiis filiis commorantem, qui magnopere consternatus erat minis episcoporum Ludovico adhærentium, qui excommunicationem, immo & depositionem ipsi intentabant. Confirmatus a Wala pontifex, epistolam ad illos episcopos scripsit, in qua immerito se ab eis dehonestatum ait, inculcatque priorem imperii divisionem haud quaquam esse immutandam.

VII. Ludovici querelæ de filiis.

Ex alia parte imperator de filiis suis conqueritur; & de Romano pontifice, qnod ad se noo veniret. Ludovici querelæ de filiis io sex capita distinguuntur a Paschasio,

ANN. CHR. 833.

qui unus ea retulit. Primo Ludovicus eos memores esse jubet, quod filii ejus sint. Ad quod ipsi: Nihil sibi secundum Deum gloriosius, nihil carius haberi. idcirco se venisse humiles & devotos subditos, ut decet, ac subjectos; tantumque obsecrare, ne abdicentur sine crimine; ne exheredentur sine culpa; atque adeo non insurrexisse in piissimum parentem; sed supplices venisse, indulgentiam & misericordiam petere.

Secundo eosdem monet imperator, quod vassalli ejus sint, sibique juramento adstricti. Id vero agnoscunt illi, atque jure ab ipsis exigi, quippe qui a natura, a promissis, ab omni veræ fidei sacramento fideles esse debeant. Hoc sibi alte animis infixum; paratosque se esse pro ejus gloria, honore & prosperitate, quas propria vita cariores ducant, contra quosvis decertare. Ceterum non contra parentem conduxisse has copias, sed ut se ab inimicorum, qui ipsos perdere quærant, insidiis & tendiculis securos præstent.

Tertio queritur augustus, quod illi quasi propriam sibi vindicent defensionem apostolicæ sedis, ut pontificem contra ipsum sibi concilient. Ad quod Lotharius respondet, se ex officio id præstare, cum patris jussu imperialis officii insignia, *diademata capitis*, & gladium ad defensionem ecclesiæ & imperii de manu pontificis acceperit. ceterum se contra insidiantes defensurum vicarium beati Petri, quem ad sarciendam concordiam, & reconciliandum sibi parentem induxit.

Quarto iniquum esse dicit Ludovicus, quod eumdem apostolicum ad se venire prohibeant. Immo vero ait Lotharius, se eum adduxisse superatis alpium obstaculis, eumque in sua ipsorum ac Dei causa audiri suppliciter postulare.

Quinto Lotharium accusat pater, quod fratres suos ab officio abducat, & in ipsum commoveat. Contra reponit Lotharius, se abjectos & fugatos ad patris clementiam reduxisse; ac rogare, ne eos insontes abdicare ac perdere velit, immo potius pro paterno affectu eorum misereri.

Sexto denique objicit Ludovicus, quod vassallos suos filii injuste recipiant ac retineant. Respondet Lotharius, rem longe aliter habere, quippe qui solum dispersos & in exsilium actos, & ad se atque ad pontificem confugientes exceperit, ut eos imperatori reconciliet, quos viros inclytos & illustres, ac domino suo semper fideles fuisse noverat.

VIII. Gregorius Ludovicum adit incassum.

Hæc capitula perlata fuisse videntur per Bernardum episcopum, aliosque, qui ad regios filios a patre missi sunt, teste Astronomo, eos hortaturi, ad patrem ut redirent; & Gregorium Papam sciscitaturi, cur imperatori occurrere differret. Erant tunc utriusque partis exercitus in mutuo conspectu, Basileam inter & Argentoratum, imperatoris quidem in loco, qui ab eventu postea *Campus-mendacii* appellatus est, quod filii datam patri fidem fefellerint; filiorum vero in loco, qui *Rotfelth*, id est Rubeus-campus, dicitur. Nunc, mutato infami nomine, *Rotleube* vocatur, inter Brisacum & Illum fluvium situs, ut me monuit eruditus Johannes Schilterus, Jurisconsultus Argentoratensis, cujus hac de re epistolam in appendice referemus. Annalista Bertinianus asserit filios imperatoris cum papa consedisse *juxta Columb, qui deinceps Campus-mentitus vocatur*. Columbarium * opidum esse vix dubito: quo in loco Gregorius papa a epistolam dedit Aldrico Cenomannorum episcopo, vetans ejus causas ab alio, quam à Romano pontifice judicari, quæ epistola data est *Coblambur* VIII. *idus Julii, indictione undecima*. Illic consederant utrimque exercitus VIII. kalendas Julii, in ipso natali sancti Johannis. Ergo Ludovicum adit Gregorius, non eo, quo decuit, exceptus honore, quod serius ad eum venisset. Factum excusavit pontifex, seque non ob aliud venisse dixit, quam ut pacem & concordiam inter patrem ac filios reformaret. Munera tamen invicem data, cum a pontifice, tum ab imperatore per Adalungum venerabilem presbyterum & abbatem Vedastinum. Quas pacis conditiones proposuerit pontifex, incertum; ac quidquid postulabant filii, à patre fuisse rejectum auctor est Theganus, Ludovico cetera favens. Remissus ab imperatore Gregorius ad filios, ut pacem inter se se componeret; nequaquam deinceps redire, uti condictum fuerat, permissus est.

* Colmar.

a Analect. to. 3. p. 277.

IX. Ludovicus comprehenditur.

Nocte reditum pontificis insequente, quæ sancti Pauli festivitas erat, discessum à Ludovico est, etiam a plerisque, qui ei adhærebant; & tantum-non impetus in eum factus. Tum filios monet pater, ne se furenti multitudini exponi sinerent. Respondent illi, castris relictis ut ad ipsos veniat. Accedenti honorifice in speciem illi occurrunt, equis desilientes, ut patrem amplexentur. Ludovicus cum Carolo filio

ANN. CHR. 833.

in castra Lotharii abducitur: Judith Dertonam apud Ligures relegatur. *Tunc ab eodem sancto viro*, inquit Paschasius, quodam scilicet Romano, *& ab omnibus qui convenerant, adjudicatum est*, imperium de manu patris cecidisse, ut Lotharius illud relevaret, & acciperet. Si non acquiesceret Lotharius, (ludus erat) dixerunt omnes, alterum ab se eligendum, qui eos tutaretur ac defenderet. Assensit haud gravate Lotharius, repugnante cum Paschasio Wala, qui sua demum consilia nihili pendi animadvertens, ab utrisque discessit, salutato Ludovico, qui eum, uti & Lotharius, retinere conatus est, atque Italiam petens, in Bobiense sancti Columbani cœnobium se recepit: ubi a fratribus electus abbas, illud a communi aliorum monasteriorum clade intactum servavit, idque nobiliter ac pacifice usque ad obitum rexit. Gregorium papam Ludovici dejectioni haud acquievisse satis declarat Astronomus, scribens, eum his visis *cum maximo mærore* Romam revertisse. quo tempore itidem Pippinus in Aquitaniam, & Ludovicus in Bajoariam reversi sunt. Idem de Gregorio Nithardus tradit.

Wala Bobium se recepit.

X. Ludovicus apud sanctum Medardum inclusus.

Lotharius itaque Ludovicum in potestate cum Carolo habens, conventum generalem Compendium ad kalendas Octobris indixit. tum, Carolo Prumiæ commendato, non tamen tonso, Suessionas venit cum patre, quem in monasterio sancti Medardi sub arta custodia servari præcepit. Lotharii hac in re consilium aperit Ludovicus ipse in libro de translatione sancti Sebastiani. Sciebat Lotharius, ordinem monasticum patri maxime curdi esse; & monasterium sancti Medardi præ ceteris ipsi placere: ubi forte se monachum fieri ultro postularet. Atque ut facilius eo induceretur, submissi quidam, qui assererent, Juditham ejus conjugem factam sanctimonialem, immo, quod veri similius erat, mortuam esse; Carolum filium minorennem, quem patri amantissimum esse noverant, tonsum, & monastico habitu indutum. Verum rei veritatem edoctus est imperator, immissa schedula per Harduinum monachum, qui missas quotidie coram eo celebrabat. Ludovicus nihilo minus de relinquendo sæculo cogitabat, ne sui causa, imperium in discrimen adduceretur. verum ab hoc consilio eum revocavit Teutherus, religiosissimus ejus cœnobii præpositus, qui usque ad mortem pro sibi commissis decertandum esse persuasit. Hinc est, quod, cum Lotharius ejusque asseclæ eum inducere conarentur ad perseverandum in monasterio *omnibus diebus vitæ suæ*; ille vero prorsus abnuit, nec eorum voluntati consentire voluit, teste Thegano.

XI. Exauctoratur.

Venit tandem dies illa, æternis involvenda tenebris, dies kalendarum Octobrium, qua conventus generalis Compendium indictus à Lothario fuerat, ut in frequenti omnium ordinum consessu patrem imperio, quod jam occupaverat, sollemni ritu deturbaret, ipseque imperator ab omnibus agnosceretur. Adfuere in primis episcopi, Lotharianæ partis fautores, quorum Ebo Remorum antistes antesignanus erat. Congeruntur multa in imperio a Ludovico perperam, ut illi objiciebant, facta, non aliter diluenda, quam publicæ pænitentiæ remedio, quæ cum imperio conciliari non poterat. Octo hac de re capitula instruuntur, quæ Ludovicus Compendium adductus agnoscere cogitur, revocatis in memoriam factis, in speciem severioribus, quæ in conventu Attiniacensi jam olim expiaverat; ob eaque omnia publica ei pænitentia imponitur. Post hanc confessionem, quantumvis extortam, ad sanctum Medardum reductus, schedulam eorum erratorum, suæque confessionis ob futuram memoriam sacerdotibus tradidit, quam illi super altare posuerunt. Tum infelix princeps, cingulo militiæ deposito, & super altare itidem collocato, veste regia exutus, habitum pænitentis per manus episcoporum accepit: cujus hæc lex erat, *ut post talem tantamque pænitentiam ad sæcularem militiam redire*, atque adeo imperium resumere, quod Wambæ regis exemplo apud Hispanos patuit, nulli ultra liceret. Sic lugubrem scenam depingunt ipsius exauctorationis acta, quæ in scelesto illo Compendiensi conventu fabricata sunt. Astronomus optimum principem absentem & inauditum, nec sane convictum, hac ferali sententia multatum fuisse dicit, atque ante corpora sancti Medardi confessoris & sancti Sebastiani martyris arma deponere ante altare coactum, pullaque indutum veste in artissimam retrusum custodiam. Episcopos vero paucos tanto facinori contradixisse, plures assensum præbuisse; maximam partem, ne primores offenderent, verbo tenus consensisse. Hæc est illa funesta tragœdia, quam vetus quidam sancti Galli chronographus *Francorum dedecus* merito vocat. Certe, si quid peccaverit optimus princeps, hoc secundæ conjugis, hoc nati ex ea filii amor; hoc nimia fortasse in Bernardum confidentia fecit: quorum priora duo privignorum, hoc postre-

ANN. CHR. 833.

mum aliorum procerum invidiam & indignationem inflammavit. Inter episcopos præcipui secundum Ebonem auctores fuere Agobardus Lugdunensis, Barnardus Viennensis, Bartholomæus Narbonensis, Jesse Ambianensis, Helias Tricassinus, & Heribaldus Autisiodorensis. Ebo a Lothario ad perfidiam sive perpetrandam, seu remunerandam, donatur abbatia * sancti Vedasti, quæ Adalungo abbati, Ludovici partibus addictissimo, erepta fuit. Post hæc, Lotharius patrem secum Aquas hibernatum duxit, eoque in pervigilio sancti Andreæ pervenit, ubi pater sub fida custodia detentus est.

a Frod. li. 2. c. 20.

XII. Filii duo factum improbant.

Interea Ludovicus & Pippinus, audita patris exauctoratione, ejus sortem miserari, fratrique Lothario indignari cœperunt. Populi quoque Aquitaniæ, Franciæ, Burgundiæ & Germaniæ palam factum improbarunt, Lotharium aversati, qui tantum facinus in optimum parentem perpetrasset. Ludovicum in primis pupugit paternæ calamitatis dolor, ideoque e Bajoaria Francofurtum accedens, primum legatos ad fratrem misit, Gozbaldum scilicet abbatem Altahensem, & Morhardum comitem palatinum, flagitaturos, ut mitius cum patre ageret; tum alios ad patrem, cujus alloquendi copia eis negata. Nec quidquam etiam profecit colloquium cum Lothario, qui Moguntiæ Ludovicum fratrem convenerat. Impulsus demum ad liberandum patrem Pippinus, conjunctis ambo fratres copiis, Lotharium male parto imperio non diu gaudere siverunt, ut anno sequenti dicturi sumus.

XIII. Aldricus Senonum antistes abbatiam sancti Remigii alio transfert.

* Vareilles.

b Spicil. to. 2. pag. 579.

Expers hujus sceleris fuit Aldricus Senonum pontifex, qui per id tempus suburbanum cœnobium sancti Remigii in villam Vallilias * seu Valliculas, quæ ab ea urbe octo passuum millibus distat, transtulit. Hujus transmutationis causam idem exponit in litteris hac de re confectis, quas ad hunc annum Labbeus & Cointius referunt; Acherius noster, primus b earum editor, in annum sequentem. Incertum annum reddit defectus notarum chronicarum in editis; nec desunt conjecturæ, quæ eas post mortem Ludovici imperatoris summovendas suadeant. Certe his litteris subscribit inter alios Fulconinus Wormatiensis, cui sedi ad hunc annum præsidebat Bernardus seu Bernharius in sententia ipsius Cointii, hunc esse Bernardum existimantis, qui à Ludovico augusto ex urbe Wormatia hoc ipso anno, ut Astronomus scribit, missus est ad filios ei reconciliandos. At ne hoc privilegium ultra hunc annum rejiciatur, obstat diploma ejusdem Ludovici, ratum habentis hoc privilegium Aquisgrani XVI. kalendas Decembris, anno imperii sui vicesimo-secundo, indictione decima-tertia jam inchoata. Inscriptum est Aldrici privilegium *Dominis sanctissimis & reverendissimis fratribus & coëpiscopis, religiosissimis quoque & venerabilibus abbatibus in ditione domini imperatoris Hlotharii serenissimi augusti constitutis.* qui titulus Ludovicum imperatorem vel exauctoratum, vel mortuum indicat. Tum, præmissa præfatione, Al-
» dricus commemorat, quo pacto cellam sancti Remigii confessoris Christi, in subur-
» bio civitatis positam, prædecessorum suorum tempore magnopere afflictam, ubi mo-
» nachi, propter inopiam & importunitatem loci, regulam sancti Benedicti observare
» non poterant, ad Valliculas transmutare censuerit cum consilio fratrum suorum,
» canonicorum scilicet ac monachorum, necnon fidelium laïcorum, eodem etiam trans-
» latis prædiis, quæ Rothlaus matrona ob amorem Dei & remedium animæ viri sui
» Meginarii, parentumque ac liberorum suorum eidem cellæ quondam legaverat, ut
» divinus cultus ibidem perpetuo ageretur. quæ omnia singillatim enumerat, in summa
» *mansa centum-nonaginta, & hospitia decem & novem.* Dein agit de ordinando per
» episcopum abbate, quem monachi ejus monasterii ex seipsis elegerint; alias, si in-
» ter eos idoneus ad regimen non fuerit, ex eadem parochia vel diœcesi Senonica,
» consentientibus sanctis coëpiscopis ejusdem diœcesis, & circumpositis venerabilibus
» abbatibus. In aggregandis porro monachis hunc modum ab ejus loci abbate teneri
» jubet, ut tricenarium numerum non excedant, donec rerum copia major succres-
» cat. Denique cavet, ut ne episcopus in exigendis muneribus abbatem gravet, sed ei
» sufficiant annua dona, nempe equus unus, & scutum cum lancea. Cum vero ad ex-
» peditionem publicam ire jussus fuerit, addenda præcipit ex eodem loco carra duo,
» unum vini, alterum farinæ; ac verveces decem. Hæc autem omnia vir sanctus a prædictis episcopis & abbatibus confirmari cupit. His litteris subscribunt præter Aldricum episcopi viginti-quinque ex metropolibus Senonens., Remensi, Turonensi, Narbonensi, Viennensi, Vesontionensi, & Moguntina: & post eos quatuor abbates, *Boso ex monasterio sancti Benedicti*, seu Floriacensi, *Adrevaldus ex Noviacensi*, *Deidonus*

donus ex Reomaeusi, *Christianus abbas sancti Germani* Autissiodorensis. Cointius Adrevaldum putat abbatem fuisse monasterii Noviacensis in dioecesi Aventicensi seu Lausannensi. Valde inclinat animus ad Adrebaldum, qui tum Flaviniacensi Burgundiae monasterio praeerat. ANN. CHR. 833.

Hunc annum haud praetergressus est Ansegisus abbas Fontanellensis, qui annos decem ac menses quatuor non integros Fontanellam rexit. Annum signat mortalis ejus dies a chronographo ejus loci assignatus, nempe tertius-decimus ante kalendas Augusti, *Dominica illucescente*, quae hoc anno in praedictum diem incidebat. Sepultus est eodem die extra basilicam sancti Petri, ad aquilonarem plagam, scilicet *in porticu, in qua fratres conventum celebrare soliti sunt, & consultis Deo dignis aures accommodare*. Capitulum vocamus, ab eodem Ansegiso constructum *juxta absidam basilicae sancti Petri ad plagam septemtrionalem*, quam *domum conventus* seu *curiae*, *quae graece beleuterion* * *dicitur, appellari placuit*, propterea quod fratres istuc ad consilium conveniant; ibique *in pulpito* quotidie lectio divina recitetur, ait idem auctor, & quidquid regularis auctoritas deliberandum suadet, deliberetur. Ibidem *monumentum nominis sui*, id est sepulcrum suum, collocari jussit Ansegisus, ubi post mortem a suis deponeretur. Haec auctor ejus temporis aequalis, longe praeferendus Adsoni abbati Luxoviensi, qui sub finem saeculi decimi scripsit, Ansegisum sepultum fuisse in Luxoviensi monasterio, cujus etiam abbas erat. Male notatur in domestico ejus loci kalendario sexto-decimo kalendas Augusti, mortuus utique tertio-decimo easdem kalendas, qua die in vetusto breviario Fontanellensi, quod abbas Claudius de Pictavia superiori saeculo typis edendum curavit, assignatur *commemoratio Anchisili monachi*. Ipso die nostri Fontanellenses, itemque IV. idus Novembris, qui forsan ejus elevationis dies fuerit, festivum officium agunt: quamquam breviarium Claudii de Pictavia commemorationem tantum Ansegisi praescribit, forte precatoriam, non festivam. Post ejus obitum locus regiminis triginta & octo diebus vacasse dicitur. Dein illud invasit Joseph episcopus Ebroïcensis, reclamantibus monachis, idque tenuit *in divortio* menses septem, cum duodecim diebus, nempe a sexto kalendas Septembris usque ad quartum idus Martii. Demum vero septimo-decimo kalendas Aprilis anni insequentis commissum est praedictum coenobium domno Fulconi in annos undecim & sex fere menses. Nihil de ejus actis habetur in appendice [a] antiquioris chronici Fontanellensis.

XIV. Ansegisi abbatis mors & successores.

* Βουλευτήριον.

a Spicil. to. 3. p. 245.

Idem Ansegisus regimen coenobii Luxoviensis ad suum ipsius obitum videtur retinuisse: cui suffectus Drogo jam episcopus Mettensis, Ludovici augusti frater & partium fautor. Principio statim ejus regiminis Angelomus Luxovii monachus commentationes in libros regum, jam ab se rogatu fratrum inchoatas, ejusdem Drogonis jussu quatuor libris absolvit. Hoc opus, inquam, idem auctor *a quamplurimis fratribus, & etiam a nonnullis prudentibus & nobilibus viris* rogatus, *secundum magistri* sui *traditionem*, haud dubie Rabani, aggressus est, quod a nullo veterum doctorum ex integro libri regum expositi, saltem illis in partibus, haberentur. quo comperto, Drogo Angelomo imperavit, daret operam, ut coeptum opus quantocius ad calcem perduceret. Tantae auctoritati resistere non valuit Angelomus, non solum quia Drogo *filius erat praestantissimi Caroli caesaris*, adeoque *frater mitissimi Ludovici principis*; verum etiam *quia erat praeclarus pontifex*, *& abbas egregius* ipsius auctoris. Contextum est hoc opus ex libris veterum tractatorum, & ex iis, quae *a magistro* aure hauserat, interjectis identidem propriis sententiis.

XV. Angelomi Luxoviensis monachi commentaria.

Eumdem laborem aggressus est in Cantica canticorum, praemissa ad Lotharium augustum praefatione, cui hoc opus nuncupavit sub hac inscriptione: *Gloriosissimo, praestantissimoque imperatori Lothario semper augusto, Angelomus ultimus monachorum.* Initio praefationis innuit, se litteras docuisse in palatio Lothariano. sic enim haec verba interpretari licet. *Nuper excubantem me in vestro sacro palatio, sub obtentu inquam traditionum liberalium artium, enucleationumque divinarum scilicet scripturarum, dignata est vestra sagax prudentia, sicut non est immemor, accersire vestrae solerti praesentiae, mecumque habere oraculum*, nempe *ut juxta sensum antiquorum patrum* Cantica canticorum explanaret. Verum Angelomus id injussu *magnifici domini & abbatis* sui *Drogonis*, ipsius Lotharii patrui, suscipi ab se nefas esse dicit, ne regularem excedere videretur disciplinam. Lotharii voluntate comperta, Drogo non modo non renuit, sed, ut Angelomus id operis protinus subiret, mandavit. Mox ille opus ag-

ANN. CHR. 833.

gressus est, concinnavitque ex doctorum sententiis sanctorum, maxime beatissimi papæ Gregorii, *& ex traditione magistri* sui, eochiridii instar, quod opportunis horis Lotharius lectitaret. Hoc opus videtur editum vivente adhuc Ludovico augusto, cujus auctor meminit in eadem præfatione, ubi Drogo dicitur *frater sanctissimi & piissimi genitoris vestri*, inquit Lotharium compellans, *Ludovici*; dicturus *divæ memoriæ*, aut quid simile, si Ludovicus e vivis excessisset. Unde memoria lapsus est Bellarminus cum ait, in eadem præfatione laudari Lotharium augustum, quod, imperio dimisso, monachus factus sit, & in monasterio obierit. cujus facti, quod aliuode certum est, nec vola, nec vestigium exstat in illa præfatione, quæ Lothario viventi, & quidem superstite, ut videtur, parente, inscripta est.

XVI. S. Maxentii cœnobium instauratum.

Apud Pictones hoc aono Abbo abbas, & Gundacer prior abbatiæ sancti Maxentii præfuisse dicuntur in chronico Malliacensi. Huc spectat Pippini regis diploma subdititium quidem, sed multa nihilo minus veritati haud absona contioeos. In eo
„ Pippious rex in pervigilio paschæ istuc accessisse dicitur, atque regio more exceptus
„ fuisse, sed absque signorum pulsione & cantu; deductusque ad tumulos sanctorum
„ Maxentii & Leodegarii, quorum corpora illic requiescebant. Dein loto corpore,
„ ut tum moris erat, ob festi religionem, regia veste indutus, divinis interfuit officiis.
„ Reverteoti ab ecclesia supplices ad ejus pedes procubuère monachi cum Guodacro
„ priore, qui regi mærens miserabilem exposuit monasterii sui statum: cujus olim
„ possessio millium amplius quindecim mansuum reditibus constaos ex munificentia
„ regum, tunc *ad decimi millsarii decimam* redacta esset. Ad hæc abbatia in manus
„ laïcorum tradita, destituta proinde abbate regulari seu monacho, qui locum se-
„ cundum regulam sancti Benedicti regat, imposito sibi Abbone abbate sæculari. In-
„ super collapsa ædificia, quæ denuo erigi non possint ob defectum lignorum ad sarta
„ tecta restauranda. His commotus Pippinus, prædia monachis restitui jussit; aut,
„ si qua in beneficium data in præsens restitui noo possent, nonas & decimas ex eis
„ persolvi. Abbonem vero monachum fieri, & regulariter monachis præesse; denique
ligna ex silvis regiis ad reoovanda ædificia suppeditari. Hæc fere summa prolixi qualiscumque instrumenti, cujus vitiosi chronologici charactetes, uti & ipse contextus; sed tamen summa probabilis.

XVII. Witlasii regis dona Crulandæ.

a Ingulf fol. 487.

In Anglia Witlasius rex Merciorum, qui olim per quatuor menses apud Crulandam insulam in cella Etheldritæ sanctissimæ virginis, cognatæ suæ, ob metum regis Egberti servatus fuerat; memor beneficiorum a Siwardo abbate tunc acceptorum, iosignia eidem monasterio dona [a] confert, nempe calicem aureum, crucem auream, tabulam capellæ propriæ, laminis aureis deauratam; ad hæc jus hospitii abbati & monachis datum in quibusvis ejus regni civitatibus & castellis regiis; jus item asyli per designatas metas. Idem rex secretario seu æditua ejusdem mooasterii in ministerium altaris offert chlamydem coccineam, qua in sua coronatione indutus fuerat, *ad capam sive casulam faciendam*; tum in ecclesiæ ornamentum velum suum aureum, *quo insuitur excidium Trojæ*, in suo anniversario e parietibus suspendendum; denique refectorario, ad usum præsidentis in refectorio, scyphum deauratum, quem *crucibolum* suum solitus erat vocare. Ad extremum omnes donationes eidem monasterio factas confirmat, edito chirographo, quod signo crucis muniit, ac domno Siwardo abbati, quem patrem suum dicit, atque Etheldritæ sanctissimæ, pro Christi amore ibidem reclusæ, cognatæ suæ, tradidit in civitate Lundonia, coram pootificibus & proceribus totius Angliæ, qui eo coovenerant ad capiendum consilium contra Danicos piratas, litora Angliæ assidue infestantes: eidemque chirographo seu diplomati subscripseruot anno Christi Domini octingentesimo tricesimo-tertio, in festo sancti Augustini coofessoris, doctoris & apostoli istius gentis. Non multo post ibidem obiit sanctissima virgo Etheldrita, sepulta ad caput sancti viri Tatwini, qui sanctum Guthlacum olim instituerat. Ibidem etiam Witlasius filium suum Wimundum ad latus dextrum virginis sepeliendum curavit, uxorem vero Celfredam ad sinistrum; eodem in loco & ipse humandus, nisi antea sepulturam suam Ripadio monasterio devovisset.

Etheldritæ virginis obitus.

XVIII. Monasterium S. Johannis de Rupe conditur.

Circa idem tempus apud Aragones mooasterium sancti Johannis de Pinna seu de Rupe constructum, præeunte Johanne eremita de Atheris dicto, religiosæ vitæ anachoreta, qui locum primus incoluit. Huic successere nobiles duo fratres Cæsaraugustani, æque sancti, quos Benedictus & Marcellus excepere tempore Enniconis

Aristæ regis, hoc est sub annum hujus sæculi tricesimum. Iisdem accessere nonnulli clerici vitæ monasticæ desiderio, quibus accolæ monasterium condiderunt, præfecto Transirico abbate. Eumdem locum rexit Atilus abbas, cujus tempore Garsias Ximenes, rex Pampilonis seu Navarræ, & Galindus comes ecclesiam sancti Martini de Cellis tradunt *Deo & beato Johanni-Baptistæ, & abbati Atilo, & monachis ibi Deo servientibus*, ut in ejus monasterii historia legitur. Idem Atilus Cellensis abbas fuerat, forte antequam hic locus sancti Johannis monasterio uniretur. ANN. CHR. 833.

ANNUS insequens tricesimus-quartus præcedentis infamiam & dedecus abolevit, restituendo in thronum Ludovico augusto, qui tam injuste solio deturbatus fuerat. quod quemadmodum acciderit, paucis hoc loco præmittendum est ad res subsequentes illustrandas. Post festum epiphaniæ Ludovicus Bajoariæ rex, parentis sortem præ ceteris miseratus, iterum legatos suos ad eum misit, Grimoldum venerabilem abbatem atque presbyterum Weissenburgensis monasterii, & Gebehardum ducem. qui Aquas profecti, alloquendi Ludovici copiam habuerunt quidem, sed in præsentia duorum insidiatorum, Otgarii scilicet episcopi, an Moguntini, & Richardi perfidi hominis, qui Lothario adhærebant. Verum cum legatis arcana, quæ in mandatis a Ludovico rege habebant, Ludovico suggerere ob insidiatores præsentes non licuisset; salutato augusto, & nutu quo poterant, filii commiserationem testati, discesserunt. E Germania etiam Hugo abbas, Ludovici augusti frater, in Aquitaniam accedens, Pippinum ad ferendum patri auxilium incitare contendit. Ad hæc magni in Francia & Burgundia motus. nam in Francia Eggehardus comes, & Willelmus comes-stabuli: Bernardus & Warinus in Burgundia populos adversus Lotharium conciverunt. Quibus rebus perceptis, Lotharius Parisios venit, omnesque suarum partium homines huc adesse præcepit. Adductus cum eo Ludovicus imperator cum Carolo ejus filio, Prumiæ antea commendato. Prope erat ut prœlium iniretur, quod Ludovicus, sui suorumque territus periculo, precibus atque auctoritate prohibuit. Inter ea Pippinus ex Aquitania cum valido exercitu, Warinus & Eggehardus e Burgundia cum magnis item subsidiis convolant. Instabant quadragesimæ dies. Ab his missi ad Lotharium legati Rabaldus abbas & Gautselmus comes, patrem ut in libertatem assereret, sin minus, armis repetendum. Ad hæc Lotharius, nemini omnium magis cordi esse parentis felicitatem, cujus detentionem non sibi, sed episcopis & proceribus imputandam. Inde condictum, ut rei communi consilio componendæ causa missi utrimque convenirent. Verum, mutato statim consilio, Lotharius, patre cum Carolo in monasterio sancti Dionysii relicto, Viennam abiit. Tum vero ii, qui cum Ludovico remanserant, eum ad resumenda imperii insignia hortantur. quod piissimus princeps in sequentem dominicam, quæ quadragesimæ secunda erat, differendum censuit. qua die per episcopos in basilica sancti Dionysii ecclesiæ reconciliatus, & manibus eorum armis, quibus exutus fuerat, denuo cinctus, in thronum restitutus est, communi omnium lætitiæ conspirantibus elementis, quæ ex magna intemperie in serenitatem maximam subito conversa sunt. Dein cum Carisiacum ad Isaram adiisset, Pippinum & alios ad se venientes media quadragesima in gratiam recepit, eoque in Aquitaniam dimisso, Juditham ex Italia revocavit. Id factum per Ruadbernum laïcum, cui hoc nomine Walafridus Strabo [a] carmine gratulatus est, reducentibus Rataldo episcopo & Bonifacio, qui *gratum munus* [b] imperatori reddere.

ANN. CHR. 834. XIX. Ludovici augusti restitutio.

Interim Lotharius in Cabilonem sævit, ibique, quotquot Ludovico fideles erant, oppressi. Gerberga sanctimonialis, Willelmi quondam ducis filia, Bernardi camerarii soror, vase vinatico inclusa, in profluentem Ararim, tamquam venefica, demersa est. His auditis, Ludovicus, qui post pentecosten ad opidum Lingonum profectus fuerat, Marcwardum abbatem Prumiensem, aliosque ad Lotharium misit, monens, ut a pravis cœptis desisteret. Legati cum duris verbis rejecti. Offensus ea de re Ludovicus eum armis tandem persequi cœpit. Lotharius viribus impar, Cabilone Augustodunum, tum Aurelianos, inde ad villam pagi Cenomannici, Matvallem dictam, ubi Aninsula sancti Carilefi monasterium situm est, perrexit: quo Ludovicus eum persequitur. tum Lotharium retro castra moventem demum assecutus prope castrum Blesense, ubi Ciza amnis in Ligerim influit, supplicem ad se venire coegit, paternaque auctoritate acriter, ut par erat, increpuit; deinde miseri-

a Canis. to. 6. p. 631.
b Nithard. lib. 1.

cordiam imploranti ignovit, ab eoque sacramento exacto, ipsum propere in Italiam decedere imperavit.

ANN. CHR. 834.

Inter hæc Ebo Remorum antistes, fuga sibi consulendum ratus, Fuldam ablegatur: tuncque Adalungo restituta est sancti Vedasti abbatia, ubi Hildemannus Bellovacensis episcopus, Lotharianæ partis fautor creditus, tempus synodi exspectare jussus, quæ postero anno apud Theodonis-villam celebranda erat. Per id tempus contigit id, quod Adrevaldus ª narrat de Odone comite Aurelianorum, monachis Floriacensibus nuper infesto, deque Willelmo comite Blesensi, & Guidone Cenomannensi, ac Teutone abbate sancti Martini, id est Majoris-monasterii, aliisque Ludovici augusti fidelibus, qui contra Lantbertum & Matfridum comites pugnando mortem oppetiere. Hic est Lantbertus comes Andecavensis, de quo mentio est in libro secundo ᵇ de sancti Dionysii miraculis, ubi agitur de villa beati Dionysii sita in pago Andecavensi, nomine Pontiniaco, ex qua Rothelinus judex vicini fisci Balciati quædam mancipia injuste retinebat, reclamante Pugnito sacerdote monasterii, qui hanc villam procurabat. Lantbertum comitem adit Pugnitus, ut rem judiciu finiat. Comes aliis occupatus, vicario suo, nomine Giramno, causam committit, quarta-decima die *secundum jus* decidendam. Adveniente die, quæ sancti Dionysii passione insignis est, Rothelinus cum multis armatis & loricatis in judicium procedit, Pugnito mortem intentans, nisi de aliis sibi rebus satisfaceret. Pugnitus non armis, sed jure causam finiendam respondet: ceterum, si ipsum feriat Rothelinus, sanctum Dionysium non passurum, ut moreretur inultus. Nec mora, sex Rothelini milites loricati, in amentiam versi, pœnas pro domino suo dedere.

Floriacenses & Dionysiani vindicati.

a *Adrevald. c.* 10.

b *Sæc.* 3. *parte* 2. *p.* 358.

XX. Raduini monachi visio.

c *Frod. lib.* 2. *c.* 19.

Ebone Fuldam relegato, Fulco presbyter Ludovici jussu Remensem ecclesiam administrandam accepit, atque adeo sancti Remigii abbatiam, quam Ebo nepoti suo cognomini commiserat. Tunc veritas patuit oraculi, Raduino ᶜ monacho prius facti in basilica Remigiana, qui, dum festo die assumtionis sanctæ Dei-genitricis Mariæ post matutinas laudes, reliquis fratribus ad quietem reversis, solus in choro remansisset, in soporem resolutus beatissimam Dei-genitricem, comitantibus sanctis Johanne Evangelista & Remigio, conspicuam sibi videre visus est, ipsique prædixisse, non bene cessurum Eboni, quod, relicto grege, palatii limina passim tereret. Raduinus monachus, genere Langobardus, abbas quondam exstiterat monasterii, in monte Bardonis siti sub sancti Remigii patrocinio, cujus amore hic in Remense monasterium, ejusdem sancti pontificis corpore insignitum, se receperat, religiosam istic vitam cum ceteris ejus loci fratribus acturus.

XXI. Rabani quædam scripta.

Ludovico in dignitatem redintegrato Rabanus consolatoriam epistolam scripsit post calamitatem, quæ ei ex parte filiorum suorum acciderat, nondum in lucem editam. Eodem tempore composuit librum de reverentia filiorum erga parentes, vulgatum a Stephano Baluzio in novissima editione librorum de concordia sacerdotii & imperii, cum libro ejusdem Rabani de chorepiscopis, quem auctor Drogoni Mettensi episcopo nuncupavit. Idem commentarios suos in Judith & Esther dicavit Judithæ augustæ, postquam *hostes suos non parva ex parte vicerat*, ut docet ipsius Rabani præfatio, a nobis primum vulgata in ejus elogio: ubi divinum implorandum auxilium monet, ut qui suo sanguine mortem viceràt, in certamine istius mundi certam eidem victoriam pariat.

XXII. Attiniaci conventus.

Hoc ipso anno, *circa missam* seu festum sancti Martini in Attiniaci villa regia ad Axonam fluvium, conventus a Ludovico habitus est, ubi multa, cum in ecclesiasticis, tum in civilibus rebus, perperam in usum inducta religiosissimus princeps emendari curavit. Et primum quidem filio Pippino per Ermoldum abbatem mandavit, res ecclesiasticas, quas in regno suo vel ipse suis tribuerat, vel ipsi sibi præripuerant, incunctanter ecclesiis restitui. Ad hæc missi per civitates & monasteria discurrere jussi, ut ordinem ecclesiasticum, pæne collapsum, in antiquum statum reformarent. Missi etiam alii, qui prædonum ac latronum grassantem licentiam comprimerent. Quis sit ille Ermoldus abbas ad Pippinum missus, haud satis compertum, nisi ille sit Ermenaldus abbas Anianensis, qui anno sequenti privilegium a Ludovico imperatore obtinuit. Neque vero hunc esse existimem Ermoldum Nigellum, in exsilium a Ludovico ipso ablegatum, qui carmen de ejus laudibus quatuor libris composuit, a Lambecio ᵈ editis, quorum in libro quarto exsilium a se deprecatur, & Judith augustam in patrocinium advocat his versibus.

Ermoldus abbas.

d *Lambec. to.* 2. *bibl. cæsar.*

Non tamen excuso me illius, crede, reatus,
Infelix quo sum trusus in exsilium :
Sed pietas immensa, reis qua debita laxat,
Deprecor ut nostri sit memor exsilii.
Tu quoque digna sibi conjux, pulcherrima Judith,
Qua secum imperii culmina jure tenes :
Confer opem lapso, allisum solare misellum,
Erige labentem, carcere solve reum.

Erat is sine dubio Lotharianarum partium fautor, atque ideo in exsilium & in carcerem actus : at quamvis in libertatem assertus fuerit, haud veri simile est, eum ipsum postea legati honore a Ludovico affectum fuisse.

XXIII. Ludovici præcepta pro Anscherio & Corbeia-nova.

Versabatur Aquisgrani Ludovicus augustus die ascensionis dominicæ, pridie idus Maii, ubi postridie præceptum pro Anschario Hammaburgensi archiepiscopo dedit. Ex quatuor ejus diplomatis editionibus quintam Carolus Cointius accuravit, cujus diplomatis invocatio & inscriptio sic habent : *In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, HLudovicus divina favente & propitiante clementia imperator augustus.* Nondum in usu erat altera illa inscriptio, *divina repropitiante clementia*, quam idem imperator a sua restitutione adhibere solitus est, ut Deum suæ restitutionis auctorem palam testaretur. Post hæc omnibus significat, quo pacto « aquilonaribus in partibus, nempe in gentibus Danorum, Suecorum, Norweorum, « aliarumque septemtrionalium & orientalium nationum, evangelicæ prædicationis « & fidei ostio patefacto, multitudo ad Christi fidem accesserit : ubi sedem archie- « piscopalem instituere sibi visum sit, unde barbaræ illæ nationes æternæ vitæ pabu- « lum, & salutis gratiam acciperent. quod quidem a progenitore suo gloriosæ memo- « riæ Carolo cœptum, accersito ex remotis Galliæ partibus Amalario episcopo, qui « primitivam ecclesiam inter gentes Danorum & Winedorum consecraret ; dein He- « ridago presbytero ibidem instituto, cui cellam Hrodnace attribuerat, & episcopo « transalbianæ ecclesiæ consecrando, ni mors ejus ordinationem prævertisset. Itaque, « Carolo mortuo, imperfectum opus relictum Ludovico, qui eamdem cellam Indæ « monasterio contulit, vicinam vero ecclesiam vicinis episcopis commendavit, dum « ipse Hammaburgi sedem archiepiscopalem trans Albim constitueret : cui primum « archiepiscopum Anscharium *per manus Drogonis Mettensis & summa sancta palatina* « *dignitatis præsulis* consecrari curavit, eidem confirmans munus apostolicæ legationis, « quæ a sancta Romana ecclesia ei concessa fuerat, cella Turholto in supplementum « rei necessariæ eidem legationi attributa : quam cellam, uti & prædictam sedem ar- « chiepiscopalem, sub plenissima defensione & immunitatis tuitione consistere, & ab « omnibus publicis tributis immunem esse jubet. Actum Aquisgrani idibus Maii, anno « vicesimo-primo imperii HLudowici piissimi augusti, indictione duodecima. Hir- « minmaris notarius ad vicem Theodonis recognovit. Alius ergo erat, ut jam præmonui, hic Theodo seu Theoto cancellarius a cognomine abbate Majoris-monasterii, quem paullo ante in pugna Britannici limitis interiisse diximus.

Idem imperator sub finem hujus anni Warino abbati Corbeiæ-novæ cellam Meppiæ contulit VII. idus Decembris. *Actum Blanciaco.* Hoc diploma, quod in annalibus [a] Paderbornensibus vulgatum est, Hirminmaris notarius ad vicem Hugonis recognovit. Meppia nunc præmunitum opidum est ad confluentes Amasis & Hasæ in diœcesi Monasteriensi.

a *Annal. Paderborn. p. 98.*

XXIV. Herense monasterium desertum.

Non multo post, id est mense Junio sequenti, Herus insula monachorum cœtu omnino destituta fuisse perhibetur in veteri chronico Ecolismensi : ex quo emendandum Lemovicense chronicon Chiffletianæ editionis, uti demonstrat cædes Odonis & Lantberti hoc anno facta, quæ in hoc chronico Lemovicensi cum illa Herensium monachorum fuga componitur. Hujus fugæ causa fuit accessus Nortmannorum in illam insulam, cujus monasterium tunc Hilboldus abbas cum Deensi administrabat. Nortmanni anno insequente ibidem fusi a Rainaldo comite Herbatilicensi.

XXV. Retwili monachatus & munificentia in Rothonum, aliorumque.

Eodem tempore Ratwilus Armoricæ tyrannus, cum in morbum incidisset, in Rothonense monasterium se deferri jussit, cum juvenculo filio suo Liberio. Acce-

ANN. CHR. 834.

denti obviam processit Convoion abbas cum discipulis, eumque in basilicam Salvatoris deduxit: ubi fusæ ad Deum pro eo a fratribus preces; ejusque restituta valetudo est. Ipso die quo istuc accessit, Convoionem rogavit, ut ipsum tonderet, & comam ipsius barbamque raderet. Ille vero *eum totondit*, sicque *factus est clericus*, atque adeo monachus. Idem ipso die filium suum Liberium Deo in eodem loco serviturum obtulit, & partem hereditatis suæ sancto Salvatori ac fratribus Rothonensibus contulit, nempe villam *Binnon* cum aliis adjacentibus. Dein reversus domum, pacem inter filios suos composuit, divisaque inter eos hereditate, demum in monasterium revertit, sibique mausoleum inibi parari præcepit, mortuus non multo post VI. idus Januarias. Tempus factæ donationis exprimunt ejus litteræ, datæ XII. kalendas Julii, anno imperii Ludovici vicesimo-primo. Ratwili exemplo filius ejus Catworetus filium suum Deo in eodem monasterio tradidit cum parte hereditatis, ibidemque post mortem ad patrem appositus est. Quin etiam multi religiosi viri ac nobiles eodem in loco filios suos obtulerunt Deo; sed & *sacerdotes magni* eodem secedentes, sæculo nuntium remiserunt. Ex his, qui in Rothonenses munifici exstiterunt, præcipuus fuit *missus imperatoris Ludovici Nominoë* seu Nomenoius, postea Britanniæ dux, qui monachos ibidem *regulam sancti Benedicti tenentes* invisit, eisque res quasdam donavit *in eleemosyna Ludovici imperatoris*, anno ejus imperii vicesimo-primo: cujus rei litteras cum aliis ad vitam sancti Convoionis retulimus. His litteris post alios subscripsit Raginarius episcopus, scilicet Venetensis, quinta feria, XIV. kalendas Julii.

XXVI. Florbertus abbas Glonnensis. a *Lib. 29. n. 74.*

Glonnense sancti Florentii apud Andecavenses monasterium regebat hoc tempore Florbertus post Hilboldum, cujus superius [a] facta mentio est. Hunc Ludovicus imperator ex Italia cum monachis, quos eo direxerat, revocasse dicitur. Quam ob causam in Italiam missus sit cum monachis suis, incertum. Erunt forte qui id factum suspicentur, quod is conjurationis in Ludovicum factæ particeps creditus sit. at cur in Italiam relegatus fuisset, ubi Lotharius rerum potiebatur? an vero causa restituendæ alicubi monasticæ disciplinæ, nec magis exploratum. Exstat in appendice Ludovici hac de re diploma, quo princeps Florbertum abbatem, ejusque monasterium regia tuitione dignatur.

XXVII. Fridugiso abbati Sithiensi succedit Hugo. b *Diplom. p. 613.*

Hoc ipso anno ex hac vita migravit Fridugisus abbas Martinianus & Sithiensis. In posterioris loci regimine successit Hugo filius Caroli Magni, ac Ludovici augusti frater, idemque abbas Quintinianus, e canonicis, cujus rogatu Ludovicus superiorum regum præcepta Sithiensibus confirmavit, edito diplomate [b] Aquisgrani idibus Augusti, anno imperii Ludovici vicesimo-secundo, indictione decima-tertia, non decima, ut in editis legitur. Hirminmaris notarius diploma recognovit ad vicem Hugonis abbatis, nempe Sithiensis, ut ex eodem diplomate constat, in quo is a Ludovico dicitur *dilectus frater noster Hugo, sacri palatii nostri archinotarius, & venerabilis abba monasterii Sithiu.* Hic anno regiminis sui primo juvenem elegantissimum, ait Iperius, beatum Grimbaldum in monasterium admisit, & monastica veste indui curavit. Idem damna monasterio a Fridugiso illata resarcivit, ut ex sequentibus patebit. Eidem Fridugiso in regimine Turonicæ sancti Martini basilicæ subrogatus Adalardus, de quo inferius erit plura dicendi occasio.

XXVIII. Casinenses abbates.

Decessit etiam hoc anno Deusdedit abbas Casinensis post annos fere sex præfecturæ; fame & ærumnis in carcere confectus, quo jussu Sichardi ducis conjectus fuerat. Hunc laudat ante Leonem Marsicanum Erchempertus, qui eum spectabilem, & Deo dignum virum ac sanctitate conspicuum dicit, necnon *beatissimi Benedicti vicarium*, quem Sichardus sæculari magis potentia, quam congrua ratione deposuit, ac custodiæ mancipavit. Ejus cineres nonnullis febre detentis, variisque languoribus oppressis crebro salutem attulisse memorantur. Hinc locus ei concessus in martyrologio Romano ad septimum idus Octobris, quo die ejus memoria sub ritu duplici colitur in monasterio Casinate. Hildericus ejus successor sedit tantum diebus decem & septem; nulla re gesta memorabilis, nisi quod opuscula quædam, in his Pauli Warnefridi magistri sui epitaphium composuit. Hunc excepit Authpertus in annos tres: quo abbate cum Casinatibus in gratiam rediit Sichardus Beneventanorum princeps, qui gualdum, id est silvam, vocabulo Martoranum, sancto Benedicto dedit. Contra Authpertus *per scriptum convenientiæ* eidem Sichardo quasdam curtes concessit, quas postea Guntarius abbas restituit beato Benedicto. In chronico

Beneventano leguntur chartæ quædam ejusdem Sichardi ducis pro parthenone sanctæ Sophiæ, cui hoc anno præerat Vileronia abbatissa, quæ Arrichisæ successerat. Ad annum primum Authperti abbatis revocandum est præceptum, quo Lotharius augustus confirmavit omnes donationes, a regibus & principibus eidem sacro monasterio factas. quod præceptum datum est IX. kalendas Martias, anno ipsius imperii decimo-septimo, indictione tertia-decima, in Papia civitate. Cointius [a] mavult anno imperii decimo-octavo. Idem imperator in Casinates & ipse munificus fuit, prato Cervario prædictis donationibus adjecto.

ANN. CHR. 834. S. Sophiæ abbatissæ.

[a] Coint. to. 8. p. 368.

SUccedit annus ejus sæculi tricesimus-quintus, qui indulgentiarum Ludovici appellari potest. Is, nataliciis diebus cum fratre suo Drogone episcopo celebratis, post purificationem beatæ Mariæ in Theodonis-villa conventum habuit. In eo rursus damnata ejus exauctoratio, vocatique in judicium illius auctores. Pauci ex his episcopi adfuere: Ebo Remorum antistes, e Fuldensi munasterio adductus; Hildemannus Bellovacensis, qui illic se purgavit, & forte Barnardus Viennensis, inde fuga elapsus. Agobardus ter vocatus adesse recusavit, ob idque gradu dejectus: alii episcopi conjurationis conscii in Italiam confugerunt. quod exsilii loco reputatum. Ceteris episcopis, qui ejus noxæ immunes erant, visum est, ut Ludovicus sollemni more in Mettensi ecclesia sancti Stephani denuo coronaretur, & majori cum pompa imperator ab omnibus agnosceretur. Id factum die dominica, quæ quadragesimam præcedebat. Illic Ebo, ambone conscenso, palam confessus est, se injustum in Ludovicum tulisse judicium, idque non solum voce, sed etiam libello ab se edito contestatus. Quin etiam, cum consilio electorum ab ipso judicum, Aiulfi archiepiscopi Bituricensis, Baduradi Patherbornensis, & Modoïni Æduensis episcoporum, regestæ in se exauctorationis sententiæ acquievit, ac Fuldam inde iterum relegatus est. Huic judicio subscripsit inter alios Hildemannus episcopus. quod argumento est, ejus innocentiam apud Ludovicum purgatam fuisse. Sic Ebo omni humano destitutus solatio, Judith augustam sibi reconciliandam putavit, misso per Framegaudum reclusum anulo, quem ab ea quondam acceperat in die natalis Caroli regis, qui ejus rei meminit in epistola ad Nicolaum papam. Inter episcopos, qui Ebonis exauctorationi interfuerunt, unus legitur Godolricus episcopus incertæ sedis, an is, cujus mentio fit in perantiquo nostro sancti Germani necrologio, in quo notatur XVIII. kalendas Julii *depositio Godalrici episcopi sancti Germani*, forte quod ex monachis hujus loci assumtus sit in episcopatum. Post pentecosten alius conventus Wormatiæ habitus, in quo Pippinus & Ludovicus adfuerunt. Ibidem Judith augusta Ludovico imperatori auctor fuit, ut mitius cum Lothario ageret, eumque sibi, filioque suo Carolo conciliaret. Denique post conventum Wormatiensem quartus Stramiaci * ad Rhodanum prope Lugdunum mense Junio celebratus est, in quo Barnardus Viennensis antistes adfuit quidem, sed fuga inde, haud scio an innocentiæ diffisus, postea discessit. In his locis fere omnibus præcepta a Ludovico edita sunt, de quorum nonnullis hic agendum.

ANN. CHR. 835. XXIX. Theodonis-villæ conventus & alii.

Ebonis depositio.

* *Cremieux.*

In Theodonis-villa conditum est præceptum pro Dusera monasterio, prope Rhodanum sito in comitatu Arausicano, obtentumque [b] ab Hildigiso abbate Dextri successore, qui ad Ludovicum profectus, donationem villæ Masteces, quæ est in pago Tricastinensi, monasterio suo a Warnario comite factam, imperiali diplomate confirmari curavit. Datum est hoc diploma in Theodonis-villæ palatio regio, pridie nonas Januarias, anno imperii Ludovici vicesimo-secundo, indictione tertia-decima; idque Hirminmaris notarius vice Hugonis recognovit. Hic est Hildigisus abbas, cui Lotharius augustus post annos quinque immunitatem a portoriis pro duabus navibus concessit. Utrumque diploma retulit Cointius ex Chiffletii historia Trenorchiensi.

XXX. Diplomata pro Dusera, Aniana, & S. Germano Autissiodorensi.

[b] *Supra lib.* 28. *n.* 15.

Iisdem anno & indictione, quibus supra, & quidem VIII. kalendas Julias, Stramiaci super fluvium Rhodanum Aldricus Cenomannorum antistes a Ludovico repetiit quasdam res ecclesiæ suæ, quæ ejus vassallis in beneficium concessæ fuerant. Ad rei veritatem indagandam missi ab imperatore Helisachar abbas & Wido comes, quos ille fideles suos vocat. unde intelligitur, Helisacharem abbatem in gratiam cum Ludovico tum rediisse. Veritate comperta, Ludovicus restitutionem fieri jussit. Ibidem adhuc versabatur XII. kalendas Augusti, cum ad preces Ermenaldi

ANN. CHR. 835. Anianæ abbatis Maurino vassallo suo ejusdem monasterii advocatiam commisit, & fugitiva ex villa sancti Martini mancipia revocari præcepit. Hæc tria præcepta retulit Cointius ex Chiffletio, Baluzio, & nostro Acherio. Quartum ex nobis ab eodem recusum est pro Christiano abbate monasterii sancti Germani Autisiodorensis, qui præceptum de libera eligendi abbatis facultate ab se amissum, cum imperatoris jussis obediret, ab eodem renovari petiit, impetravitque. Actum Lucovilla IV. kalendas Augusti, sub anno & indictione præmissis. quod diploma integrum habes in appendice actorum nostrorum Sæculi quarti.

XXXI. Aliud pro Floriaco. Dum in pago Lugdunensi moraretur Ludovicus, Normannorum irruptione in Frisiæ opidum Dorestatum accepta, e pago Lugdunensi Aquisgranum contendit, » ut hostium conatibus propius obsisteret. In eo itinere ad eum accessit Boso vene»rabilis abbas monasterii sancti Benedicti Floriacensis, rogavitque restitutionem sibi » fieri villæ Suncanti, regio vassallo, nomine Gislehario, in beneficium datæ, quam » Pippinus pro salute animæ suæ ac fratris Carolomanni eidem cœnobio quondam con» tulerat. Id negotii Jonæ Aurelianensi episcopo, & Hugoni illustri comiti investi» gandum commisit imperator, atque ex eorum relatu villam Suneatum cum aliis Bo» soni restitui jussit. Actum Cusiaco seu Cuciaco palatio regio IX. kalendas Septem» bris, anno itidem vicesimo-secundo Ludovici piissimi augusti. Hoc videtur Causiacum, * villa regia prope Compendium in pago Suessionensi. Est & aliud Cuciacum apud Meldos, de quo infra a; aliud item apud Arvernos, nostri ordinis parthenone insigne. In præmissis quinque diplomatis Ludovicus, *divina repropitiante clementia*, imperatorem augustum se dicit.

* Choisi.

a lib. 33. n. 58.

XXXII. Aliud item pro monasterio Montis-olivi. His adjungendum est diploma Pippini Aquitaniæ regis, quod Viliafredus abbas b monasterii Malasti seu Montis-olivi, in Carcassensi territorio positi super fluvium » Duranum, cooperante Oliba comite, obtinuit, ad confirmandam donationem villæ » Magnianaci, sitæ in pago Tolosano super fluvium Fiscavum, monasterio suo fac» tam, secundum limites a Godildo misso Willelmi comitis assignatos. Datum est » diploma in Teotvado * palatio apud Andecavos, kalendis Novembris, anno vice» simo-secundo HLudovici augusti, Pippini autem vicesimo-primo. quod Isaac cle» ricus ad vicem Dodonis recognovit. Idem Viliafredus abbas ante annos septem aliud præceptum ab ipso Pippino rege obtinuerat. Huic abbati successit Richimirus, cujus tempore post annos quinque lis de prædicta villa ventilata est in placito Narbonensi.

b Diplom. p. 523.

* Doué.

XXXIII. Alaonensis monasterii fundatio. Hoc anno perfectum Alaonense in Vasconia monasterium, ejusque basilicam a Sisebuto Orgelitano seu Urgelitano episcopo diœcesano dedicatam fuisse discimus ex præcepto c Caroli regis, Ludovici augusti filii, post decennium dato, quo ipsum monasterium, ejusque possessiones confirmantur ad preces Obbonii ejus loci abbatis, atque interventu Bartholomæi archiepiscopi Narbonensis. In hoc præcepto, quod non omnino sincerum est, Wandregisilus comes, quem rex consanguineum » suum vocat, post patris sui mortem Wasconiæ marchio a Ludovico augusto insti» tutus, totum territorium Alaonis, in dictæ Wasconiæ montanis locis situm ultra & » citra flumen Balictam, e manibus Sarracenorum eripuisse dicitur; ibique cum uxo» re sua comitissa monasterium in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ exstruxisse » consilio & consensu filiorum suorum Bernarthi, postea Wasconiæ marchionis, » Athonis Paliarensis comitis, necnon Antonii postea vicecomitis Biterrensis, atque » Asinarii Lupiniacensis ac Solensis vicecomitis: ubi *clericos monachos secundum regu» lam sancti Benedicti*, ex sancti Petri Serasiensi monasterio eductos, collocaverit. » quod quidem monasterium constructum sit, cum permissu & consensu Bartholomæi » tunc Narbonensis archiepiscopi, & Siseboti Orgellitani episcopi, *de cujus spiritua» litate locus est*, qui ecclesiam prædicti monasterii benedixit ex mandato Ludovici » augusti, præsentibus venerandis episcopis, Ferreolo de Jacca, & Involato Conve» narum; necnon abbatibus Oddoario Serasiensi, Hermengaudo Asiniensi, Oddoario » sancti Zachariæ, Fortunio Leigetensi, Doddone sancti Lavini *, Varino Alti-Fagiti, » Altilio sancti Fragilii, Transirico sancti Johannis Oriolensis, cum clericis & eremitis, » atque Stodilo abbate sancti Aredii Atanensis, qui ex Lemovicensi sancti Salvatoris » basilica ad novam sanctæ Mariæ ecclesiam lipsana Attonis quondam Aquitaniæ du» cis ac filii ejus Artalgarii comitis, Wandregisili patris & avi, comportavisse traditur in illo Caroli præcepto, in quo universæ illius monasterii possessiones ac donatores commemo-

c Aguirre to. 3. conc. p. 131.

* f Savini.

commemorantur. Cetera præterea in illo præcepto, quod datum in palatio Compendio dicitur, xii. kalend. Februarii, anno quinto Caroli regis, indictione viii. post decennium, quam idem monasterium dedicatum fuerat. Porro hoc præceptum, quale typis vulgatum est ex archivo Urgelitano, non omnino genuinum, sed veluti quoddam generale instrumentum est, quod Otto Urgelitanus episcopus incunte sæculo undecimo renovari curavit. Non amplius exstat hoc monasterium. ANN. CHR. 835.

XXXIV. S. Humberti abbatis Maricolensis elevatio.

Effluxerant anni supra centum quinquaginta-tres a morte sancti Humberti Maricolensis in Hannonia abbatis, cum Rodinus, hujus loci rector & instaurator, sacrum beati viri corpus e tumulo efferendum curavit. Hoc monasterium superioris sæculi bellis civilibus afflictum, & rectore monachisque pæne destitutum fuerat. Istuc cum accessisset venerabilis quidam sacerdos, Rodinus nomine, ab ejus loci fratribus interpellatus est, ut ejus regimen in se susciperet. Recusabat ille, tali se honore indignum existimans. Supplicantium tamen precibus demum expugnatus, Carolum Magnum adiit, eodemque annuente locum ad regendum, & ad cullapsa ædificia instauranda accepit. Reversus in monasterium, multa cum alacritate a fratribus excipitur. Post paullum de sancti Humberti corpore e tumulo efferendo cælitus admonetur. Indicto trium dierum jejunio, sepulcrum aperitur, ex quo mira odoris fragrantia manavit. Corpus sacrum cum linteaminibus pariter & floribus inclusis omnino integrum & illæsum repertum, cum annus, ut jam diximus, ab ejus obitu centesimus quinquagesimus-tertius verteretur; statimque e tumulo translatum est in basilicam, quam Rodinus amplificaverat. Lapsu temporis idem monasterium venit in potestatem laïcorum hominum, qui fere omnes ejus possessiones in usus proprios converterunt, inhabitantium Dei famulorum inopiam non magnopere curantes. Hinc monachis discedere coactis suffecti pauci clericuli, tandemque locus fere in solitudinem redactus. Ejus rei commotus indignitate Fulbertus episcopus Cameracensis, querelam deposuit apud Ottonem Magnum, Heinrici cognomento Aucupis filium, qui abbatiam illam de manu Isaac comitis, qui eam tunc tenebat, abstraxit, & Cameracensi ecclesiæ subjecit. Verum ejus abbatiæ res ac possessiones, quæ ab externis hominibus occupatæ erant, omnino recuperari haud potuere usque ad tempus Gerardi episcopi, qui occupata & alienata redemit, monasterium excitavit, clericisque inde eliminatis, monachorum ordinem ibidem restituit.

XXXV. Rabanus reliquias Roma allatas accipit.

Hoc ipso anno Rabanus quasdam sanctorum comparavit reliquias, quas Deusdona diaconus Roma recens attulerat. Factum sic commemorat Rudolfus, ejus rei testis, in libro de vita ipsius Rabani. Qui ante aliquot annos Eginhardo abbati sacras reliquias attulerat Deusdona seu Deidona diaconus, cum aliis reliquiis in Franciam reversus, ad eumdem Einhardum primum se contulit, in Selingestadiensi monasterio commorantem: dein, commendatis sub signaculo reliqniis, Moguntiam profectus est. Ibi aderat unus e Fuldensibus monachis, Theotmarus nomine, pro causis quibusdam a Rabano abbate ad Otgarium archiepiscopum missus. Is cum diaconum offendisset, cognito eum Romanum esse, & quam ob causam venisset; illum hortari cœpit, ut reliquias ex Urbe allatas abbati suo traderet. Placuit diacono suadentis consilium. Ille vero Fuldam reversus, condictum Rabano commemorat. quo nuntio recreatus abbas, Theotmarum adjuncto Arthario monacho, ad diaconum cum muneribus remisit. Accersitus etiam ab eisdem in auxilium alter e fratribus, Authadus nomine, *præpositus locorum in illis partibus monasterio subjacentium, cui injunctum erat*, hæc illorum temporum disciplina, *ut statutis temporibus inde necessaria fratribus administraret*. His traditæ a diacono sanctorum reliquiæ, nempe, ut ille asserebat, sancti Alexandri papæ & martyris, Felicissimi diaconi, Concordiæ martyris, Fabiani & aliorum. Erat tunc sanctorum martyrum Petri & Marcellini, patronorum Selingestadiensium, festivitas, quæ iv. nonas Junii recolitur. Postridie inde cum sacris reliquiis discessum est. Fuldam accedentibus fratres cum crucibus ac cereis obviam processere, adventum eorum præstolante abbate in ecclesia beati Johannis Baptistæ, quæ a monasterio africum versus stadiis fere novem distabat. Istuc inductæ reliquiæ pridie nonas Junii, inde in basilicam beati Bonifacii martyris illatæ. Paucis post hæc diebus Rabanus, cum auctoritate Otgarii archiepiscopi Moguntiacensis, per Reginbaldum chorepiscopum reliquias sanctorum Alexandri & Fabiani intulit in ecclesiam beatissimæ Dei genitricis Mariæ, ad septemtrionalem plagam monasterii sitam, atque in arca saxea inclusis eorum plumbeis loculis, ad

ANN. CHR. 835.

orientem altaris collocavit IV. kalendas Augusti, erecto superne ligneo ædificio, quod argento & auro, variisque lapillis decoravit, apponens etiam versus litteris aureis scriptos, quos Rudolfus refert. Aliorum sanctorum reliquiæ in basilica beati Bonifacii martyris repositæ, in arca lignea deaurata, quæ instar arcæ fœderis Dei in abside orientali collocata erat.

XXXVI. Dedicatio basilicæ sancti Galli.

Ad hunc annum revocanda est dedicatio novæ sancti Galli basilicæ a Gozberto inceptæ ante annos septem, notata hoc anno ab Hermanno & veteri chronographo sancti-Gallensi: cui calculo convenit dies in domestico assignatus necrologio, nempe sextus-decimus ante kalendas Novembris, qui dies hoc anno in dominicam incidebat. Ex quo Ratpertus, aliique nonnulli emendandi, qui hujus dedicationis tempus vel antevertunt uno anno, vel ad biennium differunt. Convenere ad hanc dedicationem Wolfleozus diœcesanus episcopus, id est Constantiensis, & Udalricus Basileensis, præsentibus Erlebaldo Augiensi abbate cum aliquot e suis, aliisque Alamannorum principibus non paucis. Construendæ basilicæ sancti-Gallenses monachi & ipsi operam suam strenue impenderant, Gozberto abbate instigante, Winihardo monacho architecto, ut Notkeri Balbuli versus testantur, ex Hepidanno huc referendi.

Monachi ipsi artifices.

Justitia Gozbertus heros, fratris Winihardi
Artibus eximiis, fasces portantibus omnes
Pauperibus monachis lapidum, calcisque & arena,
Ut quondam Largus fecitque Sisiunius almus,
Hanc struxit ecclesiam.

Opportunum est huic loco, quod Ermenricus, Augiensis monachus ejus temporis, hac de re scribit in libello [a] de grammatica ad Grimaldum abbatem, ubi ait, se in » monasterio sancti Galli vidisse Dei famulos omni arte & virtutum stemmate præ- » cellentes; nec facile uspiam inveniri posse tam industrios viros in ædificiis ex omni » materia construendis. Tum, *Cerne*, inquit, *basilicam & claustrum, & non mirabe-* » *ris quod refero.* Dein Winihardum mox laudatum, velut alterum Dædalum; & » Isenricum, ut secundum Beseleelem, extollit: *in cujus manu semper versatur dolabrum, excepto quando stat ad altaris sacri ministerium. Tanta humilitas in eis est, ut tam perfecti viri non dedignentur opus rusticum per seipsos actitare.* Post hæc agit de domno Amalgero, in consiliis provido, & omni honestate prædito: qui in divino cultu quam religiosus sit, *testatur altare aureum, ante quod sedulo sedet, nec jacet orans.* His addit domnum Radgerum, virum simplicissimum: cujus prece ad sanctum Gallum fusa, repente fissa fuit una columnarum illarum, quæ in basilica ipsa circumstant: cui findendæ per totum diem omnis congregatio frustra insudaverat. Habebat hæc basilica in longum pedes CC. in latum LXXX. cum suis hinc inde porticibus. Exedra orientalis sancto Paulo apostolo, occidentalis beato Petro apostolorum principi sacrata erat. Præcipuum altare sanctæ Mariæ & sancto Gallo nuncupatum supra confessionem seu cryptam, in qua corpus sancti-Galli quiescebat. Ad latus dextrum confessionis ara sancti Benedicti; ad sinistrum sancti Columbani: ad gradus ejusdem confessionis hinc sancti Filiberti & sancti Jacobi, inde sancti Andreæ aræ. Altare Salvatoris ad crucifixum: octo hinc inde alia in duabus navis alis. Fons seu baptisterium ad altare sancti Johannis Baptistæ & sancti Johannis Evangelistæ exstabat cum hoc versu.


[a] Analect. to. 4. p. 333.

Ecce renascentes susceptat Christus alumnos.

Similia in aliis monasteriis baptisteria olim exstitisse, in eisque catechumenos eruditos fuisse in superioribus non semel observavimus. In duabus ad orientem turribus oratoria duo erant, sancti Gabrielis ad austrum, sancti Michaelis ad aquilonem. E regione confessionis ad austrum positum erat *sacratorium*, in cujus inferiori parte erat *mensa sanctorum vasorum*; in superiori sacrarum vestium repositorium. Huic sacratorio adjuncta erat medio intervallo *domus ad preparandum panem sanctum*, sacrificio destinatum; & ad *oleum exprimendum* in usum ecclesiæ.

XXXVII. Monasterii a Gozberto abbate conditi dispositio.

Non modo basilicam instaurasse videtur Gozbertus abbas, sed totum etiam monasterium stupenda amplitudine & magnificentia a fundamentis restruxisse. Exstat in bibliotheca sancti Galli tabula quædam instar mappæ, ut vocant, in qua basilicæ


To. 2. Annal Bened. inter pag. 570. & 571.
Infirmaria
Altare S.ᵗ Pauli
Sacrarium
Pomarium
Pomarium
Hortus leguminum
Horreum fructuum
Pullorum Locus
Anserum Locus
Anserum
Pyrale
Pyrale
Dormitorium
Refectorium
Camera
Camera
Cella magistri
Cella Infirmorum
Coquina
Cellarium
Balneatorium
Domus medicorum
Hortus medicus

ſancti Galli, totiuſque monaſterii icbnographica delineatio repræſentatur cum verſibus ſingula exprimentibus, digna certe, quæ in æs ad amuſſim incidatur. Ejus exemplum manu ſua deſcripſit, nobiſque ſubmiſit religioſus & eruditus ejuſdem loci tum bibliothecarius Hermannus Skenchius, quod hic utcumque deſcribere conabimur. Baſilica ſancti Galli, de qua mox egimus, media eſt inter abbatis & hoſpitum ædes ad aquilonem, & regularia monachorum ædificia ad auſtrum : infirmorum vero domus ad orientem paullo ſupra ædes abbatis, quibus adjuncta eſt ſchola juvenum litteris ſtudentium, ſcilicet exterior, media inter prædictas ædes, & domum hoſpitum, quæ tria verſus aquilonem locata ſunt. Omnia in quadrum diſpoſita. Abbatis ædes coquinam, cellarium, & balneatorium cum dormitorio, ſolario, & ſuperiori camera habent, undique porticibus cinctæ, cum peculiari in baſilicam ingreſſu, diverſo ab alio, qui hoſpitibus & ſcholaribus communis erat. Scholarium domus manſiunculis in circuitu inſtructa : communis ſchola in medio ſita. Hoſpitum domus ſeparatam habet culinam, cum ſuo promtuario & piſtrino, adjuncta domo ad conficiendam celiam, & refrigerandam cerviſiam pro iiſdem. Ad auſtrum e regione ædium abbatialium locata ſunt regularia ædificia, in primis quadriporticus, per cujus tranſverſum quatuor ſemitæ viam ad clauſtrum faciunt : in medio *ſavina*. In prima quadriporticus parte ſecundum eccleſiam porticus viſitur, cum hoc verſu :

Hic pia conſilium pertractat turba ſalubre.

quod proinde inſtar auditorii & capituli erat. Ex adverſo refectorium ad auſtrum, ſuperque illud veſtiarium cum coquina verſus occidentem ; ex qua brevis aditus eſt in piſtrinum, ubi etiam cerviſia & celia conficitur ad uſum fratrum ; cum pilis & molis ad molendum frumentum. In refectorio menſa abbatis diſcreta eſt a menſa hoſpitum, quæ ſub analogio cernitur. In orientali quadriporticus parte dormitorium ſuperius, inferius pyrale ſeu calefactorium, a quo via in balneatorium & lavandi locum. Denique in occidentali parte clauſtri cellarium ſitum eſt, ſub quo cella vinaria, & ſuper illud ipſum lardarium, & repoſitorium aliarum rerum neceſſariarum. Ex eadem parte, interjecto brevi intervallo, domus peregrinorum & pauperum cum ſuo dormitorio & cellario : quo ex loco adibatur piſtrinum & braciatorium pro iiſdem, ubi locus erat *ad refrigerandum cerevisiam*, & *locus conſpergendi*, farinam ſcilicet, ad maſſam fermentandam. Paullo inferius ad occidentem alia domus exſtat ad excipiendam familiam, quæ cum ſervitio adveniſſet. Ad exedram baſilicæ orientalem, interjecto ſine domatibus paradiſo * ſeu atrio, principi baſilicæ obverſum exſtat oratorium infirmorum, quorum duplices ad aquilonem ædes, unæ pro minus infirmis, aliæ pro iis, qui gravius ægrotabant : quibus tertia adjuncta eſt pro *phlebotomatis* & *potionatis*, cum ſua culina & domo balnearum. Ædibus valde infirmantium adjuncta eſt manſio medicorum cum horto herbarum medicinalium. Hæc ad aquilonarem oratorii infirmorum partem : ad auſtralem vero domus pulſantium ſeu novitiorum, in quadrum etiam diſpoſita, cum ſuo refectorio, dormitorio & valetudinario. Huic proximus eſt ad auſtrum hortus duplex : unus arboribus conſitus, in cujus medio cœmeterium eſt cum cruce in medio : alter herbis ad eſum aptis. Prope erant etiam gallinarum & anſerum receptacula, procul ab ædificiis regularibus. Inde procedendo verſus occidentem, ſecundum refectorium & ſubſequentes ædes, interjecto non modico ſpatio, viſitur horreum cum area ad grana trituranda : tum officinæ variæ pro ſartoribus, ſutoribus, ſellariis, tornatoribus, coriariis, aurificibus, fabris ferramentorum, & ſullonibus ; quibus etiam conjuncti erant ſcrutarii, & emendatores vel politores gladiorum, id eſt cultrorum. His omnibus artificibus præerat camerarius, qui ſuam illic etiam manſionem habebat. Conſequenter poſitum eſt verſus occidentem piſtrinum & braciatorium ad uſum fratrum, ut diximus : dein tunnariorum domus & tornariorum cum granario, ubi mundatum frumentum ſervetur ad faciendam cerviſiam ; tum locus ad torrendas annonas. Denique ſtabula equorum, boum, ovium, aliorumque animalium domeſticorum, quæ omnia verſus auſtrum ad plagam occidentalem locata erant.

* *Parvis.*

Hæc fere deſcriptio eſt veteris illius civitatis, ut ita dicam, monaſticæ, qualem Gozberto abbati delineavit vir quidam eminentioris dignitatis, quippe qui eum filium vocat in epiſtolio tabulæ adſcripto in hunc modum. *Hæc tibi, dulciſſime fili*

ANN. CHR. 835. *Cozberte, de positione officinarum paucis exemplata direxi, quibus sollertiam exerceas tuam, meamque devotionem utcumque cognoscas, qua tuæ bonæ voluntati satisfacere me segnem non inveniri confido. Ne suspiceris autem me hæc ideo elaborasse, quod vos putemus nostris indigere magisteriis; sed potius, ob amorem tui, tibi soli perscrutanda pinxisse amicabili fraternitatis intuitu crede. Vale in Christo semper memor nostri, amen.*

Hanc tabulam compendiose hic ob oculos ponere, lectori haud ingratum fore
a Canis. to. 5. p. 580. visum est, omissis versibus singula exprimentibus, quos apud Henricum Canisium [a] legere licet. Viderat proinde hanc tabulam Canisius, aut quivis alius, qui ex ea suppeditavit ipsi versus singulis locis adscriptos ad eorum usum exprimendum; putavitque hunc episcopum esse, qui Gozbertum abbatem filium vocat. Mihi vero non alius videtur quam Eginhardus abbas, qui regalium ædificiorum præfectus erat, adeoque architectonicam artem callebat. Sed hæc conjectura, de qua lectores viderint. An sancti Galli monasterium ad hanc formam condiderit Gozbertus, non satis explicat Ekkehardus, qui hoc tantum addit, peracta basilicæ dedicatione, postea Gozbertum in omnibus monasterii utilitatibus sese exercuisse, atque librorum, quorum tunc maxima illic penuria erat, tantam copiam, congessisse, *ut locus iste ex eorum multiplicatione multum excresceret* ac illnstraretur. Sane non Gozbertum ipsum, sed Grimoaldum abbatem ædes abbatis struxisse & ornasse testantur versus apud eumdem Canisium editi, in quibus aula *a palatinis magistris* perfecta fuisse, & a pictoribus Augiensibus decorata legitur. ut mirum non sit, si Eginhardus universi monasterii specimen Gozberto descripserit. Verum hac de re infra, ubi de Grimoaldo agemus.

XXXVIII. Lotharii diploma pro parthenone sanctæ Juliæ. In Italia sub idem tempus cœnobium sanctæ Juliæ apud Brixiam, quod Desiderius rex Langobardorum olim pro virginibus sacris exstruxerat, renovatum est, an sub Amalberga abbatissa: quo ex tempore *Novum* appellatum. Hand scio an illud sit monasterium, *quod vocatur Nova* in Augiensi [b] necrologio, ubi
b Analect. to. 4. p. 645. Austreberga monacha cum aliis notatur. Sane Novum appellat monasterium Lotharius augustus in diplomate, quod Amalbergæ abbatissæ hoc anno concessit.
c Bullar. Casin. to. 2. p. 23. In eo legitur [c], quod *quadam religiosa Deo sacrata monacha Amalberga cum congregatione sibi commissa in cœnobio Domini Salvatoris, fundato intra muros Brixiæ,*
» *in monasterio scilicet Novo*, missa petitione imperialem clementiam obsecraverit, ut
» is una cum conjuge sua Hermingarda, *statum & ordinem ejusdem vitæ* ibidem con-
» firmaret ac foveret, ut, omni secluso impedimento, repulsa procul necessitate, re-
» gulariter Deo placitam, cum dignitate congrua, vitam monasticam degerent. Qua-
» propter ad hoc deliberandum missi ab imperatore Prando & Gasleramnns, *ejusdem*
» *ordinis eruditissimi & prudentissimi abbates*, qui in præsentia venerabilium episcopo-
» rum Ramberti Brixiensis, & Adelgisii Novariensis cum nobilibus personis, de mo-
» nasterii statu ac possessionibus perquirerent. Hoc facto, Lotharius res ac possessio-
» nes omnes illius monasterii confirmat, atque in usus ancillarum Dei perpetuo abs-
» que ulla subtractione aut imminutione impendi præcipit, ut sine ulla interturba-
» tione proprium propositum servent. quod ut plenius consequantur, addit, ut post
» decessum Amalbergæ abbatissæ liceat eisdem ancillis Dei eligere ex eadem congre-
» gatione ministram, rectricem, atque gubernatricem secundum propositum atque in-
» stitutionem beati Benedicti. Actum Maringo palatio regio XVIII. kalendas Janua-
» rias, anno imperii HLotharii decimo-octavo, indictione quarta-decima a kalendis Septembris inchoata. Dructemirus diaconus ad vicem Egilmari recognovit. Idem nihilominus imperator post biennium hoc ipsum monasterium Hermingardi uxori
d ibid. p. 24. suæ usu-fructuario [d] concessit, ita ut eumdem locum ordinaret atque disponeret: post ejus vero discessum Gisla eorum filia eumdem similiter locum *regulariter gubernaret secundum monasticam disciplinam.*

Aliud pro basilica Ambrosiana. » Eodem anno Lotharius item augustus, ad preces Hermingardis conjugis suæ,
» basilicæ Ambrosianæ largitur ex fisco suo curtem *vocatam Limunta*, cum casis indo-
» minicatis & capella sancti Genesii, aliisque rebus, pro remedio animæ Hugonis fratris
» ipsius Hirmingardis, puerili ætate ab hac luce subtracti, qui in eadem basilica sepul-
» tus est. Data VIII. idus Maias, anno domni HLotharii pii imperatoris decimo-octa-
» vo, indictione decima-tertia. Actum Papiæ palatio regio. quod diploma Dructemirus
e Puricell. p. 185. » subdiaconus atque notarius ad vicem Egilmari recognovit, a Puricello [e] male relatum ad annum octingentesimum quadragesimum-primum. Hunc locum summo do-

ANN CHR. 835.

minio, cum temporali, tum spirituali, possidet abbas Ambrosianæ basilicæ, cujus ritus ibidem servantur. Abbas tunc ejus loci Gaudentius Andream post aliquot annos habuit successorem: cui suffectus anno sexagesimo Petrus, de quo suo loco. a ibid. p. 195.

XXXIX. Parmensis S. Alexandri parthenon dotatur.

Eodem quoque anno Cunegundis, *relicta quondam Bernardi inclyti regis* Italiæ, « res omnes, quas in pagis Parmensi, Regiensi, ac Mutinensi possidebat, liberaliter « confert monasterio virginum, quod ipsa intra muros Parmenses in honorem sanctæ « Dei genitricis Mariæ & sancti Alexandri martyris exstruxerat. In primis donat « monasteria duo, unum in ipsa urbe Parmensi, sancto Bartholomæo apostolo sa- « crum: alterum sancti Thomæ apostoli, situm non longe ab eadem civitate. Inte- « grum hujusce rei diploma ex authentico nobis suppeditavit domnus Benedictus Baecinus, doctissimus Casinas. *Actum in Parma civitate, regnantibus dominis nostris HLodowico & HLuthario imperatoribus anno vicesimo-secundo, & sexto decimo, septimo-decimo kalendas Julias, indictione tertia-decima.* Subscribunt post Cunegundem Lantbertus & Nordbertus episcopi, Adalgisus comes, aliique. Floret ad nostrum usque tempus cœnobium sancti Alexandri sub regula Benedictina.

ANN CHR. 836.

XL. Legati pro concordia inter Ludovicum & filios.

Post natale Domini Aquis celebratum, Ludovicus legatos in Italiam ad Lotharium filium misit, suasuros, ut ipse missos ad se mutuæ concordiæ reconciliandæ causa dirigeret. Missi ab Ludovico Otgarius Moguntiacensis antistes, Marcwardus abbas Prumiensis, cum duobus comitibus, Warino & Adalgiso: qui Lotharium Ticini tum degentem convenerunt. Piissimi patris votis assentiri visus est Lotharius, misso Wala abbate ad Ludovicum, qui tunc in Theodonis-villa morabatur, salvi conductus prius accepto sacramento. Rebus cum oratore compositis, Ludovicus, uti & Judith augusta, cum Wala, priusquam dimitteretur, remissis ex animo offensis, reconciliari voluit, ac per eum Lothario significavit, eum consultissime facturum, si ad se quantocius veniret. Verum ne id exsequeretur, morbus ex febre intercessit. Missi confestim ab optimo parente oratores, qui filium ægrotantem solarentur. Ille vero, ubi convaluit, adeo paternis non paruit monitis, ut etiam Gregorium pontificem, patris, ut rebatur, causæ fautorem, vexare, atque Italiæ ecclesias bonis spoliare, nullo prætenso juris colore, instituerit, easque a Sarracenis tum grassantibus impune diripi siverit. Ludovicus hac de re per Gregorium admonitus, legatos statim, Fulconem Fontanellensem & Adrebaldum Flaviniacensem abbates, ad Lotharium & Gregorium destinavit. Fulconi mandatum, ut Lotharium officii in Romanam ecclesiam admoneret, quam more majorum tuendam atque augendam receperat. Adrebaldo injunctum, ut Gregorium conveniret, eumque bono animo esse juberet. nam quæ a filio aut patrata, aut permissa essent, se minime conscio, sed invito commissa. ceterum daturum operam, ut detrimenta accepta sarcirentur. quo nuntio Gregorius mirum in modum recreatus, gravissimi, quo tenebatur, morbi pæne oblitus, legatos & ipse duos ad Ludovicum misit, qui & gratias ei agerent, & de rebus a Lothario perperam gestis admonerent. Verum a Lothario interceptis id unum facere licuit, ut epistolam hac de re scriptam Adrebaldo abbati, ad Ludovicum perferendam, clam traderent. Lothario in contumacia sic persistenti ultio divina protinus adfuit, immissa initio Septembris pestilentia, quæ præcipuos ejus fautores & amicos e medio sustulit, ut postea videbimus.

XLI. Concilium Aquisgranense.

Interim Aquisgrani habitum est VIII. idus Februarii concilium, in quo cum de aliis ecclesiæ utilitatibus actum est, tum de rebus a Pippino Aquitaniæ rege ablatis querelæ factæ, quibus ille fecit satis. Pro utraque causa duæ sunt concilii partes, quarum prima episcopos, aliosque ordines spectat; altera tres libros continet Pippino directos cum commonitorio, quod hodie desideratur. Prior pars capitulis duobus constat: quorum unum agit de vita episcoporum; secundum, quod in duas itidem partes divisum est, primo quidem de doctrina episcoporum; dein de vita & doctrina inferiorum ordinum. In hujus posterioris partis canone secundo sancitum, ut abbates monachorum pervigili studio gregis sibi commissi curam gerant; eisque « tanto diligentius temporalia subsidia administrent, quanto sciunt exterius nihil ipsis « contingere licere. Ad hæc, ut divinæ lectionis studio jugiter eos informent, ne aut « temporali destituti subsidio divinum opus explere nequeant, aut torpentes otio in « laqueum tentationis incidant. Ipsos etiam monachos admonent patres, ne, tam- « quam absque canonicæ auctoritatis jugo, effrenati per sæcularia negotia discurrant, «

AN. CHR. 836. „ & villicis ac sæcularibus curis se implicent; immo neque ecclesiasticis negotiis, nisi „ in causa necessitatis, & quidem cum diœcesani episcopi permissu, intersint; studeantque colere pastores, in quorum parochia consistunt.

„ Canone duodecimo de monasteriis puellarum, quæ in quibusdam locis prostibula „ potius esse videbantur quam monasteria, videlicet propter defectum stipendiorum, „ vel certe ob insolentiam prælatarum, visum est, ut religiosi viri ad ea lustranda & „ emendanda mitterentur. Canon tertius decimus prælatas admonet, ut subditas exem„ plis suis informent, eisque necessaria suppeditent, ideoque tales eligendas esse, quas „ religionis devotio commendet; non illas, quæ necdum in disciplina religionis exerci„ tatæ, nec in se se normam religionis habentes, matres religiosarum fieri non pos„ sunt. Canon insequens prælatas itidem monet providere, *ne in ipsis monasteriis mul„ timodi sint anguli, vel talia loca, quæ sint tenebrosa, aut visui occulta*, in quibus „ Deus pro sceleribus inibi commissis ad iracundiam provocetur. Canone quinto„ decimo statutum, ut in omnibus locis provideantur congruentia claustra & habitacula „ domorum, in quibus religio Deum sequi volentibus perfici atque augeri possit potius, „ quam vitia nutriri. Denique, ut monachi *secundum traditam a beato Benedicto regu„ lam* unanimiter, quoad ejus fieri possit, *cujusque religionis regularem vitam* in om„ nibus sectentur.

XLII. Areopagitica scribit Hilduinus. Hoc ipso anno Hilduinus Dionysianus abbas Areopagitica scribere aggressus est hortatu Ludovici augusti, cujus hoc de argumento epistola Areopagiticis præfixa reperitur. In ea Ludovicus agnoscit, quantum muneris atque præsidii non modo „ sibi ac progenitoribus suis, sed etiam totius imperii populis per beatissimum Diony„ sium divina providentia contulerit, per quem rex Dagobertus in vita mortali su„ blimatus, & post mortem pœnis (sic jam tum ferebat traditio) liberatus sit: Ca„ rolus vero, ipsius Ludovici proavus, principatus apicem; Pippinus avus superni „ muneris benedictionem indeptus sit a Stephano pontifice ad altare, quod ante se„ pulcrum ejusdem beatissimi Dionysii, ob recuperatam illic sanitatem, idem ponti„ fex in honorem Dei & apostolorum Petri & Pauli erexerat. Addit Ludovicus, „ Pippinum regem præ humilitate ante limina basilicæ sanctorum martyrum postmor„ tem sepeliri voluisse, *ut titulus ipsius conditorii probat*. Quare Hilduinum hortatur, „ ut quæcumque de sancti Dionysii actis *ex Græcorum historiis*, aliisque patriis monu„ mentis colligere poterit, ea omnia in unum corpus cum ejusdem passione redigat; „ hisque omnibus adjungat revelationem prædicto papæ Stephano in eadem basilica „ factam, sicut ab eo dictata est, una cum hymnis, quos de hoc gloriosissimo impe„ ratore habebat, & cum officio nocturnali.

Imperialibus jussis paruit incunctanter Hilduinus, humilis, ut se ipse dicit, Christi famulus, & domini sui Dionysii, ac sociorum ejus matricularius; aitque Dionysium Areopagitam, dimisso Atheniensi episcopatu, Romam venisse; indéque a Clemente Romano pontifice missum fuisse in Gallias, ubi martyrium consummaverit. quæ duæ sunt partes epistolæ ad Ludovicum, ac libelli subsequentis. Principio fatetur auctor; quod *notitia ipsius, paucis nostrorum*, inquit, *cognita, plurimis adhuc manet incognita*; at eam longo superiorum temporum lapsu *per supplantationum postulationes inolevisse* ait, id est, si bene capio, ex contraria Gregorii episcopi Turonensis, aliorumque idem sentientium auctoritate. Utramque vero partem multis probare contendit argumentis. Ea triplicis sunt generis. Alia quippe Dionysium Areopagiten probant, ut sunt ea, quæ ex Actis apostolorum profert; sed ipsum esse Dionysium Parisiorum primum episcopum non probant. alia hujus passionem adstruunt, ut Visbius qualiscumque auctor: at nequaquam areopagitismum. alia denique Dionysii missionem tantum a sancto Clemente cum passione componunt, ut est hymnus Fortunati, & veteres nonnulli codices primæ sancti Dionysii passionis. Visbii testimonio, [a] quod apud Morinum videre licet, aliisque adjungit Hilduinus antiquissimos, & nimia pæne vetustate consumtos missales libros, *continentes missæ ordinem more Gallico, qui ab initio recepta fide usu in hac occidentali plaga est habitus, usquequo tenorem, quo nunc utitur, Romanum susceperit*. Morisautem erat in liturgia Gallicana compendio recitare acta apostolorum vel martyrum in præfatione, quam tum *contestationem* vocabant. In illis porro antiquissimis missalibus Gallici ritus, duas ejusmodi missas de sancto Dionysio, duasque proinde de eo contestationes lectas fuisse idem Hilduinus asserit: sed an areopagiten Dionysium

[a] Morin. de sacr. ordin. p. 39.

nostrum dixerint, nobis incompertum: tametsi addit idem auctor, eas omnino cum actis passionis, ab se ad imperatorem missis, concordasse: at in quo concordaverint, utrum in areopagitismo, in missione per sanctum Clementem, in passione, an denique in his omnibus concordaverint, nobis accuratius innotescere cuperemus. Hæc vero omnia negant ac pernegant critici nostri temporis, quos nec refellere, nec probare est animus: ne litem, magnis partium studiis hinc inde jam satis superque agitatam, denuo excitare videamur.

Hic unum addere nobis liceat, controversiam hac de re natam fuisse, antequam Areopagitica scripsisset Hilduinus: nec ipsum proinde duplicis ejus opinionis, areopagitismi scilicet ac missionis sancti Dionysii a sancto Clemente, primum auctorem exstitisse. De missione per Clementem res patet, tum ex actis synodi Parisiensis anno octingentesimo vicesimo-quinto habitæ, tum ex veteri sancti Dionysii passione, tametsi quidam ejus codices Clementem non habent, teste Bosqueto; tum ex antiphonali [a] Gregoriano Caroli Calvi, in Compendiensi bibliotheca asservato, cujus prima de sancto Dionysio antiphona pro vigiliis nocturnis ejus missionem per sanctum Clementem præfert; tum denique ex martyrologio Rabani & ex hymno veteri de sancto Dionysio, qui si Fortunati non est, certe Hilduino antiquior est. Atqui tamen Fortunato tribuitur in veterrimo codice sancti Benigni apud Divionem. De areopagitismo non ita constans est traditio in monumentis Hilduino antiquioribus: eam tamen ante Areopagitica scripta quorumdam fuisse opinionem ipsa Areopagitica probant, in quibus contra sentientes ab Hilduino refelluntur. quæ forsan fuerit hujus scriptionis occasio.

[a] V. Analect. to. 1. p. 64.

Hujus opinionis quædam veluti præjudicia eruuntur, primo ex eo, quod Stephanus papa secundus, allatis e Gallia sancti Dionysii reliquiis, Romæ monasterium seu scholam Græcorum monachorum instituit ob memoriam receptæ in Dionysiana basilica sanitatis. deinde quod Hadrianus papa vulgatos libros Dionysii, græce scriptos, Fulrado abbati dono dedit. Ad hæc quod eosdem Michael imperator orientis misit Ludovico augusto, qui ipsos monasterio sancti Dionysii consignavit. quæ omnia ex eodem præjudicio facta videntur. Hæc dicta sint ad vindicandam, quatenus licet, Hilduini bonam fidem, qui si in scribendis Areopagiticis minori delectu usus est, id temporum indiligentiæ & hominis ingenio in his rebus leviter exercitato, non dolo malo tribuendum. Ceterum ipsum in historicis rebus, etiam sui fere temporis, parum versatum fuisse vel inde manifestum est, quod Gallicanum missæ ritum *ab annis pluribus*, hoc est ab Innocentii primi, Gelasii, & Gregorii Magni temporibus, de Gallica consuetudine recessisse putaverit, quem non ante Pippini aut Caroli principatum Romano mutatum fuisse constat.

XLIII. Walæ abbatis mors & aliorum.

Dum Lotharius ex febre iterum decumberet, immissa quædam cælitus, ut tum creditum, lues præcipuos ejus amicos & asseclas afflavit, ex qua multi interiere *a kalendis Septembris*, id est a quarto-decimo die Augusti, ex quo kalendæ Septembris pronuntiari incipiunt, *usque ad missam* seu festum *sancti Martini*. In his exstincti sunt Jesse olim Ambianensis episcopus, ante sex annos exauctoratus in conventu Noviomagensi; Helias Tricassinus, Wala Corbeiensis abbas, Matfridus, Hugo, Lambertus, aliique comites. Per ignota etiam capita late evagata est morbi vis. quo audito, Ludovicus adeo ex inimicorum morte lætatus non est, ut etiam tunso pectore, lacrymisque fusis Deum illis propitium fieri cum ingenti gemitu & animo precatus sit. Ex inimicorum ejus numero excipiendus est Wala, qui, licet Lothario addictus, Ludovici tamen partes pro modulo ac rerum instantium difficultate juvit. Neque vero hunc lues, qua ceteri absumti dicuntur, sed febris corripuit, dum in Bobiensi monasterio resideret, quam sibi letalem fore cælesti oraculo præscierat, ut quodam sancto narrante episcopo Paschasius accepit. nam antequam dies obitus ejus instaret, non solum semel, sed & secundo per visum vocatus, quasi legationem suam expleturus, invitatusque est in conspectum æterni Regis, pro laboribus gloriam accepturus. Hinc alacrior in spe deinceps vixit, & securior febre non diu laboravit, magis sollicitus & anxius pro Lothario augusto, qui & ipse febribus vexabatur, ne forte quod patri, se procurante, promiserat, non exsequeretur. Mortuus est itaque Wala, sepultusque ad latus basilicæ Bobiensis, in qua beatus Columbanus requiescit: ut pariter una domus, unaque sepultura contineret, quos una religio, & consimilis fere tentatio æquavit. siquidem ille Brunichildis, hic Ju-

ANN. CHR. 836.

dithæ augustæ causa varia exsilia passus est, teste Paschasio, qui ait Walæ non minus quam Columbano debere Bobiense monasterium. Neque enim minus videri illud defendisse ab hostibus, communique clade ceterorum, *& religiosissime rexisse sub sancta regula, & augmentasse studiosissime, in ipsaeademque professione quam primum illud inchoasse.* Diem ejus mortis ac sepulturæ ignorabat Paschasius, cum epitaphium ejus scriberet. Walæ obitus pridie idus Septembris consignatur in veteri indice Corbeiensium abbatum, & in chronographo Corbeiensi: at forte præferendus liber pastuum dictus, utpote antiquior, sæculo nono aut insequente scriptus, in quo hæc leguntur: *Pridie kalendas Septembris obiit Wala abbas. De Busto debet fieri ejus memoria*, id est mensa lautior procurari de Busco *, quæ præpositura est exemtionis Corbeiensis prope opidum Montis-Desiderii. Annus ejus obitus certus est, tum ex annalibus Bertinianis, tum ex additamento ad annales Thegani, de quo inferius, tum denique ex Astronomo in vita Ludovici Pii, ad cujus marginem in editis reponendus est annus octingentesimus tricesimus-sextus, ubi de Walæ, aliorumque obitu agitur. Imminente ejus obitu Hirmengardis imperatrix, Lotharii conjux, nuntios misit per diversa Italiæ loca, *ut singuli beati viri animam precibus Domino commendarent*, in primis *ad monasterium suum valde egregium*, nempe sanctæ Juliæ, de quo paullo ante egimus, situm intra muros Brixiæ civitatis, distans a Ticino, ubi tum cum Lothario manebat, quadraginta fere millibus, *in quo sanctimonialium multitudo Domino famulabatur*: ex eisque didicit, Walæ felicem excessum ac receptum in cælos duabus pissimis virginibus conspicuum fuisse, ac duobus ab angelis revelatum. Ejus nomen, nedum sepulcrum, nunc prorsus ignotum apud Bobienses.

* Bus.

Res a Wala gestas oratorio stilo duobus libris prosecutus est Paschasius-Radbertus, ejus monachus ac familiaris, eosque libros *Epitaphii* titulo inscripsit, eum ad modum, quo Ursus Romanæ ecclesiæ subdiaconus Basilii Magni epitaphium appellat orationem illam funebrem, quam de eo scripsit Gregorius Nazianzenus. Dialogi more sub fictis nominibus hos libros composuit Paschasius, qui ubique Walam Arsenium, Ludovicum imperatorem Justinianum, Judith augustam Justinam, Lotharium Honorium, Ludovicum fratrem Gratianum, Pippinum Melanium, Bernardum camerarium Nasonem, item Ammissarium ab admissario equo appellat. Dialogi interlocutores sunt Paschasius ipse, Adeodatus, Severus, Chremes, Allabigus, omnes monachi Corbeienses. Ex his Severus non alius fuisse videtur ab Odilmanno-Severo, cui Paschasius commentaria in threnos nuncupavit. Primum ex his libris scripsit auctor superstite Ludovico augusto; secundum post abdicatum a se regimen Corbeiensis monasterii, id est post medium sæculum nonum. Ideo vero fictis nominibus usus est, ne singulos proprio nomine appellando, partium fautores exasperaturus esset.

XLIV. Ejusdem apologia.

In secundo libro fere totus est Paschasius in vindicanda Walæ per has turbas innocentia, quam tribus maxime capitibus adversarii impetebant. Primum, quod monachus civilibus rei publicæ negotiis se implicasset. Alterum, quod Ludovico augusto fuisset auctor repudiandæ in primis illis motibus Judithæ augustæ. Tertium, quod exauctorationis ipsius Ludovici particeps fuisset. Ad primam criminationem respondet Paschasius, Walam ejus fuisse dignitatis & auctoritatis in palatio, ut, cum ante monachatum inter primores palatii fuisset, jam monachus hanc dignitatem retinere vel invitus, jubente imperatore, coactus sit, Lotharii pædagogus ab ipso primum, dein *consiliarius totius imperii* constitutus. Secundæ objectioni facit satis, quod non aliter, nisi repulsa Judith augusta, Ludovico vitam servare licuisset. Ad tertiam probat, Walam exauctorationi Ludovici semper restitisse: ac demum, ubi nihil se proficere intellexit, a factiosis recessisse, ac secessisse in monasterium Bobiense. At cur non potius in quoddam aliud cœnobium, ait Cointius, imperii Ludovici augusti? aut cur in Alsatiam vocatus, non ad castra ipsius Ludovici, sed Lotharii accessit? Nempe quia a Judith augusta non semel exagitato, quam ad removendam infamiæ suspicionem a Ludovico separandam duxerat, in partibus Ludovici augusti tuto esse non licebat. Denique, præter hanc causam, ad Lotharii castra potius accessit, quod sub gravi interminatione istuc vocatus esset a Gregorio papa, qui in Lotharianis castris versabatur.

Heddo & Isaac abbates Corbeienses.

Heddo abbas in regimine cœnobii Corbeiensis Walæ suffectus est, an vivente Wala incertum: tametsi quod Wala Fulda Corbeiam revocatus privatam hic vitam duxit

duxit ab anno ejus sæculi tricesimo-tertio, id forte eligendo in ejus locum Heddoni occasionem dedit, aut sane secessus Walæ in monasterium Bobiense. Ex his duobus prius illud facile admitteremus, si nobis constaret, quod in vulgatis indicibus legitur, Heddonem jam abbatem translationi sanctæ Balthildis ante triennium interfuisse. Nulla re memorabilis est Heddonis præfectura, quæ brevis admodum fuit, desiitque anno sequenti, quo ejus obitus contigit VIII. kalendas Julii, ipso die natalis sancti Johannis Baptistæ: quo die liber pastuum præcipit fratribus pastum pro eo procurari de Brachio monasterio & de villa Bosonis-curte *. Brachium *, opimum alias prædium monasterii Corbeiensis, & præpositura insigne, situm prope Morolium * opidum agri Ambianensis, jam dudum venit in alienas manus. Heddoni subrogatus est Isaac abbas, eujus prælatura paullo diuturnior, sed acta haud minus obscura. Ejus successor Paschasius Radbertus superiorum abbatum sanctitatem & gloriam factis æquavit, at scriptis superavit. Hunc esse prædicti Walæ epitaphii seu elogii auctorem negavit Carolus Cointius, nullo alio ductus argumento, quam quod liberius de Ludovici augusti dejectione locutus fuisse, & Walam ab hoc crimine studiosius purgasse ipsi visus est. At cum nemo hactenus huic opinationi accesserit; Paschasio asserere non dubitamus hoc opus, quod Paschasii præcipui interlocutoris & actoris nomen, stilus, atque ætas eidem auctori tribuendum esse persuadent. quod in ipsius Paschasii elogio pluribus a me demonstratum est, conferendo hoc opus cum Paschasii genuinis operibus.

ANN. CHR. 836.

* Bousencourt. * Brach. * Mereuil.

XLV. S. Castoris translatio.

Walæ obitus anno Ludovici augusti vicesimo-tertio consignatur in appendice duorum annorum ad historiam Thegani chorepiscopi Treverensis, a Lambecio [a] edita, in qua domnus imperator Wormatiæ conventum eodem anno habuisse dicitur, « eoque venire jussus medio mense Septembri Lotharius, quem excusarunt legati ab « eo missi, nuntiantes eum febre iterum valde laborare, nec venire potuisse. Eodem « anno, ut eadem appendix habet, Hetti beatus Treverensis archiepiscopus divino admonitu sancti Castoris corpus asportavit de loco, in quo requiescebat, Caradona vocato, in castrum Confluentes, situm, ubi Mosella in Rhenum influit; posuitque in monasterio, quod ipse ibidem a fundamento struxerat, ex præcepto sancti Materni, tertii quondam episcopi Treverensis. Eo allatum est sacrum corpus in festivitate sancti Martini, exceptumque cum summo honore; tum postridie, die dominica, illam ecclesiam idem archiepiscopus consecravit in honorem sancti Castoris, aliorumque sanctorum confessorum, in eaque sacrum ejusdem sancti corpus honorifice collocavit. Monachi an canonici ibidem instituti fuerint, nemo veterum diserte prodidit. Favisse monachis videtur Hetti archiepiscopus, & ipse quondam monachus, potius quam canonicis sæcularibus, qui locum ab omni retro hominum memoria occupant. Octavo post ecclesiæ consecrationem die dominico, hoc est quarto-decimo, legendum tertio-decimo, kalendas Decembris, istuc accessit Ludovicus imperator cum conjuge ac liberis, post missarum sollemnia: ubi maxima dona in auro & argento obtulit, mansitque ibidem duos integros dies & totidem noctes, ea, qua par erat, reverentia ab archiepiscopo honoratus. quo facto, Aquisgranum reversus, ibidem hiberna transegit. In hac sancti Castoris æde anno ejus sæculi sexagesimo habitus est conventus, cujus acta edita sunt a Sirmundo.

[a] Cæsar. bibl. to. 2. p. 391.

XLVI. Monachorum restitutio apud S. Aprum.

Dum in Belgica prima versamur, agendum hoc loco est de restitutione monachorum in cœnobio sancti Apri, posito extra muros Tulli-Leucorum, cui civitati Frotharius episcopus tunc præerat, jam non semel a nobis laudatus. Is educatus inter monachos Gorzienses, recolensque, quod [b] *in cellula suburbii* sui, quæ meritis & « sepultura beati Apri effulget, monachos quondam regularibus disciplinis efflornisse « vidisset; sed hujusmodi exercitia ob inertiam quorumdam rectorum, & diminu- « tionem rerum temporalium paullatim defecissent; eamdem religionem ibidem resti- « tuere cupiens, rem ad Ludovicum cæsarem-augustum retulit, & cum ejus auctori- « tate & consilio prædictum locum ad pristinos usus revocavit, *monachos illic sacræ* « *religionis constituens*, qui negotiis spiritalibus vacarent, & pro utilitate regni, to- « tiusque sanctæ ecclesiæ statu divinam incessanter clementiam exorarent. Verum, « ne eamdem regularem disciplinam ob inopiam terrenarum rerum, ut olim, tepescere ac deficere contingeret; easdem villas ac possessiones, quæ monachorum quondam usibus deservierant, in eorum usus restituit, id est vicum sancti Apri, cum manso sancti Maximini & forte ejus, quod ante fores monasterii consistit, ubi

[b] Diplom. p. 514.

ANN. CHR. 836.

parœcialis est ecclesia sub titulo sancti Maximini; ad hæc præter multa alia, *mansum in Saponariis*, quæ villa erat duabus leucis ab urbe Tullo distans, ubi habitus conventus *ad Saponarias*; & farinarium *in Nasio*, celebri quondam opido seu castro Leucorum, in tabula Theodosiana & apud Ptolemæum & Atticum memorato, quod Hadrianus Valesius putat esse Nansiacum-majus * non longe a fluvio Orna, qui locus per Lingonas & Andelaum * Tullum petentibus occurrit. Alii rectius maluut esse vicum hodiernum, vulgo *Nay*, positum in comitatu Liniacensi *; ubi veteris castri rudera, truncæ statuæ, sepulcra & numismata hodie quoque effodinntur. Certe Nansiacum majus, quod Valesins vocat, non Nasium, sed Nansiidem olim dictum fuisse probat instrumentum quoddam Almarici viri nobilis, *actum in villa Nansiide* IV. *kalendas Octobris, anno octavo Ludovici regis*, quod alias referemus.

* Grand-Nansoy. * Andelo. * de Ligny.

» Denique statuit Frotharius, ut ex cunctis villis reliqnis beati Apri, quæ scilicet in beneficium concessæ erant, medietas decimæ frugum vel animalium ad portam monasterii detur: cetera ad sarta-tecta conferantur. In horum omnium memoriam & repensationem idem Frotharius convivium sibi quotannis in festivitate sancti Apri exhiberi præcipit, necnon *equum pretii solidorum triginta*, aut pro equo triginta solidos dari, clypeum quoque & lanceam, sed & coria duo, totidemque cilicia; denique *tempore militiæ augariam* seu plaustrum boum ad onera deferenda, ita ut, si boves e militia reduci potuissent, monasterio restituerentur. Consimilia exegit [a] Aldricus Senonensis antistes a monachis, quos apud Vallilias instituit. Prædictas vero donationes a successoribus suis minui vetat, quin potius augeri cupit. Denique liberam facultatem tribuit eligendi abbatis, cum eo, ut hoc monasterium, *salva libertate monasticæ religionis*, urbi seu sedi Leucorum semper subjectum maneat, causa ejus regi commissa, si vel prædictæ urbis antistes quidquam ex his rebus subtraxerit, vel abbas adversus hanc subjectionem aliquid moliri tentaverit. Notis chronicis destitutum est authenticum ejus rei instrumentum, cui post Frotharium episcopum subscribit Leutmundus primicerius, tum alii presbyteri ac diaconi Tullensis ecclesiæ, in his *Arengaudus presbyter & bibliothecarius*. qui fere omnes aliis ejusdem Frotharii litteris itidem subscribunt, editis ad finiendos limites parœcialis ecclesiæ sancti Maximini, ad portam monasterii positæ, de quibus tum controversia erat inter monachos & sancti Johannis ecclesiam. *Actum Tullo in plenaria synodo sub die iduum Octobrium, anno ab incarnatione Domini octingentesimo tricesimo-octavo, indictione prima, imperante HLudowico serenissimo augusto anno vicesimo-quinto.* In his litteris mentionem facit Frotharius de restitutis a se monachis in cœnobio sancti Apri. quæ proinde restitutio serius hoc anno fieri haud potuit. Monachi eo forte accersiti e vicino cœnobio Gorziensi, in quo, ut diximus, Frotharius se adolevisse [b] testatur.

a Supra num. 12.

b Frothar. ep. 10.

De restitutione sancto Apro facienda cujusdam villæ, quam Pippinus eidem olim donaverat, exstat ejusdem Frotharii epistola, ordine quarta-decima, inscripta *Excellentissimo atque summo honore dignissimo Hilduino, à Deo electo patri & magistro.* qui titulus est etiam aliarum [c] ad eumdem Hilduinum abbatem, epistolarum ejusdem Frutharii: ad quem habetur epistola Wichardi abbatis, gratias eidem agentis ob reliquias sancti Apri, cum ejus actis ad se missas: ex quibus etiam alias mittit Frotharius [d] *Hugoni famulo Christi devotissimo*, cujus celsitudinem, celsamque progeniem cum laudat, non aliud quam Hugonem abbatem, Caroli Magni filium ac Ludovici Pii fratrem, intelligit, quem Frotharius illis in partibus remanere cupiebat, uti his verbis testatur. *Putabamus siquidem hactenus, atque desiderabamus, ut de tam pia, celsaque progenie duæ saltem lucernæ nobis remanerent, quarum splendore & meritis nos, & vicinos nostros inluminare, atque inmeliorare gauderemus.* quod de Drogone Mettensi episcopo, Hugonis abbatis fratre, interpretor, ac de Hugone ipso, cui Ludovicus augustus quamdam apud Leucos abbatiam destinaverit. Cui monasterio præfectus fuerit Wicardus abbas mox laudatus, haud liquet. Idem est ille, cui Frotharius undevicesimam epistolam inscribit, *Wighardo merito & sanctitate venerabili abbati, & universæ congregationi*, a quo petit, ut ejus adminiculo *tria carra vini de Bonna* sibi faceret perduci *ad palatium Aquis*. Ex quo intelligitur, Wichardi monasterium non longe a Bonna opido abfuisse.

c id. epist. 1. & 11.

d id. ep. 21.

XLVII. Aldrici archiepiscopi Senonum extrema facta & obitus.

Obierunt hoc anno, præter jam dictos, Aldricus archiepiscopus Senonum, Hetto quondam Basileensis antistes, Hauto abbas Stabulensis simul & Dervensis, atque

ANN. CHR. 836.

Imma Eginhardi abbatis conjux, de quibus singillatim agendum. Aldrici obitum ad quatuor annos distuleram in notis ad libellum de ejus vita : at, perpensis vetusti auctoris & Caroli Cointii momentis, hoc anno consignandus potius visus est. nam vetus auctor eum anno septingentesimo septuagesimo-quinto natum esse dicit, ac decessisse anno ætatis sexagesimo-primo ; adeoque hoc Christi anno tricesimo-sexto, & quidem VI. idus Octobris. Hunc calculum Cointius ex Lupi epistolis confirmat, qui ex academia Fuldensi regressus, sibi nihil admodum triste accidisse [a] « comperit, præter domini ac nutritoris sui Aldrici, quantum ad se attinet, plenum « infortunii obitum. Idem vero anno sequenti in præsentiam imperatoris adductus est, « & ab eo atque a regina benigne omnino exceptus ; paullo post, *hoc est decimo kalendas Octobris, indictione prima*, quæ anno sequenti respondet, ad palatium, regina « evocante, accessit. Hæc de chronologia. «

a Lup epist. 41.

Ad suprema Aldrici facta quod attinet, non multo ante suum ipsius obitum ecclesiam sancti Florentini in castro cognomini ad Armentionem fluvium dedicavit. quod quo pacto acciderit, ex veteri codice paucis accipe. Sorores duæ genere nobiles, Godelina & Lemissa, una Perticensis, altera Carnutensis comitissæ, peregrinationem Romam ad limina beatorum Apostolorum aggressæ, ad Florentinum castrum venerunt, cui tunc vir nobilis, earum affinis, totique regioni dominabatur ; ibique honorifice ab eo exceptæ, de amplificanda, quæ parvula illic erat, beatæ Mariæ virginis ecclesia consilium inierunt. Sumtibus itaque ad construendam quantocius ecclesiam suppeditatis, Romam petunt. Votis Deo sanctisque Apostolis redditis, inde iter reflectentes, tandem ad castrum, quod Brevis-murus * dicitur, hospitandi gratia divertunt : ubi, audito corpus sancti Florentini martyris ibidem sepultum esse, ejus caput non ægre a domino loci impetrarunt. quod una cum brachio sancti Hippolyti, ex Urbe ab se allato, ad Florentinum castrum deportarunt. Cum vero absolutam ibidem, quam designaverant, ecclesiam invenissent ; dominum Aldricum, multæ religionis Senonensem archiepiscopum, invitarunt ad eam dedicandam. Fecit ille perhumane quod rogatus erat, eamque in honorem beatissimæ Mariæ virginis, & sanctorum martyrum Florentini, Aphrodii atque Hilarini consecravit, atque inibi prædictas reliquias recondidit, quarum translatio pridie nonas Julii facta dicitur. Incidebat hoc anno dominica dies in nonas Maii, quo die facta dedicatio est ejus basilicæ, in monasterium postea conversæ, quod Theobaldus comes [b] rogatu Odonis abbatis sancti Germani abbatiæ Autissiodorensi donavit. Porro duæ illæ comitissæ ibidem mortuæ dicuntur, ac sepultæ ante altare beatæ Mariæ virginis. Tum vero sanctus Aldricus, memor illius beati Martini sententiæ, asserentis, sibi majorem fuisse virtutem ante episcopatum, quam in episcopatu ; metuens ne sæcularium negotiorum turbis religionis suæ meritum imminueretur, pastoralis sollicitudinis curam abjicere decrevit, & ad pristinæ contemplationis quietem ac portum reverti. Verum letali morbo præoccupatus, quem sibi supremum fore intellexit ; quod unum sibi reliquum erat, corpus suum ad cœnobium Ferrariense deferri præcepit, ibique in stillicidio ecclesiæ humari. quod pro ejus voto factum est. quippe vir sanctus statim post obitum Ferrariis in stillicidio juxta oratorium beati Andreæ in lapideo tumulo, quem sibi vivus paraverat, honorifice sepultus est, dum sacrum ejus corpus, miraculis ad ejus tumulum factis, in interiorem sancti Petri basilicam illatum est, & in exedra sublimiori collocatum, ut tradit anonymus vitæ scriptor non spernendæ auctoritatis. Certe quod hic auctor asserit de ejus desiderio episcopatum deserendi, attestantem habet Lupum ejus loci tunc monachum, qui in epistola [c] ad Guenilonem seu Wenilonem Aldrici successorem ait, beatæ memoriæ « Aldricum, ecclesiæ Senonicæ pontificem, Ferrarias proposuisse regredi episcopali « cura omissa, quando hanc vitam feliciore mutavit. Ejus miracula lege sis apud « eumdem anonymum, quorum unum est in quemdam virum consularem, Maurieium nomine, cujus instinctu satellites indebitis exactionibus Ferrarienses vexabant, adeo ut bi monasterium suum deserere, & cum sancti Aldrici corpore, ceteraque supellectile ad Villarense-monasterium * confugere coacti fuerint, quæ modo cella est Floriacensis abbatiæ prope Montem-Argisi *. Tum vero consul nocturna in visione ab Aldrico graviter increpitus, istuc accessit, sibique indulgeri suppliciter poposcit, debitam Ferrariensibus reverentiam exhibere de cetero paratus. Voto ab omnibus probato & collaudato, Ferrarienses ad propria regressi sunt.

* Bremur in Burgundia.

b Labbe biblioth. to. 1. p. 173.

c Lup. epist. 29.

* Ville-moutier.

* Montargis.

ANN. CHR. 836.

a id. epist. 53.

Huc spectat quod scribit Lupus in epistola [a] ad Carolum Calvum. *Serio*, inquit, *confirmant senes nostri, experimento se proprio comperisse, idque sibi pueris a senibus esse traditum, quod quicumque monasterio nostro insigne aliquod intulerit damnum, nisi cito resipuerit, magnum incurrerit incommodum, aut sanitatis & vitæ pertulerit dispendium.* Aldricus sanctus prædicatur ab Odoranno & Clario ante annos sexcentos, coliturque in ecclesia Senonensi die sexta Junii, quæ dies ordinationis ejus videtur esse; at decima Octobris in monasterio Ferrariensi, ubi sacræ ejus reliquiæ a furentibus Calvinistis, præter pauculas, dissipatæ sunt, pretiosa theca expilata, quam Ludovicus a Blanca-forti, abbas Ferrariensis sub finem sæculi quinti-decimi, expensis ad hoc opus argenteorum nummorum quadraginta millibus, fabricari curaverat.

XLVIII. Lupi Servati primordia.

b Lup. epist. 1. c id. ep. 41. d id ep. 20. & 34. e id. ep. 6. & 16. f id. ep. 37. g id. ep 86. h id ep 35. i id ep 91. k ibid. l ibid. m id. ep. 1.

Paullo post Aldrici obitum ex Fuldensi academia revertit Lupus monachus Ferrariensis, quo ab Aldrico metropolitano [b] suo missus ante septennium fuerat. Hic natus, ut videtur, in provincia, & forte in ipsa parochia Senonensi; a teneris traditus est Ferrariensi monasterio, eductusque ab Aldrico tum abbate, quem dominum [c] ac nutritorem suum vocat. Parentes haud dubie nobiles habuit, pro quibus preces ab Altuino [d] monacho postulat. Adalgus [e] ei germanus frater, Heriboldus [f] Autisiodori episcopus affinis, & fortasse frater; consanguineus Odacer abbas [g] Cormaricensis; Ebrardus [h] monachus propinquus, uti & Marcwardus [i] Prumiensis abbas, atque Remigius [k] sancti Germani apud Autisiodorum monachus; denique filius [l] Guagonis ejus nepos. Amor litterarum ab ipso [m] fere initio pueritiæ ipsi » innatus fuit; &, nisi intercessisset inopia præceptorum, & longo jam situ collapsa » priorum studia pæne interiissent; suæ ipsius aviditati satisfacere potuisset. Olim qui- » dem, nec ita pridem, per famosissimum imperatorem Carolum, cui litteræ, ut ille » ait, tantum deferre debent, ut æternam ei parent memoriam, cœpta revocari, ali- » quantum extulerant caput, utpote ab eo honorata, & maximi habita. Nunc vero, » inquit, oneri sunt, qui aliquid discere affectant; &, velut in edito sitos loco, stu- » diosos quosque imperiti vulgo adspectantes, si quid in eis culpæ deprehenderint, id » non humano vitio, sed qualitati disciplinarum assignant. Lupo nihilo minus propter seipsam appetenda visa est sapientia, eique indagandæ *a sancto metropolitano episcopo Aldrico* adhibitus, doctorem grammaticæ sortitus est, præceptaque ab eo artis accepit. Nondum tamen archiepiscopus erat Aldricus, sed tantum abbas, cum grammaticæ præceptorem Lupo assignavit.

n id. ep. 1. o id. ep. 41. p id. ep. 10.

Ab eodem jam episcopo Fuldam ad venerabilem [n] Rabanum directus fuit, *uti ab eo ingressum caperet divinarum scripturarum.* Cum Fuldæ versaretur, lecto Eginhardi libro de vita Caroli Magni, adeo ejus scriptionis elegantia captus est, ut auctoris amicitiam & familiaritatem ambierit, expetieritque, scripta ad eum epistola, quæ prima ordine est inter Lupinas, ab ipso sibi commodari petens quosdam libros Ciceronis de rhetorica & de oratore Reversus [o] in patriam hoc anno, sospes quidem, sed funesto domini ac nutritoris sui Aldrici obitu perculsus, Immoni episcopo » Noviomensi rescripsit, se principem operam lectioni dedisse in Fuldensi academia, » & ad oblivionis remedium & eruditionis augmentum libros pauculos paravisse; nec » Germanicæ linguæ captum amore, ut ineptissime quidam jactaverant, sarcinam su- » biisse tanti, tamque diuturni laboris. Immoni vero monenti ut *studio humilitatis divi- » nis auctoritatibus* invigilaret; respondet, se hactenus id agere, ut quod Deus ipsum fecit, quodque suis beneficiis donavit, totum ejus gratiæ assignet; & ut ea in se conservans amplificet, summissis precibus flagitare. Altuinum Moguntini, ut videtur, cœnobii monachum, in Fuldensi academia socium habuit, testante ipsius ad eum [p] epistola, in qua ei gratias agit ob pronum ejus in se affectum; aitque, se ex infirmitate convaluisse, quæ a transrhenanis partibus regresso contigerat, tantam- » que orationum pepererat copiam, ut opinaretur eum casum divino sibi beneficio » procuratum. Jam vero, favente Dei clementia, se firmissima frui quiete, otiumque » pergratum impendere conducibili lectionis negotio; ac nullos se jam itus moliri, ac reditus.

XLIX. Eginhardum de morte uxoris consolatur.

q id. ep. 2. & seqq.

Antequam Fulda discederet Lupus, e vivis excessit Imma, conjux olim Eginhardi abbatis, sed ab aliquot annis continentiæ studio ac professione soror. Mærentis amici animum precibus primum, dein litteris molliter tentavit Lupus, optans coram adesse, ut ejus mæstitiam vel sua compassione levaret, vel, concepto sensu ex divinis eloquiis, assiduo sermone leniret. Deinde, ubi ex prolixo Eginhardi rescripto justi

ANN. CHR. 836.

doloris causas cognovit, validioribus fomentis dolorem mitigare aggressus est. Duæ ejus causæ potissimæ erant : una, quod Eginhardi vota & spes, quam in sanctorum martyrum Petri & Marcellini intercessione locaverat, ipsum velut irrita fefellissent. Altera, quod ex morte carissimæ contubernalis, eum onus domesticarum, divinarumque rerum, quod illius memorabilis feminæ fida societas leve fecerat, ejus ex toto impositum ac relictum cervicibus obrueret. Utrique remedium adhibere conatur Lupus : qui in fine epistolæ eidem gratias agit ob libellum de adoranda cruce, quem Eginhardus Lupi nomini dedicaverat. tanta erat magni viri de juniori monacho existimatio. additque se medio mense Maïo Fulda recedere decrevisse, ut in patriam rediret, venturumque ad ipsum Eginhardum, tum ut sanctos martyres veneraretur, tum ut libros commodatos eidem restitueret, frueretur que aliquamdiu suavissimo ejus alloquio, & gratissimo exemplo informaretur. Postea tamen reditum distulit [a] ad nonas Junii propter absentiam Marcwardi abbatis ac propinqui sui, per quem ipsius reversio administranda erat. Accessit intercessio Rabani abbatis, qui regressus a palatio, Lupi reditum ad nonas Junii, quando sollemnitas sancti Bonifacii celebranda erat, differri voluit.

a id. ep 5.

L. Marcwardi abbatis legatio.

Tunc vero Marcwardus abbas in Italiam ad Lotharium a Ludovico augusto eum aliis missus fuerat ad concordiam resarciendam. Post suam reversionem Marcwardus Lupo redituro equos suppeditavit. Is Eginhardum obiter in ejus monasterio invisit : dein ab amicis ad imperatorem adductus, atque ab eodem & a Judith augusta benigne exceptus, demum in patriam remeavit. Ejus rei meminit in epistola sexta ad Reginbertum, anno insequente scripta, cujus hæc verba sunt. *Superiore anno, annitentibus amicis, in præsentiam imperatoris adductus sum, & ab eo atque regina benigne omnino exceptus ; & nunc, hoc est decimo kalendas Octobris, indictione prima* *, *ad palatium, regina quam plurimum valet evocante, promoveo ; multique ex stimant fore, ut subito mihi gradus aliquis conferatur. quod si divina exuberante gratia evenerit, non dubites te ilico accersendum, ut una permissu imperatoris degentes, communium studiorum exercitatione jucundissima perfruamur.* Sic nobilis adolescentis animo adhuc sæculares dignitates lenocinabantur. *Sin autem spes nostras*, inquit, *eventus eluserit, rescribe, an velis me per amicos curare, ut ab imperatore locus tibi quidem reddatur in monasterio tuo ; apud me autem studendi gratia, quatenus uterque nostrum voluerit, conferatur.* Hæc epistola scripta est nomine Lupi & Adalgi germani ad Reginbertum monachum, adversam fortunam passum, & pulsum extra monasterium, cui hilarioris fortunæ faciem aperiri gratulatur. Interim eum hortatur ad studium divinæ scripturæ, *cujus & usus frequens, & cognitio salutaris.* Plura nobis haud suppetunt de hoc Reginberto monacho, ad quem septima Lupi epistola itidem scripta est. Sane alium esse non dubitem a Reginberto magistro, quem Alcuinus [b] in quodam epigrammate laudat.

* 3 kal. Septemb. inchoata.

Reginbertus monachus.

b Alcuin. ep. 264.

LI. Servatus Lupus unde dictus.

Sunt qui existimant, Servatum Lupum, qui librum de tribus quæstionibus scripsit, distinguendum esse a Lupo nostro, de quo mox egimus. Verum unum & eumdem esse stili ac temporis, non tantum nominis convenientia suadet, probatque Sirmundus ex ipsius Lupi ad Nicolaum papam epistola, Wenilonis, ut apparet, Senonensis episcopi nomine scripta de Herimanno Nivernensi, cujus epistolæ hic titulus & initium in Floriacensi codice sic habet : *Scriptum Servati-Lupi ad papam Nicolaum. Suggerimus mansuetissimæ paternitati vestræ*, &c. Ex quo intelligitur, Servato huic prænomen fuisse, nec Lupum-Servatum, ut cum Sigeberto & Trithemio nonnulli recentiores vocant, sed Servatum-Lupum, quod veteres libri, auctoresque docent, dici oportere. Cur vero Servati prænomen Lupo tributum sit, quod nemo unus, nec veterum, nec recentiorum, prodidit, colligere mihi videor ex miraculo receptæ sanitatis per merita sancti Faronis episcopi Meldensis. quod ex ipsiusmet Lupi ore se accepisse tradit Hildegarius episcopus, aut quisquis est scriptor libri de vita ejusdem sancti Faronis. Narrat auctor iste, Lupum, ornatum luce sapientiæ, pastorem *modo*, inquit, *pro religione sanctitatis in monasterio famosissimo Ferrariensi, ubi cœtus monachorum in Christo cum illo toto orbe est venerandus* ; cum in juvenili ætate sapientiæ studio floreret, ob idque ab Odone abbate suo, quoniam altera spes illius loci erat, tenerrime amaretur ; ad palatium Francofurtense aliquando cum eodem abbate proficiscentem, acerrimo inguinis dolore correptum fuisse, in tantum ut in loco, sancti Trudonis nomine sacrato, debilitate confectus, subsistere

ANN CHR. 836.

coactus sit. Cum vero languor validissimus eum ad extrema urgeret, in soporem resoluto sanctum Burgundofaronem (sic se ipse Faro vocabat) apparuisse, & membra dolentia olei liquore perunxisse ac sanasse, dato mandato, ut ad Meldense suum monasterium iret, ubi locus hoc liquore abundanter affluebat. Porro Lupum expergefactum, convocatis qui aderant, vera esse deprehendit, non vana somnia, quæ sibi acciderant. Quod ergo ex hoc morbo servatus sit Lupus, facile ob beneficii memoriam Servati nomen assumere potuit. Neque vero ex incerta cujusvis fama hæc narratio emanavit, sed factum ex ipsius Lupi ore se accepisse, ut jam diximus, Hildegarius episcopus asserit. Ceterum Hildegario non obscure Lupus ipse attestatur in epistola [a] ad Altuinum monachum, cujus litteras tertio kalendas Maii sibi redditas fuisse dicit, quibus ille ægrotanti commiseratus fuerat. *Infirmitatem vero*, inquit, *quam contigisse mihi audisti, cognoscas exuberante circa me, ut semper & in omnibus, divina gratia, detrimenti nihil, at emolumenti plurimum addidisse. quippe nihil incommodi præter formidinem solam tulit. Orta enim in dextro inguine pustula, impendentem solum minata est mortem. Tantam autem orationum peperit copiam, quæcumque meum fama casum dissipaverat, ut opinari audeam, eum divino mihi beneficio procuratum.* Utrobique idem morbus, & quidem letalis. Apud Hildegarium acerrimus dolor corporis in inguine: apud Lupum ipsum, orta in dextro inguine pustula impendentem minata est mortem. quæ, divina gratia circa eum exuberante, ex orationum pro se factarum copia sanata est. Hanc vero epistolam scripsit Lupus regressus a transrhenanis partibus post tertium kalendas Maii, quo die Altuini litteras accepit, anno proinde insequenti.

a Lup. ep. 10.

LII. Probus monachus doctus S. Albani.

In eadem epistola Lupus Altuino pæne stomachatur, quod non scripsisset, *quid Probus*, inquit, *noster exerceat. scilicet utrum in silva Germaniæ disciplinas liberales, ut serio dicere solitus erat, ordine currat: an certe inchoatam satyram struens, Ciceronem & Virgilium, ceterosque opinione ejus probatissimos viros, in electorum collegium admittat: ne frustra Dominus sanguinem fuderit, & in inferno otium triverit.* Ita Probum Lupus per jocum carpit, quod Ciceronem, Virgilium, aliosque profanos auctores nimisquam efferre soleret, quasi eos in cælitum numerum referre voluisset. In fine Lupus Altuinum rogat nomine suo salutare præpositum & congregationem, in qua ille degebat, id est monachos, ut quidem puto, cœnobii sancti Albani Moguntiacensis, quo in loco Probus monachus vixit, ac litteras docuit. De eo jam dudum interpretari visum est sequentes versus [b] Walafridi Strabonis.

b Canis. to. 6. pag. 637.

Quantum delectet tua me dilectio, nedum
Emanare queam, vix scio & ipse satis.
Disciplina tibi nativum & tristior usus
Abrasit Scottum, substituitque Probum.
Esto, jocum reputas, quod dixi. Sed mihi Chronmal, *
More abiens vestro, tradidit ista loqui.
Eu Fortunati oratus tibi mitto libellos:
Mensoremque orbis perlege, scribe, redde.
Sum tuus, esto meus: quod uterque habet, alterius sit.
Sic ego tu sim alter, tuque mihi alter ego.
Per nasum conjuro tuum, mi care, valeto,
Et Dominum pro me, quæso, precare libens.

* f. Chronwal.

Ex his intelligitur, Probum genere Scottum fuisse, & nativum nomen, quod Walafridus reticet, in Probum mutatum. quod Walafridus, ejus forte in Fuldensi academia socius, acceperit a Chronwalo, itidem Scotto, qui pro gentis more peregre discesserat. Presbyter erat Probus, cujus eruditionem tanti faciebat [c] Lupus, ut mirari se dicat, *non tam* eum *aliquid edidisse, quam non omnibus jam scribendi materiam abstulisse.* Quamquam quæ scripta ediderit, nobis incompertum, si forte excipias librum de vita sancti Patricii Hiberniæ apostoli, auctore Probo, quem non alium esse a Probo nostro cum Baluzio suspicamur. Ejus obitus anno unde-sexagesimo in annalibus Fuldensibus consignatur, his verbis: *Probus presbyter religiosus, cujus casta conversatio, & doctrina sancta studium Moguntianam illustravit ecclesiam, septimo kalendas Junii diem obiit.* Eodem anno habetur apud Hermannum, qui eum

c id. ep. 34.

sanctum vocat, tametsi nullo cultu publico honoretur in ecclesia Moguntina. Hermannus in eo corrigendus, quod eum obiisse dicat *septimo kalendas julii*, loco *junii*. Eadem correctio adhibenda in martyrologio Benedictino. ANN. CHR. 836.

LIII. S. Severi & aliorum translatio in monast. S. Albani.

Dum hic sumus, agendum est de translatione reliquiarum sanctorum Severi, Vincentiæ, & Innocentiæ in jam dictum monasterium sancti Albani, hoc anno facta, prout a Liudolfo Moguntino ejus temporis presbytero tradita est in secundo e duobus libellis, quos Erlafrido diacono dicavit. Exstat Ravennam inter & Classense sancti Apollinaris monasterium abbatia, sancti Severi nomine & patrocinio insignita, de qua in superioribus egimus. Illic olim asservabantur corpora sancti Severi, post conjugium facti episcopi Ravennatis, sanctæque Vincentiæ ejus conjugis, & Innocentiæ utriusque filiæ. Huc cum Felix quidam clericus e Galliæ partibus venisset, ibique religionis causa, uti peregrinus, cum sociis acceptus esset; tantam monachorum ejus loci expertus est humanitatem, ut sacramento firmaverit, se numquam de monasterio recessurum. Sed, sive ficta, seu varia fuit ejus fides; tempus opportunum nanctus, ossa prædictorum sanctorum clam sustulit, & cum sociis iniit fugam. Hoc comperto, fratres nuntios miserunt ad optimates Italiæ, ut omnes exitus viarum ex Italia in Galliam occuparent, ne fur impune elabi posset. At ille cum loca sibi præclusa cognovisset, per devia noctu incedens, Ticinum venit, ibique aliquamdiu latuit. Interea Ludovicus augustus Otgarium Moguntiacensem & Hildi seu Hildiwinum Virdunensem episcopos; duosque comites, Warinum & Adalgisum, ad Lotharium filium misit, Ticini tunc degentem, ad pacem & amicitias inter se reparandas. Eo cum venissent, Otgarium convenit Felix, eique prædictas reliquias tradidit, quas Otgarius cum gaudio suscipiens, scriniis recondidit suis, proprioque sigillo obsignavit. Tum peracta legatione Moguntiam revertens, sacras reliquias secum attulit, easque in sancti Albani basilica reposuit, Severi quidem juxta altare sancti Albani, Vincentiæ ad australem plagam, Innocentiæ ad septemtrionalem juxta singula altaria, constructis superne lectulis umbellarum instar, quos auro & argento decoravit. Postea tamen sancti Severi reliquiæ in Turingiæ opidum Erfurtum translatæ; pars vero sanctæ Innocentiæ in Alto-monasterium virginum, quod vetus monasterium Moguntiæ a sancta Bilhilde conditum esse creditur. Paraciatense monasterium quidam codices præferunt. Hæc Liudolfus presbyter ad Erlafridum diaconum duobus [a] libris, quorum unus est de vita eorumdem sanctorum, alter de eorum translatione, prout ea rescierat in ipso sancti Severi monasterio Ravennatensi, quod in reditu e Romana peregrinatione adiit, investigaturus de vita prædictorum sanctorum, quorum reliquiæ Moguntiam recens translatæ fuerant. Ejus rei causa Ravennam profectus, forte offendit ejus cœnobii monachum Gallum, qui semel a Danis in Gallia, iterumque ab Agarenis in eodem monasterio comprehensus fuerat. Adductus ab eo in monasterium, ut quod ille latine de iisdem sanctis exprimere facile non poterat, ab aliis fratribus disceret, perhumane exceptus est ab abbate & fratribus, quos *numerosos* tum fuisse idem auctor tradit. Processu temporis hoc monasterium Cisterciensibus cessit, ac demum *commendatariorum ingluvie*, ait Ughellus, omni religiosorum hominum cœtu orbatum est. Tempus præmissæ translationis recte Lambertus Scafnaburgensis hoc anno refert, quo scilicet Otgarius ad Lotharium missus est.

[a] Bolland. 1. Febr. & seqq.

LIV. Lupus vitam S. Wigberti abbatis scribit.

Redeo ad Lupum nostrum, qui hoc ipso anno librum scripsit de vita sancti Wigberti abbatis quondam Fritislariensis, post annos nonaginta, quam is e vivis excesserat. Hunc librum Buno seu Bruno abbati nuncupavit, cunctisque fratribus Hersfeldensis monasterii, cujus fundamenta ecclesiæ Brun & Raban abbates ante quinque annos jecerant, testante Lamberto, ad excipiendas nimirum reliquias sancti Wigberti, quæ ex opido Buriburgo istuc ob metum Saxonum translatæ erant. Haud scio an Fuldæ adhuc versabatur Lupus, cum Bruni hortatu hunc librum edidit: cujus in prologo lectorem rogat politioris litteraturæ adolescens, ut, sicubi latini « sermonis lenitas hominum, locorumque nominibus Germanicæ linguæ vernaculis « asperatur, modice ferat; memineritque, non carmen se scribere, ubi poëtica li- « centia nonnumquam nomina mutilantur, atque ad sonoritatem Romani diriguntur « eloquii, vel penitus immutantur: sed historiam, quæ se obscurari colorum obliqui- « tatibus renuit. Et hæc sane in primis causa fuit, cur patriis Francorum, Germanorumve illustrium nominibus Latina cognomina vel prænomina indita sint, ad

ANN. CHR. 836.

mollиendam scilicet propriorum nominum asperitatem : ut Angilberto Homerus, Radberto Paschasius, Rabano Maurus, immo aliquando penitus mutata : ut Frichorio Chaïdoci socio, sancti Richarii abbatis primo institutori Hiberno, cujus nomen, teste Hariulfo mutatum est in Hadrianum, *eo quod rictu lingua barbara ineptum visum est.*

L V. *Hetto episcopus Basileensis obit.*

Hic annus, ut præmisimus, supremus fuit Hettoni episcopo quondam Basileensi, qui ante annos tredecim ad Augiam suam privatæ ac solitariæ vitæ studio se receperat, atque, Erlebaldo abbati, suo antea discipulo, regimine commisso, ab eo tempore ejusdem imperio spontanea humilitate subjectus ibidem vixerat. Certabat Erlebaldi ex adverso modestia, miraque erat imperantis discipuli & obsequentis magistri concordia. quod Walafridus Strabo, ejus rei testis, his versibus expressit in carmine de visione Wetini.

Hic pater ante fuit : modo filius, adstat, obaudit,
Per natumque regi proprium vult corde paterno.
Filius iste prius, ductor patru esse jubetur.
Et tamen intendit, quæ se sententia docti
Jam senioris agat : sequiturque per omnia pacis
Congeries, jungitque gregem concordia perpes
Pastorum, nullusque dolus, nullum ira lacessit.
Res laudanda quidem, paucis laudanda magistris.

Annum Hettonis obitus diserte notat Hermannus ejus loci monachus : at diem non prodit.

L VI. *Hauthonis abbatis Stabulensis & Dervensis obitus ac successores.*

Sub idem tempus e vita migravit in Stabulensi Arduennæ monasterio Haudo seu Hauto abbas Stabulensis simul ac Dervensis, quem alii Odonem, alii corrupte Hantonem vocant. Ejus obitus tertio idus Junii notatur in veteri necrologio Dervensi, modo bibliothecæ regiæ, his verbis : *Stabelai monasterio transitus domni Hauthonis abbatis, loci istius restauratoris*, id est Dervensis, *quem ad clericorum ordinem perventum reduxit ad religionem & honorem pristinum.* In regimine Stabulensis monasterii, cui Dervense a principio unitum fuit, Haudonis successor ponitur Rhatholdus apud Bartholomæum Fisenum : de Dervensi lis est inter recentiores. Cointius cum Chesnio Haudoni substituit Pardulum, qui anno octingentesimo quadragesimo vicedominus erat Remensis, ut in veteri codice Dervensi legitur, antequam ad Laudunensem episcopatum promoveretur. At in eodem codice, sane parum accurato, Hautoni Adalgarius, Adalgario postponitur Altmarus, cui Pardulum successisse constat ex litteris suo loco referendis : tametsi in prædicto codice post Altmarum Humfredus locatur, deinde Wlfaudus. Hic Pardulo proxime successisse videtur, ex diplomatis Caroli Calvi, quæ inferius proferentur, in quibus Altmarus, Pardulus, & Wlfaudus, unus post alium, laudati, occurrunt. Wlfaudo successit haud dubie Adalgarius, quem indices quidam, etiam veteres, Haudoni perperam proximo loco substituunt.

L VII. *Marcwardus abbas Eifliæ monasterium condit.*

Fisenus mox laudatus, de abbatibus monasterii Andaginensis seu sancti Hucberti agens, elogium texit Marcwardi abbatis Prumiensis simul & Andaginensis, eumque scribit hoc anno præfecturam Andaginensem abdicasse, sibique Sevoldum, virum eo munere dignissimum, substituisse, de quo inferius agemus. Id si verum est, factum videtur ob frequentes ejus legationes ad Lotharium imperatorem, quæ annis ejus sæculi tricesimo-quarto, duobusque sequentibus contigerunt. Aliam causam affert ex conjectura idem Fisenus : nempe quod turbatissimis illis temporibus, quibus adversus Ludovicum parentem impia arma filii movebant, non putaverit utrumque monasterium sine gravi damno potuisse ab uno regi. Sub idem tempus aliud in Eifflia cœnobium exstruxit, a quo ut originem, sic & nomen accepit haud ignobile oppidum agri Juliacensis in diœcesi Coloniensi, vulgo Monasterium-Eiffliæ * appellatum: quod monasterium monachis Prumia adductis tributum fuit, eisdem annona ex eodem Prumiensi cœnobio assignata.

* *Munster-Effel.*

L VIII. *S. Viti in Corbeiam-novam translatio.*

Agebatur annus a condita Corbeia-nova decimus-quartus, cum Warinus ejus loci abbas, itidemque monasterii Rasbacensis, seu Resbacensis, cognomento Jerusalem, saluti gentis ac patriæ, uti & monasterii sui splendori consulere volens,

quasdam

ANN. CHR. 836.

quasdam sanctorum martyrum reliquias obnixe flagitavit ab Hilduino sancti Dionysii abbate, qui apud Corbeiam nuper relegatus, id muneris ipsi pollicitus fuerat. Promissi memor Hilduinus, Warini petitioni facilem assensum præbuit, & cum consensu Parisiensis episcopi, virorumque nobilium in eadem diœcesi commorantium, corpus sancti Viti pueri ac martyris Lucani eidem concessit, quod Pippino regnante translatum in Franciam, in quadam Parisiensis agri cella Dionysiana hactenus asservatum fuerat. Corpus sacrum magna cum veneratione & testificatione religionis Warino abbati ab Hilduino in ecclesia sancti Dionysii, coram innumera multitudine, tam monachorum, quam canonicorum, ac promiscui vulgi, post peracta die dominico missarum sollemnia, decimo-quarto kalendarum Aprilium consignatum, traditumque est. Suscepto dein sacro corpore, Warinus abbas, secum habens turbam copiosam monachorum aliorumque virorum, primo quidem, processit ad Meldense monasterium sanctæ Crucis seu sancti Faronis. Obvius occurrit episcopus ejus urbis cum clero, necnon abbas sanctæ Crucis cum suis monachis & sacra pompa: ibique nocte insequente pernoctatum est. Promotum inde ad Resbacense monasterium, ubi festivo cum apparatu sacrum corpus itidem exceptum fuit, servatumque ad duodecimum kalendas Junii, variis cum in itinere, tum in statione patratis miraculis, quæ per totum iter continua fuerunt. Inde profectis obvia fuit cella sancti Godonis, Augia nomine, in pago itidem Briegio; dein per villam-Alnidum *, Septem-salices * ad Vidulam * fluvium, Summam-Arnam *, ad villam, quæ dicitur ad sanctum Morulum *, ad Axonam sitam, ventum est in vigilia Pentecostes. Ab eo loco iter fuit Aquisgranum, unde progressi in regionem Saxonum, vicesimo itineris die ad monasterium Corbeiæ-novæ tandem appulerunt pridie ante pervigilium sancti Viti, seu idibus Junii. Incredibile est quanto plausu & honore sacræ beati Viti reliquiæ exceptæ sint, quanta cum pietate ab indigenis honoratæ, ut tradit anonymus scriptor præmissæ translationis, Corbeiæ-novæ monachus. Porro translatio hæc magnam Galliæ perniciem, Saxoniæ pacem perpetuam attulisse dicitur apud Witichindum ª.

* Ville-Aunon. * Septfaux. * la Vesle. * S. Estienne sur Arne. * S. Moret.

ª Witichind lib. 1 de gest. Saxon.

Ab eodem sancto cognominatum est monasterium sancti Stephani & sancti Viti. Fuit & aliud sancti Viti monasterium in Saxonia, quod quidam comes, Hed nomine, in loco *Heslinge* dicto condidisse, &, congregatione sanctimonialium ibidem facta, eamdem abbatiam tutelæ Atheldagi archiepiscopi Bremensis subdidisse perhibetur in chronico Saxonico nondum edito ad annum nongentesimum sexagesimumnonum. Helmodus in historiæ Saxonicæ libro primo traditione acceptum refert, temporibus Ludovici secundi imperatoris egressos e Corbeia-nova monachos insignes, qui Slavis veri Dei cultum inspiraverint, & sancti Viti: quem Rani seu Rugiani, in superstitionem relapsi, etiam nunc pro Deo habent.

S. Viti monasterium duplex.

LIX. S. Liborii episcopi translatio Patherbrunnam.

Eodem tempore corpus sancti Liborii episcopi Cenomannensis ex ea urbe Patherbrunnam translatum. quæ translatio, quamquam ad res nostras haud omnino pertinet, quia tamen nonnulla habet, quæ institutum nostrum spectant, hoc loco paucis commemoranda. Jacebat sacrum corpus in suburbana basilica parthenonis sancti Juliani de Prato, quam primus ejus sedis episcopus Julianus primitus condidisse fertur. Nuntiis a Bisone Patherbrunnensi episcopo Cenomannos profectis, Aldricus ejus urbis antistes, convocato clero, *præsente suo quoque coepiscopo* seu chorepiscopo, *David nomine*, nuntiorum postulationem exposuit, eisque sancti Liborii corpus donandum censuit: quod prædictis nuntiis traditum, in ecclesiam sancti Vincentii monasterii defertur, sitam ad portam urbis, per quam egressuri erant. Hi kalendis Maii ab urbe Cenomannica profecti, primo ad locum, Ponteleuvam * dictum, dein ad ecclesiam sancto Medardo sacram, tum ad basilicam sancti Symphoriani, inde ad monasterium sancti Sulpicii venerunt. quæ omnia loca sunt diœcesis Cenomannensis. Postea ad civitatem Carnotum accessere, ubi tunc Bernoinus episcopus, non magis ætate, quam moribus maturus, cum presbyteris sibi subditis synodum agebat. Loculus sacer in oratorio sancti Carauni cum festivo apparatu depositus ad noctem, eadem pompa in principem Parisiorum ecclesiam ab Ercanrado episcopo acceptus est. Postridie Parisiis egressi legati, recta contenderunt ad Rhenum, eoque trajecto fines Saxonum ingressi VIII. kalendas Junias, demum Patherbrunnam pervenerunt, sacrasque reliquias *in ecclesia Paderbornensis monasterii* (sic cathedralem vocat translationis scriptor coæqualis) honorifice reposuerunt. Non totum cor-

* Pont-lieuë.

ANN. CHR. 836.

pus S. Liborii, sed tantum ejus partem Patherbrunnensibus concessam fuisse ex actis sancti Aldrici episcopi Cenomannensis intelligimus. In iis enim legitur [a], Aldricum invenisse corpora sanctorum sex, quæ in desertis ecclesiis neglecta jacebant absque debito cultu, eaque in confessione senioris ecclesiæ altaris collocasse, in his *partem corporis sancti Liborii supra dicta urbis episcopi* : cujus *brachium dextrum* [b] anno incarnationis Domini octingentesimo quadragesimo in basilicam Salvatoris ab se constructam transtulit VII. idus Julias, illudque ibidem in nobilissima urna decenter reposuit.

LX. Salvatoris monasterium apud Cenomannos pro virginibus.

Hoc est monasterium Salvatoris, quod inter murum [c] civitatis & fluvium Sarthæ idem Aldricus excitavit eo in loco, ubi dudum sanctæ Mariæ monasterium exstiterat; illudque in honorem Salvatoris & sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctorumque martyrum Stephani, Gervasii & Protasii IV. idus Octobris canonice atque sollemniter sacravit, adjuncto eidem basilicæ refectorio, dormitorio, cellario, cæterisque officinis, quæ ad monasterium pertinent, cum fonte vivo in medio claustri, qui per regularia discurrens ædificia, aquam ubique ministraret. In ipso vero cœnobio monachas constituit *secundum regulam sancti Benedicti degentes*, quas permissu ac consensu Ludovici imperatoris & Judith augustæ ex Intramnis monasterio eduxit. Istud monasterium erat Cenomannicæ diœcesis, & quidem nobilissimum, in quo Aldricus ipse tempore sui pontificatus [d] *monachas virgines canonice sacravit sexaginta quinque*, sed modo excisum, uti & monasterium Interamnis [*], nunc cella, ut videtur illa, quæ sita est in decanatu Sablonensi, Evroniensi abbatiæ subjecta.

LXI. S. Tenestinæ & S. Adæ translatio.

Eodem tempore, quo superior translatio corporum sex sanctorum facta est, corpus quoque sanctæ [e] Tenestinæ præcipuæ virginis, quæ monasteriolum sanctæ Mariæ cum adjutorio sancti Innocentis episcopi olim construxerat; necnon corpus sanctæ Adæ seu Adrechildis, quæ e Suessionico sanctæ Mariæ parthenone ab Agliberto episcopo accersita, regulam sancti Benedicti in prædicto monasterio sanctæ Mariæ docuerat; idem præsul in seniorem itidem transtulit ecclesiam, cujus occidentalem partem hoc anno consecravit, juxta Cointianam [f] emendationem. Biennio ante alias ejusdem ecclesiæ partes dedicaverat, in cujus dextra seu orientali parte altare *in honore* [g] *sancti Ambrosii & sancti Benedicti, sanctique Gregorii ac sancti Augustini*, aliorumque consecravit: in sinistra vero altare *in honore sanctæ Scholasticæ & sanctæ Agnetis*.

LXII. Aliud Salvatoris monasterium pro viris.

Præter monasterium Salvatoris, quod pro virginibus sacris exstruxit Aldricus, aliud etiam pro viris sub titulo quoque Salvatoris [h] & sanctæ Dei genitricis Mariæ ædificavit, sesquimilliario ab urbe super fluvium Sarthæ, in loco prius latronibus infesto. Ibi dormitorium novum decenter compositum, & in orientali ejus parte absida constructa cum altari, quod IV. idus Septembris *una cum suis reliquiis in honore sancti Benedicti Confessoris præcipui* sollemniter consecravit. Tanta vero fuit in exstruendis monasterii ædificiis diligentia, ut totum opus, quod duos aut tres annos exigebat, intra quinque non integros menses perfectum sit, nempe a kalendis Maii ad sextum-decimum kalendas Octobris: quo die consecrata ecclesia est, & ipsi monachi in novo monasterio habitare cœperunt. Neque vero exigua erat basilica, in qua quatuordecim altaria erant. Ipsa vero die dedicationis ecclesiæ inopinato quidam vir nobilis genere, nomine Salahardus, eidem loco ex proprio suo donavit, quantum mille solidis argenti vix emi potuisset; binosque filios suos eidem ecclesiæ in perpetuam servitutem tradidit, ut & ibi, si Domino placuisset, monachi fierent, & cunctis diebus vitæ suæ illic Deo servirent. Ad hæc piissimus antistes varia prædia monachis in dotem concessit, & calicem aureum cum patena, simul & codicem evangeliorum mirifice conscriptum in signum investituræ. Ab eodem etiam constitutum est, ut canonici cathedralis ecclesiæ singulis annis ad festivitatem dedicationis ejusdem basilicæ convenirent, in eaque divina officia cum monachis, tam nocturna, quam diurna ipso die concinerent, eo pacto, ut in vigilia post vesperas in refectorio cum ipsis monachis iisdem cibis reficerentur: sequenti vero die a monachis acciperent *de pane optimo modios quatuor*, id est tot panes, quot ex modiis quatuor confici possent: *& de vino optimo modios tres, & quartum de potione optima; friscingas vero verveciņas duas, & porcinas similiter duas*, id est agnos duos, totidemque porcellos: quæ vel in ipso monasterio comederent, vel ad suum ipsorum refecto-

[a] Baluz. miscell. to. 3. p. 108.
[b] ibid. p. 111.
[c] ibid. p. 55. & seq.
[d] ibid. p. 111.
[*] Entrames.
[e] ibid. p.
[f] Coint. to. 8. p. 471.
[g] Baluz. miscell. to. 3. p. 11. & 12.
[h] ibid. p. 45.

ANN. CHR. 836.

rium per famulos suos deferri curarent. Denique jussit pontifex, ut ipsa die unus monasterii presbyter pro se vivente missam celebraret, uti & ceteri omnes tam urbani, quam suburbani sacerdotes : quæ missa post ejus obitum pro mortuo diceretur. Hæc omnia novis litteris sequenti anno confirmata, ex quibus discimus, locum illum olim Brogilum appellatum fuisse.

LXIII. Talipiaci monasterium ab eodem Aldrico structum.

Neque vero tantis in monachos beneficiis contentus optimus antistes, quoddam cœnobium monachorum ª *in condita Duciacensi* *, *in loco, qui dicitur Talipiacus, super fluviolum Rhodani* exstruxit, deductis ex Aninsula sancti Carilesi abbatia monachis, quibus præpositum suum, seu archipresbyterum, Jacob nomine, abbatem præfecit, qui eos *juxta regulam sancti Benedicti* regeret. Atque ut necessaria eis suppeterent, quasdam eis villulas & possessiones assignavit, probante Ludovico augusto, & Ursmaro metropolitano suo cum episcopis comprovincialibus consentiente.

ª ibid p. 58. * de Doisé.

S. Vincentii monasterium renovatum.

Quin etiam suburbanum sancti Vincentii monasterium, quod sanctus Domnolus olim condiderat, pæne collapsum restituit, basilicam texit, ornavitque, & juxta eam claustrum ad aquilonarem partem cum aliis ædificiis exstruxit. Talipiacus videtur non alius esse a quodam vico, vulgo *Teloché* dicto, tribus a Cenomannica urbe leucis meridiem versus, super rivulum, qui Rhodanus vocatur, influitque in Sartam ad Vadum-Cesslardi * : quo in vico hactenus prioratus habetur, Cenomannensi abbatiæ sancti Petri de Cultura subjectus.

* *Gué-Cesfard.*

LXIV. S. Filiberti translatio Deas.*

Interea Herensi apud Pictones monasterio imminebant in dies Nortmanni, nec monachis illic tutis consistere licebat. Re ad Pippinum delata, tutius visum est perfugium in cellam Deensem, quam paucis ante annis Arnulfus Herensis abbas in pago Herbadilico juxta Namnetas ad Bedoniam fluviolum ædificaverat. Ex Hero itaque insula egressi cum Hilboldo abbate munachi Herenses, corpus sancti Filiberti abbatis ac patroni sui secum extulerunt; &, factis in itinere tribus statinnibus, in vicis scilicet Ampenno, Varinnis & Palo, Deas tandem appulerunt. Varia in itinere facta miracula, quæ Ermentarius monachus scripsit, testis rerum oculatus. Præmissa passim confessio & pænitentia ab his, qui divinam opem sancti Filiberti meritis implorabant. Febre laborantes, hansto vino, *in quo ablutus beati confessoris baculus fuerat*, sanabantur. Punitus inter alios perjurus, qui vini semisextarium dimidio mercatus denario, pretium fraudaverat. Cum Deensis basilica angustior confluentibus turbis non sufficeret, Hilboldus abbas, pariete primæ frontis cum transversa cruce disjecto, eam auxit, tribus absidis circum adjectis. Dubitatio orta, an femineus sexus, undequaque cum aliis confluens, admittendus esset in basilicam, cujus aditus ipsis hactenus ex prisca religione interclusus fuerat. Visum tamen est saniori, ut tunc creditum, consilio, ut communis eis accessus per unum tantum annum, id est a festivitate sancti Filiberti, quæ vicesimo mensis Augusti die celebratur, ad eamdem sequenti anno recursuram tribueretur. Anno revoluto, rediit priscæ legis disciplina. Hinc defixa crux in signum longiuscule a forinseca monasterii porta, quousque uterque sexus admitti deberet, nundinarum causa, quæ ibidem habebantur. Similem crucem vidisse memini in eremitorio Camaldulensi ad jactum lapidis a claustro eremitarum. Anno ejus sæculi quadragesimo-septimo incensum est a Normannis Deense monasterium : in quo nihilo minus sancti Filiberti corpus perstitit usque ad annum quinquagesimum-septimum, quo anno in cellam agri Andecavensis, Conaldum vocabulo, translatum fuit.

Feminis aditus in basilicam prohibitus.

LXV. Conwoionis quatuor itinera ad Ludovicum imperatorem.

Tunc temporis celebre cœperat esse Salvatoris monasterium Rothonense, quod sanctus Conwoion abbas ante annos quatuor ædificaverat. Id jam auctoritate sua probaverat Nominoius Britanniæ princeps ; at Ludovici augusti confirmatio desiderabatur. Hujus rei causa quartum adiit imperatorem vir Dei ; sed semel & iterum ab eo repulsus, aut ejus aditu ab adversariis prohibitus, non nisi tertia vice postulata obtinere potuit. Primas duas ejus profectiones etsi superius obiter attigerimus, tamen hoc loco breviter retractare juvat. Prima hæc profectio contigit anno ejus sæculi tricesimo secundo, cum Ludovicus in palatio territorii Lemovicensis ad Cadrium montem resideret, quod de Jocundiaco palatio interpretandum videtur. Ab imperatoris præsentia repulsus est vir sanctus, instinctu Ricowini comitis, & Rainarii episcopi Venetensis. Aliam non multo post aggressus est, cum Turonis versaretur imperator : sed ille iterum repulsam passus, Condeluco socio suo injunxit, ceram ut mercatum iret, quam imperatori offerret ad conciliandum sibi

ANN. CHR. 836.

ad ipsum aditum; nefas ratus deinceps vacuis manibus accedere ad imperatorem. sic ad demerendos judices offerebant clientes *cereolas rotulas*, testante Theodulfo in carmine parænetico ad judices. verum nec isto modo res successit. Felicior fuit profectio ad Theodonis-villam, ubi hoc anno & superiore moratus est ad tempus imperator. Nova hujus itineris occasio hæc fuit, quod Nominoius Britanniæ princeps, eo tempore Rothonum devotionis gratia profectus, *quartam partem plebu* seu vici *Bain* sancto Salvatori, ejusque monachis pro anima, id est salute, Ludovici imperatoris concessit, jussitque ut Conwoion una cum misso suo Worworeto ad imperatorem pergeret ad obtinendam ejus doni confirmationem. Erant eo tempore in comitatu Hermor episcopus Aletensis, & Felix Corisopitensis: ex quibus Hermor Conwoionis petitionem imperarori suggessit, cujus adeo flexus est animus, ut non modo Nominoii donationem confirmaverit, sed etiam *aliam plebem*, Lancum vocabulo, sancto Salvatori tradiderit, facta insuper præceptione de sancto loco Rothonensi, & de vicis supra dictis, quam anulo suo muniri jussit.

Post pascha hoc anno apud Theodonis-viliam celebratum, Ludovicus Aquisgranum venit: ubi tumultum Brittonum accepit, qui facile sedatus est, teste Astronomo, qui uno verbo hujus rei meminit. Tumultus causam explicat liber primus de gestis Conwoionis, discordiam scilicet Francos inter ac Brittones ortam fuisse, quod Franci totam Britanniam occupare molirentur, id est quod Gonfredus comes totam provinciam Venetiæ, quasi jussu imperatoris, sibi vindicare vellet, immo etiam locum Rothonensem. Missi continuo a Nominoio legati ad imperatorem, quæsituri, idne imperiali auctoritate fieret. Profectus cum eis quoque vir Dei ad Aquisgranense palatium, ostensoque imperiali præcepto, regiam tutelam adversus invasores obtinuit a Ludovico, qui etiam eidem tres alias plebes seu vicos superioribus donationibus adjecit.

LXVI. Diplomata pro Miciaco, & aliis.

Ad diplomata hujus anni quod attinet, in primis commemorandum venit pragmaticum, quod Ludovicus augustus Miciacensi apud Aurelianos monasterio rogatu Jonæ episcopi concessisse dicitur, relatum a Cointio ex chartaceo codice Miciacensi. Non caret nævis hoc pragmaticum, maxime in chronicis notis, ipso Cointio fatente, qui tamen non alio argumento Fridugisi Cancellarii obitum differt ad hunc annum, ob idque eum distinguit a Fridugiso abbate Sithiensi, qui ante biennium ex hac vita migraverat. Verum etsi genuinum asseratur hoc pragmaticum, inscriptio, in qua Ludovicus & Lotharius simul imperatores, & quidem *divina ordinante providentia* exprimuntur, præter morem a secessione Lotharii usurpatum; & consensus Hieremiæ archiepiscopi Senonensis, qui septennio ante hunc annum decesserat, hoc diploma ante id tempus datum evincunt, adeoque Fridugisi cancellarii obitum ad hunc annum differendum minime probant. Non tamen insuper habendum est hoc pragmaticum, in quo quid Chlodoveus Magnus, quid ejus filii Chlodomirus & Chlotarius, quid Chilpericus Chlotharii filius, quid Chilperici nepos Dagobertus, ipsiusque Dagoberti itidem nepos Theodericus tertius, quid denique Pippinus, Carolus Magnus, ac Ludovicus Miciacensi monasterio contulerint, singillatim exprimitur. Miciacensibus tum præerat Heriricus abbas, qui ante biennium corpus sancti Maximini primi ejus loci abbatis a loco, ubi Sigobertus episcopus illud deposuerat, nempe ab ecclesia basilicæ sancti Aniani contigua, probante Ludovico augusto, ac Jona episcopo consentiente, ad suum monasterium transferendum curavit.

Genuinam illius temporis inscriptionem *divina repropitiante clementia* præfert diploma [a] solius Ludovici augusti, quod Aldricus Cenomannorum antistes obtinuit hoc anno pro immunitate cœnobii sancti Petri, quod extra muros ejusdem urbis situm, in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ & sancti Petri consecratum erat. Indictionem tamen corrigendam recte monet Cointius in hoc diplomate, dato Aquisgrani x. kalendas Aprilis, anno vicesimo-tertio imperii Ludovici augusti, indictione quartadecima, non quarta. Eadem correctio adhibenda præcepto ejusdem principis, quod Supplicius abbas sanctæ Columbæ prope Senonas obtinuit ad confirmandam partitionem bonorum, quam Benedictus Anianæ abbas olim in usus monachorum segregaverat, & ad redimendam subjectionem sui monasterii, quod Hieremias archiepiscopus ecclesiæ suæ subjecerat. Editum est hoc diploma in appendice ad Lupum editionis Balузianæ, & ex ea apud Cointium.

[a] Baluz. misc. ell. to. 3. p. 94.

ANN. CHR. 837. LXVII. Status rerum hujus anni. * Cremieu.

Postero anno, id est Christi octingentesimo tricesimo-septimo, Ludovicus in conventu, Aquisgrani ad festum purificationis habito, cognitionem de rebus ecclesiæ ablatis exercuit, easque suis quasque locis restitui præcepit. Conventu inde Lugdunum translato, Stramiaci * actum est de causa Agobardi Lugdunensis & Barnardi Viennensis pontificum, quorum ecclesiæ fuga eorum vacabant: sed hæc res indecisa remansit propter absentiam eorumdem episcoporum. Paullo post nihilo minus uterque in sedem suam restitutus, ut infra videbimus.

Per paschales hujus anni dies novum prodigium in cælo visum, nempe stella crinita in signo virginis, quæ, ut dirum ac triste portentum, imperatorem in primis exterruit. Interrogati hoc de ostento earum rerum periti, in his auctor anonymus, qui ipsius Ludovici vitam litteris mandavit, ob id Astronomus vulgo appellatus, quid de eo sentirent, renuntiare Ludovico refugiebant. Hoc intelligens imperator, id sacris precibus expiavit, piisque largitionibus, quas pauperibus ac servis Dei, tam monachis, quam canonicis, porrigi jussit. Medio Septembri, conventu Carisiaci convocato, idem Carolum filium ex Juditha susceptum virilibus armis induit, sicque ense cinctum, & regali corona ornatum, Neustriæ parte donavit. quæ res animos fratrum denuo proritavit. In eo conventu graves querelæ nobilium Septimaniæ auditæ adversus Bernardum illarum partium ducem, eo quod ejus satellites rebus tam ecclesiasticis, quam privatis abuterentur. Missi ad rem agnoscendam Bonifacius & Donatus comites, & cum eis Adrebaldus abbas Flaviniacensis. His actis inde Aquas ad hiberna discessum.

LXVIII. GemeticO possessiones a Pippino restitutæ.

Cum ob regni necessitates plurimæ ecclesiis ac monasteriis possessiones subtractæ fuissent, tum vero rebus in melius commutatis a Ludovico vere Pio sancitum est, ut suæ quibuscumque locis possessiones restituerentur. Signanter vero ante triennium filio suo Pippino per Ermoldum abbatem mandavit, teste Astronomo, ut res ecclesiasticas, quæ in regno ejus erant, quas vel suis attribuerat, vel ipse sibi præripuerat, absque cunctatione ecclesiis restitueret. Paternæ admonitioni obsequens Pippinus rex, quas Gemeticensi monasterio abstulerat facultates, liberaliter restituit. Ejus hac de re præceptum, quod ex Gemeticensi chartario eruimus, hic exhibere visum est.

Pippinus gratia præveniente divinæ majestatis Aquitanorum rex. Si enim res Deo, sanctisque ejus devotas, quas jam dudum nobis, ingruentibus hinc inde casibus, & necessitatibus compellentibus ab ecclesiis Christi subtraximus, nostrisque solatii gratia contra fas contulimus, nunc hinc ob indulgentiam divinæ repropitiationis, & genitoris nostri HLudovici serenissimi augusti debitam ammonitionem, ad pristinam rectitudinis normam reducere omnimodis satagimus, Deum nobis ob id, angelosque ejus, immo & intercessiones eorumdem sanctorum, animæ nostræ ad gloriam, regnique a Deo nobis commissi ad diuturnam stabilitatem propitiare minime dubitamus. Quocirca notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, ecclesiæ sancti Petri Gemeticensis monasterii, cui Deo auctore Heribertus abbas praesse videtur, sicut & aliis quibusdam, regno nostro quamdam partem suarum substantiarum habentibus, necessitate, sicut superius illatum est, interveniente, aliisque emergentibus causis, nos reditus subtraxisse, ita ut ob hujuscemodi causam, nec clerus a rectore ibidem, ut decebat, gubernari, nec juxta instituta dominica hospitalitas exercere possit; summa devotione eidem monasterio omnes res a nobis sibi abstractas, hoc est, in comitatu Toarcinse villam Tordiniaco; & in comitatu Andegavino manentes sex, cum omni integritate per nostræ auctoritatis preceptum plenissime in omnibus restaurare libuit celsitudini nostræ: quatinus & Dei auxilio ubique protegeremur, & ammonitio magni Cæsaris, nostri equidem genitoris HLudovici, adimpleretur, necnon & omnium fidelium nostrorum exhortatio in hoc decentissime laudaretur. Proinde per hoc nostræ auctoritatis scriptum decernimus, immo & regali preceptione jubemus, ut nullus fidelium nostrorum de rebus supra scriptis, aut ex aliquibus ejusdem ecclesiæ deinceps aliquam subtractionem, aut aliquod impedimentum rectoribus illius facere præsumat, si res proprias, aut sibi, aut ab aliis largitas in regno nostro, successoresque sibi suæ prolis habere desiderat: sed liceat eisdem rectoribus per hoc nostræ recognitionis, immo correctionis mandatum, easdem res cum omni integritate quiete pacificeque possidere, & secundum officium suum eas ad cultum & servitium divinum amministrare, nostroque obsequio, sicut moris progenitorum nostro-

ANN. CHR. 837.

rum fuit, debitum solatium exhibere. Et ut hac auctoritas a fidelibus sancta Dei ecclesia & nostris verius credatur, & diligentius observetur, manu propria subterfirmavimus, & anulo nostro sigillari jussimus. Isaac diaconus ad vicem Hermoldi recognovit & subscripsit. Data VIIII. *kalendas Maii, indictione prima, anno vigesimo-quarto imperii HLudovici serenissimi augusti, & regni nostri vigesimo-tertio. Actum in Caseno in Dei nomine feliciter, amen.*

Heriberto abbati successit Ruodulfus abbas, in vulgatis indicibus omissus, de quo in consequentibus agendum.

LXIX. Aldricus episcopus monasterii Salvatoris dotem confirmari curat.

Anno superiore actum est de conditu monasterii Salvatoris & sanctæ Mariæ, quod Aldricus Cenomannorum antistes sesquimilliario ab urbe pro monachis instituti nostri ædificavit. Hoc vero anno, ut huic institutioni robur adderet, factum confirmavit edito testamento, quod a comprovincialibus, aliisque aliarum provinciarum episcopis subscribi curavit. In his posterioribus litteris ea omnia commemorat, quæ in prioribus expressa erant, quibusdam conditionibus adjectis, quæ hoc loco non videntur omittendæ. Primo locum illum, ubi conditum fuit monasterium,
» *olim Brogilum a priscis* vocatum fuisse ait, eumque ab se acquisitum largitione dom-
» ni Ludovici piissimi imperatoris. Deinde villas enumerat, monasterio in dotem concessas, quas *per librum quatuor evangeliorum nobiliter ornatum, & auro ex parte conscriptum, & per calicem aureum unum cum patena sua, desuper episcopis & sacerdotibus munus imponentibus*, eidem tradidit, legavitque. Ad hæc refectionem canonicis
» in die dedicationis fieri denuo præscribit, obsecrans tum successores suos, tum abba-
» tes & monachos atque canonicos, qui ad prædictam festivitatem venerint, ut ab
» ipsa refectione vel suo ipsorum refectorio suburbanos sacerdotes, qui ad hanc festi-
» vitatem convenerint, non excludant. attamen, si qua necessitas id exigit, obtestatur, *ut unus canonicorum, bene fidelis, de prædictis stipendiis*, pane scilicet, vino & friscingis, *qua jam dicti monachi tribuerint, accipiat unum modium panis, & alterum vini, insuper ex potione sexturia quatuor, & unum friscingum, qualem meliorem invenerit; & ex his, illis suburbanis sacerdotibus præparet devote ac religiose refectionem. Sed magis opto*, inquit, *& supplex deprecor, ut cum sæpe dictis canonicis nostris*
» *in refectorio cum illis religiosissime reficiant.* Insuper rogat, ut unum modium de
» præfixo pane, & alterum de jam dicto vino, & de prædictis friscingis unam, qua-
» draginta pauperibus in eadem festivitate distribuant. In fine precatur, ut ne id ope-
» ris quasi superflue factum reprehendatur: cum multæ episcopales sedes & matres
» ecclesiæ varia sub se monasteria constructa habeant, quæ multi sancti episcopi ex re-
» bus ecclesiæ suæ ditaverint. Actum in ipsa Cenomannica urbe kalendis Aprilis, ip-
» so die sancto paschæ, anno incarnationis dominicæ octingentesimo tricesimo-septi-
» mo, indictione quinta-decima, imperii domni HLudovici gloriosissimi imperatoris
» vicesimo quarto, non tertio, & anno ipsius Aldrici ordinationis quinto. Subscri-
» bunt post eum archiepiscopi duo, Ursmarus metropolitanus Turonum, & Autca-
» rius Moguntinus, episcopi septem cum Davide chorepiscopo, atque presbyteri &
» diaconi complures. Iidem omnino subscribunt aliis ejusdem Aldrici litteris pro ecclesiæ Cenomannensis canonicis, quibus reditus ad vitam communem assignat cum domo sua, & refectorio *noviter* ab se ædificato, statuens, ut in die dedicationis occidentalis partis ecclesiæ, quæ est XI. kalendas Julii, accipiant prædicti canonici *de frumento optimo modios sex, de vino optimo modios quatuor, & insuper de potione, qua vulgo alixonu dicitur, modium unum, & arietes optimos quatuor, & porcos optimos duos.* quæ respondent friscingis in superioribus litteris memoratis. Utrobique eædem omnino sunt chronicæ notæ, eædemque episcoporum subscriptiones, excepto Jona episcopo Aurelianensi, cujus nomen in prioribus illis litteris non invenitur. Ex quinque provinciis erant illi episcopi, nempe ex tertia & quarta Lugdunensi, ex Belgica secunda, ex Germania prima, & ex Aquitania secunda. Quamquam autem ad festum diem paschæ celebrandum alii alios episcopos invicem non raro invitabant; neutiquam tamen Cointio veri simile videtur, tot diversarum provinciarum episcopos simul Cenomannis convenisse sanctissimo die paschæ, quo Aldricus has binas literas edidit; transmissum proinde earum exemplar ad absentes episcopos, ut eas subscriptionibus suis firmarent. Idem Aldricus præceptum confirmationis a Ludovico imperatore obtinuit pro superiori monasterio Salvatoris, cum facultate eligendi abbatis secundum regulam sancti Benedicti. Datum Gundulfi-villa

ANN. CHR. 837.

prope Tu'lum Leucorum XVII. kalendas Julii, iisdem anno & indictione. Quæ omnia prolixius referuntur in gestis ipsius Aldrici apud eruditum Baluzium in tomo tertio Miscellaneorum. Excisum modo est hoc sancti Salvatoris monasterium, quod Bondonetus [a] eo in loco positum fuisse putat, ubi nunc Nova-villa cernitur.

In ipsis Aldrici gestis etiam agitur de controversia eodem anno excitata inter eumdem Aldricum & Sigemundum abbatem de subjectione monasterii Aninsulæ seu Anisolæ, quod Aldricus ecclesiæ suæ in conventu Carisiacensi evindicavit. Hujus rei quæstio [b] jam ante habita fuerat coram Ebroïno Pictavorum, & Erchenrado Parisiorum episcopis, quibus adjuncti erant Rorigo comes, & Altmarus senescalcus domnæ Judith imperatricis. Aldricus jus suum scriptis ac testibus approbabat: Sigemundus contra nihil aliud opposuisse dicitur, quam unam epistolam Pippini regis, qui Aninsulam juris regii, non Cenomannicæ ecclesiæ, proprium esse declaraverat, scripta epistola Siebaldo abbati, qui ad tempus ecclesiæ Cenomannicæ jugum excusserat. At reponebat Aldricus, id propter odium Gauzioleoi in regem rebellis factum a Pippino, qui Carolo filio præceperat, ut prædictum monasterium eidem ecclesiæ restitueret. Id porro exsecutioni demandatum a Carolo, ac re vera monasterium Franconi episcopo restitutum. Offerebat nihilo minus Aldricus episcopus Sigemundo abbati id pacti genus, ut beneficii jure hoc monasterium sub annuo censu teneret. verum hanc conditionem Sigemundus refutabat, obtendebatque insuper Ludovlci augusti privilegium sibi factum de libera electione abbatis: at hoc privilegium sibi subreptum fuisse Ludovicus ipse asserebat. Post hæc citatus usque tertium ad audientiam imperatoris Sigemundus, adesse renuit: ac demum Aquisgrani in sollemni conventu, productis & lectis superiorum regum pro ecclesia Ceoomannica præceptis, judicium prolatum est secundum Aldricum pridie kalendas Maïas: cui judicio subscripsere [c] Judith imperatrix, Karolus gloriosissimus rex ejus filius, Drogo dictus archiepiscopus atque archicapellanus, cum aliis septemdecim, tum archiepiscopis, tum episcopis, comites viginti-sex, septemdecim abbates, & post eos plurimi vassi dominici. Abbates hi sunt, Richboto Centulensis, HLudovicus imperatoris frater, Stolido incerti loci, Hilduinus Dionysianus simul & Germanensis; Burchardus, Lantramnus, Godolricus, Daniel, Georgius, Elmeradus, Waringarius, Aldricus, Eribertus, Tethaldus incertorum locorum abbates; Marcoardus Prumiensis, Humbertus incognitus, & Eginhardus Selingestadiensis abbas. Vitiosi sunt in editis chronologici hujus judicii characteres, qui annum sequentem [d] & indictionem secundam præferunt. Argumento est notitia de judicio, Carisiaci sequenti mense Septembri, *ind ctiont prima* habito, in quo laudatur præmissum decretum synodi Aquisgranensis.

a Bondonet. p. 368 380. & seq.

LXX. Lis de subjectione monasterii Aninsulæ.

b Baluz. to. 3. p. 114. & seqq.

c ibid. p. 129.

d ibid. p. 126.

His ita gestis, denuo tamen citatus ad præsentiam imperatoris Sigemundus abbas, post multas tandem tergiversationes se sistit. Cum itaque Carisiaci Ludovicus im- « perator ad universorum causas audiendas resideret una cum Pippino & Carolo filiis « suis, & maximo numero episcoporum & sacerdotum, eo accesserunt monachi am- « plius viginti ex monasterio Anisolæ, sancti Carilesi tumulo ac corpore insigni, una cum « Sigemundo, suo dudum abbate, conquesti, se injuste e suo ipsorum monasterio « ejectos fuisse. Id a se factum negavit Aldricus, protulitque litteras sancto Inno- « centi episcopo factas a sancto Carileso cum consensu Childeberti regis, quibus lit- « teris hoc monasterium ecclesiæ suæ subjectum asserebat. Ad hæc Drogo Mettensis « episcopus ait ea rursus retractanda non esse, quæ *præterito tempore* in Aquisgranensi « palatio discussa ac definita fuerant. Mox actum est de exitu monachorum e suo « monasterio, quod cum nullius rei indigentia, nullius alterius culpa, sed ipsorum « libitu & contumacia factum esse probatum fuisset; eis imperatum est, ut ad suum « demum monasterium reverterentur, ibidem jejuniis ac precibus, aliisque regulari- « bus exercitiis vacaturi. Illis vero parere recusantibus interdicta communio est. His actis subscribunt *Drogo archiepiscopus & Senior capellanus*, & sex metropolitani cum plerisque suffraganeis suis, nempe Autcarius Moguntinus, Agobardus Lugdunensis, Bernardus Vienoensis, Bartholomæus Narboneosis, Agiulfus Bituricensis, & Notho Arelatensis. quod argumento est, Agobardum & Bernardum imperatori tum reconciliatos fuisse. Data VIII. idus Septembris, anno imperii Ludovici piissi- « mi augusti vicesimo-quinto, indictione prima. ubi anni imperatoris ab eo die, quo « consors imperii vivente patre factus est, & indictio prima a kalendis Septembris

ANN. CHR. 837. numerantur. Acta hæc peculiari diplomate Ludovicus confirmavit Carisiaco palatio regio, VII. idus Septembris, iisdem anno & indictione. ex quo Cointius locum superiorum actorum emendandum censet, legendumque, *Actum Carisiaci palatio regio*, ut initio actorum habetur, non *Aquisgrani*, ut in editis. Certe conventus Carisiaci medio Septembri ab imperatore indictus est hoc anno, teste Astronomo; ac proinde recte annum prædictorum actorum idem Cointius emendat, atque uno anno libros editos anteverrit, ut præsentem dominicæ incarnationis annum reponat.

LXXI. Aninsulensium monachorum fuga. Hoc decreto exacerbati Aninsulenses monachi, fuga e monasterio se proripuerunt, sacra supellectile secum asportata; eorumque abbas Sigemundus synodalibus & imperialibus parere jussis detrectavit. His acceptis, Ludovicus facti cognitionem Jonæ Aurelianensi episcopo, & Henrico seu Heririco Miciacensi abbati demandavit, scriptis ad Jonam litteris in hunc modum. *In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, HLudovicus, divina repropitiante elementia imperator augustus, Jonæ venerabilis episcopo salutem. Notum tibi esse volumus, quia perventum est ad nos, quod monachi ex monasterio sancti Carilefi in egressu præsumtivo idem monasterium exspoliassent ornamentis ecclesiasticis, tam in thesauro, quamque in vasis seu vestimentis, necnon & libris. Quapropter tibi præcipimus & Henrico abbati, ut vos omni diligentia illud inquiratis, & cum omni integritate res ecclesiasticas eidem ecclesiæ restituere faciatis. Vale. Ex hoc habeto studium, sicut de te bene confidimus, & sicut in hoc nostram cognoscas voluntatem.* Sequuntur aliæ, quæ fortasse præcedere debuerant, ejusdem imperatoris itidem ad Jonam litteræ ejusdem omnino inscriptionis & argumenti, quibus idem princeps significat ad se pervenisse, quod monachi „ ex monasterio sancti Carilefi egressi, immemores propriæ professionis, qua obedien„ tiam & stabilitatem in suo monasterio promiserant; obliti etiam sententiæ evange„ licæ de non facienda propria voluntate; atque etiam apostolicæ præcipientis, sub„ jectos esse debere omni creaturæ, sive regi, quasi præcellenti, sive ducibus, tam„ quam ab eo missis, per diversa loca vagarentur; & quidem non aliam ob causam, „ nisi quod abbas eorum imperialibus jussis inobediens esset, quibus & ipse, & suum ip„ sius monasterium Aldrico episcopo ejusque ecclesiæ denuo subjicerentur. Quaprop„ ter se velle, ut Jonas cum Henrico abbate eosdem monachos ad proprium monasterium „ redire compellat: si vero quispiam eorum contumax fuerit, ad proximum Carisiaci „ placitum seu conventum adducatur. Interim in possessionem monasterii adductus est Aldricus per Fulconem comitem palatii, atque Arduinum & Gaufridum comites, ac plenam legalemque ejus investituram sollemniter iniit *per ostecas* [a] *& ostia senioris ipsius monasterii ecclesiæ, in qua sanctus Carilefus corporaliter requiescit, & per portas ipsius monasterii*, coram multis testibus. Resedit ad tempus hæc controversia, reversique monachi Aldricum demum agnoverunt, ut intelligimus ex dedicatione [b] senioris seu principis ejusdem ecclesiæ altaris, ab ipso facta V. idus Maias anni insequentis: quo tempore idem antistes cum psalmorum cantu a monachis ibidem susceptus est. at post mortem Ludovici augusti hæc rixa denuo recruduit; tandemque ad Romanum pontificem Nicolaum primum relata causa, Aninsulensis abbas superior evasit.

a ibid. p. 116.
b ibid. p. 106.

LXXII. Romanis monasterium condit Barnardus Viennensis. Restitutus in gratiam & in suam sedem Barnardus seu Bernardus Viennensis antistes, qui Ambroniacense jam pridem exstruxerat monasterium, mox alteri condendo animum adjecit: ubi a procellosis sæculi tumultibus ac negotiis identidem respiraret. Erat tum illis in partibus matrona quædam nobilis & locuples, quæ orbata viro ac prole, patrimonium suum Romanæ ecclesiæ per Barnardum tradere ad exstruendum monasterium constituit. Huic inter alia prædium erat haud longe ab Isera fluvio, cum ecclesia sub titulo sancti Romani olim constructa: quem locum condendo monasterio visum ei est opportunum. Barnardo propius Iseram * statuere placuit, quatuor aut quinque leucis ab istius fluvii confluxu in Rhodanum. *Romanis* vocabulum a prisca illa sancti Romani ecclesia, & forte a Romana, cui monasterium tributum erat, inditum ab eo est. Fundata basilica, & monachis ibidem cum abbate collocatis, dedicationis dies indicitur: quæ ut celebrior esset, simul ad augendam loci religionem, quem sepulturæ suæ vir sanctus destinaverat, sanctorum martyrum Severini, Exsuperii & Feliciani reliquias ex suburbano suæ civitatis vico, Brenniaco nomine, eo transtulit, templumque in honorem sanctorum apostolorum

* l'Isere.

ANN. CHR. 837.

apostolorum una cum comprovincialibus episcopis VI. nonas Octobris sollemni ritu consecravit, prædiis ad quotidiana stipendia monachorum ex prædictæ matronæ dote assignatis. Processu temporis locus in opidum accrevit, cui hodie quoque *Romanis* * hæret vocabulum, sed prisca religio non ita, quæ a monastico statu ad canonicalem ante sexcentos amplius annos defecit. Aliud fuit, & quidem longe antiquius, monasterium *Romanum* dictum, situm in pago Waldensi, auctore Romano abbate Condatescensi, ut in superiori volumine dictum est. Magna intercessit Barnardum inter & Agobardum Lugdunensem archiepiscopum necessitudo ac familiaritas, parque fortuna in turbis illis civilibus, quarum uterque plus æquo particeps fuit. Idem Barnardus episcoporum quoque Gallicanorum criminationem incurrit, quod, Leidrado archiepiscopo ad sancti Medardi monasterium secedente, Agobardum in ejus locum non satis consulto consecrasse videretur. Exstat epistola Barnardi, aliorumque episcoporum nomine scripta *de Judaicis superstitionibus*, inter opera ipsius Agobardi, qui ei librum *de privilegio & jure sacerdotii* inscripsit. Ad hæc, cum Lempteus vicedominus Lugdunensis & uxor ejus Agiloë ecclesiam in villa pagi Viennensis Sentonaro vellent construere, ejus rei facultatem obtinuerunt a Barnardo, qui etiam Agobardo novæ ecclesiæ dedicationem facere permisit, scripta ad eum hac de re epistola, quam in observationibus præviis ad Barnardi vitam retulimus, cui epistolæ *Belcio abbas sancti Teuderii monasterii* subscripsit. His acceptis litteris, Agobardus hanc dedicationem demandavit *viro venerabili Audino ecclesiæ Lugdunensis coëpiscopo*. (sic chorepiscopos non raro appellabant) qui illam ecclesiam XII. kalendas Decembris sub nominibus sanctorum apostolorum Petri & Pauli consecravit, ut in chartario Viennensi legimus. Hic est Audinus chorepiscopus, qui concilio Valentino tertio subscripsit, notatus in Augiensi necrologio * inter canonicos sancti Pauli.

Ejus amicitia cum Agobardo, & scripta.

Audinus coëpiscopus seu chorepiscopus. * Analect. to. 4. p. 644.

LXXIII. Agobardus in Amalarium scribit.

Hoc fere tempore Agobardus stilum distrinxit adversus Amalarium, qui Lugdunensis ecclesiæ cantum in suo libro de Antiphonario reprehenderat. Hunc talione acriter remordet Agobardus, tum in libro de divina psalmodia, tum in libro de correctione antiphonarii, tum denique in alio opusculo *contra libros quatuor Amalarii abbatis*, scilicet de divinis officiis, qui in perantiquo codice olim Thuaneo, nunc Colbertino, sic inscribuntur, teste Baluzio: *Tomus Amalarii abbati de divinis officiis.* qui *abbatis* titulus eidem rursus in eodem codice tribuitur, *chorepiscopi* in Epternacensi. sed de his actum superius. In primo ex his tribus libris Agobardus in Amalarium invehitur, quod veritus non sit in ipsa Romana ecclesia quædam in sacris officiis & ministeriis reprehensibilia, etiam sub anathematis damnatione, resecare. deinde quod alia in divinis officiis, præter scripturas sacras, cantanda admittat: aitque ei sufficere debere, quod, sicut in diebus ad missas nonnisi divina generaliter " eloquia decantantur, ita & in noctibus ad sacras Deo vigilias exhibendas eadem pro- " cul dubio lex debeat observari. Eadem sententia est sequentis libri, qui præcipue can- " toribus ecclesiæ Lugdunensis inscribitur. Hoc in libro multis in locis carpit librum Amalarii, laudatque quosdam religiosos viros, qui subjectis sibi fratribus tale præceptum dederunt. *Nullus præsumat*, inquiunt, *responsoria aut antiphonas, quæ solent aliqui composito sono pro suo libitu, non ex canonica scriptura assumta canere, in congregatione ista vel meditari, vel dicere. Oportet enim nos sanam, & simplicem, & apostolicam, & patrum nostrorum imitari doctrinam, & gratiam stabilire; cor, moresque subdere disciplinæ.* quæ verba desumta sunt ex capite quarto-decimo regulæ sanctorum Johannis & Pauli. De tertio Agobardi opusculo contra libros de divinis officiis nihil singulare observandum occurrit. In duobus prioribus scriptis idem auctor laudat ecclesiæ Lugdunensis *officialem libellum*, quem *antiphonarium* vocant, cui præmissa erat præfatio *pii & orthodoxi patris, cujus probatissima fides atque doctrina*, inquit, *in munere Dei nostri omnibus examinata ac declarata celebriter innotuit.* ubi Leidradum decessorem suum intelligit, qui cantum in ecclesia Lugdunensi disposuerat, ut ipse testatur in epistola ad Carolum Magnum.

Non minus acriter Amalarium pupugit Florus diaconus in epistola, nomine ecclesiæ Lugdunensis scripta in causa prædestinationis, ubi dolere se ait, quod ecclesiastici & prudentes viri *Amalarium de fidei ratione consulerent, qui & verbis, & libris suis, mendaciis & erroribus phantasticis, atque hæreticis disputationibus plenis, omnes pene apud Franciam ecclesias, & nonnullas etiam aliarum regionum, quantum*

ANN. CHR. 837. *in se fuit, infecit atque corrupit: ut non tam ipse de fide interrogari, quam omnia scripta ejus, saltem post mortem, deberint igne consumi.* At nunc vice versa magni fiunt hi Amalarii libri, & ab ecclesiasticæ disciplinæ peritis viris maxime probantur. Scribebat hanc epistolam Florus sub annum octingentesimum quinquagesimum: quo tempore Amalarium adhuc in vivis exstitisse ex præmissis Flori verbis colligi posse forte quis putet, utpote quem etiam tum ecclesiastici viri de fidei ratione consulerent. at non Amalarium ipsum illi consuluisse videntur, sed ejus libros, quos *saltem post mortem* auctoris igne consumtos Florus cupiebat. De altero ejusdem in ipsum Amalarium libro inferius agemus.

Jam ad Agobardum ut recurrat narratio, is epistolam quoque scripsit *ad clericos & monachos Lugdunenses de modo regiminis ecclesiastici,* ob rumores quosdam & suspiciones diversas, quæ in ipsum sparsæ fuerant. Quinam fuerint hi rumores, non » explicat Agobardus: qui in hoc totus est ut probet, quod quicumque prædicatio- » nis officium & locum regiminis suscipit, ut consolationem & avocationem quærat » in divitiis, in ornamentis metallicis, in venationibus, aliisque ludicris exercitiis, » &, quod pejus est, in comessationibus & sonis musicis; hic non Dei adjutor sit, » sed antichristi, & destructor operis Dei; & licet in oculis humanis sacerdos esse vi- » deatur, in oculis tamen Dei non sit. Ex quibus ita concludit. *Omnis ergo qui præponitur ceteris, sive clericus, sive monachus, si ita videtur benevolus ac mansuetus atque affabilis, ut subditorum corda in sui amorem, & propriam laudem convertat, adulter est, & regimen animarum suscipere numquam debet.* quod maxime iis aptat, quibus sermo scientiæ aut sapientiæ competit. Id vero scribit in primis pro his, qui ipsi commissi erant, *ita tamen ut in nomine pastorum intelligantur abbates, & præpositi, atque presbyteri.* In ordinem redactus fuerat Agobardus ante biennium ob Ludovici augusti exauctorationem, cui assensum præbuerat.

LXXIV. Amalarii extrema facta & scripta.

Ab Agobardo divellendus non est Amalarius mox laudatus, quem Ludovico augusto superstitem fuisse vix crediderim. Ab eo nihil gestum comperio post legationem Romanam ad Gregorium papam, ipsi a Ludovico ante annos decem commissam. Sepultus fuit Mettis in crypta monasterii sancti Arnulfi, ejusque monumentum ibidem videbatur ante ruinam suburbani monasterii sancti Arnulfi, quæ patrum nostrorum sæculo facta est. Sane eum non raro Mettis versatum fuisse inde colligitur, quod libros illius ecclesiæ identidem laudat. Symphosium adscititio nomine dictum fuisse probat Ademarus, Ecolismensis ineunte undecimo sæculo monachus, qui libros de divinis officiis transscribi curavit cum supplemento a nobis [a] edito de officiis monasticis secundum regulam sancti Benedicti: in quorum fine hæc clausula apposita est. *Explicit liber Symphosii Amalarii presbyteri venerabilis de divinis officiis... quem librum in hoc corpore transscribi curavit Ademarus indignus monachus in honorem Dei & sancti Benedicti.* Illud vero supplementum ipsius esse Amalarii stilus omnino probat. Nec obstat quod Fausti opusculum de vita sancti Mauri in illo supplemento laudat ante ejus inventionem ab Odone abbate factam. Hoc enim opusculum videre potuit in Romano itinere, quod jussu Ludovici augusti confecit. Certe hujus supplementi auctorem non ex monastico, sed ex clericali ordine fuisse ex ejus verbis constat.

[a] Analect. to. 2. p. 96.

Præter librum antiphonarii & quatuor libros de divinis officiis, Amalarius quasdam epistolas scripsit, ex quibus quinque in Spicilegii tomo septimo editæ sunt. Prima est ad Hieremiam archiepiscopum Senonensem *de nomine Jesu*, quo modo scribendum sit, cum responsione ipsius Hieremiæ. Secunda ejusdem argumenti ad Jonam episcopum Aurelianensem. Tertia responsio est ad Rantgarium episcopum Noviomensem, qui ipsum de sensu interrogaverat eorum verborum, quibus Christi Domini sanguinis consecratio peragitur. ubi notanda hæc Amalarii verba, sensum illum hoc modo exponentis: *Hic calix est in figura corporis mei, in quo est sanguis, qui manabit de latere meo.* adeoque sicut in corpore Domini, ita in calice consecrato verus Christi sanguis continetur ex mente Amalarii. Quarta epistola est ad Hettonem monachum, quem Acherius noster suspicatur fuisse Hettium abbatem illum, qui postea factus est archiepiscopus Trevirensis; Baluzius in notis ad Agobardum mavult esse Fuldensem illum monachum, qui Rabano in regimine Fuldensi successit. In perantiquo Sithiensi codice, Saxonicis litteris scripto, hæc epistola inscribitur *ad Hettonem abbatem, de Seraphim*, quo scilicet modo scribendum sit. Hetti

ANN. CHR. 837.

Mediolacensis abbas facile notus e propinquo esse potuit Amalario, qui in episcopatu Mettensi degebat, haud scio an idem ipse Amalhart abbas Hornbacensis, laudatus in necrologio [a] Augiensi. Quinta epistola inscripta est *Guntardo filio in disciplina Chisti*, qui scrupulum movebat Amalario, quod non se cum majori cautela observaret, *ut ilico post consumptum sacrificium spueret*: cum ceteri sacerdotes a sputo diutius post sacrificium abstinerent. Ridet hanc, ut putabat, simplicitatem Amalarius, non *quod non debeamus venerari corpus Domini pra omnibus sumptibus: sed quod si veneratum fuerit ab interiore homine, quidquid naturaliter ab exteriore agitur, dominico honori deputatur.* Unde *si forte me*, inquit, *ignorante, aut non consentiente exierit de ore meo ex corpore Domini, non me putes alienum a religione Christiana, quasi contemtui habeam corpus Domini mei.* Denique si potuisset abstinere diutius a sputo, hoc se curaturum fuisse ait, ut satis faceret iis, qui ipsum reprehendebant: sed quia hoc sibi difficile erat, se confidere in Domino, modo ut mens ipsius pura fuisset vere & humilis, corpus Domini intraturum ad animam vivificandam, & quod ejiciendum est propter sanitatem corporis, sine dispendio animæ exiturum. Jam vero quo Christi corpus sumtum evadat, utrum invisibiliter assumatur in cælum, an reservetur in corpore nostro usque ad sepulturam; an vero more ceterorum ciborum aut exhaletur in auras, aut de corpore cum sanguine exeat, aut denique egestioni obnoxium sit, non esse hac de re disputandum: sed hoc solum cavendum esse, ne Judæ corde sumatur, aut contemtui habeatur, sed discernatur, ut par est, a communibus cibis. Hoc ex loco recentiores plerique inferunt, Amalarium errori Stercoranistarum, de quo inferius, tali dubio proponendo, occasionem dedisse. Ceterum ex hac epistola non obscure colligitur, quod Ademarus diserte tradit, Amalarium sacerdotem fuisse, quem Guntardus aïebat alio modo in excreando agere, quam *ceteros sacerdotes.* Eadem epistola confirmat catholicam fidem de vera Christi corporis præsentia in eucharistia, occurritque Calvinistarum objectioni, ubi relatis Christi Domini verbis, *Hoc est corpus meum*, subdit Amalarius: *suum corpus quando voluit & quando vult, in terra versatur, etiam post ascensionem suam, non dedignatus se Paulo apostolo monstrare.* Alterum videtur in Amalario reprehendisse Guntardus, quod sæpius, & forte quotidie, missam celebraret, allata sententia Gennadii, ex libro scilicet de dogmatibus ecclesiasticis, ut præcipue per dies dominicos communio sumatur. Ad quod Amalarius respondet, forte non fuisse illius consuetudinem, ut per singulos dies missam celebraret. Ceterum Gennadio longe præferendam esse sancti Augustini auctoritatem, qui unicuique hac in re id facere permittit, *quod secundum suam fidem pie credit faciendum esse.* Hæc satis superque satis de epistola ad Guntardum, quem Amalarius *filium in disciplina Christi* appellat, dicens initio epistolæ suæ, se demum ad ejus litteras respondisse, ne qua suspicio in ejus pectore falsa, errorve ignorantiæ remaneret, & ne proterve agere videretur *contra nostram*, inquit, *religionem.* Ceterum hæc epistola ad Guntardum in Remigiano veteri codice emendatior est quam in editis. Exemplo sit hic locus paullo post initium, ubi in codice ita legitur: *Addidisti quod non videres ceteros sacerdotes hoc facere, id est statim spuere post comestam eucharistiam. Quando hoc audivi a te, nec mutum tibi dixi*, id est ne quidem verbum; *neque cogitavi ex hoc tibi respondere. Nanci duxi talem percontationem*, &c. multo rectius quam in editis, ubi habetur, *multum tibi dixi*, & *nausiam duxi.* Plura id genus in consequentibus, sed minutiora, quam ut hic referri mereantur, nisi quod paullo ante medium, ubi legitur, *bubalorum suorum & hircorum*; longe melius habet codex, *bubalorum, suum, & hircorum.* Sed hæc missa faciamus.

a Analect. to. 4. p. 644.

Epistola ejus de sputo sacramenti.

LXXV. Florus in eum scribit.

Agobardi archiepiscopi sui exemplo Florus diaconus acerbissime invectus est in Amalarium opusculo nondum edito, quod *Drogoni sacri consilii magistro & pontifici clarissimo, Heti Trevirorum antistiti, Aldrico reverentissimo Cenomannorum episcopo, Rabano abbati venerabili; & ex provincia Lugdunensi prima Alberico Lingonensi reverentissimo episcopo, ecclesie indignus*, ut se ipse dicit, *filius, & pietatis ac paternitatis vestra exiguus servulus Florus* inscribit. Argumentum operis titulus veteris codicis ita aperit. *Incipit epistola Flori totius veritatis plena, contra falsiloquas adinventiones Amalarii, quondam Lugdunensis Chorepiscopi, de corpore Domini tripartito.* quod itidem carpebat Agobardus. In vivis adhuc erat Amalarius, cum Florus hæc scriberet: qui si hunc titulum operi suo apposuit, tunc non amplius chorepiscopus

ANN. CHR. 837.

erat Amalarius ecclesiæ Lugdunensis. Hanc de tripertito Christi corpore sententiam primum in frequenti presbyterorum synodo *viva voce* exposuisse dicitur Amalarius illius ecclesiæ *prelatus*: deinde in tribus, quæ Florus commemorat, ejus opusculis, scilicet in Officiali libro, quem de divinis officiis composuit; in Antiphonario; & in alio, quod *Embolum opusculorum suorum* appellabat. Hæc epistola, in qua Florus Amalarium ob corpus triforme exagitat, prævia est opusculo *de causa fidei, apud Carisiacum in synodo episcoporum nuper habita*. In hoc opusculo legitur, nuperrime, *apud Carisiacum palatium in generali & valde celebri episcoporum concilio*, præsente ipso Amalario, expositos fuisse ejus errores, ut vocat Florus, de corpore Christi triformi, deque sacramenti sumti variis casibus, qui ex superioribus satis intelliguntur. Amalarium vero interrogatum, ubi hæc legisset, respondisse se *in suo sensu* legisse. quibus auditis, in synodo judicatum, *doctrinam hanc esse omnino damnabilem, & ab omnibus catholicæ fidei cultoribus funditus respuendam*: cujus rei historiam Florus prædictis episcopis fuse exponit. Eidem opusculo subnectit idem auctor rem gestam in concilio apud Theodonis-villam habito, in quo iterum de hac Amalarii opinione actum est, qui in publico ecclesiæ Lugdunensis conventu asserere ausus est, *ad hoc vos*, inquit Florus prædictos alloquens episcopos, *suis persuasionibus in generali synodo fuisse perductos, ut omnes manu propria suis ineptissimis libris subscribere, & sic unanimiter sentire & observare velletis.* quod de synodo apud Theodonis-villam anno DCCC XXXV. habita intelligendum videtur. In fine testem
» invocat Deum Florus, se non auctoris, sed erroris odio hæc scribere, & amore ve-
» ritatis; ecclesiæ quoque Lugdunensis commiseratione; cujus uberibus ab infantia
» alitus sit: in qua & administrationis locum, & doctrinæ ac prædicationis officium
» exercuit. Illa tamen tum Agobardi, tum Flori scripta nequaquam obtinuere, ut libri Amalarii omnino reprobati sint, qui modo absque offendiculo & non sine utilitate leguntur. Verum auctores illos commovebat præsumta corporis triformis novitas, in rebus fidei merito suspecta: tametsi hæc Amalarii sententia quoddam apud veteres fundamentum habebat. De his satis.

LXXVI. Adremarense monasterium conditur.

Huic anno consignatur origo monasterii Adremarensis, vulgo Arremarensis, in agro Tricassino, auctore Adremaro presbytero, a quo nomen loco inditum est. De ejus monasterii primordiis hæc habet perantiquus codex. *Anno ab incarnatione Domini* DCCC XXXVII. *indictione* II. *fundatum est cœnobium in silva, qua vocatur Dervus, in loco, qui dicitur Mansus-Corbonis, postea Nova-cella, in pago Tricassino, a presbytero quodam Adremaro, exsistente tunc Tricassino antistite Adalberto, comite Aledranno.* ubi Cointius recte monet indictionem corrigendam, & pro secunda reponendam indictionem quintam-decimam, aut certe primam, quæ huic anno a Septembri mense convenire poterat. Ex hoc loco patet, triplex fuisse olim hujus monasterii vocabulum, quod ab auctore *Adremarense*, ab antiquo possessore *Mansus-Corbonis*, a condito recens monasterio *Nova-cella* nuncupatum est, rarissime Dervense, tametsi in saltu Dervo conditum, ne eum sancti Bercharii Dervensi monasterio confunderetur: quorum alterum positum ad Vigeram fluvium in Pertensi pago diœcesis Catalaunensis: alterum ad Barsan amnem in agro Tricassino, quatuor ab urbe leucis. Primus inter abbates Adremarenses locum tenet Adremarus ipse, monasterii auctor, qui jam forte monachus ante conditum cœnobium erat, sed presbyter tantum dictus pro more illorum temporum: tametsi *monachus* dicitur in litteris Leonis papæ quarti ad Prudentium episcopum Tricassinum; at *reverendus Dei sacerdos* in diplo-
» mate Caroli Calvi, quod Odo inlustris comes obtinuit. Is regiæ serenitati exposuit,
» quod tempore prædecessoris sui Aledranni quondam comitis in comitatu Tricassi-
» no, *quidam religiosorum virorum Adremarus, reverendus Dei sacerdos*, in eodem pa-
» go, & in silva, quæ vocatur Dervus, super fluvium Barsan, per licentiam vene-
» randi pontificis Tricassinæ civitatis Adalberti, in loco inculto, sibi ad expurgan-
» dum & excolendum concesso, cellam ædificaverit, scripto hac de re instrumento,
» ab episcopo & comite prædictis roborato. quod Odo ipse a Carolo rege confirmari
» petiit, obtinuitque, ita ut *post excessum ejusdem venerabilis patris Adremari* mona-
» chis suis libera esset eligendi abbatis facultas secundum regulam sancti Benedicti,
» *absque alicujus comitis interrogatione*, cum eo tamen, ut *partibus comitis, quia de suo*
» *jure res quondam fuisse noscuntur*, abbas ejus loci in festivitate sancti Petri denarios vi-
» ginti persolveret, sicut in primario illo privilegio continebatur. Vitiosæ sunt in diploma-

te Caroli chronicæ notæ, cujus anno vicesimo-quarto datum legitur, VII. kalendas Maii: cui anno indictio tertia non bene respondet, ejusque loco reponenda indictio duodecima, ut in sequenti apud Camuzatum [a] diplomate; quod suo loco referemus. Interim observare juvat, in hoc diplomate laudari sanctos fratres, degentes sub monastico ordine, ***in cellula, quæ Dervus vocatur.*** ac proinde aliquando hoc monasterium Dervum seu Dervense appellatum fuisse. nisi forte legendum sit, ***in cellula, sita in silva, quæ vocatur Dervus.*** quod aliis æstimandum relinquo. Certe rarissime alias Dervum appellatum invenio hoc monasterium, cujus basilicam Prudentius Episcopus postmodum in honorem sancti Petri apostolorum principis consecravit. Non prætererim quod in chronico Alberici legere memini de isto Adremaro, scilicet quod is diceretur fuisse unus ex septem gemellis fratribus, quos domina de Triangulo uno partu peperit.

a *Prompt. Tricass. fol.* 285.

LXXVII. Hirsaugia perficitur.

In Spirensi diœcesi perfectum est hoc anno Hirsaugiense monasterium, quod Herlafridus comes maximis sumtibus intra septennium absolvit. Erat ecclesia pro tempore elegans, absque columnarum substitutione fabricata, ligneo superius tabulatu cooperta, & quatuor dumtaxat instructa altaribus. Claustri structura veterum exemplo simplex & ampla, ligneo pariter tabulatu contecta. Reliqua monachorum habitacula per gyrum claustri non ad fastum, sed ad usum commoda, ut illis temporibus elegantia. quamquam si nostris his temporibus claustrales, ait Trithemius, similibus includerentur mansionibus, non cœnobiis, sed carceribus se crederent mancipatos. sic mutantur tempore mores, & sancta veterum simplicitas curiosa semper novitate confunditur. In novum monasterium deducta colonia e Fuldensi percelebri asceterio, in quo ducenti minimum ac septuaginta monachi tum convixisse dicuntur sub Rabano abbate: quos inter duodecim viri, juxta numerum apostolici collegii, in diversis scientiarum disciplinis exercitatissimi exstitisse dicuntur. Ex his omnibus selecti quindecim ad novam illam coloniam, quibus Liutbertus abbatis loco præfectus, unus e duodecim illis magistris, vir provectioris ætatis, eruditione non magis, quam virtute insignis, idemque germanus frater Brunonis abbatis Hersfeldensis.

LXXVIII. Ebo Fulda Lexovium ablegatus, dein Floriacum.

Inter ea Fuldæ quædam contigere, commemoranda hoc loco. Illic tum detinebatur Ebo, ille quondam Remorum antistes, eo relegatus post conventum apud Theodonis-villam anno superiore habitum, in quo exauctoratus fuerat. Jam vero cum Ludovicus Germaniæ rex ob amplificatum Caroli regnum offensus esset, veritus Ludovicus augustus, ne, communicatis cum Ebone consiliis, res novas moliretur; hunc pontificem in occidentalem Franciam abducendum censuit, eumque custodiendum commisit Freculfo Lexoviensi episcopo, imperatoris partibus addictissimo ac Judithæ augustæ, ut ejus præfatio historiæ ad eamdem testatur. Dein custodiendus traditur Bosoni Floriacensi abbati, sub cujus custodia erat tum, cum Ludovicus imperator viam universæ carnis ingressus est, ut tradunt clerici Remenses in narratione de fortuna ipsius Ebonis. Eodem anno Benedicta [b] quædam, pia femina, res omnes proprietatis suæ tradidit Fuldensi monasterio, ubi *vir honorabilis HRabanus multitudini monachorum* præerat, eo pacto, ut eas *per beneficium prædicti abbatis* usu-fructuario in reliquum vitæ suæ possideret. Facta est hæc traditio anno vicesimo-quarto Ludovici imperatoris, eique multi subscribunt cum Benedicta, quæ ante annos viginti [c] jam quædam Fuldensibus sub Eigile abbate donaverat. Sic crescente censu crescebat multitudo illa monachorum; crescebatque Rabani caritas in pauperes, non sine quorumdam e suis obloquio. Huic in primis studium erat defunctorum animas piis eleemosynarum juvare subsidiis. quas cum Adelhardus monachus, referente Trithemio, homo Francus, nimisquam avarus rei domesticæ dispensator, aliquando fraudasset; egregie ob eam causam cælitus castigatus est. Dum enim externis curis nimium occupatus, tardius forte per locum capitularem in dormitorium se reciperet; vidit eo in loco per gyrum plurimos consedere monachos, (defunctorum umbræ erant) qui correptum, vestibusque nudatum horribili virgarum grandine dilacerarunt, post triduum graviora recepturum comminantes. Nec defuit dictis fides, isque post tertium abhinc diem migravit, multis Rabani suffragiis & eleemosynis e longioribus demum piacularibus pœnis ereptus. quod insigne fuit posteris documentum. Haud scio an idem sit Adalhardus inclusus, cujus epitaphium inter Rabani poëmatia refertur in hunc modum:

b *Tradit. Fuld. p.* 482.

c *ibid. p.* 466.

Rabani caritas in pauperes.

Adelhardus fraudator punitus.

Hic jacet inclusus, Adalhardus nomine dictus,
Unus de clero, mors fera quem rapuit.
Hartnandus titulum cui condidit ipse precando.
Cui dicat lector : Tu miserere, Deus.

Isanbertus monachus.

Subsequitur ibidem epitaphium triplex Isanberti presbyteri & monachi Fuldensis sub Rabano : quibus in epitaphiis genere Noricus dicitur, sed Aquitanicus ortu, & quidem in Wasconia genitus, ac demum in Franciam orientalem seu Germaniam abductus, ubi presbyter & monachus fuit. Hunc puto sensum horum versuum in tribus illis epitaphiis. Sic enim in primo.

Noricus ex patribus ego sum, Germanicus exsul;
Wasconia genitus, presbyter & monachus.

& in secundo:

Noricus ex genere fueram, atque Aquitanicus ortu:
Francia meque aluit, quove fui monachus.

denique in tertio :

Norica prima parens fuerat, Aquitania mater:
Francia me rapuit : presbyter atque fui.
Qui vixi monachus, Isanbert nomine dictus.

quo nomine *ferrum-clarum* significari secundum epitaphium docet. In alio Rabani carmine [a] laudatur ob factam capsam, in qua quædam reliquiæ continebantur. Ad eumdem exstat quoque Rabani carmen [b], in quo idem etymon legitur ; item aliud quoque ejusdem carmen [c] ad Baturicum episcopum, domo & patria Noricum, ex persona ejusdem Isanberti.

a *Raban carm.* 166.
b *id. carm.* 25.
c *id. carm.* 4.

LXXIX. Drogo episcopus an abbas Sarchiniensis.

In Hasbanio florebat Sarciniense seu Sarchiniense monasterium, quod sanctus Trudo ejus auctor, licet in Tungrensi episcopatu positum, Mettensi sancti Stephani ecclesiæ principio subjecit. Itaque ad Mettensem episcopum pertinebat hujus providentia loci, cujus abbas Gisilbertus seu Gislebertus hoc anno decessisse, ac Drogoni Mettensi episcopo locum fecisse creditur. Id suadet charta cujusdam Hrodberti apud Miræum [d], curtem proprietatis suæ, sitam in loco pagi Hasbaniensis sive Diestiensis, vocabulo *Hasnoth, super fluvium Merbate* conferentis *ad basilicam sancti Trudonis, ubi ipse pretiosus in corpore requiescit, & domnus Drogo archiepiscopus praesse videtur. Actum in Sartinio monasterio sancti Trudonis publice, sub die tertio-decimo kalendas Augusti, anno vicesimo-quarto regnante domino nostro Ludovico serenissimo & orthodoxo imperatore.* Nullus tamen locus Drogoni abbati datus invenitur in chronico sancti Trudonis, in quo primi post Grimonem abbates recensentur hoc ordine : *Grimo, Restramnus, Hardebenus, Columbanus, Angelramnus, Ambrosius, Gislebertus ;* & post Gislebertum *Adelbodus, Hildradus, Sabbatinus, Ermenmarus, forte* Ermenmarus, an Hirminmaris notarius Ludovici augusti, *Radulfus, Ludovicus, Radbertus, & Rodegangus.* Hi omnes a Rodulfo chronographo reperti sine numero annorum, quibus præfuerunt. Verum nec ordo horum inter se se abbatum, nec nnmerus satis exploratus est ad excludendum Drogonem. Certe Angelramnus, qui hoc loco quintus recensetur, & Rodegangus, qui postremo, non alii videntur, quam eorum nominum episcopi Mettenses : ex quibus Rodegangus seu Chrodegangus Angelramnum præcessit. Nihil itaque vetat, quo minus Drogo in serie abbatum Sarciniensium locum habeat ex superiori instrumento : cui favet fragmentum a Meurissio relatum in historia episcoporum Mettensium, quo in fragmento Drogo abbas ipsum monasterium regularibus disciplinis informasse, & pretiosis donariis, reditibusque largioribus cumulasse traditur. Post prædictos abbates suggeruntur a Radulfo Reinerus abbas ad annos quinque, Theudefridus ad triginta, & Ermenofridus ad quatuor. quem sequitur Adelardus abbas, longe dignissimus, de quo in consequentibus agendum.

d *Mir. cod. donat. c.* 10.

Abbatum Sarciniensium index examinatur.

ANN. CHR. 837.

Circiter hoc tempus e vivis migravit Helisachar Centulensis, idemque sancti Maximini apud Treviros abbas; certe ante obitum Ludovici augusti exstinctus, testante Hariulfo in chronico Centulensi, ubi Ribbodo abbas, Helisacharis successor, Centulæ congregationem tempore suæ præfecturæ ornasse dicitur, sacrisque decorasse reliquiis, quas Constantinopoli retulisse fertur. In his Hariulfus commemorat caligulam Christi Domini, apicem lanceæ, qua sacrum ejus latus apertum fuit, ac decem lapides, beati Stephani protomartyris sanguine perlitos, cum ampulla ejus sanguine referta. Helisachari in regimine sancti Maximini Folcardus abbas substituitur a Bucelino.

LXXX. Helisacharis abbatis mors & successores.

In sancti Galli monasterio abbatum quoque accidit mutatio. Gosbertus quippe abbas, gravi senio non magis, quam senilibus morbis affectus, Ludovicum imperatorem exoravit supplex, ut Bernwicus, communibus fratrum expetitus votis, in suum ipsius locum sufficeretur. Tum magistratu abiit Gosbertus, privatamque deinceps vitam exegit, non multo post defunctus IV. nonas Aprilis, sepultusque ad murum ecclesiæ sancti Petri. Cedentis igitur in locum Bernwicus suffectus, qui decani ante officium rite gesserat, non minori laude abbatiam administraturus esset, si diuturnior fuisset ejus præfectura. at post mortem Ludovici, cum Lothario adhæsisset, Ludovicus Germaniæ rex, subacta Alamannia, istuc accedens, Bernwico abbatiam abrogavit, substituto in ejus locum Engelberto monacho, cujus itidem brevissima dignitas fuit. nam anno insequente, incertum qua causa, & ipse loco motus est ab eodem Ludovico, qui Grimaldo archicapellano suo abbatiam commisit.

LXXXI. Gosberti abbatis S. Galli successores.

Exstat apud Hundium[a] ipsius Ludovici regis diploma regiæ defensionis, quod *vir venerabilis Nithardus abbas ex monasterio, quod dicitur Medema*, seu Metama * in Bajoaria, *constructum in honorem sancti Michaëlis archangeli*, hoc anno obtinuit ad confirmandum privilegium, quod avus ipsius Ludovici Carolus præstantissimus olim concesserat ei loco, in quo regularis ordo recens videtur fuisse *restitutus*, cum Ludovicus avi sui privilegium confirmavit. In fine addit idem princeps, si qua controversia de rebus ejus monasterii orta fuerit, definitivam causæ sententiam regiæ cognitioni reservandam esse. Actum *Reganespurc* civitate, VIII. idus Januarii, anno quarto Ludovici regis in orientali Francia, indictione quinta-decima. ubi principium regni Ludovici in Francia orientali desumitur ab anno ejus sæculi tricesimo-quarto, quo regnum ejus a Ludovico parente amplificatum est. Eadem epocha habetur in ejusdem regis præcepto pro parthenone Herifordensi, quod post sexdecim annos referemus. Ex hac observatione corrigendus est index Metamensium[b] abbatum apud Hundium, ubi serius differtur Nithardi præfectura, qui utrum Opportuno anteponendus sit, non facile dixerim. Verum plura hac de re[c] inferius.

LXXXII. Ludovici regis diploma pro Metama.

a *Metrop. Salisb. to. 1. p. 101.*

* *Metten.*

b *V. supra lib. 26. n. 20.*

c *V. lib. 33 n. 30.*

Eodem fere tempore, si qua vitioso instrumento fides, Rupertus quidam, vir illustris, Ludovico regi partem hereditatis suæ contradidit, ea ratione, *ut in castro Turicino* * *juxta fluvium Liidemaci, ecclesiam construeret*, & divinum illic servitium institueret. Ruperti exemplo Wighardus presbyter, ejus frater, in loco, qui Lucerna antiquitus dictus est, sito juxta fluvium Rusam, qui ex magno lacu fluit, in honorem sancti Mauricii & sociorum ejus, necnon sancti Leodegarii martyris & omnium sanctorum, *parvum tugurium* seu monasteriolum exstruxit, totamque substantiam, quæ ipsi de monte Albis contingebat, eidem loco tradidit. Istuc secessit ipse cum quibusdam monachis, quot illic congregare potuit, constituto ibidem post se abbate Alvico viro nobili, pio & erudito, qui admonitionibus ac verbis salutaribus accolarum animos in Dei obsequium excitavit. Actum in ipso loco Lucernæ, die quinta mensis Octobris, indictione XI. HLudovici regis anno quinto. Hoc qualecumque instrumentum refert Guillimannus in libro tertio rerum Helveticarum, ubi ait, Lucernæ maximam celebritatem accidisse ex monasterio illo, quod fundavit prædictus Wighardus presbyter, frater Roberti Alemanniæ-Helveticæ ducis. Verum longe antiquius fuit Lucernæ seu Luceriæ monasterium, & quidem jam conditum tempore Pippini regis, ac Morbaco subjectum, ut patebit ex diplomate Lotharii augusti, qui paullo ante obitum donationes, a Pippino & Carolo Magno Lucernæ monasterio factas, confirmavit. Non ergo primus ejus auctor Wighardus, sed forte restitutor, aut amplificator.

Lucernæ monasterium.

* *de Zurich.*

Ad hunc annum referendum videtur diploma Ludovici augusti, qui rogatu Hermenaldi abbatis possessiones omnes Anianensis monasterii confirmavit, res quasi-

LXXXIII. Ludovici au-

ANN. CHR. 837

bet singillatim commemorans, adjecta libera facultate eligendi abbatis. Actum Aquisgrani palatio XIV. kalendas Novembris, anno vicesimo-quarto domni HLudovici piissimi augusti, indictione quinta-decima. quod præceptum, a nobis editum in appendice ad vitam Benedicti Anianæ abbatis, Cointius retulit ad annum præcedentem, indictionem ineundo a kalendis Septembris, annos vero imperii Ludoviciani ab anno ejus sæculi tertio-decimo, quo a patre consors imperii declaratus est. In prædicti diplomatis invocatione præter morem tunc consuetum, *Ludovicus divina ordinante providentia imperator augustus* dicitur. Vulgatam formulam *divina repropitiante clementia* præfert aliud Ludovicianum diploma, quo idem princeps Cuscacum villam ex jure monasterii sancti Martini Turonensis attribuit cellæ S. Pauli, » *quæ rustico nomine Cormaricus dicitur*, atque Audacro abbati, qui tunc eamdem » cellam regebat. *Actum Theodonis-villa palatio regio*, XVI. kalendas Julii, anno iti» dem vicesimo-quarto Ludovici augusti, indictione quinta-decima.

[Margin: gusti diplomata pro Aniana.]

LXXXIV. [Margin: Abbates Casinates.]

Eudem anno Authpertus Casinensis abbas hominem exuit X. kalendas Martii, post tres dumtaxat annos præfecturæ. quo anno Sichardus Beneventanorum princeps gualdium seu silvam Martoranum sancto Benedicto concessit. Authperti opuscula quædam recenset Petrus diaconus in libro de viris illustribus Casinensibus. Authperto subrogatur hoc ipso anno Bassacius, qui annos octodecim sedisse traditur. Hujus tempore aucta plurimum res familiaris ex donationibus maxime eorum, qui se suaque omnia Deo consecrabant. In his quidam [a] Maïo Telesinus, ad extrema ex morbo redactus, se ipsum in sacro illo monasterio cum omnibus suis, tam possessionibus, quam mancipiis, tradidit.. Multa etiam eidem contulit loco nobilis quidam Alifanus, Arnefridus nomine, cum Amelfridum clericum, filium suum, obtulit sancto Benedicto. Ex aliis Agenaldus castaldeus Capuanus chartam oblationis de omnibus facultatibus suis fecit. Insignis etiam fuit Theoderici Calatiæ comitis donatio, qui, præter curtem unam, quædam cimelia eidem loco testamento legavit Beneventi in sacro palatio, anno principatus quinto, indictione quinta-decima, uti Angelus de Nuce notavit ad hunc locum ebronici Casinensis.

[a] chron. Casin. lib. I. c. 24.

[Margin: Lotharius Nonantulæ.]

Hoc anno Lotharius Augustus Nonantulæ versabatur initio Februarii, cum ejus loci monachis liberam tribuit eligendi abbatis facultatem. *Actum Nonantulæ* III. nonas Februarii, anno ejus imperii XVIII. indictione XV. Tune ejus loci abbas erat Ansfritus superius laudatus, sequenti anno mortuus III. idus Martii. Ejus successor Ratpertus abbatiam tenuit uno tantum anno, obiitque VII. kalendas Julii. Hunc excepit Rotchildus ad annos tres. Nuda hæc & successorum nomina referre piget, quæ apud Ughellum [b] legi possunt.

[b] Ital. sac. to. 5. c. 477. & seqq.

LXXXV. [Margin: S. Modesti abbas Guntarius.]

Per idem tempus Guntarius abbas monasterii sancti Modesti Casinatibus res quasdam reddidit, quas Authpertus abbas Sicbardo principi in beneficium concesserat. Posita erat antiquissima hæc sancti Modesti abbatia apud Beneventum, exstabatque jam ante pontificatum Gregorii Magni sub titulo sanctæ Mariæ Olivolæ; immo ante Pelagium papam, qui eam a jure parthenonis sancti Nazarii, cui subjecta erat, non modo exemit, sed etiam vice versa hunc partbenona illi subjecit, post sanctimonialium mortes viris supplendum. Id factum anno quingentesimo nonagesimo primo. Primus ejus loci abbas Bentegrandus, patruus Grimoaldi ducis, ac demum regis. Anno insequente Linianus episcopus, agente Arichiso rege, eo transtulit corpus sancti Modesti, qui nomen loco postea communicavit. Hujus loci ecclesiam medio sæculo septimo Parda-Doda nobilissima femina restruxit. Rotundulus abbas Casinensis, undecimo sæculo exauctoratus, ad hanc abbatiam se recepit, quæ demum congregationi canonicorum Lateranensium a Julio secundo tributa est.

[Margin: Albertus de Pontida.]

Sunt qui ad hoc tempus sæculi noni referunt Albertum abbatem Pontidensem, cujus vitam scripsit Cælestinus in historia Bergomensi: at Ferrarius in catalogo sanctorum, Albertum hunc sancti Hugonis abbatis Cluniacensis discipulum fuisse probat. quo tempore de eo agendum.



ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

ANN. CHR. 838.

LIBER TRICESIMUSSECUNDUS.

Ab anno Christi 838. *ad annum* 843.



NNUS Christi octingentesimus tricesimus-octavus, si res civiles spectes, duplici in primis eventu insignis fuit, nempe morte Pippini Aquitaniæ regis, & reconciliatione Lotharii augusti cum Ludovico parente, quæ in conventu Wormatiensi mense Maio facta est. Ibidem nova regni partitio facta inter Lotharium & Carolum, prætermisso Ludovico rege, cui sola Bajoaria relicta. quæ res sic ejus animum exasperavit, ut hostili more in Alamanniam penetraverit, dejectoque Bernwico sancti Galli abbate, qui Lothario favere videbatur, Engelbertum monachum in ejus locum intruserit. Pippini obitum Astronomus collocat *non multo post* apparitionem cometæ hoc anno factam ipsis kalendis Januarii; & quidem ante Wormatiensem, ut Cointio videtur, conventum, in quo nulla Pippini mentio habita in prædicta regni divisione, quæ solis Lothario & Carolo profuit. Huic tamen calculo contrarium videtur præceptum ejusdem Pippini pro Cormaricensi monasterio, cujus villas & possessiones idem princeps, supplicante Otachro seu Audachro abbate, Jacobi primi abbatis successore, confirmat *kalendis Septembris, indictione prima, anno vicesimo-quinto regnante HLudovico serenissimo augusto, & vicesimo-quarto regni* ipsius Pippini. *Actum Cervario foreste.* quæ notæ chronicæ hunc annum signant, faventque eorum sententiæ, qui Pippini obitum ad insequentem Novembrem vel Decembrem differunt. Hujus sententiæ auctorem habemus Hermannum, apud quem Pippinus rex Aquitaniæ hoc anno *mense Novembris* obiisse traditur. Nec obstat, quod *non multo post* apparitionem cometæ decessisse perhibetur. id enim indefinite dictum censendum est. Quod veru nulla ejus ratio habita est in regni partitione, hoc ex accidenti causa pristinorum ejus motuum fieri potuit. Aliter actum est cum Lothario imperatore, quem, utpote præpotentem, sibi filioque suo Carolo Judith augusta hoc regni augmento demereri satagebat. Missi ad eum ab Ludovico patre legati, qui ad conventum Wormatiensem ipsum invitarent. Accessit ille, acciditque supplex ad pedes piissimi parentis, eidem divisionis pro nutu faciendæ arbitrium permittens.

I. Res civiles hujus anni.

Pippini diploma & obitus.

Designati anno superiore ad novam Hirsaugiæ coloniam Fuldenses quindecim monachi, in novi monasterii possessionem hoc anno inducuntur sub Liutberto ab-

II. Hirsaugia in-

ANN. CHR. 838.

coli cœpta & dedicata.

bate, annis & meritis gravi, qui jam inde a Baugolfi abbatis tempore monasticen Fuldæ exercuerat, nobilis Suevus, & Brunonis abbatis Hersfeldensis germanus frater. Nondum consecrata erat ejus loci ecclesia, & sancti Aurelii corpus, ante annos quinque istuc translatum, in oratorio beati Nazarii martyris interim servabatur. Omnibus ad dedicandam ecclesiam dispositis, invitantur quam plurimi episcopi, abbates, & regni proceres. Indicitur in futurum Septembrem festiva illa dies, qua Otgarius Moguntinus antistes ritum sacrum peregit, præsente Erlafrido comite monasterii conditore, cujus invitatu multi ad eam sollemnitatem principes, cum ecclesiastici, tum sæculares, convenerant. Nomina recitat Trithemius; sed non ita accurate, ut sine censura commemorari debeant. Nova itaque basilica dedicatur in honorem sancti Petri apostolorum principis, & sancti Aurelii episcopi, cujus corpus ex oratorio sancti Nazarii in dedicatam ecclesiam illatum est. Tum sollemnis ab Erlafrido comite multorum prædiorum facta donatio est, & traditio in manus Liutberti abbatis, ejusque monachorum, eo pacto, ut vita monastica secundum sancti Benedicti regulam ibidem in perpetuum servaretur, cum libera eligendi abbatis, necnon advocati seu defensoris facultate. Multa dehinc Trithemius commemorat de præclaris meritis Liutberti abbatis, qui loci regimen ad sexdecim annos tenuisse dicitur: cujus disciplinæ multi viri nobiles illius regionis filios suos instituendos commiserunt sub Hildulfo monacho, primo scholæ Hirsaugiensis præfecto, qui librum de computo ecclesiastico composuisse dicitur.

III. Samuel abbas fit episcopus Wormatiensis.

Forte huic dedicationi cum aliis interfuit Samuel abbas Laureshamensis, qui hoc ipso anno ad episcopatum Wormatiensem promotus est, retento regimine sui monasterii, quod post Adalungum abbatem per annos triginta-tres jam administraverat. Is Wormatiæ ecclesiam beati Cyriaci, quæ appellatur *Niuhusen*, a fundamentis exstruxisse, & *armarium*, id est bibliothecam, *hujus loci ex parte evacuavisse* dicitur in chronico Laureshamensi, nempe ut inde libros in Neuhausense transferret monasterium, quod a rege Dagoberto primitus conditum ferunt. Neuhausensis novæ basilicæ dedicationem anno ejus sæculi quadragesimo-septimo, decimaquinta octobris, a Samuele factam fuisse Bruschius tradit. Idem auctor addit, Ludovicum Pium imperatorem ejus tempore in suburbio Wormatiensi condidisse cœnobium virginum Deo dicatarum sub regula sancti Benedicti, quod Monialium-monasterium vulgo dici solet. Ad hæc idem Samuel episcopus & abbas a regia majestate obtinuit, ut sibi suisque successoribus ad tres menses liceret quascumque facere commutationes, pro monasterii Laureshamensis opportunitate, & possessiones dissipatas colligere. Sub eo Werinherus illustris comes quædam eidem loco prædia largitus est.

Wormatiæ duo monasteria.

IV. Rabanus quædam monasterio suo recuperat.

Paullo ante prædictam dedicationem Rabanus, qui eidem haud dubie interfuit, quamdam monasterio suo possessionem vindicavit in conventu Neomagensi. Habitus est hoc anno post Wormatiensem conventus iste, cujus apud veteres nulla (quod sciam) mentio invenitur, præterquam in libro primo [a] Traditinnum Fuldensium, ubi recuperatio *captura*, eidem monasterio ablatæ, hoc modo facta legitur. *Anno dominica incarnationis* DCCC XXXVIII. *indictione prima, mense Junio*, XVIII. *kalendas Julii, facta est contentio Gozboldi & HRabani abbatis coram imperatore Ludovico, & filiis ejus Ludovico & Carolo, necnon & principibus ejus in palatio apud Niomagum opidum constituto, de captura, quam Foleo, & fratres ejus Biurgo & Hroo, tradiderunt ad sanctum Bonifac.um: ubi & Gozbertus*, idem qui supra Gozboldus, *convictus charta traditionis & testibus idoneis, reddidit jussu imperatoris coactus, quod injuste per fraudem de eadem traditione abstulerat, coram his testibus, Trugone archiepiscopo, Otgario archiepiscopo, Radolfo, Helmgaudo, Gerfredo, Theotgrimo, &*
» *Baturato* episcopis; Adalberto, Helfrico, Albrico, altero item Albrico & Poppo-
» ne comitibus; Gebawino comite palatii, Ruadharto similiter comite palatii; Hat-
» tone, Madalgero, Gebaharto, Adalgario, comitibus, & innumerabilibus vassallis
» dominicis. Eadem restitutio jam decisa fuerat VI. idus ejusdem mensis coram Hesse comite, ut ibidem subditur. Ex his noti sunt Trugo seu Drogo Mettensis dictus archiepiscopus, idemque archicapellanus; Otgarius Moguntinus, Helmgaudus Werdensis, Gerfredus Mimigardevordensis, Theotgrimus Halberstatensis, & Baturatus Patherbrunnensis. Observatu dignum est id, quod in illo instrumento legitur de Ludovico rege, qui una cum Carolo fratre prædicto Noviomagensi placito adfuisse memora-

[a] Trad. Fuld. p. 474

ANN. CHR. 838.

tur. Nondum ergo excanduerat adversus partitionem superiori mense Maïo factam in conventu Wormatiensi.

V. Ejus commentarii in Judicū & Ruth.

Non multo post, scilicet quinto-decimo kalendas Augustas ejusdem anni, necem passus est Fridiricus episcopus ecclesiæ Trajectensis ad Rhenum, quem Judith augustæ suasu interfectum fuisse legitur in vulgatis ejus actis, quæ vix ullam fidem merentur. Eo mortuo, Rabanus commentatioues suas in libros Judicum & Ruth Humberto Wirziburgensi episcopo nuncupavit; pollicitus eidem se missurum commentarios in Pentateuchum, quos, *petente sancto viro Freculfo* Lexoviensi antistite, nuper ediderat, eidemque submiserat rescribendos; missurum etiam Jesu-Nave expositionem, quam *bonæ memoriæ Fridurico, Trajectensis ecclesiæ episcopo, uuper transmiserat*, ad Humbertum itidem mittendam, ubi primum sibi reddita fuisset. quæ manifeste innuunt, Fridiricum recens exstinctum fuisse. Commentariis in librum Judicum præfixa est ipsius Humberti epistola, *illustri viro, meritoque insigni ac præstantissimo patri HRabano-Mauro* inscripta, in qua se legisse scribit ejus librum homiliarum, ac tres libros de institutione clericorum ad Heistolfum archiepiscopum Moguntinum; petitque ab eo alios commentarios, quos eidem elucubraverat, mittens membranas, in quibus libri ejusdem in heptateuchum describerentur. Non tamen propterea se ista poscere ait, quasi ipsi desint istius argumenti scriptores. quippe penes se esse Origenem, Victorinum, Ambrosium, ceterosque patres: *qui in tantum*, inquit, *tuæ sunt industria coguiti, ut veraciter illorum linguam vestrum dicere possim sermonem: cum quod illi mira* quidem *pulcritudine, at nimia longitudine sermonis proferebant, tu eorum vestigia sagaciter, prudenterque sequendo, commatico mellifluoque comprehendis sermone*. Idem in ipsa epistola Rabano gratulatur, Deoque gratias agit, quod tam utile vas illis temporibus in sua sancta ecclesia habere voluerit, quem in fine salutat his, aliisque versibus.

Salve, sancte pater, meritoque beatus in orbe.
Tu decus es nostrum, sancte pater, merito.

Ceterum tempus, quo hos tractatus composuit, ulterius ipse indicat, cum Humberti precibus & exhortationibus se relevari petit: *quia non solum propriæ*, inquit, *ægritudinis molestia, verum etiam communis periculi, quod instanti tempore valde imminet, anxietate prægravatus sum*. quibus verbis civiles tumultus illorum temporum haud dubie significat. Quam diu superstes fuerit post hunc annum Humbertus, modo expendendum.

VI. Gozbaldus abbas quando Humberto episcopo Wirziburgensi successerit.

Caroli Cointii sententia est, Humbertum Wirziburgensem episcopum anno ejus sæculi tricesimo-quinto decessisse, successoremque sortitum Gozbaldum abbatem Altahæ-inferioris: Fridiricum vero Trajectensem, quem Fredericum vocat, triennio post martyrio affectum fuisse: quorum alterum ex diplomate Ludovici Bajoariæ regis, Altahæ concesso ad preces Gozbaldi abbatis & episcopi Wirziburgensis, anno Ludoviciani regni decimo-nono, indictione quarta-decima: alterum ex actis sancti Fridurici probat. Verum hæc duo simul cohærere non posse demonstrat Rabani prædicta epistola ad Humbertum episcopum, in qua *bonæ memoriæ Fridiricum*, Trajectensis ecclesiæ episcopum, uti jam defunctum, laudat. Itaque alterutrum admittere necesse est, aut diploma Ludovici regis ad quindecim annos summovendum; aut Fridurici mortem triennio, quadrienniove citius contigisse, quam in ejus legitur actis, leviusculæ certe, ac pæne nullius auctoritatis. Primum tamen illud præferendum suadet chronicon Wirziburgense, ab ipso Cointio laudatum, in quo Humbertus VII. idus Martii anno octingentesimo quadragesimo-secundo fatis concessisse perhibetur. Successit Gozbaldus seu Gotebaldus abbas Altahæ-inferioris, non semel a nobis jam memoratus, qui factus episcopus, monasterii sui curam non abjecit, quin immo præceptum obtinuit a Ludovico rege, datum Ratisbonæ XI. kalendas Aprilis, anno regni ejus *in orientali Francia* decimo-nono, indictione quarta-decima, quo ipsi facultas conceditur commutandi quasdam res & nonnulla mancipia, prout e re monasterii sui esse videretur. cujus rei causa regiam celsitudinem adiisse dicitur *vir venerabilis Gotzbaldus Wirzburgensis episcopus, necnon & rector monasterii, cui vocabulum est Altaha*. In hoc diplomate observare juvat, in eo exprimi non annos regni Ludovici in Bajoaria, ut supponit Cointius, sed *in orientali Francia*, cu-

ANN. CHR. 838.

a V. Diplom. pag. 206. & 207.

jus initium ab anno ejus sæculi tricesimo-tertio aut subsequente repetendum esse alias [a] demonstratum est; atque adeo annus ejus regni Francici decimus-nonus videtur consignandus anno Christi octingentesimo quinquagesimo-primo, quo indictio quarta-decima incidebat. Huic calculo favent tum Egilwardus monachus in libro de gestis sancti Burchardi episcopi Wirziburgensis, ubi Gotebaldus hanc sedem annis undecim tenuisse dicitur; tum annales Fuldenses, in quibus ejus obitus ad annum currentis sæculi quinquagesimum-quintum differtur. Certe nondum episcopus, sed tantum abbas erat anno Ludovici regis in orientali Francia septimo, indictione quarta, id est anno octingentesimo quadragesimo-primo, quo præceptum de villa *Ingolstat* ab eodem rege obtinuit. Si ergo annis undecim Wirziburgensem ecclesiam rexit, non ante annum ejus sæculi quinquagesimum-tertium obiisse dicendus est, immo non ante quinquagesimum-quintum, ut probant annales Fuldenses. Alius proinde fuerit Gosbaldus episcopus, de quo hæc leguntur in necrologio bibliothecæ palatinæ in Vaticano: XIIII. *kalend. Octobris obitus Gosbaldi episcopi anno* DCCC L. aut certe erratum est in numero annorum. Hæ minutiæ longiores nonnullis fortasse videbuntur: at necessariæ nobis visæ sunt ad res nostras illustrandas.

VII. S. Galli & Augiæ abbates.

b Analect. to. 4. p. 337.

Ermanricus Augiensis monachus opusculum [b] ab se scriptum memorat de inceptione sui monasterii, & fratrum ibidem famulantium vita, quæ *per omnia doctissimo domno Gozbaldo episcopo vel approbanda, seu refutanda commendavit.* Hæc scribebat auctor ille paullo post mortem Walachfredi seu Walafredi abbatis Augiensis, quæ accidit anno ejus sæculi quadragesimo-nono. Hoc opusculum ad nos si pervenisset, multa scitu digna de hoc percelebri quondam monasterio resciremus. Nunc, deficientibus ejusmodi subsidiis, unus nobis succurrit auctor Hermannus, gravis quidem, sed re ac nomine Contractus, qui ad hunc annom ita scribit: *Apud sanctum Gallum Gozberto abbati Pertiwicus successit. Augia, Erlebaldo abbate cedente, Rudhelm abbas undecimus præfuit annis quatuor.* Plura de substitutione Bernwici, » quem Hermannus Pertiwicum vocat, Ratpertus monachus habet: nempe Gozber- » tum cum jam ætatis gravitatem, corporisque infirmitatem non sufficere crederet ad » instanrium necessitatem negotiorum, a Ludovico clementissimo augusto impetrasse, » ut Bernwicus ejus loci monachus in ipsius locum sufficeretur: qui eodem anno ab- » bas ordinatus sit. De Erlebaldo Augiensi abbate, qui tunc ad privatam vitam, Hettonis decessoris sui exemplo, se recepit, plura superius retulimus: at Rudhelmi ejus successoris nudum nobis nomen relictum est. In brevi chronico sancti Galli Puoto diaconus palatii hoc ipso anno in Judaismum lapsus dicitur in vigilia ascensionis Domini, de quo plura in annalibus Bertinianis, ubi Bodo, aliis Voto & Puto, appellatur.

VIII. Lindaviensis cœnobii primariæ tabulæ examinantur.

* Lindaw.

Ab opido sancti Galli non longe abest lacus Acronius seu Brigantinus, alio nomine Potamicus dictus, cujus in adversa pæninsula, positum est Lindavia * opidum, in eoqoe insigne cœnobium virginum, olim Benedictinarum, nunc nobilium canonicarum, de cujus origine, primo situ ac nomine, necnon conditore magna controversiæ materia est. Vulgaris traditio fert, Adalbertum comitem, cum fratribus Mangoldo & Udalrico, prima loci fundamenta posuisse, & quidem in ea ipsa pæninsula, ubi nunc cœnobium visitur, cujus celebritas condendi circum opidi cognominis occasionem dederit. Proferuntur in hujus rei argumentum picturæ veteres, atque diploma Ludovicianum, quod alii Ludovico Pio, alii æquivoco ejus filio Germaniæ regi tribuunt: quo ex diplomate nnbiles illæ canonicæ jus sibi asserere conantur in Lindavienses opidanos, qui, excusso fidei catholicæ jugo, non mirum est, si canonicarum feminarum dominationem detrectaverint. Hinc nata inter utrosque gravissima disceptatio, quæ flagrantissimis partium studiis hinc inde agitata est, editis altrinsecus scriptis, in quibus palmaris videtur pro Lindaviensibus opidanis censura diplomatis Ludoviciani, auctore Hermanno Conringio, viro docto, adversus propugnatorem causæ nobilium canonicarum. Hæc causa maxime nititur præsidio dicti diplomatis, de quo ut ingenue dicam quod sentio, cogit ipsa propositi nostri necessitas. Diplomatis invocatio & inscriptio, necnon subscriptiones & chronicæ notæ, genuinorum Ludovici Pii diplomatum specimen præferunt. Ad hæc ipsa scripturæ species in æs incisa aliorum ejusdem principis diplomatum scripturam refert. Invocatio & inscriptio prædicti diplomatis hæc est: *In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, HLudowicus divina repropitiante clementia im-*

perator augustus. quæ sane cum aliis Ludovicianorum formulis, quæ scilicet ab ejus in thronum restitutione editæ sunt, omnino conveniunt. Eodem etiam conspirant signum & monogramma HLudowici serenissimi imperatoris, necnon subscriptio Hirminmaris notarii, qui has litteras ad vicem Hugonis recognuvit. Apposita quin etiam Ludovici imperatoris in sigillo effigies cum inscriptione apprime respondet. Denique consentiunt chronicæ notæ, *Data* XI. *kal. Maias, anno Christo propitio* XXVI. *imperii domni HLudowici piissimi augusti, indictione* II. *Actum Bodamæ palatio regio in Dei nomine feliciter, amen*. Certe Bodamæ anno sequenti, cui diplomatis notæ chronicæ conveniunt, versabatur Ludovicus augustus, ut constat ex Astronomi libro de ejus vita, ubi mendose in editis [a] Bedonnia legitur, quo de loco inferius. Quod si specimen in æs incisum consulas, scripturæ forma non male ejusdem principis cancellariam sapit. Hoc specimen exhibet tantum signum eum monogrammate Ludovici imperatoris, subscriptionem notarii, & chronicas notas, apposito *anno incarnationis Domini* DCCC LXVI. quod recentiori manu cujusdam imperiti novatoris adscriptum est. nam prædictæ chronicæ notæ non anno Domini DCCC. LXVI. sed anno DCCC XXXIX. ad amussim conveniunt. Hactenus contra hujus diplomatis veritatem nihil occurrit, cui nihil detraheret apposita ab imperito novatore anni incarnationis additio, si cetera constarent. Verum si ipsius diplomatis forma & stilus remotis præjudiciis expendantur, fateri necesse est, quædam in contextu errata occurrere, quæ prædicti instrumenti αὐθεντίαν convellunt. Singula non vacat attingere, quæ obelo confixit Conringius, nec ipse omnino erratorum expers, ut quod ait [b] cancellariæ cum imperatorum, tum regum Francorum, moribus repugnare, Ecclesiæ vocem diphtongo ordiri. quod sane adeo non repugnat, ut sexcentis exemplis oppositum constet. Illud in primis hoc in diplomate me movet, quod in eo mentio fiat *Rabani sanctæ Moguntinæ ecclesiæ metropolita*, qui certe, superstite Luduvico Pio, necdum hanc dignitatem adeptus, nec ipse anno DCCC LXVI. quem novator apposuit, amplius in vivis erat, quippe ante annos decem exstinctus. Ceteris recensendis immorari nil juvat. Conringius putat circa initia sæculi decimi-tertii hoc diploma confictum fuisse. At scriptura ipsa diplomatis, immo ipsa additio anni incarnationis, post multos annos facta, longe antiquior est; & denique Henricus, Constantiensis episcopus ante medium sæculum decimum-tertium, illud pro genuino, & proinde antiquissimo habuit.

ANN. CHR. 838.

a *Infra num.* 14.

b *Conring. p.* 327.

IX. *Ejusdem origo & situs asseritur.*

Qualecumque sit istud diploma, nonnihil conducere potest ad originem cœnobii Lindaviensis investigandam. nam eo saltem tempore, quo vel interpolatum, vel confictum supponitur, hæc obtinebat traditio, Adalbertum comitem ejus loci conditorem exstitisse; & quidem *cœnobium sanctimonialium*, cui nomen *Lindaugia, intra lacum Witsæ* constructum fuisse *in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ*. Negat Conringius conditorem fuisse Adalbertum, aut cœnobium principio positum intra insulam Lindaugiam, quod circa Nonnenhornium oppidum primo stetisse contendit; nec proinde primis illis temporibus Lindaugiam appellatum; denique urbem Lindaugiam antiquiorem esse monasterio, quod illuc processu temporis translatum fuerit. Sed hæc omnia asserere aut negare facilius, quam asserta aut negata idoneis adstruere argumentis. Sane longe veri similius est, ex monasterio, quod alibi passim evenit, oppidum accrevisse. Nec valet quod opponit Conringius, Nonnenhornium dici, quasi Nonnarum-domum, ibidemque veteris abbatialis palatii rudera superesse. Quid enim, si illic abbatissæ villa rusticana, & ædes ad oblectandum exstructæ dicantur? Certe jam sæculo nono *Linthaugiam* simpliciter appellatum fuisse monasterium probat Hepidannus in libro de vita sanctæ Wiboradæ virginis, ubi Cilia quædam inclusa, invidia tumens contra virginem, Salomonem episcopum Constantiensem hortabatur, *ut eam fecisset Linthaugiæ*, quod in titulo capitis sexti-decimi legitur; supple *sanctimonialem*. Rem dilucide explicat ejusdem capitis contextus, in quo Cilia his verbis Salomonem alloquitur. *Compertam habeo vestram spiritalem voluntatem erga eamdem puellam, quod eam, si vobis occasio datur, vultis inserere alicubi choro sanctimonialium: quatinus tuta a mundiali fluctuatione, liberius in Dei servitio possit durare. Ad hoc etiam rescitum habeo vestrum iter Linthaugiam. Eo loci, si vos non alias trahit voluntas, consiliater ejus insertionem: tum quod conversatio ibi valde spiritualis est: tum quod promtior ei illic pateret ingressus. Ibi omnia vestro nutui parebunt*. Ex his verbis manifeste intelligitur, Wiboradæ tempore, id est sæculo ipso

ANN. CHR. 838.

nono, hoc monasterium præcise dictum *Linthaugiam*; tum Ciliam suasisse, *ut eo loci* Wiborada *choro sanctimonialium insereretur*. Non ergo extra Linthaugiam, sed in ipsa Linthaugia primitus situm erat cœnobium, immo ipsa Linthaugia seu Lindaugia erat, cujus celebritas haud dubie, ut alibi passim, condendo circum opido occasionem dedit. Nec dubium proinde, quin dominium in opidum habuerint sanctimoniales, quarum jugum demum cum avita religione opidani excusserint, obtinuerintque, ut in liberam urbem erigeretur. quod etiam in sancti Galli opido factum est. De hoc itaque monasterio interpretandum quod in ejusdem Hepidanni annalibus legitur ad annum nongentesimum quadragesimum-octavum: *Lintaugia concremata est nonis Junii.* sic Fulda, sic Corbeia, aliaque similia, non raro simpliciter dicuntur illa monasteria, tametsi adjunctum opidum habeant. Ex hoc porro loco intelligitur, quale tunc fuerit illarum Lindaviensium sanctimonialium institutum, quarum *conversatio valde spiritualis* laudatur. Ibidem tunc exstiterat Kerbirga reclusa, de qua id oraculi Wiborada inter orandum accepit, quod si ad eum locum accederet, *sanguine Kerbergæ reclusæ sibi inebriaretur.* quæ forte ibidem interfecta fuerat. Prope fidem est, Ludovicianum istud diploma conflatum esse ex duobus veris diplomatibus, altero Ludovici Pii imperatoris, cujus initialis formula cum monogrammate, subscriptionibus, sigillo atque chronicis notis in eo invenitur; altero unius cujuspiam Ottonum vel Henricorum, quorum ætatem, phrasim ac genium totus contextus sapit. Sane hoc qualecumque diploma si non genuinum, saltem valde antiquum fuisse evincit recognitio ejus, ante medium sæculum tertium-decimum facta ab Henrico episcopo Constantiensi, qui testatur [a], *ex inspectione privilegiorum sanctæ » memoriæ Ludovici quondam imperatoris*; evidenter sibi constitisse, quod ipse ad pe- » titionem Alberti, quondam sacri palatii comitis, Lindaugiensis monasterii funda- » toris, & intercessionem Salomonis antecessoris sui, omnem libertatem & justitiam, » quæ Constantiensis ecclesia in omni jure habere cognoscitur, eidem monasterio con- » tulit & concessit. quæ quidem in illo Ludoviciano diplomate diserte exprimuntur. *Datum Constantiæ anno Domini millesimo d centesimo quadragesimo-secundo* VII. *kal. Septembris, indictione quinta-decima.* Adalbertum Lindaugiensis parthenonis conditorem Cointius eum esse putat Adelbertum comitem, qui una cum Otgario Moguntiacensi episcopo, Lotharii partibus contra duos fratres, Ludovicum & Carolum, favebat. Verum hic Adalbertus, non Alamanniæ aut Sueviæ, sed Mettensis comes a Nithardo [b] dicitur. Tandem ex libello de translatione sanguinis Christi Domini in Augiense monasterium, qui ante medium decimum sæculum scriptus est, discimus, quis sit iste Adalbertus Lindaviensis cœnobii auctor. hunc scilicet esse filium Adalberti comitis, atque Histriæ præfecti, qui Schennense in Rætia Curiensi puellare monasterium condidit: cujus filius Adalbertus Ruotpertum Rætiensis præfecturæ, ex qua ipsum Adalbertum exturbaverat, invasorem, ex equi lapsu mortuum sepeliri curavit *in quodam monasterio, quod Lindowa nominatur.* Id enim conditoris jure fecisse cuivis facile persuasum erit. Hanc præfecturam, Ludovico augusto imperante, Ruotpertus occupaverat, ut ex prædicto libello intelligitur. quod tempus conditi Lindaviensis parthenonis, ac priscum vocabulum, situmque primarium confirmat. Plura colligere licet ex eo libello, quem in Appendice referemus. Alius sine dubio fuit Adalbertus comes Durgavorum, temporibus Ludovici Germaniæ regis & Caroli Crassi imperatoris, in quibusdam chartis [c] sancti Galli laudatus: quem Wodalricus [d] comes videtur præcessisse. Ceterum in duabus chartis exeuntis sæculi noni pro sancto Gallo, jam *Lintova* seu *Lintowa curtis* legitur. quo *curtis* nomine veteres illi opidum quoddam celebre, auctore Vadiano [e], aut in ipsis opidis domicilia celebrium hominum significabant. Postquam hæc scripseram pervenit in manus meas defensio Ludoviciani diplomatis contra Conringii censuram, auctore Maximiliano Rasslero Soc. Jesu, qui nihil indiscussum relinquit ad justam istius diplomatis defensionem. Audio tamen Tenzelium pro Conringio respondisse, & adhuc litem pendere in consilio sacræ cæsareæ majestatis.

a Conring. p. 328.

b Nithard. lib. 2. p. 367.

c Goldast. to. 3. rer. Alaman p. 84. & seq. & Conring p. 255.

d Gold. ibid. p. 71.

e ibid. p. 55.

X. Andaginensium religio.

In saltu Arduennæ florebat hoc tempore Sevoldus abbas monasterii Andaginensis seu sancti Huberti, cujus miraculum refertur in hunc modum. Tanta fuit hoc anno imbrium inundatio, ut certam mortalibus ac terræ fructibus perniciem intentaret. Cum humana auxilia deficerent, sacerdotibus ac populis nihil consultius vi-

fum eft, quam ut ad fancti Hucberti patrocinium confugerent, fi tamen ejus monafterium adire fibi liceret. Tanta quippe tunc temporis eo in loco erat fub venerabili abbate Sevoldo religionis difciplina, ut *quibufque facularibus* difficilis effet illuc conveniendi licentia, *nullufque ingrediendi aditus feminis, nifi in annuis fefto ipfius pontificis tribueretur.* Præmiffi oratores abbati & fratribus imminens periculum exponunt. Illi audito communi periculo, dubii hærent, cum hinc ad annuendum invitaret jufta oratorum petitio, illinc religio piæ confuetudinis retraheret. Poftulantibus tandem affenfum eft. Procedunt nudis pedibus jejuni ad facrum locum terni quaternive aut quini facerdotes cum fuis quique affeclis, tum ad facrum fepulcrum cum oblationibus conveniunt. denique facra celebrantur miffarum follemnia. Nec mora ceffavit illa imbrium inundatio: quin etiam longo poft tempore nullum his partibus damnum ab ulla tempeftate allatum eft. cujus beneficii memores accolæ, annuæ oblationis voto Deo & fancto Hucberto fe fe obftrinxerunt. quod votum *banno* feu edicto *imperiali* & lege fynodali confirmatum eft. In vulgato libello de miraculis fancti Hucberti id factum legitur *anno Verbi incarnati octingentefimo tricefimo-feptimo, imperii autem Ludovici vicefimo-quinto, ordinationis vero domni Walcandi epifcopi vicefimo-octavo.* Cointius fcribendum putat *anno octingentefimo tricefimo-octavo.* quod accuratius videtur, habita ratione annorum imperii Ludovici, fi a morte Caroli parentis computentur. ANN. CHR. 838.

Sub idem tempus Eggardo abbati Laubienfi, humanis rebus exemto, Harbertus e Corbeiæ monafterio abbas adfcitur, probante Ludovico augufto, vir bonus & multum laudatus. In primis religioni ftuduiffe, & farciendis ornandifque ejus loci rebus operam dediffe traditur. Hujus rei teftem affert campanam, juffu ejus factam, Fulcuinus chronographus, impreffos eidem verfus referens, quorum primus abbatis auctoris fui nomen exprimit: XI. Laubienfes abbates.

Harberti imperio componor ab arte patroni.

Idem e filva aquæ fontem deducere tentavit, *fed perficere non potuit opus prapofterum, & fero inchoatum*, prohibente fcilicet Hucberto, fratre Theutbergæ reginæ, quæ Lothario regi nupta erat. Is enim abbatiam hoftiliter invafit; tum, expulfo Harberto, qui ad Corbeiam revertit, militibus fuis monafterii reditus partitus eft, exiguis ac modicis villulis in fratrum ufus refervatis: qua de re inferius recurret narratio.

Reftituta in Dionyfiano apud Parifios monafterio difciplina regulari, Hilduino abbati fratribufque vifum eft focietatem inire fuffragiorum cum monachis Remigiani apud Remos cœnobii, qui olim inftitutum fuum, Tilpino archiepifcopo auctore, ab ipfis Dionyfianis acceperant. Sacræ confœderationi ultro affenferunt Remigiani, fi non ipfi primi ejus fuerunt auctores. Editæ funt hac de re litteræ ex membrana Remigiana in tomo quarto Spicilegii, in quibus id factum legitur Fulcone fancti Remigii abbate, qui tum ecclefiam Remenfem, fimulque fancti Remigii abbatiam, Ebone archiepifcopo cum æquivoco nepote fuo expulfo, procurabat, & quidem anno vicefimo-quinto Ludovici augufti. Audienda initæ focietatis verba. *Æquum fiquidem vifum eft fratribus in beati confefforis Christi Remigii monafterio, fub fanctiffimo ac venerabili patre Fulcone manentibus, ut cum fratribus de præclariffimorum fanctorum, videlicet Dionyfii, Ruftici & Eleutherii, cui venerabilis paftor Hilduinus præeffe videtur, tale decretum de pacis ac dilectionis conjunctione facere, & quid unufquifque pro falute atque obitu alterius agere debeat: quod neque ab ipfis, neque a fucceforibus eorum, ullo umquam tempore corrumpatur, fed femper firmum atque inviolabile permaneat. Igitur anno* XXV. *imperii domini ac fereniffimi HLudowici, nos omnes fratres ex monafterio beati Remigii hoc fcriptum pari confenfu atque communi voluntate fecimus, quod & nos omni tempore completuros pollicemur, & ut a fuccefforibus noftris conferuetur, obnixe flagitamus. Primum namque volumus, ut talis inter nos & fupra dictos fratres noftros fervor caritatis & tanta vis dilectionis maneat, ac fi uno, fi fieri poffet, converfaremur loco. De cetero, ut quando aliquis ex ipfis, corporis nexibus abfolutus, a fæculo migraverit; unufquifque noftrum infra triginta dies pfalterium pleniter compleat, ac facerdotes noftri miffas, eidem pfalterio congruentes, pro eo celebrare ftudeant; & tres vigilias, id eft primo, & feptimo, atque tricefimo* XII. Remigianorum focietas cum Dionyfianis.

ANN. CHR. 838. *die, communiter pro eo & devotissime peragamus. Si vero quidam ex eis aliqua corporis incommoditate occupatus fuerit, mox ut nobis nuntiatum fuerit, omni die, quousque convalescat, aut ab hac luce discedat, unusquisque quinque psalmos pro eo sollicite compleat; & ut nomina defunctorum illorum inter nomina nostrorum inserantur defunctorum: ut, sicut pro nostris, ita etiam pro illis cotidie Domino sacrificium offeratur.* Subsequuntur in veteri membrana nomina monachorum ex monasterio sancti Dionysii, atque eorum, quibus communio suffragiorum ab iis concessa fuerat, qui *fratres conscripti* aliis dicebantur. In horum numero primi recensentur *HLudovicus imperator, item HLudovicus rex. tum Hilduinus abbas*, item *Hilduinus abbas*, item *HLudovicus abbas*: quorum primus Dionysianus abbas erat, alii duo confœderati, & forte ex Dionysianis assumti. Quamquam Ludovicus abbas videtur esse Ludovici augusti frater, qui Hilduino abbati Dionysiano successit, jam aliarum cœnobiorum abbas. Hos sequuntur nomina ejusdem loci monachorum, numero centum viginti-septem: quos inter memoratur *Godofredus episcopus*, & Hincmarus diaconus & monachus, is qui postea Remorum archiepiscopus creatus est; Samuel item subdiaconus, forte is, quem scriptor sancti Dionysii miraculorum in fine libri secundi compellat, cujusque hortatu duos priores libros scriptos dicit, quibus alter anonymus tertium adjecit. Succedunt in eadem membrana *nomina monachorum de monasterio sancti Germani*, scilicet Parisiensi, numero centum viginti-duo, præter Ebroïnum abbatem, quibuscum eadem societas inita est. In editis omissa sunt hæc nomina, in scriptis relata, ubi recensetur *Ebroinus abba*, Hilduini successor, idemque Pictavorum episcopus; Heimo, Sigemundus, Lantbertus, aliique permulti, in quibus laudatur *Usuardus*, martyrologii auctor; & *Haimoinus*, qui librum scripsit de miraculis sancti Germani; atque *Gislemarus*, an scriptor vitæ sancti Droctovei abbatis, pænultimo loco relatus. Porro in illo Dionysianorum monachorum numero sacerdotes minimum triginta-tres, diaconi septemdecim, subdiaconi viginti-quatuor, acolythi septem recensentur; ceteri tantum monachi, præter unum episcopum. Eodem fere tempore in monasterio sancti Galli *sub Salomone abbate fuerunt simul presbyteri quadraginta-duo, diaconi quatuor & viginti, subdiaconi quindecim, pueri viginti*, testante Ekkehardo. Denique ex triginta monachis Croylandensibus, quos Ingulfus tradit effugisse furorem Nortmannorum, *decem erant sacerdotes*, ceteri inferiorum graduum monachi. quæ observare visum est hoc loco ad illustrandam eorum temporum disciplinam in monachis ordinandis.

Eadem cum Germanensibus.

Monachorum sacerdotum numerus.

XLII. Carnutense S. Petri monasterium direptum.

Carnutensem ecclesiam regebat hoc tempore, aut potius ferociter vexabat Elias, solo nomine, non merito episcopus. Is regia auctoritate, quam forte pecunia redemerat, sancti Petri abbatiam adeptus, eam armis occupare instituit, repugnantibus monachis, qui ejus tyrannidem merito reformidabant. Hos itaque militari manu aggressus, *multo cruore effuso*, rerum tandem potitur, pretiosa quæque cimelia & ornamenta diripit, vasa sacrata, aurea & argentea, asportat, distrahitque; terrasque sanctuarii partim in suos usus convertit, partim propriis stipendiariis in beneficium dedit. Hinc factum est, ut episcopum abhorrentes plerique monachi, locum deseruerint, & ad Autisiodorense beati Germani cœnobium confugerint: alii vero, vix sibi relicta victus ac vitæ facultate, incerti quo pergerent, ab eodem invasore dure & inclementer tractati sint. Sic locus ille, religione quondam celebris, pristina dignitate, solitoque orbatus divinæ laudis officio, pæne in solitudinem redactus est, dum barbara Nortmannorum manus supremam cladem urbi ac monasterio attulit. Neque hoc malo contentus Elias, alterum cœnobium sanctimonialium, in monte Leugarum, non longe ab urbe eleganter constructum, solo tenus destruxisse traditur. Eliæ in episcopatu successit Burchardus, Burchardo Frothaldus, quo sedente civitas a Nortmannis capta ac succensa est. Hæc aliaque fœda relatu exhibet sancti Petri liber, Haganonis nuncupatus.

ANN. CHR. 839. XLV. Ludovicus rex a defectione resipiscit.

ANno insequente supra octingentesimum tricesimo-nono Ludovicus Bajoariæ rex, partitionem Lotharium inter & Carolum a patre factam non ferens, concitatis transrhenanis populis, rem armis vindicare aggreditur. qua re accepta, Ludovicus post pascha mature occurrendum putavit, ac trajecto Rheno Triburiam accessit, quod opidum erat trans Rhenum ad australem Moguntiæ plagam, Oppenheimium inter ac Moguntiam positum, ad dexteram, qua secundo Rheno descenditur.

ANN CHR. 839.

descenditur. Collecto illic exercitu usque Bodamam seu Bodomam, [a] mendose Bedoniam, Alamanniæ opidum regio palatio insigne, perrexit: cui Ludovicus, suorum defectionem metuens, supplex veniam postulavit, ac se, quæ perperam egisset, emendare pollicitus, inani incœpto recessit. Incidebat eo anno paschalis sollemnitas in octavum idus Aprilis; nec facile tantum itineris ante finem ejusdem mensis imperator conficere poterat. Bodoma seu Bodama [b] palatium erat ad lacum Acronium seu Brigantinum, a Bodama Bodamicum, dein Potamicum dictum, quo in loco Ludovicianum diploma pro Lindaviensi monasterio datum fertur. Longe melioris notæ est præceptum Ludovici augusti, quo Aldrici-cellam Tattoni abbati Campidonæ hoc anno, quarto-decimo kalendas Maias, restitui jussit, dum in Bodoma palatio moraretur. Hoc diploma integrum videtur referendum ad illustrandam Ludovici profectionem contra Ludovicum Bajoariæ regem, quem Bodomæ sibi demum reconciliavit.

a V. supra n. 8.

b V. Goldast. to. 1. rer. Alaman. p. 180.

Ludovici augusti diploma pro Campidona.

In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, HLudowicus divina repropitiante clemen'ia imperator augustus. Si locus Deo dicatus propter amorem Dei & reverentiam inibi sibi famulantium quippiam beneficii de rebus transie.riis ad necessitates eorum sublevandas conferimus, id nobis procul-dubio ad æterna præmia consequenda profuturum minime dubitamus. Idcirco n veri industria omnium fidelium nostrorum, presentium scilicet & futurorum, quia ad deprecationem dilectissimi fratris nostri Drogonis venerab lis archiepiscopi, sacrique palatii nostri summi capellani, quamdam cellulam, appellatam Aldrici-cella, que domino ac genitori nostro Carolo prestantissimo imperatori tradita est, que in ducatu Alamannie sita est, in pago Albigoi, ad quoddam monasterium, quod dicitur Campidona, ubi presenti tempore venerabilis Tatto abba præest, ob emolumentum anime nostre & æterne retributionis fructum subdere, & de nostro jure in jus & potestatem predicti monasterii sollemni donatione nobis transferre placuit. Pro hoc itaque n stro f vore atque licentia ded t jam dictus venerabilis abba Tatto ex ratione m nast.rii sui Ra ulfo presby'ero atque capellano nostro, qui jam pridem eamdem cellulam nostra largitione tenuit, ad habendum in ben.ficium diebus vite sue, in pago Keltenstein, in lot , qui dicitur Hruodoldsthova, sex obas vestitas sub in .gritate earum; & in alio loco, in pago Augustgoi, quamdam cellulam, nuncupatam H rileicella, cum omnibus ad se pertinentibus: eo videlicet modo, ut prefatas res monasterii diebus tantum vite sue habeat, & post obitum suum revertantur ad prenominatum monasterium perpetualiter possidende. Unde vero ob firmitatis studium hoc preceptum venerabili monasterio Campidone pro utrisque rebus confirmandis fieri jussimus, per quod decernimus atque jubemus, ut abhinc in futurum, modo superius taxato, in jure & dominatione ejus consistant: ita ut quidquid utilitatis rectores predicti monasterii de utrisque rebus facere, ordinare, disponere decreverint, libero in omnibus perfruantur arbitrio. Et ut hec nostre confirmationis auctoritas per futura tempora inviolab lem & inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria nostra subter eam firmavimus, & impressione anuli nostri jussimus sigillare. Signum HLudowiti serenissimi imperatoris. Hirmiumaris notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi. Data XIIII. *kal. Ma as, anno Christo propitio* XXVI. *imperii domus HLudowici piissimi augusti, indictione secunda. Actum Bodoma regio palatio in Dei nomine feliciter, amen.*

Præter hoc diploma idem Tatto abbas aliud ab ipso imperatore, ad liberam electionem abbatis, iisdem anno & indictione obtinuit suo monasterio Campidonæ, [c] *quod est constructum in honore sancte Marie semper virginis, & sanctorum Gordiani & Epimachi martyrum, quos bone memorie Hildegarda mater ejusdem imperatoris ad eumdem locum, pro divinis eis officiis adhibendis collocavit. Actum Cabalauno civitate, palatio regis*, kalendis Septembris, anno vicesimo-sexto imperii HLudvici augusti, indictione secunda. Hoc diploma solita formula, *divina repropitiante clementia*, præditum non est, sed alia, quæ ante eam obtinebat, *divina ordinante providentia*: cujus rei jam alia superius [d] exempla vidimus. Versabatur itaque Ludovicus imperator *Cabalauno* seu Cabilone civitate hoc anno, kalendis Septembris.

Aliud pro eodem.

c Anlect. to. 4. p. 468.

d lib. 31. n. 83.

XV. Aquitaniei tumultus.

Id congruit cum Astronomi narratione, qui motui Bajoarici regis Aquitanicum hoc modo conjungit. Revertens ex Alamannia imperator, Rheno apud Confluentes transmisso, in Arduennam causa venationis accessit. In qua dum exerceretur, nuntii ad eum veniunt, Aquitaniæ tumultum perferentes. Pippinus rex moriens duos reliquerat filios, Pippinum & Carolum, qui ambo paterno se regno excludi,

ANN. CHR. 839.

& Carolum consobrinum in ejus possessionem venire graviter ferebant. Hinc majorem-natu Pippinum primores quidam, quorum Emenus comes princeps erat, ad defectionem & ad hereditarium regnum capessendum sollicitant. Restitere contra non pauci ex optimatibus, quos inter Ebroinus, abbas tum sancti Hilarii apud Pictavos, postea ejus urbis episcopus, ad Ludovicum cæsarem maxima celeritate contendit, ejus voluntati cum plerisque proceribus in omnibus obsequi paratum se esse contestans, simulque flagitans, ut nascenti malo imperator quantocius occurreret. Hunc cum multis gratiarum actionibus in Aquitaniam remisit Ludovicus, suis mandata fidelibus perlaturum, cum eo, ut proximo autumno *Cabillonum* ad generalem conventum convenirent: ubi prædictum diploma Tattoni abbati kalendis Septembris concessum est. Rebus itaque Cabilone, uti condictum erat, ordinatis, imperator dein ad componendas res Aquitanicas se convertit, agnitoque apud Arvernos rege Carolo, Pictavos ad celebrandum Christi Domini natalem accessit.

XVI. Eginhardi abbatis obitus.

Hoc tempus non videtur prætergressus Eginhardus Selingestadiensis & S. Bavonis apud Gandavum, atque Blandinii abbas. Digressus ab Aquis palatio, morbo splenis ac femoris correptus, trajecto [a] vix decimo die pervenit Valentianas, post biennium scilicet, quam fututos regni tumultus, *revelantibus Christi martyribus* Petro & Marcellino, didicerat. Valentianis navigio delatus est ad sanctum Bavonem; atque ut inde Selingestadium redire sibi liceret, quod intra quindecim dies navigio fieri posse dicit, quemdam aulicum [b] rogat. Is erat Gerardus, ut puto, comes, prima dumtaxat littera designatus, cui ob hanc gratiam, ab imperatore atque augusta obtentam, gratias agit epistola quadragesima-quinta. Post aliquantam apud sanctos martyres moram, denuo invitatur ad palatium a Gerwardo amico; quod sibi impossibile dicit, *tam propter viæ difficultatem, quam corporis imbecillam valetudinem*. Ab eodem reperit scriptum de revelatione quadam sancti Gabrielis, quod ei legendum & examinandum miserat. Deinceps de statu rerum palatinarum [c] nihil sibi scribi rogat, *quia nihil ex his*, inquit, *quæ aguntur, audire delectat*. Eidem, ut puto, Gerwardo, carissimo amico, *Eginhardus peccator, jam in extremo [d] positus* scribit, animam ei suam commendaturus e corpore mox egressuram, *ut sanctarum studiis orationum, piorumque precibus fratrum* quiddam refrigerii accipere mereatur.
» Dein eidem commendat curam ecclesiarum sibi commissarum, ne post suum ipsius
» obitum locum sanctitatis invadant rapaces, gregemque humillimum dispergant: sed
» potius ut talis eis concedatur rector, qui Deum amare noverit, vel timere, & sub-
» ditis subvenire. Ad hoc quemdam sibi proximum suggerit, quem fratres ipsi præfici optabant, juvenem quidem ætate, sed moribus senem, forte Ratleicum notarium suum, quem sibi substitui optat. In fine mittit pallium unum, quod rogat mitti ad fratres sancti Servatii Trajectensis, ut sui mentionem faciant: & Immæ sorori dilectissimæ, quæ ante ipsum mortua erat, animam suam commendat. Erat Gerwardus clericus, ni fallor, palatinus, is, qui librum de vita Caroli Magni, ab Eginhardo scriptum, exarari curavit in codice Vindobonensi, ex quo Lambecius hos versus refert, eidem libro adjectos, inscriptos forsan Ludovico augusto.

a *Eginh. epist.* 40. & 41.
b *id. ep.* 42.
c *id. ep.* 47.
d *id. ep.* 32.

Hos tibi versiculos ad laudem, maxime princeps,
Edidit, æternam memoriamque tuam
Gerwardus supplex famulus, qui mente benigna
Egregium extollit nomen ad astra tuum.
Hanc prudens gestam noris te scribere, lector,
Ehinhardum magni magnificum Karoli.

Idem Eginhardus scripsit annales de rebus a Carolo & Ludovico gestis, quidquid contra sentiat Cointius; varias epistolas, quatuor libellos cum vita rythmica sanctorum Petri & Marcellini martyrum; librum etiam de adoranda cruce, aliumque de revelatione sancti Gabrielis, qui duo posteriores exciderunt. Epitaphium ejus scripsit Rabanus, uti & Ratleici ejus successoris, qui ipsius quondam notarius fuerat. In vetusto breviario Fontanellensi notatur xv. kal. *Junii Einardi abbatis Fontanellæ commemoratio*, quem ut sanctum colunt Fontanellenses nostri, sed alia die, nempe vicesima Februarii, vereor ut satis gravi fundamento.

XVII. Rabanus abbas, ejusdem Eginhardi amicus, hoc etiam tempore commentarium

In libros Maccabæorum, *reverendissimo, & omni caritatis officio dignissimo Geroldo, sacri palatii archidiacono*, nuncupavit, cujus rogatu illum ediderat, ex divina partim historia, partim ex Josepho, aliisque aliarum gentium historicis contextum. Eumdem postea obtulit Ludovico Germaniæ regi, cui præterito anno tractatum in Danielem prophetam direxerat: obtulit, inquam, eo tempore, quo Romana ecclesia libros Maccabæorum in ecclesia legi constituit, nempe mense Octobri, ut princeps hanc expositionem in promtu haberet. Ex quo intelligitur, quanta tum fuerit regum ac principum in legendis, meditandisve scripturis sacris sedulitas. Eodem tempore idem auctor commentationes in Sapientiam & Ecclesiasticum Otgario Moguntino pontifici nuncupavit. Et primam quidem ideo aggressus est, quod nullam antea super totum Sapientiæ librum expositionem invenisset, licet Bellator presbyter octo libros in eum librum scripsisset.

ANN. CHR. 839.
Rabani commentarii in scripturam.

XVIII.
Wandalberti scriptio de S. Goare.

Hoc ipso anno Wandalbertus seu Wandelbertus, diaconus ac monachus Prumiensis, libellum de vita sancti Goaris confessoris, rudi stilo compositum, elegantiori oratinne expolivit jussu Marcwardi abbatis sui, alterumque libellum de ejusdem sancti anachoretæ miraculis adjecit. Utriusque libelli prologum scribit *ad inlustrem virum Marcwardum abbatem monasterii Prumiæ*: quo in prologo inexcusabiles fore ait sui temporis homines, si facta sanctorum virorum posteris scribendo non transmittant. *Quippe apud Gallias, multos annos litterarum studia jacuere, nec facile plures per transacta retro spatia liberalium artium munere functi esse reperiuntur: qui usque ad nostram*, inquit, *ætatem, principum liberalitate & optimorum virorum sollertia, adeo disciplinarum studia profecerunt, ut invidiam criminis merito nunc sustinere cogamur, si gesta sanctorum virorum, quæ quidem ad nostram potuerint pervenire notitiam, posterorum scientiæ deperire sinamus. Neque vero audiendi sunt, qui tantum ætati preteritæ tribuunt, ut nunc quoque fieri, quæ digna litteris æstimentur, absoluto prejudicio negent: cum divina providentia singulis mundi temporibus ita semper, quæ humano generi pro modo & ratione congruant, ordinet; ut neque nos priscorum hominum felicitatem desiderare conveniat, neque illos nostrorum temporum statum, si, qualis nunc agitur, præscire potuissent, damnaturos fuisse credibile sit. quippe nunc quoque sunt in ecclesia multi virtute vitæ clarissimi; & ad merita declaranda sanctorum in sacratæ ecclesiarum domibus stupenda sæpenumero miracula fiunt, quæ propterea pauci, aut prope nulli mirantur, quoniam sui frequentia duris jam hominum cordibus viluerunt.* Hæc vir inter clarissimos tunc auctores haud incelebris, opportuna huic loco ad res ejus temporis, maxime quæ ad sanctorum virtutes & litterarum statum pertinent, internoscendas. Sub finem libri secundi ait, se miraculorum narrationem perduxisse ad annum octingentesimum tricesimum-nonum, eaque tantum litteris mandasse, quæ relatu virorum fidelium didicerat. In his testes laudat Heriradum presbyterum ac monachum congregationis Prumiensis, & Theodradum cellæ sancti Goaris clericum: in cujus cellæ possessione Asuero abbati Tancradus, Tancrado Marcwardus *vicaria mutatione successerunt*.

XIX.
Bertinianis monachis custodia basilicæ S. Mariæ restituta.

Agebat tunc in sede Morinorum annum vicesimum-tertium Folquinus episcopus, Hieronymi, Caroli Magni patrui, & Ercensendis filius, Folradi Quintiniani olim abbatis frater, cum Sithiensis monasterii dejectionem non sustinens, superiori sanctæ Mariæ basilicæ, quam Fridugisus abbas, expulsis monachis, sæcularibus canonicis tradiderat, *ædilitatem seu custodiam* sancto Petro, sanctoque Bertino restituit, flagitante Hugone abbate; & monachum sancti Bertini ibidem ad id officii instituendum decrevit. Insuper statuit, nt monachi quater unoquoque anno, hoc est feria tertia rogationum, in festivitate sancti Johannis Baptistæ, in depositione sancti Audomari, & in festo omnium sanctorum, ibidem missarum sollemnia celebrarent; & quidquid ad ipsum altare offerretur, juxta morem pristinum & privilegium sancti Audomari, acciperent. Actum est in ipsa basilica sanctæ Mariæ, anno dominicæ incarnationis octingentesimo tricesimo-nono, indictione secunda, imperii Ludovici augusti vicesimo-sexto, præsulatus ipsius Folquini vicesimo-tertio, XII. kalendas Martii, præsente universali synodo Morinorum. Folquini litteris, a Folcardo monacho relatis, subscribunt post ipsum Folquinum Maximus archidiaconus, Hugo abbas, Adalbardus monachus, is, qui postea Hugoni successit, Amalbertus & Morus item monachi, Hunricus cnmes, Odginus advocatus, aliique. Ex his Morum monachum Hugo abbas ædituum prædictæ sanctæ Mariæ basilicæ constituit, cujus npera post-

ANN. CHR. 839. modum usus est ad corpus sancti Audomari suffurandum, quod Folquinus Sithiensibus restitui curavit, idemque sanctæ Mariæ canonicos eisdem subjugavit. Porro superiores litteras Folquini jussu scripsit Gunibertus levita & monachus, clara stirpe, Goiberto & Ebertruda parentibus, progenitus, a patre Romam ductus, oblatusque ibidem sancto Petro, ubi ab Eogenio papa *clericatus ordinem* suscepit: quem pater, domum reversus, sancto Bertino monachum obtulit, ut jam superius observatum. Non immoror censuræ Caroli Cointii, qui hunc privilegium ob leves causas suspectum reddere conatur, nempe quod duriora verba in Fridugisum abbatem contineat, de Sithiensibus sane haud bene meritum, quos Folquinus diligebat; & ob annum incarnationis appositum, quod in ecclesiasticis litteris tunc temporis receptum fuisse aliis exemplis constat.

ANN. CHR. 840. XX. Ludovici augusti extrema facta & obitus.

POstero anno Ludovicus Bajoariæ rex iterum a patre defecit, ac Bajoaria egressus, cum Saxonibus ac Turingis Alamanniam incursavit. Mox Ludovicus augustus Pictavis, ubi natale Domini celebraverat, Aquas profectus, ad novos filii comprimendos impetus accurrit: at ille conspectum patris sustinere haud valens, fuga rursus in regnum suum se retulit. In chronico Saxonico nondum edito, *Ludovicus imperator filium Lodowicum trans Rhenum persecutus* dicitur, ac venisse ad *Herofesfelde sexto idus Aprilis*. Idem fere legitur in chronico Hildensheimensi. Hic est locus in Turingia, in quo situm Hersfeldense monasterium, cui tunc Hemmo seu Haimo abbas, vir doctrina & pietate insignis, ab anno superiore præerat, brevi futurus episcopus Halberstatensis. Id humanorum Ludovici operum extremum fuit, cujus mortem deliquium solis, quod pridie ascensionis Domini accidit, portendere visum est. Cum in morbum incidisset, in quamdam Rheni insulam, Ingelheimensi palatio proximam, delatus, brevi se moriturum intellexit, & quotidiana peccatorum confessione expiatus, non alio cibo per quadraginta dies, quam Christi Domini corpore usus est. Assiduus ei aderat præter ceteros Drogo Mettensis episcopus, ejus frater: qui veritus ne quid rancoris in Ludovicum regem toties rebellem animo gereret, ipsum hac de re pertentat. Hic vero, tantisper deliberabundus, collectis viribus, quanta & qualia ille contra ipsum egisset, commemoravit. Sed » quia ipse, inquit, ad me venire satisfacturus nequit, ego quod meum est ago; vo» bis testibus & Deo, omnia quæ in me peccavit illi remitto. Vestrum autem erit il» lum monere, ut ab erratis tandem resipiscat. His dictis, præcepit, ut vigiliæ nocturnæ (vespera sabbati erat) coram se recitarentur, tum ut signo sanctæ crucis pectus suum muniretur. quod signum ille propria manu fronti & pectori sæpissime imprimebat, aut per alios imprimi curabat. Dominica, missam a Drogone celebrari, sibique communionem sacram præberi voluit. Morti proximus, se a Drogone ceterisque sacerdotibus benedici petiit, solitisque ecclesiæ precibus animam suam Deo commendari. Tum, erectis sursum oculis, e vita migravit XII. kalendas Julii, anno ætatis sexagesimo-quarto, vir inter maximos principes, tum pietate, tum rebus fortiter gestis habendus, nisi nimia ejus in secundam uxorem & Carolum filium indulgentia crebris & funestis aliorum filiorum seditionibus, quæ extremam ejus ætatem deformarunt, occasionem ac materiam dedisset. Corpus ejus in urbem Mediomatricum, uti vivens præceperat, deportatum, in extramurana sancti Arnulfi basilica, ubi & mater ejus Hildegardis jacebat, Drogone episcopo funus curante, humo conditum est, postmodum translatum cum mausoleo intra muros, ubi nunc sancti Arnulfi basilica cum monasterio visitur. Hocce pii principis monumentum in æs incisum hic exhibere juvat, cujus prostypa seu extrema pars, quæ transitum filiorum Israël per mare rubrum repræsentat, sola antiqui operis est, forte ex alio antiquiori tumulo accepta: cetera recentis operis sunt, præter statuam imperatoris, quæ medio tempore sculpta fuisse videtur. Quæ recentiora sunt, reverendorum patrum congregatinnis S. Vitoni, qui locum occupant, zelum ac studium in piissimum principem ostendunt: at ea sola, quæ antiquioris sunt operis, hic repræsentare visum est.

ANN CHR. 840.



Quanto ſtudio in ſancti Benedicti regulam & inſtitutum affectus fuerit piiſſimus princeps, argumento ſunt in primis monaſteria ab eo vel condita, vel inſtaurata, de

ANN. CHR. 840.

quibus superius egimus : ad hæc restitutio disciplinæ regularis in antiquis monasteriis : amor denique monasticæ vitæ tantus, ut post mortem Ermengardis prioris uxoris, vix ab amplexando monachorum instituto temperare potuerit. Librum de ejus vita composuit anonymus auctor gravis & æqualis, ob astrorum scientiam Astronomus vulgo dictus, qui ea, quæ scripsit usque ad tempora ejus imperii, *Adhemari nobilissimi & devotissimi monachi relatione didicit, qui ei coævus & connutritus* fuerat. De gestis ejusdem imperatoris librum etiam scripsit Theganus chorepiscopus Trevirensis, quem librum Walafridus Strabo in capitula distinxit, apposita præfatione, in qua hujus auctoris carpit sententiam *de indignitate vilium personarum*, quibus dignitates ecclesiasticas ab imperatore concessas Theganus queritur.

Interea Lotharius ex Italia in Franciam advolat, integrum, si posset, imperium occupaturus. Et primo quidem Ludovicum regem, tum Carolum aggreditur. Parisios tendenti Hilduinus abbas sancti Dionysii & Gerardus comes, fide Carolo frustrata, obviam occurrunt. Pippinus, Pippini Aquitaniæ regis filius, in Juditham irruere volens, fusus fugatusque a Carolo est, qui hac victoria elatus, Lothario occurrit. Castris utrimque positis prope Aurelianos, prœlium eo pacto diremit Lotharius, ut Carolo Aquitania, Septimania, Provincia, & decem comitatus inter Ligerim & Sequanam cederent usque ad conventum Attiniaci, ad octavum idus Maias indictum. Ubi cis alpes advenit Lotharius, mox Ebonem, Remorum olim archiepiscopum, quem sede sui causa dejectum sciebat, e Floriacensi monasterio ad se profectum, in pristinam dignitatem restituit. Jam vero ab eo tempore Lotharius in suis diplomatibus duplicem calculum apposuit, unum imperii, alterum regni Francici. Primus [a] desumitur, non ab anno ejus sæculi decimo-septimo, quo consors imperii a patre factus, sed ab anno vicesimo, quando Longobardiæ regno præfectus est; adeoque epocha imperii vicenario solido exedit Franciam, quæ a parentis obitu, id est a duodecimo kalendas Julii hujus anni, repetenda est.

a V. Coint. to. 8. p. 623 & seqq. Diplom. p. 196.

Servorum manumissio ab eo emendata.

Inter alia Ludovici præclara facta illud censetur, quod homines servilis conditionis, qui semel clero adscripti essent, ab eo removeri vetuerit: cum antea pro nutu regiæ auctoritatis sacris altaribus applicarentur, & ab eis revocarentur. at Ludovicus constituit, quod Carolus ejus filius confirmavit, ut manumissio fieret ex mutuo consensu pontificum & optimatum imperii sui; sicque facta deinceps inviolabilis esset. Id discimus ex præclaro instrumento Ugonis abbatis sancti Aniani Aurelianensis, qui, juxta prædictam constitutionem, quemdam clericum, Regimbaldum nomine, ex familia ejusdem S. Aniani ortum ex villa Appiariis, cum consensu fratrum ejusdem monasterii & rogatu Adalardi archiepiscopi, qui hanc villam in beneficium tenebat, vinculo servitutis absolvit, *civemque R. manum* constituit, ut fusius in appendice nostra leges. *Data* III. *nonas Octobris anno* I. *regni Karoli imperatoris*, Calvi an Crassi, quo tempore sancti Aniani monasterium jam sæculari toga donatum erat. Ugo seu Hugo iste abbas, Conradi comitis filius erat, qui villam Appiarias Adalardo Turonensi archiepiscopo, Rainonis Aurelianensis fratri, in beneficium dedit.

Ugo abbas S. Aniani.

XXI. Mors Agobardi archiepiscopi Lugdunensis.

Agobardi Lugdunensis archiepiscopi obitum cum morte Ludovici augusti componit veterrimus codex Bedæ venerabilis de sex mundi ætatibus, ex incendio veteris bibliothecæ Lugdunensis ereptus, emtusque a Johanne Boscio Cælestino, ubi in cyclo paschali hæc ad marginem leguntur : *Hoc anno* DCCC XL. *sancta memoria Agobardus Lugdunensis episcopus obiit* VIII. *idus Junii. Ludovicus quoque imperator defunctus est* XII *kal. Julii : & memorabile atque insigne opus, quod Forum-vetus vocabatur, Lugduni corruit ipso die intrantis autumni, quod steterat a tempore Trajani per annos fere septingentos.* De successore vero hæc subduntur : *Anno* DCCC XLI. *Amolo, præfati episcopi diaconus, ordinatur episcopus Lugduno* XVII. *kal. Februarii.* Sub utroque illustris fuit Florus primum diaconus, ac demum presbyter Lugdunensis, qui una cum Agobardo & Rodrado abbate laudatur in libro societatum [b] Augiensium, & Walafridi Strabonis item versibus celebratur. Non immerito nonnulli præfervidum Agobardi ingenium reprehendunt in libro de sacris imaginibus, quas satius putat abjicere & comminuere, quam superstitiose, uti a Græcis fieri Michael & Theophilus imperatores orientis ad Ludovicum scribebant, colere & adorare. Verum hæc alibi a nobis exposita retractare non est hujus loci. Moderatius hoc de argumento egit Jonas, qui tres libros de cultu imaginum, Ludovici imperatoris

b Analect. to. 4 p. 644.

Jonæ libri a Lupo examinati.

ANN CHR. 840.

jussu inceptos, eo mortuo perfectos Carolo ejus filio nuncupavit, & quidem post mortem Claudii Taurinensis, quem illic in opere confutat. Hos libros Jonas Lupi & cujusdam alterius censuræ subjecerat. Rescripsit [a] Lupus, se librum, sicut optaverat Jonas, excurrisse, sed in eo mutare nihil voluisse: ut Jonas operis sui esset ipse corrector, cujus erat auctor. *siquidem expendenda*, inquit, *nobis fuit teneritudinis & tenuitatis nostra ratio*, juvenis quippe erat tum Lupus, *& ætatis ac ordinis vestri habenda ratio: nec facilitatem ac delectationem quamdam reprehendendi, quam in quibusdam notare solemus, debuimus imitari.* Ita ille civiliter ac modeste.

a Lup. ep. 27.

XXII. Hilduini abbatis obitus & successores.

Neque ultra hunc annum vitam produxisse videtur Hilduinus abbas sancti Dionysii ac sancti Germani apud Parisios, forte adhuc etiam sancti Medardi apud Suessionas. In necrologio nostro Germanensi, ejus tempore scripto, notatur ad decimum kalendas Decembris *depositio domni Hilduini abbatis*; eodemque die in Dionysiano: *Obiit Hilduinus, beati Dionysii monachus & abbas.* Jacobus Brolius asserit eum sepultum fuisse in choro sancti Medardi Suessionensis e regione præcipui altaris. quod si ita est, hunc ad obitum usque ejus loci abbatem perseverasse concedendum est. Fallitur Brolius, cum uno anno ejus obitum antevertit, Astronomo contra testante, Ludovico mortuo Hilduinum abbatem sancti Dionysii una cum Gerardo comite Parisiensi, Lothario Parisios accedenti obviam profectum fuisse. Insignia Hilduino elogia tribuunt Agobardus, & Frotharius episcopi, Walafridus Strabo, aliique illius temporis auctores: at conviciis eum, uti impostorem, onerant recentiores hypercritici, ob scripta maxime Areopagitica: in quibus excusandus potius videtur, quam culpandus. at certe in eo improbandus nec ferendus, quod imperatori Ludovico, & post eum Carolo regi ejus filio, fidem [b] fefellit, ut Lothario assentaretur. Veniabilis primus error, quippe qui brevis fuit: at inexcusabilior secundus, quo fidem denuo assertam iterum abrupit. Innocentior futurus, si Lotharii rebus iterum non se immiscuisset. Ejus locum in abbatia Dionysiana occupavit Ludovicus Caroli patruus, jam aliorum monasteriorum abbas: in Germanensi Ebroïnus abbas sancti Hilarii basilicæ Pictavensis, eodem tempore factus episcopus Pictavensis. quæ merces fuit initæ ad Ludovicum augustum legationis, ut ei Pippini junioris seditionem nuntiaret: quis vero Hilduino in sancti Medardi abbatia successerit, incompertum. nam quæ de Rodulfo abbate dicuntur, nullo alio nituntur, quam Trithemii testimonio. Ludovicum abbatem in Autisiodorensi sancti Germani monasterio educatum fuisse colligitur ex Lupina epistola vicesimaquinta Odonis abbatis Ferrariensis monasterii, in quo etiam aliquamdiu versatus fuerat.

b Nithard. lib. 2.

XXIII. Rodulfi archiepiscopi Bituricensis parentes & prima facta.

Rodulfus ejusdem nominis patre, Cadurcorum comite, & Aiga matre, clarissimo genere ortus, a teneris in clericorum ordinem adscriptus est. Extant hac de re litteræ notatu dignæ, in quibus Rodulfus comes & uxor Aiga filio suo dilectissimo Rodulfo, *quem ad clericatus ordinem Deo & Bertranno, viro religioso, vice sancti Petri tradunt*, instar patrimonii quamdam villam cedunt *extra consortium fratrum*, sitam « in pago Lemovicino. Ad hæc eidem cedunt, filiæque suæ Emenanæ, *quam Deo* « *ad sanctimonialium habitum tradunt*, ecclesiam sui juris, in honore sancti Projecti « constructam *in orbe seu* comitatu *Caturcino*. Facta cessio in mense Novembri, re- « gnante Ludovico serenissimo augusto. Quis fuerit Bertrannus ille, vir religiosus, cui « ad clericatus ordinem traditus est Rodulfus, clericus an monachus, incertum. Emenana, Rodulfi soror, sanctimonialis fuit in monasterio sancti Genesii apud Sarraziacum, ubi & postmodum abbatissa facta est. In prædictis litteris id observatione dignum, quod Rodulfi parentes, filium suum in clericorum ordinem promoturi, pro titulo prædia instar patrimonii, ut vocant, ei assignant. cujus rei aliud exemplum exstat in chartario Bellilocensi, ex quo superiores litteras retulimus, id est charta Ratardi cujusdam, reditus nonnullos concedentis Rodulfo abbati & monachis cœnobii Bellilocensis, tum causa pietatis, tum *pro clericatu cujusdam consanguinei sui, nomine Gumberti*, ea quidem ratione, ut idem Gumbertus tam diu istas « res teneat, *usquedum abbas & monachi supra dicti loci, aut ecclesia alium ei hono-* « *rem concedat, ut secundum clericatus sui officium vivere possit.* Rodulfus abbas, in prædictis memoratus litteris, haud alius videtur a Rodulfo nostro, de quo intelligenda est venditio villæ Beliaci, aliarumque rerum a Bosone, ejusque conjuge Talasia facta *venerabili abbati Rodulfo, anno primo, quo domnus Lotharius excellentissimus im-*

Clerici ordinandi patrimonium.

ANN. CHR. 840.

perator assumpsit imperium. quod de Rodulfo nostro explicandum esse patet, tum ex temporis convenientia, tum ex subsequentibus in eodem codice litteris ejusdem Rodulfi jam archiepiscopi Bituricensis, qui prædictam villam Beliacum, *quam olim de Bosone & de Talasia* ejus uxore comparaverat, confert monasterio Bellilocensi. Rodulfus itaque abbas dicebatur *anno primo, quo Lotharius assumsit imperium*, nempe post obitum Ludovici augusti ejus parentis: at cujus loci abbas, non facile dictu est. Certe non Bellilocensis monasterii, quod non nisi septennio post ab ipso conditum fuit; neque Floriacensis, cui adhuc Boso abbas præerat, uti discimus ex relatione clericorum Remensium super depositione Ebonis, qui *commendatus est ad custodiendum Bosoni abbati in monasterium sancti Benedicti, sub cujus manu exsulabat, quando dominus imperator viam totius ingressus est carnis. Defuncto autem imperatore, reductus est a jam dicto Bosone ad Lotharium, & obviavit ei apud Ingulenhaim.* Nondum ergo Rodulfus obtinuerat Floriacensem sancti Benedicti abbatiam, quam Boso ad hunc annum tenebat. Non diu tamen superstes fuit Boso: cujus obitus notatur XII. kalendas Septembris: certe ante annum ejus sæculi undequinquagesimum, quo Rodulfus a patribus synodi Saponariensis interpellatus est, ut abbatiam sancti Benedicti dimitteret, quam *irregulariter retinebat.* Nullius momenti est Trithemii testimonium, asserentis, Rodulfum abbatem sancti Medardi, *postea Bituricensem archiepiscopum*, synodo Moguntinæ interfuisse anno ejus sæculi duo-dequinquagesimo: quo anno jam Bituricensem ecclesiam regebat. Certe tam multa peccat in recensendis patrum illius synodi nominibus Trithemius, ut nullam hac in re fidem mereatur. quippe qui Hetti antistitem Trevirensem, Hildeboldum Coloniensem, Ludericum Bremensem, Einhardum abbatem Selingestadiensem eidem synodo adfuisse dicit, qui ante id tempus e vivis abierant.

Boso abbas Floriacensis.

XXIV. Veterinensis monasterii origo.

Postridie quam e vita migraverat Ludovicus augustus, hoc est XI. kalendas Julii, supremos vitæ dies absolvit Aigulfus Bituricensis antistes: cui successit Rodulfus mox laudatus, qui hoc nomine cœnobium Veterinense initio statim sui pontificatus exstruxit. Vulgatum a nobis est hac de re instrumentum in ejus elogio, in quo Ro-
» dulfus, *prima sedis episcopus*, viam sibi ad cæleste regnum parare sollicitus, Domi-
» no Salvatori res quasdam suæ proprietatis offert, Saraziacum scilicet cum ecclesia
» sancti Genesii, situm in pago Caturcino, in vicaria Casiliacensi, ubi cœnobium
» virginum post tres annos conditum est, cui Emena seu Emenana, Rodulfi soror,
» præfuit; necnon *casam dominicariam* apud Veterinas *, *in orbe Lemovicino* positam,
» & quidem in vicaria Asnacensi, *super fluvium Sordarium* *; quæ loca ipsi ab Aiga
» matre testamento legata fuerant. Hæc autem omnia in manu Silvii abbatis tradit,
« eo pacto, ut idem Silvius secum apud Veterinas monachorum cœnobium sub regula S.
» Benedicti construat *in honore Dei Salvatoris nostri, venerationeque beatorum apostolorum*
» *Petri & Pauli, & omnium apostolorum, sancti Laurentii, Sebastiani, Dionysii. Mau-*
» *ricii, & cunctorum martyrum; Hilarii, Martini, Martialis, Eligii, Austrigisili,*
» *Sulpicii, Benedicti, & universorum confessorum*: ut ibi *sub vera religione* degentes,
» pro se, & pro anima piæ memoriæ genitoris sui Rodulfi assidue orent, & jugem
» oblationem faciant: hoc addito, ut, quamdiu ipse Rodulfus & Silvius abbas vixe-
» rint, monachi ejus loci sub communi utriusque regimine consistant. Actum Con-
» dato villa, anno primo Caroli regis, mense Martio. qui calculus anno insequenti
respondet. Silvius non alius videtur fuisse quam ejus nominis abbas Sollemniacensis.

* Vegennes.

* la Sordoire

Bellilocensis item cœnobii.

Veterinense monasterium nunc solitaria cella est vicina Bellilocensi abbatiæ, cujus fundamenta hoc circiter anno ab eodem Rodulfo jacta sunt, ut domestica probant instrumenta ejus loci, quæ in chartaceo Bellilocensis monasterii codice referun-
» tur. Primum invenio instrumentum cujusdam Adalgarii & uxoris ejus Aiguæ, qui res
» quasdam proprietatis suæ, sitas in pago Caturcino, in vicaria Exidensi, in loco,
» qui vocatur Bejonis, hoc est ecclesiam sancti Michaëlis cum suis appendicibus,
» conferunt *ad monasterium, quod vocatur Bellus-locus*, condi cœptum in honorem
sancti Petri & sanctæ Felicitatis, aliorumque sanctorum, *ubi vir venerabilis Gairulfus abbas præesse videtur.* Facta cessio *in mense Januario, anno primo regnante Carolo gloriosissimo rege.* Nullum tamen Rodulfi occurrit instrumentum ante annum Caroli regis quartum, quo ecclesiam sancti Saturnini apud Siuniacum cedit monasterio, quod Bellus-locus dicitur, *ubi beata Felicitas corpore requiescit, quod Christo propitio*

in

ANN. CHR. 840.

in fundo juris mei, ait, *constituo, monachisque ibidem Deo famulantibus, quibus venerabilis vir Gairulfus abbas præesse dignoscitur.* Idem eodem anno, eidemque loco cedit ecclesiam sancti Martini in villa pagi Lemovicini & vicariæ Asnacensis, dicta Beliaco, pro remedio animæ suæ, & fratris sui Roberti, & uxoris ejus Retrudis, *quæ in eodem monasterio inhumata jacet.* In alia charta permutationis, ab eodem factæ ipso anno cum episcopo Lemovicensi, subscripti occurrunt post Rodulfum Gairulfus abbas, Teotardus præpositus, Eliseus custos ecclesiæ, & Landricus portarius. Hæc in antecessum de Belli-loci origine, de qua plura post sex annos dicturi sumus.

XXV. Lesatensis item abbatiæ.

Ad hoc idem tempus revocantur primordia monasterii Lesatensis, quod Atto Biterrensis vicecomes in inferiori comitatu Fuxensi, quinta supra Tolosam leuca, inter fluvios Aurigeram & Garumnam, ædificavit in diœcesi olim Tolosana, nunc Rivensi, & quidem ad Lesam amnem, a quo nomen monasterii derivatum. In abbatum indice primum locum tenet Asuarius, tametsi primus non videtur fuisse. Is vicecomes itidem Biterrensis monasterium Patriciani * erexit, ac dotavit; rebusque illic recte ordinatis, in Lesatense monasterium se recepit: ubi, monastico sumto habitu, postea factus abbas, demum beato fine quievit.

* Peyrissac.

XXVI. Lotharii & Caroli diplomata.

Per id tempus Lotharius augustus variis locis diplomata concessit. Unum ad preces Sigimari abbatis ex monasterio, quod vocatur Vivarium-peregrinorum, situmque est in ducatu Alsacensi super fluvium *Morbach*, constructum in honorem sancti Leodegarii & sancti Petri apostolorum principis: quo diplomate Lotharius confirmat Luciariæ monasterio & monachis ibidem degentibus homines ingenuos quinque, quos pater suus eidem loco dederat. Achardus ad vicem Agilmari, qui archiepiscopus erat Viennensis, hoc præceptum recognovit, datum VII. kal. Augusti, anno imperii domni HLotharii piissimi imperatoris XXI. indictione III. Actum *Strazburg* civitate. In libello societatum Augiensium laudatur ex monasterio *Morbach* Sigimarus abbas. Is est Sigimarus abbas, quem Walafridus Strabo [a] versibus celebravit.

[a] Canif. to. 6. p. 631.

Alterum diploma Duserensi ad Rhodanum monasterio ab eodem imperatore concessum est rogatu Hildigisi abbatis pro duarum navium exemtione a teloneis, datum VI. idus octobris, anno ejus imperii in Italia itidem XXI. in Francia primo, indictione III. Actum Verno palatio. quod Achardus etiam ad vicem Agilmari recognovit. Ibidem & cum iisdem chronicis notis Elnonensi monasterio cellam Barisiacum, *propter insolentiam rectorum* ab ejus potestate abstractam, postulante Adalleodo abbate, restituit. Hanc cellam in beneficium quidam Ludovici augusti fidelis, Leo nomine, prius acceperat anno ejus imperii XVII. quo anno idem Ludovicus silvam Columbarias, Pippini principatu per vim a regiis ministris abstractam, eidem cellæ restitui curavit.

In Burgundia numerabantur anni Lothariani, ut fidem facit charta permutationis quarumdam rerum, hoc anno factæ inter Ingelrannum episcopum atque abbatem sancti Benigni apud Divionem, & quemdam Madalgerium. quæ charta data est *die dominico proximo nono kalendas Decembris, in anno primo regnante domino nostro Hlothario imperatore.* At in Septimania notabantur anni Caroli regis. quod probat in primis placitum in pago Tolosano habitum, in vico Magnanaco, quem Rainulfus abbas monasterii sancti Johannis de castro Mallasti adversus Atonem vicecomitem Odonis comitis Tolosani evindicavit *mense Decembrio, anno primo regnante Carolo rege.*

XXVII. Aninsula Cenomannensi ecclesiæ subtrahitur.

Ad portionem Carolo a Ludovico parente assignatam spectabant Cenomanni, quos tamen principio quiete ac tranquille non possedit. nam, ut ex Aldrici episcopi actis intelligimus, quædam tyrannica potestas adversus Carolum ibidem insurrexit, cui Sigemundus abbas Aninsulensis monasterii se se adjunxisse dicitur, eaque occasione monasterium suum a dominatione subtraxisse Aldrici episcopi, qui Carolo semper fidelis adhæsit, ob idque ab æmulis sede sua pulsus fuit. Composita demum seditio est, sed eo pacto, ut liberum esset Aninsulense monasterium a temporali ditione episcopi Cenomannensis: quod tamen Carolus Aldrico, ubi rerum suarum status pateretur, se redditurum pollicitus est. Hæc ex prædictis Aldrici actis, quibus forte hac in re non tuta fides. Certe Carolus adeo hanc conditionem non implevit, ut contra ejus principatu idem monasterium decretorio judicio a Cenomannicæ ecclesiæ subjectione omnino absolutum sit.

XXVIII.

Extremo anno Lotharius in Caliniaco villa comitatus Cabilonensis morabator, uti discimus ex ejus diplomate, quo generatim omnes Farfensis monasterii posses-

ANN CHR. 840.

Lotharii præceptum pro Farfa.

sìones & præceptiones confirmavit. Illic cum versaretur, ad eum accessit vir venerabilis Sichardus, *Sabinensis* seu Farfensis monasterii abbas, eique ostendit reco-
» lendæ memoriæ Ludovici præstantissimi imperatoris præceptum, in quo contine-
» batur, quo pacto idem monasterium ab eodem Lothario, dum Romæ, a Paschali
» papa invitatus, resideret, agente Ingoaldo abbate ipsius Sichardi decessore, libe-
» rum a jure & dominatione Romanæ ecclesiæ declaratum sit, ejusque possessio a
» Paschali pontifice abdicata per *mappulam suam*, qua per Sergium advocatum suum
» revestivit Leonem monasterii advocatum. id quod Ludovicus augustus postea suo
» peculiari diplomate ratum habuerit. quibus ostensis, Sichardus Lotharium obnixe
» rogavit, ut eamdem auctoritatem innovaret, atque imperiali præcepto denuo san-
» ciret, ratasque haberet universas donationes, quæ eidem loco hactenus factæ fue-
» rant. Huic petitioni favorabilis Lotharius, omnes monasterii possessiones confir-
» mat, fundos singillatim commemorans, ac monasteria Farfensibus subjecta, nempe
» *monasteria virorum atque puellarum sancti Marci evangelistæ juxta murum civitatis*
» *Spoletanæ*, quæ Carolus augustus eidem abbatiæ tribuerat; item sancti Salvatoris
» monasterium haud procul ab eadem civitate, atque monasterium sancti Georgii
» sub muro civitatis Reatinæ, cœnobium quoque beati Stephani in finibus Beneven-
» tanis; denique quidquid ex munificentia regum, reginarumque, ducum, castaldio-
» rum, ceterorumque fidelium largitate, vel eorum, qui in eodem monasterio facti
» erant monachi, collatum fuerat, concessa insuper eligendi secundum regulam abba-
» tis libera facultate. Data XVIII. kalendas Januarii, anno Lotharii imperatoris in
» Italia vicesimo-primo, & in Francia primo, indictione tertia. Actum Caliniaco
» villa comitatus Cabilonensis. Superstes fuit ad annos quatuor Sichardus abbas, ut inferius videbimus.

XXIX.

SS. Faustini & Jovitæ ecclesia monachis tradita.

Dum hæc in Gallia geruntur, Rampertus, Brixiæ in Italia episcopus, sanctorum Faustini & Jovitæ ecclesiam, in qua sacra omnino neglecta erant, ab se restitutam, monachis commisit, quos per Leutgarium abbatem & Hildemarum monachum, ambos e Franciæ partibus Mediolanum profectos, & ad se ab Angilberto archiepiscopo missos, erudiri curavit. Luculentum hac de re testimonium habemus in
» litteris ejusdem Ramperti, in bullario [a] Casinensi relatis, in quibus ait, se a san-
» ctissimo Angilberto archiepiscopo petiisse fratres, quibus hujus officii curam com-
» mitteret, nempe institutionem novæ coloniæ monasticæ, quam ipse in prædicta
» ecclesia collocaverat; eum vero sibi concessisse fratres, *ex Francia partibus advenientes, quosque ob illuminationem suæ ecclesiæ, insolubili sibi sociaverat vinculo, Leutgarium videlicet abbatem, & Hildemarum monachum: quatenus ita nobis*, inquit Rampertus, *præstarent adjutorium, quemadmodum illi nunc præstant, & semper præstabunt: quorum vita atque doctrina plurimi hoc in regno illustrati esse noscuntur.* His itaque usus est Angilbertus, eo nomine secundus, ad excolendam in Mediolanensis diœceseos cœnobiis monasticam disciplinam, sed nulli certo loco alligavit. Eosdem quoque commodavit Ramperto Brixiensi episcopo, qui præclarum hoc de illis testimonium reddidit. Uterque nos dubios relinquit, quo ex Franciæ loco Leutgarius abbas & Hildemarus Mediolanum accersiti sint.

[a] Bullar. Casin. to. 2. p. 25.

Leutgarius abbas & Hildemarus monachus.

Maginardus abbas.

Instituta itaque per eos in ecclesia sanctorum Faustini & Jovitæ monastica disciplina, cum ad Angilbertum ambo reverti deberent, Rampertus e proximo Bergomate monasterio abbatem expetivit ab Haganone episcopo, nempe *virum honorabilem, & adprime officiis monasticis institutum, Maginardum nomine, presbyterum ac monachum, ut eum in prædicto monasterio abbatem ordinaret.* Hagano assensit, scriptis ad Rampertum litteris, quas huc referre juvat.

Dilectissimo & reverentissimo fratri atque coepiscopo Ramperto, servus servorum Dei Hagano æternam in Domino salutem. Sanctitatis tuæ erga divinum cultum vigil piaque devotio, cum apud ecclesiam Brixianam religionem augere contenderet, monasterium studuit aptissimo loco extra muros præfatæ urbis, quo beatissimi martyris Faustini corpus requiescit, conditum iri. His itaque piis æmulationibus tuis fratrum quoque & coepiscoporum favor comitatus suffragia opportuna non abnuit: inter quæ nostram quoque humilitatem convenire voluisti, rogans, ut presbyterum atque monachum nostrum, virum honorabilem, & adprime officiis monasticis institutum, Maginardum nomine, concederemus, quatinus eum in prædicto monasterio abbatem ordinares. Licet difficile, quia ejus collegio non modice delectabamur; tamen apostolica moti sententia, qua di-

eit, Caritas non quærit quæ sua sunt; ad tantam utilitatem tuæ sanctitati remisimus, & ut in præfato sancto loco a te puer monasteriis consecrari deberet, concessimus. Hunc ergo a nobis absolutum, tuæque sanctitati commissum, profusis jam hunc precibus commendamus: ut in vestra ecclesia divini famulatus vestrum, sacerdotumque vestrorum suffragium mereatur, &, cooperante gratia Dei, abbatis officium, ad quod exercendum eumdem vobis concessimus, strenue valeat exhibere, communi omnium auxilio fultus, & manu sua. Deus te incolumem custodiat, frater, amen.

ANN. CHR. 840.

XXX. Hildemari commentarius in regulam.

Hæc epistola refertur in commentario regulæ sancti Benedicti, qui Paulo diacono perperam adscriptus, Hildemaro tribuitur in veterrimo codice Benigniano, ex quo eam protulimus in tomo secundo Analectorum. In illo codice prædictus commentarius hunc titulum præfert: *Incipit traditio super regulam sancti Benedicti, quam magister Hildemarus monachus tradidit, & docuit discipulis suis.* Eumdem auctorem præferunt quidam alii codices Gallicani. Habetur tamen idem commentarius in duobus perantiquis voluminibus Augiensis bibliothecæ sub hoc titulo: *Incipit expositio Basilii abbatis super regulam sancti Benedicti abbatis primitus.* Verum Hildemaro potius hunc commentarium esse tribuendum suadet ejusdem epistola ad Ursum Beneventanum episcopum, de recta pronuntiandi ratione, a commentatore ipso relata ad caput duode-quadragesimum regulæ de hebdomadario lectore, ubi hæc verba legimus. *Nunc autem, sicut dictum est, qualiter ratio legendi lectionem a modernis magistris traditur & docetur, subjungendum aptum esse duximus. unde ut magis magisque patescat, epistolam, quam Hildemarus magister Urso prædestinato atque electo episcopo sanctæ Beneventanæ ecclesiæ de ratione bene legendi scripsit, prius subjungere curamus. Deinde cetera, quæ ad lectionem pertinent, tam ex traditione quorumdam modernorum magistrorum, quam ex auctoritate beati Augustini & ceterorum doctorum, inferius subnectemus. Hæc est præfata epistola.* SUO SANCTISSIMO DOMINO URSO, HILDEMARUS INUTILIS SERVUS SALUTEM. Hanc epistolam in appendice referemus. Ex his verbis intelligimus, prædictum commentarium non ex scripto, sed ex traditione Hildemari compositum fuisse, forte a Basilio illo abbate, cujus nomen præfert codex Augiensis. Ex hac porro epistola colligimus ætatem Hildemari monachi hujus traditionis auctoris, nempe ex pontificatu Ursi episcopi, qui ad sedem Beneventanam ante septem retro annos promotus est. Non alius proinde fuerit Hildemarus ab eo, quem Angilbertus Mediolanensis antistes Ramperto Brixiensi direxit una cum Leutgario abbate, ad informandos tirones novi cœnobii Brixiensis. Certe commentator ad caput regulæ quartum-decimum, ubi de natalitiis sanctorum agitur, in exemplum adducit festa peculiaria diœcesis Mediolanensis. Locum integrum huc adducere non pigebit. *Sollemnitates Christi sunt, nativitas, circumcisio, apparitio, præsentatio in templo, cœna Domini, parasceve, sabbatum-sanctum, & pascha, ascensio, pentecosten. Festivitates vero sanctorum, quæ præcipuæ habentur, sunt duodecim apostolorum, sancti Johannis Baptistæ, sancti Laurentii, sanctæ Mariæ in medio Augusto, sancti Martini, sanctæ Cæciliæ, & Agathæ, & Agnetis, & sancti Benedicti in quadragesima diebus, & in kalendis Novembris celebratur festivitas omnium sanctorum. Istæ omnes, quia per totum mundum celebrantur, ideo sunt præcipuæ. Deinde*, quod ad rem præsentem facit, *præcipuæ sunt omnium sanctorum, qui in illa civitate requiescunt, ubi eorum corpora humata sunt, veluti sunt sancti Ambrosii, sanctorum Protasii & Gervasii, Victoris, Naboris, Nazarii, Celsi, & omnium sanctorum, quorum corpora in propriis provinciis requiescunt.* Sancti hoc loco memorati pertinent ad urbem Mediolanum. *Reliquorum vero sanctorum*, addit commentator, *qui non sunt præcipui, veluti sunt sancti Romani & aliorum, quamvis eorum missæ sint scriptæ in Sacramentorum, sicut in illis qui non sunt præcipui, agendum est.* Ex his intelligitur, auctorem vel compilatorem hujus expositionis vixisse in diœcesi Mediolanensi, hancque expositionem plurimum accepisse ab Hildemaro monacho, qui eam forte monachis illius urbis viva voce tradiderat. Non prætermittenda est clausula, quæ in fine codicis sancti Benigni legitur in hunc modum: *Explicit traditio, quam Hildemarus monachus exposuit super regulam sancti Benedicti, & tradidit discipulis. Facientibus hæc regna patebunt superna.* Ex his probatur antiquitas hujus posterioris clausulæ, *Facientibus hæc* &c. quam nonnulli ab ipso sancto patre Benedicto regulæ suæ appositam volunt. Hæc omnia continenter retulimus, tametsi litteræ Ramperti episcopi anno sequenti datæ sint.

ANN. CHR. 841.

XXXI. Caroli regis gesta.

PRincipio sequentis anni Carolus Attiniacum ad indictum conventum profecturus, collecto ex Aquitanis, Burgundionibus, & Neustrasiis exercitu, Bituricis relictis, Cenomannicam urbem adiit, nec multo post inde discessit Rotomagum versus: ubi Lothariani duces omnia ad trajiciendum Sequanam opportuna removerant. Ille nihilo minus, inventis ad ostium Sequanæ aliquot navibus, copias traducit: tum, fugientibus Lotharianis, ad basilicam sancti Dionysii primum, dein ad sancti Germani orationis causa divertit. Inde Trecas profectus est, ubi pascha celebravit: dum Lotharius, trajecto prope Wormatiam Rheno, pergit in Ludovicum cum Carolo fœderatum, quem in Bajoariam recedere compellit. Inter ea Carolus Attiniaci adest condicta ad conventum die, ad quem Lotharius non venit, sed multa per legatos conquestus est. Eo accessere Ludnvici legati, qui Carolo auxilium opportune polliciti sunt. Ille Cabilonem contendit, ubi matrem cum Aquitanicis copiis recepit. Interim infelix ad Lotharium nuntius allatus est, Adalbertum Mettensium comitem seu ducem Austrasiorum, quem is ad continendum Ludovicum trans Rhenum reliquerat, ab Ludovico acie victum, ipsum ducem occisum; victoremque magnis itineribus ad Carolo ferendum auxilium properare. Lotharius cladem dissimulat, erectisque suorum, quasi ad certam victoriam, animis, contra Carolum pergit. Præsto adfuit Carolo Ludoviens, dum Pippinus ad Lotharium se confert. Legatis utrimque frustra missis, demum apud Fontanetum * vicum Autisiodorensis agri, summo prœlio decertatum, tantaque strage utrimque pugnatum, ut deinceps ad repellendos externos hostes non satis in Francis roboris relictum fuerit. Victoriæ tamen gloria penes Ludovicum & Carolum stetit. Accidit hæc memorabilis pugna die sabbati, & quidem VII. kalendas Julii. Pro mortuorum piaculis triduanum indictum jejunium. Lotharius elapsus e prœlio, Aquisgranum se recepit. quo cum ad eum oppugnandum Ludovicus & Carolus accederent, ipse cum uxore ac liberis Viennam se recepit, ibique reficiendo intentus exercitui substitit. Interim induciæ ad finiendas contentiones constitutæ; vicenisque optimatibus ex utraque parte electis summa rei permissa. In his omnibus, quæ Nithardus, rerum testis oculatus, paullo post *super Ligerim juxta sanctum Fluduualdum* seu Chlodoaldum *consistens scripsit*, nulla mentio de Hilduino abbate Dionysiano & Germanensi, sive cum Carolus ad utriusque monasterii basilicas accessit, sive cum Lothariani duces & asseclæ commemorantur. quod argumento est, quod superius diximus, cum sub finem anni præcedentis mortuum fuisse.

* Fontenay.

XXXII. Nortmannorum irruptio & facinora in Neustria.

In hac regum dissensione Nortmanni, aquilonares Germaniæ populi, in Neustriam [a] Oscherio duce irrumpunt IV. idus Maii. Pridie idus ejusdem mensis incensa est ab eis urbs Rotomagus, adeoque monasterium sancti Petri seu sancti Audoeni tunc suburbanum, tum nono kalendas Junii Gemeticense monasterium in favillas redactum. Eadem sors fuisset Fontanellensis, nisi librarum sex pretio redemtum esset. In his angustiis effulsit caritas Dionysianorum monachorum, qui V. kalendas Junii eo accedentes, captivos sexaginta-octo libris viginti-sex redemerunt. Ex illa Rotomagensi clade sancti Audoëni corpus ereptum est a Riculfo abbate, delatumque a monachis in quoddam prædium, nomine Vadiniacum *, ubi aliquot annis servatum. Idem præstitere Gemeticenses monachi, qui, audito Nortmannorum adventu, reliquias sancti Aicadri abbatis in villam pagi Cameracensis, Haspras dictam, quæ inter Cameracum & Valentianas ad Salam fluviolum amœno loco sita est, transtulerunt: ubi erecta ab eis cella, quæ Vedastinis monachis anno post millesimum vicesimo-quarto, facta permutatione, cessit. Post tantam stragem barbari in oceanum se receperunt, prætertito Wlfardo duce, quem Carolus Neustriæ auxilio miserat. Ipse eodem tempore Fontanellam [b] usque accessit.

a Chesn. to. 2. p. 387.

* Gegny.

b Chesn. to. 2. p. 387

XXXIII. Caroli varia diplomata.

Post pugnam Fontaneticam rex Carolus Bellovacos, Compendium, Suessionas, ac Remos adivit: ubi quid in rem nostram egerit, considerandum. In primis ante hanc pugnam, priusquam Bituricis discederet, præceptum edidit pro ecclesia Nivernensi ad preces Hermanni episcopi: qui eodem tempore constitutum edidit de institutione canonicorum, monachorum & sanctimonialium suæ diœcesis, constituitque monachos in cœnobio sancti Auiani, & in sancti Genesii sanctimoniales: quibus ex se se eligendi abbatis vel abbatissæ facultatem concessit. Hactenus exstat Albiniaci super Ligerim cella sancti Aniani.

ANN. CHR. 841.

Jam vero cum post pugnam Fontaneticam Suessionas adiret Carolus, monachi ex cœnobio sancti Medardi eum convenerunt, rogaturi, ut corpora sanctorum Medardi, Sebastiani, Gregorii, aliorumque, quos Nithardus commemorat, in novam basilicam transferret. Flagitantibus annuit princeps, & sacra corpora propriis humeris in locum designatum deportavit, villamque Bernacam ejusdem monasterii possessionibus adjecit. Hæc translatio VI. kalendas Septembris facta legitur in chronico sancti Medardi. Exstat in chartario ejusdem loci Carolinum hac de re diploma, in quo Ludovicus augustus ampliorem ibidem basilicam, vetere disjecta, „ ad excipiendas sancti Sebastiani reliquias inchoasse dicitur, quam Carolus ait se „ absolvisse, ac curasse dedicari, villa *Berniaco*, aliisque eidem cœnobio traditis, „ aut potius restitutis.

Id apprime convenit cum chronica nota diplomatis, quod idem rex Corbanaci monasterio Fossatensi indulsit ipsis kalendis Septembris. Corbanacum seu Corbonacum, vulgo Corbiniacum * seu Corbenacum, villa regia est, posita Laudunum inter ac Remorum urbem, in diœcesi Laudunensi, sancti Marculfi corpore a principatu Caroli Simplicis insignis: quo reges nostri statim a sua inunctione voti causa se conferunt ad obtinendam gratiam curandarum strumarum. Istuc ex urbe Suessionum profectus Carolus, ab Ingelberto Fossatensi abbate interpellatus est, ut privilegia ᵃ eidem monasterio ab Ludovico parente concessa novo præcepto confirmaret. Fecit princeps quod rogatus erat, *actum Corbanaco palatio regio* kalendis Septembris, anno secundo regni sui, indictione quarta; ejusque rei diploma Jonas notarius ad vicem Ludovici recognovit.

* Corbeny.

a Hist Paris. to. I. p. 389.

Remis Carolo Parisios regresso, Lotharius cum maximis Saxonum, Austrasianorum & Alamannorum copiis, ad sanctum Dionysium venit, Sequanam transmissurus. Carolus, dispositis ad ulteriorem ripam copiis, ipse e regione sancti Dionysii *juxta sanctum Fluduâldum* seu Chlodoaldum consistens, ejus transitum cohibuit. Ille vero per Mauripensem * pagum Senones, usque ad Cenomannos penetrans, omnia circumquaque rapinis, stupris & incendiis fœdavit, ipsasque sanctimoniales Deo sacras ad suas partes sacramento adegit. Sub finem anni Carolus, Parisiis relictis, Catalaunum natale Domini celebraturus adiit.

* le Hurepois.

XXXIV. Aldrici episcopi res apud Glannafolium depositæ.

Cum apud Cenomannos factione quorumdam Lothario adhærentium res magnopere perturbatæ essent; Aldricus antistes, Caroli partibus addictus, cuncta, quæ in villa Cavania habebat, Gauzberto Glannafolii abbati custodienda commisit. Id non latuit Lotharianos, nempe Haimericum & Gerardum, qui per missos suos deposita sibi tradi mandant. quod nisi quantocius fiat, se vi cuncta direpturos comminantur. Frustra prædonibus opposita lex de depositis servandis, a Deo ipso constituta: nec minæ valuere depositum extorquere a fratribus, extrema quæque potius perpeti paratis, quam sacrosanctam legem violare. Mox illi citatis equis ad monasterium advolant, strictis gladiis in interiora irruunt, effractisque foribus omnia diripere tentant. Itum ad sancti Mauri suffragia, jubente Gauzberto abbate: ad pulsum campanarum deferuntur cum litania reliquiæ ad locum, ubi jam & vina e doliis effundebantur in terram, & cædes cruentissima jam fieri cœperat. Mox, conversa cæli serenitate, tantus pertonuit tonitruorum fragor, tantaque fulminum coruscatione cælum arsit, ut prædones jam de sua salute actum putarent, nec facile ob repentinam imbrium inundationem inde egredi possent. Hinc quatuor ex illis in amentiam versi, ceteri per imbrium procellas fuga salutem quærere non dubitarunt. Hujus facti testes advocat Odo abbas duos monachos, Betnegarium & Raimundum, qui rei gestæ interfuerant.

XXXV. Anowareth S. Mauri sepulcrum invisit.

Eodem anno Anowareth, servus Dei ex genere Brittonum, cælitus admonitus dicitur ut monasterium sancti Mauri orationis causa adiret. Inter eundum binos e fratribus, in urbem Andecavorum a Gauzberto abbate missos, offendit, qui eum sæpius in modum crucis terræ prostratum, quoties scilicet *Gloria Patri* recitabat, adspicientes, insanire existimabant. Ab his directus in viam, in ecclesiam demum ingressus est, cum fratres vespertinam synaxim decantarent. Tum sanctus Maurus in diaconi habitu eidem conspicuus factus, dein angelus, *cum oratio a presbytero* compleretur. Ad hæc ille ejulans ac gemebundus, a Gauzlino, tunc bonæ indolis adolescente, postea vero abbate ejus loci, quid rei esset quod tantos gemitus ederet, interrogatur per duos interpretes ejusdem congregationis fratres, Begonem &

ANN. CHR. 841.

Winchleonem, qui Britannicæ linguæ periti erant. Id ægre ab eo expressum. quo comperto, jussu Gauzberti abbatis in monasterio per dies quindecim retentus, numquam adduci potuit, ut tantillum vini delibaret. Hujus facti narratio eodem fere modo refertur in instrumento edito ab ipso Anowaretho, qui partem hereditatis suæ, quam habebat in Britannia, hoc est terram, quæ dicitur *Anast*, cum ecclesia sancti Petri, beato Mauro contulit, traditione facta *per bibliothecam veteris ac novi testamenti*, id est codicem bibliorum, in bibliotheca regia modo asservatum, cui hoc instrumentum manu paullo recentiori adscriptum legitur, datum *anno dominicæ incarnationis* DCCC XLVII. *regni autem regis Karoli anno octavo-decimo, gubernante præfatum monasterium Gauzberto, sub dominatione Ingelberti venerandi abbatis cœnobii Fossatensis.* Ita scriptum, ita editum a Stephano Baluzio in appendice ad capitularia. at hæ notæ chronicæ cohærere non possunt. nam prædictus incarnationis annus Karoli tantum septimus aut octavus erat. unde sic legendum videbatur, *Karoli anno octavo, decimo gubernante præfatum monasterium Gauzberto.* Sed obstat annus incarnationis, qui cum præcedenti narratione de Aldrico non convenit, tametsi *eodem anno* factum Anowarethi contigisse dicitur. Eadem ambages, id si referas ad annum translationis sancti Mauri, quæ anno ejus sæculi quadragesimoquinto facta paullo ante memoratur, & quidem tempore Gauzlini abbatis, qui Gauzberto successit. sed forte Odo memoria lapsus est, cum Anowarethi factum accidisse dixit eodem anno, quo superior de Aldrico narratio.

XXXVI. Fossatenses Glannafolio pulsi.

Tunc temporis monasterium sancti Mauri commissum erat Ebroïno Pictavensi episcopo, cui Pippinus rex, vivente adhuc Rorigone comite loci instauratore, ipsiusque Ebroini propinquo, illud tradiderat, antequam Ebroinus ad sedem Pictavensem promoveretur. Quamdiu Rorigo superstes fuit, monachos Fossatenses, quorum opera regularis disciplina illic restituta fuerat, quietos ibidem remanere sivit: at post mortem comitis & Ludovici augusti, cum regias litteras, quibus olim Glannafolium Fossatensibus subjectum fuerat, Ebroino exhibere non potuissent Fossatenses, utpote antea fraudulenter abstractas & combustas, loco cedere compulsi sunt, paucis ibidem retentis. Post ea vero, ut inferius dicetur, Ebroinus ad serenissimum regem Carolum profectus, exhibito patris ejus præcepto, quo Glannafolium proprietatis jure sibi concessum fuerat, confirmationis ab eo diploma obtinuit, hac conditione inserta, ut quam diu *aliquis de progenie nostra*, inquit Odo abbas, id est ex cœtu Glannafoliensi, inveniri poterit, qui locum ipsum secundum regulam sancti Benedicti regere valeat, nullus alius ibi rectoris fungatur officio. Verum post translationem sancti Mauri reliquiarum in Fossatense monasterium, Glannafoliense denuo eidem subjectum fuit ejusdem Caroli regis jussu ac præcepto.

XXXVII. S. Germani episcopi Autisiodorensis translatio.

Autisiodori Heribaldus episcopus *secundo anno belli civilis*, qui præsenti anno respondet, corpus beatissimi Germani, ejus urbis quondam episcopi, jussu regum Caroli & Ludovici, haud dubie post pugnam Fontaneticam, e loco, ubi primum humatum fuerat, omnino integrum & incorruptum, cum vestibus, quibus olim a Placidia augusta involutum fuerat, kalendis Septembris extulit, & decentiori loco reposuit, post annos aliquot honorificentius in crypta sub principe altari reponendum. Hæc ex Herico, doctissimo ejus loci monacho, in historia [a] episcoporum Autisiodorensium: ubi idem Heribaldus capsam illam auro, argentoque decorasse dicitur, in qua *vestimenta sacratissimi Germani reposuit.* Forte hæc vestimenta erant, de quibus hæc legere memini quondam in codice Thuaneo: *In Christi nomine notitia de vestimentis domni Germani, quod accepit Wineradus diaconus in thesauro, anno* XLII. *regnante domno Clothario. hoc est casula fuscana reneleua* I. *sagia fusca* I. *caligas albas* IV. *sagia de haira* I. *calcias filtrinas paria* I. *calcias reuelenas paria* I. *pallas* IV. *antemanicias paria* I. *supersellio vellono* I. *capsella cum reliquiis de ipso domno Germano. Reliquia incognita, quas nullus audet videre. unde quidam volens eas videre, amisit lumen oculorum. Manica sancti Germani Autisiodorensis, quam sancta Genovefa misit. Cilicium sancti Germani integrum, & genicula ejus.* Hæc, etsi minutiora, ob tantum virum non visa sunt prætermittenda. Ab hoc tempore Heribaldus episcopus, qui antea Lothario faverat, in gratiam Caroli rediisse videtur. qua de re Walafridus Strabo carmen scripsit *Heribaldo episcopo in persona Karoli*, ad quem ille *tremebundus* litteras amore plenas miserat. Ad has Walafridus Caroli nomine ira respondit.

[a] *Labbe to.* I. *biblioth. p.*433.

Pectore quippe tuo flammas ardere priores,
Iudicat igniculu·, quem tua scripta gerunt.
Et quia scis nostrum justo moderamine morem,
Parcere subjectis, & tolerare malos:
His tibi pro donis reddentur munera plura,
Quam tibi perfidiæ lucra tulisset amor.

Hic est Heribaldus seu Heriboldus episcopus, ad quem exstat Rabani archiepiscopi epistola de corpore & sanguine Domini, de qua inferius agendum.

XXXVIII. Angilberti item abbatis Centulensis.

Sub idem tempus Ribbodo Centulensis abbas corpus sancti Angilberti ejusdem loci abbatis & instauratoris ad januam ecclesiæ jacere, ac pertranseuntium pedibus calcari indignum existimans, illud e tumulo levavit, & in sancti Richarii basilicam transtulit nonis Novembris, postquam in priori loco per annos viginti-octo jacuisset, quod nihilo minus ita integrum & corruptionis expers inventum est, quasi primum ipso die ibi depositum fuisset; adeo non putidum, ut etiam suavem odorem exhalaret. Non tamen sacer ei cultus exhibitus est usque ad tempus Anscheri abbatis, qui eum ex secundo hoc tumulo efferri, & inter sanctos referri curavit ineunte sæculo duodecimo. Ad posteriorem hunc tumulum appositum fuit a Ribbodone sequens epitaphium, ex membraneo codice Hariulfi chronographi supplendum in editis.

Hoc recubat busto semper memorabilis abba
Angilbertus; ovaus spiritus astra colit.
Meusis Martii obit bissenis ipse kalendis:
Construxit templum, quo retinet tumulum.
Et cluit augusti Karoli sub tempore Magui,
Dogmatibus clarus, principibus socius:
Ante fores templi jussit qui se tumulari.
Ribbodo huc abba transtulit ac posuit,
Post annos obitus bis-denos ejus & octo,
Corpore cum nactus integer in solito est.

Nithardus ejus filius an abbas.

Nithardum, ejus ex Berta filium, in paterno sepulcro consepultum fuisse Hariulfus tradit. Abbas Centulensis fuisse dicitur post Ludovicum Ribbodonis successorem, non post Angilbertum parentem, ut Hariulfus putavit. Secessum a re publica meditabatur, cum scriberet prologum libri quarti historiæ suæ temporis. Hanc vero scribebat anno post pugnam Fontaneticam tertio, alius proinde a Nithardo monacho Prumiensi, qui ante id tempus jam monasticen professus erat, ut ex epistolis Lupi abbatis alias ostendemus.

XXXIX. Bonæ-vallis Carnutensis primordia.

Non incelebre est monasterium in Dunensi pago diœcesis Carnutensis, ad fluvium Lidum *, a situ Bona-vallis appellatum, quod Fulco ejus loci toparcha in proprio fundo hoc anno exstruxisse memoratur. Principio novi monasterii patroni fuere sancti martyres Marcellinus & Petrus, quos recens Eginhardus ex Italia in Gallias advexerat. Horum veneratione commotus *Fulco miles*, locum ad monachorum habitationem opportunum existimans, iisdem martyribus totam villam contulit cum multis aliis prædiis, quæ vel ex propria hereditate, vel ex beneficio regis possidebat, Carolo ea, quæ fisci erant, libenter concedente. quæ omnia singillatim in brevi ejus loci chronico ª enumerantur. His omnibus dotata ecclesia, in honorem sanctorum Marcellini & Petri consecratur ab episcopo Carnutensi. Inducti monachi, quibus præfectus Gausmarus abbas, Carolo regi familiaris. Sub eo crevit monachorum religio, crevit & census, auctus ab accolis, in primis a Lamberto Castriduni comite, qui locum ad refugium Gausmaro abbati ac monachis in eodem castro concessit. Ablato ab hac luce bonæ memoriæ Gausmaro abbate, venerabilis Ingelarius seu Ingelardus unanimi consensu monachorum subrogatur. Gausmaro abbate ex Bona-valle deducta est colonia in Athanacense monasterium, rogatu Aureliani tunc abbatis, dein archiepiscopi Lugdunensis, qui grati animi causa Bonæ-vallensibus reliquias concessit sanctorum martyrum Florentini & Hilarii, quos deinceps præcipuos patronos habuere Bonæ-vallenses.

* le Loir.

ª Sæc. 4. parte 2. p. 505.

ANN. CHR. 841.

XL. *Jacobus eremita apud Bituriges.*

Hoc tempore Bituricas accessit Jacobus monachus Græcus, patre Felice, Ermena matre progenitus, qui locis sacris perlustratis, Genuæ in Italia commoratus per annos quatuordecim, tum annis quinque apud Arvernos, ubi presbyter ordinatus est; demum Bituricas venit, secessitque in quoddam monasterium, aliquot milliaribus ab urbe dissitum, ubi durissimam vitam duxit. nam cilicio ad cutem indutus, aqua pura ad potum, pane duro & acetoso, interdum pisciculis paucis reficiebatur. Denique hominum consortium conspectumque gravate ferens, in locum solitarium prope Saxiacum ad ripam minoris Saleræ se recepit, ubi cum consensu Rotberti ducis oratorium, Johanne quodam socio collaborante, construxit, identidem Rotberti ducis ejusque conjugis Aganæ cibis recreatus. Inter hæc cladem toti Galliæ a Normannis imminentem, famemque secuturam, prædixit: qua clade Navense monasterium a barbaris direptum, soloque æquatum est. Ipse non multo post in cælum receptus est XIII. kalendas Decembris, paullo ante Rodulfi archiepiscopi obitum, quem itidem prædixerat. Nunc locus, sancti Jacobi secessu quondam illustratus, haud ignobile opidum, vocatur Cella-Gillonis *, ad Saleram * minorem, qui in majorem influit; sic dicta a Gillone domino Sulliacensi, capellæ & adjacentis castelli conditore. Distat ab urbe Biturica octo leucis ad viam, quæ fert Parisios. Sancti Jacobi reliquiæ coluntur in hujus loci ecclesia, quæ cella fuit quondam abbatiæ Sulpicianæ. Ab eadem cella pendet alia ecclesia sancti Jacobi una leuca ab urbe Virzionem versus: in qua visitur latibulum instar cellulæ subobscuræ, ubi sanctus Jacobus, ante quam Saxiacum se reciperet, delituisse creditur. Macberto abbati Sulpiciano successit Ebrardus abbas, de quo inferius.

* *la chapelle dan Gillon.* * *la petite Saudre.*

XLI. *Lotharii præceptum pro Nigella.*

Dum Lotharius summum jus in Franciam affectaret, regiæ tutelæ ac immunitatis confirmationem ab eo petiit, obtinuitque Sigoaldus abbas Nigellensis apud Tricasses monasterii, de cujus origine in libro secundo egimus. Chlothario Chlodovei Magni filio has litteras tribuit Martinus Retellius, chronici Benedictini ex Hispanico Gallicus interpres. at Lotharii imperatoris diploma esse vel sola ejus lectio persuadet: cui rei probandæ hujus diplomatis formulam initialem, Lothario imperatori familiarem, & supplicantis abbatis expositionem afferre satis fuerit. *In nomine Jesu-Christi (regis) æterni, Chlotarius divina ordinante providentia imperator augustus. Cum petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non diffidimus. Ideirco notum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus & futuris, quia vir venerabilis Sigoaldus abbas de monasterio, quod vocatur Nigella, quod est situm in pago Mauripense * super fluvium Barbutia, constructum in honore beati Petri apostolorum principis seu (& sanctæ Dei genitricis) Mariæ semper virginis, ad nostram clementiam detulit obtutibus nostris præceptum confirmationis domini & genitoris nostri Chlodovei serenissimi imperatoris, in quo continebatur, qualiter idem dominus & genitor noster idem monasterium cum omni pertinentia sua ad deprecationem antecessoris Adelardi abbatis ejusdem, cum monachis ibidem Deo famulantibus, sub sua reciperet defensione & immunitatis tuitione; obnixe obsecrans, ut nostram super idem præceptum adderemus auctoritatem, per quam idem abbas una cum eadem congregatione quietus & securus Dei & nostrum peragere posset servitium. Cujus petitionem, quia rationabilem, immo Deo amabilem esse cognovimus, libenter suscepimus, & per hos nostros imperiales apices, sicut petiit, concessimus.* Ex hoc contextu quivis ejusmodi rerum peritus intelligit, hoc diploma non alteri quam Lothario augusto posse convenire. quod etiam manifeste confirmat in eodem præcepto concessa libertas eligendi abbatis *secundum regulam sancti Benedicti*. Desunt in editis chronicæ notæ, nedum subscriptio cancellarii: sed hoc anno vel insequenti datum fuisse diploma non dubitem: cum post id tempus Lotharius in Francia nihil amplius juris ambierit. Hinc duos habemus abbates Nigellensis monasterii, Adelardum scilicet principatu Ludovici, a quo is litteras regiæ defensionis obtinuit; & Sigoaldum, cui præmissum diploma Lotharius mortuo patre concessit.

* *le Hurepois.*

Aliud ejusdem de Gatco pro Faræ monasterio.

Ad idem tempus revocandum est ejusdem Lotharii diploma pro sanctæ Faræ monasterio, cui tunc Rothildis abbatissa ejus amita præerat, Caroli Magni ex Matalgarde filia naturalis. In illo diplomate significat Lotharius, quod dilecta amita
» sua Rothildis, venerabilis abbatissa ex Faræ monasterio, quod consistit in comitatu
» Meldensi, constructumque est in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, regiæ suæ
» serenitati detulerit piæ recordationis Ludovici augusti, ejusdem Lotharii genitoris,
» auctoritatem

AN. CHR. 841.

auctoritatem seu præceptionem, in qua continebatur, quod ad petitionem ejusdem Rothildis quoddam monasteriolum comitatus Wastinensis Faræ monasterio attribuerat, ejusque potestati ac dominio subjecerat in perpetuum : ut sanctimoniales Faræ monasterii inde victus ac vestitus supplementum habere possent. quod quidem Lotharius imperiali auctoritate confirmat, præcipiens, ut ambo monasteria in unum conjuncta sint sub unius abbatissæ ordinatione atque gubernatione. Exstat hoc diploma in appendice hujusce voluminis, sed sine chronicis notis, erutum ex archivo Farensi. Hericus monachus in libro de miraculis sancti Germani Autisiodorensis meminit Gaiaci [a] monasterii, de quo precaria habetur in appendice [b] ad Marculfum, facta basilicæ, in honorem sanctæ Mariæ & sanctorum apostolorum Petri & Pauli *Gaseo* * *monasterio* constructæ in pago Wastinensi, ubi inlustris abbatissa custrix præesse dicitur una cum norma plurima ancillarum Dei. quod argumento est hoc monasterium insigne fuisse, antequam veniret in potestatem abbatiæ Farensis. nisi forte id intelligas de abbatissa ipsa Farensi, quæ Gaïcensis monasterii *custrix* dicta sit *cum norma plurima ancillarum Dei*, id est Farensis cœnobii monacharum. Ut ut sit, Gaïcense monasterium Farensi omnino subjectum est, a tempore saltem Ludovici Pii & Lotharii augusti ejus filii : ita ut ejus loci priorissa, qui in cellam exinde redactus est, a Farensi abbatissa absolute pendeat, uti & villa ipsa, ejusque parœcialis ecclesia, sancto Sulpicio sacra, qui unus etiam e patronis est monasterii sanctæ Faræ. Distat hic Gaïcus ab opido Montis-Arigisi tribus circiter leucis, & in illa cella modo degunt sanctimoniales quinque aut sex cum priorissa, quæ visitationi & correctioni Farensis abbatissæ subjectæ sunt.

[a] Labbe to. 1. p. 535.
[b] Capitul. to. 2. c. 457.
* Gy.

In necrologio Farensi fit IX. kalendas Aprilis *commemoratio domnæ Rothildis abbatissæ hujus ecclesiæ.* Huic successit Bertrada, quam corrupte Bertrandam vocant. Carolus Calvus, rogatu ipsius Bertradæ abbatissæ & totius congregationis ei commissæ, deprecante quoque conjuge sua Hirmentrude regina, regiæ tuitionis litteras eidem monasterio impertit. *Data* VII. *kalendas Octobris, anno* III. *regnante Karolo gloriosissimo rege, indictione* IV. *Actum Bertintaca villa.* quæ indictio anno DCCCXLI. convenit, qui annus tantus Caroli secundus a morte patris erat. In prædicto necrologio notatur IV. kal. Martii *commemoratio Bertrandæ abbatissæ hujus ecclesiæ* & pridie nonas Octobris Carolus Calvus, qui ecclesiam istam *pignoribus sanctorum & aliis ornamentis*, quæ illic adhuc retineri dicuntur, *decoravit.*

XLII. Lotharius frater conscriptus S. Martini Mettensis.

Eodem tempore Lotharius inter fratres conscriptos monasterii sancti Martini, ad muros Mettenses siti, admissus est, ad obtinendam scilicet suffragiorum communionem. Id probat codex evangeliorum, quem ejus mandato ac munificentia Sigelaus scribi jussit, nunc in bibliotheca regia asservatus. cujus initio exhibetur Lotharii imperatoris effigies, qualis in appendice capitularium Baluziana [c] conspicitur, inconditis versibus in codice appositis ad laudem Lotharii augusti, ex quibus hos tantum ad propositum referre visum est.

[c] Capitul. to. 2. col. 1279.

Nam pius ipse augustus, Christi ductus amore,
Hoc decus almificum ecclesia prævidit ut esset :
Præsulis atque beati Martini veneratu
Hunc pulcreque gregem librum intra scribere jussit,
Ipsius ornare auro & picturis venerande. :
Ut notum faciat, quantum pollet locus ille.
Sed Sigilaus parens jussis regis studiose,
Hoc evangelium illic totum scribere jussit,
Præser pts atque gregis voluit frater fore cæsar.
Scilicet ut humilis donum capiatque supernum.

Elegantiores sane versus codex merebatur elegantissimus. Baluzius ex his non immerito existimat, Sigilaum abbatem fuisse prædicti sancti Martini monasterii, quod in divisione regni Lotharii Ludovico regi orientalis Franciæ obtigit.

XLIII. Grimaldo archicapellano S. Galli abbatia traditur.

Victis in Rætiensi agro Lotharii copiis, Ludovicus rex, e Fontanetica pugna reversus, Engelbertum sancti Galli abbatem, qui ab eo paullo ante dignitatem acceperat, magistratu movit, forte quod Lotharii studiosior videretur. Grimaldo Ludovici archicapellano hæc abbatia in beneficium ab eodem rege concessa, quam te-

ANN. CHR. 841.

nuit per unum & triginta annos. Eum sancti-Gallenses, cum regiæ voluntati resistere non possent, honorifice accepere, atque, ut Ratpertus ait, *devota servitute* pertulere. Lancinabat nihilominus eorum animos, quod liberæ electionis privilegium, tantis laboribus comparatum, amisisse viderentur. Sed Grimaldus, contra quam fratres sperabant, mitius cum eis agere, & monasterium auctoritate, qua pollebat, protegere instituit. Hinc nata eis confidentia, ut antiqui privilegii, quod ejus causa videbantur amisisse, renovationem apud Ludovicum flagitarent. Gratanter annuit Grimaldus, illisque facultatem a Ludovico rege obtinuit eligendi statim proabbatis, qui post se illos regeret, eorumque negotia omnia vice sua procuraret; atque insuper jus electionis, quod post ipsius mortem reviviſceret, in integrum confirmari curavit. Mox electus a fratribus Hartmotus monachus, vir cum genere, tum scientia & moribus insignis, ut proabbatis officium gereret. Hunc ad Ludovicum regem perduxit Grimaldus, procuravitque, ut secundum ab ipso regiminis locum haberet, & post suum ipsius obitum jus electionis omnino redintegraretur. His læti successibus, domum reversi, magnum fratribus gaudium tulere. Tum Grimaldus perfectissimam in monasterio disciplinam instituere, ac regularia ædificia a Gozberto abbate cœpta perficere cupiens, cum regiis negotiis plurimum in aula detineretur, Hartmoto hanc curam injunxit. quod utrumque ille gnaviter exsecutus est, nec multo post omnia claustri ædificia numeris omnibus absolvit. Ad hæc amplissimas Grimaldo exstruxit abbatiales ædes, quas Augienses monachi picturis exornarunt. Hac fratrum benevolentia & humanitate captus Grimaldus, libentius jam frequentiusque apud sanctum Gallum commorari, novasque ædes incolere cœpit.

Inter ea Salomon Constantiensis præsul annuum censum, quem ipsius ecclesiæ sancti-Gallenses ob permissam sui monasterii libertatem ex edicto Ludovici augusti pendere soliti erant, exigere cœpit: Hartmotus contra negare. Medius interveniens Grimaldus, Hartmotum sollicitat: eccur consuetum censum solvere negaret? Nempe, quia tibi, inquit, in beneficium traditi, a libertate nostra excidimus. Probata ratione, Grimaldus satis egit apud regem, ut annuus census monasterio remitteretur, cum eo, ut quædam monasterii prædia Constantiensi ecclesiæ in compensationem darentur. quod Ludovicus rex in conventu, apud Ulmam habito, diplomate confirmavit. Sicque factum est, ut deinceps episcopus nihil omnino, *præter spiritalem tantummodo episcopalis officii dignitatem*, nullaque sæcularis præter regiam potestas quidquam juris in monasterium haberet. Diploma quoque liberæ electionis renovatum, ac regiæ defensionis, cum onere annui doni, quod monasteria, sub regali mundeburdio posita, quotannis regi persolvere debebant, nempe duorum caballorum ac totidem scutorum cum lanceis.

His ita stabiliis, Grimaldus universam monasterii providentiam in Hartmotum rejicit, dum rebus palatinis ipse vacaret. Hartmotus vero totum se ornandæ basilicæ, ceterisque ædificiis dare, librorum copiam in bibliothecam congerere, quos Ratpertus sigillatim recenset. Grimaldo & Hartmoto abbatibus hi erant monasterii sancti Galli officiales [a] monachi: decanus, præpositus, portarius, æditiuus, hospitarius, cellararius, camerarius. Sub Hartmoto item peculiares certis officiis possessiones addictæ. quo in genere legitur charta [b] cujusdam Wildeboldi, quoddam prædium concedentis eidem monasterio, *eo pacto, ut ipsa terrula ad domum peregrinorum serviat, & ego*, inquit, *ibi in domo hospitum suscipiar, & usque ad finem vitæ meæ ibi victum & vestitum habeam. Et hoc volo, ut ipsa possessiuncula nulli umquam in beneficium præstetur. quod si factum fuerit, ut ille ager ab hospitali tollatur, & ego ibi victualia mea habeam.* Similes donationes ad thesaurum Dervensis ecclesiæ factas inferius [c] videbimus.

a Gold. to. 2. p. 68. & 69. &c.
b ibid. p. 59.
Officia claustralia.
c lib. 34. n. 78.

XLIV. Marcus & Marcellus apud S. Gallum.

Cum monasterium sancti Galli omnibus adventantibus facile hospitium præbebat, tum maxime id præstabat adversus Scottos seu Hibernos sancti Galli populares. Exemplo sit Marcus episcopus, qui *Grimaldi canonici abbatis temporibus, Hartmuto ejus quasi proabbate*, ex urbe Roma revertens, comitante sororis suæ filio Moengalo, quem Marcellum a Marco avunculo cognominarunt, istuc accessit, testante Ekkehardo; rogatusque a fratribus ibidem aliquamdiu cum Marcello constitit; indigne ferentibus asseclis & famulis, quibus res suas distribui curavit, præter libros, aurum, & pallia, quæ sancto Gallo donavit. Dum illic morarentur, scholæ Mar-

ANN. CHR. 841.

cello committuntur secundum Nockerum, cognomento Balbulum, qui scholis tum præfectus erat. Postea Marcus, an etiam Marcellus, a Carolo Calvo in Franciam invitatus, demum secessit in Suessionense sancti Medardi cœnobium percelebre; ubi tum præclara monachorum congregatio vigebat, ut scribit Lisiardus in vita S. Arnulfi episcopi Suessionensis. Hericus [a] monachus Marcum vocat *sanctum senem, qui natione quidem Britto, educatus vero in Hibernia, post longa pontificalis sanctitatis exercitia, ultroneam peregrinationem sibi indixit. Sic traductus in Franciam, piissimique regis Caroli munificentia illectus, apud beatorum Medardi & Sebastiani cœnobium anachoreticam exercebat vitam, singularis*, inquit, *nostro tempore unicæ philosophus sanctitatis.* tum, sancti Germani miraculo verbis ipsius Marci relato, hæc subdit Hericus: *Hæc ita apud Britanniam catholicis litteris contineri prædictus mihi episcopus jurisjurandi interpositione firmabat: cujus probitatem quisquis expertus est, verbis illius fidem credere nullo modo dubitabit.*

Marcus apud S. Medardum.

[a] Hericus de mirac. S. Germani c. 55.

XLV. Eusebius reclusus, ejusque de Isone vaticinium.

Ad idem sancti Galli monasterium hoc anno se contulit Eusebius Scottus, qui postea vitæ solitariæ studio in montem sancti Victoris martyris secessit, situm in Rætia Curiensi: ubi reliquum vitæ reclusus sanctissime vixit. Hunc veluti divinum quemdam hominem circumpositi accolæ consulebant. Argumento est id, quod Ekkehardus refert de parentibus Isonis monachi: qui, cum essent piissimi, præscriptas continentiæ leges sabbato sancto paschæ prætergressi, ob id a communione remoti sunt. Gravida mulier ericium se parere somniata, expergefacta somnium viro narrat. Ille ad inclusum in monte sancti Victoris Eusebium pergens, quid de viso conjectaret sciscitatur. Hic vero nasciturum filium respondit, qui sancto Gallo vovendus, magnus demum doctor & puerorum institutor evaderet. quod eventus probavit in Isone monacho, de quo suo loco verba faciemus. Denique Carolus, Ludovici regis filius ac successor, Eusebii rogatu monasterio sancti Galli tradidit montem S. Victoris, ubi annos triginta idem Eusebius reclusus vixit; ac demum ad cælestem patriam migravit pridie kalendas Februarias, anno concepti Domini octingentesimo octogesimo-quarto. Sublestæ fidei videntur, quæ de ejus martyrio referuntur apud Bollandum.

XLVI. Haimo fit Halberstatensis episcopus.

Thiatgrimus Halberstatensis secundus episcopus, anno pontificatus sui quartodecimo, multis virtutibus clarus migravit ad Christum VI. idus Februarii, qui annus secundum veterem calculum ad præcedentem refertur in chronico Saxonico. Sepultus est ad decessorem & consanguineum suum Hildegrimum in Wertinensi monasterio, cujus eum monachum fuisse quidam opinantur. Thiatgrimo suffectus est Haimo Hersfeldensis abbas, quem alii Hemmonem, Aimonemve appellant. Is monachus primum Fuldensis, ac Rabani condiscipulus fuit. unde Rabanus ipse in præfatione ad libros de Universo, quos *domino reverendissimo & cum omni caritatis officio venerando atque colendo patri Hemmoni episcopo* inscripsit, memorem esse jubet boni « studii, quod in puerili atque juvenili ætate simul habuerant in litterarum exerci- « tio & sanctarum scripturarum meditatione: *quando mecum*, inquit, *legebas non so-* « *lum divinos libros, & sanctorum patrum super eos expositiones, sed etiam hujus mundi sapientiam de rerum naturis sollertes inquisitiones, quas in liberalium artium descriptione & cæterarum rerum investigatione composuerunt.* In duobus libris traditionum Fuldensium Hemmo seu Hemo quasdam chartas scripsit anuis secundo, quarto, sexto & septimo Ludovici augusti: quod de Haimone nostro intelligendum videtur. qui proinde Fuldæ cancellarius fuerit una cum HRuodulfo, qui anno secundo ejusdem imperatoris *cancellarius* monasterii vocatur, idem haud dubie, qui res a Rabano gestas litteris mandavit.

XLVII. Hericus ejus discipulus.

Haimo ipse litteras docuit, sive Fuldæ, sive in alio monasterio; auditoremque inter alios habuit Hericum seu Heiricum monachum cœnobii sancti Germani Autisiodorensis, qui etiam Lupum præceptorem suum vocat in præfatione excerptorum, quæ ex eorum dictis compilavit, dicavitque Heribaldo episcopo Autisiodorensi. Exstant excerpta hæc in veteri codice Corbeiensi, cum præfatione, recens avulsa & amissa, quæ in tomo primo Analectorum opportune a nobis olim edita est. Quosdam versus inde huc referre juvat ad internoscendum auctoris ingenium.

Hildebolde, tua requies & gloria plebis,
Magnus honore soli, major honore Dei:

ANN. CHR. 841.

Excipe dignanter quod porrigit ecce prudenter
Heiricus, capitis plenus amore tui.
Porgere parva pudet, cum maxima tu merearis:
Attamen ex minimis pendere magna decet.
Quique dat hoc modicum, jam plus tribuisse probatur.
Quodque est, quodque potest, is tibi nempe dedit.
Hic præceptorum sunt ludicra pulcra duorum,
Quis ego præsulibus ingenium colui
His Lupus, his Haimo ludebant ordine grato,
Cum quid ludendum tempus & hora daret.
Humanis alter, divinis callust alter:
Excellit titulis clarus uterque suis.
Hæc ego tum, notulas doctus tractare fuaces,
Stringebam digitis, arte favente, citis.
Nec prius illa mihi liquido disponere versu
Cura fuit, nisi nunc cum tibi danda forent.
His violis animum, pater, oblectare memento,
Cum tibi, curatum ponderc pectus hiat.

In his collectanea referuntur ex Valerio Maximo, tum ex patribus, Augustino, Hieronymo, Beda & aliis. Hericus ipse litteras docuit in Autissiodorensi sancti Germani cœnobio: ubi Lotharium, filium Caroli Calvi, discipulum habuit, ut fidem facit ejusdem auctoris præfatio ad libros de vita metrica sancti Germani episcopi, quos *Carolo cæsari* nuncupavit. *Urbem nostram Autissiodorum* non semel vocat in libro primo[a] de miraculis sancti Germani, ejusdem urbis episcopi, qui in vita metrica ab eodem dicitur,

a cap. 23.

Urbis amor nostræ, sacrique refector ovilis.

Ex quibus intelligitur, Hericum ex eadem urbe oriundum fuisse, non ex suburbano vico Ariaco[b], a quo nomen ei inditum esse quidam falso suspicantur. Septennis Deo a parentibus in cœnobio sancti Germani oblatus est: quod de se ipse testatur sub finem libri sexti de vita metrica sancti Germani:

b V. Diplom. p. 550.

Septennem pene puellum
Sancti servitiis me transcripsere parentes.

E scholis recens emerserat, cum pangendam hanc vitam aggressus est, jubente Lothario abbate: sed non nisi anno ætatis tricesimo-secundo absolvit, ut sub finem libri sexti diserte habet:

En vitam miseram jam trina decennia versant,
Additur his annus ævo gliscente secundus.

Non ergo natus esset ante annum ejus sæculi quadragesimum-tertium, si quidem in præfatione ad hos libros Carolum *cæsarem* appellat, qui imperialem dignitatem anno ejus sæculi septuagesimo-sexto desinente adeptus est. Verum hos libros longe ante absolverat, quos postmodum expolitos Carolo imperatori nuncupavit, ut fusius in sequentibus demonstrabimus.

XLVIII. Flori carmen de divisione imperii.

Hoc ipso tempore Florus diaconus Lugdunensis, ut jam vidimus, inclaruit, quem *presbyterum* vocat Ratpertus in capite decimo, ubi Hartmotus, abbas sancti Galli mox laudatus, *collectanea Flori presbyteri de voluminibus sancti Augustini in epistolam Pauli ad Romanos*; item *in epistolam ad Corinthios secundam*, & *ad Hebræos*, bibliothecæ sancti Galli concessisse traditur. Idem auctor, præter multa alia, libellum scripsit adversus Amalarium, de quo superius[c] egimus; tum carmen edidit de divisione imperii, facta post mortem Ludovici augusti, a me editum in tomo primo Analectorum, in quo lugubrem ejus temporis statum pathetice depingit, inter alia sic canens.

c lib. 31. n. 75.

Quis digne expediat monachorum septa revulsa;
Sacratas Domini famulas laicale subisse
Infami ditione jugum; rectoribus ipsis
Ecclesiæ armorum impositum cædisque periclum?
Præsulibus plebes viduæ, doctore cathedræ
Pluribus & plures jacuerunt funditus annis.
In his *Tristis adhuc veteri tabescit vulnere Narbo,*
Tristia Remorum pariter quoque mœnia lugent.

nempe fugato Bartholomæo Narbonensi; & exauctorato Ebone Remorum pontifice. Dein nuperum regni & imperii statum cum præsenti comparat, ea sane pro tempore eleganti, ut ab iis referendis temperare non possim. Sic igitur ille.

Floruit egregium claro diademate regnum.
Princeps unus erat, populus quoque subditus unus.
Lex simul & judex totas ornaverat urbes.
Pax cives tenuit: virtus exterruit hostes.
Alma sacerdotum certatim cura vigebat,
Conciliis crebris populis pia jura ministrans.
Hinc sacris cleris, hinc plebibus, eximiisque
Principibus late resonabat sermo salutis.
Discebant juvenes divina volumina passim:
Littereas artes puerorum corda bibebant.
Crimina tetra vigil crebro censura fugabat.
Hos timor, hos & amor ad fœdera justa vocabat.
Quin etiam externas fidei conjungere gentes
Cura erat, & domitis imponere frena salutis.
Hinc pagana manus juga relligionis inibat:
Hinc hæresis surgens pedibus substrata gemebat.
Claruit hinc nimium toto gens Francica mundo,
Famaque virtutum fines penetravit ad imos. &c.
At nunc tantus apex, tanto de culmine lapsus,
Florea seu quondam capiti dejecta corona,
Quam varius texit redolenti gramine fulgor,
Cunctorum teritur pedibus: diademate nudus
Perdidit imperii pariter nomenque, decusque,
Et regnum unitum concidit sorte triformi.
Induperator ibi prorsus jam nemo putatur.
Pro rege est regulus, pro regno fragmina regni.

Idem auctor elegiaco carmine ad Moduinum Æduensem episcopum, penes quem magna in regno tum potestas erat, graviter queritur, quod ille *nutriculam* suam, id est Lugdunensem ecclesiam, male tractaret, illius clericos trahens ad sæculare forum contra canonum præscripta, unis exceptis episcopis & abbatissis.

Nam nisi cœnobium mater muliebre gubernans,
Et sacer antistes, cetera pulvis erant.

Hic est Muatwinus episcopus, quem Walafridus Strabo Galliæ *proretam* vocat, ante episcopatum Lugdunensium canonicorum sancti Georgii *Motuinus abbas* dictus in libro fratrum conscriptorum monasterii Augiensis, unde Florus eum Lugdunensis ecclesiæ alumnum appellat. Utrumque hoc carmen ab Hadriano Valesio nobis olim suppeditatum est ex codice Petaviano, qui *voto bonæ memoriæ Mannonis ad sepulcrum sancti Augendi oblatus* scribitur. Fuit ergo liber iste monasterii sancti Augendi, vulgo Eugendi, in Jurensibus locis, quod modo sancti Claudii dicitur; & quidem oblatus a Mannone ejusdem cœnobii præposito, cujus rogatu Ado Viennensis antistes ecclesiam Velnensem eidem abbatiæ confirmavit anno ejus sæculi septuagesimo. Manno præpositus S. Augendi.

ANN. CHR. 841.

XLIX. *Adonis vitæ primordia.*

Jam quoniam Adonis mentio huc incidit, de eo agendum est jure nostro, non, ut de Floro mox diximus, alieno. Nostrum quippe, nostrique instituti esse Adonem, quod antea haud notum erat, a nobis demonstratum est in ejus Elogio, cujus summam partim hoc loco referemus, cetera in consequentibus relaturi. Natus est Ado in pago, ut veri simillimum est, Senonensi, hoc sæculo ineunte, *progenitorum nobilitate ornatus*, teste Lupo [a] abbate. Puer in monasterio, quod Ferrarias veteres dixere, sub Sigulfo abbate oblatus, ibidemque *bene* [b] *conversatus*, omnes sibi æquales in studiis litterarum prævivit. Ubi adolevit, *ad petitionem Marcwardi abbatis* in Prumiense monasterium directus est, forte ut ibi litteras doceret, aut Germanicam linguam disceret. Inter utrumque hoc monasterium magna erat affinitas, facilisque commeatus: maxime quod ex Ferrariensi monasterio assumtus fuerat Marcwardus, qui cum Lupo Ferrariensi monacho, dein abbate, maxima necessitudine conjunctus fuit. Quin etiam temporibus illis monasteria omnia, etsi nullo communis regiminis vinculo connexa erant, facile tamen monachis invicem ultro citroque commeantibus patebant, *propter ejusdem religionis unitatem*, ut loquitur Marcwardus in Lupina epistola septuagesima-secunda ad Didonem Senoniei monasterii sancti Petri abbatem, in arte medica peritissimum, ad quem monachos suos sanandos mittebat. Hinc Lupus ipse in epistola [c] ad monachos sancti Germani apud Autissiodorum: *Semper quidem*, inquit, *in cœnobiorum nostrorum habitatoribus vera caritas viguit: sed numquam tam certis indiciis, ut nostro tempore, sui magnitudinem declaravit.* Quo magis indigne ferendum, si in congregationibus confœderatis hæc caritas refrigescat, quæ olim inter disparata quantumvis monasteria tantopere flagrabat. Prumiæ *aliquamdiu commoratus* Ado, ut habet [d] Lupus, postea *quorumdam invidiosorum insidiis* impetitus est: quibus Lupus nimis credulus, *asperius aliquid* super eo locutum se fatetur. Has ut vitaret Ado, Romam se contulit, *ut domum beati Petri principis apostolorum orationis gratia visitaret.* Illic *exacto fere quinquennio*, Ravennam venit: ubi *quemdam libellum, a quodam fratre religioso præstitum, transscripsit ad describendas sanctorum martyrum passiones*, id est martyrologium, quod postea Ado ipse composuit. Libellus iste, quo usus est Ado, vetus est martyrologium a Rosweido editum, cui præfixa est Adonis epistola, testantis, quantum ex veteri illo martyrologio profecerit. *Huic operi*, inquit, id est suo ipsius martyrologio, *ut dies martyrum verissime notarentur, qui confusi in kalendis satis inveniri solent, adjuvit venerabile & perantiquum martyrologium, ab urbe Roma Aquileiam cuidam sancto episcopo a pontifice Romano directum, & mihi postmodum a quodam religioso fratre aliquot diebus præstitum. quod ego diligenti cura transscriptum, positus apud Ravennam, in capite hujus operis ponendum putavi.* Ex quibus intelligitur, Adonis martyrologium Ravennæ compositum, aut certe inchoatum fuisse. Certe in perantiquo sancti Galli codice conditum dicitur *temporibus Chlodowici Italici imperatoris, ac Chlodowici Germaniæ regis insignis.* Haud scio an in Italica illa peregrinatione Ado in notitiam venit Claudii episcopi Taurinensis, qui ejus rogatu historiam temporum a conditione mundi edidit, cujus hæc inscriptio in codice Lirinensi: *Domino piissimo, & in Christo mihi diligendo Adoni presbytero Claudius peccator. Periculosum me opus facere jubes*, &c. quod chronicon a Philippo Labbeo [e] editum est. Ravenna digressus Ado, Lugdunum accessit, ibique a Remigio episcopo benigne acceptus detentusque est, ut postea videbimus.

Monasteriorum communio & mutua caritas. — *Ado martyrologii auctor.*

a Lup. epist. 121.

b ibid.

c id. ep. 116.

d id. ep. 122.

e Labbe to. 1. bibl. p. 309.

L. *Wandalbertus martyrologium scribit.*

Quo tempore Ado versabatur in Prumiensi monasterio, ibidem etiam monasticen exercebat Wandalbertus diaconus, qui ante biennium, ut vidimus, librum de miraculis sancti Goaris scripsit ad Marcwardum abbatem. Idem martyrologium versibus fere bis mille composuit, quod *domino Otrico Wandalbertus*, nullo addito professionis ordinisve titulo, inscribit. Hunc Auttricum non semel carissimum vocat, ejusque mandato hoc opus ab se susceptum dicit, eidem parere & obsecundare cupiens, quippe qui *incessanti & infatigabili studio ac benevolentia, postquam longe a patria rebusque domesticis non tam exsulare, quam degere cœperat*, ejus ope, consilio, providentia & liberalitate fultus fuisset. quod argumento est, Wandalbertum non ex Belgica prima, in qua Prumiense monasterium situm est, sed ex Germania remotiori oriundum fuisse, quem Trithemius *natione Teutonicum* dicit. Hunc reor esse Odricum illum, laudatum ab ipso Wandalberto, aut quovis alio [f] scriptore translationis sanctorum Chrysanti & Dariæ Prumiam, ubi agitur de quadam femina pagi

f Sæc. 4. part. 1. p. 613.

ANN. CHR. 841.

Tulpaciensis *ex beneficio Oarici.* In martyrologio edendo Wandalbertus præcipue usus est *ope & subsidio sancti & nominatissimi Flori, Lugdunensis ecclesiæ subdiaconi, qui ut nostro,* inquit, *tempore re vera singulari studio & assiduitate in divinæ scripturæ scientia pollere, ita librorum authenticorum non mediocri copia & varietate cognoscitur abundare.* Flori nomine non modo Florum ipsum intelligit Wandalbertus, sed etiam venerabilem Bedam, cujus martyrologio Florus vacantes aliquot dies supplevit. Certe hoc Bedæ[a] martyrologium Hartmotus abbas supra laudatus basilicæ sancti Galli concessit. Tempus, quo metricum martyrologium scribebat Wandalbertus, exprimit in dactilicis versibus ad Lotharium cæsarem, nempe post *lustra quinque*, quam ille *cæsariana jura* susceperat, quod ab anno ejus sæculi decimo-septimo, quando a patre consors imperii factus est, numerandum videtur. adeoque hoc anno, aut insequente Wandalbertus martyrologium scripserit, nempe post quinque lustra, quam Lotharius in jus ac consurtionem imperii adscitus fuerat, cum in Francia regnaret, eumque sceptra regentem mundus adoraret, ut Wandalbertus ipse in carmine ad eumdem cæsarem loquitur. Annos triginta-quinque tum agebat auctor, uti his versibus in conclusione diserte habet.

a Ratpert. cap. 10.

Trinis ecce decenniis
Vitam dego miser, quintus & insuper
Ævi curriculis orbis adest, atque meatibus.
Me nunc nil recolens boni
Egisse atque pii, concutior minis.
Curæ nam stimulant horribiles mentis ad intima.
Lapsum jam releva, Pater,
Tandem & præteritis exue sordibus
Squalet conscia quis mens, nimisque angoribus tremit.

Sic fere Prudentius in præfatione carminum suorum.

LI. Usuardus item martyrologii auctor.

Adonis & Wandalberti æqualis fuit Usuardus monachus, alterius martyrologii scriptor, quod tantæ auctoritatis fuit, ut eo non modo Gallicanæ ecclesiæ pleræque, sed etiam ipsa aliarum omnium caput & mater Romana ecclesia ante Romanum recentius usa sit, si Molano credimus. quod Baronius negat. Martyrologium suum Usuardus Carolo Francorum regi inscripsit. quod alii ad Carolum Magnum, alii ad Calvum referunt. Nec minor controversia de auctore, quem nonnulli abbatem sancti Salvatoris in Neustria, quidam cum Trithemio Fuldensem monachum; ceteri denique, & quidem rectius, Parisiensem sancti Germani cœnobitam fuisse censent. Neutrum satis diserte aperit ipsius auctoris prologus in hæc verba: *Domino regum piissimo Carolo, Usuardus indignus sacerdos & monachus.* Litem de auctore aperte definit antiquissimum hujus martyrologii exemplar sancti Germani, in quo post prologum hæc clausula legitur: *Explicit prologus Usuardi monachi sancti Germani Parisiensis.* Hujus porro Usuardi ætas colligitur ex libello de translatione sanctorum martyrum Georgii & Aurelii in hoc monasterium: cujus translationis auctores *Usuardus & Odilardus magnæ probitatis monachi* fuisse perhibentur ab Aimoino ejusdem cœnobii tum monacho, qui id factum anno octingentesimo quinquagesimo-octavo memorat. Eodem tempore exaratum est hoc Usuardi exemplar, cum adjuncto necrologio, in quo USUARDI SACERDOTIS obitus majusculis rubeisque litteris idibus Januarii notatur. Hinc solvitur aliud controversiæ caput de Carolo, cui martyrologium nuncupatum est. quod non alteri quam Calvo aptari posse ipsa Usuardi ætas jam demonstrata evincit. Qui ad Carolum Magnum retulere cum Sigeberto recentiores, in errorem inducti sunt ex Alcuini epistola septuagesima-nona, *Pio patri Usualdo, & sanctæ congregationi sancti Salvatoris* inscripta. quare Trithemius, aliique id tribuerunt Fuldensi monasterio sancti Salvatoris, quod de Reatino interpretandum esse superius[b] demonstravimus. Ceterum neque in hoc exemplari martyrologii, neque in adjuncto necrologio quidquam primaria manu scriptum est post Carolum Calvum, cujus obitus in necrologio secunda manu adscriptus reperitur. Adversus hujus martyrologii antiquitatem opponitur a Bollando in præfatione generali commemoratio in eo facta idibus Januarii *sancti Viventii confessoris in monte Verziaco.* quæ translatio serius facta est. Verum recentioris manus

b lib. 26. n. 8.

ANN. CHR. 841.

hoc additamentum est, ut cuivis intuenti perspicuum esse potest. Id tamen concesserim, prædictam prologi clausulam, quæ hoc martyrologium esse *Usuardi monachi sancti Germani Parisiensis* probat, immo & prologum ipsum avulsum fuisse jam pridem a nostro exemplari: sed utrumque nobis ex alio ejusdem ætatis codice supplevit vir longe clarissimus Petrus Pithœus, concesso folio, in quo & prologus auctoris, & post prologum nomen *Usuardi monachi sancti Germani Parisiensis* minio sic connexum est cum subsequenti præfatione, ut omnem recentis additamenti suspicionem cuivis obstinatissimo censori adimere valeat. Itaque quartus hic est ex nostro ordine sacrorum fastorum scriptor Usuardus, in quibus agmen ducit venerabilis Beda, quem secuti sunt Ado & Wandalbertus, Usuardi nostri æquales. Rabanus his auctoribus forte præponendus, qui eodem tempore martyrologium itidem scripsit jam episcopus, de quo inferius.

Item Rabanus.

LII. Ængussius duplicis martyrologii auctor.

His adjungere licet beatum Ængussium, cognomento Keledeum, abbatem & episcopum in Hibernia, qui martyrologia duo, unum vetusto patrii idiomatis metro, alterum soluta oratione composuisse memoratur. Primum appellat *Festilogium*, quod ad singulos dies non continet nisi aliquot sanctos e præcipuis: in secundo prolixiori recenset primo nomina sanctorum aliarum gentium: quibus seorsim sanctos Hibernicos adjungit. Hoc posterius *Tamlactense*, quod in Tamlactensi monasterio conditum sit, vocat Colganus, qui Ængussii vitam ex antiquis monumentis concinnavit, eamque retulit ad sæculum nonum, sed absque legitimis & idoneis argumentis. De martyrologiis Notkeri & Nevelonis suis locis agemus.

ANN. CHR. 842.

LIII. Res civiles anni sequentis.

Postero anno iterum novæ a Lothario turbæ: contra quem a duobus aliis fratribus Ludovico & Carolo fœdus Argentorati renovatum, conceptisque verbis, Romana seu Francica, & Theotisca lingua editum, prout a Nithardo relatum est. Sub hæc delecti anno præterito viceni ex utraque parte optimates pacis sequestres, collatis capitibus, rem in hunc modum composuerunt, ut Carolo omnia ab oceano usque ad Mosam concessa: Ludovico quæcumque in Germania ultra Rhenum continerentur: Lothario Austrasia, cum Burgundia, Provincia & Italia: Pippino vero, Pippini regis filio, Aquitania assignata sint. Ita ad rem conficiendam locus & dies in annum sequentem regibus ipsis constitutus. Ex quodam præcepto archivi

Diploma pro Corbeia.

» Corbeïensis discimus, Carolum anno regni sui tertio *ad monasterium Corbeiæ*, quod
» est constructum in pago Ambianensi, *causa orationis* accessisse, eique pontem, *qui est*
» *ad Durdis* *, super fluvium Somenæ, paullo infra Corbeiam, qui olim ad jus pu-
» blicum pertinebat, ad necessitates fratrum contulisse pro anima genitoris sui HLu-
» dowici, & æterna sua remuneratione. Actum Ambianis Caroli regis anno tertio.
Isaac abbas tunc Corbeïæ præerat.

* *Dours.*

LIV. Rabanus Fuldæ regimen abdicat.

Lothario favebant Otgarius Moguntinus antistes, & Rabanus abbas Fuldensis: ex quibus ille, non satis ordinis sui decori consulens, cum selectis a Lothario ducibus a transitu Rheni Carolum & Ludovicum frustra removere non semel conatus est. Sic Lotharius transrhenanis partibus exclusus, Rabanus vero Fulda discessit, cum illud *per annos viginti* nobiliter rexisset, teste Rudolfo. Trithemius ex Meginfrido asserit, Rabanum ob dissensionem monachorum Fulda discessisse, & ad Ludovicum Germaniæ regem invitatum accessisse, apud quem biennio cum multo honore detentus sit. At contrarium docent acta vetera Fuldensium abbatum apud Browerum; in quibus Rabanus post regiminis annos viginti, *relicta quam habuit potestate*, ultra Rhenum fluvium *ad regnum Lotharii* se contulisse traditur, non ad Ludovicum, cujus partibus adversabatur. Et quidem in annalibus Fuldensibus & apud Lambertum Scafnaburgensem, *Liutharius expulsus a regno, & Raban abbas de monasterio* dicitur. Non alia itaque hujus sive expulsionis, seu abdicationis in Rabano causa, quam quod Lothario potius, quam Ludovico adhæreret. Quamquam fieri potuit, ut Fuldenses monachi, alii aliis partibus faventes, dissensionem inter se se habuerint. quæ abdicandi Rabano regiminis altera causa fuerit. Vix pedem e monasterio extulerat, cum quidam e fratribus ad eum revocandum missi sunt. Illo autem renuente & dignitati nuntio remisso, Hatto abbas, alio nomine Bonosus dictus, in ejus locum unanimi fratrum consensione sufficitur. Annum factæ hujus mutationis diserte exprimit ejus sæculi quadragesimum-secundum chronicon Hildenesheimense; probantque chartæ donationum apud Pistorium ª; quarum una

Hatto in ejus locum suffectus.

ª *Tradit. Fuld. p. 484. & 538.*

HRabano

HRabano abbati facta dicitur *ann. secundo HLutharii regis orientalium Francorum*, id est præsenti anno, IV. *nonas Aprilis*: alia Hattoni seu Bonoso abbati VII. *idus Aprilis, anno tertio Ludovici regis orientalium Francorum.* quod anno insequenti respondet. Hic est Bonosus, quem carmine duo de-tricesimo Rabanus ad patientiam hortatur. Eumdem ob picturæ artem immoderatius præ scriptoribus librorum, immo etiam præ viris doctis se efferentem, sequenti carmine reprimit, probatque scriptoriam artem pictoriæ longe præcellere, & ad commodum & salutem animæ conducibiliorem esse. Hujus rei occasione quærit Browerus, an prisci nostri cœnobitæ librarii, qui pellibus & membranis tot scrinia bibliothecarum impleverunt, pennis, ut jam vulgo scriptores, ex anserum, gruum, cygnorumve alis usi sint, an juncis potius & arundinibus, ex quibus calamos aptabant prisci. Utriusque usum viguisse certior sententia est: ita ut apices majusculi & litteræ unciales calamis, minutiores pennis expeditæ videantur. De his actum in superioribus.[a]

ANN. CHR. 842.

[a] lib. 16. num. 56.

L V. Lupus abbas Ferrariensis electus in locum Odonis.

De hac Rabani abdicatione certior factus Lupus, ejus nuper auditor, ad eum litteras dedit, causam facti ab eo rescire cupiens, simulque electionem sui in locum Odonis abbatis Ferrariensis significans epistola XL. *Ceterum*, inquit, *audivi sarcinam administrationis vestræ vos deposuisse, & rebus divinis solummodo nunc esse intentos: Hattoni vero nostro curam sudoris plenam reliquisse cujus rei ordinem, simulque alia, quæcumque videbuntur, beatitudinis vestræ litteris exspectabo cognoscere.* Quid ad hæc responderit Rabanus, incompertum. In eadem epistola de sua electione scribit idem Lupus, consensu fratrum suorum decimo kalendas Decembris cœno- «
bium Ferrariense sibi commissum fuisse; dominumque suum Karolum, qui mira «
ipsum dignatione fovebat, gratia sua donasse. Præcessisse Ferrariensium electionem «
intelligitur ex Lupi epistola quadragesima-quinta: ubi *ad eorum votum & electionem* abbatiale regimen sibi a rege commissum fuisse testatur. Is effectus fuit ejus rei, quam e Fuldensi academia reversus ante aliquot annos ad Regimbertum scripserat epistola quinta, multos scilicet existimare, fore ut brevi sibi aliquis gradus conferretur. Pergit in epistola ad Rabanum: *Vestra igitur benivolentia me, unaque congregationem mihi creditam, sacris orationibus quæso commendare dignetur: ut, sicut studia mea plurimum eruditione adjuvistis, sic officii difficultatem assiduis precibus temperetis.* In hac Lupi electione idem forte contigit atque in electione Hattonis. Odo quippe abbas, Lupi decessor, Lotharii partes sectari credebatur, ob idque Carolo infensus erat. Et forte Odonem vel invitum in suas partes pertraxerat Lotharius, dum Mauripensem & Senonicum pagum ante biennium rapinis & cædibus infestans, complures cum abbates, tum abbatissas, in sua verba jurare coegit. Verum post pugnam Fontaneticam cum Carolus victor evasisset, Lotharii fautores persecutus, dignitatibus suis multavit. Ex his unus forsan fuerit Odo Ferrariensis abbas, de aliis etiam rebus apud Carolum insimulatus, uti Lupus ipse innuit in epistola XXI. ad Jonam episcopum Aurelianensem, apud quem idem Odo etiam male audiebat. Totum negotium ipsis epistolæ verbis accipe. *Ceterum de abbate quondam nostro*, scilicet Odone, *falsa nescio quæ vobis relata esse audio, & ne apud vos ea ulterius prævaleant, quæ super ea gesta sunt, quam verissime sanctitati vestræ significo. Dominus noster, ne in monasterio nostro esse permitteretur, jussit, præfatus de eo talia, quæ melius reticentur. Id, reversus ad monasterium, quam mollissime eidem abbati edixi, atque illi hominibus, qui eum deducerent, deputatis, equis & vestimentis & argento ad viaticum concessis, cum jussu domini regis secundo kalendas Decembris promoverem, constitui ut intra tertium nonas memorati mensis monasterio decederet, quod eo die ante dominum regem me venturum sperarem. quod cum juxta meam opinionem fecissem; post sollemnem exceptionem, quæsivit quidnam de præfato abbate fecissem. Ego, qui crederem sic eumdem abbatem gessisse, ut nobis convenerat; præceptum ejus me super eo complevisse respondi. Accepta igitur licentia, cum pridie idus Decembris monasterio propinquassem, comperi sæpe dictum abbatem ibi adhuc morari. Hinc vehementer anxius, quod aliter domino nostro dixeram, aliter inveniebam; præmisi nocte qui ei honeste diceret, ut primo diluculo egrederetur. non esse honestum, ut aut ego meum differrem ingressum, aut illum ibi contra domini nostri præceptum invenirem. Cumque ille mandasset se in crastinum exire disposuisse, ne aliquam inimicis calumniandi ansam relinquerem, remandavi me non ante ingressurum, quam ipse egrederetur. Ita ille cœnobium egressus est, permissis sibi omnibus, quæ illi ante largitus*

ANN. CHR. 842.

fueram, & nonnullis insuper attributis. Quam rem aulicis, familiaribus meis, continuo significavi, & opportune egomet domino nostro exposui, & mendacia, quæ inde fererentur, declaravi. Hactenus Lupus: cujus in locum Odonis substitutionem exeunte anno superiori contigisse ex præmissa rerum serie colligere licet. In hac porro ad Jonam epistola queritur idem Lupus jam abbas, quod ex rebus, quas in urbe Aurelianorum & in villulis circumpositis habebant, nihil fere sibi reliquum fuerit ob » Agii Jonæ propinqui rapacitatem: cum antea ibi non contemnenda vini & annonæ » copia, salis quoque aliquantulum colligeretur: quæ vendita & vestimentorum fra- » tribus solatia, & in expeditionibus, quæ turbulento illo rei publicæ tempore exige- » bantur, quantulamcumque facultatem argenti præberent. Hinc se vexari fratrum » inopia & itinerum expensis; rebusque suis fere omnibus aut sublatis, aut devasta- » tis, nullum sibi superesse nisi in amicorum suffragio auxilium.

LVI. Odo abbas an Lotharii fautor.

Ne Odonis in Lotharium propensionem certo asseramus, vetat Lupina epistola XXVI. ad Marcwardum Prumiensem abbatem & Sichardum monachum ipsius Odonis nomine scripta sub hujus anni initium: cum ait, se suosque in quodam regni » meditullio positos fluctuare incertos, quinam ex tribus fratribus regionem ipsorum » sibi debeat vindicare; varios hinc inde rumores spargi; rogare, ut, si consensus om- » nium in Lotharium pronior fuerit, & apud eum, uti optabat & credebat, gratiæ » locum invenirent, memores sui esse dignarentur, & perversorum improbitatem, » quantum possent, a se propulsarent. Porro quod Odoni a Lupo accidit, id sibi a clericis palatinis timebat ipse Odo, ut satis aperit in Lupina epistola XXV. ad clarissimum Ludovicum abbatem, bis verbis. *Ceterum fama versatur inter nos, clericos palatii diversorum cœnobiorum sibi dominium optare, atque poscere: quibus nulla sit alia cura, nisi ut suæ avaritiæ oppressione servorum Dei satisfaciant. Unde in hac parte supplicamus vestram nobis vigilare prudentiam, ut tenuitas nostra per vos esse valeat tuta.* Ut vero Ludovicum sibi favorabiliorem reddat, causam affert observatione dignam.

Ludovicus abbas in monasterio educatus.

Namque, quia haud procul a nobis educati estis, apud nos quoque fuistis, qualitas monasterii nostri vos minime latet: ubi, præter studium religionis, quo sibi nomen inter alia cœnobia vindicavit, non est quod expetendum sit ei, qui se magni facit. nisi forte tam sacrilegus quis inveniatur, qui stipendia Deo servientium in suos audeat usus convertere, & eorum inopiam suam luxuriam facere. Ergo vestra industria hinc quoque nobis prospiciat: ut, per vos accepta securitate, liberius pro vobis Domino supplicemus. Ex quibus verbis intelligimus, primo Ludovicum abbatem haud procul a Ferrariis educatum fuisse, & quidem, ut veri simile est, in Autisiodorensi sancti Germani monasterio, ubi & Lotharius Caroli-Calvi filius institutus fuit; & in ipso Ferrariensi cœnobio aliquamdiu versatum fuisse.

Ferrariensium religio & inopia.

Alterum, eximium tunc fuisse religionis studium apud Ferrarienses, quod Hildegarius episcopus in libro de vita sancti Faronis testatur. Denique magnam tunc temporis fuisse Ferrariensium inopiam. unde idem Odo in Lupina epistola XXIII. ad eumdem Ludovicum, rogat, monasterium suum relevari impendiis Zachariæ incerti loci abbatis, qui Ferrariensibus » tum commissus ac commendatus fuerat; petitque, ut vel ad locum, unde venit, » revertatur, vel ad alium quemlibet dirigatur. quippe monasterium suum non me- » diocriter gravari expensis, quæ illius hominibus tribuuntur. Haud scio an sub ejusdem Odonis abbatis regimine scripta sit epistola XI. ad Lotharium augustum de cella sancti Judoci, Alcuino abbati a Carolo Magno concessa ad eleemosynam peregrinis erogandam a Ludovico Pio Ferrariensibus tributa eo pacto, ut, quod eleemosynæ superesset, in eorum usum cederet. Hanc vero cellam a Lothario quidam Hruodingus furtim obtinuerat, quam sibi restitui rogant Ferrarienses, maximis tunc pressi angustiis. Eadem cella postea Ferrariensibus præcepto a Carolo firmata, sed rursus Odulfo comiti tradita ab eodem est, quam plurimis precibus & litteris Lupus vix tandem redimere potuit.

LVII. Lupus litteras docet.

Quod Lupus, Fulda reversus, docendi officium in suo monasterio gesserat, hoc etiam abbas exercere perseveravit, quateuus regiminis diversæ sinebant occupationes. Hoc docendi munus ipse indicat in duabus ad Altwinum monachum epistolis, qui ipsum necdum abbatem de variis grammaticæ quæstiunculis interrogaverat. Prolixa est Lupi responsio in epistola XXXIV. in qua auditores suos commemorat: brevior in tricesima--sexta, propter occupationes auctas ex abbatis sui Odonis absentia. Eumdem vero Lupum jam abbatem docendi officio institisse probat

ANN. CHR. 842.

Militiam deprecatur.

epistola CXIX. ad Æneam episcopum Parisiensem, in qua ait, se *doctrinæ studiosissimo regi* Carolo mentem suam aperuisse, quod *liberalium disciplinarum laborem recolendo, & alios instituendo*, favente totius boni auctore Deo, vellet repetere, si otium ipsi ex regis indulgentia concederetur. quod votum ad effectum perducere se curaturum rex ipsi promiserat, nempe concedendo vacationem a militia, quam Ferrariensis abbas regi debebat. Id tamen Lupo absolute concessum non fuisse cum multæ ejus ad militiam profectiones probant; tum illud etiam docet epistola LXXVIII. ad Pardulum episcopum Laudunensem, in qua per eum a militiæ munere apud regem se excusari postulat, quippe qui hostem ferire ac vitare non didicisset, nec cetera pedestris ac equestris militiæ officia exsequi. ubi regem moneri cupit, ut, quoniam studia ipsius non magni facit, saltem propositum ejus, id est professionem monasticam, attendere dignetur, & alia ei injungere, quæ ab illo proposito penitus non abhorreant.

Auditores ejus Fridilo & Hericus.

E multis auditoribus unum laudat Fridilonem in epistola CXVI. ad fratres ex cœnobio sancti Germani, nempe Autisiodorensi, quibus ob sibi impensum hospitium gratias egit *per carissimum propinquum Remigium, & gratissimum auditorem* suum *Fridilonem*. An Remigius ille Lupi propinquus, & Fridilo sancti Germani monachi fuerint, etsi veri similis conjectura est, ex hac tamen epistola non satis liquet. Lupi etiam discipulis annumerandus Hericus ejusdem cœnobii monachus insignis, cujus auditor fuit Remigius cœnobita ejusdem loci, a quo eruditio & doctrina ad sequentia tempora propagata est, ut suo loco videbimus: ubi hunc Remigium a Remigio Lupi propinquo distinguendum esse ostendemus. Politiori litteraturæ maxime addictum fuisse Lupum testes sunt variæ ejus epistolæ, in quibus ad quæstiones grammaticales respondet, ac libros ejus argumenti sibi commodari petit, vel exscribendos, vel cum aliis conferendos. Verum non ita humanioribus litteris se tradiderat, ut expers esset theologicæ doctrinæ. Sane quantum in illa exercitatus esset, satis superque demonstrant opuscula, quæ de prædestinatione in causa Gothescalci scripsit, eo sane modo, ut nullus scriptorum ejus temporis hoc de argumento vel solidius, vel elegantius egerit. Initio sui regiminis ad Carolum regem scripsit epistolam tricesimam-octavam.

LVIII. Prumiæ viri illustres, Gerungus, alius ab Hirsaugiensi.

Florebant per id tempus in Prumiensi monasterio sub Marcwardo abbate Gerungus, Nithardus, Ansbaldus, Eigil, & Wandalbertus, cujus superius facta mentio est. Gerungus, ante monachatum vir clarissimus, Ludovici principatu palatii ædilis erat sive ostiarius. quo nomine Frotharius epistolam secundam *illustrissimo viro, & toto affectu colendo ac desiderando Gerungo, summo sacri palatii ostiario* inscribit. Ostiarium ejusmodi alio nomine *Scarionem* appellabant veteres Franci, quod officium *adilitiorum nomine* apud antiquos Romanos censebatur, teste monacho sancti Galli in libro primo de gestis Caroli Magni. Præsens aderat apud sanctum Goarem Gerungus, cum Ludovicus augustus dolore pedum ad sancti confessoris sepulcrum solutus est. Wandalbertus rem narrat in libro de miraculis sancti Goaris. Ubi vero surrexit Ludovicus, *ad abbatem* Marcwardum, *& clarissimum virum Gerungum, olim palatii ædilem, nunc monachum, conversus: Deo*, inquit, *gratias, nunc meritis sancti Goaris levamen mihi datum persentio.* Erat ergo jam tum monachus Gerungus, si non cum id contigit, saltem cum id scriberet Wandalbertus, id est uno anno ante obitum Ludovici augusti. Gerungum, Fulcoldum, & Ansboldum præ ceteris Prumiæ monachis salutat Lupus in epistola decima ad Marcwardum. Ex his non dubito, quin alius fuerit Gerungus, qui ex monacho Fuldensi factus est Hirsaugiæ abbas anno ejus sæculi quinquagesimo-tertio, mortuus post annos triginta septuagenarius, teste Trithemio. Quippe Gerungus ille jam palatii ædilis erat anno octingentesimo vicesimo-tertio, quo in Italiam missus est una cum Wala tunc Corbeiæ monacho: quorum consilio res Italici regni Lotharius componeret. quo certe anno vix decennis erat, ex calculo Trithemii, Gerungus Hirsaugiensis.

LIX. Nithardus, an diversus a filio Angilberti.

Eodem tempore Prumiæ degebat Nithardus, quem Lupus in duabus itidem epistolis laudat. In priori, scilicet quinquagesima-quinta, memoratur *Nithardi adventus ad Silvacum*, quo Lupum traxerat monasterii sui necessitas. Ejusdem meminit in epistola septuagesima-secunda ad Didonem abbatem. De hoc Nithardo dubitant viri docti, an idem sit cum Nithardo, Angilberti ex Berta filio, qui quatuor libros de dissensionibus filiorum Ludovici Pii composuit. Ut id accuratius expendatur, quo tempore duæ illæ Lupi epistolæ, quove hæc Nithardi historia scripta

ANN. CHR. 841.

sit, diligentius inquirendum. Prior ex illis epistolis scripta videtur anno ejus sæculi quadragesimo-sexto, aut certe insequenti: quo tempore Carolus in Silviaco palatio degebat, ut patet ex diplomate, quod monachi sancti Michaelis ad Mosam ab eo de sua libertate obtinuerunt pridie kalendas Junii, anno regni ejus sexto, indictione nona. *Actum Silviaco*. Posterior scripta est post annum ejusdem sæculi quinquagesimum-tertium, quo Dido Senonico monasterio sancti Petri præesse cœpit. Jam ergo ante annum quadragesimum-sextum aut insequentem Nithardus Prumiæ monachus erat, & quidem non tiro aut novitius. siquidem ab suo abbate ad palatium Silvacum, in pago Laudunensi longius a Prumia positum, negotiorum causa missus est. Atqui his annis nondum monasticen professus erat, si tamen eam umquam professus est, Nithardus Angilberti filius, qui eo ipso tempore, sæcularem adhuc vitam agens, historiam suam scribebat. Is quippe duos priores libros de persecutione, Carolo regi a fratribus ejus illata, scribere jussus a Carolo ipso est, cum *Cadhellonicam introissent civitatem*, id est Catalaunum, ut docet primi libri præfatio. quod anno quadragesimo-secundo accidisse ª tradit idem auctor, qui tertium librum de rebus eo anno gestis adjecit. De rebus anni insequentis agit quartus, cujus in præfatione ait se assidue meditari, quo *ab universa re publica totus secederet*. quibus verbis innuere videtur monasticæ vitæ consilium: quod an exsecutus sit, pro certo affirmare, quia nulla apud vetustiores auctores ejus rei mentio est, non ausim. Id unum apud Hariulfum Centulensem chronographum de eo memoriæ proditum est, Gervinum abbatem, ejus nominis primum, cum Angilberti » corpus ad fores basilicæ Richarianæ primitus sepultum quæreret, invenisse in eo» dem, quo quondam jacuerat, sarcophago lecticam ligneam coriatam, domni Ni» thardi filii ejus, abbatis & comitis, corpus continentem, sale perfusum: in cujus » capite videbatur illa percussura, *qua eventu prælii fuit occisus*, forte dimicans contra Normannos. Itaque veri similius est, Nithardum, si umquam monachus fuit, secessisse in Centulense monasterium a parente instauratum, cujus & abbas exstitisse traditur; potius quam in Prumiense, in quo Nithardus alter jam monachus erat, dum ille secessum meditaretur. De Ansbaldo & Eigile Prumiensibus item monachis inferius agendum.

ª Chesn. to. 2. p. 358. c.

L X. Barnardus Viennensis antistes Romanis mortuus, sepultusque.

Sub initia hujus anni Barnardus Viennensis antistes, imminentem sibi obitum præsentiens, cum clero suo *sub specie peregrinæ professionis* exitum suum indicasset, ad Romanense monasterium ab se conditum, ubi sepeliri cupiebat, se recepit. Post triduum precationibus insumtum, rogatus ut inediam vel modico cibo relevaret: *Panis*, inquit, *ille jam jam, fratres mei, sumendus est, sine quo nec in mundo, nec in cælis vivitur. Sacramentum itaque hujus panis mihi apportate, ut, eo accepto viatico, viam universæ carnis ingrediar, in patriam profecturus.* Sumto sacrosancto viatico, noctem insequentem in divinis laudibus cum fratribus traduxit. His ad celebrandas nocturnas vigilias dimissis, cum paucis, quos remanere jussit, matutinas laudes persolvit. Illucescente die, ex hujus mundi tenebris ad æternam lucem anima ejus corpore soluta migravit, anno ætatis suæ sexagesimo-quarto, episcopatus tricesimo-secundo. Ejus vitæ summam sic conficiunt anonymi duo ejus vitæ scriptores. Annorum octodecim erat, cum, fratribus defunctis, ab scholis abstrahitur, &, patre cogente, conjugio copulatur in annos septem. Dein quatuor annos in professione monastica sub abbate, tres in abbatiæ regimine duxit, in episcopatu triginta-quatuor. Eum die dominica dilucescente, mense Januario, obiisse convenit inter auctores: at quoto die kalendarum decesserit, varia est sententia duorum anonymorum, qui ejus vitam in litteras retulere: quorum alter decimo, alter octavo kalendas Februarii Barnardum ex hac vita migrasse tradit. Priori calculo favet vetus ejus epitaphium, quod marmori olim insculptum, post ejus vitam retulimus. Et tamen dies dominica non in decimum kalendas Februarias, sed in præcedentem incidebat hoc anno, ultra quem Barnardi obitus differri non potest. quando quidem Agilmarus seu Egilmarus, ejus in sede Viennensi successor, Romanensis monasterii subjectionem ecclesiæ suæ asseruit, obtento a Lothario præcepto, quod datum est kalendis Januarii, anno imperii Lotharii in Italia vicesimo-tertio, in Francia tertio, id est anno proximo ineunte. quo anno idem Agilmarus synodo Germiniacensi interfuit, subscripsitque litteris synodalibus pro monasterio Corbionensi, ut suo loco videbimus. Ad hæc Lotharius augustus præsenti anno villam Tollianum

eidem Agilmaro Viennensi archiepiscopo restituit XI. kalendas Novembris, anno imperii sui in Italia vicesimo-quarto, in Francia quarto, indictione sexta. quæ notæ huic anno conveniunt. Barnardi funeri interfuit Doctrannus Valentinensis episcopus, non probans, quod vir sanctus intra sancta-sanctorum non humaretur. Abbas mandatum ejus, qui humiliorem locum elegerat, præterire sibi nefas videri respondit. Sepultum fuisse ipso mortis die, ne forte Viennenses corpus sacrum repeterent, tradit alter vitæ scriptor. quod nisi ita esset, dicendum videretur ad concilianda temporum dissidia, ipsum undecimo kalendas Februarii, qui dies dominicus erat, decessisse, decimo easdem kalendas sepultum fuisse: quo sane die Viennenses & Romanenses festum ejus diem colunt. Ex veteri ejus epitaphio, ex quo secundus vitæ scriptor duos versus adducit, plures referre juvat ad superiora illustranda. AN. CHR. 842.

Inclytus, egregius, largus, facundus, honestus
Doctrina populo, relligione Deo,
Ipse Viennensi ter denis atque duobus
Annis metropoli præfuit ecclesiæ.
Condidit hoc templum voto studiosus amœno,
Deque suis rebus sistere constituit.
Curriculum quartum post bis-sex lustra peregit,
Ni nostrum numero fallitur arbitrium.
Deinde Februarias deno sole ante kalendas
Decessit, moriens corpore non anima.

LXI. Fontanellenses abbates, & chronographi duo.

Varia hujus anni prodigia memorat chronographus Fontanellensis, a Chesnio editus in tomo secundo rerum Francicarum, aliis ab eo, qui a nostro Acherio vulgatus est in Spicilegii tomo tertio. Chesnianus de se ipse hæc tradit, nempe quod rectore hujus cœnobii Joseph archiepiscopo, qui Ebroicensis episcopus etiam fuit, IV. kalendas Martii huc accessit. Deinde, post novemdecim annos expletos, diaconatus ordinem suscepit per manus venerabilis archiepiscopi Rotomagensis Wenilonis, & quidem XII. kalendas Octobris, sabbato anni octingentesimi sexagesimi-primi, indictione nona. Non multo post obiit idem pontifex, cui successit Adelardus, a quo idem chronographus gradum presbyteratus suscepit VIII. idus Martii, sabbato, anno incarnationis octingentesimo septuagesimo secundo, indictione quinta. Hunc auctorem fuisse virum non vulgaris meriti illud argumento est, quod anno ejusdem sæculi quadragesimo-septimo *ad Bacivum * palatium* perrexit pro quibusdam prædiis. qui locus est in pago Ambianensi, priscum vocabulum hactenus retinens. Chronographus alter Acherianus antiquior & prolixior est, cujus chronicon desinit in Ansegilo abbate, multaque præclara continet, quæ longe potiora essent, nisi chronicas notas multis in locis librarii temere vitiassent.

* *Baisieu.*

LXII. Walafridus Augiensis abbas, recte sensit de sacris imaginibus.

Augiæ in Alamannia Rudhelmo abbati demortuo subrogatus est Walafridus, ab oculorum vitio Strabo seu Strabus appellatus, cujus superius non semel facta mentio est. Annos triginta-quinque natus erat, cum monasterii regimen subiit, jam clarus ingenii sui monumentis, quibus deinceps plura alia adjecit. Unus e præcipuis est liber de rebus ecclesiasticis, quem jussu Reginberti composuit. Hunc venerandum in Christo patrem Reginbertum compellat, quo elogio an episcopum designet; an Reginbertum illum monachum, ad quem Lupus binas scripsit epistolas, alii judicent. Forte is fuerit Regimboldus chorepiscopus Moguntinus, cui Rabanus epistolam de quibusdam pœnitentiæ quæstiunculis scripsit. In hujus libri capite vicesimo-quinto carpit quosdam abbates monachosve, qui officii divini normam a sancto Benedicto præscriptam non observabant, *pigritiam vel protervitatem suam eo* colorantes permissu, quo sanctissimus vir, humilitatis studio, officii aliter ordinandi facultatem tribuit, si cui hæc ejus distributio displicuerit. Idem auctor in capite quarto ejusdem libri agit de cultu sacrarum imaginum, de quo magna tum controversia nondum conquieverat. Ejus hac de re sententia est, imagines ac picturas non esse *Deo debitis honoribus* colendas, sed tamen retinendas *ob commemorationem rerum gestarum, aut ob amorem eorum, quorum similitudines sunt, animis fidelium artius im-*

ANN. CHR. 842.

primendum. unde intelligamus, *in his faciendis devotionem & utilitatem, quæ commoveri & instrui appetimus, non esse culpandam: sed in his colendis superstitionem & hebetudinem, qua spiritalem cultum ad corporalia traducere errones nituntur, esse damnandam.* Denique sicut eos improbat, *qui easdem imagines, ultra quam satis est, venerantur:* ita alios etiam non probat, qui, *dum volunt cautiores ceteris in religione videri, illas, ut quasdam idololatriæ species, respuunt, & præsumtionis fastu simplicium corda scandalizant.* quo nihil magis catholicæ doctrinæ consonum dici potest. Non minus sincera est ejus doctrina de cultu sanctorum, quos divinis colendos non esse honoribus dicit, sed ita rogandos, *non ut ipsi præstent per se, quæ saluti nostræ necessaria sunt: sed ut ab auctore bonorum, utpote illi proximiores meritis, & ideo certius audiendi, impetrent, quæ saluti petentium opportuna esse non nesciunt. Tales esse preces fidelium*, inquit, *qui publicas ecclesiæ orationes considerare norunt, dubitare non poterunt.* Post hæc demum, sacrarum imaginum legitimum cultum ita concludendo exponit: *Cum itaque talis sit christiani perfectio sensus, non sunt omnimodis honesti & moderati imaginum honores abjiciendi.*

Hæc tam perspicua sunt pro debito cultu imaginum, ut mirum sit aliquos dicere, (atque ita notatum legitur in libris editis) caute hoc in loco legendum esse Walafridum. nam etsi divinos imaginibus, ut par est, ipsisque sanctis honores denegat; *honestos* tamen & *moderatos* eis concedit; nec quemlibet cultum imaginum improbat, sed tantum *immodicum*, maxime *spiritalem.* quod omnino consonat Nicænæ synodi decreto, quæ *honorarium* dumtaxat cultum, id est externum, imagi-
a Petav. dogmat lib. 15. c. 16. n. 8. nibus tribuit. Neque vero Walafridus in hoc tantum illos honores, uti Petavio [a] visum est, reposuit, ut minime conculcentur, aut deleantur. Etsi enim id subinde admonet; aliquid tamen amplius exigit, nempe honestum ac moderatum cultum, qui externi honoris significationem importet cum interno aliquo affectu conjunctam, ut patet ex ultimis hisce ejusdem capitis verbis. *Sic itaque imagines & picturæ habendæ sunt & amandæ, ut nec despectu utilitas annulletur, & hæc irreverentia in ipsorum, quorum similitudines sunt, redundet injuriam; nec cultu immoderato fidei sanitas vulneretur, & corporalibus rebus honor nimie impensus arguat, nos minus spiritalia contemplari.* Itaque ex Walafridi sententia *amandæ* sunt imagines, non despiciendæ, ita ut amor ille externum a nobis honorem in ipsas imagines exigat, & in exemplaria internus ac spiritalis cultus dirigatur. quo nihil magis catholicum est. De Claudio Taurinensi episcopo tradit, quod *antequam diversorum contra eum jaculis perfoderetur, suo judicio damnatus interiit.* quod sane sinceram Walafridi fidem, a Claudii errore prorsus alienam fuisse comfirmat.

LXIII. Gozbaldus abbas fit episcopus Wirziburgensis. b supra n. 5.

Non ante hunc annum Gozbaldus abbas Altahæ-inferioris promotus est ad sedem Wirziburgensem, ut superius [b] probatum, confirmaturque ex præcepto Ludovici regis, qui villam *Ingolstat*, *petente ac suggerente Gosbaldo venerabili abbate & » fideli suo*, nondum episcopo, Altahensibus contulit. Actum Helicobruno palatio » regio, xv. kalendas Septembris, anno septimo regni domni Ludovici regis in orientali » Francia, indictione quarta. Idem princeps post septem annos, postulante Gozbaldo jam episcopo, simulque rectore prædicti monasterii, libertatem eligendi post ipsum abbatis monachis Altahensibus concessit.

ANN. CHR. 843.

LXIV. Pax inter fratres.

PRincipio insequentis anni Carolus, natali Domini cum festo epiphaniæ apud Augustam-Viromanduorum celebrato, in Aquitaniam cum uxore Hermentrude superiore anno sibi desponsata profectus, dein ad Britanniæ motus comprimendos accessit. Sub hæc tres germani reges, post graves trium annorum dissensiones, ad urbem Virodunum ex condicto conveniunt, regnumque inter sese partiuntur. Ec Carolo quidem occidentales regiones usque ad Hispaniam cesserunt; Ludovico vero orientales, nempe Germania omnis usque ad Rhenum, cum Nemeto, Wormatia & Moguntia; Lothario denique, quidquid inter Rhenum & Scaldim interjacet, cum Burgundia transjurana, pago Lugdunensi & Provincia obtigit. Ita concordia sacramentis altrinsecus firmata, mense Augusto: quam si prius sanxissent, melius sibi, melius toti regno consuluissent. In Aquitanico illo Caroli itinere decessit Judith imperatrix, cujus depositio XIII. kalendas Maii notatur in necrologio nostro sancti Germani, quam Turonis in basilica sancti Martini sepultam fuisse vetus chronicon Lemovicense docet.

ANN. CHR. 843.

LXV. Caroli diploma pro Cormarico.

Versabatur in eadem urbe Carolus eodem anno VII. kalendas Martii, Aquitaniam scilicet adeundo, cum ad eum accessit venerabilis Adalardus abbas monasterii sancti Martini, exposuitque, se duas pagi Turonici villas, nempe Vidiniacum super fluvium Angeris*, & Taunogilum super fluvium Vigennæ sitas, cœnobio Cormarico, cui tum Audacher abbas præerat, contulisse pro eleemosyna Ludovici augusti, & Caroli gloriosissimi imperatoris, & pro ejusdem congregationis sustentatione, necnon ecclesiæ fabrica, & adventantium susceptione. quam donationem a Carolo confirmari postulavit, obtinuitque. Actum Turonis in monasterio sancti Martini, VI. kalendas Martii, indictione sexta, anno tertio regni præstantissimi regis Karoli. quod præceptum Æneas ad vicem Ludovici recognovit. Hic est Audacher, Lupi abbatis Ferrariensis propinquus, qui Jacobo, primo Cormariceni monasterii abbati, ante annos quinque successerat, idemque postea Villæ-Lupensis abbas, de quo sæpius mentio recurret.

* l'Indre.

Audacher abbas.

Stradensis abbas Dodo privilegium obtinet.

Stradense apud Bituriges monasterium tunc administrabat Dodo abbas primus eximiæ virtutis, qui regiæ tutelæ diploma, atque immunitatis a fiscalibus tributis cum libera electione abbatis a Carolo rege obtinuit anno regni ejus quarto, quale antea privilegium Pippinus, Caroli germanus, eidem loco impertierat, ex actis sancti Genulfi, ipsius monasterii patroni. Dodoni succedit Mainardus, cujus amplior alias commemoratio erit.

LXVI. Aliud pro Centulensibus.

Ex Aquitania reversus Carolus, Compendii substitit ad breve tempus, ibique Centulensium monachorum preces excepit, supplicantium, ut præceptum gloriosæ memoriæ domini ac genitoris sui Ludovici, qui quasdam villas eorum usibus ac stipendiis assignatas probaverat, suis ipse litteris confirmare dignaretur, ita ut nullius umquam abbatis, aut cujuscumque alterius detractione illis subtraherentur, aut in alios usus converterentur. Supplicantibus annuit princeps, jussitque, ut nec paratas, nec lidimonium seu servile obsequium, aut hostilitium, aut quaslibet alias redbibitiones quisquam ab eis exigeret. Actum Compendio palatio regio, XII. kalendas Junii, anno quarto Caroli regis, indictione sexta. Caroli annum tertium præfert Cointius, propterea quod annus ejus quartus non ante vicesimam diem Junii, quæ Ludovici parentis suprema fuit, incipiebat.

LXVII. Æduensia monasteria.

Hunc sane annum præfert aliud ipsius Caroli diploma, quod Altheus, Augustodunensis post Modoinum antistes, mense Julio insequente obtinuit, datum in Attiniaco palatio III. nonas Julii: quo diplomate Carolus Augustodunensi sancti Nazarii ecclesiæ asserit subjectionem quorumdam monasteriorum ad eamdem sedem pertinentium, tam intra, quam extra urbem: in quibus recenset monasterium puellarum sancti Andochii intramuranum, suburbanum monasterium sancti Petri seu S. Stephani: tum alia ejusdem parochiæ monasteria, nempe sancti Andochii in Sedeloco, sancti Eptadii in Cerviduno, sancti Martini de Magavero sive Circiniaco, necnon Colticas monasterium, quod dudum ab ipsa sede subtractum fuerat. ubi nulla mentio est suburbanorum monasteriorum sancti Martini & sancti Symphoriani virorum; nec sancti Johannis seu sanctæ Mariæ puellarum: quæ proinde prædictæ ecclesiæ subjecta non censebantur. Vidimus olim in archivo Nazariano authenticum hoc diploma, quod Carolus Cointius ex chartaceo codice post Sancta-Marthanos recudit. Monasterium sancti Andochii apud Sedelocum * nunc collegium est canonicorum sæcularium, uti & sancti Eptadii de Cerviduno * prope Corbiniacum in pago Morvinensi *, Monasterium sancti Martini de Magavero *, situm ad amnem cognominem, duabus ab Ædua leucis, hactenus præpositura seu prioratus est ordinis Cluniacensis: Colticæ * opidulum est Æduam inter & Cabilonem, sancti Georgii prioratu insigne, qui a Flaviniacensi abbatia avulsus, patribus societatis Jesu collegii Divionensis traditus est.

* Saulieu. * Cervon. * le Morvan. * Mêvre. * Couches.

LXVIII. Namnetæ & Antrense monasterium a Normannis diripiuntur.

Interim, dum Brittones in Armorica, Lantberto comite suppetias ferente, contra Rainaldum, Caroli ducem ac Namnetensem comitem, bella intestina movent; ea occasione usi Normanni cum numerosa classe ex oceano in Ligerim illapsi, ad urbem Namneticam celeri remrum impulsu contendunt, vallatam nullo fere negotio invadunt, vastant, diripiunt; episcopum, clericos, cives cum Antrensibus monachis, qui cum sacra supellectile in urbem confugerant, in majori sancti Petri ecclesia conclusos, effractis ostiis, ipso die festo natalis sancti Johannis-Baptistæ, ferali barbarie trucidant, paucis exceptis, quos cum infinita præda in naves impositos

ANN. CHR. 843.

fecum abduxerunt. Tum in regressu Antrum monasterium, quod paullo infra Namnetas in insula cognomini Pascharius episcopus olim in gratiam Hermenlandi abbatis condiderat, vastant & incendunt, ac demum in silvam, Glonnensi sancti Florentii monasterio contiguam, se recipiunt, ut ex Letaldo * monacho Miciacensi discimus, qui Gunhardum episcopum Namnetensem super altare sancti Ferreoli martyris obtruncatum tradit, ad lævam ædis beati Petri apostoli, matris ecclesiæ ejusdem civitatis. Nihilo minus S. Hermenlandi corpus in Antrensi monasterio remansit usque ad annum ejus sæculi sexagesimum-nonum, quo ex Antro insula translatum dicitur in quodam chronico Andecavensi, non expresso loci nomine, in quem translatio hæc facta est. Veri simile est id intelligendum de Andecavensi sancti Magnobodi ecclesia, in qua quædam sancti Hermenlandi reliquiæ asservantur: quarum majorem partem canonici collegiatæ apud Lochias Turonum opidum ecclesiæ possidere dicuntur. Ab eo tempore Antrum monasterium e suis cineribus ad hoc usque tempus excitari non potuit.

* Sæc. 1. Bened. p. 401.

LXIX. Vertavenses Ensionem confugiunt.

Proximum erat Namnetis Vertavense monasterium, quod interposito Ligeris & Vigennæ alveo, vix tribus ab ea urbe millibus dirimitur. Ad hanc itaque Nortmannorum irruptionem commoti Vertavenses, quibus tum Raimbaldus abbas præerat, corpus sancti Martini, abbatis ac conditoris sui, in lectica compositum cum tota mobili supellectile efferunt in cellam sui juris, quæ *Ension* dicitur, in pago Pictavensi positam, se recepturi. Ventum primo est ad vicum, qui Noviheria dicitur, ubi beati Veterani corpus quiescit. Inde ad prædictam cellam perveniunt, ubi instar Vertavi duo tum erant cœnobia: unum in montis vertice sub titulo sancti Johannis-Baptistæ, in quo corpus sancti Jovini ejusdem loci abbatis habebatur: alterum ad orientem, sancti Petri apostoli nomini dicatum. Occupabant eo tempore hunc locum sæculares canonici, qui monachorum dominium ac restitutionem veriti, Vertavenses excipere adeo recusarunt, ut etiam eos finibus suis quantocius excedere præceperint. His cedendum rati Vertavenses, Pippinum Aquitaniæ regem, qui tunc in Arvernico pago morabatur, adeundum censuere; Branziacum vicum, Landrico optimati in beneficium concessum, atque Ensionensem cellam repetituri. Utrumque annuit princeps, qui, rogante Landrico ipso, regium præceptum pro Branziaci restitutione Vertavensibus concessit, scriptisque litteris Pictavensi comiti mandavit, ut Ensionense monasterium eis reddi curaret, pulsis inde canonicis, qui monasticum habitum induere nollent. Jussis paruere canonici, receptaque antiqua possessione Vertavenses corpus sancti Martini patroni sui in ecclesia sancti Petri IV. nonas Decembris deposuere.

Varia in his itineribus patrata miracula narrat Siguinus archidiaconus, qui hæc in litteras retulisse perhibetur. Unum est de Bodilone Vertavensium advocato & comite, qui in reditu e Pippini palatio a latronibus sauciatus, sancti Martini meritis sanatus est. Alterum de quodam Sicbranno, qui ad conversionem istuc veniens, octingentos fratribus solidos dedit, ducentos clam sibi reservavit. Is religiose, ut videbatur, ibidem aliquanto tempore conversatus, morbo extremo correptus, biduo fere exanimis jacuit. Cum in sepulcrum jam efferendus esset, vivus subito apparuit, seque sanctorum Martini & Jovini patrocinio ad vitam rediisse dixit, ut de subtractis nummis pœnitentiam ageret. His dictis, statim convaluisse fertur, diuque vitam admodum religiosam duxisse. Idem uxorem suam eo adduxerat, & sanctimonialis habitum induere suaserat: quam moriens sacramento constrinxit, ne ab eodem loco umquam recederet, nec de quinquaginta solidis, quos a fratribus ipsius rogatu acceperat, quidquam sanctis detraheret. quod sacramentum illa filiæ suæ gratia violare cogitans, cæcitate multata dicitur. Processu temporis, exuberante rerum copia, Vertavenses monasticam vestem sæculari canonicorum habitu commutarunt: ex quibus cum duodecim facti pænituisset, attamen quatuor tantum ex illis resipuere, qui prioris vitæ sanctius propositum denuo professi sunt. Superest ad hoc tempus Ensionense sancti Jovini monasterium, cui modo vice versa Vertavensis præpositura subjecta est, quæ, olim abbatia, Ensionensem sub se cellam habebat.

LXX. Doverensis monasterii initia.

Tam diræ, quas retulimus, Nortmannorum procellæ Rodulfum Bituricensem archiepiscopum haud prohibere potuerunt a condendo apud Doverum * monasterio, cujus exordium hoc anno ponitur in brevi chronico Virzionensi apud Labbeum. Ad novi monasterii dotationem quædam ecclesiæ suæ prædia Rodulfus assignavit,

* Devre.

ANN. CHR. 843.

gnavit, Carolo rege approbante. Hujus rei præceptum a nobis in ipsius Rodulfi elogio vulgatum est, in quo Aimericus laudatur, novæ hujus congregationis abbas, quam rex sub suam tuitionem accepit. Post annos decem Centulfus quidam, vir præpotens, *sacr sanctæ basilicæ sancti Petri Doverensis monasterii, quæ est constructa in honore apostolorum principis Petri, & intemeratæ virginis Mariæ, ubi etiam sanctorum Optati confessoris & Felicitatis martyris corpora quiescunt, ubi etiam Asinarius abbas præesse dignoscitur*, donat res suas, sitas *in pago Santonico*, in duabus vicariis, Braldunensi & Chrispensi. Litteræ datæ sunt mense Februario, anno tertiodecimo Caroli regis. Utramque donationem, Rodulfi scilicet atque Centulfi, confirmavit Ludovicus rex, cognomento Balbus, rogatu Asinarii abbatis, qui Aimerico successerat. Ad extremum, cum abbatia Doverensis quorumdam accolarum infestatione pæne ad nihilum redacta esset; eam in tutiorem locum, scilicet in proximum castellum Virzionem, quibusdam canonicis ecclesiæ Bituricensis transferre visum est initio sæculi insequentis. Tertium hoc est monasterium, quod Rodulfus intra triennium ædificavit. De duobus aliis superius diximus, Veterinensi scilicet ac Bellilocensi.

Saraciacensis item parthenonis.

Quartum Aiga seu Aigua ejus parens cum ipso struxit in pago Cadurcino, prope castrum Cabiliacum, in villa Sarasiaco, ad ecclesiam sancti Genesii, ubi Rodolfus comes Aigæ conjux & Rodulfi genitor, qui hoc anno decessisse traditur, corpus suum sepeliendum curavit. Hæc discimus ex primariis litteris ejus parthenonis, cui Immenana, Rodulfi soror, abbatissa præfecta est. Hoc vero puellare cœnobium condidit Aiga, consentientibus filiis suis, Rodulfo archiepiscopo, Godafredo comite, Roberto, Landrico & Johanne, *ad sanctum sacrificium offerendum* pro anima Rodulfi comitis. *Facta cessio ista in mense Februario, in anno primo obitus bonæ memoriæ Rodulfi jam dicti, & anno tertio, quo assumpsit imperium dominus Lotharius rex propitius.* His litteris subscribunt Frotarius, Aigana seu Aiga, Godafredus, Landricus, Robertus, Emilius & Aunarius.

LXXI. Germiniacensis conventus.

Sancito cum fratribus fœdere, Carolus generalem regni sui episcoporum ac procerum conventum in villam Aurelianensis pagi, Germiniacum vocabulo, indixit, ut, quæ per illas tempestates vitia in singulis ordinibus succreverant, resecarentur. Istuc accessit venerabilis Heriricus abbas monasterii Corbionensis in pago Dorcassino *, eo translatus ad locum reformandum e cœnobio Miciacensi; petiitque a patribus ejus synodi privilegium pro suo monasterio, & obtinuit, acceptis synodalibus litteris, quas hoc loco referre juvat.

* de Dreux.

Anno incarnationis Domini octingentesimo quadragesimo-tertio, indictione septima, regnante per provincias Galliæ piissimo ac mitissimo rege Karolo, filio quondam Ludovici augusti, pace jam & divisione regni cum fratribus suis, Lothario videlicet imperatore & Ludovico regibus, miserante Domino, celebrata; factus erat conventus populorum, qui sub ejus regno erant, per regiam evocationem in territorio Aurelianensi, in loco, qui Germiniacus dicitur: ubi etiam nos, qui superna largiente clementia, etsi indigni, episcopi dicimur, convenimus: ut scilicet per sacrorum antistitum maxime consilium, qui de diversis regni ejus partibus aderant, ea, quæ in quibuslibet ordinibus ecclesiæ minus utiliter constare videbantur ob incuriam negligentium, aut propter civilis belli transacti violentiam, juvante Christo, in melius reformare satageret; & illa, quæ hactenus bene constiterant, regali providentia honorificentius amplecteretur, & firmius roborari studeret. Dum ergo talibus invigilat præfati regis nobilitas, & sancti genitoris sui studia diligit, pietatis quoque illius opera perseverare desiderat; jussimus communi tractatu perquirere, qualiter omnis ordo ecclesiasticus congrue & decenter administraretur. Hoc igitur dum perficere optaremus, inter cetera visum est nobis ad ejus ordinis recuperationem atque sublimationem, qui apostolicæ perfectioni melius congruit, hoc est monachorum, qui relictis omnibus Christum sequuntur, sacratissimi gregis curam specialius inflectere. Congruebat enim, ut quos propter curam gregis dominici sibimet commissam de spiritualibus damnis fidelium necesse est contristari, de præfati etiam ordinis correctione atque exaltatione lætificari cuperemus. In pluribus enim locis regni ejus prædicti ordinis fervor tepuerat: violentia quoque temporum in eodem, ut in cunctis ordinibus, plurimum vires infregerat: quia bona, quæ a quietis cum labore providentur & conservantur, per inquietudinis assiduum impedimentum solent minui, vel penitus aboleri. Itaque placuit nobis ei cura pastoralis obsequium impendere: ut eos, quos

Ordinis monastici elogium & status.

ANN. CHR. 843.

Privilegium Corbioni concessum.

in monastica sanctitatis vigore bene perdurantes agnoveramus, amplius diligamus, atque in cunctis necessitatibus eis libenter opem ferre procuremus: ut per illorum exaltationem, sanctitatis eorum exempla magis clarescerent ac dilatarentur. Unde suggessimus jam dicto religiosissimo principi, ut monasterio cuidam, sito in pago Dercassino, in loco, qui Corbion dicitur, ubi corpus beatissimi confessoris Launomari cum debita veneratione quiescit humatum, ubi etiam venerabilis abbas Herricus præsidet, privilegium quoddam de rebus necessariis concedere dignaretur secundum regalem magnificentiam, atque nobis assensum præberet, ut nostra singuli subscriptione roboraremus; non aliquid novum agentes, sed, quod ab antiquis & sanctis patribus factum agnoveramus, iterantes. Ipsum autem cœnobium tempore Theoderici regis constructum fuerat: sed per malorum hominum tergiversationem & monasticus ordo, qui antiquitus ibi fuerat, jam ex omni parte defecerat, & ædificiis ordini memorato congruentibus ita locus ipse carebat, ut totum monasterium a fundamentis rursum construi necesse fuisset. Iterum ergo funditus illud construxerunt venerabiles viri, evocati a domno HLudovico imperatore ex cœnobio sancti Maximini, quod est in pago Aurelianensi super fluvium Ligeris. Idem vero augustus prædictum abbatem cum sua congregatione fidelissimum sibi attendens in variis rerum motibus, prout ejus ordini competebat, sciens apud ipsos in cœnobio sancti Launomari venerabiliter vigere monastici ordinis normam; prædictum cœnobium dilexerat plurimum, gaudens ad salutem suam proficere, quod eumdem locum cœnobitarum congregationi aptissimum fuerat, & possessionibus necessariis ampliaverat, & a cunctis regalibus servitiis & publicis vectigalibus immunem fecerat, & licentiam eis quemdam eligendi & habendi semper ex se ipsis abbatem concesserat. Itaque Deo amabilis supra dictus princeps Karolus nobis assensum præbuit, ut hujusmodi privilegium propria singuli subscriptione roboraremus: quatenus ea, quæ beatæ recordationis genitor suus ei concesserat, & imperiali signaculo roboraverat, quæque ipse patris sui vestigia subsequens, in paterni regni divisione potestatem adeptus, prærogaverat, ac regali sigillo signaverat, in perpetuum conservata permaneant: adjungens etiam, ut specialius Dei suosque fideles, præsentes pariterque futuros obtestaremur, ut possessiones, quas juste nunc possident, aut in futurum ex donatione Christi fidelium perceperint, ad solum Dei servitium teneant, & abbatem jugiter ex se ipsis habeant secundum regulam sancti Benedicti: id est, ut talis, si fieri potest, ex iis, qui adsunt inter illos, ab omnibus concorditer eligatur, qui sit idoneus ad illud officium peragendum. In ipsa vero electione, si diversa senserint, ejus partis sententia, quamvis minoris, eligatur, quæ saniori consilio meliorem providerit; & cetera fiant, ut ibi continetur. Igitur nos, licet indigni, tamen sacratum atque venerandum pontificatus gerentes officium, ea, quæ imperator piissimus HLudovicus, atque filius ejus precellentissimus rex Karolus supra memorato sancti Launomari cœnobio, impulsi amore divino, pie atque rationabiliter contulerunt ad suam suorumque salutem, in venturis generationibus stabilia semper atque inconcussa perseverare, voluntatem Dei considerantes, denomine & propria singuli subscriptione roboramus. Si quis ergo, quod absit, hujus privilegii destructor, aut in ejus destructionem fraudulentus machinator in posterum emerserit, salutem propriam negligens, aliorumque salutem persequens; secundum potestatem ligandi atque solvendi nobis per voluntatem Christi traditam, æternum cum vinculo perpetuæ damnationis extra beatorum requiem alligamus, cum omnibus, qui in hac nequitia eis consentiunt, nisi hoc correxerint: qui, quod ad salutem multarum animarum provisum est, impie non timet infringere. Placuit etiam domno regi, rectumque nobis videtur, atque obsecramus coepiscopos nostros, qui modo præsentes adesse non possunt; sed & religiosos abbates, dum nostræ constitutionis paginam legerint, unam nobiscum ineant voluntatem ac subscriptionis sententiam.

His litteris subscribunt octo metropolitani, episcopi triginta, & decem abbates: ex quibus Hincmarus Remorum archiepiscopus, non ante annum sequentem electus, nomen suum post synodum apposuit. Idem censendum, ne quid de absentibus dicam, de Hildebrando Sagiensi episcopo, cujus decessor Saxobodus synodali decreto subscripsit. Quippe Corbionenses non modo absentibus, quod synodi patres optaverant, sed etiam futuris aliquot episcopis has litteras subscribendas obtulerunt. quod multis aliis exemplis fieri solitum alias docuimus. Abbates his litteris subscripti sunt *Hugo abbas Domini Jesu-Christi servus*, Sithiensis scilicet ac Quintinianus, Caroli regis patruus; *Adalardus abbas Turonensis* sancti Martini; *Ratbodo humilis abbas*, seu Ribbodo abbas Centulensis; *Ludovicus abbas* Dionysianus; *Fulco abba*

Abbates hujus synodi.

ANN. CHR. 843.

Remigianus, & Remensis ecclesiæ procurator, cui paullo post defuncto Notho successit; *Bernardus abbas sancti Johannis* Reomaënsis, *Ermenfridus abbas* incerti loci; *Theodericus abbas Gemeticensis*; *Dodo abbas* sancti Savini apud Pictones; *Unfredus abbas*, *Gregorius abbas*, ambo incogniti; *& Lupus abbas* Ferrariensis. De Hugone abbate Sithiensi scriptum legimus, eum hoc anno, tametsi bene affectum in Sithienses, corpus sancti Audomari episcopi in sancti Quintini basilicam, cujus & abbas erat, conspirante monacho beatæ Mariæ æditiio, Moro nomine, transferre voluisse; sed jam longius cum sacro thesauro progressum, impeditum fuisse a Folquino Morinorum episcopo, qui sanctum corpus retulerit, & juxta sancti Bertini sepulcrum, non jam in basilica sanctæ Mariæ, sed in basilica sancti Petri sub terram recondiderit.

LXXII. Caroli regis diploma pro Corbionensibus.

Mensem, diemve habiti conventus non exprimunt vulgatæ [a] a nobis litteræ: sed utrumque colligimus ex præcepto [b] Caroli regis, qui superius privilegium paullo post confirmavit pridie idus Octobris, anno regni sui quarto, indictione septima, a kalendis Septembris inchoata. In hoc præcepto Carolus eadem commemorat, quæ in præmissis litteris habentur, nempe, quod bonæ memoriæ genitor ipsius serenissimus augustus Ludovicus Herìricum venerabilem abbatem & cœtum monachorum, cui ipse præerat, transtulerit a loco Miciacensi ad locum, qui dicitur Corbionis, situm in pago Dorcassino, in diœcesi Carnotensi, super fluvium Firnmam, ubi olim monastica norma floruit, sed rectorum studiis ordo pariter & status deperiit. quem locum cum ingressi essent Miciacenses, adjuvante Ludovico augusto, monasterium denuo a fundamentis construxerunt in honorem sancti Martini pontificis, antiquioris patroni. cui loco privilegium, ab episcopis concessum, ratum habet Karolus, res omnes eidem monasterio collatas a quibusvis exactionibus eximens, ac liberam abbatis electionem confirmans. *Actum Carisiaco villa sancti Salvatoris* pridie idus Octobris, indictione septima, anno quarto regnante Karolo gloriosissimo rege. Apponitur *signum Karoli gloriosissimi regis*; & post illud, *Hoc præceptum fratris mei Karoli ego Ludovicus rex subscripsi.* quod Jonas notarius ad vicem Ludovici recognovit. Ex alio ejusdem Caroli diplomare discimus Ludovicum augustum Corbionensibus Buxiacum, Cenomannici pagi cellulam, contulisse, ipsumque Carolum ibidem *cellulam, quæ dicitur Istari, in honore sancti Michaëlis constructam, sitam in pago Degasino super fluvium Arna* (is fluvius est apud Cenomannos) *pro aliis rebus jam ab ipso concessis, cum consensu Heririci abbatis ejusque congregationis*, impertiisse, VIII. idus Martii, anno regni ejus tertio, indictione quinta. De Arna fluvio pagi Cenomannici mentio est apud Ordericum [c] in libro septimo, ubi castrum sanctæ Susannæ ad Arnam fluvium locatur, in finibus Cenomannorum & Andecavorum.

a Sac. 4. parte 2. p. 249.
b ibid. p. 252.
c Orderic. p. 648.

Heriricus abbas Miciacensis & Corbionensis.

Hic est Heriricus abbas Miciacensis, qui corpus sancti Maximini, primi ejus loci abbatis, favente Ludovico imperatore, a Jona episcopo recepit, & a loco, in quo a Sigoberto antistite quondam depositum fuerat, ad suum monasterium transtulit una cum ossibus duorum ejus discipulorum, Theodemiri scilicet atque Maximini junioris. De eo id memoriæ proditum est a Letaldo monacho, quod cum in Corbionensi monasterio morbo extremo decumberet, a fratre quodam sibi familiari persicas sibi perquiri petierit. quod cum fratri illi permirum videretur & intempestivum, quippe dies epiphaniorum erant, ejusmodi fructibus haud opportuni; eum post cryptam monasterii ire jussit abbas, atque afferre ex arbore quod invenisset. Ivit ille non spe inveniendi, sed jubentis importunitate victus; at præter spem in designata arbore tres miræ speciei persicas, quarum similes arbor illa numquam protulerat, invenit, attulitque ægrotanti. quas cum hic prægustasset, actis Deo gratiis, lætus animam bonorum omnium auctori reddidit. Id Letaldus veraci seniorum relatu se accepisse testatur. Ex quo intelligimus, Heriricum diebus epiphaniorum in monasterio Corbionensi decessisse: cui Frodoïnus abbas successit, ut postea videbimus.

LXXIII. Caroli præceptum pro Majori-monasterio.

Sub finem hujus anni Carolus iterum Turonos accessit: ubi præceptum regiæ tutelæ Majori-monasterio indulsit, rogatu viri venerabilis Rainaldi abbatis, qui Theodoni successerat. Is regi obtulit auctoritates immunitatis gloriosurum augustorum, id est gloriosæ memoriæ avi ejus Caroli, beatæque recordationis genitoris ejus Ludovici, quibus prædictum monasterium sub plenissima tuitione & immuni-

ANN. CHR. 843.

tate susceperant. quod Rainaldus a Carolo confirmari postulavit. Insuper eumdem rogavit, ut *quisquis ex fratribus ejusdem congregationis de colonis aut servis, sancto Martino olim attributis, aliquem nutrierit aut docuerit, ex quacumque sit villa aut beneficio, a nemine inde subtrahatur: sed cujus fuerit alumnus, habeat licentiam, si dignus fuerit, ad sacerdotale onus provehere sine aliqua alicujus insultatione. Et hoc ob id postulavit, quia quam plurimi ex ipsis fratribus ex villis sancti Martini erant diversis, etiamsi in officinis eorum aliquem habuerint servientem, cujuscumque sit conditionis, tantum ut de potestate sit sancti Martini, a neminę invadatur, neque subtrahatur.* Rainaldi utramque petitionem Carolus ratam habuit. *Data* IIII. *kalendas Januarii, indictione* VI. *anno quarto regni Karoli gloriosissimi regis. Actum Turonis in monasterio sancti Martini.* Æneas notarius ad vicem HLudovici diploma recognovit. Exciderunt præcepta Caroli & Ludovici augustorum in superiori laudata, uti & pleraque documenta Majoris-monasterii ante id tempus edita. quod in causa fuit, ne sæpius, ut par erat, de tam illustri monasterio ageremus. Ludovici diploma forte concessum est Theodoni abbati Rainaldi decessori. Post primos sacri ejus loci abbates, multi ab Johanne monacho absque die & consule, absque ullis gestis conglobatim recensentur, omittunturque non pauci. Ex his est Theodo seu Theoto abbas, de quo superius [a] egimus, cæsus in prœlio, quod inter Matfridum & Lantbertum comites ante annos fere octo commissum est. Eo abbate, Rorigo comes Lambertum, virum religiosæ vitæ, atque Ebbonem ex Majori-monasterio evocavit ad instaurandam in Glannafoliensi asceterio monasticam disciplinam. Theodonem excepit Rainaldus mox laudatus, Viviani comitis frater, ut superius vidimus ex litteris ipsius Viviani pro congregatione Herensi. Rainaldo successit, aut certe accessit Vivianus frater, idemque monasterii sancti Martini abbas, qui oratorium beatæ Mariæ ad portam majoris basilicæ instauravit. Post Vivianum, eodem anno legitur charta Raginoldi abbatis, non alius haud dubie a Rainaldo abbate, sive is amotus fuerit, statimque restitutus a Carolo rege, qui ejusmodi mutationes pro suo arbitrio sæpe faciebat: sive secundi abbatis locum tenuerit sub Viviano, primario forte abbate. Non liquet quis hanc abbatiam post eos tenuerit ad annum ejus sæculi sexagesimum-quintum, quo Carolus eam Ludovico filio suo cum Andecavensi comitatu & quibusdam villis dedit. In libro de translatione corporis sancti Martini in Burgundiam, auctore sancto Odone abbate, memoratur inter comites sacri corporis Herbernus abbas Majoris-monasterii, qui Ludovico præmittendus, si Odo temporis calculos recte subduxit. Quamquam is tantum ejusdem loci custos ac proabbas fuisse videtur, ut postea dicemus. His adjungendus Bacdulus clericus palatinus, abbas Majoris-monasterii dictus in quodam fragmento [c] de instauratione cœnobii sancti Savini martyris apud Pictones, de cujus reliquiis Bacdulus inquisiisse traditur.

Abbates ejus loci.

a lib. 31. num. 2.

b lib. 33. num. 23.

c Sæc. 3. Bened. parte 2. p. 539.

LXXIV. Degebat eo tempore Lotharius imperator in Gundulfi-villa *, palatio regio prope Tullum-Leucorum, cum ad eum accessit Almaricus, Comensis urbis vocatus episcopus, simulque abbas monasterii Bobiensis, Lothario exhibens præceptum immunitatis ac defensionis regiæ, eidem sacro loco a recolendæ memoriæ genitore suo Ludovico augusto concessum, quod, Lothario confirmari supplex petebat. Exauditæ supplicantis preces, indultumque pragmaticum, ut Bobienses eadem in posterum immunitate gauderent; ad hæc, ut, si quid ingenui vel servi monasterii deliquissent, nihil ab eis fiscus exigat; sed totum cedat ad ipsius ecclesiæ emolumentum; denique confirmatæ monasterii possessiones omnes, cum silva Montis-longi, suisque appendicibus. Actum Gundulfi-villa, palatio regio, pridie kalendas Septembris, anno imperii Lotharii in Italia vicesimo-quarto, in Francia quarto. quod pragmaticum integrum apud Ughellum [d] & Cointium reperies. Forte Almaricus episcopus venerabili Walæ abbati subrogatus fuerat in regimine monasterii Bobiensis, & ipse Gallus, uti & duo ejus successores. Perideus ejusdem decessor monasterium exstruxisse dicitur, & ecclesiam cognomento Veterem, eamque Christo in cælum ascendenti dicasse.

Lotharii præceptum pro Bobio.

* Gondreville.

d Ital. Sac. to. 4. c. 252.

LXXV. Florebat per id temporis in novo Brixiensi monasterio regularis disciplina, a Ramperto episcopo illic instituta per Leutgarium abbatem & Hildemarum [e] monachum sub Maginardo abbate, cum idem Rampertus reliquias beatorum martyrum Faustini & Jovitæ in decentiorem locum transtulit. De hac translatione mentio fit in mar-

SS. Faustini & Jovitæ translatio.

e Supra n. 19.

tyrologio Tolonensi, nunc bibliothecæ Ottobonianæ, in hæc verba: VII. *idus Maii translatio beatorum martyrum Faustini & Jovita in civitate Brixia, facta a domno Ramperto episcopo ejusdem civitatis anno incarnationis Domini nostri Jesu-Christi octingentesimo quadragesimo-tertio, indictione sexta.* In eodem martyrologio ad decimum-septimum kalendas Decembris fit commemoratio sancti Antigii confessoris, qui primo sepultus in territorio Magnimontensi diœcesis Lingonensis, postea inde translatus in Caiciacum villam, ac reconditus in ecclesia sanctæ Mariæ & sancti Martini; demum post non multos annos ob metum Nortmannorum ab eodem sancto sacerdote delatus dicitur in Italiam, atque in Brixiensi monasterio sanctorum Faustini & Jovitæ repositus, quod ipse venerabilis abbas Haimo per annos octo, menses quatuor, dies viginti-tres honorifice rexisse memoratur. ANN. CHR. 843.

LXXVI. Casinensis thesaurus expilatus.

Bassacii abbatis Casinensis annus jam septimus volvebatur, cum Siconolfus Beneventanus princeps, cum pecunia ipsi, unde promissa Sarracenis stipendia penderet, non suppeteret, Casinas monasterium adiit, ac universum fere thesaurum, quo a Carolomanno, Pippino, Carolo Magno ac Ludovico, aliisque regibus ac principibus donatum fuerat, mutui nomine abstulit, id est in calicibus, patenis, coronis, crucibus, aliisque vasis sacris, auri libras centum ac triginta; in argentea supellectile trecentas sexaginta-quinque. Item alia vice quingentas, præter alia multa, a Leone Marsicano [a] recensita; ne quidem parcens coronæ aureæ, quam pater ipsius Sico sancto Benedicto donaverat. quæ omnia sacrilego illi nequaquam profuerunt, immo res ejus in deteriora lapsæ.

[a] Chron. Casin. lib. I. c. 26.





ANN. CHR. 844.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER TRICESIMUS-TERTIUS.

Ab anno Christi 844. *ad annum* 849.

I. Gregorii IV. obitus & successor Sergius II.



NITIO anni quadragesimi-quarti accidit Gregorii papæ obitus, quem Baronius anno superiore perperam collocavit. Mortuus est autem VIII. kalendas Februarias, ut recte computavit Sigonius, atque ei IV. idus ejusdem mensis Sergius secundus a elero & optimatibus est suffectus, non exspectato Lotharii augusti consensu. Præcipitem ejus ordinationem causatus est imperator, atque ob eam causam filium " suum Ludovicum Romam cum Drogone Mediomatricum episcopo direxit, acturos, " ne deinceps decedente apostolico quisquam illic præter sui jussionem, missorum- " que suorum præsentiam ordinaretur antistes, ut legitur in annalibus Bertinianis. Hos si legisset Baronius, mitius fortasse egisset cum Sigeberto, scribente, Ludovicum a Lothario missum Romam, ad confirmandam electionem Sergii papæ. Sed de his alibi [a] à nobis actum. Inter varia Gregorii quarti opera censetur instauratio basilicæ sanctæ Mariæ trans Tiberim, quæ more veterum sancti Callisti dicebatur: cui basilieæ monasterium adjunxit, in eoque *monachos-canonicos*, qui scilicet ad canonum & regulæ præscriptum districte viverent, ibique divinum officium persolverent, instituit. *nam & qui vocantur monachi*, ait Christianus Drutmarus [b] in Matthæum, *quia sub regula degunt, regulares dicuntur, hoc est canonici greco nomine*. Itaque ubi ante nulla erat cultura divinorum officiorum, deinceps eximia visa sunt monachorum hàbitacula; & locus vepribus sordibusque prius conspurcatus, exinde cellulis servorum Dei cohabitantium insignis evasit. Eidem Gregorio passim tribuitur festi omnium sanctorum institutio, quam Gregorio tertio potius tribuendam esse probat authenticum Usuardi exemplar, & Menardus noster in notis ad librum Sacramentorum. Ludovicus, Lotharii filius, a patre dictus rex Langobardorum, a Sergio pontifice regia insignia accepit. an etiam coronatus imperator, lis est inter recentiores. Anastasius negantem sententiam probat. Drogoni episcopo vicariatus per totam Galliam & Germaniam a Sergio pontifice concessus, sed id effectu caruit.

a *Musei Ital.* to 2. *comment. in Ord. Rom.* p. CXIV.

Monachi canonici in S. Mariæ trans Tiberim.

b *Christian. cap.* 43.

II. Rabanus li-

Gregorii morte necdum comperta, Rabanus librum suum de Cruce, quem ante

annos fere quadraginta operoso artificioso composuerat, Romam per Asrichum & Ruodpertum Fuldenses monachos ad Gregorium misit, qui liber Sergio ejus successori oblatus fuit. Id ipse testatur sequentibus versibus, in quibus ait, se eumdem librum Ludovico quoque imperatori obtulisse. Hi versus inscripti sunt *Dilectissimis in Christo fratribus in cœnobio sancti Dionysii martyris constitutis*, quibus etiam hunc ipsum librum dono misit cum his versibus.

ANN. CHR. 844.

bros de cruce ad papam mittit.

Martyribus sanctis placuit mihi mittere donum,
Tempore quod prisco versibus edideram.
Nam crucis ad laudem Christi prosaque, metroque
Confeci librum mente, manuque simul.
Quem post augusto HLudovico offerre placebat:
Sedi & apostolica mittere post libuit.
Quod verba & sensum facundia rite probaret
Urbis Romanæ dogma & apostolicum.
Et quia cum sociis sanctus Dionysius olim
Inde est huc missus, ipsum opus ei dederam.
Quod, fratres sancti, accipiatis posco libenter
Pro artifice ac vili fundite quæso preces.

His in libris Rabanus imitatus est Publilii Optatiani Porphyrii panegyricum, Constantino augusto dicatum, quod Marcus Velserus e manu-scripto cudice Pauli Velseri vulgavit. Hujus Publilii meminit Rabanus in prologo de laudibus sanctæ Crucis. Meminit & venerabilis Beda in libro de arte metrica, ubi Porphyrium non recte paganum fuisse ait. Nemo ante Porphyrium ejus generis carmen adinvenerat, *patientiæ miserrimæ* opus, ut loquitur Velserus: nemo eum imitatus fuerat ante Rabanum in libru de Cruce. Non fuit tantus Porphyrii labor sine fructu, quippe qui ob id meruit revocari ab exsilio: at quid inde Rabano provenerit, non liquet. Ceterum de ejusmodi scriptis idem Velserus censet, quod *nulla crux umquam conferenda sit cum hac cruce*; & quod præsens & certa pestis sit talia imitari velle.

III. Lotharii diplomata pro S. Gregorio, & Farf.

Interim Lotharius augustus Aquisgrani residebat, uti nos docent diplomata ejus duo: unum pro monasterio, *quod dicitur Confluentis*, in montibus Alsaticis, constructo in honore sancti Gregorii & sanctæ Mariæ, cui venerabilis Berchtaldus abbas tum præerat, quo locus ille eximitur ab omni teloneo de ejus *patella*, quæ est *in Mediano vico & in Marsallo*. Actum Aquisgrani XIV. kalendas Maias, anno imperii Lotharii quarto. Alterum est pro Farfensi monasterio, cui Lotharius liberam eligendi abbatis facultatem, quam post Sichardi abbatis obitum amisisse videbatur, restituit rogatu Petri episcopi Spoletani, cui hæc abbatia commissa fuerat. Id factum videtur superstite adhuc Sichardo, qui obiit XIV. kalendas Septembris, *sanctus* appellatus in chartario monasterii; cui annos quatuordecim, menses sex, diesque decem præfuisse dicitur. Lothariani diplomatis hæc summa est. Petrus, Spoletanæ urbis episcopus, imperatoris præsentiam adiit, ut monasterium, sibi *dudum* ab ipso Lothario commissum, cui *Sabinis* vocabulum est, in loco Acutiano constructum in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, ad pristinum statum revocaret, videlicet ut Hilderico, a fratribus ipsius cœnobii electo, ejus regimen concederetur. Annuit princeps, eoque mortuo fratribus tribuit potestatem eligendi abbatis, *qui secundum voluntatem Dei ac instituta sanctorum Patrum*, quo nomine sine dubio sancti Benedicti regulam intelligit, *eamdem congregationem prudenter regere atque ordinare valeat*. Data VII. kalendas Junii, anno imperii domini Lotharii piissimi augusti in Italia vicesimo-tertio, & in Francia quarto, indictione septima. Actum Aquisgrani palatio regio. Toto Hilderici abbatis præsulatu, qui quartus-decimus a restitutione monasterii abbas fuit, de eo nihil occurrit consideratione dignum, nisi quod magnam rei familiaris curam habuit, sollicite providens, ut prædia ruralia excolerentur a servis monasterii, quorum nonnulli inter alios census persolvebant quotannis aliquot pullos ad nativitatem Domini, ad pascha, & ad festivitatem sanctæ Mariæ in Augusto: ex quibus duæ tantum priores sollemnitates in synodo Aquisgranensi notantur inter illa festa, in quibus volatilia edere monachis licebat. Non fuit gratuita Petri episcopi abdicatio, qui quasdam monasterii possef-

ANN. CHR. 844.

ſiones, concedente Hilderico abbate, in poteſtate ſua ad vitam retinuit, in his cellam ſancti Marci, cellam ſanctæ Felicitatis, cum rebus Theophani comitis Spoleti ſitis. Ex his corrigendus calculus Farfenſis chronographi, qui præfecturam Hilderici ad triennium differt.

IV. Caroli varia præcepta, Toloſæ data.

Dum hæc a Lothario geruntur, Carolus Toloſam urbem obſidebat, quam Bernardus, marcæ Hiſpanicæ præfectus, ille quondam camerarius Ludovici augusti, tot malorum cauſa vel occaſio, ad defectionem pertraxerat. Obſidionis tempore Carolus verſabatur in ſuburbano monaſterio ſancti Saturnini, ubi varia præcepta edidit. In primis regiæ defenſionis litteras cum libera eligendi abbatis facultate obtinuit religioſus vir Domnulus abbas ex monaſterio ſancti Petri, quod ipſe in pago Biſuldunenſi cum Ramponis marchionis conſenſu propriis manibus exſtruxerat. (Domnulus abbas Biſuldunenſis.) „ Actum in monaſterio ſancti Saturnini prope Toloſam v. idus Maii, indictione VII. „ anno quarto regnante Karolo glorioſo rege. Conſimile privilegium, Sunifredo abbati olim a Ludovico auguſto indultum, a Carolo confirmatum eſt monaſterio ſancti Laurentii *, quod ſitum eſt in pago Narbonenſi ſuper fluvium Nigellam, necnon cellis ejuſdem loci, nempe cellæ Caucanæ ſuper litus maris poſitæ, cellæ novæ ſanctæ Mariæ in pago Carcaſſenſi, aliiſque. Actum ibidem XIII. kalendas Junii, iiſdem anno & indictione. Poſt dies viginti, id eſt v. idus Junii, Geila abbas monaſterii ſanctæ Gratæ, poſiti ſuper fluvium Boſegiam, parem confirmationem ab eodem rege ibidem impetravit ſuo monaſterio, ac cellulæ ſancti Fructuoſi eidem ſubjectæ. (Geila S. Gratæ.) Idem impetratum a Berario archiepiſcopo Narbonenſi pro monaſterio ſancti Pauli epiſcopi ejus urbis primi, cujus corpus in illo monaſterio quieſcebat. Actum, ut ſupra, in cœnobio ſancti Saturnini juxta Toloſam XII. kalendas Julii. Poſt quinque dies idem ibidem privilegium impertitum Receſindo abbati monaſterii ſanctæ Mariæ apud Arulas. *Actum in monaſterio ſancti Saturnini, dum obſideretur Toloſa.* Eadem immunitas Caſtrenſi conceſſa monaſterio ad preces Adalberti abbatis, Adelmi ſucceſſoris, de quo hi verſus in chronico Caſtrenſi.

* Vulgo *S. Laurent. de Cabrereſſo v. lib. 61. n. 71.*

Dum Carolus valida premit obſidione Toloſam,
Caſtrenſem firmat regia charta domum.
In ſilvam Vauri ſtipatus milite multo
Hoſtiles Hugo provocat enſe acies.
Victor ovat, tranſitque vadum, populoſque ruinis
Implens, quas dederat, cogitur ipſe pati.

V. B. Mariæ de auratæ monaſterium.

Expugnata urbe, Samuel Toloſanus antiſtes Carolo exhibuit præceptum Ludovici auguſti, idque renovari petiit, quo eadem ſedes cum monaſterio ſanctæ Mariæ, ſito *infra muros civitatis*, id eſt intra-murano, nunc beatæ Mariæ Deauratæ vocato, & cum monaſterio ſancti Saturnini martyris extra muros poſito, ſub regia tutela poſita eſt. Antiquiſſima eſt apud Toloſam hæc ſanctæ Mariæ baſilica, cujus meminit Gregorius ᵃ epiſcopus Turonenſis: ſed quo tempore monachos habere cœperit, alias inquiremus. Hæc omnia diplomata a Cointio integra, pleraque ex Baluziana editione, relata ſunt. In eadem urbe Carolus edidit capitulare, in quo nihil in rem noſtram ſancitum. Bernardus comes, ſeditionis auctor, capitali ſententia punitus, duos filios, Willelmum & Bernardum, reliquit ex Dodana uxore, cujus manualem librum in appendice ad acta ſanctorum Sæculi quarti Benedictini olim edidimus, ab ipſa inchoatum *ſecundo anno obitus Ludovici quondam imperatoris, pridie kalendas Decembris*, ut in autographo, ex quo libri editi corrigendi, ut Baluzius monuit, in quibus legitur, *ſecundo anno Ludovici quondam mei fratris.* quod hoc loco viſum eſt obſervare, ne editorum error ſerpat in alios.

a *Greg. Tur. lib. 7. c. 10.*

VI. Abbates a Pippino cæſi.

Durante obſidione, Pippinus, filius Pippini Aquitaniæ quondam regis, ſubſidiariis ex Francia copiis ad Carolum properantibus in pago Ecoliſmenſi occurrens, ſic eas profligavit, ut, primoribus interfectis, ceteros in fugam converſos ceperit ac ſpoliarit. Cæſi ſunt in eo prœlio Hugo preſbyter & abbas Caroli patruus, Richbodo ſeu Ribbodo abbas Centulenſis, & ipſe conſobrinus regum, ſcilicet Caroli Magni ex filia nepos; capti vero Ebroïnus Pictavenſis, & Ragenarius Ambianorum epiſcopus, Lupus Ferrarienſis abbas, aliique. Hugoni in regimine Sithienſi ſucceſſit Adalardus, Richbodoni in Centulenſi Ludovicus Caroli regis patruus, & ipſe jam Dionyſianus abbas.

Reverſus

ANN CHR. 844.

VII. Lupus abbas spoliatus Marcwardo scribit.

Reversus domum ab hac infelici cladė Lupus abbas III. nonas Julii, litteras consolatorias accepit a Marcwardo Prumiensi abbate, qui recens ex Romano itinere reverterat. Testis hac de re Lupi epistola XCI. *In Aquitanica*, inquit, *congressione manifesta morte liberatus, post captivitatis molestias solutus utroque periculo, ingenti Dei gratia, cui maxime præsidebam, & sanctorum ejus, beneficio præterea cujusdam Turpionis ereptus, integra valetudine ad monasterium tertio nonas Julii remeavi: ubi, quod ultro sciebam, & fratrum meorum Hattonis & Rathari relatu, & litterarum vestrarum lectione certior factus sum, mea calamitate vos vehementer commoveri. Jamque mihi videre videor vos ingenti gaudio exsultare, cum me, quem dolebatis aut captivum, aut mortuum, accipiatis incolumem in monasterio residere.* Iisdem litteris Lupus amico gratulatur felicem reditum ex urbe Roma, unde reliquias sanctorum martyrum Chrysanthi & Dariæ, a Sergio pontifice acceptas, in suum monasterium retulerat. Huc spectant præmissæ epistolæ hæc verba. *Ego vicissim, fratresque omnes de vestra tam fructuosa reversione maxima lætitia gratulamur, & Domino Deo nostro gratias ingentes referimus, quod non solum vestram excellentiam nobis restituit, verum etiam vestro labore duplex patrocinium sanctorum providit. Pro vestra quidem incolumitate & regressione cottidie Deo supplicabamus: sanctorum autem perlationem voti continentes, vestris amabilibus Deo studiis, ut suspicaremur de vobis talia, facile adducebamur. Nunc Deum in commune laudamus, qui supra quam petere audebamus, largitus est. Illud unum ad cumulum gaudiorum restat, ut præsentiam vestram nobis exhibeatis.* Prædicto infortunio haud quaquam remissum est in Lupi animo studium litterarum. cujus rei argumentum præbet ipse in eadem epistola, qua Marcwardum rogat, ut *ad sanctum Bonifacium*, id est Fuldam, sollertem aliquem monachum dirigat, qui ab Hattone abbate *Suetonium Tranquillum de vita cæsarum*, qui in suis partibus nusquam inveniretur, ad exscribendum deposcat. nempe ad componendum librum, quem tum Lupus meditabatur, de gestis imperatorum, Carolo Calvo postea offerendum: de quo in epistola XCIII. ad ipsum Carolum ita scribit. *Imperatorum gesta, brevissime comprehensa, vestræ majestati offerenda curavi: ut facile in eis inspiciatis, quæ vobis vel imitanda sint, vel cavenda. Maxime autem Trajanum & Theodosium suggero contemplandos: quia ex eorum actibus multa utilissime poteritis ad imitandum assumere. Ita diutissime regnetis, ut semper Deus regnet in vobis.* Sub finem prioris illius epistolæ ait Lupus, se Prumiam mittere filium Guagonis, nepotem suum ac Marcwardi propinquum, & cum eo duos alios puerulos nobiles, *propter Germanicæ linguæ nanciscendam scientiam*. Forte de his pueris intelligenda est epistola LXX. ad eumdem Marcwardum, cui grati animi sensum testatum facit, quod linguæ suæ pueros Lupi fecisset participes, *cujus usum*, inquit, *hoc tempore pernecessarium nemo nisi nimis tardus ignorat.* Confer epistolam quinquagesimam-quintam ad eumdem.

Ejus liber de gestis imperatorum.

VIII. SS. Chrysanthi & Dariæ translatio Prumiam.

In superiori epistola XCI. luculentum, ut vidimus, testimonium præbet Lupus de translatione reliquiarum sanctorum martyrum Chrysanthi & Dariæ, ex urbe Roma in Prumiense monasterium hoc anno factam, ut libellus hac de re a nobis editus fidem facit. Hujus rei gratia Marcwardus Romanum iter aggressus est ineunte hoe anno, obtentis a Lothario imperatore litteris ad Gregorium papam, eo spectantibus, ut alicujus præclarissimi martyris corpus Marcwardo concederetur. Vix iter ingressus erat abbas, cum Gregorium mortuum accepit, ejusque lo[illegible] Sergium substitutum. Aliæ proinde ab imperatore petitæ litteræ & obtentæ ad novum pontificem: qui votis imperialibus incunctanter obsequens, primo per Marinum episcopum librum, sanctorum passiones continentem, Marcwardo misit, ex quo sanctorum Chrysanthi & Dariæ passionem transscriberet, quorum reliquias cum aliis eidem tradi jussit. His acceptis, Marcwardus reditum accelerat, & quinquagesimo die, quam ab Urbe gressum extulerat, in cellam sui juris, id est sancti Goaris, pervenit, ubi biduo commoratus est, dum Prumiæ omnia ad festivam sacrorum pignorum exceptionem pararentur. Allatæ Prumiam reliquiæ IV. nonas Julii, ibidemque in eo, quo delatæ fuerant, feretro ad dexteram altaris servatæ sunt ad undecimum kalendarum Novembrium, quousque scilicet eisdem monumentum condignum *in possessione sancti Salvatoris*, nempe *in cella, quæ Novum-monasterium vocatur*, pararetur. Omnibus demum dispositis, istuc sanctorum corpora VIII. kalendas Novembris, ipso die festo eorum, translata sunt *ab episcopo Theganberto, ad*

ANN. CHR. 844.

modum religiose, qui non alius videtur, quam Thegan chorepiscopus tunc Trevirensis. Ipso die Wandalbertus celebrat

Chrysanthum Dariamque, novo quos munere Christi
Roma nunc vectos tumulis Nova-cella veenstat,
Qua Rheni celsis succedunt aquora silvis.

Non ita se munificum præbuit Gregorius IV. in Otgarium archiepiscopum, cui corpus cujuspiam sancti ex urbe Roma postulanti respondit [a] pontifex, se quod mitteret non habere, *quoniam cuncta sanctorum corpora* prædecessores sui in varias ecclesias intulerant; petitque, ut ipsi spatium diligentius inquirendi præbeat ad complendam ejus petitionem. Ex quo intelligitur, necdum tunc moris fuisse, ut *baptizatorum*, quos vocant, sanctorum corpora a Romanis pontificibus concederentur.

[a] epist. 116. inter Bonifac.

IX. Centulensium aucta portio ab Ludovico abbate.

Ubi primum Ludovicus abbas Centulensis monasterii præfecturam iniit post Ribbodonem, de augenda monachorum portione cogitare cœpit: quibus præter possessiones jam ante assignatas, cellam, quæ Forestis vocatur, cum villis ad eam pertinentibus concessit, eo pacto, *ut duodecim canonicos in eadem cella monachi sub sua cura & ordinatione haberent.* qua de re Ludovicus præceptum a Carolo rege obtinuit, datum Compendio palatio regio, v. kalendas Octobris, anno regni ejus quinto, indictione VII. Idem Ludovicus Dionysiani monasterii abbas jam erat, brevi etiam futurus Fontanellæ, ubi congruam quoque monachis portionem assignavit.

Adalardus abbas Sithiensis.

Qui Hugoni abbati in abbatiali dignitate monasterii Sithiensis successit Adalardus, filius erat Hunroci comitis, Deo in monasterio sancti Petri sanctique Bertini oblatus a puero; sed postea sub Fridugiso abbate canonicus apud sanctum Audomarum factus; dein substitutus in locum Hugonis abbatis, quem in Aquitanico congressu cæsum fuisse superius diximus. Hic tertio præfecturæ suæ anno corpus sancti Bertini ob metum Nortmannorum secretiori loco recondidit XVII. kalendas Augusti, quo die ejus translationem celebrari curavit. Varia fuit hujus abbatis fortuna, qui post quindecim abhinc annos jussu Caroli dejectus, sed post biennium restiturus est.

X. Lupus urget restitutionem cellæ S. Judoci.

Alius fuit Adalhardus comes, cujus neptem [b] Ermentrudem Carolus uxorem duxit; idem haud dubie, cujus opera usus est Lupus non semel ad recuperandam cellam sancti Judoci, quam Carolus Odulfo comiti concesserat. Huc spectat Lupi epistola XCII. ad mox laudatum Ludovicum præstantissimum abbatem, hoc anno
» scripta, qua ei significat, Adalhardum sibi serio promisisse, quod, opportunitate se
» ultro ingerente, cellam sancti Judoci Ferrariensibus restituendam curaturus esset,
» & ne quis apud regem sibi aliquid nocere posset, provisurus. Cum autem Lupus
» ab Aquitania, Dei bonitate & clementia servatus, reversus esset, & a tantis cala-
» mitatibus, quas pro regis fidelitate passus fuerat, vellet aliquantulum requiescere;
» fama vulgata est, datum ejus monasterium Egilberto: cum quo se conferri, ne-
» dum ei præferri, indignum existimabat. De hoc Egilberto intelligenda sunt extrema verba superioris epistolæ ad Marcwardum, ubi ait Lupus se aliquantula pace frui: *nisi quod sæculares quidam*, inquit, *qui vellent nostrum invadere monasterium, nobis moliuntur insidias.* Plura hac de re inferius. Ejusdem Adalhardi favorem rursus prædicat idem abbas in alia [c] epistola ad Hugonem abbatem, Adalardi abbatis decessorem, quem obnixe rogat, ut Odulfi periculosam aviditatem prudenter compescat, sibique memoratam cellam restituat juxta edictum Ludovici augusti, filiique ejus Caroli, qui hanc restitutionem, Deo inspirante, & amplissimo viro Adalhardo cooperante, fieri præceperat. Ejus rei præceptum habetur in appendice ad Lupum,
» quo Carolus rogatu Lupi abbatis de hac cella, quam Odulfo comiti quadam neces-
» sitate tradiderat, id statuit, ut, cum aliud eidem comiti dederit, aut cum ipse obie-
» rit, mox ad potestatem Ferrariensis monasterii revertatur. Actum Turonis in
» monasterio sancti Martini VI. kalendas Januarii, id est sub finem anni superioris,
» anno quarto Karoli regis, indictione septima a Septembri inchoata. Jam triennium erat, quod Ferrariensis hæc cella subtracta fuerat, cum Lupus ad Carolum scripsit epistolam LXXI. quæ huc integra proferri meretur.

[b] Annal. Bertin. an. 842.

[c] Lup. epist. 88.

Praecellentissime domine mi rex, humiliter supplico, ut suggestionem tui devotissimi famuli digneris prudenter cognoscere, & clementer tractare. Religiosissimus imperator HLudovicus, vestra nobilitatis auctor, ad petitionem gloriosissima memoria Judith au-

guſtæ matris veſtra, cellam ſancti Judoci monaſterio Ferrarienſi contulit, & ſuum donum præcepto firmavit: ut & monachi abſque inopia in monaſterio Deo ſervirent, & in præfata cella hoſpitalitatem, juxta Dei timorem, peregrinis impenderent, atque pro utriuſque ſalute & proſperitate Dominum delectabiliter exorarent. Eorum eleemoſynam primo benigne conceſſiſtis, novo etiam præcepto firmaſtis: ſed poſtea ad perſuaſionem eorum, qui cum Dei offenſione non timent diteſcere, evacuata duplici eleemoſyna, votum ſæcularium de memorata cella implere coacti eſtis. Quam ob cauſam nunc Dei ſervi, qui pro vobis aſſidue orant, hoc triennio conſueta veſtimenta non accipiunt, & quæ ferre compelluntur, attrita, & pleraque reſarta ſunt. Leguminibus emtitiis ſuſtentantur, piſcium & caſei conſolationem rariſſime conſequuntur: famuli debita indumenta non accipiunt. quæ omnia nobis ex prædicta cella miniſtrabantur: in qua intermiſſam transmarinorum curam, aliorumque pauperum, & neglectam ſui culturam utinam vobis Deus non imputet. Me, præter communem neciſſitatem & ſingularem laborem, graviſſimus pudor onerat: quia id quod alii abbates ad ſtabilitatem religionis munificentia imperiali conſecuti ſunt, ego, quaſi omnium viliſſimus & inutiliſſimus, amiſi. tamen ſpem gerens recuperandi meo ſervitio, quod nulla in vos culpa, Deus teſtis eſt, perdidi, maxime cum veſtram promiſſionem inde teneam, quam fallere nefas eſt, imploro quod juſte repoſcimus, ne ulterius differatis: ſed continuo vobis, nobiſque dignemini conſulere, ut & Deum faciatis vobis propitium, & nos ultimos famulos veſtros reddatis ad intercedendum pro vobis omni tempore promtiores.

ANN. CHR. 844.

Cella hæc a Normannus vaſtata.

Inter ea Normanni repentino ſub lucem adventu Quentovicum emporium invadunt, deprædationibus ac nece promiſcui ſexus adeo debacchati, ut nihil in eo præter ædificia pretio redemta reliquerint, ex chronico Fontanellenſi apud Cheſnium, quod annales Bertiniani male biennio prævertunt. Eamdem fortunam ſubiit proxima cella ſancti Judoci, ut colligitur ex Lupi epiſtola XLIII. ad Ludovicum abbatem, qua eum obſecrat pro ejuſdem cellæ reſtitutione, *in qua, præter ſolum, nihil pæne aliud jam relictum eſt.* quippe ait ſe eam nulla ſua culpa perdidiſſe, nec Ferrarienſi monaſterio eas eſſe facultates, ut ſine hac cella in eo durare poſſit religio. namque inde ceram eccleſiæ, fratribus & famulis veſtimenta, piſces, caſeum & legumina miniſtrari, quibus omnibus jam careant Ferrarienſes. Tum regem admoneri cupit ſui periculi, ut quantocius Deum placare curet, quem non timuit acerba oppreſſione offendere. *ſiquidem generalis*, inquit, *religioſorum aſſertio eſt, præter vindictam ultimam quæ impendeat, numquam eum felicitatis optatæ proſperitatem adepturum, donec redintegret eccleſiam, quam diviſit; & gravibus ac maturis bonorum, hoc eſt Deum timentium, conſiliis acquieſcat.* Eadem ſententia eſt epiſtolæ quinquageſimæ-tertiæ ad ipſum Carolum, qua Lupus ſupplex flagitat, ut Carolus ſe ipſe liberet periculo, ipſumque Lupum aſperrimo labore, hanc cellam reſtituendo, quam beatæ memoriæ pater ejus, intercedente glorioſa matre ejuſdem, peregrinis & Dei ſervis largitus eſt ob redemtionem animarum ſuarum. Hanc quippe iidem ſervi Dei, afflicti variis neceſſitatibus, *quatuor annorum ſpatio*, quia omnes adeſſe non poterant, per ipſum Lupum repoſcebant, dicentes injuſtum eſſe, ut ab ipſo fame torqueantur & frigore, cum aſſidue pro ejus temporali & perpetua ſalute cogantur orare; nec eum omnino conſecuturum felicitatem, quam cupiebat, *donec cum parvulo*, inquit, *noſtro ſancto Petro in gratiam amicitiæ redeatis.* Atque ut ne putaret eos jocari, ſerio confirmare ſenes ſuos, experimento ſe proprio comperiſſe, idque ſibi pueris a ſenibus eſſe traditum, quod quicumque monaſterio ſuo inſigne aliquod intulerit damnum, niſi cito reſipuerit, magnum incurrerit incommodum, aut ſanitatis & vitæ pertulerit diſpendium. Verum ad plures annos dilata eſt hæc reſtitutio, propterea quod Carolus ad eam faciendam verebatur cogere, nec valebat alio beneficio præmiari Odulfum comitem, quem ſibi, ſuiſque rebus in tam lubrico rerum ſtatu neceſſarium reputabat. Inciderat ille aliquando in gravem morbum, de quo Lupus in epiſtola LV. ad Marcwardum: *Is languere dicitur*, inquit, *nec tam perículoſe, ut vel admonitus corrigatur, nec tam graviter, ut moriatur. quod propter certiſſimam ejus damnationem dolebamus.* Nimius fortaſſe videar in his perſequendis: at tanti viri vel minima dicta, factave præterire pæne religio eſt.

XI. Lupi legatio in Burgundiã.

Optime nihilo minus affectus erat in Lupum rex Carolus, ut probat legatio ſive miſſio in Burgundiam, ei a rege hoc anno commiſſa, de qua Lupus in epiſtola LXIII. ad Pardulum, *cariſſimo ſuo Prudentio* inſcripta, cujus hæc verba ſunt. *Septimo idus*

ANN. CHR. 844.

Aprilis Heriboldus episcopus, scilicet Autisiodorensis, *paullo ante regressus a rege, mandavit mihi ex praecepto ejusdem regis, ut, quoniam se ipse legationis functione absolvisset, eamdem nos strenue ac celeriter exsequeremur, ut in conventu generali memoratus rex de singulis locis posset certior fieri.* quod intelligendum videtur de subsequenti conventu apud Theodonis-villam, aut de Vernensi. Jam præcesserat alia ejusdem Lupi legatio, de qua sic ille in eadem epistola. *Ut autem hinc meam sententiam vobis aperiam; supervacuum judico loca, quorum statum jam perspeximus, iterum adire, quando nulla sit correctio subsecuta: & in Aurelianensi ac Senonico, & vestro ac nostro pago, restent quadam cœnobia, in quibus tempus interim terere possimus*, nempe dum cresceret herba ad pabulum equorum, & Pardulus ægrotus convalesceret: *ut, sicut in aliis locis, ita & in his etiam emendanda per nos rex cognoscat, &, ne in legatis ejus ipsius jussio contemnatur, si voluerit, sanciat. Quanti enim simus habiti, immo ipse qui nos miserat, nobis impensus honor patefecit, & monasteriorum instaurata religio.* quæ verba videntur ironice dicta ad exiguum prioris legationis fructum significandum. Sub hæc tractorias ad hanc legationem a rege se accepturum dicit. Qui Lupo in duplici hac legatione socius fuit Pardulus, tunc vicedominus erat Remensis ecclesiæ, nondum episcopus Laudunensis, quam dignitatem non ante unum aut alterum annum adeptus videtur. Certe id innuit inscriptio hujus epistolæ *Carissimo suo Pardulo*, quem Lupus dicturus fuisset episcopum, si jam tum fuisset. Quousque peccata, præsertim injustitiæ ac rapinæ in ecclesias, eo tempore increvissent, testis est ipsius Lupi epistola [a] ad Guenilonem seu Wenilonem pontificem Senonensem, pro quo orat, ut Deus inspiret ei consilium, quo generaliter prosit omnibus christianis: *ne peccatum injustitiæ*, ait, *quæ nos jam miseros fecit, in damnationem pertrahat sempiternam.* tum subdit. *In diebus pontificatus vestri ad tantam libertatem vitia proruperunt, ut vindicata impunitate apertis quibusque, nec Deus, nec rex, nec episcopus timeatur.* Lupus in hac legatione decem equos amisit, ex epistola XXXII.

[a] Lup. ep. 116.

XII. Radbertus Corbeiæ abbas, scribit de partu Virginis.

Lupi æqualis & amicus fuit Paschasius Radbertus, qui Isaaco abbati Corbeiensi hoc anno successisse traditur,

Tertius a primo decimus, sed quartus ab ipso,
Qui dedit Ausoniis leges & fœdus in arvis,

inquit Gualdo monachus initio carminis de rebus gestis sancti Anscharii episcopi Hammaburgensis. Radbertus quippe a Theotfredo primo abbate tertius-decimus exstitit, quartus a sancto Adalhardo, qui regnum Italiæ sub Pippino minorenni administravit. nam præter Adalhardum juniorem, qui senioris absentis vices gesserat, Corbeiam-veterem rexerant Wala, Heddo, & Isaac, Radberti antecessor. Jam provectæ ætatis erat Paschasius, cum regimen monasterii suscepit. Initio ejus præfecturæ exorta est controversia, an Christus communi ceterorum mortalium lege ac via, an clauso Virginis matris utero in lucem prodierit. Quæstio hæc e Germania in Galliam allata, Corbeienses ipsos in diversas distraxit sententias. Gliscenti errori eorum, qui nullum discrimen inter Christi, aliorumque hominum nativitatem admittendum volebant, obviam ire censuit Paschasius, ratus id derogare perpetuæ sanctæ Dei paræ virginitati, si inviolata & integra in partu non fuisset; immo etiam temerarium & erroneum esse asserere de Christo, *quod secundum communem legis naturam sit natus, qui non secundum usum naturæ in utero de carne Virginis est procreatus.* Quapropter librum hac de controversia edidit ad asserendam catholicam ea de re traditionem, eumque *Venerabili matronæ Christi, una cum sacris virginibus Vesona*, id est Suessione, *monastice degentibus* nuncupavit *Paschasius Radbertus, monachorum omnium*, uti se ipse appellabat, *peripsema;* & quidem *longe diu a puero earum alumnus, multo jam senio confectus.* Contrarias ejus controversiæ partes propugnavit inter alios Ratramnus, & ipse monachus Corbeiensis, edito libello *de nativitate Christi*, existimans, Christum, si communi via non processisset ex matre, non vere natum genitumve, sed violenter egressum esse dicendum. Ratramnum, ejusque sequaces refutavit Paschasius, eorumque *impudicam*, ut vocat, *temeritatem* compescere tentavit libro singulari: at cum nec sic a præconcepto errore discederent, sed qua verbis, qua scriptis pergerent eum tueri; addidit secundum,

totumque opus *Venerabili matronæ Christi una cum sacris virginibus* monasterii beatæ Mariæ Suessionis, in quo puer educatus fuerat, dicavit. Hæc *Christi matrona* non alia videtur fuisse, quam Theodrada abbatissa, Adalhardi & Walæ germana soror, quæ in sæculo conjugata fuerat, mortua ante annum ejus sæculi quadragesimum-sextum. Huic in regimine monasterii successit Imma ejus filia, quam Paschasius perpetuo *virginem Christi* ac *filiam* appellat in expositione psalmi quadragesimi-quarti. Quamquam ab ipso Paschasio sanctimoniales illæ promiscue *sacratissimæ virgines Christi*, & *matronæ Christi*, sub medium libri primi *de partu virginis* appellantur. Hoc opus, quod Franciscus Fevardentius sancto Hildefonso Toletano antistiti perperam tribuerat, genuino auctori Paschasio Radberto restitui curavimus in Spicilegii tomo duodecimo, ubi integrum editum est cum præfatione, quæ, in prioribus editis desiderata, nomen veri auctoris retexit.

XIII. Ratramnus ejus adversarius.

Certe hanc controversiam tempore Paschasii ventilatam fuisse demonstrat liber Ratramni monachi Corbeiensis de nativitate Christi, quem contra magistrum & abbatem suum adhuc juvenis disseruit. Editus est in Spicilegii tomo primo hic liber, cujus in præfatione auctor ait, non esse quod se a Paschasii dignatione sejunctum vereatur, quo minus ejus religioni *familiaria scripta* procudat. & in fine ejusdem præfationis, *Obsecro*, inquit, *reverentiam tuam, ut ad suggestionem parvitatis nostræ respondere non graveris.* quod secundi libri scribendi occasionem Paschasio præbuit. Videtur nomen suum reticuisse Ratramnus, ut his verbis ejusdem præfationis satis innuit. *Perinde cesset hic vel facies invisa, vel nomen ignotum, vel familiaritatis comparatio nulla: ubi in copula socialis devinctionem tanta, tam magna, tamque necessaria conveniunt jura societatum*, spiritualium scilicet, uti paullo ante præmiserat. Et certe hæc cautio necessaria videbatur monacho, qui sub Paschasio in ipso Corbeiensi monasterio vivebat, ipsius etiam Paschasii haud dubie olim discipulus. Certe *Ratramnus Corbeiæ monachus* ab Hincmaro vocatur initio libri *de non-trina-deitate*, qui Paschasio vivente scriptus est. Denique librum de Christi nativitate composuit Ratramnus adhuc juvenis, & vixdum e scholis egressus, si extrema ejus libri verba bene capio: *Lusimus hæc de more studentium: quæ si quis contemnet, exercitia nobis nostra complacebunt.* Immo vero displicere auctori suo debuerant, quæ contra catholicam traditionem, contra patrum sententiam, contra suum ipsius abbatem & magistrum, secus, quam par erat, asserebantur. Ceterum hanc controversiam a Germania, forte a Fuldensi academia, incœpisse, atque illis in partibus sanam hoc de argumento doctrinam propugnatam fuisse idem auctor improbando tradit initio libri sui, de quo hæc dicta sufficiant.

XIV. Conventus apud Theodonis-villam. * Just.

Jam tandem pertæsum erat diuturnæ inter fratres dissensionis, cum ex condicto Lotharius, Ludovicus, & Carolus mense Octobri prope Theodonis-villam conveniunt in loco, qui Judicium * dicitur; habitoque per dies aliquot amicabili inter se se colloquio, fraternitatis jura inviolabili in posterum lege confirmant, statumque ecclesiarum, fœdissime per illas tempestates dilaceratum, ac personis minus congruis, id est laïcis, passim contraditum, se redintegraturos promittunt. Missi etiam ad Pippinum Pippini regis filium, Lantbertum comitem & Nomenoïum Britanniæ ducem destinati, qui eos ad renovandam cum Carolo rege concordiam adducerent. Habitus eodem in loco generalis episcoporum conventus, ex tribus Franciæ regnis conflatus: cui Drogo episcopus ex Italia reversus, non collati vicariatus jure, sed trium regum, quibus propinquus erat, consensu præsedit. Edita sunt in illo conventu sex capitula, quorum in tertio synodus a regibus postulat, ut monasteria, quæ laïcis concessa erant, religiosis deinceps viris seu feminis committantur. Verba tam pia, tam ordini monastico honorifica, penitus omittere non licet. *Sacrum monasticum Ordinem, a Deo inspiratum, & ab ipsis Apostolis fundatum, seu a nominatissimis ac sanctissimis Patribus excultum, atque per istud imperium a vestris piæ memoriæ prædecessoribus propagatum; & quædam etiam loca specialius venerabilia, contra omnem auctoritatem & rationem, ac patrum vestrorum seu regum præcedentium consuetudinem, laicorum cura & potestati in maximo vestro periculo & illorum perditione, & Dei ac sanctorum non modica ad irascendum provocatione, vos commisisse dolemus. Quapropter pro Christo devotissime obsecramus, ut tam magnam offensam & justam reprehensionem, atque periculosam sine exemplo præcedentium præsumtionem, ab animabus vestris & a felicitate regni vestri pellatis; & loca venerabilia, & habitum ac ordinem*

ANN. CHR. 844.

sacrum eis, qui ad hoc vocati sunt, viris scilicet ex clericali & ecclesiastico vel monastico ordine religiosis, seu & in suo sexu feminis Deo dicatis atque devotis, & in schola Christi eruditis, ad custodiendum & providendum committatis, qui & quæ Dei sunt Deo, & quæ sunt Cæsaris Cæsari reddant. Qui si minus perfecte & in divina religione, & in rei publicæ utilitate profecerint; aut corripiantur, aut meliores & utiliores in locis eorum substituantur; & non propter pravorum nequitiam ordo religiosus & loca sacratissima eis, quibus licitum non est, committantur: cum manifestissime scriptura demonstret, Ozam morte damnatum, qui arcam Domini, quasi cadentem, relevare voluit, quam vel contingere inlicitum ei fuit. Quarto capitulo arguuntur ecclesiasticarum rerum pervasores, qui in sui perniciem sine reverentia eis abutebantur; petuntque a regibus patres, res ipsas ecclesiis restitui, & præcepta regalia earumdem ecclesiarum conservari ac confirmari, polliciti, viros ecclesiasticos & intercessionis adjutorium, & solatii, quo res publica indigeret, subsidium, juxta quantitatem rerum ecclesiæ sibi commissæ, salvo jure, quod exinde divinis dispensationibus debet impendi, *promte & ex animo* paraturos & oblaturos. Quinto capitulo aiunt patres, *per loca monastica ejusdem ordinis provisores* disponi oportere, dum abbates, *qui vices Christi secundum regulam divinitus dictatam in monasteriis agant*, regia auctoritate ordinentur.

XV. Vernensis synodi decreta edit Lupus.

Post conventum apud Theodonis-villam, alius a Carolo indictus est in Vernum palatium ad Isaram infra Compendium, ubi regni ejus episcopi convenerunt. Huic præsedisse traditur Ebroinus Pictavorum episcopus, eique interfuisse Wenilo Senonum archiepiscopus, H Ludowicus sancti Dionysii abbas, & Hincmarus post Remorum episcopus, anno Caroli regis quinto, mense Decembri, indictione septima. Ebroinus primas obtinuit, ob hoc nimirum, quia sacri palatii archicapellanus erat, atque adeo apex omnium palatinarum dignitatum, ut Baluzius scite observavit. Eidem conventui non modo interfuit Lupus Ferrariensis abbas, sed etiam ejus canones condidit, numero duodecim. In primis Carolum regem alloquentes patres, gratias Deo referunt, quod is, deposita discordia, unde tot mala processerant, cum fratribus in pacem redierit, quam firmam & constantem deinceps optant. Canone tertio præscriptum est, ut religiosi & idonei viri mittantur ad scrutanda monasteria, in quibus collapsa est disciplina, & ad synodum postea referant. *In locis sanctis*, inquiunt patres, *hoc est monasteriis, alios studio* seu dedita opera, *nonnullos desidia, multos necessitate victus ac vestimenti a sua professione deviare comperimus. quod petimus, ut in omnibus parrochiis directi a vestra mansuetudine religiosi atque idonei viri cum notitia episcoporum scrutentur & corrigant, ac singulorum locorum statum vestræ celsitudini & nostræ mediocritati tempore a vobis constituendo renuntient.* Canone quarto, ut monachi vagi ad sua loca redire compellantur; qui autem *post evidentem professionem monachicam* habitum abjecerint, *in ergastulis inclusi* tam diu a consortio hominum abstineantur, & convenientibus macerentur operibus, donec sanitatem correctionis admittant. Prætereo canonem quintum de iis, qui sanctimonialibus illicite miscentur; & septimum, de sanctimonialibus, quæ religionis causa virilem habitum sumunt, vel crines tondent. Nono statuitur, ut Remorum ecclesiæ, jam dudum post Ebonis exauctorationem pastore destitutæ, quam primum præficiatur episcopus: ex quo subsecuta est Hincmari electio, de qua sequenti anno agendum. Ceterum horum canonum auctorem se dicit Lupus ipse in epistola XLII. ad Hincmarum jam episcopum, cui ait se direxisse *canones eosdem, sive, ut vocatis, capitula, meo*, inquit, *stilo comprehensa: de quorum æquitate, credo, ætas posterior judicabit, & devotionis meæ non erit immemor cordium renumque scrutator.*

Hincmaro monacho donatio a rege facta.

a Diplom. p. 528.

Paullo ante hanc synodum Carolus, eis consulens, qui sua pro divino amore contemnunt, ut cælesti contemplationi melius vacent; *Hincmaro* [a] *presbytero* res quasdam in proprium confert, sitas in pago Pinciacensi, pridie idus Augusti, indictione sexta, dum rex in pagi Arvernici villa Mariscariis resideret. In his Mansus-Adalingi Hincmaro conceditur, quem ille postea factus Remorum archiepiscopus infirmis fratribus Dionysianis largitus est.

XVI. Usuardo abbati scribit Lupus.

Haud scio an de hac synodo intelligenda sit ejusdem Lupi epistola octogesima ad Usuardum abbatem & archidiaconum, quem sub interminatione exsilii urget ad exsequendum *constitutum synodi, decretumque metropolitani Amuli* super quodam presbytero Godelgario, qui diuturnam calamitatem nescio quam patiebatur; jubetque *breves monasterii* ab Usuardo mitti, ut Lupo legati seu missi dominici vices agenti

ANN. CHR. 844.

apud Sedelocum * consignentur. qui locus est parochiæ Augustodunensis, in quo Usuardus abbas erat, idemque archidiaconus. at cujus monasterii abbas, incertum. Forte tunc vacabat ejus parochiæ sedes, nempe post obitum Altheï episcopi, de quo diximus anno ᵃ superiori: cujus loco Bernum Caroli regis propinquum, a beatæ memoriæ glorioso imperatore HLudovico tenere educatum, & claris ornatum honoribus, ab Amulo Lugdunensi metropolita ordinari postulant Guenilo episcopus Senonensis, & Gerardus comes, scripta ad eum epistola, quæ octogesima-prima est inter Lupinas. Hic est Gerardus comes, auctor monasteriorum Pultariensis & Vezeliacensis, de quo in consequentibus non semel dicendum.

* *Seaulieu.*
ᵃ *num. 67.*

XVII. Amolonis sententia de incertis reliquiis Divione repositis.

Eodem tempore idem Amulus seu Amolo Lugdunensis antistes, a Theotboldo Lingonensi per Ingelrannum chorepiscopum consultus de incognitis quibusdam reliquiis, in Divionensi sancti Benigni basilica depositis a duobus monachis, qui se vel ex urbe Roma, vel ex nescio quibus Italiæ partibus eas sustulisse dicebant, ad quas velut quædam miracula, non sanitatum & curationum, sed percussionum & elisionum in quibusdam mulierculis fieri jactabantur: qualia etiam apud Sedelocum in ecclesia sanctorum martyrum Andochii, Thyrsi & Felicis fieri, vel potius simulari ferebantur. respondet Amolo sibi videri, ut ossa illa, quæ nulla ratione, nulla auctoritate nescio cujus sancti esse dicuntur, omnino de sacris adytis & de loco celebri tollantur, & nequaquam intra ecclesiam, sed foris in atrio, aut certe sub pariete, vel circa ipsam, secreto in loco, apto & mundo, sub paucorum conscientia sepeliantur: ut, quoniam & sancta esse dicuntur, aliquid eis reverentiæ deferatur; & quia esse penitus nesciuntur, nequaquam rudibus populis occasio erroris & superstitionis exsistant. Addit rem similem in provinciæ Narbonensis urbe Ucetia ad sepulcrum sancti Firmini episcopi contigisse tempore Agobardi antecessoris sui, cujus consilio Bartholomæus Narbonensis episcopus, qui Amolone hæc scribente adhuc supererat, locum illum frequentari vetuerat. Satius proinde esse, ut unaquæque plebs in suis parœcialibus ecclesiis quieta consistat, ubi sacrum baptisma, ceteraque sacramenta accipit, ubi verbum Dei audit, eodemque suas oblationes perferat. *Hæc est enim legitima & ecclesiastica religionis forma; hæc antiqua fidelium consuetudo, per quam & novitatum vanitas amputatur, & vetusta ac recta evangelicæ atque apostolicæ institutionis semita custoditur.* In fine ait, se mittere exemplar Agobardi epistolæ ad Bartholomæum, quæ inter Agobardi opera exstat: cujus eadem est atque Amolonis sententia.

Per id tempus pastoris vices agebat in Divionensi sancti Benigni monasterio Ingelrannus chorepiscopus post Herlebertum, qui eum in eodem officio præcesserat. Varias, cum donationes, tum commutationes & venditiones, Teutboldi & Ingelranni tempore factas, commemorat Benignianus ᵇ chronographus, quarum plerasque litteras Perardus refert, in his chartam ᶜ Arnaldi presbyteri de venditione cujusdam vineæ, factam *dominis fratribus congregationis sancti Benigni martyris, tam presbyteris & diaconibus, quam ceteris clericis, anno sexto regnante Karolo rege.* quod an de monachis, ut alias, an de clericis sæcularibus intelligendum sit, dubitationem ingerit diploma Caroli regis, eidem loco indultum ad preces Isaaci Lingonensis episcopi, qui monachos ibidem restituisse dicitur. Ubi mirari subit, restitutam paullo ante sub Alberico episcopo disciplinam eo loci tam cito defecisse, ut post annos circiter triginta eam restitui oportuerit. quod Normannorum excursionibus & vastationibus tribuendum.

ᵇ *Spicil. t. 1. p. 410. & seq.*
ᶜ *Perard. p. 144.*

XVIII. S. Romani abbatis corpus Autisiodorum translatum.

Ob easdem excursiones corpus sancti Romani abbatis ex sepulturæ loco, qui Fons-rogi olim dicebatur, Autisiodorum delatum, atque in ecclesia sancti Amatoris depositum est. Post non multum temporis monachos sancti Germani cupido incessit habendi sacri thesauri, quem sibi ab Heribaldo episcopo dari experierunt. Ægre annuit tandem pontifex, sacrumque corpus cum sollemni pompa ad sancti Germani basilicam deportatum, ibidem remansit usque ad tempus Ansegisi Senonum metropolitæ, qui illud ab Hugone abbate multis precibus impetravit. Cum sacræ reliquiæ ad basilicam sancti Germani deferendæ essent; fratribus ad componendum feretrum occupatis, quidam presbyter ruralis ecclesiæ Boni-horti *, Aaron nomine, os capitis, quo superne cerebrum tegitur, furto sublegit, & in suam retulit ecclesiam, ex qua itidem Ansegisus eam sacri verticis portionem accepit.

* *Bonart.*

XIX. Rabanus privatus varia edit opera.

Pace inter fratres reges composita, Rabanus e regno Lotharii Fuldam reversus

ANN. CHR. 844.

est, atque in ecclesiam, quam in vicino monte sancti Petri, duodecim fere a monasterio stadiis ad orientem exstruxerat, privatam acturus vitam, cum concordia Hattonis abbatis & fratrum se recepit, ubi Deo serviens, inquit Rudolfus, totus cælesti sapientiæ vacabat. Hujus vacationis tempore varias edidit lucubrationes, nempe expositionem in Jeremiam, Ludovico augusto adhuc vivente inchoatam; & aliam in Ezechielem ab eo loco, ubi sanctus Gregorius desierat; utramque rogatu Lotharii augusti, qui binas hoc tempore ad eum litteras dedit, unas clausas de rebus arcanis ejus temporis, quæ litteræ exciderunt; alteras, quibus eum ad has commentationes faciendas hortatur, in editis præmissas commentario in Ezechielem. In his Lotharius ita de hoc Rabani secessu loquitur. *Placet, inquam, habitatio tua nobis, si creditur ab omni jactantia aliena. Plus enim interiorem hominem rustica montium solitudo, quam regalis urbium pulcritudo delectat, ubi nulla livoris invidia tranquillum pectus hilari mentitur intuitu, nec fucati sermonis adumbrata blanditiis ar ifici scelere mutua fabricatur astutia.* In illo secessu idem auctor opus suum de Universo Hemmoni episcopo Halberstatensi, suo quondam condiscipulo, nuncupavit. quod opus etiam Ludovico Germaniæ regi submisit. Item commentarios in Sapientiam & in Ecclesiasticum dicavit Otgario Moguntino archiepiscopo una cum libro pænitentiali, in cujus capite xv. pugnæ Fontaneticæ meminit. Jam ergo ab exsilio in sedem suam redierat Otgarius, cujus reditum ab Ludovico augusto flagitaverant [a] Moguntiacenses *propter nimiam necessitatem, quæ quotidie in ipsa parochia grassabatur, absente diu, & procul versante suo pastore.* Eodem fere tempore *in epistolas Pauli hortatu Lupi diaconi* collectaneum fecit Rabanus, teste Rudolfo, ex diversis patrum opusculis, quod triginta libris absolvit. Is est Lupus abbas Ferrariensis, qui an presbyter fuerit, quamquam id elogii titulus editi libri de tribus quæstionibus ei tribuit, necdum mihi satis exploratum. Ad idem tempus revocanda est epistola de chorepiscopis ad Drogonem episcopum Mettensem, quem Rudolfus prisco more archiepiscopum vocat: item epistola ad Regimboldum chorepiscopum Moguntinum de quibusdam quæstiunculis pænitentiæ. Suspicari licet Hemmonem seu Haimonem episcopum Halberstatensem, cui opus de Universo dicavit Rabanus [b], non alium esse a Præclaro episcopo, quem idem auctor versibus suis celebravit. In his populus, Præclaro creditus, rudis ac durus fuisse dicitur.

a *Chesnii to. 2. p. 725.*

Haimo episcopus an dictus Præclarus.

b *Raban carm. 6. & seqq.*

Est rudis hic populus, est durus, quem regis ipse.

quod non male convenit his, quæ de populo Halberstatensi leguntur in præfatione ad libros de Universo. *Neque enim mihi ignotum est, qualem infestationem habeas, non solum a paganis, qui tibi confines sunt, sed etiam a populorum turb s, quæ per insolentiam & improbitatem m.rum tuæ paternitati non parvam molest.am ingerunt, & ob hoc frequenti orationi atque assiduæ lectioni te vacare non permittunt.* De hac conjectura statuat lector quod volet. Certe Browerus subodoratus est, Præclari nomen non proprium fuisse, sed adscriptitium.

Cantuarienses abbates.

Hoc ipso anno Wernodus, Cantuariensis sancti Petri monasterii abbas quintusdecimus, obiisse traditur: cujus successor Diernodus a Ceolnoto episcopo benedictus est. Huic Wimundus quidam, Edwlfi regis amicus, quamdam terram donavit ad suam sepulturam. Diernodo post annos præfecturæ viginti suffectus Winherus, Winhero post annos duos Beadmundus, cujus successores vide sis apud Willelmum Thornum.

ANN. CHR. 845.

XX. Normanni Parisios invadunt.

COmpositæ res domi inter fratres, at nulla ab externis quies, id est a Nortmannis, qui semel in Gallias ingressi, singulos annos prædationibus, rapinis, cædibus & incendiis insignes fecere, nec umquam sæviendi finem habuere, quam sedes ipsis in ipso Galliæ sinu, in pinguiori provincia concessa est. Jam ante quatuor annos Rotomagum & vicina quæque loca infestaverant: nunc vero anno ejus sæculi quadragesimo-quinto cum viginti supra centum navibus mense Martio Sequanam ingressi, vastatis hinc inde omnibus, Luteciam-Parisiorum, nullo penitus resistente, sabbato ante pascha invadunt. Audito eorum adventu, Carolus, contractis subitariis copiis, ad basilicam sancti Dionysii confugit, sive is locus tum præsidio munitior erat, sive istic tutiorem patrocinio sanctorum, quam ullo alio

præsidio

ANN. CHR. 845.

præſidio ſe futurum confidebat. Et quidem ſanctorum corpora ex urbe Lutecia alio deportata : ſancti Dionyſii ſociorumque reliquiæ monaſterio nequaquam motæ hoc anno, ſed tamen ſecretiori quodam loco reconditæ ſunt. Tunc corpus ſancti Germani Pariſiorum epiſcopi in villam Briegii tractus, Cumbas vocabulo, quæ tum juris erat monaſterii, tranſlatum. *S. Germani translatio.* Herbertus abbas monaſterii ſanctæ Genovefæ, teſtante Gerardo [a] a Boſco, & monachi ejuſdem loci corpus hujus ſanctæ virginis ad Athegiam ejus villam detulerunt. *[a] Hist. Paris. to. 1. p. 399.* Barbari, urbe direpta, cum Carolo de reditu paciſcuntur. Rex ægre tandem acquievit, ſeptem millibus librarum Ragenario duci, aliiſque principibus numeratis, qui ad ſancti Dionyſii monaſterium profecti, regem ſalutant, polliciti ſe numquam redituros; idque ſacramento, ſed pro more gentis haud ſincero, confirmant. Ita illi ex urbe præda onuſti diſcedunt. Id cæleſti oraculo ſe accepiſſe tradit Audradus-Modicus, qui vigiliam paſchæ hoc anno recte quinto kalendas Aprilis aſſignat.

Narrat Aimoïnus, ſancti Germani tunc monachus, ſe a miſſis Ludovici Bajoariorum regis, id eſt a Kobbone aliiſque, quos ille ad Horicum principem Normannorum legationis cauſa direxerat, accepiſſe quædam miracula, in baſilica ſancti Germani patrata in ejus violatores : ex quibus cum nonnulli trabes eccleſiæ abiegnas, quas navibus reficiendis idoneas credebant, incidere tentaſſent, repentina morte interierint. Idem Ragenario duci accidiſſe dicitur, qui cum Horico regi captam ab ſe direptamque Pariſiorum urbem, violatam ſancti Germani baſilicam gloriabundus jactitaret, quem unum, tametſi mortuum, præ omnibus viventibus ſibi contrarium ac infeſtum expertus eſſet; ilico tremens & exanimis in terram corruerit, terrifica voce Germanum ingeminans, a quo ſe baculo flagellari dicebat. Tum voto facto, ſe auream ſuæ ſimilitudinis ſtatuam ad ejus baſilicam miſſurum, atque chriſtianum deinceps futurum, ſi revaleſceret; nequaquam tamen id obtinere potuiſſe, quia non erat ex ovibus Chriſti; immo poſt triduum infelicem animam ad mortem æternam exhalaſſe. Addit Aimoinus, Cellæ ſancti Germani, quæ prope Caroli-vennam ſita eſt, binas eccleſias ab igne, quem Normanni ſubjecerant, intactas fuiſſe. Poſt diſceſſum barbarorum corpus ſancti Germani ex villa Cumbis in ſuam baſilicam revectum, occurrente cum frequenti clero ac populo ad fluvium Biberis * Ebroino præſule, ejuſdem loci abbate; ac primo depoſitum ** de Bievre.* ſuper altare ſancti Stephani in principe eccleſia uſque ad feſtum ejus tranſlationis diem, VIII. kalendas auguſtas celebrari ſolitæ : quo die in ſuo tumulo ad altare matutinale reſtitutum fuit. De anno, quo hæc Normannica in Pariſios impreſſio accidit, non convenit inter illius temporis auctores. Aimoinus, qui ſuam hac de re ſcriptionem Ebroini abbatis juſſu compoſuit, id factum ait anno ſequenti; annales Bertiniani & chronicon Fontanellenſe [b] apud Cheſnium præſentem annum præferunt. *[b] Chesn. to. 2. p. 388.* Id de ſequenti juxta veterem calculum Gallicanum, cujus annus novus tantum a paſchate incipiebat, explicari poſſet, niſi hoc chronicon indictionem octavam, quæ anno quadrageſimo-quinto convenit, & ſabbatum paſchæ quinto kalendas Aprilis (ſic enim legendum, non XV. kalendas) appoſuiſſet. Cum hoc chronico annales Fuldenſes conſentiunt, & chronicon de geſtis Normannorum apud eumdem [c] Cheſnium. *[c] ibid. p. 524.* Eodem anno monaſterium *Sitdiu* ſeu *Sithiu* direptum, incenſumque a Normannis fuiſſe tradunt annales Bertiniani; at prædones, oneratis inde navibus redeuntes, ita divino judicio caligine & amentia perculſos, ut vix perpauci evaſerint, qui cæleſtem vindictam ſociis nuntiarent.

Lupus abbas Ferrarienſis in epiſtola XXXII. ad Ludovicum abbatem auctor eſt, XXI.
Caroli votum de restitutione bonorum ecclesiæ.
Carolum in illis anguſtiis votum quoddam feciſſe, haud dubie de reſtituendis bonis eccleſiaſticis in beneficium datis, maxime de cella ſancti Judoci, cujus reſtitutionem Lupus his verbis flagitat. *Proinde veſtram ſupplex imploro pietatem, ut regi meas & fratrum neceſſitates, immo jam veras miſerias aperiatis; ſuggerentes, ut quod ſuo maximo periculo in beatum Petrum & nos fecit, voti memor, quo ſe hoc anno obligavit, tandem aliquando immutare dignetur : ut & principem apoſtolorum in ſuis rebus dubiis adjutorem, & nos omnes ex corde poſſit habere interceſſores.* Hoc votum apud ſanctum Dionyſium a Carolo factum fuiſſe probat ejuſdem auctoris epiſtola XLII. ad Hincmarum epiſcopum, ubi barbarorum meminit, ac concilii Vernenſis, in quo bonorum eccleſiaſticorum reſtitutio imperata. *Quid*, inquit, *ei*, id eſt Carolo, *ſecularis illius excellentia contulit? Numquid illi poſtea gentem aliquam barbaram ſubjugavit,*

ANN. CHR. 841.

aut hoc sibi diffidens regnum composuit? At si votum, quo, vobis, credo, suggerentibus, in ecclesia beati Dionysii se obligavit, ex integro, absque respectu ullius personæ, Deo persolvisset; immo primo consilio, quæ in Verno quæsita & inventa sunt, adquievisset; jam eum in pace regnare fecisset ille, de quo sacræ continent litteræ: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. In utraque epistola Lupus sollicite petit cellæ Judocensis restitutionem, ob cujus subtractionem, simul ob servitium regi impensum, quod prius ab antecessoribus suis non exigebatur; denique ob inauditam ejus anni inopiam, omnia jam apud se exhausta dicit, ita ut emtitio frumento fratres jam mense integro sustententur, nec suffecerint quæ ad communes usus parata fuerant: sed, urgente inevitabili necessitate, paucissima vasa & cetera ornamenta ecclesiæ suæ, dolentibus omnibus, distrahantur. sic ille in epistola ad Ludovicum. & in epistola ad Hincmarum addit, se tædio tantarum necessitatum afflictum, vacationem officii, ad quod a fratribus electus est, subinde cogitare. *Verum ab ea*, inquit, *& sæculorum perniciosa voracitate, & impatientiæ crimine, si in tanta perturbatione eosdem fratres relinquam, deducor.*

Ferrariensium inopia.

Lupus abbatiæ dimissionem cogitat.

XXII. Britannica expeditio infausta.

Initio prioris illius epistolæ Ludovico abbati significat, quanto dolore affectus sit, cum in hac rei publicæ calamitate feliciter fallax fama disperserit, eum quoque inter alios cecidisse: at, veritate comperta, inexplicabili gaudio exsultasse, quod is viveret, cum quo, si posset, suos libenter annos divideret. Deo se immensas agere gratias, quod ille servatus sit. Præter ea domini regis adversitati condolentem, & ereptioni supra modum congaudentem, quidquid muneris consequi potuit, per ipsum Ludovicum offerendum direxisse. quod regi gratum fieri postulat. Hanc autem regis adversitatem, & hunc de Ludovici morte sparsum rumorem, ad victoriam a Brittonibus partam adversus Carolum revocandam esse recte monet Baluzius ex annalibus Fuldensibus, in quibus ad hunc annum ita legitur: *Karlus cum Brittonibus conflixit: & cum grandi damno exercitus sui, ipse cum paucis vix evasit.* Idem tradunt hoc ipso anno Bertiniani annales, in quibus item Carolus ad agrum Floriacum, in quo sancti Benedicti monasterium consistit, venisse, forte in reditu ab hac infelici expeditione; ibique Pippinum, Pippini regis filium, excepisse traditur, receptisque ab eo fidelitatis sacramentis, totius Aquitaniæ dominatum eidem permisisse, præter Pictavos, Santonas & Ecolismenses. Istuc ad regem accessit *Dido venerabilis abbas monasterii sancti Florentii, quod est constructum super alveum Ligeris in pago Medalgico*, Glonna cognominatum; ab eoque villam Potiacum, sitam in pago Andecavensi obtinuit. Actum in monasterio sancti Benedicti quinto idus Junii, anno regni ejus quinto. Ceterum congratulatoriam regi de sua salute epistolam tricesimam-tertiam submisit Lupus, eidem offerendam per Ludovicum abbatem, per quem a comitatu se excusari flagitat; *quoniam*, inquit, *nisi spoliem aliquod altare, aut fratres importabili affligam inedia, non habeo unde octo dies in ejus possim versari servitio, donec novæ fruges optatam referant facultatem.* quod otium ob hoc maxime petit, ut discipulos suos erudiat, cupiens alios quod didicerat, discebatque in dies, edocere.

Carolus Floriaci.

Lupus a comitatu se excusari cupit.

XXIII. Vivianus abbas Majoris-monasterii.

Ineunte hoc ipso anno Vivianus comes regimen habuit abbatiæ sancti Martini apud Turonos, & Majoris-monasterii, quod ante annos tres Rainaldus ejus frater administrabat. Illud discimus ex quodam instrumento, quo Vivianus testatur, se *quoddam oratorium, infra* seu intra *idem monasterium situm, atque a beato Martino fundatum in honore beatæ Mariæ semper virginis, relevasse, atque ex rebus ejusdem abbatiæ honorasse*; & quidem ad preces Ebreni presbyteri, custodis memorati loci seu monasterii, *una cum decreto & voluntate utrarumque congregationum, scilicet basilicæ sancti Martini & Majoris-monasterii.* quod oratorium ait positum fuisse *prope portam monasterii*, vocatque *cryptam, ubi prædicta Dei Genitrix in Domini honore colitur, & discipuli beati Martini in somno pacis quiescunt.* Hæc est basilica seu capella septem Dormientium, quæ ad portam majoris basilicæ hactenus integra cernitur, qualis a Viviano refecta est cum jacentibus statuis septem fratrum dormientium. Huic chartæ subscribunt post Vivianum Adalgandus præpositus, Amalricus decanus & presbyter, Aregarius custos & presbyter, aliique, tum presbyteri, tum inferiorum ordinum clerici, ut in appendice hujusce voluminis observari potest. quos omnes basilicæ sancti Martini canonicos fuisse veri simile est. Hinc intelligitur, magnam tum fuisse utriusque loci confœderationem. quod etiam ex libro sancti

Odonis de translatione sancti Martini manifestum est. Hæc charta *data* est *kalendis Januariis, anno sexto regnante Karolo rege.* Porro Ebrenus ille custos Majoris-monasterii non alius mihi videtur ab Herberno, quem sanctus Odo abbatem ejusdem loci appellat, aitque sacri corporis beati Martini comitem fuisse, dum in Burgundiam deportaretur, atque inde referretur. Sub finem ejusdem mensis *Raginoldus venerabilis abba cænobii sancti Martini Majoris-monasterii*, divino fervens amore pariter & honore, quasdam villulas, usibus fratrum abstractas, eisdem restituit, confirmante Karolo rege. *Data* III. *kalendas Februarii*, *anno* VI. *indictione* VIII. *regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Novtomo villa.* Jonas diaconus ad vicem Ludovici recognovit. Mirum est, si tam brevi tempore, id est intra viginti-septem dies, abbatia a Viviano, qui longius vitam produxit, ad Raginoldum translata est, tametsi ejusmodi vicissitudines Carolo haud insolitæ erant. Illud amplius mirandum, si Raginoldus non alius fuerit, ut certe meo judicio non fuit, a Rainaldo Viviani fratre, qui hanc abbatiam ante annos tres jam obtinebat. Quid si dixerimus, in illa mutua utriusque loci societate Vivianum quidem abbatem fuisse basilicæ Martinianæ, ac sub eo Rainaldum abbatem Majoris-monasterii, quæ instar cellæ, tum fuerit basilicæ Martinianæ? Certe in libello de translatione sancti Gorgonii, quæ anno sequenti facta est, *Rainaldus cella Majoris-monasterii venerabilis abbas* tum fuisse memoratur. Ex quo evincitur, quod mox dicebam, Raginoldum (quod nomen ipsum satis indicabat) a Rainaldo abbate distinguendum non esse. Hæc dixerim, ne quis virorum, quod nominum videtur, discrimen hoc loco esse putet.

ANN. CHR. 841.

Ebrenus custos ejusdem loci.

Raginoldus abbas.

XXIV. Post decennium, quam Ebo Remorum antistes exauctoratus fuerat, in ejus tandem locum Hincmarus monachus sancti Dionysii suffectus est in concilio Bellovacensi, quod hoc anno, mense Maïo celebratum est. Huic interfuit Carolus, qui inter cetera, ecclesiæ regnoque perquam [a] necessaria, de Remensis ecclesiæ desolatione, quæ post Ebonis depositionem non alium pastorem, quam Fulconem presbyterum, & Notbonem ejus successorem habuerat, cum episcopis egisse traditur. Omnibus itaque in commune visum est, *cogente necessitate, atque suadente auctoritate*, ut tandem post decennium depositionis Ebonis in illa ecclesia ordinaretur episcopus. Igitur *a clero & plebe ipsius metropolis*, necnon ab episcopis ejusdem provin- «
ciæ, archiepiscopo Senonensis ecclesiæ Wenilone & Ercbanrado Parisiorum episcopo «
annuentibus, cum consensu abbatis sui Ludovici & fratrum monasterii beati Diony- «
sii, in quo degebat, favente quoque Carolo rege, Hincmarus electus est, decretoque «
eligentium manibus roborato ordinatus mense Maïo, sed quo die, non satis constat. «
Marlotus [b] id factum die dominica, Maii decima-septima: at in brevi chronico Remensi apud Labbeum [c] ejus ordinatio V. *nonas Maii* facta legitur, quæ dies dominica eo anno erat. Hincmarus in libro II. posterioris operis contra Gothescalcum cap. XXXVI. suæ quidem ordinationis mentionem facit, eaque a Rothado Suessionum episcopo facta dicitur in appendice concilii Suessionensis cap. III. sed neutro loco dies exprimitur, neque apud Frodoardum. Marloti sententiæ favet ipsius Hincmari epitaphium, in quo obiisse dicitur *anno incarnationis dominicæ* DCCC LXXXII. *episcopatus sui* XXXVII. *mense* VI. *& die quarto*; & quidem XII. *kal. Januarii*, ut in quibusdam necrologiis habetur. Verum uterque calculus sic forte conciliari potest, ut ordinatus sit Hincmarus V. nonas Maii, secundum chronicon Remense; episcopatus vero possessionem inierit Maii die XVII. quod epitaphio convenit.

Hincmarus fit archiepiscopus Remensis.

[a] Frod. lib. 3. c. 5.

[b] Marlot to. 1. p. 387.

[c] Labbe to 1. bibl. p 319.

Quid ab eo viro exspectandum esset, Lupus in epistola XLII. non multo post ejus ordinationem ad eum scripta, testatur his verbis. *Non sum nescius, cum tantis divinæ gratiæ muneribus abundetis, ultro vos cogitare, apud principem juvandi bonos facultatem divinitus accepisse: ut, quod in se non habent, in vobis possideant, & remunerandæ vestræ industriæ materiam præbeant. Proinde familiaritatis fiducia moneo, ut, dum tempus habetis, usuram talenti multiplicare curetis: ut, instar solis, benivolentiæ vestræ splendor cunctos irradiet, nec quemquam excipiat, nisi qui superba cæcitate lucem justitiæ aspernatur. Nobilitatem vestræ generositatis ornat eruditio salutaris: altitudinem officii commendat religio professionis. Hæc vestræ celsitudini, non arrogantiæ vitio, sed amicitiæ studio scripsi: ut, quoniam in vobis & nobilitas, & sapientia convenerunt, quantum hæc societas valeat, etiam nolentibus emineat, qui ipsa quoque lumina ecclesiæ obscurare contendunt.* Hincmarus archiepiscopus idem etiam abbas fuit Remigiani apud Remos cœnobii, & sub eo Rotfridus præpositus, ad quem is

Remigiani monachi illustres.

ANN. CHR. 845.

scribit pro correptione [a] Odelcalci seu Gothescalci monachi contumacis & inobedientis ; & quem in Provinciam misit [b] ad res sancti Remigii repetendas. Alius fuit Rotfridus minor, forte is, cujus forma professionis sub Hincmaro abbate & archiepiscopo legitur apud Marlotum [c]. Fidem necdum episcopo Carolus *cellam* [d] seu monasterium Flaviacum ad vitam dederat : quod ab invasore abstractum idem Hincmarus jam episcopus sibi restitui postulavit. Haud scio an etiam retinuit monasterium sanctæ Dei genitricis Mariæ [e] & sancti Germani apud Compendium : cujus regimen, cum regiis adhibitus obsequiis esset, *regali & episcopali, atque abbatis sui Ludovici diaconi jussione* susceperat.

a Frod. lib 3. c. 28
b id. ibid c. 26.
c Marlot to 2. p 324. & seq.
d Frod. lib 3. c. 18.
e id. ibid. c. 1.

Eodem tempore in monasterio sancti Remigii vixere Gibuinus, ex comite monachus ; & Adaloldus, qui quosdam codices S. Remigio dederunt, aut ipsi descripserunt. In codice, qui excerpta ex moralibus Gregorii Magni, aliaque complectitur, hi versus de Gibuino leguntur ad calcem.

Hæc veterum præcepta legens monimenta priorum,
Gibboino requiem hujus peto posce datorem,
Qui sua cuncta Deo secum dedit, atque beato
Remigio, ut Christum sequeretur pauper egenum.
Comitea spernens cum conjuge frater honores,
Possidet æterna cum sanctis gaudia vitæ.

Idem unum volumen expositionis sancti Augustini in Psalmos dedit, cujus initio scriptum legitur uncialibus litteris : Hunc *librum Gibuinus, conversus a sæculo, dedit Deo, sanctoque Remigio.* Haud scio an is sit Gebuinus comes palatii, laudatus ab Eginhardo [f] non semel. Quosdam etiam codices cum Leutberto scripsit Adaloldus seu Adeloldus monachus, qui crucem ad ecclesiam sancti Timothei erigi curavit, eo in loco, ubi corpus sancti Remigii immotum steterat, dum ad sepulturam deferretur ; eidemque cruci inscripsit quosdam rythmicos versus, quorum hi ultimi sunt.

f Eginh. ep. 9. & 11.

Remigi sancte confessor pretiose Domini,
Adeloldi quæso tui miserere famuli,
Qui propter hoc crucem istam procuravit erigi.

Sed de his satis : ad alia pergamus.

XXV. Meldensis concilii decreta pro monachis.

Non multis post synodum Bellovacensem diebus habitum est concilium Melden-
» se, scilicet xv. kalendas Julias, in cujus canone xxxiv. sancitum, ut nemo in
» actionibus vel judiciis ecclesiasticis suo sensu, sed canonum auctoritate ducatur :
» utque in exponendis vel prædicandis scripturis sanctorum catholicorum patrum sen-
» sum quisque sequatur, in quorum scriptis, ut beatus dicit Hieronymus, fidei veri-
» tas non vacillat. *Sed & qui in suis monasteriis religiose residere debent, & vocum novitates, ut innotescant, studio proferre satagunt, acerrime ut præsumptores arguantur & comprimantur.* Forte id Ratramnum spectat, qui secus, quam par erat, de Christi nativitate adversus Paschasium scripserat ; & jam tum de eucharistia vocum novitates affectabat. Certe hoc tempore Paschasius librum, ab se hoc de argumento scriptum ante aliquot annos, Carolo regi auctum misit, ut mox videbimus. Canon quadragesimus est de restituendis hospitalibus Scottorum, quæ sancti homines gentis illius ad excipiendos peregrinos populares suos in hoc regno construxerant. Ca-
» none sequenti providendum dicitur regiæ majestati, ut monasteria, quæ ab homi-
» nibus Deum timentibus in sua proprietate constructa, antecessores illius sub suam
» defensionem susceperant, ut libere in his observaretur religio ; tunc vero in allo-
» dium data, omni religione destituta erant ; in libertatem denuo restituantur : *ut vota fidelium inconvulsa permaneant : ne voces eorum, contra se ante Deum clamantes, adjuncto periculo de eorum perditione, qui in eisdem locis necessitate naufragantur, condemnabiles sentiat.* Canone quinquagesimo, ut monachi, quibus monaste-
» riorum cura commissa non est, passim & sine auctoritate palatium non adeant,
» nec in eo immorentur : sed in monasteriis suis, sicut canonica & regularis docet
» institutio, religiose resideant. Nec facile ab episcopo vel abbate, veredariorum
» more, quovis mittantur : quia per quosdam illorum, contra canonicam auctorita-

AN. CHR. 845.

tem, eccleſiaſtica & civilia perturbantur negotia. Nec ſub prætextu obedientiæ diutius villicationibus inſerviant : ſed regulariter vice ſua obedientiam peragentes, ſecum, ut de ſancto Benedicto legitur, in monaſterio habitent, atque ſe ipſos recolligant. Quinquageſimo-nono, ut monachus de monaſterio non ejiciatur ſine conſultu epiſcopi, aut vicarii ejus : cujus diſpoſitione & auctoritate de eetero vita & converſatio ejecti, *ne perditus perpetuo fiat, ſi aliquo modo ſalvari poteſt*, ordinetur. Alia decreta præterea contra raptores rerum eccleſiaſticarum ac ſanctimonialium. Huic ſynodo tres metropolitani cum ſuffraganeis ſuis interfuerunt, Wenilo Senonenſis, Hincmarus Remenſis, & Rodulfus Bituricenſis.

XXVI. Paſchaſius Carolo librum ſuum de euchariſtia offert.

Sub idem tempus Paſchaſius Radbertus librum ſuum de corpore & ſanguine Domini, ab ſe recognitum auctumque, Carolo regi dono miſit, *ad superventura diei dominici feſta*, paſchatis an nativitatis, quando regi de more munera offerebantur. Exſtat hic liber in bibliotheca Anicienſi : cui præmiſſa eſt cum verſibus epiſtola, *quam ſcripſit ad Carolum regem Paſchaſius Radbertus, quando ad eum miſit ſuum librum de corpore & ſanguine Domini*. Hæc integra edita eſt a nobis in fine Paſchaſii elogii ſub hac inſcriptione : *Domino præcellentiſſimo regi humilis & exiguus Paſchaſius Radbertus veſter, etſi indignus, abbas ac levita, monachorum omnium peripſema*. Principio ait plurimos hinc inde, ut condignum eſt, ad ſuperventura diei dominici feſta regi miſſuros auri argentique, & vaſorum diverſi generis, variæque ſupellectilis munera, veſtium ornamenta, atque phaleras equorum, ceterorumque animalium, qualia ſcilicet offerre ſolebant ea monaſteria, quæ regi munera debebant : ſe vero, quando rex ita ſe velle ſignificaverat, non ignavi ponderis metalli munus ſuæ majeſtati offerre, ſed libellum, corpore licet exiguum, magnum tamen ob dignitatem argumenti, *de ſacramentis ſacræ communionis, quem dudum Placidio* ſuo, ſcilicet *Warino abbati* Corbeiæ-novæ, dicaverat ad uſum ejus loci puerorum, *quos necdum unda liberalium attigerat litterarum*. quem librum a rege diligentius perlegi optat, ut ejus examine comprobatus codex, *etſi jam dudum ad plurimos pervenit*, deinceps ſecurius haberi poſſit, alias non de ſuo editus, ſed ex catholicorum patrum doctrina contextus. In codice Anicienſi ea referuntur exempla ex actis ſancti Baſilii & ſancti Gregorii, ut apud Sirmundum, quæ in Colonienſi editione prætermiſſa, in quibuſdam etiam vetuſtis exemplaribus deſunt, adjecta ſcilicet ab auctore in ſecunda editione libri ſui, cum teſtimonio Hieronymi ex epiſtola ad Lucianum, quod in omnibus editis deeſſe puto.

XXVII. Chriſtiani Drutmari expoſitio in Matthæum.

Non multo poſt hoc tempus Chriſtianus, patrio nomine Drutmarus, expoſitionem in Matthæum ſcribebat, *Venerabilibus in Chriſto patribus, in cænobiis ſancti Petri cognominibus Stabulariis*, id eſt Stabulenſi ac Malmundarienſi, *ſedula devotione Deo militantibus & ad feliciora tendentibus*, nuncupatam, quorum religionem in ſuo prologo mirifice prædicat, ut ſuperius [a] vidimus. His præſentis ævi pacem ac proſperitatem, futuræque beatitudinis ſocietatem optat *veſter*, inquit, *fidelis famulus Chriſtianus indignus ſacerdos*. Is ſacris litteris Stabulenſes erudiebat, non ejus loci monachus, ſed ex alio monaſterio iſtuc adſcitus. A Trithemio *Chriſtianus, qui Drutmarus*, vocatur *monachus ac presbyter Corbeienſis*, & quidem *natione Aquitanicus*, qui ex Aquitania in Galliam veniſſe ab eodem auctore dicitur. Fuiſſet proinde ex Trithemii ſententia monachus Corbeiæ Gallicanæ. Germanum tamen potius quam Aquitanum fuiſſe crediderim. Duo alii per id tempus fuere Chriſtiani, ambo ex Germania orti : primus abbas ſancti Germani apud Autiſiodorum, dein ejuſdem urbis epiſcopus : alter monachus in cœnobio Floriacenſi & æditimus, ob ſanctitatem laudatus ab Adrevaldo in libro [b] de miraculis ſancti Benedicti. Tertius, ſed tempore poſterior, uti & ſequens, fuit Chriſtianus abbas Corbeiæ-novæ. Quartus Chriſtianus abbas ſancti Petri Carnutenſis, cujus ſermones dominicales exſtant in veteri codice Caſæ-Dei, *editi a piæ memoriæ Chriſtiano quondam abbate eccleſiæ ſancti Petri Carnotenſis*. Nullus ex his fuit hic Chriſtianus Drutmarus, ſcriptor prædictæ expoſitionis in Matthæum, quam ille condebat eo tempore, quo Bulgari ad Chriſti fidem acceſſerunt. ſic enim ille in capite LVI. *Bulgarii quoque, qui & ipſi ex ipſis gentibus* Hunnorum *ſunt, quotidie baptizantur*. quod hoc anno fieri cœptum ex Johanne Curopalate Baronius docet. Eorum rex monaſticam vitam profeſſus eſt pontificatu Nicolai I. cujus reſponſa exſtant ad conſulta Bulgarorum, qui proinde jam ante ad fidem acceſſerant. Nondum tamen eorum rex baptiſmo initiatus erat,

a Supra lib. 30. n. 1.

Chriſtiani plures.

b Adrevald. c. 26.

ANN. CHR. 865.

cum Nicolaus epistolam [a] scripsit ad Salomonem Constantiensem episcopum, a quo rescierat, *quod ipse rex Wlgarorum ad fidem velit converti, & jam multi ex ipsis christiani facti sint*. quæ epistola scripta est paullo post depositionem Theodgaudi seu Thietgaudi & Guntharii episcoporum, in ista epistola memoratam, quæ in synodo Romana anni DCCC LXIII. facta est. Jam ergo ante id tempus *multi* ex Bulgaris ad fidem conversi erant. Christianus vero commentarium suum scribebat, cum recens ad baptismum accederent. Hic est sine dubio Christianus sapientissimus, cujus nomen *in catalogo virorum illustrium* Stabulensium, id est in diptychis, *super altare insertum* olim habebatur, teste Notgero Leodicensi episcopo in libello [b] de vita sancti Hadalini: verum cujus loci monachus fuerit, Corbeiæ-veteris an novæ, necdum mihi exploratum. Certe nullus Drutmarus per id tempus invenitur inter monachos Corbeiæ-novæ, quorum accuratos indices habemus: sed unus Christianus hospitalarius. adeoque, si Drutmarus alterutrius Corbeiæ monachus fuit, potius veteris, quam novæ fuisse dicendus est.

a Baluz. Miscell. to. 5. p. 484.

b Sec. 3. Bened. p. 1015.

Occasio scribendi commentarii, discipulorum utilitas. quippe cum expositionem eis viva voce factam cito e memoria ipsorum elabi animadverteret Christianus, illam statuit eo tenore mandare litteris, quo eam verbis coram ipsis digesserat, historicum potius sensum, quam spiritalem sequens: *Quia irrationabile*, inquit, *mihi videtur spiritalem intelligentiam in libro aliquo quærere, & historicum penitus ignorare: cum historia fundamentum omnis intelligentiæ sit, & ipsa primitus quærenda & amplexanda, & sine ipsa perfecte ad aliam non possit transiri.*

Observanda in illo commentario.

In illa expositione auctor nonnulla obiter observanda suggerit. In capite primo ait, se vidisse *librum evangelii græce scriptum, qui dicebatur sancti Hilarii fuisse, in quo primi erant Matthæus & Johannes, & postea alii duo.* qua de re *Euphemium græcum* addit se interrogasse; eumque respondisse id factum more boni agricolæ, qui, quos fortiores habet boves, primo jungit. In capite sexto hoc inter Creatorem & creaturam discrimen ponit, quod *a nullo sancto petamus remissionem peccatorum, sed per eos studeamus impetrare, ut detur nobis; nec in aliquem credimus, nisi in Deum: quia credimus sanctos, sed non in sanctos*. In capite XXXV. memorat sportas parvas tum fieri solitas, *quas videmus*, ait, *in basilicis cum oblationibus ferri*. Sanctum Benedictum, ejusque regulam laudat in capite XLIII. ubi de monachis ait, quod si aliquid eis plus quam ceteris præceptum est, *ad nihil aliud præceptum est, nisi ut Domini regula possit custodiri. Etenim si præceptum est nobis*, inquit, *post completam non loqui, pro nulla alia re præceptum est, ne refectis cibo colloquentibus simul aliqua lis exsurgeret, & nimium vigilantes congrua hora ad Dei laudes surgere nequirent. Si præceptum est nobis a carne absque necessitate carnis abstinere, ideo factum est, ut possit castitas custodiri.* Ex quibus manifestum est, Christianum & monachum, & regulæ nostræ servantem fuisse. Sub finem, in expositione Christi passionis, arguit malum confessorem, qui pænitentem raptorem jubet *abstinere a vino, aut a carne quadraginta dies*, ubi deberet restitutionem ante omnia præcipere. *O perditio*, inquit, *animarum!* Ibidem agit de sepulcro Christi Domini, & de erecto ibidem hospitali tempore Caroli Magni, concedente rege Persarum Aarone: *Et modo*, inquit, *idem ipse locus hospitale dicitur Francorum, ubi tempore Caroli villas habuit, concedente illo rege pro amore Caroli: modo solummodo de eleemosyna christianorum vivunt & ipsi monachi, & advenientes.* In fine, relato sanctæ Euphemiæ miraculo ad confirmandam fidem concilii Chalcedonensis, fideles hortatur ad orandum Deum pro Ecclesia, ut Deus omnipotens eam custodiat usque in finem sæculi inconcussam & incontaminatam. Sequitur in editis brevis expositio ejusdem Christiani, tum in Lucam, tum in Johannem, quam in prologo super Matthæum pollicitus erat.

XXVIII. Hammaburgum a Danis vastatum.

Post annos fere quindecim, quam Anscharius Hammaburgi sedem archiepiscopalem fixerat, contigit ex improviso Nortmannos civitatem classe adoriri, nullo dato ad congregandos pagenses spatio, absente insuper Bernario comite, qui tunc temporis præfecturam ejus loci tenebat. Principio quidem cum opidanis aliquantum restitit episcopus: ast urgentibus paganis cedere coactus, clericis hac illacque dispersis, ipse cum reliquiis sanctorum, etiam sine cappa sua, vix evasit. Itaque urbs nullo negotio hostibus patuit: qui in illam ingressi sub vesperam, nocte ipsa cum sequenti die ac nocte, ferro & igne in domos & in cives ipsos, ex quibus nonnulli capti, plerique interfecti, immaniter sævierunt: sicque succensis omnibus

ac direptis recesserunt. Illic ecclesia miro opere a sancto præsule exstructa, una cum claustris monasterii mirifice compositis, igni succensa est: illic bibliotheca, quam Ludovicus augustus eidem sancto patri contulerat, una cum plurimis aliis libris disperiit: denique universa, quæ vel ad ecclesiasticum ministerium, vel ad ceteros usus comparaverat, aut prædatione, aut igne correpta sunt, ut pæne nudus relictus sit. In bis tamen omnibus sanctissimus pater eam animi constantiam tenuit, ut ne verbum quidem impatientiæ ex ejus ore exciderit. Accessit ad rei cumulum, quod Sueones in Gauzbertum episcopum, qui evangelici laboris socius & adjutor datus ei fuerat, irruerint, eumque rebus omnibus itidem spoliatum, a finibus suis expulerint, Nithardo ejus nepote in odium christiani nominis occiso. quod non regio jussu, sed populari tantum conspiratione perpetratum, Deus inultum abire non est passus, multis ex illis peste aliisve morbis ac morte, aut damno rerum suarum mulctatis. Hæc pluribus Rembertus episcopus in libro de vita sancti Anscbarii, quæ paucis ad hunc annum retulerunt Annales Fuldenses ac Mettenses. Quas ex illa clade reliquias sustulit vir sanctus, eas ab archiepiscopo Ebone acceperat, nempe sanctorum Sixti ac Sinicii episcoporum Remensium, in quorum honorem cœnobium postea constituit in prædio Ramsolano, quod Ikia matrona haud longe ab Hammaburgo ipsi tradiderat.

ANN. CHR. 841.

Anscharii in his constantia & providentia.

Ab eo tempore ad annos septem episcopo Sueones christiani orbati sunt. Horum orbitati, in primis Herigarii præfecti, nuper ad fidem conversi, desolationi compatiens vir sanctus, christianæ religionis primitias illic perire non sustinens, quemdam anachoretam, Hardgarium nomine, (& is presbyter erat) eo misit, magno fidelium gaudio & profectu. Nemo quippe ejus prædicationi resistere audebat, ob pœnam cælitus immissam in eos, qui servos Dei inde expulerant. Quin etiam rex divina mysteria publice tum celebrari permisit suggestione Herigarii, qui multa nihilo minus ab indigenis paganis indigna passus est, sed cælestibus signis a Deo vindicatus. Unum in his præcipuum, quod, Avoundo Sueonum rege, qui a suis ejectus fuerat, Bircam opidum cum Danis oppugnante, Herigarius obsessis auctor fuit, ut Christum invocarent. quo facto, soluta obsidio est, Danorum furore ex fortium conjectura in quamdam Slavorum urbem converso. Hac occasione usus Herigarius, Bircenses hortabatur ad christianam fidem capessendam. Idem non multo post, consummato boni operis cursu, languore correptus, adstante Hardgario sacerdote, *communione sacra percepta*, feliciter in Christo quievit. De quadam piissima ejus regionis matrona, Frideburga nomine, id memoriæ proditum a Remberto est, quod, cum illa in fide constantissima, nullis paganorum injuriis aut contumeliis a fidei rectitudine demoveri potuisset; nullo tum superstite illis in partibus sacerdote, *ipsa amore sacrificii, quod audierat viaticum esse christianorum*, aliquantulum vini in vasculo reservari curaverit, filiæ suæ dato mandato, ut, si quando ultima ei hora mortis instaret, ex ipso vino, quia nec sacrificium, nec sacerdotem habebat, in os ipsius distillaretur, *ut vel sic Domini gratia exitum suum commendaret*. Verum, cum in eas partes Hardgarius presbyter post triennium venisset, hæc morbo extremo correpta, eum accersiri jussit, & accepto de manu ejus optato viatico, feliciter ad Deum migravit, rebus suis in pauperes distribui jussis. quod ejus filia religiosa, non sine auctæ pecuniæ miraculo, executa est. Post mortem Herigarii & prædictæ matronæ Hardgarius in solitudinem suam revertit.

XXIX. Hardgarius ad Suecones missus.

Lambertus Scafnaburgensis in chronico auctor est, Ludovicum Germaniæ regem hoc anno in Hersfeldense monasterium venisse pridie kalendas Novembris, & privilegia suo sigillo munita monachis dedisse; monachos quoque ejus loci reconciliatos fuisse cum Otgario archiepiscopo super decimis frugum, aliarumque rerum ex provincia Turingorum, per fideles legatos domini Ludovici augusti, episcopos videlicet ac præsides. ubi legendum *Lotharii augusti*, si hæc reconciliatio hoc anno facta est, nisi si hoc de Ludovico Lotharii filio intelligendum. Hersfeldensibus tum præerat Brun abbas, Haimonis successor, qui anno sequenti Brunwarto locum fecit. Litem etiam in eosdem excitavit donatio decimarum, eidem loco facta ab Haimone episcopo Halberstatensi ex abbate ejus monasterii, qui se memorem erga suos alumnos hoc beneficio testari voluit, repugnantibus ecclesiæ suæ clericis. Etsi enim episcopis concedunt aliqui canones, ut ecclesiæ suæ decimarum partem monasteriis largiri possint; id tamen Halberstatensibus clericis duriusculum visum est, quod Haimo

XXX. Ludovici diplomata pro Hersfeldensibus & Corbeianova.

ecclesiæ suæ decimas in alienæ diœcesis monachos transtulisset.

ANN. CHR. 845

a Annal Paderborn. p. 130 & seqq.

Idem rex tria hoc anno diplomata [a] Corbeiæ-novæ dedit : unum, quo villam Huxeri, ubi situm monasterium, eidem confirmat, necnon eligendi abbatis liberam » facultatem : alterum, quo Corbeiensibus quædam prædia largitur. Utrumque eo- » dem die datum, nempe IV. idus Decembris, regni ejus in orientali Francia VII. » indictione VIII. actum Patherbrunnæ. Tertium paullo post in villa *Rosbath* datum est IX. kalendas Januarii, quo diplomate res quasdam eidem confert rogatu Warini venerabilis abbatis. ubi Schatenus observat, regni Ludoviciani in Francia orientali annum, qui in illis tabulis consignatus est, ab anno DCCC XXXIX. ducendum esse, quo a Saxonibus & Turingis adjutus, Alemanniam & Franciam orientalem sibi vindicavit. Et quidem hic calculus bene convenit prædictis tribus Ludovici diplomatis; neouaquam vero pluribus aliis, quorum unum Schatenus ipse refert pro parthenone Herisordensi, datum XI. *kal. Junii, anno X. regni HLudovici in orientali Francia regnantis, indictione* I. quod ille revocat ad annum DCCC LIV. nos ad annum præcedentem, uti certe indictio prima postulat. Mitto alia ejusdem regis diplomata, in consequentibus referenda, ex quibus evincitur, initium regni ejus, quod jam superius [b] præmonuimus, ab anno DCCC XXXIII. aut subsequente repetendum esse. Id vero manifeste probat Anscharius in libro de miraculis sancti Willehadi episcopi, ubi annum XXVIII. regni Ludoviciani componit cum anno incarnationis DCCC LX. ut suo loco [c] videbimus. Fatendum est tamen tria alia esse ejusdem regis sincera diplomata, in quibus Ludovici in orientali Francia regnantis initium a morte Ludovici ejus parentis repetendum est. quale unum vidimus authenticum ipsius Ludovici diploma, quo Strazburgensis ecclesiæ instrumenta combusta supplet, rogatu Rataldi episcopi, datum Aquisgrani pridie idus Junii anno XXXVI. ejusdem Ludovici in orientali Francia regnantis, indictione VI. quæ anno DCCC. LXXIII. respondet. Aliud consimile ibidem Corbeiæ-novæ monachis [d] datum est sub eadem indictione, sed anno regni XXXIV. forte XXXVI. ut in prædicto authentico. vel dicendum est, Ludovici regni initium ab anno DCCC XXXIX. desumendum, uti & in sequenti [e] apud Schatenum præcepto, quo rex immunitatem a decimis Corbeiæ-novæ confirmat; aliudque, quo Lizzicham villam eidem confert. Idem calculus observatur in ejusdem regis litteris pro confirmatione [f] parthenonis Herisiensis apud Triburias datis anno præcedente, Ludovici regis anno XXXII. idibus Junii, indictione IV *. In utroque diplomate Ludoviciani regni initium a prædicto anno DCCC XL desumendum est: cujus rei alia exempla inferius [g] proferemus. Tres itaque ejus Ludovici regni epochæ distinguendæ, præter Bajoaricam, de qua alias [h] egimus : una, ab anno DCCC XXXIII. aut insequente : altera ab anno DCCC XXXIX. siquidem Schateni observatio admittenda est : tertia ab anno DCCC XL. At satis harum minutiarum, quæ tamen rebus nostris lucem necessariam afferunt.

Ludovici regis epocha asserta.

b lib. 31. n. 82.

c lib. 55. n. 79.

d Annal Paderborn. p. 178.

e ibid. p. 177. & seq.

f ibid. p. 170.

* V. libr 37. n. 56.

g lib. 36. n. 210.

h Diplom. p. 207.

XXXI. Lotharii diploma pro parthenone sancti Stephani apud Argentoratum.

Hoc anno favorabilem se præstitit Lotharius augustus in sanctimoniales parthenonis sancti Stephani Argentoratensis, ut fidem facit authenticum ejus diploma, ibidem hactenus asservatum, quo notum facit imperator, *qualiter dilecta cognata nostra*, inquit, *venerabilis sanctimonialis & abbatissa sancti protomartyris Stephani Ruatbada* (si bene authenticum legimus) *in ambitu infra muros Argentorato, majestatem*, ait, *nostram adiit, offerens obtutibus nostris auctoritates & munimina cartarum illustris parentela nostra progenitoris ducis Adalberti, qui fundavit jam dictum locum in parte sua hereditatis, qua sibi pertinuit, inter ruinas veteris Argentorati, pro opportunitate solitudinis, & juxta fluenta Brusci fluvii; & dotavit eum prædiis suis large pro remedio anima sua & parentum suorum attributis; & Atalam sanctissimam virginem abbatissam præsidere ordinavit: &, quemadmodum in eisdem insertum continebatur auctoritatibus, eumdem locum per pragmaticam regis Childerici constitutionem prærogativa emunitatis libertate communiri impetravit, ita dumtaxat, ut, salva per omnia reverentia sacrosancti antistitis, in cujus consistit territorio, nullus judex publicus in loca vel terras seu reliquas possessiones* monasterii quidquam juris habeat, *nisi defensor, quem istius loci congregatio & abbatissa voluntarie a palatio impetraverit.* quorum omnium confirmationem prædicta abbatissa a Lothario impetravit *hortatu & rogatu atque favore voluntario dilectissima conjugis imperatricis augusta Hyrmingardis*, recensitis prædiis *ad stipendium fratrum canonicorum, & sanctimonialium Deo ibidem famulantium. Data idus Maii, anno Christo propicio imperii domini HLotharii* XXVI. *& in Francia* VI. *indictione*

tione VIII. *Actum publice in palatio regio Argentorato, cum iremus in Italiam, feliciter, amen.* Erat itaque hæc abbatissa cognata Lotharii imperatoris, qui Adalbertum ducem, sanctæ Odiliæ fratrem, *sua parentela* progenitorem agnoscit. Ceterum Lotharius hoc anno in Provinciam profectus est: at de ejus itinere in Italiam nihil alibi legimus. ANN. CHR. 845.

XXXII. S. Mauri abbatis translatio seu elevatio.

In Franciam nos revocat corporis sancti Mauri abbatis translatio seu elevatio, quæ sub initium hujus anni facta memoratur in cœnobio Glannafoliensi. Hunc locum tunc regebat Ganzlinus abbas, quem virum eruditissimum atque perfectissimum vocat Odo abbas, sancti viri Gauzberti ejus antecessoris filium, utique spiritualem, naturalem autem Rorigonis comitis, cujus germanus erat Gauzbertus. Elevatio vulgari more potius dicenda est quam translatio. siquidem sancti Mauri ossa e tumulo, qui ad australem altaris beati Martini partem positus erat, ad orientalem ritu illius temporis, id est pone ipsum altare, elata, in arca ferrea ibidem recondita fuere, attestante hoc ipsum inscriptione, quam Gauzlinus ibidem apponi curavit in hunc modum. *Anno incarnationis Domini nostri Jesu-Christi octingentesimo quadragesimo-quinto, indictione octava, feria quinta hebdomadis nihilominus quinta in Quadragesima, quarto idus Martii, translata sunt ossa beatissimi levitæ Mauri a famulo Dei Gauzlino, aliisque sacerdotibus, in locum, in quo nunc venerantur, in arca ferrea cum honore recondita. Hac eadem etiam die reliquiæ protomartyris Stephani, quæ a Bertulfo abbate, tempore Chlotharii regis, juxta prædicti patris Mauri tumulum, ob ejus venerationem in buxtula lignea recondita fuerant, ita intactæ & absque macula sunt repertæ, ut quasi eodem die illic repositæ fuisse crederentur. In qua etiam membranula vetustissima portiuncula est inventa, cujus series diuturna oblitteratione pæne deleta, vix perspicacissima elucidari valuit indagine. cujus textus tandem enucleatus hæc continere repertus est*: HIC REQUIESCIT CORPUS MAURI MONACHI ET LEVITÆ, QUI TEMPORE THEODEBERTI REGIS IN GALLIAM VENIT, ET OCTAVODECIMO KALENDARUM FEBRUARIARUM MIGRAVIT A SÆCULO. *Beati quoque Petri apostoli patrocinia simili modo ibidem sunt reperta in arula, quæ ad caput ejus erecta est, & arenoso aggere cooperta pro conservatione earumdem, ut opinari potest, decenter fuerat.* Hactenus inscriptio a Gauzlino abbate apposita, qualem retulit Odo abbas in libro de translatione & miraculis sancti Mauri. In hac inscriptione feria quinta hebdomadis quadragesimalis, quæ post dominicam *Lætare* occurrit, eo anno in quartum idus Martii incidebat: quæ hebdomada quadragesimæ quinta censeri potest, computando quatuor primos a capite jejunii dies pro una hebdomada; quarta vero nostro more primam hebdomadam a dominica sequente ineundo. Ceterum sancti Mauri epitaphium, in ejus tumulo jam obliteratis præ vetustate litteris tunc repertum, vel unum cordatis ac minime morosis viris sufficere potest ad asserendam missionem sancti Mauri beatissimi patris Benedicti discipuli in Gallias, quam nonnulli hoc tempore nullis idoneis argumentis elevare, immo & negare cœperunt. De Gauzlino abbate Odo addit, quod pridie ante pentecosten insequentem ordinatus sit abbas primus a restauratione monastici ordinis in cœnobio sancti Mauri, quod ante eum Fossatenses administraverant; ordinatus, inquam, ab Ursmaro Turonensi pontifice in ecclesia sancti Salvatoris ante altare, quod ipse in honorem sanctæ Trinitatis ædificaverat; idemque ipso anno ad diaconatus ordinem promotus ab Ebroïno Pictavorum episcopo, sub quo abbatis officium gessit, ac paullo post ad sacerdotium a Dodone Andecavensi. Gauzlini abbatis tempore auditæ angelorum voces in illa Salvatoris ecclesia, cum duodecimam lectionem idem abbas, *ut in congregationibus monachorum mos est*, recitaret. Hujus rei testis ab Odone laudatur præter alios fratres reverendissimus abbas Godefredus, qui post Theodradum Gauzlino successit. Eodem etiam abbate vir quidam nobilioris generis, Witcherius nomine, monasterio infensus, meritas sancto Mauro dedit pœnas; uti & Wlfuinus quidam, vir secundum sæculi dignitatem clarus, quod censum piscium, quadragesimæ tempore persolvi solitum, *quem more provinciæ canaticum vocant*, detraxisset: qui, exorta cum fratre suo Herveo pro quodam prædio discordia, ipsius fratris dextera confossus interiit. Denique hic est Gauzlinus seu Goislenus abbas ex monasterio sancti Mauri, qui in Rothonense monasterium profectus, desperata febre liberatus est ad sepulcrum sancti Hypothemii episcopi ibidem quiescentis, cum illic noctis unius excubias egisset, permittente custode sancti templi, nomine Rive-

ANN. CHR. 845.

leno, viro reverentissimo, ut legitur in libro tertio de gestis sanctorum Rothomensium.

Brogili cella Fossatensibus data

a Hist. Paris. to. 1. p. 416.

Vivebat ad id tempus Ingelbertus abbas Fossatensis, non semel jam a nobis laudatus, qui hoc anno monachos in cellam pagi Cenomannici, Brogilum vocabulo, petente Aldrieo episcopo, Carolo rege probante induxit. Id discimus ex præcepto a Carolino, in quo venerabilis vir Ingilbertus, monasterii Fossati abbas, ad regiam celsitudinem, in villa Rausiaco tunc residentem, accessisse dicitur, eique exposuisse, quod piæ memoriæ Ludovicus augustus quamdam villam, quæ Ad-illum-Brogilum vocatur, rogatu Aldrici Cenomannensis episcopi, ecclesiæ matri restituerit eo pacto, ut illie regulari vitæ apta ædificia exstrueret, & monachos ibidem collocaret. quare idem Aldricus monachns ab ipso Ingilberto petierit, qui secundum patris Benedicti institutionem alios eo loci instituerent. quod cum Ludovici principatu effectu caruisset, Carolo visum est hanc villam commutatione alterius prædii ab ecclesia Cenomannensi omnino abstrahere, eamque liberam Fossatensi monasterio regulariter conferre: ut plenarium tandem effectum genitoris sui obtineat devotio, ibique monachorum cœtus instituatur, regularisque servetur perpetuis temporibus religio, nihilque ab eadem villa, quam *monasterium fisci dominici* vocari jubet, exigatur. Actum in villa Rausiaco VII. idus Octobris, indictione VIII. anno sexto regni Karoli gloriosissimi regis. quod diploma Æneas notarius ad vicem Ludoviei recognovit. Ingelberto abbati paullo post successit Fginhardus, de quo post biennium agemus. Non alia est, si non fallit conjectura, hæc villa Rausiacus *, a villa Briegii, quam Rotegiacum villam Parisiacæ ecclesiæ vocat Fortunatus, locatque in pago Amoniensi *. Hæc Brogili cella ad fluvium Sarthæ posita erat, ejusque ecclesia in honorem dicata Salvatoris.

* Rozoy.

* de Mosny.

XXXIII. Caroli diplomata pro Dervo & parthenone S. Mariæ Suession.

Paucis ante mensibus Altmarus, rector Dervensis monasterii, litteras ab eodem rege obtinuit ad confirmandas monachis quasdam villas, quas in augmentum subsidii eis assignaverat. In his litteris vocatur a Carolo *benignus Deumque timens ac noster fidelis & valde amabilis Altmarus, rector monasterii Dervensis*; villæ vero ab eo concessæ recensentur Summa-Vigra, habens quatuordecim mansa, villa Mortrium, habens mansa viginti; villa Tilius, habens mansa quinque, id est quinque rusticanas mansiones; aliæque villæ, quas cum suis basilicis Altmarus monachis assignat. Actum in Compendio palatio, III. nonas Maii, indictione VIII. anno quinto regni præstantissimi regis Karoli. Idem Æneas ad vicem Ludovici recognitor regii præcepti. Altmaro abbati non multo post successit Pardulus ex vice-domino Remensi episcopus Laudunensis. qui ambo, non abbates, sed rectores monasterii appellantur, ad discrimen abbatum regularium.

Jam a mense Februario Compendii residebat Carolus rex, cum liberam eligendæ abbatissæ facultatem indulsit, aut potius confirmavit *congregationi monacharum sancti cœnobii* sanctæ Mariæ, *apud Augustam-Suessonum siti*, cui tunc Imma abbatissa præerat: ita ut post ejus decessum alia ex ipsa congregatione eligatur, quæ præesse & prodesse possit: sin minus, successores reges, *studio episcopali, & consensu sororum ipsius sancti cœnobii*, talem eligant, quæ divina monita verbo & exemplo doceat. Actum Compendio palatin regio, pridie idus Februarii, indictione VIII. anno sexto regni Karoli præstantissimi regis. Hoc diploma exstat in appendice ad historiam ejus monasterii, auctore nostro Michaële Germano.

XXXIV. Cunaldi cella Herensibus concessa.

b Tournus pag. 100. & seqq.

* Cunault.

Sub finem hujus anni Carolus iterum in Britanniam ad componendos ejus provinciæ motus profectus est. Is cum in civitate Redonis moraretur, Viviano comiti fideli suo gratificari volens, eidem quasdam res juris sui largitus est, sitas in pago Andecavensi super fluvium Ligeris, id est monasteriolum, quod vocatur b Cunaldus *, ubi sanctus Maxentiolus corpore quiescit. Actum Redonis civitate, XIV. kalendas Novembris, anno sexto regni Karoli, indictione octava. Post alterum mensem idem Vivianus comes prædictum Cunaldi monasteriolum venerabili gregi, cui domnus Hilbodus abbas præerat, hoc est vagæ congregationi Herensi, sub protectione sancti Filiberti confessoris strenue domino famulanti, Normannorum ac Brittonum crebris incursionibus vexatæ & expulsæ, ad confugium & sustentatinnem concessit. quam donationem Carolus rex iisdem die & anno ratam habuit Turonis in monasterio sancti Martini VI. kalendas Januarii, indictione octava, anno sexto regni Karoli præstantissimi regis. Viviani comitis litteris, qui & ipse abbas erat sancti Martini monaste-

ANN. CHR. 845.

rii, subscripsit Rainaldus abbas Majoris-monasterii, qui jussu Caroli regis, ad preces fratris sui Viviani, prædictum monasteriolum congregationi sancti Filiberti consignavit die sexta Januarii insequentis.

XXXV. Pippini diploma pro Calmeliaco.

Interim, concedente Carolo rege, in Aquitania quasi precario regnabat Pippinus junior, qui hoc anno regis nomine præceptum Calmeliacensi sancti Theotfredi monasterio impertiit, rogante Galterio abbate, qui Bodoni successerat. Is Pippino regi litteras Ludovici augusti exhibuit, in quibus continebatur, quo pacto ipsum locum Berengarius comes domno Ludovico piissimo cæsari, ipsius Pippini avo, in proprium obtulisset: quod idem pius cæsar monachis in eodem loco degentibus, & venerabili Bodoni abbati, antecessori suo, eorumque successoribus jure proprio tradidisset ac consignasset. Insuper idem Galterius alias Caroli regis, quem Pippinus avunculum suum, id est patruum, vocat, litteras regiæ defensionis & immunitatis obtulit, quas a Pippino rege petiit confirmari, obtinuitque anno Pippini regis octavo a morte Pippini patris, indictione octava. Galterio abbati subrogatus est post aliquot annos Rostagnus, de quo inferius.

XXXVI. Rosiaci monasterium conditur.

Sub eodem principe Raymundus, Lemovicensis comes religiosissimus, Rosiaci * in Biturigibus cœnobium condidit ad Crausiam * fluviolum, rogavitque Dodonem venerabilem abbatem monasterii sancti Savini apud Pictones, quod septem admodum leucis ab eo loco distat, *ut habitatores monasterii sui in regularibus observantiis informaret.* quam ille provinciam libenter pro sua religione suscepit. Hic est Dodo abbas, qui Stradenses monachos jam instituerat, idemque qui novo sancti Cypriani ad muros Pictavenses cœnobio monachos suppeditaverat, & quem post tres abhinc annos monachorum coloniam in sancti Martialis basilicam deducentem videbimus. Erat is ex discipulis sancti Benedicti Anianensis, qui sancti Savini monasterium instituit, & ipse ex discipulo multorum monasteriorum parens. Idem interfuit conciliis Germiniacensi, de quo superius, & Suessionensi apud sanctum Medardum post octo abhinc annos. Denique idem Raymundo comiti auctor fuit, ut corpus sancti Alpiniani presbyteri & confessoris, quem sancti Martialis discipulum fuisse tradunt, in monasterium Rosiacum transferret. Sancti Alpiniani depositionem celebrant fasti Lemovicenses v. kalendas Maii, quo die de eo agitur in Aprili [a] Bollandiano, ubi Rosiaci monasterii primordia referuntur. Illud ad sancti Savini monasterii, abbatisque Dodonis commendationem hic addere licet, ex eo loco assumtos fuisse monachos, qui regularem disciplinam, a Benedicto Anianensi institutam, in Æduense sancti Martini monasterium, & inde in Balmense transmiserunt, atque adeo in Cluniacense, ex quo deinde Benedictina religio reflorescens ad posteros demum propagata est. Inde etiam assumtus Bernardus abbas Tironiensis, multorum monachorum ac cœnobiorum pater.

* *Rufec.*
* *la Creuse.*

Dodo abbas S. Savini, multorum monasteriorum pater.

[a] *Bolland. to. 3. April. p. 480.*

XXXVII. Fontanellenses abbates, & Elnonenses.

Ut ea, quæ ad hunc annum pertinent, paucis absolvamus, Fulconi Fontanellæ abbati, vi. idus Octobris defuncto, mox suffectus est Herimbertus seu Heribertus ad quatuor annos & menses undecim, ut legitur in appendice ad chronicon Fontanellense apud Acherium [b] nostrum, ubi diaconus appellatur. Et tamen militiam sectabatur, armaque tractabat, testante altero chronographo Fontanellensi apud Chesnium ad annum ejus sæculi quadragesimum-nonum: quo anno in obsidione Tolosæ porta, quæ vocatur Narbonensis, venerabili viro Heriberto abbati Fontanellensis monasterii, simulque Odoni viro illustri ad custodiendum commissa est: cujus Heriberti homines injecto igne prædictam portam cremavere. In codice olim Petaviano, nunc Ottoboniano, hoc modo & ordine designantur post Ansegisum Fontanellenses abbates. *Joseph cœpit anno* DCCC XXXII. *Herimbertus cœpit anno* DCCC XLIII. *Ebolus... Ludovicus cœpit anno* DCCC XLVIII. *Sub hujus regimine destructum fuit hoc monasterium per Danos anno* DCCC LXII. *forte* LXI. *Mainardus cœpit anno* DCCC LXI. *Reædificavit monasterium istud.* Herimbertum usque ad annum DCCC XLIX. superstitem fuisse patet ex dictis: cui si Ebolus suffectus est, mox locum fecit Ludovico, abbati Dionysiano. Hoc item anno e vivis migravit Adalleodus abbas Elnonensis, cui Hildericus successisse traditur, nulla re gesta illustris.

[b] *Spicil. to. 3. p. 248.*

ANN. CHR. 846.

XXXVIII. Clades hujus temporis & conventus.

Annus insequens quadragesimus-sextus nulla alia re, quam funestis cladibus magis memorabilis fuit, id est non modo Nortmannorum incursionibus ac motibus Brittonum, sed etiam luporum infestatione turmatim in mortales sævientium, quasi armaretur creatura omnis ad vitiorum ultionem; aquarum insuper inundatione, quæ

ANN. CHR. 846. tanta mense Maïo exstitit apud Autisiodorum, ut non modo Icaunæ * alveus intumescens, domibus penetratis, ipsas vini cupas in profluentem convexerit, sed etiam, quod dictu incredibile videtur, quamdam vitem cum terra & stirpibus arboribusque solidam, ita ut erat, & in nullo disruptam, in alteram fluvii ripam transposuerit. Consimilis eodem mense post duodecim annos aquarum illuvies *in vico Leudico* accidisse perhibetur in annalibus Bertinianis, in quibus prior itidem illa descripta est. Hæc in memoriam revocant recentem hujus anni, quo hæc scribimus, calamitatem ex insolita pluviarum intemperie, quæ tanta fuit hoc anno millesimo sexcentesimo nonagesimo-septimo a festo sancti Petri tertio kalendas Julii ad octo fere consequentes dies circa Sequanam, Ligerim & Mosam, ut intra unius noctis spatium ad septem pedes, atque ita sensim deinceps aquæ intumescentes, humiles casas, herbas & segetes omnes fluviis proximas corripuerint, multis mortalibus undarum gurgite absorptis.

* l'Ionne.

Sed ut vetera persequamur, hoc etiam anno plures conventus in Galliis habiti sunt. Unum memorant annales Mettenses, mense Martio in occidentali Franciæ regno celebratum, in quo, Ludovico Germaniæ rege cum Carolo fratre conveniente, Gisleberti comitis cum filia Lotharii imperatoris, ab eo rapta, conjunctio improbatur. Secuta est synodus Senonensis, & post eam generalis conventus apud Sparnacum villam Remensis ecclesiæ ad Matronam, præter morem Junio mense habitus, in quo episcoporum de causis ecclesiasticis admonitiones flocci pensæ sunt, ut in annalibus Bertinianis legitur. Certe id satis innuunt Caroli Calvi capitula-
» ria titulo septimo, ubi referuntur capitula a domno rege Carolo & principibus
» ejus excerpta ex capitulis, *quæ anno octingentesimo quadragesimo-sexto ediderunt epis-*
» *copi in synodis*, Wenilo scilicet Senonensis, Guntboldus Rotomagensis, Ursmarus
» Turonensis, Hincmarus Remensis, & Amulo Lugdunensis metropolitani cum suis
» quisque suffraganeis; & oblata sunt eidem principi, sicut ipse jusserat, *collecta ad*
» *relegendum in Sparnaco villa Remensis ecclesiæ*: ubi factione quorumdam motus di-
» citur regis animus contra episcopos, eorumque admonitiones; iisque ab eodem con-
» cilio remotis, selecta ex synodalibus eorum actis quædam capitula & accepta, cete-
» ris rejectis. Ex his colligitur, varias a quinque illis metropolitanis synodos habitas fuisse.

XXXIX. Wenilonis privilegium pro cœnobio Vallilienſi.

In Senonensi hujus anni confirmatum est a Wenilone, ejusque coëpiscopis privilegium, quod Aldricus ejus antecessor monasterio sancti Remigii, e suburbio Senonensi Vallilias translato, indulserat. Wenilonis synodicæ litteræ inscriptæ sunt *Dominis sanctis & reverendissimis fratribus & coepiscopis, religiosissimis quoque & venerabilibus abbatibus, in ditione regni domini Karoli serenissimi regis* constitutis: ex quibus tres tantum metropolitani cum aliquot suffraganeis suis in editis ᵃ subscripti reperiuntur, nempe Wenilo Senonensis, Ruricus Rotomagensis *vocatus archiepiscopus*, & Ursmarus Turonensis. quod privilegium in urbe Senonensi a Wenilone una cum venerabilibus coëpiscopis suis editum fuisse rex Carolus testatur in diplomate, dato regni ipsius anno duodecimo, indictione prima. Non dubium quin hoc privilegium referendum sit ad hunc annum: sed incertum, an episcopi, qui eidem subscripti occurrunt, synodo illi Senonicæ interfuerint. contra veri similius est, hoc privilegium, a Wenilone & comprovincialibus tantum episcopis editum, aliarum postea diœceseon præsulibus subscribendum oblatum fuisse. Certe diversæ hoc anno provinciales synodi habitæ sunt ex dictis, & Guntbaldi Rotomagensis jam designatus erat successor *Vricus*, in editis *Ruricus Rotomagensis vocatus archiepiscopus*, cum is hoc nomine privilegio subscripsit, an idem qui Paulus Guntbaldi successor. Post episcopos subscribunt Ermenfredus abbas, qui synodi Germiniacensis privilegio pro Corbione itidem subscripsit; & Abbo abbas, ambo incerti loci. Vivebat quidem tunc, sed in Aquitaniæ regno, Abbo abbas sancti Maxentii apud Pictones: & Abbo abbas Masciacensis apud Bituriges, ex eodem etiam regno, at sequenti dumtaxat anno ordinatus: quem insignem fuisse virum oportet, quippe cujus nativitas anno ejus sæculi decimo-septimo, ordinatio anno quadragesimo-septimo, mors sexagesimo-sexto, VII. kalendas Decembris notatur in brevi ᵇ chronico sancti Martini Masciacensis. Ceterum hoc Wenilonis privilegium eodem tempore conditum videtur, quo Vallilienſis sancti Remigii basilica ab eo perfecta, dedicataque fuit. quæ dedicatio apud Clarium facta legitur kalendis Novembris, *vi-*

a Spicil. to. 2. p. 587.

Abbo abbas Masciacensis, a'iique ejus nominis.

b Labbe bibl. to. 2. p. 732.

ANN. CHR. 846.

vente adhuc Ravilaudo ejusdem loci abbate, quo die Wenilo corpus sancti Valeriani martyris istuc transtulisse perhibetur. Paullo post obiit Ravilaudus abbas XII. kalendas Januarii.

XL. Lupi epistolæ de variis rebus & de cella S. Judoci.

Interim Lupus abbas nunc per se comitatum adire, nunc litteris amicos, regemque ipsum pulsare, ablatam ut cellam sancti Judoci monasterio suo restitueret. Ierat hoc anno vocatus ad palatium, jussus ad festivitatem sancti Martini Turonis regi occurrere. Regis consilium mutavit profectio ad Brittones, quorum pars, Nomenoïo contraria, ejus præsentiam flagitabat. Erant etiam apud Aquitanos, qui a Pippino deficerent. Inter hæc Normanni, inter Burdegalam & Santones eruptione facta, christianos pedestri cum eis prœlio congressos, præter paucos fuga elapsos, miserabiliter peremerunt: in his Siguinus Vasconum dux, Ademaro comes Burdegalensis & Santonicensis, a barbaris captus, cæsusque est. Hæc Lupus ad suos reversus in epistola XXXI. ad Guenilonem seu Wenilonem præsulem sæpius laudatum. At pathetica est ejusdem ad Carolum epistola pro recuperatione optatæ cellæ quadragesima-quinta. *Plus minusve quadriennium est*, inquit, *ex quo septuaginta-duo monachi, quos ad eorum votum electionemque mihi commisistis, quique indesinenter, nobis in diversa occupatis, pro salute ac prosperitate vestra excubant, propter abstractas facultates patiuntur incredibilem vestimentorum, leguminum, ac piscium indigentiam; & publica hospitalitas, peregrinis juxta consuetudinem priorum regum exhibenda, intermissa est. Nec possum subvenire miseris: quoniam ab aliis multitudo collecta mihi relicta est, & copia, unde sustentabantur, ablata. siquidem, intercedente gloriosa matre vestra, serenissimus pater vester HLudovicus augustus, ad remedium animæ suæ ac salutem posteritatis, supplementum hoc cœnobio nostro contulerat. Nec tamen, cum id haberemus, noxia diffluebamus abundantia, ut in delicias intemperanter solveremur: quia quæ regula concedit, integris facultatibus monasterii vix poterant procurari. Nunc autem longe pauciora consecuti, abstinemus inviti, algemus coacti. Pueros, senes, atque infirmos propter inopiam non fovemus. In tanta calamitate patri ac matri vestræ cotidianas preces & annuum officium persolvimus, quasi quod illi contulerunt possideamus. Fecerunt enim illi totum quod potuerunt, & donum suum robustissime firmaverunt. Tangat itaque vos affectus eorum, per quos esse cœpistis. Instaurate illorum eleemosynam, ingenti periculo hactenus intermissam. Ne obliviscamini vestri. etenim vos jam eleemosyna indigetis. Tempus est ut Dei timor atque amor vestram compungat mentem, quia jam pervenit corpus ad virilem ætatem.* Hæc aliaque in hunc modum Lupus ad Carolum, qui tum *virilem ætatem*, annum scilicet ætatis vicesimum-quartum, attigerat. Scripta item ab eodem auctore tunc ejusdem argumenti epistola XLIX. ad Hincmarum episcopum, dum Lupus in villa Viniaco *, *qua ab Attiniaco in africum plùs minusve uno milliario distat*, versaretur: sed irritæ etiam hoc anno preces. Eodem fere tempore scripta est etiam ab eodem epistola XVI. ad Orsmarum seu Ursmarum metropolitam Turonensem, cui gratias agit, quod germanum suum, forte Adalgum, perhumane excepisset; petitque ab eo, ut commentaria Boëtii in topica Ciceronis, quos in chartaceo seu chartinaceo codice Amalricus in armario sancti Martini habebat, commodato accipiat, sibique mittat, suppresso petentis nomine quantocius ad ipsum remittendum. Hic est Amalricus levita, qui res quasdam proprietatis suæ sancto Martino tradidit, ea conditione, ut idem Amalricus, simulque Milo & Guichardus ad vitam eas haberent, eorumque successor, *quicumque fuerit præceptor in schola sancti Martini*: nec quidquam præmii aut mercedis a discipulis suis quærant aut exigant, *nisi quod sponte oblatum sit*. quod Carolus rex Viviani comitis & abbatis rogatu confirmat nonis Januarii, Turonis in monasterio sancti Martini, anno quinto regni domni Caroli regis, indictione septima.

* Guinicourt.

XLI. S. Gorgonii translatio in Majus-monasterium.

Rainaldus *cellæ Majoris-monasterii venerabilis abbas* hoc anno Romam causa orationis profectus fuisse, atque inde corpus sancti Gorgonii martyris retulisse traditur. Acceptis sacris reliquiis, Roma discessit XIV. kalendas Junii, ac demum in Majus-monasterium pridie nonas Julii pervenit. Varia in itinere patrata referuntur miracula: ex quibus Garnerius monachus quartana febre, Irmingardus presbyter ac monachus ejusdem cœnobii podagræ dolore; Placentiæ Ava quædam, Agiæ abbatissæ neptis, quotidiana febre liberata. Expositæ ad tempus reliquiæ *in aperto extra mœnia monasterii loco pro utriusque sexus concursu*, quod nimirum tunc temporis aditus feminis in ecclesias nostras non facile concederetur. Quis fuerit

ANN. CHR. 846.

ille Gorgonius martyr, incertum, quidquid dicat anonymus hujus translationis scriptor, qui hunc e numero quadraginta martyrum Sebastenorum esse opinatus est, quorum corpora cum in cineris massam redacta fuerint, ab invicem discerni haud quaquam potuere.

XLII. Sanctorum reliquiæ Audomaropolim delatæ.

Eodem anno, metu Danorum Frisiam infestantium, multæ sanctorum reliquiæ in castrum sancti Audomari translatæ memorantur, in his sanctorum Baini episcopi Taruennensis, Bavonis & Winnoci confessorum, quorum ille in Gandensi, hic in Woromholtensi monasterio quiescebat; sanctæ etiam Austrebertæ virginis & abbatissæ Pauliacensis: ubi per annos quadraginta illic asservatæ dicuntur in chronico Nortmannorum [a] apud Chesnium. His ibidem adduntur sancti Wandregisilus abbas Fontanellensis, Ansbertus & Wlframnus episcopi. quod repugnat iis, quæ de duorum primorum translatione post annos duodecim referemus.

a Chesnii to. 2. p. 525.

XLIII. Bellilocus a Rodulfo episcopo fundatus.

Nunc agendum de primordiis Bellilocensis apud Lemovices monasterii, cujus fundamenta Rodulfus Biturigum antistes ante annos sex, ut vidimus, in paterno fundo posuit ad Dordoniam fluvium, qui Lemovices a Cadurcis dirimit. Illic ab eo institutus cœtus monachorum, e monasterio Sollemniacensi adductus, cui Gairulfus seu Garulfus abbas primus præficitur. Locus, antea Vellinus dictus, ab amœnitate loci Belli-loci vocabulum accepit. Hæc omnia discimus ex primariis ejus monasterii litteris, quas in ipsius Rodulfi elogio integras retulimus. In his Rodulfus ait, se
» Dominum & Salvatorem omnium elegisse heredem rerum propriarum, quas in
» pago Lemovicino, vicaria Asnacensi, loco a rusticis Vellino, a se Bello-loco ap-
» pellato, possidebat; easque res omnes Deo Salvatori offerre, & in vice Christi
» Chuniberto abbati monasterii Sollemniacensis, ejusque monachis Godoni, Fran-
» nario, Bernardo, Gairulfo, aliisque octo, quos nominat: ut prædicti abbas & mo-
» nachi in eodem loco cœnobium monachorum sub regula sancti Benedicti in hono-
» rem beatorum apostolorum Petri & Pauli construant, libera monachis eligendi ab-
» batis facultate concessa. Tum reges, episcopos, abbates, comites & vicarios ob-
» testatur, ut ne umquam hunc locum violari aut vexari finant. Rodulfi litteris subscribunt Stodilus episcopus Lemovicensis, Addo, Alamarius, & Abbo abbates; Raimundus comes Lemovicensis, aliique, & Garulfus monachus, abbas dein Bellilocensis monasterii primus. Facta donatio mense Novembri, Caroli regis anno sexto. Locum multis prædiis locupletavit Rodulfus, & post eum Carolus, Pippinus, & Odo reges; Frotarius ipsius Rodulfi successor in sede Bituricensi, Stodilus episcopus Lemovicensis, aliique, ut patet ex variis donationum instrumentis, in quibus patroni loci, præter apostolos Petrum & Paulum, memorantur sancta Felicitas, tum sanctus Dionysius cum sociis, sancti item Pancratius, Crispinus & Crispinianus, Hilarins, Martinus, Benedictus, Eligius & Tillonus. His adduntur etiam Primus, Felicianus & Æmilius, quorum, uti & sanctæ Felicitatis, reliquiæ ibidem quiescere dicuntur. Bello-loco per annos quadraginta-quinque præfuit Gairulfus, de quo sæpius mentio in consequentibus recurret.

XLIV. Casinum a Sarracenorum strage servatum.

In Italia, cum Sarraceni ex Africa, prædæ libidine stimulati, classem Romanis litoribus intulissent, & procursu in urbem facto, opimas sanctorum Petri & Pauli suburbanas basilicas diripuissent; eamdem etiam cladem Casinensi monasterio illaturi, sub noctem trans fluvium Carnellum, quem Lirim alio nomine vocant, substiterunt, sequenti luce amnem, diripiendi monasterii causa, vado trajecturi. In tanto tamque aperto discrimine fratres, nudipedes, cinere capita conspersi, ad orationem confugiunt, S. Benedicti opem implorant, non jam de vita sua, de qua actum putabant, sed de animarum tantum salute solliciti. Et illa quidem nocte nihil præterquam vigilatum est in sacro monte. Brevi supra votum exauditæ supplicantium preces. nam, cum maxima esset tum cæli serenitas, tanta subito pluviarum eruptio facta est, ut fluvius ultra ripas excrescens omnem barbaris trajiciendi amnis facultatem ademerit, eosque præda vacuos discedere coëgerit, sacri ejus cœnobii proximis sancti Georgii ac sancti Stephani cellis præ furore succensis. Hæc fusius in Leonis Marsicani chronico [b] Casinensi, ubi eorumdem Sarracenorum classis in reditu undis absorpta memoratur.

b Chron. Casin. lib. 1. c. 27.

XLV. Calogense monasterium.

Ad hunc annum ab Yepesio revocantur primordia monasterii sancti Cypriani Calogensis, quod Gundilanus quidam ad oram maris in Gallicia prope Uliam fluvium in honorem Deiparæ & beatorum apostolorum Petri & Pauli ac sancti Cypriani

exstruxit pro sexdecim fratribus, sub regula sancti Benedicti. Hujus rei instrumentum laudat Yepesius, quod subscripsisse dicitur Viliatus abbas cum collegio fratrum, quorum nomina referuntur. Sunt qui putant, monachos, qui sancti Jacobi Compostellanam ecclesiam olim possederunt, ex hoc monasterio assumtos fuisse.

ANN. CHR. 847. XLVI. Hincmari probata ordinatio in concilio Parisiensi.

ORdinato in locum Ebonis, ita ut diximus, Hincmaro, & in sedem Remorum promoto, novæ Lothario imperatori iræ faces admotæ, cum ex raptu filiæ suæ per Gisalbertum comitem ex partibus Caroli, tum ex eo, quod Ebo sui causa dejectus esset absque spe restitutionis, si Hincmari obtineret ordinatio. Itaque ad Sergium papam scribendum censuit, ut Ebonis causæ cognitio redintegraretur. Scriptæ a Sergio litteræ, convocandi hac de re concilii causa, ad Carolum regem, & ad Guntbaldum Rotomagensem episcopum, quem cum selectis episcopis Treviros convenire jussit, ubi legati pontificii ad causam cognoscendam primo quoque tempore se sisterent. Exspectatis frustra legatis, Guntbaldus Caroli assensu episcopos Luteciam-Parisiorum convocavit, ubi Ebo citatus cum non comparuisset, Hincmari probata ordinatio est, & vetus in Ebonem sententia confirmata. Habitum est hoc concilium XVI. kalendas Martias anni qnadragesimi-septimi: cui synodo Guntbaldus, Wenilo, & Hincmarus metropolitani cum suffraganeis suis interfuerunt.

Privilegium Corbeiæ concessum.

Ad fuit etiam Radbertus abbas Corbeiensis, patribusque exhibuit sacras litteras « piissimorum principum HLudowici bonæ memoriæ piissimi imperatoris, & HLo- « tharii filii ejus, quibus cautum erat, ut ipsum monasterium secundum antiquum « morem, jam inde a principio observatum, electionis gratiam, & liberam rerum « suarum dispensationem haberet. Oblatæ etiam ab eodem Caroli præcellentissimi re- « gis litteræ, qui & idem monasterium, juxta morem antecessorum suorum, regia tui- « tione & immunitate douaverat. qnæ omnia Radbertus a patribus concilii confirmari « postulabat. Assensere patres; tam pro reverentia Dei, qui ipsum locum protegit « atque defendit; quam propter eorum dilectionem, qui ibidem laudabiliter Deo ser- « viebant, inviolatam retinentes sacræ religionis normam, quæ primis temporibus illic « instituta fuerat. adeo ut primos loci cultores non modo æquarent religione, sed etiam pæne superarent. *Qua de causa & nobilissimi viri in eodem loco ad Dei servitium sponte confluxerunt, & eumdem locum tam nobilitate sua, quam & vita merito decoraverunt.* Proinde eorum privilegia non confirmare episcopis visum est nefas: tum « quia patres & defensores ecclesiarum esse deberent: tum quia, nisi pro talibus in- « vigilarent, rei coram Deo esse pertimescerent. Monent itaque hortanturque piissi- « mos principes, tam præsentis temporis, quam futuri, ut liberam eidem loco eli- « gendi abbatis facultatem conservent juxta auctoritatem canonicam & regulam sancti « Benedicti; &, si aliquando rector ejusdem monasterii non digne Deo vivat, aut « minus officiose erga principem se gerat; eo deposito, electio nihilo minus monachis « intemerata permaneat. Neque enim justum esse, ut unius culpa super omnes re- « dundet, aut uno peccante, super omnes vindicta consurgat, aut causa unius eccle- « sia Christi sua privilegia perdat. Tum diræ & imprecationes in transgressores pro- « feruntur. In fine monent Corbeienses, quos *praclara & pretiosissima membra æterni* « *Regis & Salvatoris omnium* vocant, *quatinus eodem affectu religioni suæ continuam devotionem adhibeant, quo nos*, inquiunt patres, *eorum & utilitati consulimus, & tranquillitati in futuro hac in causa deservimus: videlicet ut tales esse studeant ante oculos Judicis omnia cernentis, quales in oculis omnium videntur esse & creduntur.* Privilegio subscribunt episcopi viginti, nempe tres metropolitani, & episcopi variarum diœceseon septemdecim; & post eos Ludovicus abbas sancti Dionysii, Radbertus Corbeiæ, Adalgarius sanctæ Crucis apud Meldas, Rainaldus sancti Carilefi apud Cenomannos.

XLVII. Hildemanni episcopi Bellovaci facta & obitus.

Ex episcopis subscribit Irminfridus sanctæ Bellovacensis ecclesiæ episcopus, Hildemanni successor, ejus, qui Ludovici augusti exauctorationi assensisse insimulatus est, Ebonis restitutioni, post mortem Ludovici factæ, suffragatus. Fuerat is ante episcopatum Corbeiensis monachus, jamque episcopus sancto Adalhardo abbati morienti adfuerat. Restituto in thronum Ludovico, Hildemannus *in synodo præsens*, teste [a] Frodoardo, *a calumnia sibi impacta* se purgaverat, satisfaciens synodo, & per eam imperatori, quod de synodo apud Theodonis-villam habita interpretan-

[a] Frod. lib. 2. c. 20.

ANN. CHR. 847.

[a] Hincm. c. 36.
[b] Spical. to. 7.

dum, in qua ipsius Ludovici restitutioni subscripsisse invenitur apud Hincmarum in posteriori [a] opere contra Gothescalcum. Ebonis tamen restitutioni assensus est cum aliis episcopis, ut ex Ebonis apologetico [b] discimus. Caroli nihilo minus gratia usus est, idemque synodo Germiniacensi, jussu Caroli convocatæ, interfuit anno ejus sæculi quadragesimo-tertio. De aliis ejus gestis nihil nobis superest præter id, quod in libro de miraculis sancti Vedasti legitur: ubi ex oleo quodam miraculoso Hildemannus, ipsiusque successores sumsisse dicuntur, *tam ad baptizandum, quam ad infirmorum unctionem.* Ad hæc Ansegisus abbas Fontanellensis *Hildemanno episcopo ad presbyteros & pauperes libras decem* legasse memoratur, præter libram unam, quam Bellovaci canonicis testamento reliquit. Hildemanni obitum fusior Gallia-christiana perperam ad annum octingentesimum quadragesimum-secundum; nec melius Louvetus ad annum quadragesimum-octavum refert, quorum alterum refellit synodus Germiniacensis, cui Hildemannus subscripsit; alterum Parisiensis, cui Irminfridus ejus successor interfuit. Mihi vero ejus obitus anno quadragesimo-sexto collocandus videtur. quod probat Hincmari epistola, scripta [c] *Immoni Noviomagensi episcopo pro synodo comprovinciali Parisius condicta, & pro ordinatione Irminfridi, post decessum Hildemanni Belvacensis episcopi.* Hæc est superior illa synodus Parisiensis, cui Irminfridus recens ordinatus interfuit. Hildemanni diem obitus VI. idus Decembris signat martyrologium Bellovacensis sancti Petri ecclesiæ, cui terram *in Frismonte* seu Frigido-monte concessisse dicitur. Eumdem assignant diem martyrologia Gallicanum & Benedictinum. In necrologiis Dionysiano & Argentogilensi notatur III. idus ejusdem mensis *Ildemannus episcopus, sed beati Dionysii monachus*, alius ab Hildemanno Bellovacensi, quem Trithemius *divorum*, ut ipse vocat, numero adnumeratum dicit. Certe ejus elevatio in martyrologio consignatur V. nonas Maii. Irmenfrido Hildemanni successori substitutus est Odo monachus & post Radbertum abbas Corbeiensis.

[c] Frod. lib. 3. c. 21

XLVIII. Orgario Moguntino succedit Rabanus.

Hoc anno quadragesimo-septimo e vita migravit XI. kalendas Maii Otgarius Moguntiacensis antistes, ut tradunt annales Fuldenses: in cujus locum HRabanus ordinatus est, & quidem V. kalendas Julii, si mendum non est in his annalibus, cujus loco Trithemius sextum ante easdem kalendas, annales Saxonici nondum editi, qui cetera cum Fuldensibus conveniunt, octavum kalendas Julii præferunt, id est diem natalis sancti Johannis-Baptistæ: qua die ob festi celebritatem, tametsi dominica non erat, Rabani ordinatio facile fieri potuit. Ut ut sit de die, constans & explorata est de hoc anno sententia. Eodem ordinationis suæ anno Rabanus, jubente Ludovico rege, Moguntiæ in basilica sancti Albani synodum habuit circa kalendas Octobris, in qua comprovinciales episcopi & abbates cum monachis convenere. Occasio convocandæ hujus synodi eadem fuit, atque Meldensis superiori anno habitæ. Cum enim a laïcis bona ecclesiarum invaderentur, & jura violarentur; ac de his frequentes apud regem deponerentur querelæ: ipse rex, ut his malis remedium afferret, satis egit, ut provinciale concilium colligeretur, cui *archiepiscopus Rabanus, vir doctrina valde insignis, præesse deberet, quem sciret probitate atque scientia nulli secundum*, inquit Baronius. Congregatis omnibus visum est duas facere turmas: in una consederunt episcopi cum notariis; in alia abbates & probati mo-

Moguntiæ concilium.

» nachi, sancti Benedicti regulam accurate perlegentes, atque invicem pertractantes,
» quo pactu monachorum vitam in meliorem statum revocare, & regularem discipli-
» nam iis in locis, ubi collapsa esset, in pristinum splendorem restituere possent. In
» primis sancitum canone quarto-decimo, ut nullus monachorum quidquam proprie-
» tatis habeat, nec parochiales ecclesias acciperet sine consensu episcopi. De ipsis ve-
» ro titulis, in quibus instituti fuerint, rationem episcopo, vel ejus vicario reddant,
» & convocati ad synodum veniant. Canone sequenti, ut abbatissa, quæ monaste-
» rium in civitate habet, ex eo non egrediatur absque permissu episcopi sui, nisi fortè
» jussione regali cogatur. Si quando vero foras pergat, comites habeat quasdam e
» sanctimonialibus, quarum mores & actiones observet. Ad hæc sarta tecta curet.
» Sanctimoniales vero in monasterio lectioni & psalmodiæ studiose vacent, omnesque,
» præter infirmas, in communi dormitorio cubent, & singulis diebus *ad consolationem*,
» forte legendum *ad conlationem*, veniant, & ut cetera observent, quæ in regula sanc-
timonialium & in statutis patrum continentur.

In eadem synodo ventilata est causa cujusdam pseudoprophetissæ ex Alamanniæ partibus

partibus, nomine Thiotæ, quæ Salomonis episcopi Constantiensis parochiam suis vaticiniis & concionibus non mediocriter perturbaverat, asserendo certum finis sæculi diem, aliaque permulta divinitus sibi revelata fuisse. quæ in præsentiam episcoporum adducta, publice flagellis cæsa est, eique ministerium prædicationis, quod temere usurpaverat, interdictum. Ex quo intelligitur, quam fallax sit eorum opinatio, qui existimant, monasteriorum opes ex monachorum falsis ejusmodi de imminente extremo judicio vaticiniis provenisse, quando episcopi & abbates tam severe in hanc pseudoprophetissam animadverterint; nec temere ac fortuito quælibet vaticinia illis temporibus pro oraculis habita fuisse. quod maxime patet exemplo sancti Norberti, qui, cum de proximo sæculi excidio haud dubium sibi oraculum cælitus factum fuisse crederet, ab hac persuasione revocatus est per sanctum Bernardum abbatem Claravallensem.

Ad hæc in illa synodo decretum est, ut pro Ludovico rege ejusque conjuge ac prole missarum tria millia & quingentæ, & psalteria mille septingenta persolverentur. Inter alia etiam id constituerunt patres, ut ne iis, qui pro sceleribus suspensi fuerint post confessionem peractam, ecclesiastica sepultura, sacræ oblationis pro eis copia, & missarum celebratio denegetur. Sed & animadversum est in illos sacerdotes, qui pro gravibus peccatis nonnisi leves quosdam & inusitatos pœnitentiæ modos jam tum imponebant, sub omni cubito, juxta propheticum Ezechielis dictum, pulvillos consuentes. Huic synodo præter Rabanum e nostris interfuit Anscharius episcopus Hammaburgensis.

XLIX. Conventui apud Marsnam adest Lupus abbas.

Longe ante istud concilium colloquii causa una convenerant tres fratres reges prope Trajectum *, in loco, qui Marsna dicitur, & quidem hebdomade secunda quadragesimæ, cujus initium hoc anno fuit die sexta-decima Februarii. Interfuit huic conventui Lupus Ferrariensis abbas, cujus exstant hac de re epistolæ duæ, nempe quinquagesima, & undesexagesima. In priori quemdam familiarem rogat, ut pecuniam ad illud iter necessariam a quadam nobili domina sibi mutuetur. Posteriori Marcwardum abbatem Prumiensem invitat ad illum conventum, de quo ita scribit. *Non ignoratis, credo, reges nostros apud Trajectum hebdomade secunda quadragesimæ celebraturos colloquium, quo me trahit ecclesiastica necessitas. qua urgente, ut vobis jam aliis expressi litteris, cum rege quartum ago mensem, ita ut ne die quidem a comitatu abfuerim. Præbeat igitur se mihi saltem illic desiderabilis vestra paternitas, ut nostra familiariter, viva tamen voce, valeamus cognoscere.* Non tamen invitanti amico paruit Marcwardus, ut patet ex sequenti epistola, pollicitus, se post pascha Lupum invisurum. quod commode factum iri ait Lupus, si ille secunda hebdomada mensis Maii iter ad se arripiat. *Nam quinto-decimo*, inquit, *die post pascha synodus magna, ut aiunt, apud Attiniacum celebrabitur: cui me abesse nequaquam, ut credo, nostri præsules patientur.* Quippe, ut recte Baluzius observat, sanctissimi Gallicanæ ecclesiæ antistites tanti faciebant Lupum nostrum, ut eum spectarent veluti conditorem canonum, atque adeo ejus præsentiam in synodis quodam modo necessariam existimarent. Jam enim experimentum sacræ eruditionis fecerat in canonibus concilii Vernensis. In illo Marsnensi placito inter reges convenerat, ut ad firmanda ea, quæ in conventu isto acta fuerant, *commune placitum* sive generalis conventus in urbe Parisiorum haberetur insequenti festo sancti Johannis. Ad quod Carolus ut negotia regni sui disponeret, medio intervallo conventum apud Attiniacum indixerat, ad quintum-decimum diem post pascha, id est octavum kalendas Maias. quo de conventu Lupus hic agit: quem tamen haud habitum fuisse opinatur Baluzius, ut neque Parisiensem. Addit Lupus in sexagesima illa epistola, se nihil aliud de cella Judocensi posse Marcwardo scribere, nisi quod *promissionum ubertas* spes varias pæne quotidianas, sed valde dubias, quotidie pariat. Ex quo intelligitur, necdum tunc hanc cellam Ferrariensibus restitutam fuisse. Tum de Ratlegio abbate Selingestadiensi hæc subdit. *Abbas monasterii, quod germanice Saligstat appellatur, cui nomen est Ratlegio, partem quamdam cujusdam libri faciet mihi describi, eamque vestro, mihi reddendam, nuntio se traditurum promisit; atque obsecrat, ut tabulas, quas Hilpericus pictor beatis vovit martyribus*, id est Marcellino & Petro, ipsius monasterii patronis, *hebdomada secunda post pascha ipsi dirigere dignemini.* In fine agit de quodam nepote suo, forte Guagone [a], qui capitis dolorem patiebatur, a quo eum parcitate potius relevari posse existimat

* Mastrich.

[a] Lup. ep. 91.

ANN. CHR. 847.

Pervasorem patitur.

Idem, in procinctu ad conventum Marsnensem, Ferrariensibus suis scripsit epistolam quinquagesimam-primam, in qua agit de quodam adversario, qui ipsius regimen carpebat, quasi nimium sibi in rebus monasterii sui administrandis tribueret; atque omnium villarum suum esse regimen & laborem: at usumfructum ipsum, etiam secundum suam dispositionem, fratrum esse communem. *Ita*, inquit, *nec saecularem religio minuit potestatem, nec potestas confundit religionem.* Interim cavendum ait a violentia pervasoris, & prospiciendum equis suis, ne a magistro, aut a discipulo subtrahantur. quod an de Engilberto [a], qui ejus abbatiæ inhiabat, intelligendum sit, mihi haud exploratum.

[a] *id. epist.* 92.

L. *Senonensium monasteriorum infelix status.*

Apud Senonas Wenilo archiepiscopus infelicem episcopatus sui monasteriorum, quæ fere in cellas redacta erant, statum miseratus, Carolum regem rogavit, ut eis auctoritate sua subveniret. Ejus rei causa regiæ majestati obtulit præceptum a domno genitore suo HLudovico Hieremiæ archiepiscopo concessum *de cellis monachorum* sui episcopatus, supplicans, ut illud renovare dignaretur. Cellæ illæ erant S. Petri, sancti Johannis, & sancti Remigii: in quibus monachi, cum sub sanctæ regulæ disciplina religiosam vitam ducere debuissent, variis discursibus, urgente inopia, addicti erant, longe a proposito suo aberrantes: cujus rei hæc causa erat, quod *memoratarum substantia cellarum per divisionem olim factam imminuta fuisset, & qui præerant episcopi, non habentes unde subsidia sumptuum suis usibus necessaria caperent, ex eisdem cellis, quantum extorquere quibant, dari sibi cogebant.* quo comperto, rex decernit, ut in posterum illorum locorum monachis subsidia ordini suo congruentia suppeditentur; nec ullus ex rebus ad eorum usus deputatis quidquam subtrahere ausit. *Data* VII. *kal. Martii, anno* VIII. *regnante Karolo gloriosissimo rege, indictione* X. *Actum in monasterio sancti Martini.* sic legitur in authentico, cujus exemplum in appendice referemus. Nulla hic mentio de monasterio sanctæ Columbæ, quod forte in tanta penuria non erat. Ejus privilegium libertatis paullo post idem rex confirmavit. Ex hoc autem diplomate patet, monasterium sancti Johannis apud Senonas, quod modo canonicorum regularium est, tunc temporis monachorum fuisse, uti & suburbana monasteria sancti Petri & sancti Remigii, ex quibus hoc postremum modo exstinctum est. Ceterum relevandæ sancti Petri inopiæ nonnihil contulit translatio sacrarum reliquiarum sancti Saviniani ejusque sociorum hoc anno facta, ut postea videbimus.

LI. *Pippini privilegium Didoni Glonnæ abbati concessum.*

Non multo post Pippinus Aquitaniæ rex Glonnensi sancti Florentii monasterio libertatis & immunitatis privilegium confirmavit ad preces Didonis abbatis, obtestans successores suos, ut prædictum monasterium deinceps sub regulari, sicut antiquitus, ordine consistat, & nemo umquam canonicorum aut laïcorum ibi abbas constituatur; neque ullus comes in ipso monasterio ullum sibi imperium vindicare ausit: sed perseveranter in omnibus sæculis idem locus sub regali maneat defensione cum omnibus suis rebus, *quas Ausaldus & Gauzbertus abbates ejusdem loci sub suorum potestatibus tenuerunt.* Mortuo vero abbate, quamdiu ipsi monachi inter se talem invenerint, qui eos secundum regulam sancti Benedicti regere valeat, habeant potestatem eligendi ex se se abbatem. *Data* VI. *kalendas Junii, indictione decima, anno nono regnante Pippino inclyto rege. Actum Floriniaco villa super Carum sita, in generali placito.* Has litteras Carolus quintus rex Francorum recognovit anno regni sui duodecimo, ut patet ex registro cameræ computorum.

LII. *Caroli diploma pro Glannafolio.*

Hoc ipso anno Carolus Ebroino Pictavensi episcopo, quem palatii sui protocapellanum vocat, Glannafoliensis monasterioli donationem, quæ a Ludovico genitore suo ei facta fuerat, regio diplomate confirmavit, eam videlicet ob causam, quod Ebroïnus hoc monasteriolum, ut ipse vocat, sancti Mauri *in statum & religionem monastici ordinis funditus restruxisset, atque in habitum, quo olim excultum fuerat, reparasset.* Id autem ea ratione rex concedit, ut, quam diu vixerit Ebroïnus, iste locus sit sui juris: post ejus vero ex hac vita transitum, *vinculo consanguinitatis ei conjunctus religiosus vir Gauslinus*, qui jam illic [b] proabbatis vices agebat, plene hac abbatia potiatur; eoque mortuo, fratres eligendi successoris facultatem habeant, nisi forte post eumdem Gauslinum talis ex eorum progenie inveniri possit, qui ei subrogetur. *Data pridie idus Julii, anno* VIII. *indictione* X. *regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Bonoilo.* Jonas notarius atque diaconus ad vicem HLudowici recognovit ac subscripsit hoc diploma, a Philippo Labbe [c] editum, cujus authenti-

[b] *supra* n. 31.

[c] *Labbe Miscell.* p. 403.

ANN CHR 847.

cum in archivo Fossatensi hactenus asservatur, ex quo illud in appendice referemus.

LIII. S. Martialis canonici fiunt monachi.

Apud Lemovicas in basilica Salvatoris & sancti Martialis canonicalis habitus [a] & ordo in monasticum conversus est. Hoc Ainardus abbas ejus loci, non invitus, sed voluntarius, cum omnibus, uno excepto, canonicis, Deo inspirante peregit; & tam ipse, quam canonici omnes, monasticen professi sunt. Quin etiam Ainardi abbatis ea modestia fuit, ea aliorum omnium voluntas, ut ex se ipsis abbatem eligere noluerint; sed e Pictavensi sancti Savini monasterio venerabilem Dodonem, cujus mentio cum laude superius facta est, sibi abbatem regularem elegerint, omnesque *perfecte regulares*, id est observantioris vitæ monachi, facti sint. Unus ab eis dissentiens Jesfredus thesaurarius, veterem hominem cum aliis exuere noluit: quin etiam duas sancto Martiali ecclesias, favente Stodilo episcopo, subtraxit, scilicet ecclesiam sancti Petri de Quadrivio, & sancti Juniani Comodoliacense monasterium. Primus itaque istius loci ex monachis abbas fuit Dodo, qui tribus annis præfuit eidem monasterio, quod multos protulit insignes viros; sed denuo ad canonicalem ordinem permutatum, relicta insigni librorum veterum bibliotheca in monachorum, qui eos propriis manibus exararunt, testimonium & commendationem.

[a] *Labbe to. 2. bibl. p. 271.*

LIV. Sergio papæ succedit Leo IV.

Romæ hoc anno, pridie idus Aprilis, Sergius pontifex moritur. Eodem die, ob metum Sarracenorum, qui adhuc in Italia prædabantur, electus Leo, eo nomine quartus, ecclesiæ Quatuor-Coronatorum tum presbyter cardinalis. Hic primum a parentibus *ob studia litterarum* in monasterio beati Martini prope basilicam sancti Petri traditus, non solum litteras illic didicit, verum etiam monasticæ conversationis institutis ad amussim informatus est, ita ut ejus exemplo ad vitam religiosam etiam alii erudirentur. Hinc Gregorius quartus eum ad suum obsequium eduxit, & subdiaconum creavit; Sergius vero presbyterum cardinalem sanctorum Quatuor-Coronatorum instituit. Is demum creatus ex presbytero pontifex, Sarracenorum damna, basilicæ Vaticanæ illata, impense reparavit, ornamentis reficiendis aut restituendis, quæ illi abstulerant. Refectum item in basilica sancti Pauli ciborium, quod Sarraceni etiam violaverant; statutumque, ut in die natali sancti Pauli vespertinæ laudes a Romano clero & a schola cantorum in eadem basilica festive celebrarentur.

LV. Adremarensis monasterii dedicatio.

Ad primum annum ejus pontificatus a Baronio revocatur ejusdem pontificis epistola, scripta ad Prudentium episcopum Tricassinum de consecrando ab eo monasterio, quod construxerat Adremarus monachus, ut superius [b] diximus, deque sanctorum reliquiis ab Urbe missis; jubetque pontifex, ut sanctæ Trinitati ejus loci basilica dedicetur sub titulo beati Petri apostoli, cui illud subjicit, atque sancti Leonis papæ. Hæc epistola sic habet.

[b] *lib. 31. n. 71.*

Leo episcopus servus servorum Dei, reverendissimo & sanctissimo fratri *Prudentio Tricassinæ sedis episcopo salutem.*

Cognoscat prudentia sanctitatis tuæ, qualiter hic religiosus monachus, nomine Adremarus, cum monachis suis, cum summa devotione ad laudem & gloriam sanctæ Trinitatis & remedium animæ suæ, suorumque omnium, in honorem beati Petri apostolorum principis, seu & sancti Leonis ejusdem vicarii papæ, monasterium desiderat consecrare, & situm ac structuram ejus sancti cœnobii in rebus juris jam dicti beati Petri apostoli, quæ ejus vere sunt, fundare ac construere. quæ res prædictæ Guidoni gloriosissimo comiti per præceptum pontificale donatæ sunt. Quam ob causam jubemus, ac hortamur sanctitatem tuam, ut quando ab illius prædicti monachi fueris humilitate postulatus, illuc accedere debeas, & loco, quem vobis significaverit, ipsas illic reliquias supra nominatorum sanctorum, quas a nobis accepit, eo tenore & conditione recondas atque consecres, ut semper & perpetualiter sub jure ac potestate sanctæ nostræ Romanæ ecclesiæ jam fatum monasterium consistat atque permaneat. Sanctitatem tuam omnipotens Deus incolumem custodiat, frater. Bene vale.

Guidonis comitis advocationi ac tutelæ forte res ejus monasterii a pontifice commissæ sunt, post mortem scilicet Aledranni comitis, qui locum expurgandum, & monachorum usibus aptandum Adremaro concesserat.

LVI. Eginardi abbatis Fossatensis permutatio.

Jam in locum Ingelberti Fossatensis abbatis tum successerat Eginardus, qui hoc anno præceptum obtinuit a Carolo rege, ad confirmandam permutationem quamdam, cum Erchenrado Parisiorum episcopo ab se factam, nempe silvæ Vilcenæ pro

ANN. CHR. 847.

a Hist. Paris. to. 1. p. 416. & seq.

* Fontenay.

* Vincennes.

Fossatensi monasterio, & silvæ Buxiaci pro episcopo Parisiensi. Ejus rei litteras Gerardus a Bosco post Baluzium ex chartaceo codice Fossatensi vulgavit in historia a Parisiensi : ubi venerabiles viri Herchenradus Parisiensis episcopus, & Eginardus Fossatensis monasterii abbas pro ambarum partium opportunitate hanc inter se se commutationem fecisse dicuntur : quod scilicet prædictus Herchenradus ex rebus ecclesiæ suæ, nempe ex villa Fontanedo *, concidem, quæ vocatur Vilcenna *, habentem in gyro perticas triginta-septem, ad partem Eginardi ejusque monasterii transtulerit : contra vero Eginardus abbas una cum consensu monachorum ad partem ecclesiæ Parisiensis & Herchenradi episcopi silvam apud Buxidum sitam, totidem perticas in gyro habentem. Actum Compendio regio palatio, VI. nonas Maii, anno octavo regni Karoli gloriosissimi regis, indictione decima. » Idem est Einardus abbas, qui in editis catalogis diversus ab Eginhardo perperam censetur, etiam apud Gerardum a Bosco : cum tota illa nominis diversitas in solo scribendi modo posita sit, qualis in scribendo nomine Eginardi Karoli Magni notarii, qui modo Eginhardus, tum Einardus pingitur. Is ipse est Ainardus Fossatensis abbas, qui aliam permutationem de quibusdam rebus Calæ monasterii cum Hirmintrude regina fecit anno Caroli regis quinto-decimo.

LVII.

S. Columbæ privilegium a rege confirmatum.

In eodem palatio versabatur adhuc Carolus mense Decembri, cum ad eum accessit vir inlustris, ejusque fidelis Bernardus abbas *de monasterio domnæ Columbæ virginis & martyris seu domni Lupi confessoris*, domnorum venerabilium episcoporum privilegium exhibens, idque a rege confirmari obnixe petens : ut, sicut antiqnitus per constitutiones pontificum, regumque præceptiones monasteria sanctorum Agaunensium, Lirinensium & Luxoviensium sub libertatis privilegio consistunt : ita per regalem auctoritatem prædictum monasterium domnæ Columbæ sub libertatis privilegio permaneat. quod rex præcepto suo ratum esse jussit, nempe ut jam dictum monasterium sui juris omni tempore sub proprii abbatis gubernatione consistat, nullusque episcopus, aliave persona ullam umquam ordinationem aut potestatem contra regulam sancti Benedicti in eo exercere præsumat, neque de rebus ipsius monasterii aliquid contingere, nec ad ipsum monasterium, nisi orandi aut exhortandi gratia, aliquando accedere : neque episcopus, in cujus parochia idem monasterium situm est, aliquid ex eu usurpare attentet. Si vero ab ejus loci abbate vel congregatione illuc pro quavis necessitate invitatus venerit, absque dispendio eorum accedat & recedat : ut nulla inquietudine abbas vel sui monachi prægraventur. Dein obtestatur posteros omnes successoresque suos, ut, quemadmodum statuta sua a successoribus conservari volent ; ita & hoc decretum pro amore Christi & pro tranquillitate servorum ejus inviolabiliter conservent. Actum Compendio palatio regio nonis Decembris, anno Karoli regis octavo, indictione undecima a kalendis Septembris inchoata. » Hoc præceptum integrum habes in appendice ad Lupum. Tot præceptis ac litteris non tamen intacta mansit sanctæ Columbæ monasterii libertas toties impetita, a Wenilone Senonum antistite post undecim annos denno pulsata, sed irrito conatu.

LVIII.

S. Saviniani & sociorum translatio.

Eidem Weniloni archiepiscopo & Anastasio abbati suburbani sancti Petri monasterii factum traditur oraculum de transferendis in basilicam sancti Petri reliquiis sanctorum Saviniani, Potentiani, sociorumque martyrum, qui in contigua Salvatoris ecclesia sepulti erant, præter sanctum Serotinum, cujus corpus in alia basilica humatum fuerat. Indicto ad hanc celebritatem die, istuc convenit infinita promiscui vulgi multitudo. Hanc translationem refert Clarius monachus ad hunc annum, diem vero notat octavum ante kalendas Septembris. Eumdem annum signat libellus ab anonymo hac de re editus : at translationem factam dicit *quarto-decimo kalendas Novembris*, & quidem *indictione decima*, quæ huic anno recte quadrat. Inventum sancti Saviniani corpus in loculo plumbeo, pallio involutum, omnino integro & incorrupto. Caput illius quasi plumbatis dextro in timpore contritum, duabus gladii plagis percussum erat, ita sanguineis, quasi recens esset percussio. Ipso die cæcus quidam ad sanctorum martyrum reliquias lumen recepisse dicitur. Anonymi libellum in appendice habes ex codice Cormeriacensi.

S. Potentiani reliquiæ Jotro concessæ.

Tunc Jotrense monasterium regebat Hermentrudis abbatissa, eidem Weniloni affinis. quæ fama sanctorum martyrum recens manifestatorum excitata, quasdam sancti Potentiani reliquias a Wenilone obnixe flagitavit, impetravitque. Erat tum

Jotrense monasterium ad summas penuriæ redactum angustias : sed ab adventu sacrarum reliquiarum ita relevatum fuisse dicitur, ut nullam deinceps inopiam, aut tempestatis procellam sustinuerit. Hæc est Hermentrudis *monasterii sanctæ Mariæ Jodcrensis abbatissa*, quæ cum Hilduino abbate Dionysiano res quasdam commutavit, nempe villam Cuciacum pagi Meldensis pro Liniaco, probante Ludovico [a] augusto, imperii ejus anno vicesimo sexto, indictione secunda. ANN. CHR. 847.

[a] Diplom. p. 525.

Elnonensi sancti Amandi monasterio jam ab anno secundo præerat Gislebertus abbas, Adalleodi successor, cum monachi ejus loci Carolum regem, qui tunc Elnone versabatur, adierunt, rogantes, ut, *propter suspectas succedentium rectorum voluntates*, bonorum partitionem ad suos usus factam, & ab ejus patre Ludovico serenissimo augusto probatam, regio præcepto denuo confirmaret : ne ullo prætextu a « quovis deinceps abbate ad alios usus detorqueri possent. Id vero non modo rex in- « dulsit, sed etiam quædam sua sponte adjecit, nempe in pago Ostrebantensi Scal- « dinium & Helenam, & in Nigella farinarios duos, aliaque nonnulla. Insuper sta- « tuit, quod ante ipsum pater suus decreverat, ut de villis dominicis nona pars *totius* « *supellectilis* monachis tribuatur, hoc est de annona, legumine, caseo, fœno, pullis « equinis, porcis, camisilibus, altilibus, vino, ovibus atque ovis. Quæ vero sint « illæ villæ dominicæ, in appendice leges, ubi hoc præceptum referemus. Deni- « que ad portam monasterii mansa quinque deputavit, totidemque ad hospitale « pauperum, præter decimas utrique attributas. *Data x. kalendas Aprilis, indictio-* « *ne x. anno* VII. *regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Elnone monasterio sancti Amandi.*

LIX. S. Amandi partitio confirmata.

Mortuus est præsenti anno Hetti Trevirorum pontifex, cui successit Thietgaudus, magnorum deinceps motuum auctor. Nec diutius vixit Simon Laudunensis episcopus, cujus successor Pardulus non uni synodo anno sequente interfuit. Fuerat is ante pontificatum vice-dominus ecclesiæ Remensis, idemque Lupi abbatis familiaris, ad quem recens electum scripta est ex parte reginæ Irmindrudis Lupina epistola LXXXIX. inscripta *venerando Pardulo episcopo*, tametsi necdum ordinatus erat, utpote cujus diem ordinationis regina suis, suorumque precibus sollemnem facere studebat, eidem gratias ob munere agens, simulque promittens, se libenter experturam stolæ faciendæ laborem, quem ipsi Pardulus imposuerat. In fine ab ejus benignitate postulat, ut pro his, qui in defensione patriæ occubuerant, Dei clementiam exoret, & superstitibus eorum hominibus auxilietur. Forte id intelligendum de pugna hoc anno inita contra Brittones, de qua missi ad dominum regem tunc venisse dicuntur in chronico Fontanellensi [b] Chesniano, *interitum Mangili Brittonis & sociorum ejus nuntiantes, qui a Gairfrido comite interfecti sunt.* Hujus legationis testis fuit chronographus ille, qui ait, se hoc anno pro quibusdam monasterii sui prædiis ad Bacivum palatium & Bonolium perrexisse.

LX. Hetti archiepiscopi mors. Parduli episcopi electio.

[b] Chesnii to. 2. p. 388.

Si germanum ac sincerum est Ludovici præceptum apud Ughellum [c] pro Veronensi sancti Zenonis monasterio, jam quartus hic erat ipsius Ludovici annus imperii, quo superiorum imperatorum donationes eidem loco factas confirmat rogatu Landerici episcopi, in his quoddam monasteriolum, dictum Novum, situm in pago Tarvisiano, quod genitor ejus Lotharius augustus eidem monasterio contulerat. « Actum curte Auriola VIII. kalendas Septembris, anno imperii HLotharii vicesimo- « quarto, HLudovici quarto, indictione decima. quod diploma Dructemirus archican- « cellarius recognovit. Aliæ apud eumdem auctorem [d] litteræ exstant, quæ Ludovico imperatoriam dignitatem ab eo tempore adstruunt.

LXI. Ludovici imperatoris præceptum pro S. Zenone.

[c] Ital. Sac. to. 5. c. 616.

[d] ibid. c. 619.

OBsessa postero anno a Normannis Tolosa, Carolus quadragesimæ tempore auxilio advolat, eosque viriliter aggressus, partem eorum superat, captis navibus, quæ in fluvio Dordonia erant, & piratis interfectis. Verum, cum ab ea urbe recessisset Carolus, dolo Judæorum prodita, direpta, combustaque est. Capta itidem ab iisdem Burdegala cum Guillelmo duce, qui postea Impurium & Barcinonem dolo cepit. Carolus iterum in Aquitaniam profectus adversus Pippinum, qui tyrannidem meditabatur. Pertæsi demum Aquitani Pippini inertiæ, Carolo se se tradunt, atque in urbe Aurelianorum regem Aquitaniæ agnoscunt, agnitumque episcopali benedictione consecrari curant. Interim Nomenoïus, dux seu tyrannus Brittonum, urbes Namneticam & Redonicam, necnon territorium Andeca-

ANN. CHR. 848. LXII. Res civiles anni sequentis.

ANN. CHR. 848. vense, atque etiam Cenomannense usque ad Meduanam invadit; tumque regem se ferens, episcopos totius suæ regionis expellere, aliosque sibi obsequentes constituere in animum induxit. quod quemadmodum factum sit, quatenus id ad res nostras pertinet, explicandum est.

LXIII. Britanniæ episcopi a Nomenoio pulsi. Erectus in spem regni Nomenoïus, conceptæ tyrannidis fautores undique accersere, adversantesque amoliri instituit. Hoc consilio Britanniæ episcopos, quibus haud satis fidebat, sedibus suis exturbare, aliosque sibi familiares in eorum locum intrudere molitur. Atque ut aliquem facinori colorem daret, illos simoniæ insimulat. Quin etiam additus accusationi necis terror, ni culpam illi ultro faterentur. Hos itaque in cœtum cogit, atque ad confitendum scelus, sive id verum erat, seu extortum, adducit. Tum duo ex illis Romam missi cum Conwoione abbate Rothonensi, Leonem papam hac de re consulturi. Habitus Romæ conventus præsidente pontifice, qui episcopos, ultro culpam confitentes, moderate objurgatos domum remisit cum litteris ad reliquos Britanniæ episcopos directis, quibus litteris episcopos simoniacos in concilio judicandos secundum veterum canonum placita definit. Reversis in Britanniam legatis, Nomenoïus graviter tulit, episcopos integra dignitate Roma revertisse; lectoque pontificis responso, scribentis, episcopos, qui simoniæ convicti fuissent, in ordinem redigendos, rem per se se exsequendam aggressus est. Mox coactis in Rothonensem sancti Salvatoris ecclesiam quatuor episcopis dignitatem in frequenti laïcorum hominum cœtu abrogat, aliosque substituit, adjectis tribus aliis episcopatibus, Dolensi in metropolitanum erecto. Pulsi episcopi ad Carolum se recipiunt, querelas apud eum deponentes. Hi ad Turonensem metropolitam legitimum remissi, quem valde exasperaverat Nomenoii facinus, ab ecclesiæ disciplina abhorrens, Britannia a legitimo metropolite avulsa. Unde anno insequente in synodo Parisiis coacta patres scriptis ad Nomenoium litteris graviter conquesti sunt,
„ quod Britanniæ *episcopi legitimis sedibus propriis expulsi, & mercenarii introducti* essent;
„ violata beati Martini diœceseos auctoritas; quin etiam vicarii beati Petri, nempe
„ Leonis, epistola insuper habita, quam ne recipere quidem Nomenoïus dignatus esset. Hæc synodica epistola scripta est ex mandato patrum a Lupo abbate, exstatque inter alias ejus auctoris octogesima-quarta. In eadem, ut veri simillimum est, synodo confectus est indiculus, a Sirmundo primum editus in analectis ad capitula Caroli Calvi, forsan ad Leonem papam directus, qui rescripto suo Nomenoïum monnit, ut ne Gislardum, Namneticæ sedis invasorem, defensare pergat, sicuti docet relictum ejusdem epistolæ fragmentum. Leonis successor Benedictus tertius exturbatos episcopos in integrum restituere satægit, sed frustra. qua de re conquestus est postea Nicolaus papa primus in epistola ad Salomonem Britanniæ ducem. Nihilo minus tenuit nova hæc episcopatuum institutio; atque adeo controversia de erectione Dolensis metropolis ad duodecimum usque sæculum indefinita processit. Hæc continenter referre visum est: nunc quid rei hoc in negotio gesserit Conwoion abbas, expendendum.

LXIV. Quid hac contulerit Conwoion abbas. In prædicto indiculo mentio fit de quodam homine Nomenoii *complice*, qui, æstuante
„ te principe atque anxie cogitante, quo modo conceptum scelus perpetrare posset,
„ se ad circumveniendos episcopos doli ac fraudis artificem obtulerit. Erunt forte qui suspicentur, id Conwoionis artibus effectum. Et quidem certum videtur, ejus instinctu episcopos in cœtum coactos, eumque fortasse auctorem fuisse duos ex eis mittendi Romam ad pontificem, qui omnium causam agerent. Ut vero Conwoion dejectionis eorum conscius fuerit, atque intrusionis aliorum, in animum inducere haud quaquam possum. Etsi enim dejectio & intrusio hæc a laïcis hominibus in ecclesia Rothonensi, & quidem præsente Nomenoïo, patrata sit; ejus tamen expertem fuisse piissimum abbatem intelligimus ex ejus actis, tum maxime ex libro secundo de ipsius miraculis: ubi Romana ejus legatio accurate describitur, nulla mentione facta secutæ dejectionis, quam procul dubio minime reticuisset illius libri scriptor, si Conwoion ejus particeps fuisset. Ad hæc in eodem libro a quodam monacho Rothonensi ejus discipulo tacite improbatur hoc Nomenoii factum, cum is *zelum Dei non secundum scientiam* habuisse dicitur. quæ verba episcoporum expulsionem spectare videntur. Accedit longe gravissimum pro Conwoione argumentum ex epistola synodica concilii Tullensis ad optimates Brittonum, ejusmodi exauctorationis præcipuos auctores, quibus omnibus, ac singulis ex nomine inf-

ANN. CHR. 848.

scripta epistola est, nulla facta commemoratione Conwoionis abbatis, qui indubie inter primos nominandus erat, si ejus rei fuisset architectus. Ceterum in hac legatione venerabilis abbas corpus sancti Marcellini papæ & martyris ex Urbe retulit ad Nomenoïum principem, hujus nutu in Rothonensi ecclesia repositum cum pontificia casula, qua ipsum Leo honoravit.

LXV. Nomenoii facinora.

Quanta Britanniæ ac finitimis regionibus damna intulerit Nomenoius, paucis explicant patres synodi Parisiensis in superiori illa epistola, quam Lupus abbas eorum nomine ad ipsum scripsit. *Cupiditate*, inquiunt, *tua vastata est terra christianorum. Templa Dei partim destructa, partim incensa, cum sanctorum ossibus, ceterisque reliquiis. Possessiones ecclesiarum, quæ fuerunt vota fidelium, redemtio animarum, patrimonia pauperum, illicite in tuos usus redacta*, & cetera in hunc modum. In his vicinum Glonnense sancti Florentii monasterium in favillas redactum odio Caroli, cui Dido abbas obsequebatur. Hinc Carolus gratiam repensaturus, villam Miniacum in pago Cenomannico ad fluvium Sartam, & Johannis-villam, in pago Andecavensi non longe ab alveo Ligeris sitam, Glonnensibus concessit x. kalendas Augusti, indictione undecima, anno regni sui nono. *Actum in villa Putcata non longe a civitate Claremonte.* Paullo post idem Dido abbas, assentiente rege, Gauzberto cuidam, ipsius Caroli fideli, mansa quindecim in prædicta villa Miniaco cessit pro duobus mansis & dimidio apud Cryptas villam pagi Andecavensis, & ecclesia apud Miron in pago Pictavensi. Actum apud Bituricas. Vitiosi sunt ejus præcepti chronici characteres in chartario. Denique Carolus eidem Didoni cellam seu abbatiam sancti Gundulfi, in pago Bituricensi ad Ligerim sitam, liberaliter contulit, eamdemque Hecfrido abbati postea confirmavit. Incenso Glonnensi monasterio, Dido abbas ad Johannis-villam secessisse, ibidemque decessisse dicitur, vir tantæ sanctitatis, ut, cum ejus corpus inde Glonnam humandum navigio deveheretur, cerei ad ejus feretrum accensi nulla ventorum aut imbrium vi exstincti sint. Didoni sub finem hujus anni aut insequentis successit Rodulfus, qui proximo anno præceptum a Carolo rege obtinuit. De clade Glonnensis monasterii rythmus, per illa tempora editus, habetur in appendice nostra cum Carolino diplomate Hecfrido abbati concesso.

Caroli donatio Glonnæ facta.

Dido abbas sanctus.

LXVI. Agilmarus abbas Jurensis, Otto comes & monachus.

Condatescensi seu Jurensi sancti Eugendi monasterio præerat Agilmarus abbas & archiepiscopus Viennensis ab anno quinto Lotharii augusti, cujus archicancellarius erat. Hoc vero anno, Lotharii octavo, Otto comes & Adalsinda ejus uxor monasterio dederunt cellas Borbontiæ & Salegiæ. Demum Otto factus est ibidem monachus cum filio suo Amblardo, de quibus ita necrologium: *Pridie idus Martii Otho comes & monachus, & uxor ejus Adalcenda, & Amblardus eorum filius monachus, qui dederunt sancto Eugendo cellam Borbontia atque Salegia.* Forsan is fuerit Audo comes, in cujus fundo ad Ararim sancti Mauri abbatis corpus collocatum, ac per tres annos & dimidium custoditum fuit, testante Odone abbate. Defuncto post annos quinque Agilmaro, Lotharius abbatiam sancti Eugendi cum archicancellariatu concessit Remigio archiepiscopo Lugdunensi. Sub his abbatibus regularem disciplinam procurabat præpositus, qualis fuit sub Remigio abbate Manno, qui quosdam codices, in his Flori carmen de divisione imperii, ad sepulcrum sancti Eugendi obtulisse memoratur.

LXVII. Caroli præceptum datum Hilderico abbati Caunensi.

Per id tempus Hildericus, Caunensis in Septimania cœnobii abbas, a Carolo rege obtinuit confirmationem regiæ defensionis ac libertatis, quam Carolus Magnus ejus avus olim concesserat eidem monasterio, cui tum Daniel abbas præerat. Idem rex etiam ratas habuit ejusdem loci possessiones, in his cellulas duas, in loco Laurano & sancti Fructuosi sitas in pago Carcassensi. Editum est hac de re diploma sine chronicis notis in appendice ad capitularia regum Francorum, idque obtinuisse dicitur *venerabilis abbas Hildericus ex monasterio, quod dicitur Caunas, quod est situm in pago Narbonensi, constructum in honore sanctorum apostolorum Petri & Pauli super fluvium Argenti-duplicis.* Non omiserim, tametsi minutulum est, quod idem Hildericus cuidam Redemto *terram de Campo-liberio in pago Reddensi* *, concessit ad complanandum, *anno octavo regnante Karolo rege.* In Hilderici locum Gundisalvus jam successerat ejusdem regis anno tertio-decimo.

* de Razez.

LXVIII. S. Eulogii vitæ compendium & iter.

Ipso anno, quem modo prosequimur, quadragesimo-octavo Guillelmus comes, filius Bernardi, Impurium & Barcinonam dolo magis, quam vi cepisse memoratur

ANN. CHR. 848. in annalibus Bertinianis. Huc spectare videtur epistola sancti Eulogii presbyteri Cordubensis ad Willesindum Pampilonensem de perturbatione totius Gothiæ ex » funeroso Willelmi incursu, qui adversus Carolum regem Francorum, auxilio Abde- » ramis regis Arabum, tyrannidem illis in partibus moliebatur. quod in causa fuit, ut » ne Eulogius ulterius pergeret ad invisendos fratres, qui tum in Francia exsules erant, » prohibente in primis factione comitis Sancii-Sancionis, Carolo itidem infesti, qui » totum illud iter, quod in Galliam-Comatam ducit, obsidens, immane periculum » commeantibus ingerebat. Erat Eulogius, teste Alvaro ejus familiari, nobili stirpe Cordubensium senatorum progenitus, a puero in æde sancti Zoili Dei cultui mancipatus, ubi primas etiam litteras didicit. Cum esset scripturarum studiosissimus investigator, non contentus domesticis magistris, abbatem bonæ recordationis & memoriæ Speran-Deum sæpius invisebat, doctrinæ fama tum celebrem, qui eo tempore totius Bæticæ provinciam sapientiæ ac sanctitatis luce illustrabat. Ad sacerdotium promotus Eulogius, acriori se vitæ asperitate macerare cœpit, attentius scripturis vacare divinis, *monasteria frequentare, cœnobia invisere, regulas fratrum componere, ita in clero degens, at monachus videretur.* Hinc Eulogius nostris a nonnullis adscriptus, tametsi non professione, sed tantum studio & amore monachus fuerit. Verum cum Recaffredi episcopi, ut ipse putabat, errori, qui martyrio se ultro objicientes pro martyribus haud agnoscebat, assentiri nollet; a sacrificio celebrando se ipse suspendit, Hieronymi & Vincentii sanctissimorum presbyterorum exemplo: quod in epistola beati Epiphanii episcopi ubi legisset, quasi telo percussus ingemuit, dixitque conversus ad episcopum: *Si lucerna ecclesiæ, & fidei nostra hoc egerant columna, quid nobis facere conveniat, quos delicti onera graviter deprimunt & affligunt? Cognoscat ergo vestra paternitas, interdictam a me ipso mihi sacrificandi licentiam.*

LXIX. Serasiense & Legerense monasteria adit. Non satis fuit Eulogio patriæ suæ, id est Bæticæ, monasteria lustrare: quin etiam occasione fratrum suorum, Alvari & Isidori, qui tum in ulteriores Galliæ Togatæ partes apud Ludovicum regem *Bajoariæ*, id est Germaniæ, ob regis Arabum infestationes discesserant, eo iter instituens, Pampilonem progressus, sancti Zachariæ cœnobium, aliaque ejus regionis monasteria percurrit, in eisque multorum sanctorum patrum conversatione & amicitia recreatus est, non tantum Willesindi Pampilonensis episcopi consuetudine & benevolentia, qui ipsum hospitio liberali- » ter excepit. Positum erat beati Zachariæ *arcisteriam*, ut ipse vocat Eulogius, ad ra- » dices montium Pyrenæorum, *in Galliæ-Comatæ portoriis*, e quibus Aragus fluvius » oriens, rapido cursu Seburim & Pampilonam irrigans, amni Cantabro (Egam putat Morales) infunditur. quod monasterium exercitatione regularis disciplinæ toti tunc occidenti plagæ prælucebat. Huic præerat Odoarius abbas, *summæ sanctitatis, magnæque scientiæ vir*: sub quo *centum-quinquaginta regulares monachi*, testante Alvaro, militabant. Prius autem quam ad eumdem locum subiret Eulogius, Legerense adiit monasterium, ubi multos commoratus dies, præcipuos in Dei timore viros ibidem cognovit. Deinde, aliis, aliisque locis peragratis, tandem ad illud, quod Serasiensium religio. maxime desiderabat, Serasiense pervenit cœnobium, ibidemque acceptus est ab Odoario abbate, *qui omnem erga nos*, inquit, *humanitatem exhibuit*, quæ fere verba * sunt regulæ sancti Benedicti.

a S. Bened. c. 53.

Quanta vero ejus loci religio, quantæque sanctitatis illic monachi exstiterint, ipsis Eulogii verbis accipe. *In illo*, inquit, *beata congregationis collegio, quod bene centenarium numerum excedebat, veluti sidera cœli, alii quidem sic, ceteri vero sic, diversis meritorum virtutibus emicabant. Florebat in nonnullis perfecta caritas Christi, quæ foris mittit timorem. Plerique alto culmine extollebat humilitas, quâ se fe unusquisque juniore inferiorem reputans, imitatores præceptorum Dei fieri contendebant Multi etiam, cum essent corpore imbecilles, virtute tamen magnanimitatis subnixi, alacrioribus animis injunctum exercebant obsequium. Sic quoque in aliquos principatum suum obedientia, quæ omnium virtutum magistra est, vindicans, suos non patiebatur exsecutores degenerare: sed supra vires grandia exercere compellebat, quoscumque suo munere illustraverat. Operabantur omnes certatim; alter alterum invitans contendebat præcellere. Augebatur invicem ardor placendi Deo & fratribus, & unusquisque propriæ artis industriam ad communem profectum exercitabat. Exercebant alii peregrinorum & hospitum diligentius curam, &, quasi declinanti Christo ad hospitia eorum,*

omnibus

omnibus adventantibus obsecundabant. Cum vero tot essent, nullus murmurans, nemo arrogans intererat. Studebant cuncti silentio; totamque per noctem furtiv s precibus incumbentes, nocturnum chaos pervigili meditatione vincebant: magna se circumspectione vallantes, ne Psalmista denotarentur oraculis, qui ait: Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt. Sed quid referre de sanctorum virtutibus lingua potest mortalis, qui in terris positi angelice degunt, & qui licet inter homines conversentur, propositum vere gerunt caleste? Hactenus Eulogius de præclaro illo monachorum collegio, quod utinam moribus & imitatione prosequamur.

Post paucos commorationis dies, cum ab eis discedere vellet Eulogius, omnes solo proruunt, pro se Deum exorari deposcunt, conquesti, quod tam cito a viro sancto desererentur. Discedenti comitem se adjunxit venerabilis abbas Odoarius cum Johanne præposito: qui una, per totum usque in vesperum diem, colloquia de divinis scripturis habentes, demum ab invicem, datis acceptisque osculis, nonnisi ægre avulsi discesserunt. Tum iter relegens cum Theodemundo diacono Eulogius, Wilesindum denuo revisit, & post paullum, piæ matris Elisabethæ, sororumque duarum Niolæ & Anullonis, junioeisque fratris Josephi desiderio, Cordubam repedavit: ubi post triennium in caecerem conjectus est, ac demum post annos abhinc undecim martyrio affectus. In ipso reditu ex urbe Cæsaraugusta a quibusdam negotiatoribus accepit, duos fratres suos peregrinos *apud Maguntiam nobilissimam Bajoaria civitatem* exsulasse. Domum reversus, incolumes reperit geniteicem, binasque sorores, & natu-minimum omnium Josephum, quem tyrannus principatu dejecerat. Ceterum e sancti Zachariæ asceteeio non modo virtutum exempla, sed & politioris litteraturæ codices retulit, quos Alvarus in ejus vita commemorat. In fine epistolæ Foetunium Legerensis & Odoarium Serasiensis monasterii abbates cum suis collegiis salutat. Ad Legerense quod attinet, auctor est Morales [a], illuc ante sex annos translata fuisse sanctarum virginum Nunilonis & Alodiæ corpora, nempe altero post anno, quam necem pro Christo pertulerant. Huc spectat testamentum a Garibaio [b] relatum, quod rex Eneco Xemenones cum episcopo Guillesindo seu Wilesindo fecit in honorem sancti Salvatoeis & sanctarum virginum Nunilonis & Alodiæ æra octingentesima octuagesima; xiv. kalendas Julias. Et tamen Eulogius [c] earum martyrium ad decennium differt. Nobis satis sit utramque proposuisse sententiam, tametsi Eulogii auctoris æqualis præponderat auctoeitas. An idem sit sancti Zachaeiæ monasterium cum Serasiensi inferius [d] discutiemus.

[a] Moral. in Eulogio lib. 2. c. 7.
[b] Garib. lib. 22. c. 1.
[c] Eulog. martyr. lib. 2. c. 7.
[d] lib. 34. n. 26.

LXX. Gothescalci varia fortuna.

Nunc locus ac tempus exigit, ut agamus de Gothescalco, miserabili monacho, cujus quam varia fortuna, tam diversa de eo hominum judicia exstitere, multarum conteoversiarum, nostro quoque tempore, argumentum. Has renovaee nequaquam nobis est animus: sed tamen tam famosi hominis historiam hic desiderari non licet. Fuit is origine Saxo, ut superius [e] vidimus, a puero educatus & tonsus in Fuldensi monasterio: ex quo postea egressus, ad Orbacense monasteeium provinciæ Remensis in parochia Suessionensi, a Reolo seu Regulo Remorum antistite olim conditum, se recepit. Istic sub Bavone abbate multam dedit operam legendis sanctorum patrum libeis, præsertim Augustini, cujus sententias, Hincmaro teste, totas dies memoria proferre consueverat; Fulgentius alio nomine dictus, ob sancti Fulgentii amorem, cujus sententiam de gemina prædestinatione tueri studebat. Romam peregrinationis causa, pro ingenio gentis, Sergio pontifice profectus, in reditu adiit Eberaedum comitem Forojuliensem, apud quem aliquantisper hospitatus est. Ut erat dicax, & multa lectione instructus, factum est, ut sive in publicis concionibus, seu in privatis colloquiis, verba non prius illic audita de gemina prædestinatione, una bonorum ad vitam, altera malorum ad interitum, misceret, præsente in primis Notingo electo Veronensi. Id ubi fama vulgante rescivit Rabanus, tunc Moguntinus pontifex dudum illi, ut antea [f] vidimus, nonnihil infestus, litteras dedit ad Eberardum comitem, in quibus ait, in suis partibus rumorem sparsum esse, quemdam sciolum, nomine Gothescalcum, apud eum manere, qui dogmatizet, *quod prædestinatio Dei omnem hominem ita constringat, ut, etiam si quis velit salvus fieri, & pro hoc fide recta, bonisque operibus certet, ut ad vitam aternam per Dei gratiam veniat; frustra & incassum laboret, si non est prædestinaeus ad vitam.* Tum, oppositis Augustini quibusdam testimoniis, in fine comitem monet, ut Gothescalcum his sermonibus interdicat, ne hac licentia ejus prædicatio infirmis offendicu-

[e] lib. 30. num. 30.
[f] ibid.

ANN. CHR. 843.

lum pariat, Hæc epistola scripta est *decimo kalendas Maii* apud [a] Ughellum, qui & alias refert ejusdem argumenti, ab eodem Rabano tunc scriptas ad Notingum Veronensem electum. Utrasque vulgavit Sirmundus, sed priorem absque illa chronica nota.

a Ital. sac. to. 3. c. 696. & seqq.

His litteris pulsatus Gothescalcus, Eberardi ædibus excessit, tum Norico, Suevia, aliisque Germaniæ partibus peragratis, Moguntiam demum accessit. Id ubi comperit Rabanus, qui hominem jam probe noverat, statim Moguntiæ synodum hoc anno curavit celebrari circiter kalendas Octobris, Ludovico rege præsente. Vocatus ad synodum Gothescalcus, fidei suæ rationem reddidit, edito confessionis suæ scripto, in quo cum geminam prædestinationem tuebatur, tum etiam Rabanum arguere haud veritus est, quod in epistola ad Notingum, reproborum prædestinationem, tamquam sanæ fidei contrariam, proscripsisset: quod voluntatem Dei, & pretium sanguinis Christi ad omnium omnino hominum salutem extendi assereret: quod de libero arbitrio male cum Gennadio sentiret. Cum Rabanus eum a sententia revocare frustra tentasset; visum est monachum ad Hincmarum, suum tum metropolitam, remittere cum synodica epistola, cujus hæc summa est. scilicet quem-
» dam gyrovagum monachum, nomine Gothescalcum, qui se asserebat in Remensi
» parochia ordinatum, de Italia venisse Moguntiam, novasque superstitiones, & no-
» xiam de prædestinatione Dei doctrinam introducere, ac populos inducere in erro-
» rem, asserendo, *quod prædestinatio Dei, sicut in bono sit, ita & in malo.* quare ho-
» minem in synodo Moguntina correptum, at incorrigibilem repertum, jussu Ludo-
» vici regis damnatum ad Hincmarum mitti, ut eum recluderet in parochia sua, nec si-
» neret amplius errorem disseminare, ac seducere populum christianum. Litteris acceptis, Hincmarus Gothescalcum sisti jussit in synodo, Carisiacum anno sequenti indicta: in qua iterum damnatus, virgisque cæsus, & in ergastulum retrusus est sub custodia Alduini abbatis Altivillarensis. Reclusus in carcerem Gothescalcus, non sic tamen principio artatus est, seu indulgentia Hincmari, seu potius commiseratione Alduini abbatis, ut libris & calamo ipsi penitus esset interdictum. quæ res diversos ipsi eum adversarios, tum patronos excitavit. Id ubi Rabanus intellexit, iteratis ad Hincmarum litteris ait se mirari, quod *istum noxium virum* a scribendo non compescat, quippe qui nec monachi votum, nec sacri ordinis ritum, nec prædicandi officium legitime observasset; denique se nolle esse auctorem, *ut communio ei tribuatur.*

Cum vero durius ille tractaretur, id venit in notitiam Nicolai papæ, qui rem improbavit. Indignatum pontificem lenire studuit Hincmarus, eique significavit, se curasse, ut necessaria omnia benigne homini suppeditarentur; at eum his præfracte uti nolle. Interim, deficiente Gothescalco, Hincmarum consulunt Altivillarenses, quo pacto illi in extremis subvenirent. Rescripsit Hincmarus, nonnisi resipiscenti Viaticum concedendum. Sic absque subsidiis christianæ religionis in ergastulo exspiravit infelix ille monachus, cujus variam fortunam paucis hic in antecessum exponere visum est, quam per partes suis locis explicaturi sumus.

ANN. CHR. 849.

LXXI. Carisiaci prior synodus in causa Gothescalci.

IN primis occurrit prior synodus Carisiacensis, quæ in causa Gothescalci postero anno, id est supra octingentesimum quadragesimo-nono, jussu Caroli convocata est, suadente Hincmaro archiepiscopo, cui Wenilo Senonensis cum suffraganeis provinciæ Remensis, & aliquot aliis episcopis duobusque chorepiscopis, ac tribus abbatibus interfuit. Abbates illi fuere Paschasius Radbertus Corbeiæ, Bavo Orbaci, & Halduinus seu Alduinus Altivillaris monasterii. Productus coram synodo Gothescalcus, cum sententiam tueri perseveraret, sacerdotali privatus honore, quem per Rigboldum chorepiscopum, *cum esset Suessionica parochiæ monachus*, inscio civitatis suæ episcopo usurpasse dicitur, abjectusque est, ac virgis cæsus, ac demum, ne aliis deinceps noceret, ergastulo in Altivillarensi monasterio retrusus. Addunt annales Bertiniani, Gothescalcum, sic publice flagellatum, compulsum fuisse, ut libros assertionum suarum igni supponeret. Quatuor capitula in illum edita, quæ deinceps famosa fuere, ad alteram synodum Carisiacensem, quæ post annos quatuor habita est, referuntur in annalibus Bertinianis: sed forte in priori sancita, in posteriori confirmata sunt. quod suo loco expendemus. Primum capi-
» tulum est, quod una sit tantum prædestinatio, scilicet ad vitam æternam, nulla ad
» interitum. Secundum, quod liberum arbitrium per gratiam ad bonum habeamus,
» & ad malum desertum a gratia. Tertium, quod Deus omnes homines sine excep-
» tione vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quartum denique, quod Chris-

AN. CHR. 849

tus pro omnibus omnino hominibus passus sit, licet non omnes ejus passione liberentur. De his capitulis frequens in consequentibus mentio recurret. Ad primum pertinet id, quod Radbertus ait octavo libro in Matthæum: *Quapropter scire debemus, quotiens aliquis perit, non ex prædestinatione Dei, ut quidam male sentiunt, neque ex voluntate Patris perit; sed proprio suo peccato, justoque Dei judicio.* ubi Gothescalco tribuere videtur Radbertus, quod ex ejus doctrina veluti consectarium Hincmarus, aliique ejussequaces inferebant. Totius rei in synodo Carisiacensi gestæ Hincmarus rationem reddidit Rabano, scripta ad eum epistola, in qua [a] asserit, hunc solum tunc temporis ex discipulis beati Alcuini relictum, scilicet Rabanum.

[a] *Frod. lib. 3. c. 21.*

LXXII. Lupus absens, an Gothescalco favetit.

Neque vero mirum est ab hac synodo abfuisse, qui aliis adesse solebat, Lupum abbatem Ferrariensem, qui cum Hincmaro consentiens non erat, ut ejus de hoc argumento liber aperte probat. Neque tamen Gothescalci partibus occæcato animo assentatus est Lupus: quin ejus quæritandi nimiam lasciviam repressit, cum ab eo interrogatus, an beati post resurrectionem oculis corporeis Deum visuri essent, inter alia hæc respondit epistola tricesima: *Ni veritus fuissem, ut me ab observatione caritatis aversum, nullius flecti posse precibus putando, eamdem caritatem offenderes; etiam nunc silentii latebram fovens, nihil ad ea, quæ consuluisti, respondissem, duabus videlicet ex causis: altera, ne otio tuo materiam exercendi ingenii vel imminuerem, vel detraherem: altera, ut habita consideratione illorum, quos super eadem quæstione te sollicitasse olim cognovi, mediocritatem meam non præjudicare quorumdam excellentiæ æstimatione propria comprobarem.* Denique sub finem eum hortatur, *ut nequaquam ultra in talibus ingenium suum conterat: ne his ultra, quam oportet, occupatus, ad utiliora vestiganda sive docenda minus sufficiat.* Næ ille minus infelix futurus fuisset, si tam prudenti consilio appulisset animum. De Lupi libro trium quæstionum aptior erit inferius dicendi locus & occasio.

LXXIII. Beatæ Mariæ de Scriniolis donatio facta a Carolo rege.

Carisiaci versabatur Carolus, cum res quasdam proprietatis suæ, sitas in villa pagi Silvanectensis, nomine Balmiaco, donavit basilicæ, quæ *non longe a monasterio sancti Martini sub honore sanctæ Mariæ, & sanctorum Petri & Pauli, Johannis-Baptistæ & sancti Martini fundata, & ad sepulturam pauperum deputata, simulque sacrosancto sepulcro sancti Martini.* quod monasterium erat beatæ Mariæ de Scriniolis, ab Ingeltrude matrona conditum [b] sub finem sæculi sexti, nunc parœcialis ecclesia; sanctimoniales vero ad suburbanum Bellum-montem ineunte sæculo undecimo translatæ, ut suo loco dicturi sumus. Prædictum diploma Æneas notarius ad vicem Ludovici recognovit. *Data* III. *idus Martii, indictione* XII. *in anno* VIIII. *Karoli gloriosissimi regis. Actum Carisiaco palatio regio.*

[b] *V. lib. 7. n. 52.*

LXXIV. Carolus princeps tonsus, factusque monachus.

Paullo post priorem illam synodum Carisiacensem, quam jussu Caroli convocatam fuisse tradunt annales Bertiniani, conventus alter mense Junio ab eodem Carnutis indictus est, ut de Caroli principis merita pœna statueretur. Duos Pippinus Aquitaniæ rex filios moriens reliquerat: unum æquivocum, qui precario post patrem concessu Caroli paucos annos regnavit, superiore anno ab Aquitanis abjectus: alterum Carolum, qui cum ad Lotharium imperatorem una cum fratre primum se recepisset; postea, relicto Lothario, fratrem suum Pippinum in Aquitania vagantem adire cupiens, a Viviano [c] comite, aliisque fidelibus Caroli regis comprehensus, & ad ejus præsentiam perductus est in conventu Carnutensi hujus anni: ubi a patruo & æquivoco suo Carolo rege, qui ipsum e fonte sacro susceperat, benigne, ut visum est, tractatus, & ex quadam indulgentia servatus, conscenso post missarum sollemnia ambone, omnibus palam viva voce professus est, se divinæ servitutis desiderio & amore clericum, nullo cogente, velle fieri; ibique statim ab episcopis, qui tum præsentes aderant, *benedictus, & in clericum tonsus est*, ex annalibus Bertinianis. Inde in Corbeiense monasterium continuo secedere jussus, ut habet chronicon Funtanellense apud Chesnium; indeque, cum diaconus ordinatus fuisset, post annos quinque fuga elapsus, in Germaniam recessit, ubi post Rabanum ecclesiæ Moguntinæ prælatus est.

[c] *Chron. Font. to. 2. Chesn. p. 388.*

LXXV. Lupus se a militia excusat.

Ad hunc conventum Carnutensem a Baluzio refertur Lupi epistola LXXVIII. Pardulo episcopo scribentis, se ad hunc conventum ideo non venisse, quod *sacris domini regis* non fuisset evocatus. Inde Carolus in Aquitaniam perrexit, contumaces subacturus. Ab hac expeditione Lupus apud regem per Pardulum amicum suum se excusari postulat, quippe qui hostem ferire, ac vitare non didicisset, nec vero ce-

ANN. CHR. 849. tera pedestris atque equestris militiæ officia exsequi. Eodem tempore Lupus epistolam septuagesimam-nonam scripsit ad Rotrannum seu Ratramnum monachum Corbeiensem, commendaturus necessarium suum Hilmeradum, quem rex episcopum Ambianensem, etsi minus eruditum, designaverat. Eumdem Hincmaro archiepiscopo commendavit alia epistola, cujus fragmentum Rotranno mittit, ratus, Hil- » meradum, *licet desit et forsitan aliquid eruditionis*, tamen posse esse utilem, cum & » Hincmari doctrinæ pareret. qua in re Lupus aliquid humani passus videtur. Hic est Hilmeradus episcopus, cujus jussu & interminatione sacerdotium suscepit anno ejus sæculi quinquagesimo-tertio Rotradus, sacramentarii Corbeiensis scriptor. In eadem epistola de prædicto conventu agit: a quo tamen eum non penitus excusatum fuisse ex eo intelligimus, quod *in urbe Biturigum* [a] sub finem hujus anni in comitatu versatus est: ubi occasione Gothescalci rex ab eo quæsivit, de prædestinatione, & libero arbitrio, ac redemtione sanguinis Christi quid sentiret. ad quas quæstiones anno sequenti Lupus respondit. Certe in chronico Fontanellensi Chesniano rex Carolus ad civitatem Bituricas mense Decembri hujus anni venisse memoratur.

a Lup. epist. 128.

LXXVI. Societatem cum Eboracensi ecclesia renovat.

Hoc etiam anno Lupus cellam Judocensem tandem recuperasse videtur, mortuo forsan Odulfo, cui Carolus eam tradiderat. De hac restitutione mentionem facit idem auctor in epistola LXI. ad Guigmundum seu Wimundum Eboracensem epis- » copum, in qua ingens ait fluxisse spatium temporis, quod ob varias perturbationes » societas, quæ ab antecessoribus inita fuerat, nulla præter orationes protulerat in- » dicia caritatis. *Nunc autem*, inquit, *aperiente se gratia pacis, & recepta cella sancti Judoci, unde & hæc scribimus, curavimus, ut par fuit, priores certare officio, vosque sive ad repetendam, sive ad declarandam amicitiam provocare.* Epistola hæc inscripta est Guigmundo episcopo, *cunctisque sub eo Domino Deo famulantibus*, quibuscum Ferrarienses jam dudum societatem precum ac suffragiorum inierant, id est » monachis ecclesiæ Eboracensis, ut Baluzius interpretatur. nam tum monachorum, » inquit, plena erant omnia apud Anglos, ex instituto beati Augustini, Cantuariensis scilicet. qua de re superius non semel actum est. Idem argumentum sequentis epistolæ, eodem tempore scriptæ ad Altsigisum abbatem ecclesiæ Eboracensis sub hoc titulo & exordio: *Venerabili Altsig abbati Lupus, monasterii Bethlehemitici sive Ferrariensis, in Domino salutem. Ingenti clementia Dei nostri discordia peste mitigata, qua totas Gallias, Germaniamque hactenus vexavit atrociter, inter ipsa pacis exordia fœdus, quod inter nostram, vestramque olim fuit ecclesiam, directis ad reverentissimum Guigmundum episcopum litteris studui renovare.* Ex quibus intelligitur, Altsigisum abbatem fuisse ipsiusmet ecclesiæ Eboracensis, cui, præter episcopum, abbas monachis præfuerit, ut anonymus poëta Eboracensis [b] canit de Wilfrido juniore Eboracensi antistite:

b Sæc. 3. Bened. parte 2. p. 560.

Qui prius Euborica fuerat vicedomnus & abbas.

Idem Lupus in tesseram renovatæ societatis quosdam Hieronymi ac Bedæ codices cum libris Quintiliani institutionum oratoriarum sibi commodari petit, & ad cellam sancti Judoci, *quæ tandem aliquando nobis*, inquit, *reddita est*, mitti, tradendos Lantramno, ibique exscribendos. In utraque hac epistola de pace agitur, inter Gallias & Germaniam resarcita, nempe inter Carolum & Ludovicum reges, qui *germana caritate* una convenientes, tanto fraterni amoris vinculo devincti sunt hoc » anno, ut alter alteri baculos tribuendo, regum uxores & liberos superstiti commen- » daret, teste annalista Bertiniano. Huc spectat id, quod in chronico Fontanellensi legitur, hoc anno, & quidem mense Januario, Lotharium augustum & Carolum regem in Peronæ palatio, amicitiæ fœdus iniisse, datisque invicem muneribus ad proprium ambos regnum reversos fuisse. Quin etiam rex Scottorum ad Carolum pacis & amicitiæ gratia legatos cum muneribus misit, viam sibi Romam petendi concedi deposcens, ut legitur in chronico [c] de gestis Nortmannorum. quæ omnia duas illas Lupi epistolas illustrant, easque ad hunc annum referendas persuadent.

c Chesnii to. 2. p. 525.

LXXVII. Caroli donatio facta Glonnensi monasterio.

De hac pace a Carolo agitata mentionem facit Carolus ipse in diplomate pro » Glonnensi sancti Florentii monasterio, in quo ait, cum de regni sui quiete, quo- » rumdam insidiis perturbata, ad germanum suum Ludovicum defectionem meditan- » tium, componenda tractaret; inter cetera sibi obversatam esse calamitatem monas- » terii sancti Florentii sanctissimi Christi confessoris, cui tum Rodulfus venerabilis » abbas præerat. Hoc quippe monasterium, quod a piæ memoriæ Karolo avo suo

AN. CHR. 849.

præclaris ædificiis & plurimis possessionibus nobilitatum, & a genitore suo Ludovico monastico ordini restitutum fuerat, a rebelli Nomenoio Brittone sui odii causa incensum, plurimasque ejus possessiones ab eodem invasas fuisse; ad quod tamen restaurandum multas postea pecunias idem Nomenoïus contulisset. Proinde sibi visum esse, ut eidem sacro loco abbatiam sancti Johannis in pago Andecavensi, & quosdam fiscos adjacentes conferret. Ad hæc, consentientibus venerabilibus episcopis, Didone scilicet Pictavensi, *cujus præsulatui subjacet pagus Medalgicus* *, *in quo supra dictus locus situs est*, tametsi diœcesis Andecavensis, *simulque Theofalgicus* *; Actardo quoque Namnetensi præsule, ut omnes ecclesiæ eorum episcopatuum, quæ eidem monasterio subjectæ erant, ab omni synodali exactione deinceps forent immunes. *Data mense Junii*, VI. *idus ejusdem*, *anno nono Karoli gloriosissimi regis. Actum in loco, qui dicitur Vetus-Pictavis.* Non confundenda hæc abbatia seu cella sancti Johannis cum Johannis-villa, quæ ab eodem Carolo rege Glonnæ anno superiore donata est. Non diu hoc Caroli beneficio tranquille usum est sancti Florentii monasterium, quod Normanni post quatuor annos diripuerunt.

* de Mauge.

* de Tifauge.

LXXVIII. Leonense monasterium a Nomenoio conditum.

Etsi Nomenoius Britanniæ dux ob tyrannidem non semel affectatam male audit, is tamen non omnis pietatis expers fuit. Huic siquidem, præter beneficentiam in Rothonenses, tribuitur conditio monasterii Leonensis, siti prope urbem Dinannum. Factum sic narrant. Cum Nomenoius venationi daret operam, offendit quemdam ad Ranciam locum desertum, ubi sex solitarii sedem fixerant. Interrogati ab eo quid rei gererent, respondent, se uni Deo vacare, eumque pro salute principis, & patriæ felici statu precari: ceterum omni censu destitutos id unum rogare, ut terrulæ quantulumcumque spatium ipsis daret ad habitandum. Petitioni non modo annuit princeps, sed & monasterium construendum recepit, modo ut alicujus sancti corpus haberent. Nec mora missus ad Javarsiacum * insulam Condanus monachus ad obtinendas reliquias sancti Maglorii episcopi illic quiescentis. Impetratis reliquiis, Nomenoius promissum exsolvit, monasterium condidit, dotavitque liberaliter. Forte qui primus monachis præfuit, locum deseruit ob jurgia quædam monachorum, secessumque petiit, uni Deo vacaturus. Hinc inter fratres orta de primatu contentio. Tunc unus ex eis, Britocus nomine, nobilibus in sæculo parentibus ortus, vir magnæ districtionis ac religionis, sanctum locum Rothonensem petiit, asserens, fratres Leonenses in animum induxisse, ut exemplo Rothonensium monachorum regularem vitam ducerent. Susceptus ille a patre monasterii & a fratribus cum summa caritate, forte in gravem morbum incidit, ac demum feliciter ex hoc mundo discessit, perenniter cum Christo regnaturus, cum prius sanctos Martinum, Hilarium, Samsonem, & Marcellinum agonis sui testes & adjutores habuisset. Hæc ex actis sancti Conwoionis abbatis. Nunc Leonense monasterium cella est Majoris-monasterii, hactenus conventualis.

* Jersey.

LXXIX. Gemeticensium monachorum partitio.

Quod in multis jam monasteriis factum erat, nempe ut monachis certa bonorum portio, quam mensam conventualem vocant, assignaretur; id etiam in Gemeticensi Ruodulfus abbas hoc anno fieri curavit, eamque partitionem regio præcepto a Carolo, cujus avunculus erat, fieri curavit. Ejus rei diploma in appendice nostra exstat, in quo Carolus ait, venerabiles & religiosos viros monachos Gemeticensis monasterii, sub honore sancti Petri fundati, regiam sublimitatem adiisse, ejusque excellentiæ notum fecisse, honorabilem virum & avunculum regis Ruodulfum, ejusdem monasterii rectorem, quasdam villas ex prædicti monasterii abbatia, *secundum eorum electionem*, usibus & stipendiis ipsorum deputasse; eosdemque monachos, favente etiam Ruodulfo, regi supplicasse, ut hanc partitionem regiis litteris corroborare dignaretur. quod rex libentissime præstitit. *Data* VII. *kalendas Martii*, *indictione* XII. *in anno* IX. *regni Karoli gloriosissimi regis. Actum in Carisiaco palatio regio.* Hic est HRuodulfus comes, qui etiam Centulensis monasterii abbas fuit post Ludovicum abbatem, ut suo loco videbimus.

LXXX. Parisiensis synodi tempus.

Præter duos conventus superiores Carisiaci hoc anno habitos, tertius Luteciæ-Parisiorum itidem coactus est, non Turonis, ut olim viri eruditi existimarunt. Locum assignavit Fontanellense chronicon Chesnianum: acta vero ea tantum rescimus, quæ in synodica epistola ad Nomenoium Britanniæ principem leguntur apud Lupum d abbatem, ejus epistolæ scriptorem. De hac synodo locus est insignis Audradi Modici in chronico Alberici Trium-fontium monachi, qui Senonensis archiepiscopi

d Lup. epist. 84.

ANN. CHR. 849.

chorepiscopus dicitur. Ipsa chronici verba huc referre juvat. *Audradus chorepiscopus Senonensis de mandato sancti Petri, qui ei in visione apparuit, & de licentia archiepiscopi sui Wenilonis, Romam profectus est anno induciarum quinto*, ex quo scilicet reges fratres simul fœdus inierant; *& libros suos obtulit* quarto Leoni papæ, qui reverenter eos excepit. *Inde Senonas reversus, Parisius ad concilium evocatus est: & non solum ipse, sed & omnes alii chorepiscopi, qui etiam in Francia erant, in eodem concilio depositi sunt.* Hinc apparet, valde imperfecta esse in editis hujus synodi acta, in quibus nihil occurrit de chorepiscopis, quorum causam paullo ante Rabanus libro singulari defenderat. Non tamen post hanc synodum omnino desierunt chorepiscopi, quorum aliqui, sed rarius, in subsequentibus temporibus occurrent. Quo hujus anni tempore, hiberno, æstivo, an autumnali, habita sit illa synodus, ex prædicto chronico elici non posse Labbeus observat. Tempus vero diserte exprimit Caroli regis præceptum, ab eodem Labbeo relatum in appendice tomi octavi [a] conciliorum: quo præcepto rex testamentum Herimanni Nivernensis episcopi confirmat, *sanctorum patrum, episcoporum scilicet regni*, inquit, *nostri, pro utilitate sanctæ Dei ecclesiæ, octingentesimo quadragesimo-nono anno incarnationis Domini nostri Jesu-Christi, & regni nostri decimo*, IN DIE NONARUM NOVEMBRIS *Parisius convenientium, auctoritate* corroboratum. Huic Carolino præcepto in editis præmittitur testamentum seu instrumentum illud Herimanni episcopi, in illo Parisiensi conventu comprobatum, varias continens donationes, tum Nivernensi factas ecclesiæ, in qua stipendia pro sexaginta canonicis assignat; tum pro aliis ecclesiis, signanter pro monasterio sancti Aniani ad Ligerim, in quo monachos instituerat; & pro monasterio sancti Genesii, in quo sanctimoniales: utrisque concedens jus eligendi abbatem vel abbatissam. quæ omnia patres synodi Parisiensis rata habuerunt. Herimannus in his litteris meminit Hermodi abbatis avunculi sui, qui ipsi quædam prædia in pagis Nivernensi & Avalensi dederat.

a Conc. to. 8. c. 1930.

Lumen ad sepulcrum S. Germani.

Antequam Parisios dimittamus, commemorare licet donationem, quam sancto Germano, ejusdem urbis olim episcopo, fecit hoc anno Brunardus quidam de quodam alodo suo, sito in villa pagi Stampensis Celsiaco: ut ex ejus reditu lumen *ante sanctum ejus sepulcrum* haberetur. *Actum Parisius, anno regni* X. *Caroli, kalendis Aprilis, abbate Gozlino*, qui post donatorem & Conradum comitem subscripsit litteris hac de re confectis, quas in appendice habes.

LXXXI. Walafridi carmen ad Gothescalcum.

Inter ea Gothescalcus, dum in Altivillarensi monasterio, quasi in libera custodia, retinetur, amicos litteris sollicitat ad suas partes, eisque doctrinæ suæ veritatem approbare conatur. quod ubi rescivit Rabanus, Hincmarum arguit nimiæ in Gothescalcum indulgentiæ, cui scribendi, accipiendique litteras facultas concederetur. Inter alios hic litteras dedit ad Walafridum Strabonem, cujus carmen *Gothescalco monacho, qui & Fulgentius*, pro responso inscriptum est. Huic reditum ex Romana urbe & ex Italico itinere gratulatur, quem diu a se quæsitum, ac *post cunabula longius meantem*, tandem *suo loco reductum* intellexerat, cui olim nomen dederat, haud dubie Fulgentii, cum scilicet ille Augiæ versaretur adolescens. Tum gratias agit de scripta ad se epistola, ac recepta,

Dulcia cum nostros sancti natalis amores
Jam propius tractis complerent gaudia votis.

In summa eum blande increpat, quod tradito sibi cælitus talento non utatur ad alios erudiendos, durior in amicos, quam ut instituta vitæ ratio olim ferebat.

Atqui in pauperie, passa est quam nostra juventus,
Non talem te, care, habui, minus atque benignum
Expertus non sum, fuerat quam cura petentum.

LXXXII. Ejusdem Walafridi obitus & scripta.

Quæ forte a Walafrido scripta videbuntur ante reclusionem Gothescali, cui alias hæc non bene convenirent. Ut ut sit, scripta sunt post ejus reditum ex Romano itinere: at forte non semel, sed iterum eo profectus est Gothescalcus.

Id huic conjecturæ favet, quod hoc ipso anno e vivis excessit Walafridus, & quidem quinto-decimo kalendas Augusti, quo die ejus memoria in necrologio [b] san-

b Goldast. to. 5. p. 161.

ANN. CHR. 849.

cti Galli notatur his verbis : *Walahfridus abbas obiit, vir in divinis & humanis litteris versatissimus.* Certe hunc ejus obitus annum assignant Hermannus, Hepidannus, aliique : at quo in loco, quave occasione tam præmatura morte decesserit, vir maturæ nondum ætatis, quippe quadragenario vix major, unus prodidit Ermenricus [a] monachus Augiensis, ipsius discipulus, in libro de grammatica ad Grimoldum archicapellanum Ludovici regis, & sancti Galli monasterii abbatem, qui Walahfredum, ut peritus cathegeta, peritum sophistam enutriisse, & , ut plus in domo Dei eluceret, lumine Dei præventum super candelabrum elevasse dicitur. Forte is auctor fuerat, ut ad Carolum regem a Ludovico fratre, cujusdam negotii, an pacis causa, mitteretur Walafridus, quem pro responso quodam domni regis ad Karolum germanum ejus pergentem, ibique, id est in Gallia, defunctum fuisse, unde eum Grimoldus incolumem reversurum speraverat, idem Ermenricus tradit. Varia Walafridi scripta superius laudavimus, nempe librum de vita sancti Othmari abbatis, prosaicum libellum de visione Werini monachi, quem versibus reddidit hortatu Grimoldi archicapellani. Idem metro & prosa de rebus gestis sancti Galli scribere aggressus, metricum opus imperfectum reliquit, quod Ermenrico absolvendum commissum est. sic enim iste in libello mox laudato. *Scripsit itaque ejusdem confessoris Christi vitam supra dictus praeceptor meus, vir simplicissima vita & per omnia recta, domnus Walahfredus, tibi notissimus*, quem, *pro dolor, mors acerba, quæ nulli parcere novit, subito nobis tulit : nec tamen sibi animam illam vindicavit, quam Christus assumsit. Voluit vero ille poëtico cothurno gesta beatissimi Galli comere ; sed morte præventus, vitam in vita finivit. Unde ego rogatus sum a quibusdam fratribus, & præcipue a devotissimo Gozperto, felicissimi abbatis Gozperti nepote, ut, quod magister non impleverat, ego cliens assecla compleam. Fecissemque fateor, si supra dictus dilectus noster in hac petitione aliquam patientiam habuisset.* Ad hæc idem Walafridus librum scripsit de rebus ecclesiasticis, & carmen de vita sancti Mammæ, aliud de sancto Mauricio martyre Agaunensi ad Conradum abbatem ; item varia carmina ad diversos, in quibus Hilduinum abbatem Dionysianum, Wenibertum incerti loci, & Sigimarum Morbacensem abbates, Rabanum ac Tuttonem præceptores suos, Liphariun monachum, quem *doctorem amandum* vocat, Alrgerum monachum Elewangensem, aliosque versibus suis celebravit, præter reges ac principes. In carmine, quod Hortulum inscripsit ad Grimaldum cœnobii sancti Galli abbatem, diserte profitetur, se horti excolendi haud expertem fuisse. namque

Hæc non sola mihi patefecit opinio famæ
Vulgaris, quæsita libris nec lectio priscis :
Sed labor & studium, quibus otia longa dierum
Postposui, expertum rebus docuere probatis.

quod de culturæ initio pluribus probat. Sic itaque mortuus est Walafridus anno ætatis quadragesimo-secundo, post annos septem abbatialis dignitatis : quam successor ejus Folcwinus annos novem tenuit, Augiæ abbas tertius-decimus.

LXXXIII. Lotharii præceptum pro Grandivalle.

Versabatur per id tempus Lotharius imperator in palatio Romarici-montis, cum Liutfridus comes, qui abbatiam Grandis-vallis, diœcesis Basileensis, in beneficium tenebat, ei præceptum exhibuit [b] Ludovici augusti confirmandum : in quo id expressum erat, quod ipse Liutfridus & majores ejus prædictum monasterium cum cellulis sibi subjectis, una scilicet, quæ nuncupatur Cella, & est constructa in honore sancti Ursicini confessoris ; & alia, quæ vocatur Vertuna, & est dicata in honore sancti Pauli apostoli, in suam tutelam recepissent, quæ omnia Lotharius Liutfrido confirmat, ab eo ita possidenda, ut in alimoniam pauperum & stipendia servorum Dei ibidem Deo famulantium proficiant. Data VIII. kalendas Septembris, anno imperii Lotharii in Italia tricesimo, & in Francia decimo, indictione duodecima. Actum Romarici-monte in palatio publico. Initio diplomatis dicitur *Liutfridus illustris comes, dominusque monasterii, cujus vocabulum est Grandis-vallis, quod est situm in ducatu Elisacensi, & constructum in honore beatæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ* : de cujus monasterii origine in nostro primo volumine actum est. Sic in manibus hominum laïcorum diu perstitit hic locus, ut patet ex diplomatibus inferius commemorandis. Ceterum Lotharius hoc anno filium suum impe-

Ludovicus secundus imperator.

[a] Analect. to. 4. p. 332.

[b] Spicil. to. 7. p. 124.

ANN. CHR. 849.

rii consortem dixit, aut certe confirmavit, si genuina sunt ac sincera diplomata nonnulla, quæ eum ab anno ejus sæculi quadragesimo-quarto imperatorem habent. at vero nonnisi anno sequenti quinquagesimo eum a Leone papa unctum fuisse tradunt annales Bertiniani.

LXXXIV. Ludovici regis diploma pro Altaha.

Cum Gosbaldus Wirziburgensis antistes, idemque abbas Altahæ-inferioris in Bajoaria, suum ex hac vita discessum non longe abesse intelligeret; monasterio suo consulturus Ludovicum Germaniæ regem Ratisponæ convenit, postulans, ut
» fratribus, in monasterio sancti Mauricii martyris, vocabulo Altaha, consistenti-
» bus, post suum ipsius obitum abbatis ex seipsis eligendi facultatem haberent, si
» quis inter eos ad id muneris idoneus inveniri posset. quod princeps ratum esse jus-
» sit, dato diplomate in *Ragenspurg* civitate, VIII. idus Martii, anno quarto-decimo
» regni sui in orientali Francia, indictione duodecima.

LXXXV. Hammaburgo unitur episcopatus Bremensis pro Anschario.
a num. 27.

Post cladem Hammaburgensem a Danis illatam, de qua superius [a] actum, cum Anscharius episcopus, rebus omnibus spoliatus, ad cumulum privatus etiam cella Turholtensi, a Ludovico imperatore sibi concessa, quam Carolus Reginario cuidam tradiderat, ad summas angustias redactus esset, ita ut plerique eum socii desererent, Ludovici regis animum subiit cogitatio, ut laboranti inopia pontifici subveniret, & ad continuandum apostolicæ legationis munus suppetias ferret. Nihil vero magis opportunum occurrit in præsens, quam ut episcopatus Bremensis, tunc pastore orbatus, eidem assignaretur, cum Hammaburgensi uniendus, si id per canonicam auctoritatem liceret. Hac de re actum in conventu episcoporum, quibus hoc fieri licere, exemplis propositis, visum est: maxime quod Hammaburgensis diœcesis, ad quam Anscharius ordinatus erat, admodum parva, nonnisi quatuor baptismales haberet ecclesias; eaque multoties barbarorum incursibus ita devastata esset, ut necessario indigeret supplemento. Verum ne Waldgarius Ferdensis episcopus, cujus transalbiana parochiæ portio Bremensi ecclesiæ adjuncta fuerat, huic unioni intercederet; eidem antiqua illa portio restituta. Hoc pacto assensit illi unioni Waldgarius: cui Coloniensis pontifex Guntharius, qui post vacuæ sedis annos fere decem electus est, non ita se facilem exhibuit, ut postea videbimus.

LXXXVI. Palnatum monasterium vastatum a Nortmannis.
* de eo lib. 27. n. 37.
b Catel p. 70. & seq.

Non prætermittendum id, quod hoc anno tradunt annales Bertiniani de Nortmannis, qui Petrocorium Aquitaniæ civitatem diripuisse & incendisse, atque impune ad naves remeasse dicuntur. Tunc sine dubio ab iisdem vastatum est Palnatum * monasterium, de cujus clade insignis est epistola Agii abbatis Vabreosis. Ejus tantum fragmentum retulit Catellus in historia [b] comitum Tolosanorum: ubi Adalgisi abbatis Palnatensis, ejusque monachorum religio prædicatur. *Erat igitur eo tempore monasterium in provincia Galliæ*, id est *in Petracorio pago, nomine Palnatus, in quo jugiter Deicolæ decem famulabantur, nihil habentes proprium, præter quod norma sancti Benedicti concedebat. Alia namque plurima erant monasteria in eadem provincia oppido ditiora, in quibus, jam fata ingruente peste, famis periculo multi monachorum sancti Benedicti normam negligere cœperunt, & contra illius ritum proprium habere. quod illi devitantes, nefas & illicitum censebant, dogmata Pauli prædicatoris egregii pectore recolentes: Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Dicebant enim & ipsi, quod nullo modo forent monachi, qui in terra proprium quærerent, nec scilicet propriam voluntatem; nisi tantum proprias culpas, & proprium locum. Pauperes equidem erant in rebus, sed divites in fide. quibus præerat abbas, Adalgasius nomine, veneranda canitie, moribus justis, alacer vultu, prosapia quidem non vili ge-*
» *nitus, & ore eloquentissimus.* Dum itaque illas Aquitaniæ partes Nortmanni popu-
» larentur; videns Adalgasius, quod nullo modo illorum sævitiam ac præsentem ne-
» cem nisi fuga vitare posset, cœpit lustrare circumquaque, ceu bonus pastor, regio-
» nes omnes, si forte locum inveniret, ubi ab ore sævientium luporum pauperculas
» servare posset oviculas, opportunum haud esse ratus in suo degere solo, *in quo creberrimas ac miserabiles ex dilectis suis alumnis cerneret strages.* Ventum est igitur ad aures eximii *marchionis Regimundi, qui illo tempore marchiæ Tolosæ fungebatur regendi*
» *officio*, quod venerabilis Adalgasius abbas paganorum incursione una cum clienti-
» bus seu monachis suis palabundus a proprio solo exsul ageret. Mox eum Tolosam
» invitavit, concepto mente consilio, ut illi, ejusque discipulis cœnobium in pro-
» prio fundo conderet. quæ res Vabrensi exstruendo monasterio occasionem dedit, ut postea videbimus.

In

ANN. CHR. 849

LXXXVII. S. Helenæ & S. Sindulfi translatio ad Altumvillare.

In quibusdam Sigeberti monachi exemplaribus alia manu adscriptum legitur, factam hoc anno sanctæ Helenæ reliquiarum translationem ex urbe Roma in monasterium Altivillarense, cui tum Bavo abbas, ut vidimus, præerat. Hanc translationem procuravisse dicitur *Tetgisus presbyter Remensis parochiæ*, monachum vocat Notcherus abbas Altivillarensis, qui Romam profectus, noctu clam remanens in basilica sanctæ Crucis, in Jerusalem dicta, ubi sanctæ Helenæ corpus jacebat, illud furtim abstulisse in Galliam dicitur, & in Altivillarensi monasterio reposuisse. Ubi tanti nominis reliquiæ istuc advectæ sunt, mox ejus rei fama per totam provinciam sparsa est, *quibusdam dubitantibus, an ipsa esset Helena, Constantini augusti genitrix.* Hanc porro dubitationem aquæ judicio sustulisse fertur Tetgisus, triduano præmisso jejunio in ferventem aquam ingressus, & ex ea egressus illæsus. Hæc ex Frodoardo[a], qui addit, tres ejusdem cœnobii fratres Romam missos, ad explorandam rei veritatem: qui redeuntes rem ita habere asseruerint, & ad gaudii cumulum, corpus beati Polycarpi presbyteri, collegæ sancti Sebastiani, ex Urbe itidem in suum monasterium retulerint. Hujus translationis historiam litteris primus mandavit Altmannus monachus ejus loci ac temporis, & ex eo Frodoardus; post utrumque Notcherus abbas Altivillarensis, qui recrudescentem hac de re dubiationem sollemni episcoporum judicio sub finem sæculi undecimi dirimi curavit. Post aliquot annos ad idem cœnobium translatæ sunt ex vico pagi Remensis Alsoncia * reliquiæ beati Sindulfi eremitæ & confessoris: quæ ex eo vico primum ad villam, quæ Spida * vocatur; tum Remos in ecclesiam sanctæ Mariæ; indeque, *celebratis missæ sacramentis*, in basilicam sancti Remigii; dein postridie *ad monasterium Avennacum, occurrentibus sanctimonialibus*; ac demum perlatæ ad monasterium Altivillarense, ubi hactenus cum reliquiis sanctæ Helenæ asservantur. Hæc pluribus Altmannus & Frodoardus[b].

a *Frod. lib. 2. c. 8.*

* *Ausonce.*

* *Espois.*

b *ibid. c. 9.*

LXXXVIII. Avennaci Berta abbatissa, filia Lotharii.

Sub idem tempus Hincmarus Remorum antistes apud Lotharium imperatorem insimulatus est, quasi ejus jussione multa damna irrogarentur Avennaco monasterio; cui tunc Berta, ejusdem imperatoris filia, præerat. Hincmaro scripsit hac de re Irmingardis augusta: cui ille[c] respondit, ex parte diaboli hanc criminationem profectam esse. Forte ipsius homines aliquid injuste in res Avennacenses perpetrasse: sibi tamen ignoranti, & non consentienti id non debere imputari. Negat mansum quemdam illi monasterio ab se abstractum: immo se a rege missos petiisse, qui litem hac de re inter Remensem ecclesiam & Avennacensem dirimereut. nam se, qui sua pro Christo dimiserat, nec velle, nec indigere, ut aliena raperet. quamquam ea, quæ sibi commissa erant, sine ratione & lege negligenter dimittere non audebat. Ceterum multa in illo monasterin esse ordinanda, in quibus ipsius imperatricis, & Bertæ ejus filiæ indigeret auxilio. Mitteret proinde missum quemdam strenuum ae fidelem, cum misso filiæ suæ, qui una secum ea, quæ ibidem correctione opus habebant, corrigerent, testesque futuri essent propensæ ipsius in eum locum voluntatis. Ad hæc rogare, ne alienæ linguæ facile credat, maxime de sacerdotibus Christi. Denique se in nullo imperatori infidelem exstitisse, ut quidam malevoli calumniati sunt. Porro de his omnibus Deum judicaturum, cum ille inter principes, & ipse inter episcopos ante Regem regum & episcoporum venerint. Idem Bertæ[d] abbatissæ scribit pro impedimentis seu damnis, quæ fratres ae servientes monasterii Altivillaris, aliarumque villarum Remensis ecclesiæ patiebantur ab hominibus ejus, postquam in hoc regnum illa venerat. quæ ab ipsa emendari petit, si Deum placabilem habere, & sanctam Mariam, beatumque Remigium sibi conciliare cupiat. alias, se, licet invitum, regis aures pulsaturum; ae demum, si necesse foret, pœnas canonicas in eam, ejusque homines decreturum.

c *Frod. lib. 3. c. 27.*

d *Ibid.*

FINIS.

INDEX APPENDICIS SEQUENTIS.

APPENDIX

TOMI II. ANNALIUM BENEDICTINORUM,

Varia monumenta & diplomata complectens.

I.

Missa de S. Bertila primaabbatissa Calensi. Non. Novembris natale S. Bertilæ abbatissæ.

Ad lib. 19. n. 9. *Ex veteri Sacramentario.*



EUS qui humilitatis gratia nos revocas ad cælestia, tribue nobis beatissimæ Bertilæ subsidium, quam per obedientiæ exempla ad majora provexisti. Per.

Super oblata.

Humilitatis oblationem tibi, Domine, offerimus, quam in commemoratione beatæ Bertilæ pro communi expiationis piaculo a te suscipi postulamus, & sanctificari humiliter implotamus. Per.

Præfatio.

(†) æterne Deus, qui non deseris humilia, sed exaltas ad supera, tribue nobis beatæ Bertilæ humilitate cælorum regna penetrare, quam novimus virtute humilitatis paternitatis vota adipisci. Unde, pie Pater, te poscimus, ut ejus meritis & precibus tuam gratiam consequamur. Per Christum.

Post-communio.

Omnipotens Deus, qui humilibus semper præstas gratiam, largire nobis sacrosanctæ dilectæ tui Bertilæ æternam percipere hereditatem. Per.

Super populum.

Deus qui humilitate placaris, & confessione ad veniam inclinaris; da cunctis nobis præsentibus interventu beatæ Bertilæ a noxiis liberari, & æternis gaudiis exuberare.

II.

Wolfoaldi comitis litteræ pro constructione monasterii S. Michaelis ad Mosam.

Ad lib. 19. n. 41. *Ex authentico.*

CUm oporter Christianis viam veritatis eligere, pro qua conditori suo possint dignæ miserationis munus offerre, ut oblatio proficiat ad salutem, & devotio pertineat ad mercedem: Ego itaque Wolfoaldus, filius Gislaramno quondam, necnon & conjux nostra Adalsinda, filia Adalberto quondam, donatores. Licetmultarum rerum, cum sit scripturarum serie modis quislibet pro suis amissis facinoribus, vel redimenda ultione peccaminum de rebus suis propriis loca sanctorum Dei aut ipsius servis suisque bene meretis vellet transferre persona. Unde & tamen bene antiquitus divitum principum decreta & legum ita xanxerunt; ut tantummodo loca manus donatoris solacentio in subscriptione certa monstraretur, nec sine gestarum allegatione plenissema voluerunt firmitate mancipare, ut hoc quod unusquisque pro arbitrio suo cor.. . mentis suæ condonare, quod præceperit sollemnis scriptura confirmaret. Sed dum & nos Dominum inspirantem, ut credimus, sicut omnium fidelium catholicæ ecclesiæ Christi mos est, quorum deposcit benignitas, ut pro animarum salute vel Dei intuitu Domino adjuvante monasterium congregationemque servorum Dei animo devotissimo a novo fundamento in jure proprietatis nostræ in pago Virdunensi, in loco, qui dicitur Castillionis, in fine Vindiniaca, ubi ad ipsa radice montis consurgit fluviolus, qui dicitur Masupia *, io honore nomini sancto Michael archangelo & sanctæ Mariæ matris Domini nostri Jesu-Christi, sancti Martini & sancti Petri & Pauli apostoli, necnon & sanctorum martyrum & confessorum, vel ceterorum ad exemplum beatissimorum etiam visi fuimus ædificasse. Et addidit nobis concilius, quatenus de communi substantia nostra ad ipso monasterio, vel ipsis servis Dei Deum vacantes consistentium juxta Dei arbitrium conscribere deberemus. quod ita & fecimus. In primis itaque donamus portione nostra, cognominante Widinovilla *, sitam in pago Virdonense, cum casis, domibus, ædificiis, mancipiis, mansis, campis, pratis, vineis, silvis, cultis & incultis, aquis aquarumve decursibus, cum omne adjecentia vel appendiciis ad se pertinentibus. Similiter donamus villam nostram super fluvio Masupia in ipso pago Virdonense, quæ io populo vocatur Godonecurte *, cum casis, domibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, mansis, campis, pratis, silvis, cultis & incultis, tam de proprio quam de comparato, vel de qualibet adtracto quod ad nos pervioct, cum omni adjecentia ad se pertinente. Similiter donamus super ipso fluviolo Masupia, portionem, quam de Crudelberto

* *Massonpe.*

* *wirville.*

* nunc *S. Mihiel.*

pretio comparavimus, cum mansis, pratis, campis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, cultis & incultis, cum omni adjecentia ad se pertinente. Similiter donamus super ipso fluviolo Masupia portionem illam, qoæ dicitur Tavanorum-vallis, quam de Gennulfo dato pretio comparavimus, cum mansis, campis, pratis, silvis, cultis & incultis, aquis, aquarumve decursibus, cum omni adjecentia ad se pertinente. Similiter donamos portiones illas in curte illa, quæ vocatur Byscublata * in ipso pago Virdonense, super fluvio Mosa, quam de Valdradane, Godane, & Chrodelinde dato pretio comparavimus, cum mancipiis, mansis, casis, campis, pratis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, cum omni adjecentia ad se pertinente. Similiter condonamus portionem illam in loco qui dicitur Monnone-villa *, super fluvio Mosa, in pago Virdonense, quem Adalbertus quondam de Gundoino dato pretio comparavimus, cum mancipiis, casis, mansis, campis, pratis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, cultis & incultis, cum omni adjecentia ad se pertinente. Similiter donamus portiones illas in loco qui dicitur Calvonecurte *, in ipso pago Virdonense super fluvio Mosa, quam de Adalfo vel heredibus suis, sive quam de Erlino vel Fulgoino dato pretio comparavimus, cum terris, mancipiis, mansis, campis, pratis, silvis, cultis & incultis, aquis, aquarumve decursibus, cum omni adjecentia ad se pertinente. Similiter donamus in ipso pago Virdonense super fluviolo, qui vocatur Cruia *, portionem unam ad Castellionem, quam de Felicius, vel herede suo dato pretio comparavimus, cum mancipiis, casis, mansis, campis, pratis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, cum omne adjecentia ad se pertineote. Similiter condonamus super ipso fluviolo Quala portionem illam, quam de Brantrude femina dato pretio comparavimus, cum mancipiis, casis, mansis, campis, pratis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, cultis & incultis, cum omne adjecentia ad se pertinente. Similiter donamus super ipso fluviolo Cruia portionem illam, quam de Chaldeberto filio Champerti quondam dato pretio comparavimus, cum mancipiis, casis, mansis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, cultis & incultis, cum omne adjecentia ad se pertinente. Similiter donamus ad Baudemetrovilla portionem illam, quam de Chaicone vel de conjuge sua Gannane dato pretio comparavimus, cum mansis, casis, mancipiis, campis, pratis, vineis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, cultis & incultis, cum omne adjecentia ad se pertinente. Simili modo donamus villam oostram, sitam in pago Virdonense, quæ vocatur Buxarias *, quam nos de Austrude abbatissa quondam dato pretio comparavimus, cum casis, mansis, mancipiis, vineis, campis, pratis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, cultis & incultis, cum omni adjecentia ad se pertinente. Similiret donamus in ipso pago Virdonense, in Teudegisilo-villa portionem illam, quam de Rodeberto & Ratfredo dato pretio comparavimus, cum mansis, campis, pratis, silvis, aquis, aqnarumve decursibus, cultis & incultis, cum omne adjecentia ad se pertinente. Similiter donamus in Vigo-Marsallo * Juno ad sal faciendum, cum manso, casa, ferso, cum omne adjecentia ad se pertinente. Similiter donamus curtem unam Tronione * nuncupatam, sitam in pago Virdonense, cum casis, domibus, ædificiis, mancipiis, campis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, cultis & iocultis, tam propriis quam de comparato, vel de qualibet adtracto ad nos pertinente, cum appenditiis vel omni adjecentia ad se pertinente. Similiter donamus portionem unam in villa, quæ vocatur Bedernaca, sitam in pago Virdonense, quam de Alsinda femina dato pretio comparavimus, cum domibus, ædificiis, mancipiis, mansis, campis, silvis, pratis, aquis, aquarumve decursibus, cultis & incultis, cum omni adjecentia ad se pertinente. Similiter donamus in Epponecurte portionem unam, quam de ipsa femina Adalsinda dato pretio comparavimus, cum mancipiis, mansis, campis, pratis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, cultis & incultis, cum omne adjecentia ad se pertinente. Similiter donamus portionem nostram in villa, quæ dicitur Ulmo, quæ in populo vocatur Coria *, sita in pago Virdonense super fluvio Mosa, tam de proprio, quam de comparato, quam de Gailano & Gennulfo & Godelinde & Felice heredebus nostris dato pretio comparavimus, cum casis, mansis, domibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, pratis, campis, vineis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, cultis & incultis, cum omnibus appendiciis vel adjecentiis ad se pertinente. Similiter donamus curtem unam Cussiliaco, sitam in pago Barrense, cum casis, mancipiis, mansis, campis, pratis, silvis, cultis & incultis, aquis aquarumve decursibus, cum omni adjecentia ad se pertinente. Ista omnia supra nominata vel conscripta, junctis mobilibus & immovilibus utriusque sexus, peculium nationum, vel omne subpellectile, quidquid dici aut oominari potest in supra scriptis locis, ad se pertinentia, cum rem inexquisitam & exquisitam, ad integrum a die præsente plenissima voluntate ævis temporibus tradimus atque transcribimus ad possedendum ab hodierno die jore firmissimo absque consortio coheredum nostrorum habendi, tenendi, possidendi habeant ipsi potestatem, ut in Dei nomine inde potiantur in æternum. Et ut hæc voluntas nostra pleniorem obtineat vigorem, & per tempora conservetur, ipsas prædictas res nominatas ex proprio sigillo adfirmavimus, ut omnia quæ superius sunt inscripta perpetua felicitate maneant. Illud nobis in hac voluntate scriptum esse complacuit, ut nullus judex vel pontifex de civitare vel ex ipsa parrochia Virdonense in ipso monasterio nullam potestatem ad quaslibet redhibitiones aut requisitione exigendi ... habeat potestatem ingrediendi: quia in ipso prædio nostro proprio sumptu labore ædificavimus. Illud nobis addere convenit, quod aliquando esse non credimus, si aliqua se carta, se anteriores vel posteriores ad hanc voluntatem nostram inculcandam vel minuendam, nomen-

* Billie.
* Menonville.
* Chaumontcour.
* Culey.
* Buxierres.
* Vic & Marsal.
* Trongnon.
* Koeurs.

que nostrum fuerint ostensæ, vacuæ & inanes appareant, & nullum inantea sortiantur effectum. Si quis vero, ut adsoler, de heredibus vel proheredibus nostris, quod fieri non eredimus, aut quælibet opposita persona, vel judiciaria potestas contra hanc donationem deliberationemque nostram, quam ex spontanea voluntate, plenissima devotione fieri rogavimus, ullo umquam tempore infringere voluerit, vel pro quolibet ingenio inrumpere vel restragrare voluerit; primitus Dei incurrat offensionem, & ah omni loco sanctorum cœnobitarum vel consortio christianorum excommunicatus appareat, & insuper velut Judas traditor nostri Domini, & sicut Giezi puer Elizei, qui munera fraudulenter acceperunt, simili sententia judicetur, & sit anathema-maranatha, quod est perditio in adventu Domini, & nec sie voluntas mea a nullo possit convelli; & insupet una cum socio fisco auri libras quingentas, argenti pondera octoginta partibus nostris cogatur resolvere, & quod repetit in nullo valeat capere; sed hæc cartula donationis nostræ inviolabilis omni tempore maneat roboratione subnixa. Facta est hæc donatio in ipso monasterio multorum conventu bonorum-hominum anno xv. regni domini nostri Childeberti regis... Sign. † v. inl. wlfoaldo, qni istud testamentum donationis fieri rogavit. Sig. † Adalsindæ conjugis suæ consentiente testamento donationis fieri rogavit. Ego wlfuidis abba subs. Gairebaldus episcopus subs. Pepp[ino] abba rogetus a supra [dicto wlfoaldo subs.] Sign. † Dodino. Sign. † Sequeno test. Sign. † Chrodelberto test. Sign. † wlfredo test. Sign. † Disoeno test. Sign. † Ercamberto. Sign. † Desafto test. Sign. † Angliberto test. Sign. Chugone test. Sign. † Flodoeno test. Sign. Attolane test. Ego Robertus presbyter subs. Ermoaldus rog. Sig. † Gislaranus subs. Heteraenus subs. S. †. Gundoeno. Ego Richramnus rogitus suptascripsi hoc testamentum donationis.

III.

Ibbonis Turonensis archiepiscopi privilegium pro monasterio S. Martini.

ad lib. 19. n. 59. *Ex authentico.*

CONditot rerum omnium Deus invisibilis per prophetarum linguas genus erudivit humanum, qui egregium per prophetam præcipit nobis Isaiam, si Deum quærebamus, & scire illius volebamus vias, debitores nostros repetere non deberemus; omnes etiam solveremus fasciculos deprimentes, & omne onus quod aggravabat disrumperemus, & reliqua quæ subsequuntur si custodiebamus; tunc repromisit omnibus nostrorum crimioum ponderibus dejectis, atque delictorum nexibus resolutis, expulsisque peccatorum tenebris erumpere quasi mane lumen nostrum, ad contuendum scilicet oculis spiritualibus, sicuti est, Creatorem: quod & sanitas nostra citius oriatur, & anteibat faciem nostram, justitia, & gloria Domini immarcessibilis colligat nos. Tunc invocemus, & Dominus exaudiat; clamemus & dicat voce cælitus: Ecce adsum. Cui abysso veteris testamenti consonat vel invocat atque confirmat in voce cataractarum novum ipsius Redemptoris voce, *Dimittite, & dimittitur vobis.* & iterum: *Quæcumque vultis ut vobis faciant homines, & vos eadem facite illis*, &, *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Hoc ergo mandatum sufficit nobis in totum, in quo legem integram veterem & novam & universos prophetas pendere & implere Scriptura firmavit. Et de contemplativa vita partem optumam, quam Dominus Mariam elegisse laudavit, sufficere credimus testimonio ipsius. Licet & actualis vita habeat cum retributione bonorum operum mercedem suam; tamen præposuit satagente Martha circa plurima se contemplante Mariam. His ergo tantis ac talibus testimoniis exercitatus animo, decrevi ego in Dei nomine Ibbo, etsi quamlibet peccator, Turonicæ urbis gratia Dei vocor episcopus, privilegium concidere, atque libertatem congregatione monasthyrii basilicæ beatissemi post apostolos Gallearum clarissimi confessoris Martini, ubi ipse in corpore requiescit, condonare, in quo venerabilis vir Gunttamnus abba præesse videtur, quod jam dudum a præcessore nostro *Chrotperctho*, Turonicæ urbis quondam episcopo, christianissema devotione ad ipsam sanctam basilecam vel congregationem ibidem consistentem fuit concessum, vel etiam per auctoritatem sedes apostolieæ papæ urbis Romæ, consensu ipsius Chrotperchi hoc privilegium ad instar ex ipsa ditione apostoleca fuit confirmatum. Non immerito, reor, eisdem ita viventebus pie atque catholice hoc supervenire privilegium poterit, qui indesinenter die noctuque patrono famulantes, placere pissemo Christo contendunt, omni honestate ac moderatione morum corpora coercentes redigunt servituti; atque suis libertatem monachis dare, cujus honorem fiscus totum dedit urbi, & census, libereque vivere nomenque instituit heredes. Cujus præfulgentiam a miracolis coruscante, a regibus singulariter emunitatem urbs nostra tota promeruit, præstante piissimo Dagobertho quondam rege integram emunitatem suscipit; dignum arbitror minus ab eodem impetratum eidem vel in suo viventibus patrocinio trementibus ulnis proferre. Prælatis ergo fratribus & abbati jura servantebus patrum cedemus, cessosque volumus ecclesiæ censos, servitutes, opera, mansiones, pastus, munera, freda, fisco, episcopo, judicebus, missis, & archidiacono, & omnes consuetudioes sæculares amputamus seu resecamus, & quicquid nobis vel eisdem servire dareve solebant; & quidem possident vel adhuc, largiente Domino, christianis hominebus conlatum fuerit, sibi semper vindicent, habeant, atque perpetuo jure tempore nostro vel successorum nostrorum defendant, eisque proficiat perenni firmitate; nec nobis, nec nostro cuiquam successore quicquam aliud dent, nisi juxta postholationem fratrum vel statuta sanctorum patrum, quam honores impositæ manus, graduum benedictiones subsequentum, altaris crismatis & olei sancti; & hoc ipsum absque ullo præmio secundum sanctas scripturas accipiant. Et si abbas ab hac luce discesserit, per

electionem memoratæ congregationes monasthyrii, quorum vita perfecta credetur, sicut Regula sancti Benedicti edocet, in eorum consensu solidetur : sicut & auctoritas papæ urbis Romæ Adeodathi contenet per privilegii seriem, nullas gravidines a quolibet episcoporum sub prætexru discussionis teligiosus abbas vel monachi ibidem degentes sustenéant. Neque rursus hospitandi sibi apud vos licentiam vindicantes dispendia his atque insolentias angariarum imponant, nec per occasionem regularis disciplinæ rimandæ atque servandæ quaslibet importent injurias ; sed liberam licentiam semiliter habere statuemus, salva profecta monachorum regularium custodia, religiosum abbatim, quicumque pro tempore præerit præfato venerabili monasthyrio id procurante. Ut ergo quod priscæ traditionis ejus articulos contenet conservare nitatur, & quique sub ejus reguntur dispensatione solerter custodire commoneat, districteque compellat ; reverentissemus vero episcopus, in cujus parrochiam memoratum venerabile monasthyrium, vol res ejus hac possessiones constiterint, faciendæ tantum ordinationis hac promotionis sacerdotum atque levitarum vol conficiendi crismaris sit tantum concessa licentia : dispositionem autem venerabelis loci gerere, ac conversationem monachicam exquirere religioso abbati ejusque præposito, vol quique probatissemi fuerint in eodem monasthyrio, quod etiam præfati præsoles consona sententia definierunt, decernemus. Quisquis igitur quolibet tempore, quod nullatenus credemus, hujus decretum privilegii, quod auctotitate aposthollica subnixi consentiendo firmavimus, in totum vel in parte temerare temptaverit, suæque præsumpciones audaciam digna emendatione mious correxerit, in perpetuum percellendum vel anathemathizandum se noverit, non solum tantorum sententia sacerdotum, sed æquissimo aposthollicæ condemnationes aculeo : quoniam violare pertinaciter nisus est, quod salubtiter conservare debuerat. Et ita quoque hujus privilegii sanctio firma ac tata indiminute persistat atque permaneat, erga quod & præcellentissimi tucius Galleæ regis, ut scripta conperimus, ad repremendas laicotum infestaciones edicto præmunire idem venerabili monasthyrium regale pictare dignati sunt : ita & nos inspirante Domino plena devotione deinceps in idipsum venerabelem Gunthramnum abbatem, suamque congregationem, vel præfati monasthyrii sancti Martini antestetis volumus confirmare : ut inspecta ipsa privilegia tam decessores nostri Crotperthi, Berthoni, qoam & Adeodathi papæ urbis Romæ, seu confirmationes gloriosorum regum, ut nostro tempore vel successorum nostrorum omnimodis inviolabiliter conservitur, & io nulla qualibet parte, sicut a nobis decretum est, corrumpatur. Rogamus & conjuramus successores nostros secundum sancti Pauli exemplum per nomen Domini nostri Jesu-Christi, ut ipsum sentiatis omnes nobiscum, conservantes Domini mandatum, quomodo dicetur : *Gratis enim accepistis, & gratis date.* & illud propheticum testimonium : *Beatus qui excutit manus suas ab omni munere*, id est, ut nec per obsequium indebitum serviendo, nec per linguam laudando, nec per manum plena muneribus donum Spirito-sancto corrumpantur ; sed illa potius intueantur munera immortalia, quæ sunt cælis condeta, de quibus dicetur, quod oculus non videt, nec auris audivit, nec in cor homenis ascendit, quæ præparavit delegentebus se, & custodientebus legem suam. Abbas vero qui elegendus est, non eum nativetas, aut divitiæ, aut ingenuosetas præferat ; sed quem sanctitas, mores, & gravetas vel pietas adornaverint, anteponant. In nullis quoque modis, quos prædixemus juxta conjurationem desentiatis nobis prædicti successoris, si non Martinus consortio, si noo Christus suo vos excludat regno. Vos quoque venerandos mihi Gallearum præsoles, & Belgicæ, Aquitaniæ metropolitanos, & omnes confratres & coepiscopos supplex exoro, ut huic paginulæ pro sotio vestro patrono oostro sancto Martino assensum tribuatis animo expleno, manibus vestris infra subscribentes, roborem detis perpetuum : ut ad æterna vobis præmia hoc privilegium per orationem quibus datur perveniat & nobis. In Christi nomen Ihbo etsi peccator episcopus hoc privilegium integra voluntate & devotione ad monastirio S. Martini, ubi monachi secundum regola sancti BENEDICTI conversare vedintur, subscripsi.

Dido peccator consentiens subscripsi, Bertacharus abbas consentiens subscripsi, Dodo acsi indignus diaconus consentiens subscripsi, Mummolenus abbas consentiens subscripsi, Berthcramnus coosentiens subscripsi.

IV.

Adonis abbatis charta, qua basilicæ S. Remigii Altrum, Crisciacum, & alia donat.

.... trado adque transcribo ad bas... Remigio....... hoc est porcionem meam ad Altro super ipso fluviolo Altro, cido in pago Vonginsi cum apendice...... Bairo & alia apendice Crisciaco super fluviolo Bebroptico, quod illa alia medietati in.... Mauriliane, & ipsi postia ipsam rem per suo estrumento ad ipsa basileca sancto Remegio..... enegio ad usofructo vise summus tenire, pro ipso uso jam dicta porcione nostra cum mansus, casis, terris... is, vinies, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, cultis & incultis, tam ipsa porcione qui fuit... & ipsa porcione nostra cum omne integretate, vel apendicies suas post obitum nostrum pars... [con] tradicentis in eorum potestate ad die præsenti recipiant habendi, tenendi, commudandi, ven... cius basileci sancto Remigio, suique agentis aeligirint, faciendi liberam & firmissemam io omnebus hab.... Ad lib. 20. n. 5. *Ex authentico.*

. . . . & ill. fratris vel clirici in ipsa sancta baselica consiste... Dominum mesericordiam deprecare & ta..... post nostro discesso nominis nostri in i.... otinas decantintur. Si quis vero, quod...... nobis optabile esse viditur, ut seu... quælibet

persona contra hanc facta a me. . . . . , inrumpere voluerit, imprimitus iram . . . sa & de omni a limena sanctorum exconmunis apariat, & veniam apud Domino nonquam meriatur habire, ces . . . . re noluerit & insuper inferat ad ipsa basileca una cum socio fisci auro libras quinque, argenti ponda vig. . . . aevindegare non valiat, & præsens donacio isti omne tempore firma & inviolabilis valiat permanere . . . . Acto Rimis in minse Aprili, anno quarto rigni domni nostri Dagoberto rege. Ado abba hanc donacionem . . . . Rodsridus ter . . Allinus abba subs. Ego Abblico subs. . . . Chaireber. . . . Adolulfus Prot. subsc. Sign. † Gundoino. Sign. † Vandreberto. Sign. † Winone. Sign. † Silvestro graf. Sign. † Bertelmo. Sign. † Marcio.

A tergo eadem, ut videtur, manu adscriptum, De donatione, quam fecit Ado de Altro. *& paullo recentiori manu* . . . . De Altro in pago Vonginsi, & de Sulingalio, & de Crisciaco, quam fecit ad sanctum Remigium. *Plerisque subscribentium nominibus, adscripta sunt signa idiographa, quorum defectu signum Crucis hic interponitur.*

V.

Charta Hugonis sacerdotis, seu episcopi Rotomagensis, qua Vidiacum villam cœnobio S. Arnulfi confert pro sepultura patris sui Drogonis.

Ad lib. 20. num. 5. Ex veterrimo exemplo.

IN Christi nomine sub die VIII. kal. Julii, anno V. regni domni nostri DAGOBERTI Regis. Quotiens, ut solet humana fragilitas, aliquæ personæ de hoc sæculo migraverint, oportet ad suos heredes de ipsius facultate pro animæ suæ remedio ad loca sanctorum debeant delegare, ut eis in æterna beatitudine pro hac re merces adcrescat. Ideo nos in Dei nomine HUGO sacerdos, & germanus meus illuster vir ARNULFUS dux, necnon PIPPINUS & GODEFRIDUS, dum contigit ut genitor noster illustet vir DROGO quondam de hac luce migraret, nostra fuit petitio ad venerabilem virum LEUTBERTUM abbatem de basilica sanctorum Apostolorum, quæ est foris murum Mettis civitate constructa, ubi avus noster domnus ARNULFUS in corpore requiescit, ut ibidem jam dictum genitorem nostrum Drogonem sepelire deberemus: & ipse Leutbertus benigno animo visus fuit præstitisse. Ideo nos tam pro ipso loco sepulturæ, quam & pro remedio animæ prædicti genitoris nostri villam, nuncupatam Vidiacum *, sitam in pago Mettense, quam ipse genitor suus, avus noster Pippinus, suo munere concessit, ipsam villam ad basilicam sanctorum apostolorum clericis vel pauperibus, alimoniam ibidem accipientibus, aut lectoribus inibi deservientibus, à die præsenti per hanc cartulam donationis visi fuimus concessisse, hoc est tam infra murum, quam & foris murum Mettis civitate, tam terris, domibus, basilicis, ædificiis, accolis, mancipiis, libertis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, farinariis, appendiciis, cultis & incultis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omni integritate seu adjacentiis, ad se aspicientes vel pertinentes, vel omni genere quadrupedum, quicquid in ipsa villa Pippinus & prædictus genitor noster visi fuerunt tenuisse vel possedisse, ipse abba vel successores sui ad partem suprascriptæ basilicæ hoc habeant, teneant, atque possideant: & quicquid in opportunitatem ipsius basilicæ exinde facere decreverint, libero in omnibus potiantur arbitrio. Et si (quod non credimus esse venturum) si nos ipsi, aut ulli de heredibus aut proheredibus nostris, vel quæcumque opposita persona contra hanc paginam delegatioois sive testamenti ambulare præsumpserit, aut aliquam causam exinde removere temptaverit; in primis iram Dei omnipotentis incurrat, & a liminibus sanctorum efficiatur extraneus; & sic marcescat in radice, ut numquam florescat in ramis: & insuper componat intra ipsam basilicam & sacratissimo fisco auri libras V. argenti pondera X. & quod repetit, evindicare non possit; sed præsens delegatio sive testamentum omni tempore plenissimam obtineat firmitatem stipulatione subnixa. Actum Mettis publice sub die & tempore ut supra.

* *Vigy.*

HUGO, acsi peccator, sacerdos hanc delegationem sive testamentum à me factum firmavi.

ARNULFUS dux hunc testamentum consentiens.

† Signum MILONIS. † Signum WIDONIS comitis. † Signum EREMBERTI comitis. † Signum LANTBERTI comitis. † Signum WARNARII comitis.

VI

Chartæ quatuordecim pro monasterio Honaugiensi.

I. Donatio insulæ Honaugiæ, facta a Borono, filio Bothelonis, qui fuit frater ducis Adalberti, monasterii Honaugiensis fundatoris.

Ad lib. 20. n. 39. &c. Ex veteri codice communicato a V. C. D. abbate Le Laboureur.

SAcrosancto munasterio Hunaugiæ in honore S. Michaelis Archangeli super Rhenum fluvium constructo, ubi præsenti tempore Benedictus sive Tubanus videtur esse abbas; Boronus cogitans ad Deum pro affectu animæ meæ, vel pro æterna retributione, complacuit mihi, ut de ipsa insula, quæ dicitur Hohenaugia, & quam genitor meus mihi dereliquit, & ad me pervenit; de parte mea ad integrum ad ipsum monasterium dono atque transfundo; & in alio loco, qui dicitur Gwllisteti, mansum, unum legitimum, quem Bobo tenuit. Hæc omnia supra dicta ad jam dictum monasterium vel ad agentes suos à die præsenti, in vestra trado dominatione possidendum, ut quicquid exinde facere volueritis, liberam & firmissimam habeatis in omnibus Christo propitio potestatem. Si quis vero, quod si ego aut aliquis de heredibus meis vel quælibet opposita persona contra præsentem epistolam venire, aut agere, aut aliquam calumniam generare voluerit; inferat ad agentes supradicti monasterii auri uncias sex, & nichilo minus præsens epistola ista firma & stabilis per-

maneat stipulatione subnixa. Actum in villa Ebrotheim publice. Datum sub die XI. kal. Julii, anno iij. regni domini nostri Theodorici regis. signum Boroni, qui hanc donationem fieri rogavit. S. Ratberthi testis. S. Albrici. S. Hanubaldi. S. Gosberthi. S. Balluni testis. Ego Guntrannus, acsi indignus presbyter, rogatus hanc epistolam donationis scripsi & subscripsi.

VII.

II. Alia donatio ejusdem insulæ, facta ab Haichone fratre ejusdem Adalberti ducis.

SAcrosancto monasterio, quod dicitur Hohenaugia, in honore sancti Michaelis super Rheoum fluvium constructo, ubi præsenti tempore Benedictus videtur esse abbas; Haicho cogitans ad Deum pro affectu animæ meæ vel æterna retributione, complacuit michi ut de ipsa insula, quæ dicitur Hohenaugia, & Rhenus circuit, de parte mea ad ipsum monasterium condonare deberem. quod & ita feci. Ideoque hæc omnia supradicta ad jam dictum monasterium, vel ad agentes suos a die præsenti in vestram trado dominationem possidendum, ut quicquid exinde facere volueritis, liberam ac firmissimam habeatis in omnibus Christo propitio potestatem. Si quis vero, quod si ego aut aliquis de heredibus meis vel ulla opposita persona contra præsentem epistolam venire & agere, aut aliquam calumniam generare voluerit, inferat ad agentes supradicti monasterii auri libram I. & nihilo minus præsens epistola ista firma & stabilis permaneat stipulatione subnixa. Actum in villa Simthutis publice. Datum sub die XV. kal. Octobris, anno iij. regni domini nostri Theodorici regis. signum Haichonis, qui hanc donationem fieri rogavit. S. Hugonis filii sui, qui consensit. S. Albrici testis. Ego Guntrannus, acsi indignus presbyter, rogatus scripsi & subscripsi.

VIII.

III. Alia donatio facta a Liutfrido & Eberhardo, ejusdem Adalberti filiis.

SAcrosancto monasterio, quod dicitur Hohenaugia in honore S. Michaelis super fluvium Rhenum constructo, ubi dominus Benedictus abbas præesse videtur; Liutfridus & Eberhardus, cogitantes pro animabus nostris vel pro æternæ retributionis venia, propterea complacuit nobis animus, ut de ipsa insula, quæ dicitur Hohenaug, & Rhenus circuit, de parte nostra, quantumcumque genitor noster Adalbertus dux nobis moriens dereliquit, ad ipsum monasterium condonare deberemus, quod & ita fecimus. Ideoque hæc omnia supra jam dicto monasterio vel agentibus vestris a die præsenti in vestram tradimus dominationem ad possidendum, ut quidquid exinde facere volueritis, liberam ac firmissimam habeatis in omnibus Christo propitio potestatem. Si quis vero, quod si ego aut aliquis de heredibus nostris vel qualibet ulla opposita persona, contra præsentem epistolam venire, aut agere, aut aliquam calumniam generare voluerit, inferat ad agentes supradicti monasterii auri libras ij. & nihilominus præsens epistola firma & stabilis permaneat, stipulatione suboixa. Actum in monasterio quod dicitur Hahenaug. Datum iij. idus Decembris, anno iij. regni domini nostri Theodorici regis. Signum Lutfridi ducis, qui consensit. S. Eberhardus domesticus hanc epistolam testamenti a me factam relegi & recognovi. S. Ego Eugenia [a], acsi indigna abbatissa, que consensi. Ego Haimo indignus peccator presbyter hanc donationem scripsi & subscripsi.

[a] *Eugenia abbatissa Hohenburgensis, soror S. Odiliæ.*

IX.

IV. Alia donatio facta a prædicto Borono.

SAcrosancto monasterio S. Michaelis archangeli vel ceterorum sanctorum Petri & Pauli constructo infra insulam Hohenaug, ubi in Dei nomine Dubamus episcopus præesse videtur; Bononus illuster vir, cogitans casum fragilitatis meæ ac pro æterna retributione dono ad supraseriptum monasterium, donatumque in perpetuum ut permaneat, volo, hoc est infra marcham, quæ dicitur Joabbaginc hobam unam, quam Wolvonus tenuit, cum casalibus, campis, pratis, silvis, accessisque omnibus cum ædificiis, pascuis. Item dono ad ipsum locum superius nominatum portionem meam, quod est Nuzivvert, id est tam terris, silvis, pratis, pascuis. Item dono portionem meam ex ipsa insula memorata Hohenaug ad ipsum S. locum quod totum integrum a die præsente ad ipsum sacrosanctum monasterium trado atque transfundo, ut ab hac die de ipsa re agentes supradicti monasterii & posteri eorum faciendi quod exinde voluerint, liberam ac firmissimam in Dei nomine habeant potestatem. Si quis vero, si ego aut heredes mei vel quis calumniator exstiterit, inferat ad partes suprascripti monasterii suisque custodibus una cum socio fisco auri uncias ij. & nichilominus præsens donatio hæc firma permaneat stipulatione subnixa. Actum Mandovro castro publice. Signum illustris Boroni, qui hanc donationem fieri & firmari rogavit. S. Gantsoaldin. S. Milonis testis. S. Andeberti testis. S. Wolferahi. S. Andeberti testis. Ego Dei nomine Wathindus diaconus rogatus scripsi & subscripsi. Data donatio hæc die Martis proximo post medium mensem Aprilis, anno VI. regni domini nostri Hilderici regis.

X.

V. Alia donatio facta ab Hugone, filio Bleoni, qui fuit ducis Adalberti ex fratre nepos.

SAcrosanctæ ecclesiæ S. Michaelis, quæ est constructa in insula, que dicitur Hohenaugia, ubi Dubanus episcopus nunc temporis præesse videtur. Ego in Dei nomine Hugo cogitans ad ipsum locum supra scriptum de rebus meis aliquid dare debere propitio Deo, quod & ita feci, hoc est infra insulam ipsam, quæ dicitor Hohenaugia, quantumcumque genitor meus Bleonus ibidem, id est infra ipsam insulam, michi moriens dereliquit, id est tam terris, pratis, pascuis,

cuis, silvis, aquis, aquatumve decursibus, arealibus, arboribus in eam vero conditionem ut a die præsenti ipsa res ad ipsum locum supra scriptum omni tempore stabilita & firma permaneat. Si quis vero, si ego aut heredes mei, aut ulla opposita persona contta hujus donationis testamenrum venite aut agere tentaverit, aut aliquam calumniam generare præsumpserit, quod nec fieri credo; tunc spondeo aut heredes mei, ut vobis, vel successoribus vestris, simus reddituri duplum tantum, quantum in hac cartula scriptum est, id est infra ipsam insulam & sacratissimo fisco auri solidi v. & hæc donatio omni tempore stabilita & firma permaneat stipulatione subnixa. Actum publice in insula Hohenaugia. Datum sub die IIII. kal. Junias, anno VI. regni domini nostri Hilderici regis. S. Hugonis, qui donationis testamentum fieri rogavit. S. Gaoxberti.˜ S. Agmoois. S. Theodaldi. S. Theoteldini. S. Amoloini. S. Othyl. Ego Amalgerus hujus donationis testamentum scripsi.

X I.

VI. Alia item donatio facta a Bodalo, filio prædicti Hugonis.

SAcro-sanctæ ecclesiæ S. Michaëlis, quæ est constructa in insula quæ vocatur Hohenaugia, ubi in Dei nomine Dubanus abbas præesse videtur. Ego itaque Bodalus dono pto animæ meæ remedio ad ipsum locum sanctum, donatumque in perpetuum ut permaneat volo; hoc est super fluvium Rhenum in insula supradicta Hohenaug, quantumcumque genitor meus, nomine Hugo, quondam mihi ibidem moriens dereliquit, cum terra & silva, marisco ad integrum meam partem a die præsenti ad ipsum locum supra scriptum trado atque transfundo, ot ab hac die ipsam rem ipsa ecclesia vel agentes ejus habeaot, teneant, atque possideant, & eorum successoribus Christo propitio derelinquant. Si quis vero, si ego aut heredes mei vel quælibet opposita persona contra hanc donationem a me factam venire tentaverit aut irrumpere voluerit, tunc inferamus vobis vestrisque successoribus duplum tantum, quantum hæc donatio in se continet insertum, sociante fisco auti uncias III. & nihilo minus præsens donatio omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum Suraburgo monasterio publice. Datum mense Octobris die XII. anno VII. tegni domini nostri Hilderici regis. S. Bodoli, qui hanc donationem fieri rogavit. S. Hugonis. S. Garberti. S. Teoderadi. S. Graobardi. S. Theodichonis. S. Wolffeberti. S. Burgoaldi. Wanulfus rogatus scripsi.

X I I.

VII. Confirmatio omnium ejusdem monasterii possessionum a Pippino rege facta.

PIppinus rex Francotum, vir illuster, Dominis sanctis & apostolicis ac venerabilibus in Christo patribus, omnibus episcopis, abbatibus, seu illustribus ac magnificis viris, ducibus, comitibus, domesticis, vicariis, centenariis atque omnibus agentibus. Rectum esse censemus, ut petitionibus sacerdotum, quæ ad profectum pertinent locorum sanctorum, ad effectum Christo præsule perducamus. Igitur in Christo pater Dubanus episcopus vel abbas de monasterio Hohenaugia in pago Alsacense super fluvium Rhenum, quod est constructum in honore S. Michaëlis & S. Petri & S. Pauli vel ceterorum sanctorum, gloriosi regni nostri majestatem petiit, ut dum ipsum monasterium de collatione antecessotum nostrorum, vel de hominibus Deum timentibus adjutorem videtur esse constructum, nos omne corpus facultatum ejus, tam quod antecessores abbates ibidem laboraverunt, quam quod ipse Dubanus de rebus monasterii, quæ ibidem fuisse dinoscuntut, visus est augmentasse, aut comparasse, & quod ab ipso sancto loco moderno tempore possidetur, per nostrum deberemus generaliter confirmare præceptum. quod nobis pro divino respectu vel mercedis nostræ augmento præstitisse vestra non dubitet magnitudo; etiam & privilegium ipsius monasterii, quod juxta institutionem priscorum patrum & reliquorum episcoporum visi sunt meruisse, & quod per auctoritatem nostram, seu reliquorum de successoribus regibus antecessorum nostrorum adumbratum fuisse dinoscitur, juxta quod antequam per priorem præceptionem nostram erga se probibendi esset munitum, pro perenni stabilitate decrevimus roborare. Præcipientes ergo præcipimus, ut omnes facultates ipsius monasterii, quicquid aut regia collatio, aut privatorum munere vel antecessoribus abbatibus, vel Dubano episcopo vel abbate ibidem est legaliter acquisitum aut comparatum, immo quod de quibuscumque rebus rite attractum, quodcumque dominatio ipsius sancti monasterii Hohenaug undique moderno tempore de villabus, domibus, mancipiis, vineis silvis, pratis, pascuis, aut de quibuslibet beneficiis cernitur cum æquitatis ordine possidere, per hanc auctoritatem suffultum absque cujuslibet iolicitis controversiis inibi, tam præsenti, quam futuro tempore Christo præsule proficiat in augmentum. Et undecumque ipsum monasterium usque nunc habuit concessum & usque hactenus conservatum, vel per antecessores nostros reges circa se firmatum, ita & inantea, resecatis quibuscumque superfluis inquietudinibus, suo ea ordine valeant in nostro sermone auxiliante Domino per tempora permanere, & vos & successores vestri, ubi necessitas fuerit in conditionibus ipsius monasterii, justum faciatis auxilium imperriri; ut melius delectet ipsam congregationem ipsius monasterii pro salute nostra vel stabilitate regni nostri Domini misericordiam jugiter exorare. Et ut hæc præceptio firma stabilitate subsistat, propria manu infra decrevimus roborare, & de anulo nostro sigillare. S. † gloriosissimi domini Pippini regis. Wulmarus jussus recognovit & scripsit.

XIII.

VIII. Alia confirmatio Carolo-manni regis Francorum.

CArolomannus gratia Dei rex Francorum, vir illuster, omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, domesticis, vicariis, centenariis vel omnibus missis nostris discurrentibus, tam præsentibus, quam & futuris. Cognoscatis, quod maximum regni nostri augere credimus munimentum, si beneficia opportuna, per loca ecclesiarum benevola deliberatione concedimus, ac Domino protegente stabiliter perdurare confidimus. Igitur noverit sollertia vestra, quod nos ad petitionem venerabilis viri Stephani abbatis tale pro æterna retributione beneficium visi sumus indulsisse, ut in villas vel res ecclesiæ S. Michaëlis archangeli de monasterio, quod est constructum in insula Rheni, quæ vocatur Honaugia, quas præsenti tempore; aut nostro, aut cujuslibet munere habere videtur, vel quas deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas ampliare, nullus judex publicus ad caussas audiendum, vel freda undique exigendum quocumque tempore non presumat ingredi: sed prædictus Stephanus vel successores sui nec ulla publica judiciaria potestas propter nomen Domini vel S. Michaëlis sub integræ emunitatis nomine ipsas res valeat dominare. Præcipientes ergo jubemus, ut neque vos, neque juniores aut successores vestri, nec ulla publica judiciaria potestas quocumque tempore in villas, ubicumque in regno nostro, ipsi ecclesiæ aut regia aut privatorum vel bonorum hominum largitate collatas, vel quæ inantea per Deum timentes fuerint collatæ, ad audiendas altercationes ingredi, aut freda de qualibet causa exigere, nec mansiones, aut paratas vel fidejussores tollere præsumatis; sed quicquid exinde deservientibus, qui sunt infra agros vel vineas, seu super terras prædictæ ecclesiæ S. Michaëlis commanentes, vel qui alicubi commanent, & ibidem legitimo ordine aspicere videntur, fiscus noster aut de freda aut undicumque poterit sperare, ex nostra indulgentia pro futura salute in luminaribus ipsius ecclesiæ per manum agentium eorum ad ipsam ecclesiam proficiat in perpetuum, & quod nos propter nomen Domini & animæ nostræ remedium seu nostram subsequentem progeniem plena devotione indulsimus, nec regalis sublimitas, nec quotumlibet judicum seria cupiditas refragare tentet. Et ut præsens auctoritas tam præsentibus quam futuris temporibus inviolata Deo adjutore permaneat, manu nostra subter eam decrevimus affirmare.

Signum † Karoli gloriosissimi regis. Maginarius recognovit & subscripsit. Data in mense Martio, anno II. regni nostri. Actum Theudone-villa palatio in Dni nomine feliciter.

XIV.

IX. Alia confirmatio per Karolum Magnum.

KArolus gratia Dni rex Francorum & Longobardorum ac patricius Romanorum, omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, dominicis vicariis, centenariis vel omnibus missis nostris discurrentibus, præsentibus scilicet & futuris. Maximum regni nostri in hoc augere credimus munimentum, si beneficia opportuna locis ecclesiarum benevola deliberatione concedimus, ac Domino protegente stabiliter perdurare cõfidimus. Igitur noverit solertia vestra, quia nos ad petitionem venerabilis viri Beati abbatis tale pro æterna retributione beneficium visi sumus indulsisse, ut in villas vel res ecclesiæ S. Michaëlis &c. *ut in præcedenti*. Signum Caroli gloriosissimi regis. Erchambaldus ad vicem Radonis. Datum in mense Januario, anno decimo, regni nostri. actum Aristellio palatio publico in Dei nomine feliciter. amen.

XV.

X. Præceptum ejusdem pro instrumentis amissis.

KArolus gratia Dei rex Francorum & Longobardorum, omnibus fidelibus nostris tam præsentibus quam futuris. Regale enim necesse est releventur clementia, qui damnitatem passi sunt per incuriam. Igitur venerabilis vir Beatus abbas ex monasterio Scotorum, quod vocatur Honaugia, quod Benedictus episcopus in honore sancti Michaëlis novo construxit opere, ubi ipse venerabilis pater corpore requiescit, clementiæ regni nostri suggessit, eo quod instrumenta chartarum ipsius monasterii ante hos annos per negligentiam, per quos infra regna Francorum Christo propitio ipsum monasterium aliquit possidebat, tam præcepta regum ac reginarum, quam reliquorum Deum timentium hominum, ibidem collatum ac confirmatum fuit, perdita devenissent; & asserit se ipse abbas ipsas res ad partem jam dicti monasterii quieto ordine, sicut antea fecit, moderno tempore possidere: sed pro firmitatis studio petiit celsitudinem nostram, dum hæc causa per negligentiam ita contigisset, ut ab omnibus notum sit, ut denuo per nostram auctoritatem omnes res ejusdem ecclesiæ, quicquid cum æquitatis ordine possidere videtur, confirmare deberemus. Cujus petitionem denegare noluimus, sed ita præstitisse vel confirmasse cognoscite. Præcipientes enim jubemus, ut quicquid ante dictum monasterium sancti Michaëlis nunc temporis juste possidet, unde ipsa Dni casa vestita est, deinceps per nostram confirmationem, quicquid per præcepta regum ac reginarum seu reliquorum Deum timentium hominum ibidem collatum ac confirmatum fuit, tam præfatus Beatus abbas, quam qui successores ejus fuerint futuri, vel rectores ejusdem ecclesiæ sancti Loci teneant & possideant, atque ad ipsam casam Dni diuturnis temporibus in augmentis proficiant. Et ut hæc auctoritas firmior sit, manu nostra subterfirmavimus, & anulo nostro sigillare jussimus. Signum † Karoli gloriosissimi regis. Wigbaldus ad vicem Hitherii recog. Datum x. idus Junias, anno XIII. regni nostri. Actum Carisiago palatio publico.

XVI.

XI. Ejusdem diploma de immunitate à telonis, aliisque.

CArolus Dei gratia Rex Francorum & Longobardorum ac patricius Romanorum, omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, telonariis, vel omnibus curam publicam agentibus. Si opportuna beneficia ad loca sanctarum ecclesiarum vel servis Dei præstare non desinimus, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem pertinere non dubitamus. Igitur cognoscat magnitudo seu utilitas vestra, quod nos ad petitionem viri Beati abbatis, qui est rector monasterii Hohenaugiæ, quod est in honore sancti Michaëlis constructum, tale propter nomen Domini beneficium ejus meritis compellentibus præstitisse, ut ubicumque homines hujus monasterii infra regnum meum ad negotiandum pervenerint, nullum telonium, nec quamlibet redhibitionem; quæ ad partem fisci nostri spectare videtur, solvere nec dare debeant. Propterea per præsentem præceptionem decernimus, quod perpetualiter mansurum esse jubemus; ut nullo telonio, nec navigato, nec carrado, evectione, nec rotatico, nec pontatico, nec salutatico, nec pulveratico, nec cespitatico, nec ulla redhibitione, quod fiscus noster exinde poterit sperare, nec vos nec juniores aut successores vestri eisdem requirere nec exactare faciatis, sed in omnia & in omnibus propter nomen Domini vel S. Michaëlis archangeli ipsius Beati abbatis, vel successores sui, aut memoratum monasterium habeant indultum atque concessum, quatenus in luminaribus ipsius sancti Loci proficiat in augmentum. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, vel a fidelibus nostris melius servetur, de anulo nostro subter eam decrevimus roborare. Wigbaldus ad vicem Radonis recognovit & subscripsit. Data XVI. kalendas Novembris, anno decimo-quarto regni nostri. Actum Cispliaco * palatio publico.

* *f.* Clipiaco.

XVII.

XII. Mandatum ejusdem de facienda restitutione ablatorum ecclesiæ Honaugiensi.

KArolus gratia Dei rex Francorum, vir illuster. Commendat omnibus qui acceperunt, aliquid de ecclesia Scotorum, quæ est in Insula Honaugia, ut iterum reddat omne quod accepit, vel quod rapuit sine licentia abbatis Beati: & si quis retentat parum, commendat omnibus judicibus terræ illius, ut illi quærant omnes res ecclesiæ cum ratione secundum Legem Francorum, quia res peregrinorum propriæ sunt regis. Ideo restaurentur omnia illa prædicta ad ecclesiam Scotorum sine ullo impedimento, sive terra, sive vinea, sive pecunia, sive homines, sive argentum, sive aurum. Si quis unum hoc non fecerit, recognoscat, se regis præceptum non obaudire: quia reges Francorum libertatem dederunt omnibus peregrinis Scotorum, ut nullus rapiat aliquid de rebus eorum, nec ulla generatio præter eorum generationem possideat ecclesias eorum. Taliter exinde agite, quo gratiam nostram vultis habere.

XVIII.

XIII. Placitum ejusdem regis ejusdemque argumenti.

CArolus gratia Dei rex Francorum & Longobardorum. Cum nos in Dei nomine Selarestati villa in palatio nostro ad universorum causas judicandum vel recto judicio terminandum consederemus, ibique veniens advocatus S. Michaëlis vel Beati abbatis, nomine Albertus, interpellabat homines aliquos, nominibus Agirerium & Aldradum, advocatos monasterii Corbeiæ, & repetebat ab eis, & quod ipsi illas res in loco qui dicitur Vestiva & Gefida, quasi ad monasterium S. Michaëlis per suum instrumentum tradidisset, in eorum potestate retinuisset, & quod Gerbriga illas res prædictas ad monasterium S. Michaëlis in alio ordine tulisset. Sed & ipse Agirerus, & Aldradus in præsenti astabant, & de hac causa nullatenus potuerunt denegare, nec tradere rationes, per quas ipsas res habere potuissent: sed de præsenti ipsas res per loca nominata Vestiva & Gefida per eorum wadium una cum Legibus de facto ipsius advocato S. Michaëlis vel Beati abbatis, nomine Odberto, visi sunt reddidisse vel revertisse, & per illorum festucam exinde in omnibus dixisse exitum. Perinde nos taliter una cum fidelibus nostris, hi sunt Mudrigo, Odrigo, Theodrigo Bernehardo, Albuino, Aginhardo, Beringario, comitibus; & Anselmo comite palatii nostri, vel reliquis quam pluribus visi sumus judicasse, ut dum ipsi in præsenti astabant Agirerius & Aldradus, & hanc causam nullatenus poterant denegare, nec tradere rationes, per quas ipsas res in eorum loco habere potuissent, se de præsenti per eorum wadia una cum Legibus fide facta ipsius advocato S. Michaëlis vel Beati abbatis, nomine Odberto, visi sunt reddidisse vel revertisse, & per eorum festucam sibi in omnibus dixisse exitum. Propterea jubemus, ut dum hanc causam sic actam vel perpetratam esse recognovimus, superius scriptus abbas Beatus vel pars monasterii Honaugiæ jam dictas res in loco, qui dicitur Vestiva & Gefida contra supradictum Agirerium & Aldradum, eorumque heredes, vel contra omnes res illas injuste retinere tentantes, omni tempore habeant elidicatas atque evindicatas, & sic inter ipsos in postmodum ex hac re omni tempore sopita & definita causatio. Theudegarius recognovit.

XIX.

XIV. Donatio Beati abbatis, ecclesiæ Honaugiæ facta.

SAcro-sanctæ ecclesiæ, quæ est constructa in insula, quæ publice ab omnibus Hohenaugia nominatur super fluvium Rhenum in honore S. Michaëlis archangeli ceterorumque sanctorum. Ego itaque Beatus, etsi indignus abbas, dono pro animæ meæ remedio totum &

integrum, quantumcumque acquisivi aut collaboravi, aut etiam per manus bonorum bominum & per chartas firmas inveni, & per chartam confirmationis regis Caroli & imperatoris. Dono autem hoc totum & integrum, ad illum locum prædictum & ad illos sanctos, in quorum honore constructus est, & ad pauperes & peregrinos gentis Scotorum. Dono autem hoc totum, ut ille abbas, quem ego elegero secundum regulam ecclesiasticam, post obitum meum habeat. Dono autem primum ecclesiam, quam ego construxi in Magontina civitate, & alteram ecclesiam, quæ est constructa in Sylvia in Marchlichio, & etiam ecclesiam Lognaw in curte nuncupata wisicha, & qoartam, quæ est in Hawenbach, & quintam, quæ est inin Bunenheim, & sextam quæ est in Rhodaheim, & septimam, quæ est in Hurmusa; & octavam, quæ est in Buchonia, cum omni adjacentia, trado atque transfundo, & in perpetuum ut permaneat volo tam terris, campis, pratis, silvis, vineis, domibus, ædificiis, peculiis utriusque sexus, mancipiis, aquis, aquarumve discursibus, mobilibus, & immobilibus; in hac vero conditione, ut ab illo die transitus mei, ipse abbas loci illius, cui ego commendavero, habeat potestatem habendi, possidendi, commutandi, aut quicquid ex illa re regulariter & ecclesiastice facere voluerit. Si quis vero, quod fieri non credo, contra hane chartam confirmationis & oblationis venire tentaverit, aut irrumpere voluerit; primitus iram Dei incurrat, & de illa ecclesia velut extraneus abjiciatur, & insuper ista confirmatio firma permaneat. Ego wellimannus rogatus scripsi & notavi diem & tempus & locum. Hæc charta in; Maguntia civitate scripta xi. kal. Julias, anno x. regni domini nostri Caroli regis & imperatoris.† Signum Beati abbatis, qui hanc chartam fieri rogavit. † S. Conigani episcopi. †. S. Echoch episcopi. †. Signum Suathar epi. †. Signum Maucumgib epi. †. Signum Canicomrihc epi. †. Signum Doilgusso epi. †. Signum Erdomnach epi †. Signum Hemeni presbyteri.

X X.

Theoderici Calensis preceptum pro Morbacensi monasterio.

Ad lib. 20. n. 73. Ex archivo Morbacensi.

THeodericus rex Francorum, viris apostolicis, patribus episcopis, necnon inlustribus viris, ducibus, patriciis, comitibus vel agentibus, tam præsentibus, quam futuris. Si petitionibus sacerdotum quod ad proprietatem ecclesiarum pertinet, devota mente præstamus, retributotem omnium bonorum Dominum Jesum-Christum ex hoc nos habere confidimus. Igitur dum & venerabilis vir Perminus gratia Dei episcopus nostris temporibus cum monachis suis, Deo inspirante, pro evangelio Christi peregrinatione suscepta, monasterium virorum in heremo vasta, quæ Vosagus appellatur, in pago Alsacinse, in loco qui vocatur Vivarius-peregrinorum, qui antea appellatus est Muorbach, in alodo fidele nostro Eberhardo comite, cum ipsius adjutorio Deo donante conatus est constituere, vel cœnobium sanctum ibidem instituere in honore Dei & genitricis Domini nostri Jesu-Christi semper virginis Mariæ, seu sancti Michaëlis archangeli, vel sancti Petri apostoli & Pauli beatis apostolis, & sancti Leudegarii martyris cum sociis eorum, ubi ipsi famuli Dei sub sancta Regula solitariam vitam fruantur; petiit ipse vir Dei Perminus episcopus serenitati nostræ, cum ipso jam nominato fidele nostro Eberhardo comite, tale ob hoc ñostrum emanare præceptum de omni corpore possessionis ipsius monasterii, quicquid ad præsens tenere vel dominare videtur, aut quod inantea a quocumque Deo inspirante ibidem recte fuerit conlatum vel delegatum, per nostrum præceptum deberem in Dei nomine plenius confirmare. quod nos pro mercede nostra in omnibus fecisse cognoscite, & ad prædictis famulis Dei talem emisimus decretum, ut nullus episcoporum nec præsentes, nec qui fuerint successores, nec eorum ordinatores, aut qualiscumque judiciaria potestas pro quocumque ingenio possint quocumque ordine de loco ipso aliquid auferre aut abstrahere: ut facilius liceat ipsa familia Christi, quæ ibidem in Dei nomine adunari desiderat, eorum factam delegationem quiete per tempora possidere, & sanctam Regulam conservantes proprio privilegio, quod nobis præ manibus ostenderunt, Deo jubente sub tranquillitate possint permanere. quia nihil de canonica auctoritate convellitur, quicquid ad talem familiam Christi ad laudem Dei die noctuque canendam conceditur. Idcirco pro cælesti intuitu talem nobis beneficium præstitisse cognoscite, ut maneat quicquid antefati viri Dei ad ipso monasterio conquesierint vel laboraverint, quod jam dictus fidelis noster Eberhardus per sua strumenta ibidem affirmavit, vel a ceteris collatum fuit, aut fuerit, sub nostra emunitate ejus temporibus absque illius inquietudine Deo auxiliante cuncta eis proficiant in augmentis. Additur tamen, ut si abbas congregationis ipsius episcopum fuerit postulatus, ut ei presbyteros vel diaconos pro missas celebrandum debeat ordinare, absque commodi acceptione instituat; & si rogatus consecrare ecclesiam, chrisma, tabulas, gradus ecclesiæ absque commodi acceptione faciat: quod si ipse renuerit, alterum quemlibet pontificem, qui gratis hæc tribuat, licentiam babeat supplicare, & ille hoc facere; & nullo umquam tempore parochiæ ipsius pontificis, in cujus diocesi situm est hoc monasterium, potestatem nullam habeat inquietandi; non ipse, non archidiaconus, non ecclesiæ judices, nec censum mittere, neque pastum, neque honorem in rebus monasterii accipere non audeat. Et, si abbas ipsius congregationis de hac luce vocatus fuerit, nullus ibidem de alio monasterio, nec de civitate, nec pro parentela, nec ab episcopo ordinetur, neque per potestatem, neque pro præmio aut quolibet ingenio, quicumque judicis nullus præsumat in ibidem abbatem ordinare, nec quandocumque necessitas evenerit abbatem instituere, nisi eum ipsa congregatio & melior pars ele-

gerit, secundum quod regula & privilegius ipsorum continet, ipsi sibi dignum constituant pastorem. Et illud nobis placuit pro integramento vel stabilitate regni nostri innectere, ut ipsum monasterium sub defensione & tuitione Dei & oostra stirpe regia per succedentia tempora valeat consistere inconvulsum, & nulla publica judiciaria potestas, nec præsente, nec futuro tempore in curtis vel territuriis ubicumque ipsius monasterii ad causas audiendum vel freda undique exigendom non præsumant iogredere, nec fidejussores tollere; & quieque tam de ingenuis, quam de servientibus super territuriis ipsius monasterii omni commanentibus fisco de freda aut berebannus, unde poterat præparare, ad lumioaria vel stipendia super scriptis famulis Dei, & nostra indulgentia ad integrum mancipentur effectui, & nobis regnantibus aut postmodum tempore succedentium regum, quod nos pro Dei amore & timore indulsimus, quemquam hoc non præsumat convellere; sed cum quiete & integra emunitate hoc quod decrevimus inviolabile auxiliante Deo perseveret. Et ot hæc præceptio erga ipso monasterio firmius habeatur, manus nostræ subscriptionibus subter decrevimus roborari. Theodericus, rex Francorum, sub data quod fecit mense Julio, die duodecimo, anno VII. regni nostri, Gundulfi-villa in Dei oomine feliciter, amen. Gerbaldus obtulit.

XXI.

Charta Eberhardi comitis pro dotatione monasterii Morbacensis.

Ad lib. 20. n. 73. *Ex archivo Morbacensi.*

QUantum intellectus sensusque humanus mente potest sagaci pensare atque solerti indagatione perpendere, nihil amplius videlicet in hujus sæculi luce de gaudiis fugitivis lucrare, quam quæ de rebus suis locis venerabilibus in alimonus pauperum curat impendere; quatenus fragilitatem nostram, quam omnes generaliter patiuntur, priusquam subitanea transpositio eveniat, oportet pro salute animæ cogitare. Ergo ego in Dei nomine Eberhardus, filius Adalberti quondam ducis, etsi vilissimus Christi famulus, dum oon habetur incognitum, qualiter ante hos annos una cum cooventu pontificum sacerdotum, & germano meo Leutfredo duce & conjuge mea Emeltrude, in re mea propria, in loco qui dicitur Maurohaccus, qui nuoc vocatur Vivarius-peregrinorum, in pago Alsacensi, in honore S. Petri principis apostolorum & sanctæ Dei genitricis Mariæ ceterorumque sanctorum, a novo, meo opere, sicut mihi vires Deus dedit, monasterium ædificavi, & illis diebus juxta quod in illo priore testamento cootinetur, de rebus meis aliquid ditavi; nunc autem Salvator & redemptor humani generis, qui omnes vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, non meis meritis exigentibus, sed pro clementia sua, me in corpore visitare dignatus est, & fallax temporaleque lumen subtraxit, ut ad verum, quod ipse est, me etsi indignum perduceret lumen, etiam sua providentia, quamvis me optante ex proprio corpore legitimum heredem, qui mihi successor existeret, similiter subtraxit. Propterea considerans qua gravor sarcina peccatorum, & reminiscens bonitatis Dei dicentis, *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis:* de tanta igitur miseratione & pietate Domini confisus, nullum meliorem heredem, quam ecclesiam Christi, & qui propter nomen ipsius militant, vel pauperes fieri decreverunt, habere me judicavi. Idcirco ad monasterium supra memoratum, Maurobaccus sive Vivarius-peregrinorum, ubi venerabilis vir Romanus abbas cum peregrinis monachis suis in servitio Dei consistere videtur; donamus a die præsente, donatumque in perpetuum esse volumus in ducatu Alsacensi seu in pago Troningorum, & in pago Alsegaugensi loca indominicata nuncupantes Heimmone-wiler, Chiuticha, *Guldoulfunviler*, Chuntilingas, *Deosselheim*, seu ad Stratburgum illam viam *Hiippenesheim*, *Hittenheim*, *Sclatstat*, *Perehheim*, *Wichereswiler*, *Otaleswiler*, *Loffschia*, Varanangus, qui dicitur Villare-Eberhardo, Lilenselida, *Hirtfild*, Flaboresheim, *Leimont Datira*, cum basilica, ubi sanctus Desiderius in corpore quiescit, vel quod ad ipsam ecclesiam adspicere videtur, seu quiquid in ipso fine Dadavinse & infra præceptum Walaho continetur, quem nos de Animo * seu consortes ipsius, vel de quibuscumque hominibus per venditionis titulum dato pretio comparavimus, vel ad ipsam villam adspicere videntur; necnon & Perezprangus, *Baltowiler*, *Wattonewiller* cum basilicis ad ipsa loca adspicientibus, vel quiquid ad ipsas basilicas adspicere videtur. Ista omnia cum ceteris domibus, ædificiis, mancipiis, ministerialibus, libertis, accolabus, farinariis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumque cursibus, adjunctis, adjacentiis, appendiciis, peculium utriusque sexus, mobilibus & immobilibus, quicquid in jam dicta loca ex successione parentum meorum mihi legibus obvenit, vel in parte contra germanum meum Leudofredum recepi, vel postea per quodlibet attractum Deo auxiliante augmentavi, ut dixi, quantum in ipsa loca vel appendiciis ad præsens possideo, totum & ad integrum ad jam dictum monasterium in alimoniis vel substantiam mooachorum ibidem habitantium, seu successorum eorum, vel susceptione pauperum, Christo auxiliante, a die præsenti dono atque transfundo, & de jure men in jure & dominium commune ipsius monasterii, vel rectorum ipsius trado perpetualiter ad possidendum. Similiter infra ipsum ducatum vel supra memoratos pagos, excepto quod ad alias casas Dei cum subscriptione manu propria per donationes nostras delegavimus, & quod adhuc ad ipsam vel ad alias casas Dei, vel quod Deo sacratæ relictæ nostræ Hemeltrudæ per donationem firmamus, vel in quatuor loca his nominibus, *Maurowiler* cum appendentiis suis in *Luterbach*, quod Amaloni beneficiatum habuimus, seu quod servus noster Bertoinus per beneficium nostrum visus est babere, hoc est in Figodelomoote & in *Alshaim*, seu qood Haimerico in *Hillenewiler* beneficiatum habui, vel de man-

cipio nostro Scopulicolas, quas in genitio nostro habuimus, plus minus numero XL. In reliquo vero quod superest, ubicumque intra ipsos pagos nostra est possessio, vel ad vassos nostros beneficiatum habuimus, sicut illa loca superius nominata, a die præsente cum ceteris domibus, ædificiis, mancipiis, ministerialibus, libertis, accolabus, vincis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, adjunctis, adjacentiis, appenditiis, peculium utriusque sexus, mobilibus & immobilibus, ut diximus, quicquid ex successione parentum meorum legibus mihi obvenit, vel in parte contra germanum meum Leutfredum recepi, & ex quolibet attractu Deo auxiliante adquisivi, principaliter de jure meo in jure & dominium commune jam dicti monasterii vel rectoris ipsius, omnia, & in omnibus, nisi quod superius exceptavimus, totum & ad integrum trado atque transfundo ad possidendum: ut ab hac die supra memorata pars monasterii vel rectores ipsius, seu successores eorum habendi, tenendi, possidendi, vel quicquid de prædictis rebus pro opportunitate ipsius monasterii facere decreverint, liberum in omnibus patiantur arbitrium. Præsentem vero donationem, nequaquam civiliter gestis municipalibus alligare curavimus, & omnino decernimus, ne alioquin in eam ob hunc casum quisquam valeat repetere. Quod si aliqua instrumenta de ipsis villis, vel etiam alias res de nomine nostro in adversitatem prædicti monasterii quolibet ordine comprehensas, aut anterius posteriusve prænotatas, excepto quod superius exceptatum esse diximus, vel per subscriptionem manus meæ propriæ ad casas Dei ante delegavi, vel ad præsens similiter facio, quod nos extra jam dictas nec fecimus, nec facere rogavimus a quocumque, præter istum quem firmissimum volumus esse quolibet tempore fuerint ostensa, nullum sortiantur effectum, sed vacua & inania appareant: auctorem vero criminis atque falsarium nec inultum tunc tempore patiatur judiciaria severa potestas. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, si ego ipse, aut aliquis heredum aut proheredum meorum, aut ulla opposita persona, vel etiam quislibet homo præsentem paginam, vel hæc acta mea, quæ ego devoto animo pro æterna retributione feci & firmare rogavi, infringere conaverit, vel attemptare aut minuere præsumpserit, imprimitus iram omnipotentis Dei & omnium sanctorum vel angelorum ejus offensionem incurrat, sed & cunctæ ecclesiæ catholicæ excommunicationem & ab omni populo christiano se extraneum, & pœnam illam, quam Dathan & Abiron aperta terra deglutivit, viventesque eos infernus absorbuit; vel damnationem, quam Judas Scariothis, qui Christum tradidit, & suspensus crepuit medius, sic diffusa viscera ejus igne æterno perenniterque intereat; vel Sodomorum interitu qui sulphureo igne flammante consumpti sunt, & diem judicii experiendum damnandotumque omnium iniquorum consummandum se exhorrescat; & insuper si Deum timere noluerint, judicantes principibusque cum .... auri libras centum, argenti talenta centum, similiter coactus exsolvat, & quod repetit non vindicet; & hæc facta mea omni tempore firma & inviolata permaneant cum stipulatione subnixa. Actum Habendo castro, sive Romarico-monte monasterio publice, anno octavo regnante domino nostro Theoderico rege.

XXII.

Widegerni episcopi Argentoratensis privilegium pro eodem monasterio.

Dominis sanctis atque honore dignissimis apostolicis, meisque in Christo patribus, Widegernus gratia Dei ecclesiæ sanctæ Mariæ Strasburgo civitate vocatus episcopus. Novit sancta industria vestra, qualiter pastores ecclesiæ sollertissima cura, summoque studio debent procurare, ut ecclesiam Dei lucris animarum proficiat, & per nos monitis salutaribus, in quantum valemus, vigorem obtineat: ut hi qui æternum Pastorem spontanee relictis omnibus sequi cupiunt, atque abnegantes semetipsos per angustum callem arctamque viam gradientes, vocem æterni Regis ac Redemptoris nostri audientes, *Exi de terra tua & de cognatione tua, & vade in terram quam monstravero tibi.* vel aliud, *Qui reliquerit patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, & cetera propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* &, *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Oportet ut nos audiamus eum, qui dixit: *Hospes fui & suscepistis me.* &, *Qui vos recipit, me recipit.* &: *Quamdiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis.* Et quod a Principe apostolorum in initio ecclesiæ institutum est, quia *omnis multitudo credentium erat in unum.* &, *Nullus suum proprium aliquis dicebat esse, sed erant illis omnia communia, & cor unum, & anima una.* Unde institutio sancta ex hoc a sanctis patribus in postmodum ab oriente usque in occidentem, & in partibus Galliarum monasteria multa sub Regula sancta horum exemplo religio clara promulgavit, præcipue monasteria Lirinensis, Agaunensis, Luxoviensis, & in universo mundo sub Regulis sanctorum patrum, maxime beati Benedicti & sancti Columbani abbatum vita commoni optime disposita, & per auctoritatem clementia regum & per privilegia sanctis atque catholicis Pontificibus firmiter roborata: & sancti canones hoc non derogant, sed potius luculenter exoptant. Unde nos comperti, vir illustris Ebrochardus comes in heremo, qui vocatur Vosagus, in pago Alsacinse, infra nostram parochiam, in loco qui antea vocabatur Maurobacus, nunc Vivarius-peregrinorum, in honore sanctorum apostolorum & sanctæ Mariæ Dei genitricis, ceterorumque sanctorum, cum Dei adjotorio & nostro consilio monasterium in suo proprio a novo ædificare conatus est; ad quod evocantes Perminium episcopum, qui de suis peregrinis monachis ibidem institueret, & cœnobio vel sancto ordine sub regula beati Benedicti cum Dei gratia & nostro coadjutorio perficere deberent. Unde nos congratu-

Ad lib. 20. n. 74.
Ex archivo Morbacensi.

lantes hujus viri sanctæ devotioni, & illorum glorioso proposito, visceerati caritate & pietate, commoti devotione promptissima una cum fraternitate nostrorum abbatum, presbyterorum, archidiaconi, omnisque cleri ecclesiæ, ubi ego deservio, seu & ducis ac judicum, timentiumque Deum populorum hujus provinciæ catholicorum, ut ad ipsum monasterium seu cœnobium congregationemque peregrinorum monachorum per nostram & per vestram auctoritatem privilegium conscribere vel confirmare deberemus. quod ita & fecimus, ut ipso monasterio omnia quidquid ad ejus compertinet ditionem, ædificiis, basilicis, ministeria vel ornamenta, de quarum omnium rerum sacrisque codicibus, instrumenta chartarum, aurum, argentum, æramentum, vel quibuslibet rebus ipsius monasterii, seu cellulis vel aliis adpenditiis, etiam villas cum agris, domibus, mancipiis utriusque sexus, accolabus, & quod jam dictus illustris Ebrochardus, vel alii pro salute animæ pro quolibet modo donaverunt vel delegaverunt, seu & inantea, tam ipsi quam & munificentia regum, principum, pontificum, clericorum, vel a quocumque homine Christo inspirante largitum fuerit, cum omnia & ex omnibus per hoc privilegium coofirmamus, ut a die præsente prædictum monasterium præfatique peregrini monachi, eorumque successores sub regula sancti Benedicti cœnobialiter congregati, secundum sanctum propositum, in eorum jure absque ullius repetitione tradimus atque tribuimus potestatem, ut neque nos ipsi, neque successores hujus civitatis pontifices, neque archidiaconi, neque exactores, neque aliquis ex parte ecclesiæ, vel quislibet nullus aliquid dominare vel jubere aut requirere, censum vel dona aut qualibet munera nullo umquam tempore expetere noo præsumant. Cum vero necesse fuerit chrisma petere, altaria consecrare, sacros Ordines benedicere, aut aliqoas benedictiones expetere, aut oratoria in eorum loca ædificare; rector ipsius monasterii vel peregrini monachi ibidem assistentes, aut si de se episcopum habent, aut a quocumque de sanctis episcopis sibi elegerint, qui hoc facere debeat licentia sit eis expetendi, & ille hoc tradere, benedicere, vel consecrare: ut nullus in ipso monasterio illicito ordine contra voluntatem aut votum ipsorum monasterium adire non præsumat, nec secretius ingredere septa. Et si aliquando pro qualicumque causa expetit, ut ipsi rectori vel ipsis peregrinis monachis congrua fuerit voluntas, & episcopus invitatus ad ipsum monasterium venerit; celebrato officio, absque ullo munere requisito mox ad propria revertatur. Cum vero abba loci ipsius acceperit transitum, quemcumque peregrini monachi ibidem habitantes de semetipsis secundum Deum & Regulam meliorem invenerint, proprium sibi constituant abbatem: & si ibi de seipsis talem non invenerint, de alio monasterio jam dicti Permini episcopi de illa congregatione peregrinorum, quem sub uno modo petitione vel una sancta institutione beati Benedicti coadunavit, ipsi sibi consentientes abbatem regularem expediant & constituant. Et si ibi sanctus Ordo tepuerit (quod absit) vel aliqua discordia inter ipsos monachos surrexerit, & ipsi hoc non prævalent aut noluerint emendare; tunc qui ex ipsis recto ordine secundum regulam voluerint vivere, ubicumque in aliis monasteriis, ubi peregrini monachi supradicti episcopi exsistere videntur, & rectius regulariter invenerint, potestatem habeant expetere, & illi per eorum salubre consilium Deo largiente, ipso sancto Ordine vel ipsis monachis per regulam distringere, emendare, & corrigere atque pacificare: & nulla occasio sit ut ullus abba per qualecumque ingenium contra eorum sanctum Ordinem ibidem ponatur, aut de rebus supra scripti monasterii aliquid minuatur. Quapropter sancti & apostolici patres & confratres mei, ideo vestra catholica auctoritate, nostraque genuina sociamus, ut hoc privilegium omni tempore fortissime habeat firmitatem, ut nullus nullo tempore umquam contra agere non præsumat: sed præsenti & futuris temporibus inviolatum permaneat; & nunc omnibus episcopis Deum timentibus hominibus precor, supplico, & per caritatem conjurare præsumo, ut quibus hoc privilegium ostenderetur, manus vestras subscribere & confirmare dignemini; ut vestra auctoritate fultum, inconvulsum permaneat, qualiter eosdem peregrinos monachos in ipso monasterio consistentes clarius delectet pro statu ecclesiæ & integritate sacerdotum, pro incolumitate regum & pace christianorum, pro pænitentium remissione peccatorum, vel requie fidelium defunctorum, divina misericordia tranquillius exorare. Precor igitur & contestor coram Deo & electis Angelis ejus, cunctisque sanctis omnibus, successoribus vel omnibus christianis, ut hoc privilegium, quod cum consensu clericorum, laïcorum timentium Deum plebis ecclesiæ nostræ decrevimus vel condidimus, in nullo irrumpere præsumant; sed per ineffabilem Trinitatem cunctos conjuramus, ut in quo prævaluerint, in omnibus conservare studeant: & si aliter obstinato animo, vel diabolo instigante, invidia vel cupiditate deceptus, vel quolibet modo (quod Deus avertat) si nos ipsi aut successores nostri, vel quilibet de qualicumque parte contra hoc privilegium temptare conaverit, vel jam dictos peregrinos monachos vel successores eorum inquietare, vel eis aliquid minuere præsumpserit; si emendare noluerit, & a mala voluntate celerius noluerit corrigere, ad Dei genitricis semper virginis Mariæ, vel beatorum apostolorum cunctorumque sanctorum indignationem, ante conspectum regis æterni Christi Domini nostri, in cujus amore hoc privilegium ad jam dictos peregrinos vel sanctum cœnobium condidimus, se confidant pro nequissimis peccatis eorum vel iniquissima malitia æternis incendiis concrematuros, ac illa sententia se experiendos, qua falsis sacerdotibus Dominus minatur: *Væ vobis hypocritæ, qui clauditis regnum Dei, quia nec vos introitis, nec alios introire permittitis*; &, *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, melius erat illi ut alligaretur mola asinaria ad collum illius, & projiceretur in profundum maris.* & qui Deum timere

neglexit, judicantibus hominibus inferat partibus ipsius monasterii vel peregrinis monachis ibidem habitantibus consociante fisco auri libras xxx. argento pondere quinquaginta, multa sustineat atque dissolvat, & hoc quod repetit, non vindicet; & nihilo minus præsens privilegium omni tempore firmum permaneat. Et ut firmiorem obtineat vigorem, manus nostras subter scripsimus, & qui subscriberent vel signarent rogavimus, stipulatione subnixa. Actum Strasburgo civitate publice, die tertio-decimo mense Madio, in ascensione Domini, anno octavo regnante domino nostro Theodorico rege. Ego Widegernus acsi indignus episcopus subscripsi. Ego Vuolfradus archidiaconus consentiens subs. Ego Libulfus presb. subs. Ego Haunulfus diaconus subs. Ego Attinanteus diaconus subs. Signum † Fulcherio tribuno: in Dei nomine, Ego Hariboldus abbas consensi & subs. Ego Hadalricus consensi & subs. Ego in Dei nomine Ardalinus vocatus episcopus consensi & subs. signum † Vuolfoaldo comite. Magobardus archidiaconus subs. Ego Tribuinus episcopus consensi & subs. Ego Vuillibertus episcopus subs. Ego Hagualdus abbas subs. signum † Leodofredo duce. Ego Ebrohardus comes subs. signum † Audachro, signum † Nordoldo, signum † Gundoberto, signum † Witerio, signum † Wugrao. Ego Hagino abbas subs. signum † Leodoberto. Ego in Dei nomine Vuillibrordus subs. Romanus clericus hoc privilegium jussus a suprascripto scripsi.

XXIII.

Defensoris monachi prologus in librum Scintillarum.

In Dei omnipotentis nomine incipit liber Scintillarum, seu Sententiarum catholicorum patrum, editus a Defensore grammatico.

Ad lib. 21. n. 52. *Ex ms. codice Casinensi.*

LEctor, quisquis es, libellum legens hunc, flagito te scriptor, legas animo, & melliflua grate suscipias verba. Voluntas bona & labor: aliud nihil fuit meum. De Domini & sanctorum suorum dictis est excerpta Scintilla; nec mea exstitit industria, sed Dei totum gratia, meique nutritoris Ursini istud operari. Jussioni & doctrinæ obtemperare volens, paginas quasque scrutans, sententiam reperiens fulgentem, sicuti inventam quasi margaretam aut gemmam, statim avidius collegi. Quemadmodum guttæ multæ fontem efficiunt: sic de diversorum voluminibus congregans testimonia, hunc libellum condere tentavi. Veluti de igne procedunt scintillæ, ita hunc minutæ sententiæ pluresque libri inveniuntur fulgentes, ad quarum inter hoc Scintillarum volumen, quod qui legere vult, laborem sibi amputat, ne per ceteras paginas iterandum lassescat. Hic habentur quod reperiri desiderat: sed ne id opus, quasi sine auctore, putetur apocryphum; unicuique sententiæ per singula proprium scripsi auctorem. Cœnovio Locutiacense Martini sancti, in quo comam meam totondi capitis, ipsum dono, donatumve in perpetuam colligat ætatem, qua sua ab adolescentia ibi me dotaverunt mei degentes domini; scripsi Jesu favente ipse, coramque dedi adolescere Christo, si me facit cotum obedire jussui, & illorum in omnibus efficere copiose perlibens famulatum. Et, si aliquid præter id quod minus studiose gessi, te oro legentem, non ut æmulus vituperes, sed ut benivolus emendes, nomen scribens meum, quod est DEFENSOR, non ob gloriam vanam: sed ut quicumque legit, memoriam mei habeat. Sicuti naviganti portus, ita & mihi versus fuit optabilis. Novissime legentibus conjuro & audientibus imploro pro me exorare ultimum, ut quamdiu subsisto, Dei affluar sapientia, de carne iturus perfrui vitam merear beatam æternam. Amen.

XXIV.

Manigundis Langobarda testamentum pro erectione puellaris monasterii Cairati.

Ad lib. 21. n. 72. *Ex veteri membrana a D. Pusterlo communicata.*

IN Jesu-Christi nomine, regnante domno nostro Liotprando, & Heldeprando nostris excellentissimis regibus, anno eorum vigesimo-tertio, mense Julii, indictione quinta feliciter. Ego Manigunda, per Dei misericordiam Dei ancilla, & veste monialium induta sum, quæ visa sum vivens lege Langobardorum, præsentibus dixi: Dominus omnipotens ac redemptor noster animas, quas condidit, ad studium salutis semper invitat. Et ideo ego quæ supra Manigunda volo & judico pro amore Domini mei Jesu-Christi, & ejus genitricis virginis Mariæ, facere monasterium in suis proprietatibus, in loco Catiadæ, juxta flumen Olona, comitato Sepriense; & ibi ab ipso monasterio volo facere pro amore Domini mei Jesu-Christi, & ejusdem virginis Mariæ, & animæ meæ, atque genitoris & genitricis meæ, atque aliorum parentum meorum remedium ab ipso monasterio; casis, curtis, sediminas, & omnibus rebus, territoriis & familiis juris mei, quibus habere visa sum in eodem vico & fundo Cariadæ & in ejus terriroreas, aut ubi per alias locis infra ipsum regnum Italicum habere visa sum. Et iterum volo & judico illas monachas, quæ in ipso monasterio præordinatas essent, habeant de prædictis casis & territoriis victum & vestitum, quicquid annue Dominus dederit, perpetuis temporibus ad suorum usum & benedictionem quod voluerunt, pro animæ meæ & parentorum meorum remedio. Et volo & judico, seu pro minc meum judicatum confirmo, ut ipso monasterio sit in tali vero ordine in potestate & consecratione Annextasii episcopi sanctæ Ticinense ecclesiæ & ipsius venerabilis locis, & ejus successoribus, ut pro omni anno per ferias de Domini nativitate debeant dare illa abbatissa, qui pro tempore in ipso monasterio præordinata erat, perpetuis temporibus usque in perpetuum candelas duas, valente denarios quatuor, canadas

duas

duas de vinum: seu & oblatas duas de . . . . ad ipsum episcopum sanctæ Ticinensis ecclesiæ, in domo ipsius sanctæ Ticinensis ecclesiæ: ut de illis episcopis, qui pro tempore in ipsum venerabile loco prædordinati erant, alia super imposita fecerint plusquam sicut judicavit: tunc volo ego quæ supra Manigunda, ut ipso monasterio habeat commendationem & consecrationem in potestatem sanctæ Mediolanensis ecclesiæ; & si datum in ipsæ sanctæ Mediolanensis ecclesiæ, sicut supra judicavit, quod dare debet dapar sanctæ Ticinensis ecclesiæ, & debet & facere dare & consignare abbatissa, quæ pro tempore præordinata erat, ad domum ipsius sanctæ Mediolanensis ecclesiæ antistitis, per ante dictas ferias de Domini nativitare. Et si dapar ipsius sanctæ Mediolanensis ecclesiæ antistitis alia superimposita facta fuerit, quam supra judicavit: tunc volo & judico, ut habeat potestatem commendationem & consecrationem in qualem episcopum ivi ipsa abbatissa, quæ pro tempore præordinata erat, cum ipsa munera, qualiter superius judicavit, alia superimposita eis da nulla par non fiat. Et si quis alios homo aut pontifex, aut episcopus, archiepiscopus, aut qualibet potestas eis fecerint, Dominum Patrem omnipotentem habeat retributionem, & cum Judam traditorem ante tribunal Christi habeat rationem ante ejus majestatem ad omnia, sicut supra judicavit, omni tempore firmis & stabilis permaneat, quia sic decrevit mea bona voluntas firmum stare judicatum in supradicto loco Cariadæ. Ego Manigunda, Deo dicata, veste monialis induta sum, in hoc judicato a me facto subscripsi. Signum manibus Vallerami de Abbiate, & Heldeprandi de Venegnno. Isti testes Rimegasus in hoc judicato rogatus subs. Ursus judices de domo regis rogatus subsc. Signum manibus Gundefredi de vico Cariadæ, & Agnelli de ipso vico testes. Signum manibus Brunengoni, & Mambritii de vico Seprio, testes. Ego Dominicus presbyter & notarius hunc judicato ad jam dicta Manigunda rogatus scripsi, post tradita complevi & dedi. Theuprandus judex retuli exempla ex autentico edita subscripsi, & autentico hujus exempla vidi, & legi: & sic tenet in ipso authentico, sicut in ista legitur exempla, extra litteras plus minus. Arnaldus, qui & Bezo, judex sacri palatii, in hoc exemplo ex autentico subs. & autentico hujus exempli vidi, & sic tenet in ipso autentico, sicut in ista legitur exempla extra litteras plus minus. Nazarius, qui & Amizo, judex, autentico hujus exempla vidi & legi, & sicut ibi continebatur, sic in ista legitur exempla extra litteras plus minus. Ego Adam, qui & Hosbertus, notarius, hæc exempla ex autentico exemplari, & autentico hujus exempla vidi, & legi: & sicut ibi continebatur, extra litteras plus minus.

XXV.

Hildeprandi regis preceptum pro ecclesia Placentina.

FLavius Hilprandus rex ecclesiæ beatissimi martyris & confessoris Christi Antonini & Victoris, sita foris muris civitatis Placentinæ, ubi eorum sancta corpora requiescunt humata, & beatissimo patre nostro Thomæ episcopo custodi ejus. Dominus ac Redemptor noster Jesus-Christus, volens omnes per sanguinem suum pretiosum redemptos beatorum vita aggregare, &c. Idcirco manifestum est omnibus, quod non ante multum tempus, merentibus malis, Placentina est urbs ignis incendio coocremata, & omnes munimina ecclesiæ vestræ, quæ ab antecessorum nostrorum tempore nunc usque fuerant factæ, ab eodem incendio sunt combustæ, per quibus ibi singulis fuere rebus collatis. Unde vestra almitas postulavit excellentiam nostram, ut per serenissimom nostrum præceptum omnia quidquid nunc usque habuistis, præscribere ecclesiæ vestræ vel vobis deberemus firmare, &c. & firmantes in vos primum omnia quidquid ab antiquis temporibus nunc usque ecclesia ipsa possedit in casis, peculiis, atque familiis utriusque sexus vel ætatis, simul etiam & monasteria, id est beatissimi in Christo apostoli & martyris Thomæ atque Syri confessoris prope civitatem nostram Placentinam, seu monasteria Florentiola & Tolla, atque Graviaco, &c. Firmamus etiam vobis, ut omnes mulieres illas liberas, quæ usque nunc, dum liberæ essent, servis ecclesiæ vestræ in matrimonio tradidetuot, vel filiis & filiabus qui ex eis nati sunt. Ita sane ut fiot proaldiones, & habeant per caput unusquisque mundium solidos senos, sicut vobis antea a bonæ recordationis domino & patre nostro concessa sunt. Similique modo firmamus vobis pensionem illam de sapone, hoc est libras xxx. quæ palatio nostro ex civitate Placentina inferebantur, & ab ipsomet patruo nostro ad pauperes lavandum concessa sunt. Verum, quia & suggessisti nobis, quod a bonæ recordationis domino nostro concessa fuisse ex portu, quæ dicitur Codaleto, quando ibi naves militorum applicaverint ad negotiandum, navem unam tuleritis ad usum pauperorum; Nos vero juxta qualiter tibi ab ipso concessa est, & usque nunc tulistis, ita tibi firmamus, ut taliter tollas in ante sicut ipso vivente, &c. Ex dicto domini regis, & ex dictato magistri notarii scripsi ego Aodreas. Acto Ticino in palatio sub die 11. kal. Aprilium, anno felicissimi regni nostri nono per indictione x11. feliciter.

Ad lib. 20. n. 80.
Ex apographo.

XXVI.

Pippini regis diploma pro constructione & dotatione monasterii Prumiensis.

PIppinus rex Francorum, vir illustris. Quia divinam nos providentiam in regni solium Ad lib. 23. n. 67.

Ex archivo Prumiensi

unxisse manifestum est, oportet ea in Dei nomine exerceri, in quibus potius gratiam atque voluntatem Altissimi consequi valeamus. Meminimus enim ipsius evangelii, in quo ait: *Qui facit voluntatem Patris mei, qui est in cælis, ipse introibit in regnum cælorum.* Et quia reges a Deo regnant, nobis gentes & regna pro sua misericordia ad gubernandum commisit, providendum ut & sublimes rectores simus in opibus, & pauperes pro amore Christi gubernare atque educare non negligamus. Deus etenim Moysi legislatori tabernaculum propitiatorii adornare præcepit; Salomonem quoque regem templum in nomine ipsius ædificatum scimus auro, lapidibusque exornasse. Nos enim, quamvis non ita magna iisdem exæquare valeamus, tamen quod facilius possumus, ex propriis facultatibus, quas habemus, Domino cooperante, eidem offerre desideramus, quia *nihil*, ut ait Apostolus, *in hunc mundum intulimus, nec dubium, quia ex eo quidquam afferre non poterimus:* sed illud tantum ad animæ salutem credimus proficere, quidquid devota mente de rebus transitoriis Domino videmur distribuere. Igitur dum notum est omnibus, tam propinquis, quam exteris nationibus, nos & conjugem nostram Bertradam in amore sancti Salvatoris, necnon & sanctæ Dei genitricis Mariæ, atque beatorum principum apostolorum Petri & Pauli, vel sancti Johannis Baptistæ, seu & martyrum sanctorum Stephani, Dionysii & Mauricii, atque confessorum Martini, Vedasti atque Germani, monasterium in re proprietatis nostræ ædificare, quod est positum infra terminos Bidense *, atque Arduennæ, ubi rivulus, qui dicitur *Berdenbach*, ingreditur in Prumiam. In ipsius vero monasterii ecclesia de sandaliis Domini nostri Jesu-Christi, necnon ipsius genitricis Mariæ, exterorumque sanctorum, quorum jam supra fecimus mentionem, visi fuimus recondere reliquias, atque ibidem monachos constituimus, qui sub sanctæ conversationis norma, vel secundum præcedentium patrum debeant omnino exerceri, quatenus ut qui monachi solitarii nuncupantur, de perfecta quiete valeant duce Domino per tempora exsultare, & sub sancta Regula viventes, & beatorum patrum vitam sectantes, pro statu ecclesiæ atque longævitate regni nostri, necnon & uxore & filiis nostris, populoque catholico Christo præsule debeant plenius Domini misericordiam exorare. Providendum est tamen, ut dum a nobis pro amore Christi ipsum monasteriom a novo opere constat esse fundatum, qualiter pertractemus, qualiter deinceps sacerdotes atque monachi, qui ibidem aderunt vivere, & consolationem atque tranquillitatem habere debeant, & nequaquam dispersis ovibus pastor inveniat, qui gregem suum providendum commisit nobis, sed adjuncti simul possent Deo omnipotenti diu noctuque laudes referre. Idcirco, inspirante nobis superna gratia, donamus pariter, ego & conjux mea Bertrada ad ipsum sacratissimum locum, quem in honore sancti Salvatoris vel sanctæ Mariæ construximus, res proprietatis nostræ in pago Chorosvilla, quæ dicitur *Rumerssheim*, tam illam portionem, quæ de genitore meo Carolo mihi advenit, quam & illam portionem ipsius Bertradæ, quam genitor suus Heribertus ei in dote dereliquit, cum appendiciis, omni integritate sua, præter aliqua mancipia. Hæc igitur mancipia ad nostrum opus retinuimus, in reliquo vero ipsam villam cum omni integritate sua ad ipsum sanctum locum tradimus atque transfundimus, in cujus termino ipsum monasterium S. Salvatoris est fundatum; & illam mansionem super Prumiam, ubi rivulus, qui dicitur *Escutmisbach*, confluit in Prumiam, qui est constructus super terminum prædictæ villæ. Similiter donamus ad jam dictum monasterium in pago Mustinse super fluvium Mosellæ villas nostras his nominibus, Meringum * & Sacocum *, una cum meritis & terminis vel appendiciis suis. Donamus & villam nostram Bedense, quæ dicitur Marciaeo *, una cum meritis & appendiciis suis. Similiter donamus ad ipsum monasterium villam nostram in pago Eiflinse Sarabodis villa *, una cum soliditate, terminis atque appendiciis suis, sicut a Garaberto possessa fuit. Tradimus alia duo loca in Carasio ad idem monasterium *Wathilindorff* & Birgisburias cum omnibus adjacentiis suis & appendiciis. Similiter donamus in pago Biboariensi illam portionem in Reginbach *, quam vasallus noster Aghbertus per beneficium habuit, & genitor meus Carolus mihi reliquit in alodem; & illam aliam portionem in ipsa villa, quam Heribertus uxori meæ Bertradæ in alodem dimisit. Confirmamus etiam ibidem & illas res, quæ antea ad ipsam ecclesiam per instrumenta cartarum ibidem delegatæ fuerunt, cum omni integritate earum. Tradimus igitur ad ipsum sacratissimum locum superius comprehensum cellam jure proprietatis nostræ in loco, qui dicitur Altrepio, super fluvium Rheni, in pago Spirensi, quæ est constructa in honore sancti Medardi, cum villis & appendiciis suis, quem Herlibandus & Wiolentio, necnon Bagulfus mihi tradiderunt, totum & ad id integrum tam ecclesiæ ministeria, quam & alias res ibidem pertinentes. Donamus etiam ad ipsum monasterium cellam aliam, quæ dicitur Gasteaco, quæ est posita infra terminos Senciaco, & est in honore sancti Petri constructa, cum omnibus adjacentiis vel appendiciis suis. Confirmamus igitur & tertiam cellam ad ipsum sanctum locum, quæ dicitur Ruivinio, in pago Lomense super fluvium Mosæ, quæ constructa est in honore sanctæ Mariæ, cum omni merito & appendiciis suis. Ea videlicet conditione, supra scriptas res, tam villas quam & cellas, cum omni integritate eorum ad ipsum monasterium confirmamus, id est una cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, movilibus & immovilibus, pecuniis, peculiis utriusque sexus, greges cum pastoribus, omnia & ex omnibus a die præsente & deinceps, absque ullius impedimento, omni tempore supradictæ res ad ipsum monasterium jam

* Bidburg.

* Mering.

* Schwach.

* Merthsch.

* Sarrosdorff.

* Rheimbach.

fæpe dictum S. Salvatotis proficiant in augmentis, ita tamen volumus, ut ipsum monasterium S. Salvatoris, seu res quæ ad ipsum monasterium pertinent, tam quæ auctoritate nostra sunt confirmatæ, quam à Deum timentibus inantea fuerint collaturæ, in nostra sinit potestate, vel defensione, seu heredum nostrorum; & ipsa congregatio, quam in ipsum monasterium intromisimus, seu & abbas nomine Assuerus, & successores ejusdem, dum sub sancta Regula ibidem Deo auxiliante militare voluerunt, nos de alia congregatione ibidem abbatem, nec monachum contra nostrum ordinem non intermittimus, nec heredes nostri. Et quia ipsum monasterium ab omni sæcularium cura securum esse volumus, oportet ut nostræ clementiæ provisio de futura quiete fratrum ibidem manentium salubri disponat ordinatione; quatenus in Dei servitio, gratia ejus suffragante, perseverent. Nos etiam ex auctoritate nostra vobis concedimus, ut de congregatione domini Romani & Wolfranni episcoporum, quos in hoc cœnobio S.Salvatoris congregavimus, quando abbas de hac vita migraverit, una cum consensu nostro & vestro abbatem de ipsa congregatione vobis regulariter eligere debeatis. Et ut vos pro remedio animæ nostræ & conjugis prolisque nostræ, & successorum nostrorum, & pro stabilitate totius imperii a Deo nobis concessi, & ejus gratuita misericordia in æternum conservanda perenniter Domini Salvatoris nostri Jesu-Christi misericordam implorare delectet, atque in ipsius laudibus die noctequе perseverare; &, remotis temporalium meditationibus, supernorum gaudiorum contemplationi mente libera intendere præcipimus, ut nulla præjudicia atque gravamina a nullo episcoporum seu sæcolarium inferantur, & heredes nostri per nullas artes, dum ipsi monachi regulariter & fideliter a parte nostra vel heredum nostrorum ibidem conversare videntur, heredes nostri ipsos in hoc cœnobio nostro protegant, sicut visi sunt, Deo auctore ipsum locum constituimus, sic usque in sempiternum inconvulsus locus permaneat pro augmento animæ nostræ vel heredum nostrorum. Et ut hæc auctoritas nostra firmiter habeatur, & in perpetuum melius conservetur, manu propria decrevimus roborare. Ego Pippinus & conjux mea Bertrada. Sig. † Karoli filii consentientis. Sig. † Karolimanni filii sui consentient. Sig. † Genebaudi episcopi. Sig. † Gauloni episcopi. Sig. † Fulcarici episcopi. Sig. † Adalfredi episcopi. Sig. † Vulfranni episcopi. Sig. † Megingaudi episcopi. Sig. † Berthelini episcopi. Sig. † Basini episcopi. Sig. † Wiomadi episcopi. Sig. † Droconi comitis. Sig. † Theodardi comitis. Sig. † Warini comitis. Sig. † Welanti comitis. Sig. † Gangulfi comitis. Sig. † Gerhardi comitis. Sig. † Froamed. comitis. Sig. † Waltharii comitis. Sig. † Horloini comitis. Sig. † Gumberti comitis. Sig. † Raculfi comitis. Sig. † Warini comitis. In Dei nomine Bradilo recognovit & subscripsit. Acta mense Augusti, die XIII. anno XI. regnante Pippino glorioso rege.

Actum Trisgodios villa publica in Dei nomine feliciter, amen.

XXVII.

Tellonis episcopi Curiensis testamentum.

IN nomine sanctæ Trinitatis. Cum mysterium optamus recordari, & secreta cordis nostri semper debere reminisci. Altissimi beneficia humano generi tributa; cum Dominus Deus noster Jesus-Christus dignatus est descendere de sinu Patris ad nos redimendos, qui me etiam indignum & exiguum omnium servorum Dei, non meis meritis, sed sua clementia inter præsules ecclesiæ suæ dignatus est collocare: &, ut perpendo infelicitatem meam nec minus casu fragilitatis meæ, quod non meis meritis ullis, sed sua immensa pietate cupio reminisci: adhuc sicut meis, & humanæ fragilitatis obvolutum peccatis proximorum meorum, quod per primum parentem nostrum datum est, & incertæ vitæ hujus exitus, & spem recuperans, ipso Domino clementer promittente peccatoribus, quod eleemosynis possint, qui voluerint, peccara sua redimere. Nam & ego indignus Tello vocatus episcopus, non mea ei tribuo, sed sua, ipso tribuente, reddo: cum ipse per prophetam dicit: Domini est terra & plenitudo ejus. Et, ut possim dicere, cum ipse propheta ait: Dominus pars hereditatis meæ. Et dum tres ecclesiæ istius sanctæ Mariæ semper virginis matris Domini nostri Jesu-Christi, seu sancti Martini, seu sancti Petri, quas in hoc loco constructas esse scimus, seu ceterorum sanctorum, quorum nomina in hoc loco constructa sunt: quorum normâ plurimorum servorum Dei in loco qui dicitur Desertina, monasterium regularium constructum esse scimus, qua ego indignus, ac si peccator Tello episcopus possidere videor, & impensis meis plusquam debeo, utor, seu pro peccatis meis multis abluendis vel parentum meorum, dono & ad ipsam ecclesiam sanctæ Mariæ seu sancti Martini, seu sancti Petri transfundo, hoc est, avi mei Jactati & aviæ meæ Salviæ, & genitoris mei Victoris vel illustris præsidis & genitricis meæ Teusindæ, seu avunculi mei Vigilii episcopi & germanorum meorum Zacconis, Jactati & Vigilii, & nepotis mei Victoris & germanæ meæ Salviæ, seu neptis meæ Teusindæ & Oddæ. Et adhuc dicente scriptura, quod qui res ecclesiæ possedit, seu aliquid proprietatis habuerit, testantur canones cum rebus ecclesiæ debet sociari: propterea ego Tello peccator ordinatus episcopus, hic superius testimoniis confirmatis, cedo post obitum meum vel decessum ad supradictam sacro-sanctam ecclesiam sanctæ Mariæ & sancti Martini, seu sancti Petri censum, quem in perpetuum esse constituo atque discerno, & de jure meo in jus, & dominationi ejus trado, atque usque in perpetuum transfundo: hoc est terra vel hereditas patris mei Victoris vel illustris Præsidis, quæcumque acquisivit per singula strumenta de quocumque ingenio conquisita ac mihi Dominus per suam largitatem dare dignatus

Ad lib. 24. n. 9. *Ex archivo Desertinensi.*

est : hoc est curtem meam in Secanio ; in primis salam cum solario subter caminata, desuper alias caminatas subter cellarium, coquina, stuta, circa curtem stabulum, tabulata, torbaces, vel alia hospitalia, vel cellaria, & quidquid ad ipsam curtem pertinet, omnia ex integro. Item curtinum cum pomiferis suis. Item ortos & vineas subter curtem ex integro. Item in castro Sala muricia subter cellaria, torbaces in ipso castro, quantum ad me legitime pertinet, omnia ex integro. Item ad Vicum curtem meam cum tabulata, cum bareca, cum omnibus quæ ad ipsam curtem pertinent, cum introitu suo ex integro. Item in territoriis agrum ad Buliu modiales sexaginta quinque, confiniente ad ipsam curtem, alia parte ad sanctum Columbanum : agrum trans Vicum modiales decem, confiniente ad Gallonicum, alia parte ad Amanti : agrum in Stava modiales octodecim, confiniente ad Victoris, alia parte in via : agrum in Sarrs modiales octoginta, confiniente ad sancti Columbani, alia parte in via : agrum Astiredæ modiales quinquaginta, confiniente ad Calausionis, alia parte ad Vigili : agrum in Renio modiales triginta, confiniente ad Lobeceni, alia parte ad Viventi : agrum in Renio modiales quadraginta, confiniente ad Jactati, alia parte ad Urseceni : agrum in ipso loco, confiniente ad Pauli, modiales duodecim : agrum ante Sala modiales duo : agrum subter Sala modiales sex, confiniente in via : agrum Alevenoce modiales triginta, confiniente ad sancti Columbani, cum casa, cum duobus tabulatis, cum curte & introitu suo, & cum canicunis suis, confinientem ipsum agrum ad viam : alium agrum modiales decem, confinientem ad Solemnis ad sancti Martini. Ad summum Levenoce Roncale cum ædificio suo ex integro : item pradum curtinum subter Secanio, & onera sexaginta cum ædificio suo, confiniente ad sancti Columbani, alia parte in via : aliud curtinum subter Vico onera decem, confiniente ad sancti Columbani de ambabus partibus : aliud curtinum, onera octo, confiniente ad curtem. Pradum in Heretis onera sexaginta, confiniente ad sanctæ Mariæ, alia parte in via. Pradum in Levenoce, onera quindecim, confiniens ad sancti Columbani, alia parte in Vedalionis, quantum me in ipso Levenoce habere videtur, ex integro. Item in alpe Agise onera centum. Pradum in Castrices in Roncale, onera viginti, confiniens ad Agusti, alia parte in via. Pradum supra saxa Roncale onera triginta, confiniens in sancti Martini, alia parte in Vederanionis. Et super Falatiæ gradum onera sex, confiniens in sancti Stephani, alia parte ad Lobonis. Item in Flemme Roncale ex integro. Item de colonis de ipsa curte Secanio : Ariscio, Gaudentius, Exoberius, Calanho, Valerius, Anulfus, Crespio, Jactatus : isti omnes cum uxoribus & filiis suis, agri, prata, & quidquid ad ipsas colonias pertinet, cum omni sondro suo ex integro. Item de Spehaticis Froncione Projectum, Evalem, Flechosvum, Lobecinum, Aurelium, Victorem, Saturninum, Massonem, Rusticum, Desidesium, Lobucionem. Isti omnes cum uxoribus & filiis suis, agri, prata, vel quidquid ad ipsos spicios pertinet, cum omni sondro suo ex integro. Amantius persona præter terram solam sanctæ Mariæ, Auster cum fratre suo, Aurelianus, Præstantius, Valerius, Viventius, Columba. Hos omnes cum uxoribus & filiis & quidquid ipsi colere videntur, revertantur sicut priores. Item villam meam Iliande, salam cum cellario, cum omnibus, quæ circa ipsam salam haberi videntur ex integro ; torbaces, tabulata, barecæ, curtes, ortus, omnia cum introitu suo ; quæ circa ipsam curtem haberi videntur, quæ ad me legitime pertinent ex integro. Agrum subter Lobene modiales sexaginta, confinientem in sancti Martini : agrum ad curtem, modiales quindecim, confinientem in sanctæ Mariæ : agrum Aflupio, modiales sex, confinientem in Quartini : agrum Roncale modiales sex : agrum ante Vicum modiales sex, confinientem in via. Item pradum in Campaniola, onera decem, confinient. in sanctæ Mariæ. Pradum in Logotione, onera decem, confinient. in sanctæ Mariæ. Item super saxa villam meam cum casâ, cum tabulata, cum torbacibus, cum orto, & omnibus quæ circa ipsam curtem adpertinent, ex integro : agrum, modiales sexaginta : pradum, onera centum. Alium locum Maniniocum, agrum modiales viginti : aliud pradum Naulo, onera quadraginta : hæc omnia sint data ad supradictam ecclesiam. Item coloni de ipsa curte Iliande, Spotcio, Vidalinus, hos duos cum uxoribus & filiis, agros, prata, & cum omni sondro suo, ex integro. Item Despicus, Vidalianus, Mautentius, Martinus, Calvolus, Lidorius : isti omnes cum uxoribus & filiis suis, & cum omni sondro suo, ex integro. Lopus & Ursocius, qui sunt sine terra, & ipsi sint dati ad sanctam ecclesiam. Item curtem meam in Bregelo, quam addo ad ipsum monasterium sanctæ Mariæ, seu sancti Martini, seu sancti Petri. Item Municiam salam cum cellario, cum caminatis, cum solatio, cum torbace, cum stabulo, cum barecis, cum tabulata, orto, curte, & quidquid ad ipsam curtem adpertinet, cum introitu suo, omnia ex integro. Item agrum in Ruane, modialis triginta quinque, confinientem in flumine, alterâ parte in sanctæ Mariæ : agrum in ipso Ruane, modiales quatuor, & confinientem ad Juliani, alia parte ad Canis : agrum trans flumen modiales undecim, confinientem ad Projecti, alia parte in flumen : agrum super Castellum, modiales octo, confinientem ad Silvionis, alia parte ad Evalentis : agrum ad ipsam curtem, modiales octo, confinientem ad Juliani : agrum in Votce, modiales sexaginta, confinientem in Vicaonis, aliâ parte in via cum ædificio suo, cum curte & introitu suo, omnia ex integro. Item in Selauno curtem meam, cum tabulata, cum bareca, cum torbace, cum omni adpertinentia sua, & quidquid ad ipsam curtem pertinet, ex integro. Item agrum ad Feniles, modiales octoginta, confinientem ad ipsam curtem : agrum Ardunæ modiales sexdecim, confinientem ad Evalentis, alia parte in Juventi : agrum in Vicinaves, modiales septemdecim

confinientem ad Lomelengum, alia parte io ſancti Martini : item pradum ad Sorella, onera octo, confioieotem ad Lidori : pradum Anives in Curtino, onera duodecim, confinientem ad Abatiſſæ : pradum io Eſce, onera viginti, confinientem ad Beravi : pradum in Colimne, onera quinque : pradum ad Renum, onera viginti, confinientem ad Victurucionis, altera parte ad Juliani : pradum in Ruane, onera decem, confinientem ad ſancti Martini : pradum in Vallecava onera quatuor, coofinientem in via : pradum Macene, onera viginti quinque, confinientem in via, alia parte ad Creſpionis. Item coloni de ipſa curte de Taurento : Laurentius & Lopus : hos duos cum omni ſondro ſuo, ex integro. De Selaune, Lidorius, Maurus, Beſanius, Sicharius : iſti omnes cum uxoribus & filiis ſuis, & cum omni ſondro ſuo, ex integro. Item Specius de Andeſte, Amantius, Montanarius, Exoberius, Frictellious, Johannes : iſti omnes cum uxoribus & filiis ſuis, cum omni ſondro ſuo ex integro. Item de ipſa curte, Maurelius, Dominicus, Donadus : iſti omnes cum uxoribus & filiis ſuis, agrum, pradum, vel quidquid circa ipſas caſas adpertinet, omnia ex integro. Leo perſona ſola. Feſcianus cum uxore & filiis ſuis, agri, prada, & cum omni ſondro ſuo, ex integro : iſti omnes revertantur poſt obitum noſtrum ad ipſum monaſterium ſanctæ Mariæ ſeu ſancti Martini ſeu ſancti Petri. Item io Maile, agri, prada, ſola, orti cum pomiferis, quantum ad me legitime pertinet, præter terram eccleſiis, portionem meam ex integro : & præter eoloniam, quæ conceſſi juniori meo Senatori pro ſervitio ſuo in ipſo Maile. Item in Canpellos, agros, prada, ſola, ortos cum pomiferis ſuis, & quidquid ad me legitime pertinet, omnia ex integro. Similiter & ſilva Plana ſuper Maile, qoantum ad me legitime pertinet, ſit datum & conceſſum ad ipſum monaſterium ſanctæ Mariæ, ſeu ſancti Martini, ſeu ſancti Petri. Item ſilvas, ſcales fructiferas, quas damus ad ipſum monaſterium, quod ſuperius nominavimus, ſuper Iliande, quantum ad me pertinet, ex integro. Item in Ruceno curtem meam cum ſala, cum cellario, cum caminata, cum ſolario, cum torbace, cum ſtabulo, cum bareca, cum tabulata, cum orto, & quidquid circa ipſam curtem adpertinet, cum introitu ſuo, & exitu, cum aquis, cum paſcuis io ſilvis : item Roboredum ſubter Rucene, ex integro. Item Alpes, quas damus ad ipſum monaſterium, quod ſuperius nominavimus: Naulo media, Mendane cum Secivo ſuo, ex integro. In Fadohine portionem meam ex integro. In Ceipene portionem meam ex integro. Item definimus de fidelibus noſtris, quibus, quantum conceſſimus nobis viventibus, & poſt obitum noſtrum donamus. In primis Lidorius tenet ſpecium, quem colit Vidales : ipſe revertatur poſt obitum noſtrum ad ipſom monaſterium cum omni adpertinentia ſua : ſimiliter & terra quam ipſe Lidorius poſſidet. Donamus ei agros, prada, modiales ſeptuagiota ; oam omnia quæ ſuper hunc numerum habere videtur, revertantur ad ſupta dictum monaſterium. Item & Alecua tenet in ipſo Iliande agrum modiales quadragiota, & ipſe revertatur poſt obitum noſtrum ad ipſum monaſterium. Item Gaudentius tenet agrum, modiales quindecim, & ipſum revertatur poſt obitum noſtrum ad ipſum monaſterium. Item Creſcentianus tenet ſpecium in Rucene, & quatuor modiales in Renio, & ipſum revertatur, ſicut ſuperius. Item Leontius camerarius tenet modiales quinqoe de Helanengo : item preſbyter Vigilius tenet modiales tres do Helarinengo, & ipſum revertatur poſt obitum noſtrum ad ipſum monaſterium. Item Goncio tenet in Votce agrum, modiales octogiota, & ipſum revertatur poſt obitum noſtrum ad ipſum monaſterium : item Vadardus tenet agrum modiales quinquaginta, ipſum revertatur poſt obitum noſtrum ad ipſum monaſterium : item Januarius tenet in Tauronto duas colonias præter homines; & ipſæ revertantur ad ipſum monaſterium poſt obitum noſtrum. Item quam coloniam tenet preſbyter Silvanus, agri, pradi, ſola, orti, ædificia cum omni adpertinentia & cum ipſo ſervo noſtro, nomine Viventio, qui in ipſa caſa habitat : revertanrur hæc omnia poſt obitum noſtrum ad ipſum monaſterium. Item eolonias quas tenet preſbyter Lopus io Falarie, una cum homine, alia ſine homioe, pradum quindeeim, agrum in Roncalina, modiales viginti : revertantur hæc omnia poſt obitum noſtrum tam ſervi, quam terra ad ipſum monaſterium. Item colonia in ipſo Falarie, quam colit Jactatus, ipſam donamus juniori noſtro Senatori tam nos viventes, quam poſt obitum noſtrum ad poſſidendum. Item coloniam quam tenet Amicho, ipſa revertatur poſt obitum noſtrum ad ipſam eccleſiam. Item colonia quam tenet Laveſo in Fleme, quam colit Orſianus, ipſa revertatur poſt obitum noſtrum ad ipſum monaſterium. Item in Valendano Majorinus tenet agrum modiales viginti quinque, ipſe revertatur poſt obitum noſtrum ad ipſum monaſterium. Similiter & in Amede eoloniam, quam ipſe poſſidet, habeat commendatione, ipſe Majorinus cum ipſa colonia ad ipſum monaſterium cum uxore & filiis ſuis outrimentum. Quod ſi ſemetipſum ab ipſo loco abſtraxerit, ipſa poſſeſſio in ipſo monaſterio ſtabilis ſit permanere, nec liceat alicui ab hoc abſtrahere. Item terram qusm tenet Drucio in Caſtrice, ipſa revertatur poſt obitum noſtrum ad ſupradictum monaſterium, & ipſum Drucionem ſtatuemus ad ipſum locum ſacrum eſſe commendatum. Hoc ſtabilimentum proponimus, & quidquid immemores fuimus, aut in hae donatione ſanctorum non eonſcripſimus, præter quartam, quam reliquimus curti noſtræ Flumini, de ominibus rebus noſtris abſolucionem uti conſcripta eſt, permanere. Et dum mihi omnipotens Deus in hoc ſæculo vitam conceſſerit, omnia in mea permaneant poteſtate, & donatio hæc poſt obitum meum firma permaneat tam agris, quam pradis, ſolis, ortis, ædificiis, farinariis, alpibus, ſilvis, aquis, paſcuis, aeceſſionibus, vineis, pomiferiis, peculiis, ma-

jore, minore, ætamentis, ferraturis, loramentis, vasis, utensilibus, mobile & immobile omne, quidquid ad vitam hominis pertinet, sit datum, atque concessum ad ipsum monasterium sanctæ Mariæ, seu sancti Martini, sive sancti Petri, quod nuncupatur Desertina. Si quis (quod futurum esse non credimus) quod ego (ut absit) aut ullus de heredibus, vel proheredibus meis, tam virilis sexus, quam feminei genere ortus, seu de certis vel incertis, aut prætextatis cognationibus nati, tam propinqui ex genere meo, quam ex longinquo mihi proximi, vel quælibet extranea persona, minima vel maxima, judicia agens, cura, aut regalis potestas, vel aliquis per regalium potestatem concessam, aut dogalium præsentiam commotam, aut per muneris dona, vel potestate propria inepte superba crediderit, aut ausus fuerit ab his ecclesiis abstrahere, & contra hoc factum nostrum, aut genitoris mei, quod ipse præcepit, ut ita fieret, mandatum, ut hæc consetiptio proprietatis facultatum nostrarum fieret, tam de compactione, quam de proprietate, de qualicumque tractu, vel conquisito ad nos nosse pervenisse. Hoc stabilimentum redemptionis peccatorum nostrorum statuimus habere, & consortio sanctorum obfirmari, quod ego indignus sana mente & sospite corde, me vivente, patris mei præcepta, mea desideria curavi adimplere, ut pro me, & pro omnibus parentum meorum, qui superius conscripti sunt, ab altissimo Judice mereamur veniam de peccatis promereri. Propter hoc mundi Creatorem posui intermedium judicari, ut infestus fiat contra eum, qui contra factum istud ausus fuerit intumpere, aut temptare, vel quolibet ingenio calumniam contra ipsas ecclesias præsumpserit generare. In primis iram Domini nostri Jesu-Christi incurrat, & a sancta Trinitate, id est, Patris & Filii & Spiritus sancti, anathema fiat, parique modo in die judicii ad sinistram cum impiis in profundum inferni descendat, sicut Dathan & Abiron, & Core, qui contra Moysen rebelles steterant, sic ille, sicut illi, semetipsum hiato terræ demergat: & sicut Judas traditor Domini, semetipsum in laqueo suspendat, corpus & animam pœnalium gehenna sine fine obtineat: & quantum de peccatis nostris, & parentum nostrorum, & fidelium nostrorum divina pietas pro his clementer jusserit indulgere, horum omnium peccata tota super ipsum veniant, & cum diabolo & ministris ejus damnationem accipiat, & a cunctorum catholicorum fidelium consortio extraneus appareat. Insuper & in resurrectione humani generis septem damnationes mortis in stagno ignis super ipsum incumbant. Prima damnatio, a sanctis separatio. Secunda a facie Domini repulsio. Tertia in inferno demersio. Quarta operis ejus retributio. Quinta sine pænitentia, quia nulla erit remissio. Sexta sine fine cruciatio. Septima, omnium pœnarum non erit finitio, & ab ipso consortio qui illic diu noctuque deserviunt. Et super hæc omnia insuper sit culpabilis ad actores sæpe dictis ecclesiis auri libras viginti & argenti pondus quadraginta, & quod repetit, in nullo petitio sua obtineat effectum; sed fiat, ut decet, confusus de omnibus. Et cessio mea quam ego prompta voluntate & devota mente rogavi fieri, inconvulsa omni tempore usque in perpetuum obtineat firmitatem stipulatione subnexa. Anno xv. sub regnu domini nostri Pippini regis, quod est xviii. kal. Januarias, facta charta donationis sanctorum. Acta Curia in civitate publica, sub præsentia virorum honorum plurimorum testium. † Signum manus domini Tellonis episcopi largitoris, qui hæc fieri jussi, & manu mea propria firmavi. † Signum presbyteri Silvani testis. † Signum manus Justiniani judicis testis. † Signum Præsentis curialis testis. † Signum Lobucionis de Amede curialis testis. † Signum Constanti de Senegaune curialis testis. † Signum Lobucionis de Maile militis testis. † Signum Pauli de Tremine militis testis. † Signum Claudii de Curia curialis testis. † Signum Ursiceni de Scanavico curialis testis. † Signum Victotis filii Bræstantis militis testis. † Signum Justiniani de Vico Meldone militis testis. † Signum Foscionis de Pogio militis testis. Et ego Foscio presbyter jussus a domino meo Tellone episcopo hanc donationem scripsi, & manu mea propria subscripsi.

XXVIII.

Placitum pro monasterio Nobiliacensi apud Pictones.

NOtitia, ubi veniens Abolomierus sexta feria, ipsa die kalendis Decembris, Pictavis civitate inter duas ecclesias, ante Abbonem comitem seu & Jepronem abbatem ad placitum illum, quem contra Hermenbertum ex cellula Nobiliaco habebat Gratianus, unde ipsa die scripturæ initium legitimum præsentare deberet, per quod locellum, nuncuparum Jaciacus, de ratione Novaliacensi possederit ad præsens. Aholomierus advenit & concambium de nominato Gratiano ibidem præsentaret, quomodo decessor ipsius Abomiere abba, prout Gratiano ipsum locellum concamiaverat; & Hermenbertus ad præsens notitias ostendit ad relegendum, quomodo clerici sancti Hilarii, postquam ipse concamius fuit factus. Gratiano, ante Waifarium principem miserunt in rationes pro cellula Novaliaci, quod malo ordine ipse Gratianus ipsam cum appenditiis possedebat, & testamentum de nominato Hernoberto ante cessionem ipsius Waifario principi, nomine Unegarius, præsentaverat, quomodo ipse Jaciacus ad partes sancti Hilarii pervenerat; inspectoque ipso testamento, ipse Gratianus ipsum Jaciacum tensare non potuerat, & per suos vadios ipsam cellam cum reliquis appenditiis suis partibus sancti Hilarii reddiderat, & Unegario pro ipsa cella fidejussores donaverat. Relecta ipsa notitia, taliter ipsi viri dixerunt, ad quando probi homines judicantes ante ipsum comitem adveniebant ad alias causas judicandum, tunc ita causa melius judicata esse poterat, vel ab ipso comite, vel venerabili viro Jepprone abbate: etiam & ad invicem litigatores convenit, ut quando ip-

Ad lib. 24. n. 74.

Ex archivo Nobiliacensi.

se comes in ipsam civitatem advenisset, & missus ab ipso comite apud missum ipsius Hermemberti, ipse Abolomierus denuntiabit in legitimo placito ante ipsum comitem, ipse Abolomierus advenire deberet ad hanc causam ratiocinandum apud ipsum Hermenbertum, vel missum de partibus sancti Hilarii. Taliter ipso Abolomierus visus fuit spondere, his præsentibus actum fuit. Sign. † Abbone comite. Sign. † Mathæo. Sign. † Sideberto. Sign. † Dolinus. Sign. † Ermedrinus. Sign. † Ermentreus. Sign. † Theodrado. Sign. † Dodone. Sign. † Gacilone. Sign. † Ermerigo. Sign. † &c. Sign. &c. Data in mense Decembri, in anno decimo-tertio regnante Carolo rege.

XXIX.

Testamentum Rogerii comitis & Eufrasiæ uxoris ejus, pro fundatione monasterii Carrofensis.

ad lib. 25. n. 45. *Ex archivo Carrofensi.*

IN nomine sancti Salvatoris, sub die XIIII. kal. Junii regni domini nostri Caroli gloriosi regis sub anno quinto, regnante filio suo domino nostro LODOICO rege Aquitanorum, domino & venerabili pontifice in Christo patre BERTRANDO episcopo, qui Pictavis civitatis ecclesiæ sancti Petri rector præesse videtur, ROTGERIUS comes & conjux sua EUFRASIA. Compellit nos amor cælestis atque divina dispensatio, ut aliquid pro peccarorum nostrorum cumulo, vel animæ nostræ refrigerio, ac superna retributione assignare procuremus, qualiter apud pietatem Domini vel quantamcumque veniam mereamur promereri; pariter pertimescentes casum humanum. Et quia nulli finem suum scire Deus permisit, proinde communiter testamentum nostrum condere propria deliberatione disposuimus, vel ipsum scribendum rogavimus. quod testamentum ipsum si jure civili non valuerit, prætorio jure subsistat. quod si jure prætorio stare nequiverit, jam ipsum ad vicem codicis illæsum manere præcipimus: quod septem testibus ad subscribendum ex more firmatum, vel a pluribus signatum, plenam suscipiat firmitatem. Quod testamentum amico nostro BERTRANDO Pictavensi episcopo credidimus commendandum, ita ut, si ambotum nostrorum obitus noster advenerit, ipsum testamentum palam prolatum ad ipsos monachos & abbatem, quem per hoc testamentum ibidem instituimus, eis traditum, omnique tempore vigore firmitatis subsistat. Ideo devotione animi, voluntatis, imperii despondimus in loco nuncupato Karrofo, in urbe * Pictava, infra terminum Briosensem, prope fluvium Karantonæ, monasterium ædificare in Dei nomine, ecclesiam in honore S. Salvatoris, sanctissimæque ejus Genitricis, sanctorumque Innocentium collocandum rogavimus; & monachos duodecim præsentialiter ibidem instituimus, qui officium sanctum & sacerdotale inibi jugiter exerceant: atque illic Dominicum sub nostra pariter directione super ipsam abbatem instituimus: quem & succedentes per ordinem ibidem debeant conversare, & secundum religionis cultum & regulam illic, qui præponendi sunt, abbates vivere debent. Huic autem prædictæ basilicæ memorati cœnobii, videlicet Karrofi, tam monachis præsentibus quam futuris, cedimus agrum cum omnibus suis appenditiis, & quæcumque de Amelio dato pretio comparavimus, vel quantumcumque nos postea ibidem attraximus, cum terris, ædificiis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquarumve decursibus, una cum omni facto accolonorum & servorum, quidquid in jam dicto agro nos videmur possidere, & ad nos ex qualicumque attracto pervenerit, totum cum omni integritate ad jam dictam ecclesiam S. Salvatoris, & monachis præsentibus & futuris per succedentium vices volo, & hanc donationem prædicto cœnobio ex proprio jure concedo in pago Pictavensi villam, quæ dicitur Genuliscus, cum suis appenditiis, quem nos pariter de Lamberto comparavimus. Similiter cedimus quidquid illic attraximus in villa Flaviacensi, quantum Agilmarius ibidem visus fuit habere, & quantumcumque Waldramus ibidem de alodo habuit. Et cedimus prædictæ ecclesiæ quamdam piscatoriam in fluvio Karantonæ factam, quam nos de Viviano proprio pretio comparavimus: & aliam piscatoriam in Vigenna ad Scubontum, quam quidam servus noster comparavit; & illum mansum, quem de Avellino comparavimus, cum omnibus adjacentiis suis. Et in prædicto pago damus prædicto cœnobio curiam de Loa cum ecclesia, & curiam S. Martini cum ecclesia; & curiam Castanensis ecclesiæ cum ipsa ecclesia; & terram de Riparia; & curiam Saviniacensis ecclesiæ; & curiam de Peirol cum ecclesia; & curiam de Suirim cum ecclesia sua; & curiam de *Mont* cum ecclesia; & terram de Ba; & castrum Bellimontis cum omnibus adjacentiis suis.

Hæc dedit Rotgerius comes cœnobio Karrofensi cum suis & omnibus ad illas pertinentibus, cum servis & ancillis hujus terræ, natis in pago Pictavensi.

Rursus dono in pago Lemovicensi castrum S. Angeli cum monasterio & omnibus ecclesiis ad ipsum pertinentibus; & in prædicto pago curiam Coloniensem cum ecclesiis suis; & curiam de *Plevix* cum ecclesiis suis in Arvernensi pago; & servos & ancillas, & quidquid ad supradictas curias pertinet. Dono etiam in Lemovicensi pago castrum Netronense cum præfati castri castellania, & Cucilagium & Vadretias. Dono rursus in pago Exedonense Gagiacum & Malamvallem, & mansum Parentiniacum, quem Agoberta & filius ejus Agobertus nobis dederunt: & in Pinicinago, quantum de Ebulone proprio pretio comparavimus. Dono rursus in pago Petragoricensi Castanedum cum suis appenditiis, & quantumcumque ab Alexandria femina, tam in Petragorico, quam in Lemovicensi pago; & item in Domicinago mansum illum, quem Galdinus nobis dedit. Do iterum in pago Briocinse, quod nobis traditum fuit in loco, nuncupato Vernolio & Hagiaco.

* f. in orbe Pictavo.

Hæc est donatio terrarum, quam fecit Rotgerius consul cœnobio Carrofensi. Rursus subscribendum esse decrevimus, quod domna Eufrasia prædicti comitis conjux pro utrorumque remedio præfato contulit loco.

Præsentis generis posteritatem per generum successionem procreandam ego Eufrasia Rotgerii nobilissimi principis atque catholici comitis conjux, admonere volo, quatenus non obliviscantur, sed potius, si quid boni in hac mundana procellosaque fluctuatione agimus, recordentur. Unde sciant, non ad nostræ humilitatis fragilitatisque extollendam personam, sed ad exemplum, & ad catholicæ religionis provectum, quod dona quædam, quæ conjux meus in partibus Pictavensium Rotgerius comes constituit, mea irreligiositas pro mei conjugis & meo adipiscendo remedio contulerit Karrofensi. Igitur prædicto cœnobio cedo de mei juris hereditatisque proprio castrum S. Yvonis cum omnibus adjacentiis, scilicet cum supposita riberia, & molendinis ex altera parte: ex altera autem parte cum curia Balanasensi, & cum omnibus sibi pertinentibus. Hoc castrum prædictum in Arvernensi pago constitutum est. In ipso autem pago cedo supradicto loco curiam Caldolonii cum ejus adjacentiis, cum servis & ancillis. Cedo rursus in ipso pago curiam Molongiæ cum ecclesia sua; & curiam Perussiæ cum ecclesia; & curiam Nobiliaci cum ecclesia sua; & curiam Firminaci cum ecclesia sua; & curiam Gadinalcensem cum ecclesiis suis, & omnibus suis pertinentibus.

Hæc sunt data cœnobio Carrofensi a venerabili conjuge Rotgerii comitis Eufrasia in pago Arvernensi.

Decrevimus iterum ego Rotgerius & uxor mea Eufrasia pro refrenanda malorum insania, seu laïcorum, seu diversorum prælatorum, ut nullus episcopus, non etiam qui ad præsens Pictavensi urbi præfertur, nec aliquis succedentium, potestatem super ipsum cœnobium, aut super monachos ipsius cœnobii exercere audeat. Non etiam illuc veniat nisi tantum pro facienda oratione; sed si invitatus fuerit & petitus a monachis, illuc venire habeat licentiam pro aliquo beneficio illuc collaturo. Igitur, si necesse fuerit, episcopus ipsius sedis sacerdotes ipsius cœnobii & ordinet, & benedicat, absque ullo tamen præmio; & hoc infra claustrum ipsius monasterii, si tamen abbas jusserit. Et si, quod absit, prædictæ sedis pontifex aut archidiaconus graves super ipsos esse voluerint, aut contrarii fuerint, vel superstationes injustas eis imponere tentaverint, aut de rebus, quas pro animæ nostræ remedio ad præfatam casam Dei delegavimus, aliquid auferre voluerint, nullatenus liceat. Quod si contra jus & sanctum agere voluerint, pontificiæ dignitatis apicem episcopi, archidiaconi vero archidiaconatus officium pariter amittant. Nos tamen ad ipsum abbatem, quem illic præesse volumus, videlicet Dominicum, vel ad monachos præsentes vel futuros tale dedimus privilegium: quod si præsentiam domni principis expetere eis necesse fuerit, licentiam habeant: quia sic de Domini misericordia confidimus, quod gloriosus domnus noster Carolus, & ceteri post eum venturi, si ipsi monachi recte vixerint ... augmentum possit pertinere. Et illud nobis complacuit, ut quando abbas ex ipso monasterio, ut se habet humana conditio, de hac luce Domino vocante migraverit, ipsi monachi per consensum domni regis inter se regulariter eligant abbatem, talem videlicet, qui secundum Deum, vel ordinem sanctum ipsam congregationem ad Dei voluntatem perficiendam regat, & taliter disponat, qualiter ipse & grex sibi commissus Dei voluntatem in omnibus adimplere studeant. Et dum Christo propitio ipsa congregatio secundum Deum inter se regulariter abbatem invenire vel eligere potuerint, qui eos, ut diximus, juste & modeste regere possit, minime extraneus abbas super eos imponatur, qui ipsam congregationem contrarietatibus opprimere possit, vel contrarietatum perturbationibus conturbet. Et nulli umquam parentelæ nostræ obtentu, vel cuilibet extraneæ personæ licentiam permittimus, ut ullam repetitionem adversum abbatem ipsum vel monachos inquirere possit, nec de rebus illis, quas ibidem in mercedis nostræ augmentum delegavimus, abstrahere vel minuere omnimodis prævaleat: sed liceat eis quieto ordine vitam illorum emendare, & pro stabilitate domni nostri regis Caroli, & prolis ipsius, ac totius populi christiani, & pro nobis Domini misericordiam attentius indesinenter exorare. Qui videlicet domnus Carolus sæpe dictum locum quam plurimis ditavit donationibus, tam in terris, quam in pretiosis ecclesiæ ornamentis: quod, ut ipsi audivimus & etiam vidimus, subscribendum esse in hujus testamenti contextu procuravimus.

Igitur prædictus domnus Carolus, qui præfatum locum per manus nostras ædificandum præcepit, cessit huic loco in episcopatu Santonensi curtem Girniacensem cum omnibus sibi pertinentibus, & ecclesiam de Fornis, & curiam Cressiacensem, & ecclesiam S. Florentii cum terris sibi adjacentiis, videlicet cum castro Niortensi, id est vicariam ipsius castri, cum ecclesiis & sepultura, & castrum quod dicitur Colum, in pago Alnensi. In pago Belvacensi Fraxinetum ecclesiam, & in pago Remensi Villam-Dominicam *. In Meldensi quoque territorio Montiniacum, cum cunctis attinentibus sibi rebus. Hæc perpetualiter possidenda tam ipse, quam gloriosus filius ejus Ludovicus, eidem Carrofensi cœnobio delegavit, cum monasterio S. Saturnini, quod est constructum in Andegavensi pago, cum monasterio S. Florentii martyris in pago Santonico.

* Villedomange.

Nec illud silentio tegimus, quod prædictus domnus CAROLUS, *ut præfato retinuit loco, istud scilicet quod quando in Pictavensem urbem veniet, ipsi monachi præfati cœnobii afferant illi gantos unos, & duos cereos, cum duabus botis nectare plenis, nec amplius ab eo vel ab alio aliquo ab illis exigendum est. Istud*

tamen

tamen B. M. Luodvicus, *domni* Caroli *filius totum remisit, indignum judicans quod domus seu familia Deo proprie dicata humanis applicaretur obsequiis.*

Ego tursus Rotgerius, & uxor mea Eofrasia cessimus prædictæ ac Deo dicatæ ecclesiæ capsam nostram, ubi quammaximas reliquias recondere fecimus, & calicem cum patena optimum, plurimaque dona illi attribuimus & constituimus; atque præfecimus cœnobio illi abbatem virum religiosum, nomine Dominicum, cum duodecim monachis; ipsum autem tertium-decimum: ut inspirante divina gratia sub regula sancti Patris Benedicti vivere studeant. Unde placuit nobis, quamdiu viventes fuerimus, præfatum locum sub nostra tuitione esse locandum: quia quanto magis per eum laboravimus, tanto magis eum defensare atque tueri oportet. Itaque post obitum ambotum, tam meæ conjugis, quam meum, tutela atque defensione potestateque regia præcipimus defensandum: qualiter ipse abbas vel prædicti monachi ab ipso tutamentum vel defensionem per Dei adjutorium expetant, & cum omni quiete, seu tranquillitate vivere debeant, & pro stabilitate ipsius regis, vel fidelium ejus, ac facinorum nostrorum remedio, & pro eis eleemosynarum suarum largitione ad memoratam casam, vel ad ipsam congregationem impendant, vel impensuri sunt, die noctuque, melius ac propensius eis delectet in auribus Domini sabaoth precum simulque orationum vota omni nixu fundere. Petimus igitur sanctitatem omnium præsentium seu futurorum, ut quod nos ipsi congregationi in nostra proprietate concessimus, vestro adjutorio habere mereantur. Placuit etiam, quod si ulla opposita persona, aut heres noster vel propinquus, servus, extraneus, aut qualiscumque Deo contrarius, conatus fuerit contra voluntatem nostram adire tentaverit, aut irrumpere meditatus fuerit, aut ipsis monachis parvam aut modicam rem subtrahere voluerit, primitus iram Dei omnipotentis, in cujus honore nos hæc prædicta dona ipsi loco delegavimus, se potiri sciat, & alienus a divina cognitione videatur, & etiam habeatur; & insuper reddat prædictorum monachorum exactoribus auri libras decem, argenti pondera viginti. Et ut hæc voluntas nostra omni tempore, tam præsenti quam futuro, firma perduret, ab omnibus quoque firmitate subnixa. Denique prædictorum monachorum sanctitas atque sollicitudo cum necesse fuerit post abbatis obitum alterius eligat personam, qui non improvide suos corrigat subjectos, sed provide quibus dignum fuerit, compatiatur. In illis etiam quorum merita exigunt, utatur ferro abscissionis, ut ita quæ corrigenda sunt, corrigat, & quæ mulcenda sunt, mulceat: quatenus per prælati sollicitudinem subjectorum humilitas cælestem subeat celsitudinem, ibi mansura per infinita sæculorum spatia. Amen. S. Rotgerii comitis, qui hoc testamentum fieri jussit. S. Eufrasiæ. S. Erceri episcopi Tolosanæ sedis. S. Benjamen Santonicæ sedis episcopi. S. Adalberti Arvernensis episcopi. S. Ebrorne comitis. S. Amaferedi comitis. S. Sansonis comitis. S. Abraham digni abbatis. S Martini. S. Johannes. S. Walterii. S. Benedicti. S. Ingeluarii. S Adalgarii. S. Treoslaes. S. Effraine presbyteri. S. Herii monachi. S. Bernier monachi. S. Bassne monachi. S. Bosonese presbyteri. S. Anoraldi. S. Arnaldi. S. Ananiæ.

XXX.

Placitum Hildiperti ducis pro monasterio Farfensi.

IN Dei nomine regnantibus dominis nostris Carolo & Pippino filio ejus, anno xiv. & vi. ego in Dei omnipotentis nomine Hildipertus gloriosus & summus dux ducatus Spoletani. Manifesta causa est, quia Rabenno, filius cujusdam Rabennonis comitis civitatis Firmanæ, habuit in conjugio Haleronam sibi sociatam, quam per diabolicam suasionem quidam Hermisridus violenter tulit ei, & sibi eam in conjugio sociavit Et dum ipse Rabenno exinde hic in palatio nos interpellasset, & judicium exinde cum eodem Hermisrido habuisset; sic eidem Rabennoni secundum Legem Langobardorum ambo in manus traditi sunt Postea ipse Rabenno eis sua voluntate vitam donavit, & ipsam Haleronam in sua præsentia sanctimoniali veste indui fecit; & per sacerdotem eam consecravit. Et dum hæc acta fuissent, postea iterum eam sibi in conjugio copulavit, unde secundum legem omnes substantiæ ipsius Haleronæ ad publicum devolutæ fuit, similiter & ipsius Hermifridi omnem culpam remisit, & per launigildum ipsam * Spentoni patri suo sponte redonavit. Postea vero peccatis imminentibus ipse Rabenno eum simpliciter occidit. Pro quibus secundum legem, qualiter edicti pagina continet, ab omnibus rebus supradictis præfatus Rabenno expulsus est, & medietas omnis illius substantiæ ad publicum devoluta est. Unde nos qui supra gloriosus & summus dux, pro mercede supra scriptorum dominorum nostrorum regum simul & nostra, donamus atque concedimus in monasterio sanctæ Mariæ in Acutiano, ubi ipse Rabenno voluntarie monachus effectus est, vel tibi, reverendissime Altiperte abba, oratori nostro, seu cunctæ congregationi ejusdem sancti cœnobii, omnem prædictam illorum substantiam, qualiter secundum legem juste & rationabiliter ad publicum devoluta est. Datum jussum Spoleti in palatio, anno ducatus nostri xiv. mense Augusto per indict. x. sub Goarino comite genero nostro.

Ad lib. 21. n. 66.

Ex chartario Farfensi.

* *f. ipsum.*

XXXI.

Commutatio inter Moroaldum Farfensem & Usualdum S. Salvatoris abbates.

IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu-Christi, regnantibus dominis nostris Carolo & Pippino filio ejus, viris excellentissimis regibus Francorum & Langobardorum, ac pa-

Ad lib. 26. n. 8.

Ex chartario Farfensi.

triciis Romanorum, anno regni eorum in Italia Deo propitio XXI. & XIV. mense Augusti per indictionem II. Prævidentes, atque congruis compensantes compendiis, optime placuit inter venerabiles Moroaldum abbatem de monasterio sanctæ Mariæ, ejusque congregationem, quod situm est in territorio Sabinensi, loco qui vocatur Acutianus, necnon & domnum Usualdum itemque abbatem monasterii sancti Salvatoris, vel cunctam congregationem ipsius monasterii, quod situm est in territorio Reatis, loco qui vocatur Letenandus, sive Roiandus, ut inter se concambium pro utilitate partium amborum facere deberent. quod & fecerunt. In primis dedimus nos a parte sanctæ Mariæ partibus sancti Salvatoris portionem de ecclesia sancti Pastoris in quinto, quantum nobis ibidem pertinet in ipsa ecclesia sancti Pastoris, portionem de Quallefrido, & Tanfrida, sive altarium, muros, fundamenta ecclesiæ, & in ipsa curte casas, vineas, prata, terras arabiles, & cultum vel incultum, &c. Similiter dedimus nos a parte S. Salvatoris ad partem sanctæ Mariæ pro illa ecclesia terram per mensuram modiorum XL. in valle Tybe, in valle majori, in pede de Genistreto in Plano, terram modiorum IX. & semodiale, hoc est quantum ibidem a parte Gualderami habuimus, & de acquisito ipsius ecclesiæ sancti Pastoris, sive quantum in ipso loco cum domno Alefrido episcopo concambiare debemus: & si ipsum cambium minime facere potuerimus, aliud tantum de terra ad simile illius vobis in congruo vestro dare debeamus, &c. Unde duas cartulas uno tenore conscriptas inter nos fecimus, de quo promittimus de utrisque partibus propriam partem defendere, & invicem firmiter promittimus ipsum cambium permanere; & si quæ pars removere voluerit, componat parti alteræ auri mancosos XX. & cartæ ambarum partium in sua permaneant stabilitate. Actum in monasterio sanctæ Mariæ, ubi ambarum partium abbates præsentes esse videbantur, mense, & indictione supra scripta. † In Dei nomine ego Usualdus, etsi indignus abbas, in hac cartula manu mea subscripsi †. Ego Frodipertus presbyter, & monachus manu mea subs. Ego Leophanus presbyter & monachus manu mea subsc. Ego Joannaccius diaconus, & monachus consensi, & M. M. subs. Ego Teudipertus diacon. & monachus consensi, & M.M. subs. Ego Teoprandus presbyter & monachus consensi, & M. M. subs. Ego Fulco diaconus & monachus consensi, & M. M. subs. Ego Johannes subdiaconus & monachus monasterii sanctæ Mariæ scriptor hujus cartulæ per consensum ambarum partium scripsi, & subscripsi.

XXXII.

Præceptum Iterii abbatis pro constructione monasterii Cormeriacensis.

Ad lib. 26. n. 12. Ex Chartario Cormeriacensi.

IN nomine sanctæ ac individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus-sancti. Ego humilis, etsi peccator, Iterius abba vocatus monasterii sancti Martini Turonis civitatis, quo ipse pretiosus domnus corpore requiescit, & cum omni Deo devota congregatione ibidem consistenti, pertractans casum humanæ fragilitatis ac pavescens diem vocationis ultimum, ne gravatus tanta mole peccaminum sine fructu aliquo, quod absit, boni reperiat operis: idcireo illustratione pietatis divinæ provocatus, necnon egregii Prædicatoris confortatus alloquio, in quo ait, *Si cujus opus manserit, mercedem accipiet.* Ergo promptissima nobis una cum consensu Fratrum nostrorum decrevit voluntatis devotio, ad augendum scilicet hujus sancti monasterii honorem ac lucra animarum, ut cellam aliquam in pago Turonico nostro labore ad perpetuam omnipotentis Dei laudem construere deberemus. quod ita & fecimus. In qua etiam, ut potuimus, ecclesiam ædificantes ad invocationem sanctæ Trinitatis trina construximus altaria, ubi sanctorum posuimus apostolorum reliquias, in seniore scilicet altario sancti egregii prædicatoris ac doctoris gentium Pauli; alio quidem sancti Petri apostolorum principis; tertio vero sancti Martini patroni nostri præclarissimi confessoris, adjunctis simul ceterorum, prout potuimus, sanctorum patrociniis, quorum nos intercessionibus defendi, largiente Domino, confidimus. Itaque in dedicatione præfatæ basilicæ dedimus, simulque delegavimus ac tradidimus ad memoratum sanctum locum, qui nuncupatur Cella-sancti-Pauli, quod Cormaricus a priscis & hactenus vocatur, donatumque in perpetuum ibidem ob mercedem & stabilitatem dominorum regum Francorum, seu parvitatis nostræ, esse volumus, tam pro opportunitate ejusdem cœnobioli, quam & pro stipendio fratrum ibidem in Dei servitio habitantium, necnon consolatione peregrinorum: primum omnium delegamus ibidem res ipsas, quas Pantaleon ac germanus suus Palladius, vel diversi homines in eodem loco ac in circuitu nobis per eorum instrumenta confirmaverunt, seu & quod de ratione sancti Petri-puellarum monasterii commutavimus, necnon reicolas quasque in fabricas & in arces conquisivimus, seu & in Curtiniaco de Reginaldo per venditionis titulom a nobis comparatas, & quidquid Hubaldus partibus sancti Martini donavit, necnon & diversos mansos in ipso pago per alia loca in circuitu, ut diximus, quæ ad opportunitatem ipsius cellæ attraximus, in condita Eveninse & Cambertense, ubi & ubi in ipso Turonico pago sitos. Delegamus etiam ibidem aliquas res de ratione sancti Martini, quas largiente domino nostro Carolo excellentissimo rege adquisivimus, in pago videlicet Pictavo Intoniacum villam cum appendiciis suis, Bragonno & aliis, seu & loco nuncupato Areiaco. In pago quidem Turonico Paternacum, cum adjacentiis suis Columbo & ceteris; seu locello Feriaco ipsi cellæ adhærenti. Parique modo confirmamus ibidem in pago Blesensi & Dunensi reicolas illas, quas de Ragelanane Deo sacrara ad partes sancti Martini attraximus, loca scilicet quæ vocantur Homentaria & Culmella, cum omnibus adjacentiis suis,

ſicut præſenti tempore poſſeſſa ſunt. Simulque largimur ibidem in pago Andegavo reicolas, videlicet Ulmum & Ambiencum cum integritate earum. In pago vero Cenomannico Ruſcriolam * & Hilariacum cum meritis earum. Hæc omnia ſuperius nominata una cum terris, eccleſiis, domibus, ædificiis, aecolis, mancipiis, vineis, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, farinariis, mobilibus & immobilibus, omnia & ex omnibus eiſdem rebus pertinentibus, ad præſatum ſanctum locum pro lucranda mercede & augmentis ſanctæ congregationis hujus donamus, tradimus, ſimulque delegamus, ita ut ab hac die ibidem in augmentis proficiant. Unde conſtitui ob hoc pro devotionis amore, anniverſaria Principum apoſtolorum veniente ſollemnitate, juxta qualitatem poſſibilitatis, ſicut Dominus affluentiam ibi dederit, omni anno fratribus ſancti Senioris miniſtrandam... Et quia multa ſanctorum cœnobia diverſas cellas ſub ſe habere video conſtructas, quæſo, ne a quibuſdam ſuperfluo honore feciſſe dicar, præſertim cum magis pro honore ſancti monaſterii noſtri, quam pro favore humano ædificaſſe me profiteor. Et quamvis nunc minus optata quam deſidero, perficiam; precor tamen dominum ac ſucceſſorem meum mox futurum, & poſt eum ſuccedentes abbates, ut parvula a nobis facta, ad divinam omnipotentis Dei laudem & incrementum ipſius cellæ conſervent, & in eorum eleemoſyna augere dignentur. nam de his quæ fecimus, indignum eſt aliquid minorari vel ſubtrahi. Quocirca ſatagant fideles pro Deo potius adaugmentando, conſervare, quam aliquid ſubtrahendo adnihilare: quatinus & bona illorum facta in præſenti & in futuro, ſicuti & noſtra fecerint, Deo auſpice conſerventur. Et illud in hoc teſtamentolo intimare curavi, ut ſi fuerit ulla extranea perſona, quæ contra hoc venire conata fuerit, aut de rebus ibidem a nobis datis aliquid vel etiam minimum abſtrahere præſumpſerit; optamus eam divino corrigi judicio. Inſuper cum pulſator adſtiterit, ſociante fiſco auri libras tres, argenti pondera quinque, multa componat; & quod repetit non vindicet, ſed præſens teſtamentum a nobis promptiſſima voluntate factum, pro ſtabilitate videlicet & eleemoſyna dominorum noſtrorum regum & congregationis ſancti Martini atque abbatum ſuccedentium, necnon & ob refrigerium animæ meæ, omnique tempore maneat illibatum atque firmiſſimum. Quod & nos manu propria ab omni firmitate roboravimus, atque confratres noſtros, ceteraſque perſonas firmare rogavimus. Data VII. idus Februarii, indictione XIV. anno XXIII. regni domini noſtri Caroli glorioſiſſimi regis. Actum Turonis in monaſterio ſancti Martini, in Dei nomine feliciter. In Dei nomine ego Iterius, etſi indignus abbas, hoc teſtamentum feci devotione pleniſſima pro animæ meæ remedio. Signum domni abbatis. Harembertus peccator preſbyter ſubſcripſit. Zachæus, quamvis peccator, diaconus ſubſc. Garialdus diaconus ſubſc. Chriſtianus monachus ſubſc. Aimo, quamquam peccator, diaconus ſubſc. Gualtadus monachus ſubſc. Adagarus peccator ſubſc. Lambertus peccator monachus ſubſc. Madalbertus peccator diaconus ſubſc. Haimo, quamquam peccator, preſbyter ſubſc. Framberius peccator preſbyter ſubſc. Giſlefredus peccator preſbyter ſubſc. Gaudius, quamquam peccator, diaconus ſubſc. Audebertus ſcriptor &.... ſubſc.

* al. *Ruſcilaum.*

XXXIII.

Ludovici Aquitaniæ regis præceptum pro Nobiliacenſi monaſterio.

HLodoicus gratia Dei rex Aquitanorum. In Chriſti nomine nobis rectum eſſe videtur, ut quandoque eccleſiaſtici viri catholici & Dei ſacerdotes, clerici & pauperes ad noſtram peteot clementiam, eis regalis poteſtas tuitionem impertiat, qui fideliter ad noſtram deſiderant pertingere magnificentiam. Et Chriſto auſpici ſine dubio plenius credimus divina miſericordia nobis exaudire, ſi petitionibus ſacerdotum placitis auribus obaudiamus, & ea quæ recta popoſcerint, ad effectum perducimus. Denique oſtenſum eſt in conſpectu noſtro per magnifico viro & parente noſtro Atone diacono atque abbate ſtatuta, quam ipſe ex ore glorioſiſſimi & genitoris mei regis Caroli ſummumque catholicum ſumpſit, qualiter cellola, cujus vocabulum eſt Novaliacus, de ratione ſancti Hilarii, ſita in loco quieto, & valde congrua ad habitationem ſervorum Dei & pauperum, juxta poſſibilitatem loci illius monachos, qui ſecundum ſancti Benedicti regulam degere deberent, inſtituit. Et venerabilis vir jam memoratus domnus Ato abba, parens noſter, fideliſſimus domino & genitore meo & noſter, nobis ſubtiliter ſuggeſſit, ut ipſa cella vel reiculas, quas ipſe ibidem detulit, necnon & hoc quod Hermembertus ſacerdus rector ipſius cellolæ ibidem confirmavit, & illas conjunctiones, quas anteriori pontifice Pictavenſis, quem nos recognovimus, Anſaldus, Ebarcius, & Guozbertus, ad ipſam cellam detulerunt, vel Dei timentes & viri catholici inantea conferre voluerint, per noſtram munificentiam ſemper ſit conjunctum, & numquam ſit interruptum. Præcipiendo præcipimos univerſis fidelibus noſtris epiſcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, telonariis, vel omnibus miſſis noſtris diſcurrentibus, ſeu qui curam publicam & privatam habere noſcuntur, ut in reiculas præfatæ cellolæ, vel homines eorum ubique commanentibus, qui ibidem recte aſpiciunt, nullo umquam tempore ad cauſas audiendas, vel freda undique exigenda, ſeu manſiones aut paratas faciendum, vel quaſcumque reddibutiones requirendas, ingredi non præſumant; ſed pro integra firmitate petiit memoratus domnus Ato abba ſuique monachi, ut circa ipſa cella Dei per noſtram auctoritatem in omnibus confirmare deberemus. quod pro reverentia domini & patroni noſtri beatiſſimi Hilarii benigniſſi no animo illud præſtitiſſe vel confirmaſſe compe-

Ad lib. 26. n. 25. Ex authentico.

rite. Et quicquid exinde fiscus noster augmentare potuerit, inspectam nostram firmitatem, sicut per emunitates anteriorum regum declaratum fuisse indultum, tam de ipsas res, quæ præsenti tempore ad ipsa casa Dei legitime obtingunt, quam & de eas, quæ a Deo timentibus hominibus ibidem inantea fuerit condonatum, in luminaribus ipsius sancti loci vel stipendia monachorum perpetualiter debiat proficere in augmentis: quatenus ipsa congregatio pro stabilitate regni nostri melius delectet Domini misericordiam adtentius exorare. Er ut hæc præceptio firmiorem habeatur, & melius censervetur; subter eam decrevimus affirmare. Io Dei nomine Reginpertus seu indignus vocatus episcopus sive cappalanus HLudowico regis Aquitaniorum subs. Sign. † Magnario. Sigo. † Immone. Signum † Adalberto. Sign. † Erlaldo. Sign. † Garico. Sign. † Witfredo. Sign. † Ademaro. Sign. † Raganfredo. Sign. † Bicone. Sign. † Gislemaro. Item sign. Gislemaro Carolus subs. Sign. † Harialdo. Sign. Abbone Jalinus clericus subs. Sign. † Wadone. Sign. Ludovici gloriosissimi regis. Data III. nonas Augustas, anno XXV. [Caroli gloriosissimi regis,] & anno XIIII. regni nostri. Actum Jogundiaco palatio nostro. Ego Hildigarius ad vicem Deodati subs.

XXXIV.

Placitum pro eodem monasterio de cella Jaciaco.

Ad lib. 26. n. 25. *Ex archivo Nobiliac.*

NOtitia, ubi veniens Abolomietus, sexta feria, ipsa die kalendis Decembris, Pictavis civitate inter duas ecclesias, ante Abbonem comitem seu & Jepronem abbatem, ad placitum illum, quem contra Hermenbertum ex cellula Nobiliaco habebat Gratianus; unde ipsa die scripturæ initium legitimum præsentare deberet, per quod locellum, nuncupatum Jaciacus, de ratione Novaliacensi possederit. Ad præsens Abolomierus advenit, & concambium de nominato Grariano ibidem præsentavit, quomodo decessor ipsius Abbomiere abba, prout Gratiano ipsum locellum coocamiaverat: & Hermenbertus ad præsens ootitias ostendit ad relegendum, quomodo clerici sancti Hilarii, postquam ipse concamius fuit factus Grariano, ante Waifarium principem miserunt in rationes pro cellula Novaliaci, quod malo ordine ipse Gratianus ipsam cum appenditiis possidebat, & testameotum de oominato Hitnoberto ante cessionem ipsius Waifario principi, nomine Unegarius, præsentaverat, quomodo ipse Jaciacus ad partes sancti Hilarii pervenerat: inspectoque ipso testamento, ipse Gratianus ipsum Jaciacum tentare non potuerat, & prt suos vadios ipsam cellam cum reliquis appenditiis suis partibus sancti Hilarii reddiderat, & Unegario pro ipsa cella fidejussores donaverat. Relicta ipsa ootiria, taliter ipsi viri dixerunt, ad quando probi homines judicantes ante ipsum comitem adveniebant ad alias causas judicandum, tunc ita causa melius judicata esse poterat, vel ab ipso comite, vel venerabili viro Jeprone abbate. Eriam & ad invicem litigatores convenit, ut quando ipse comes in ipsam civitatem adventaret, & missus ab ipso comite apud missum ipsius Hermenberti ipse Abolomierus denuntiabit, in legitimo placito ante ipsum comitem ipse Abolomierus advenisse deberet ad haoc causam ratiocinandum apud ipsum Hermenbertum vel missum de partibus sancti Hilarii, taliter ipse Abolomierus visus fuit spondere: his præsentibus actum fuit. Sign. † Abbone comite. Sign. † Marthæo. Sign. † Sideberto. Sign. † Dolious. Sign. † Ermedrinus. Sign. † Ermentreus. Sign. † Theodrode. Sign. † Dodone. Sign. † Gacilone. Sign. † Ermerigo. Sign. † &c. Sigo. † &c. &c. Data in mense Decembri in anno decimo-tertio regnante Carolo rege.

XXXV.

Pauli Warnefridi epitaphium, auctore Hilderico ejus discipulo.

Perspicua clarum nimium cum fama per ævum Ad lib. 26. n. 86.
Astra simul junctum pangant te cœtibus almis;
Veridicos, Levita, tuos quis summe triumphos
Lucifluis, Paule, poterit depromere dictis?
Ut sua sed lector properans huc noscat & hospes
Sacrato tumulo requiescere membra sub isto;
Laudis, amande, tuæ summatim carmine digno
Almificos actus dignum est reserare canendo.
Eximio dudum Bardorum stemmate gentis,
Viribus atque armis quæ tunc opibusque per orbē
Insignis fuerat, sumpsisti generis ortum.
Tam digna est postquā nitidos, ubi sæpe Timavi
Amnis habet cursus, genitus tu prole fuisti.
Divino instinctu regalis protinus aula
Ob decus & lumen patriæ te sumpsit alendum.
Cum tua post Tibridem populis & regibus altis,
Tunc placida cunctis vita, studiumque maneret;
Omnia sophiæ cœpisti culmina sacræ,
Rege monente pio Ratchis, penetrare decenter.
Plurima captasses digne cum dogmata cujus,
Resplendens cūctos superis ut Phœbus ab astris,
Arctoas rutilo decorasti lumine gentes.
Et sic jam nimium fluidi cum gloria sæcli
Condignis ditaret ovans te sedule gazis;
Lucis ob æternæ vitam sine fine beatam
Audacter sprevisti hujus devotus honores:
Regis & immensi fretus pietate polorum,
Vernanti huc Domino properasti pectore Christo
Subdita colla dare Benedicti ad septa beati.
Exemplis mox compta tuis ubi concio sacra,
Tum jubar ut fulgens cœpit radiare coruscis.
Io te nam pietas jugiter, dilectio dulcis,
Nectareus & pacis amor, patientia victrix,
Simplicitas sollers nimium, concordia summa,
Omne simulq; bonū semper, venerāde, manebat:
Nunc ideo cæli te gemmea regna retentant,
Sideream retinens pariter per sæcla coronam.
Hæc tibi posco, sacer, gratū sit carmen honoris,
Hildric en cecini qood lacrymando tuus:
Quem requiem captare tuis fac quæso perennē
Sacratis precibus, semper amande pater.

XXXVI.

Pauli Diaconi epistola ad Carolum M. cui Vocabularium suum nuncupat.

Ad lib. 26. n. 36. Ex cod. Vindocin.

LArgitatis munere sapientia potentiaque prætulgido domino regi Karolo, regum sublimissimo, Paulus ultimus servulus. Cupiens aliquid vestris bibliothecis addere, quia ex proprio perparum valeo, necessario ex alieno mutuavi. Festus denique Pompeius, Romanis studiis affatim eruditus, tam sermonum abditorum, quam etiam quarumdam causarum origines aperiens, opus suum ad viginti prolixa volumina extendit. Ex quo ego prolixitate superflua quæque & minus necessaria prætergrediens, & quædam abstrusa penitus stilo proprio enucleans, ita ut erant positi relinquens, hoc vestræ celsitudini legendum compendio obtuli, in cujus serie, si tamen lectum ire non dedignabimini, quædam secundum artem, quædam juxta etymologiam posita non inconvenienter invenietis, & præcipue civitatis vestræ Romuleæ, portarum, viarum, montium, locorum, tribuumque vocabula diserta repetietis : ritus præterea gentilium & consuetudines varias. Dictiones quoque poëtis & historiographis familiares, quas in suis opusculis frequentius posuere. Quod exiguitatis meæ munusculum, si sagax & subtilissimum vestrum ingenium non usquequaque reppulerit, tenuitatem meam vita comite ad potiora excitabit.

Augustus locus sanctus, &c. A. *Hoc vocabularium desinit in hac voce littera N.* Nequiquam.

XXXVII.

Fundatio Palnatensis monasterii.

Ad lib. 27. n. 37. Ex archivo S. Martialis.

PLacuit nobis, ut monasterium nostrum, quod ædificavi vel dedicavi in honore S. Salvatoris & S. Benedicti, Palnato nomine, in pago Petragorico, & ut ibi honoretur sanctus Martialis, qui in civitate Lemovicas requiescit, & aliorum sanctorum corpora, cedere & condonare deberemus, quod & fecimus. Ergo cedimus ibi ipsum monasterium cum suis officinis, cum cellulis & villis & omni supellectile, necnon & appendiciis, tam in ipso pago, quam in aliis, & cum ipsis mancipiis ibidem commanentibus, cum domibus, ædificiis & terris, vineis, silvis, officiois, piscatoriis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cultum & incultum, & quod acquirendum est; omnia & ex omnibus, totum & ad integrum, quantum ad ipsum monasterium aspicit, & nostra cernitur esse possessio, partibus S. Martialis ad opus monachorum cedimus, vel transfundimus ad habendum vel possidendum, & faciat exinde pars ecclesiæ, quidquid melius elegerit, exceptis tantum in pago Caturcino, ubi sancta Metronia requiescit; & Lentiniaco, quantum ibi habeo de Petragotico. Facta cessione ista mense Februario, anno IV. regnante Karolo imperatore. Signum David. S. Benedictanæ, quæ cessionem fieri vel adfirmari rogaverat. S. Dodonis. S. Berengarii.

XXXVIII.

Versus Bernowini episcopi.

Ad lib. 27. n. 90. Ex Biblioth. Ottoboniana.

OMnipotens Dominus, qui celsa vel ima gubernas,
Majestate potens semper ubique Deus,
Respice de solio sanctorum gloria summo,
Auxiliumque tuis, Rex bone, da famulis.
Principibus pacem, subjectis adde salutem :
Hostis pelle minas, & fera bella preme.
Hæc quoque, quæ statui fulgentia culmina templi
Bernowinus ego, sint tibi grata Deo.
Augusto & Karolo, cujus virtute peregi,
Concede imperii gaudia magna sui.
Quisquis & hinc summas precibus pulsaverit aures,
Effectum tribuat semper habere Deus.
Hoc construxit opus lector quod cernis honestum
Bernowinus ovans, ductus amore Dei :
Illius necnon magni pro patris amore,
Corpore qui sanctæ pausat in arce domus.
Io qua multa Deus jam jam miracula mitis
Sæpius ostendit, illius ob meritum.
Si veniet quisquis fidei de munere dives,
Quod petit invenit, quod cupit ecce tenet.
Vos fratres, veniæ petitores, obsecro vobis
Poscite factori dona superna domus.
Hæc tibi constitui Illidi magne sacerdos,
Quæ nitet hic Domini ... clara domus.
Bernowinus ego, sanctorum parvus amator,
Qui tibi præcipue, vota precesque fero :
Te rogo supplicitet pro me prece posce Tonantem,
Ut purget venia crimina cuncta mea.
Et Carolo Augusto, cujus pietate fovemur,
Præbeat ætherei præmia larga soli.

Ejusdem alii versus.

Qui cupiat rerum studiosus forte viator
Auctorem scire carminis, aut operis;
Cum redit, quæso, modicum subsistat eundo,
Et legat hunc titulum, qui sibi cuncta refert.
Bernowinus ego nam dicor humillimus epus
Culmina quæ feci, carmina quæ cecini.
Qui veniet veniam scelerum deposcere fletu,
Transeat has portas, ad loca sancta situs,
Corpore Illidius celsa qui pausat in aula
Eximius meritis & pietate potens.
Illic inveniet solatia certa salutis,
Et quam cum lacrymis poscet, habet veniam.

Ejusdem epitaphium.

Hæc qui sacra petis venerandi culmina templi,
Eximios cultos quæ pietatis habent;
Hoc relegas carmen nostri miserabile casus,
Ultima quem vitæ contulit hora mihi.
Dives eram quondam, lato famosus in orbe,
Principibus multo carus amore piis.

Gloria me rerum mage referebat opima,
Sed regum solita pluris amicitia.
Propterea populi largo venetabar honore,
Muneribus nimiis atque favore precis.
Sed subita ereptus tanto de culmine sorte,
Augusti requies me tenet ista loci.
Hæc tibi dant nostræ, lector, exempla figuræ
Totius hoc vitæ quo gradiaris iter:
Quo nec divitias, nec turpia lucra sequaris,
Nec periturus eas cæca talenta petens.
Quæ dum servantur tenebris immersa profundis,
In baratrum mittunt antra sacrata suos.
Quid delicatis prodest assuescere mensis?
Quidve laborata purpura ab arte tibi?
Nam datur infelix corpus, cui tanta parantur
Adfore mox pulvis vermibus esca simul.
Sed jam posco vicem reddas mihi carminis hujus,
Atque illius die tu miserere Deus.
Hunc concede mihi quisquis succedis honorem,
Nostro deposui qui mea membra loco.
Quem peto nulla manus violet, dum dicat ab alto
Omnipotens: Surge, jam tuba nostra jubet.
Vita, salus, requies, spes, gloria, gratia, virtus,
Da veniam famulo tu mihi, Christe, tuo. &c.
Bernowino des pius alme micantia regna,
Natis qui mitris hominum per lumina lumen,
Gratis concedis cui grandi mole subacto. &c.
Sic pro te tuisque cunctis redde vota Domino,
Et suorum memorare subplico,
Aulam istam quā fundavit triumphante Carolo.
Qui cupit domum ingredi, bonisque vult perfrui,
Dicat vadens oro supplex, Pax huic sit domui,
Quam jussit servare Christus, ejusque discipuli.
His peractis exeuntes supplex posco, dicite,
Miserere Bernowino, rex, Deus altissime,
Construxt qui domum istam ornavitque carmine.
Hac in domo fulget alma Christi crux mirabilis,
In qua salus, lux, & vita, victor ineffabilis
Pendens plebem liberavit hostis ab insidiis.

Habentur ejusdem Bernowini episcopi versus ad Crucem. Item versus in calice & patena, qui sic habent:

Bernowinus humilis sua reddit vota Tonanti.
Hoc corpus humilis .... præstat vita beata.

XXXIX.

De honoribus, quos adquisivit cœnobio Gellonensi S. Willelmus princeps totius Galliæ.

Ad lib. 28. num. 6. Ex Chartario Gellonensi.

HAnc omnem honorem adquisivit S. Willelmus princeps totius Galliæ finibus a dominis & piissimis Karolo & Ludovico imperatoribus, sibi ipsi principes concedentes ex fiscibus & omnibus in monasterio Gellonensi Deo militantibus, ecclesiam scilicet sancti Paragorii cum omnia quæ ad ipsam pertinent, Miliciacum videlicet & Campaniacum; Sedratis * cum ipsius loci ecclesiam sancti Saturnini. Hic ipse aliam villam, quam vocant Magarania, cum ecclesia sancti Felicis. Et in alio loco cellam, quam vocant Creixellam *, & ecclesiam sancti Genesii * Ledenis cum ipso fisco; aliam villam, quam vocant Brunaute *. alium villare, quem dicunt Stagnole *. alium quem vocant cellam; hic ipse alium villare, quem vocant Os. alium villare, quem vocant Agre * cum ipso bosco. alium villarem, quem vocant Graixamarias *. hic ipse alium villarem, quem vocant Exita *. aliam villam, quem vocant Faxatis *. alium villarem, quem vocant Castrias *, cum ecclesiam sancti Martini, & quantum ad ipsam ecclesiam pertinet. alios villares duos, unum Tuda & alium Tudera. alium villarem, quem vocant Balmam *. aliam villam, quam vocant Reyis *, cum ipsam ecclesiam sancti Martini. aliam villam, quam vocant Pauchiaco. alium villare Calmidios. In villa Ulmes mansum unum. In villa Variatis mansum unum; in villa Calvates mansos duos; in villa Montilios mansos duos; in villa Launates * mansum unum; in villa Millario mansos duos; in villa Isiates mansum unum; in villa Cuguciaco * mansum unum; in fisco Gabriaco * mansos quinque; in villa Calmes mansum unum; in villa Feviles mansos duos; in villa Rohas ecclesiam sancti Andreæ cum omnia quæ ad ipsam pertinent. in villa Maderi * mansos tres cum uno molino optimo, & ad ipsas vineas retro Calmes. in Thomariolas vineas duas modiatas & campestres; in monte Nigro mansos quinque cum toto vineario, quem vocant oliveto; in villa Siniciacho mansos septem; in villa Bajas mansos tres; in villa Sorbes mansum unum; in sano Willemo mansum unum; in Anaja mansos quatuor; in Lavania * mansum unum, & in alia Lavania mansos duos; in villa Anglares mansum unum; in villa Pruliano mansos duos; in villa Anthora mansum unum. Hunc alodem superius resonatum adquisivit domnus Willelmus Karolo & Ludovico imperatoribus, & est originale ex parte, & ex parte imperiale, & ex parte dimiserunt homines pro remedio animarum suarum. Et ego Juliofredus abba, consanguineus Karoli imperatoris, feci hanc cartam seu hoc testamentum scribere Ingilbodo presbytero meo pro memoria, ut si defecisset vita, non defecisset paginula.

S. Paragoire. — * *Seyras.* — *Creyssels en Rouergue.* — * *S. Geniez de Lenx.* — * *Brunaut.* — * *Estagnolle.* — * *Agré.* — * *Graixamaire.* — * *L'Exite.* — * *Feyssal.* — * *Castries.* — * *La Balme.* — * *Reys.* — * *Launas.* — * *Cussy en Rouergue.* — * *Gabriach.* — * *Madieres.* — * *Lavaigne.*

XL.

Divisio bonorum, quam fecit Braidingus Benedicto abbati de monasterio Aniano.

Ad lib. 28. n. 13. Ex authentico Anianensi.

VEnerabili in Christo patri Benedicto abbati de monasterio Aniano, qui est constructus in pago Magdalonense super fluvio Aniano, in honore sanctæ Mariæ & sancti Salvatoris vel reliquorum sanctorum. Ego in Dei nomine Braidingus, recogitans fragilitatem humanæ carnis, quia dum quis vivit

in sæculo, de futuro semper debet tractare, ut cum ad suum venerit transitum, portæ ei aperiantur justitiæ; & dum mortem quis evadere non potest, sed iter quo cuncti gradiuntur, exsequitur. Et quia pro bonis operibus pius Dominus fructum purgare non dedignatur quemlibet a sordibus peccatorum; unde mihi in hoc sæculo ipse largire jussit, vota mea persolvo, & pro abluendis meis peccatis, vel de parentes meos, qui defuncti sunt, id est Theobrando genitore meo, & Adiasiane genitrice mea, & germano meo Folchoteo, & uxore mea Rotrude, pro nobis omnibus supra nominatis, dono ad præfato abbate vel præfato monasterio, necnon & monachis ibidem sub regula viventibus vel Deo servientibus, præsentibus & futuris, dono, donatumque esse volo in perpetuum pro bona ecclesiæ retributione, hoc est res infra civitate Nemauso, id est mansum seniore, ubi ipse commanere videor, cum reliquis mansis ad ipsum mansum aspicientibus, cum ædificiis & arboribus superpositis, cum perviis & wadris, campis, terris arabilibus, aquis, aquarumve decursibus, hortis & vineis & mostalibus, omnia & omnibus, totum & ab integro seu .... in exquisitione, quod mihi ex comparatione obvenit, vel donatum fuit; cum omnibus appendiciis vel adjacentiis suis, quidquid infra muros ipsius civitatis visus sum habere vel possidere, excepto quod Aldesidæ & Desideratæ filiæ Antioci reddidi. Cetera omnia ad præfatum abbatem dono atque transfirmo; & in suburbio ipsius civitatis, hoc est in loca nuncupante Rutiliano & Arcuelles, omnia quidquid in ipsa loca comparavi, vel mihi donatum fuit, hoc est in ædificiis, curtis, oglatis, arboribus pomiferis & inpomiferis, aquis, aquarumve eductibus vel decursibus; terris & vineis, cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, garricis, farinariis, concidis, communiis, mostalibus, omnia & ex omnibus, totum & ab integro rem quod ego in præfata loca habeo, dono ad supradicto abbate vel præfato monasterio. Et in villa Armacianicus, quæ sita est io Littoraria infra pago Nemausense, res quod ego Rotrudi uxori meæ per articulum donationis tradidi, aut quas ipsa mecum semel io conjugio posita conquisivit, & ipsa mihi ipsas scripturas pro suo guadio coram bonis hominibus tradidit atque injunxit, ut ego in eleemosyna ipsius ad præfatum abbatem vel monasterio traderem atque consignarem, vel cartulam donatioois facerem, sicut & feci; & dono in jam dicta villa Armacianicus mansum seniore, ubi nos ipsi commanere videbamur, cum reliquis mansis ad ipsum mansum aspicientibus cum curtis & hortis, oglatis & aga & regressa, terris & vineis, pratis, pascuis, silvis, garricis, arboribus pomiferis & iopomiferis, aquis aquarumve eductibus atque decursibus, eorum terras cultas & incultas, omnia & ex omnibus, sicut a nobis habitum vel possessum fuit, excepto quod aliquibus pauperibus, qui mihi vindiderant, per eleemosynam reddidi. Et in villa Teliano, quidquid iofra terminum ipsius villæ visi sumus habere, excepto odatos, exaga & regressa eorum, quod reddidi similiter. Et in villa Noceto, quidquid visus sum habere ibi. Et in villa Novicius similiter. Et in villa Malas-pelles vel ad termioum ipsius villæ, quidquid visus sum habere. Et in villa Novicianicus domos cum curtis, bortos, odatos, exaga & regressa eorum, terras, vineas cultas & incultas, arboribus pomiferis & inpomiferis, pratis, pascuis, silvis, garricis, aquis aquarumve eductibus, sicut a me habitum vel possessum fuit. Et ad superna Arenaria terras cultas & incultas, silvis, pascuis & pratis, aquis aquarumve decursibus, vel quidquid in ipso loco visus sum habere vel possidere, excepto quod monasterio sancti Petri Psalmodiensi dedi. Similiter & villa Pauliaco, ubi vocaot ad sum ... Campanera, ipsa villa ab omni integritate mansum seniore, cum reliquis mansis ad ipsum mansum aspicientibus, curtes, exagæ & regressæ, terras & vineas cultas & incultas, ortos, oglatis, arboribus pomiferis & iopomiferis, pratis, pascuis, silvis, garricis, aquis aquarumve eductibus, una cum mulinare, qui est in ipso rio* Ponderæ, & est infra terminum de villa Silvinianicus. Similiter & in villa Silvinianicus omnia & ex omnibus, quibus visus sum habere vel possidere. Et in villa Calvanianicus similiter domos, curtes, oglatos, ortos, exaga & regressa eorum, terras & vineas cultas & incultas, pratis, pascuis, silvis, garricis, aquis aquarumve eductibus atque decursibus, cum omni adjacentia loci ipsius, quidquid ibi visus sum habere. Et in pago Ucetico, in valle Cathonico, in villa Combates, quidquid ibi visus sum habere. similiter in pago Ucetico in valle Mediogongo, villa ouncupante Octubriaco, id est mansum seniore, ubi ego ipse commanere videor, cum reliquis mansis ad ipsum mansum aspicientibus, cum ædificiis & arboribus, terris vineis, pratis, pascuis, silvis, garricis, arboribus pomiferis & inpomiferis, aquis aquarumve decursibus cum omni adjacentia sua, sicut a me habitum vel possessum fuit. Et in pago Macdalonense, in villa Marcilianicus*, omnia quidquid ibi visus sum habere vel possidere. Et io pago Gavaldanense, in valle Aamisca super ripam ipsius fluminis, hoc est in villa quæ dicitur Villaris, sive Bitnisco & Colades, necnon & in alio loco medietatem de villa, quæ dicitur Viladis, quæ est io pago Ucetico juxta Bosera. Et in alio loco in ipso pago medietatem de villa, quæ dicitur Sulphorarias. ipsas quoque villas, ut supra scriptæ suot & in hac cartula donationis meæ cootinentur, dono, atque de præsente trado, tam in domibus quam in ædificiis, in curtis, in hortis, ogladis, exega & regressa, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, garricis, cum arboribus pomiferis & inpomiferis, cum molinis & molendinis, aquis aquarumve eductibus vel decursibus, cum omnibus adjacentiis eorum vel rebus inexquisitis, omnia & ex omnibus, sicut a me ipsæ res suprascriptæ habitæ vel possessæ fuerunt, excepto quod reddidi seu perdonavi. Cetera omnia, sicut jam dixi, a parte prædicti monasterii sive rectoribus ipsius, præsentibus & futuris, dono

* l. rivo.

* Marcsillan.

trado atque transfundo, in ea ratione, ut quidquid post hunc diem exinde facere aut judicare voluerint, liberam & firmissimam in omnibus habeaut potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse, aut alius quis de heredibus meis vel proheredibus, seu quilibet ulla extranea, supposita vel commissa persona, quæ contra hanc donationem meam, quod ego prompto animo vel plenissima voluntate fieri rogavi, venire aut agere tentaverit, si ille sine gravi peccato cogitet, si forsan possit nostra totorumque peccata portare. Nam si ille jam peccavit, puto se multum gravare vult, suos & nostros sustinere velle, & tantorum peccatorum rationem reddere, quia nos Deo adjuvante per istum donationem speramus nos aliquid de nostra minuere peccata. Insuper qui hoc agere temptaverit, insetat cum distringente fisco argenti pondera v. aurique libram unam coactus exsolvat, & quæ repetit vindicare non valeat; sed præsens donatio a me facta omni tempore firma & inviolabilis permaneat, stipulatione subnixa. Facta sollemniter donatione sub die VII. idus Januarias, anno XLV. regnante gloriosissimo domino Karolo imperatore benigne gubernante Romanum imperium. Sig. † Braidingo, qui hanc scripturam donationis fieri volui & scribi rogavi, & manu mea signum feci, & testes roborare rogavi. Sig. Primus rogitus subs. Chidemirus rogitus subs. Benicus rogitus subs. Erlomon rogitus subs. Richelmus rogitus subs. Seneardus rogitus subs. Contimirus rogitus subs. Julianus rogitus subs. Wisinergus ac si indignus diaconus, qui hanc cartam donationis a supra scripto rogitus scripsi & subs. sub die & anno quo supra.

XLI.

Claudii Taurinensis Præfatio commentarii in Matthæum.

Ad lib. 18. n. 33. *Ex ms. codice ecclesiæ Laudun.*

DOmino sancto ac beatissimo cum peculiari cultu & affectu & specialiter excolendo patri Justo abbati Claudius peccator. Anno DCCCXV. incarnationis salvatoris Jesu-Christi Domini nostri, postquam pius ac mitissimus princeps sanctæ Dei ecclesiæ catholicæ filius HLudowicus anno secundo imperii sui, cælesti fultus auxilio adversus barbaras nationes movisset exercitum, teque abeunte, & discedente tuâ paternitate ex palatio jam dicti principis ad tutum dilectumque, ubi semper, tui monasterii portum; injunxisti mihi, ut aliquod dignum memoria opusculum in expositione evangelii ad legendum dirigerem fratribus monasterii vestri. Atque utinam tanta esset facultas, quanta obediendi voluntas ad id quod vis. Scias me continuo studii mei dirigere voluntatem, & evangelium secundum Matthæum ex opusculis sanctorum patrum, licet nonnullorum quam difficile sit nancisci opera, ut valui inquirere & explanare conatus sum exercitationibus doctrinæ & virorum, qui nos in studio adjuvarunt, qui ut scientiâ, ita tempore præcesserunt, scilicet Origenis, Hilarii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Ruffini, Johannis Chrysostomi, Leonis, Maximi, Gregorii & Bedæ. Sed sicut nostri capitis super omnia membra, lingua plus membris omnibus sonat: etiam ad sacro-sanctum evangelium in hos omnes excellentius tonat beatissimus Augustinus. Multis etiam in locis, ubi defuit sensus vel verba, hoc utcumque valuit, explere studuit mea paupertas. Te enim jubente, scio quod meum apud multos periclitabitur, qui secundum carnem tantum, & non etiam spiritum noverunt judicium judicare, quasi aliquâ temeritate aut suggillatione ac reprehensione majorem hoc ego aggredi visus fuerim opus. Legat, quisquis ille est, apologeticum beati Hieronymi presbyteri, qui in præfationem expositionis hujus Matthæi scripsit cuidam, Eusebio nomine, in quarto. Satis miror, Eusebi dilectissime, cur Romam navigaturus, hanc tibi a me quasi ἐφοδίαν dari volueris, ut Matthæum breviter exponens, verbis stringerem, sensibus dilatarem. Si meminisses responsionis meæ, numquam in paucis diebus rem annorum peteres. Spopondit que illi hoc postmodum expositurum, quod quidem nequaquam faceret, si non multa pœna non esset impendenda. Idem vir se scire dixit alios ipsius evangelii latinos expositores, Hilarium & Fortunatum, & juxta historiæ ordinem, omnes sensus physicos, allegoricos atque ethicos enumerat diligenter ad purum & necessarios lepores. Utrum ego otiose an devote, superflue an necessarie, in hoc opere laboraverim, & sit aliquis fructus laboris mei, audiat salva caritate responsum: Cui non placet, expliciat. Obsecro etiam paternitatem tuam, & cunctorum fratrum erga me benevolentiam & caritatem, ut non vos terreat prolixa expositio & voluminis magnitudo, quia re vera sanctum Evangelium, quod regno cælorum simile a Salvatore nostro perhibetur, non potest paucis enuntiari verbis vel sensibus explicari: quia & congruum fuit, ut sacra Salvatoris nostri dicta ceteris scripturis sicut meritis, ita & specie discernerentur, ne illa cælestium arcanorum dignitas passim atque indiscrete cunctis paterent, sanctumque canibus & margarita porcis exponerentur. Et ideo ab ipso Salvatore nostro procuratum est, ut illa suorum castitas eloquiorum promiscuis cunctorum oculis abdita, suo quasi quodam volumine prudentia contegeretur; ac divina optimaque dispensatione provisum est, ut scriptura ipsa evangelica Domini nostri ita tegeretur cælestibus obumbrata mysteriis, sicut secreto suo ipsa divinitus operiebatur: quod ex subjectis plenius manifestatur exemplis. Quod vero quædam minus ordinata quam decet in hoc codice multa reperiuntur; non omnia tribuas imperitiæ: sed quædam propter paupertatem, quædam ignosce propter corporis infirmitatem & meorum oculorum imbecillitatem: quia non fuerunt in tabellis excepta vel schedulis digesta; sed ut a me inveniri vel differi potuerunt, ita in hoc adfixa codice sunt. Date itaque veniam imprudentiæ meæ, quam extorsistis: qui ut auribus vestris verbosus existerem, dignatio vestra

me

me coëgit : confidens quod voluminis prolixitas, si displicuerit affatu, placet affectu, cum intellexeritis eum non pro eloquenti sermone, sed pro vestro amore digestum : simulque quia sciebam almitatem vestram in amicitiis meis plus reprehendere taciturnitatis verecundiam, quam loquacem familiaritatis audaciam. Legite si vultis, atque transscribite. Obsecro etiam ut postquam vobis bene cognitus fuerit, fratribus nostris, quibus adhuc incognitus est, remittatur. Denique ego præsentiam vestram intra mentis meæ arcana possideo, & effigiem vestram in speculo mei cordis intueor, quam illic caritas vestra perfecta depinxit, ut nulla ætatis possit oblivione deleri, quæ jugi recordatione momentis singulis innovatur. Illic enim vobiscum ex consuetudine pietatis vestræ secretius colloquor; illic etiam de vitæ melioris conversatione pertracto; illic vos labiis mentis exosculor, & manibus cordis amplector. quo fit, ut vera dilectio quæ in visceribus meis viva vultus vestri figuratione nutritur, & igniculo caritatis accenditur, amoris vestri mihi vicissitudinem repromittat, & animus meus inhians, ut juri fide-jussor assistat, dum quantum mihi de vobis præsumere debeam, conscium mutuæ dilectionis pectus interrogo. Et ideo specialiter deposco tam vos, quam omnes etiam cælestium præceptorum factores & divinorum eloquiorum sectatores, ad quoscumquè sive per hoc : sive per aliud quodcumque opusculum notitia nominis mei pervenerit, intercessionem peccatorum meorum supplex ab omnibus exquiro, subnixa prece deposcens, ut id a misericordissimo Domino nostro assiduis petitionibus flagitetis : ut omnibus delictis meis atque peccatis omnibus, opitulantibus vobis consuetudinaria clementia & copiosa bonitate deletis, & si non ad idem præmium, saltem ad eumdem nos portum quietis jubeat pervenire : ut quamvis hic propter spatiamenta terrarum oculis corporis sæpius nos videre non possimus, ibidem de mutua præsentia gaudeamus : & quando vobis a justo Judice retribuetur corona meritorum, mihi a piissimo Redemptore & advocato perfectissimo commissorum venia non negetur : & ideo per ineffabilem misericordiam ac virtutis operationem nobis præstare dignetur, ut quos hic veritate fidei conjungit, illic habitatio non separet : concedatque divina miseratio, ut paternitatem tuam per multos annos exterioris vigorem & alacritatem integræ sanitatis indulgeat: quia tunc vere reparatum esse me sentio, si de sospitate vestra semper optata cognovero. Filios vestros, fratres meos, & salutans veneror, & venerans saluto. Memento mei, vir Dei.

XLII.

Diploma Ludovici augusti pro monasterio Fossatensi.

Ad lib. 28. n. 39. *Ex authentico Fossatensi.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi Hludowicus divina ordinante providentia imperator augustus. Cum petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non diffidimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia Bego fidelis noster retulit serenitati nostræ, qualiter quoddam cœnobiolum in pago Parisiaco, in loco qui dicitur Fossatus, in bonore beatorum apostolorum Petri & Pauli, vel sanctæ Mariæ semper virginis constructum, situm super fluvium Maternam, ubi olim monachi sub sancta Regula deguerunt, pæne destructum inveniens, ob emolumentum animæ suæ eumdem locum adsumpto labore restaurare, & ad pristinum statum revocare curavit. Sed his peractis veniens ante præsentiam nostram commendavit nobis idem monasterium, cum abbate, nomine Benedicto, una cum monachis eidem abbati ad regendum commissis, obsecrans, ut deinceps sub nostra defensione, & immunitatis tuitione, quemadmodum ceteros abbates monachorum per imperium a nobis divinitus concesso * consistunt, ita & illum una cum monasterio vel monachis, & rebus vel hominibus eidem monasterio juste subjectis consistere faceremus. Cujus petitioni, quia rationabilem, immo Deo amabilem esse cognovimus, libenter suscepimus, & per hos nostros imperiales apices, sicut petiit, ita & concessimus. Proinde volumus ut prædictus abba & monachi in prædicto monasterio degentes, cum rebus quas nunc habere noscuntur, vel deinceps juste adquirere poterunt, sub nostra defensione & immunitatis tuitione persistant. Et jubemus atque modis omnibus decernimus, ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones prædicti monasterii, quas moderno tempore juste & rationabiliter possidere videtur in quibuslibet pagis & territoriis, quicquid ibidem propter divinum amorem conlatum fuit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri. ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, nec homines ipsius monasterii tam ingenuos quam & servos, [qui] super terram ipsius residere videntur, injuste distringendos, nec ullas petitiones aut inlicitas occasiones requirendas, ullo umquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat : & quicquid de rebus præfati monasterii fiscus sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione prædicto monasterio concedimus, ut perennis temporibus in alimonia pauperum & stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quandoquidem divina vocatione, supradictus abba, vel successores ejus de hac luce migraverint; quamdiu ipsi monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant; per hanc nostram auctoritatem & consensum licentiam habeant eligendi abbates : quatenus ipsos servos Dei, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis & conjuge, proleque nostra atque stabilitate totius imperii

* concessum.

nostri a Deo nobis concessi atque conservandi jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inconvulsa manere, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. Signum HLudowici piissimi imperatoris. Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi & subs. Data XII. kal. Julias, anno Christo propitio imperii domni Hludowici piissimi augusti III. indictione VIIII. Actum aquisgrano palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.

XLIII.

Precaria Bertfredi abbatis Melundensis.

Ad lib. 28. n. 74. *Ex schedis D. Joh. Elie.*

IN Christi nomine Bertfredus abba, qui Melundus monasterium in regimine habere videtur, & cuncta congregatio monachorum, qui ibidem officium Deo fungere videntur. Dum multis non habetur incognitum, qualiter ego Barnuinus & Wulfinus res nostras, quæ sunt in pago Tornetrinse *, in fine Saviniacense, in villa Cainaco *, condonavimus ad monasterium Melundense sancti Petri, ancinias scilicet duas de vinea, & quatuor arabiles. Propterea nostra fuit petitio, & Bertfredi abbatis & fratrum voluntas, ut easdem res nobis ad usum beneficii præstare deberetis. quod & ita fecistis, ea scilicet ratione, ut annis singulis festivitate sancti Petri æstivatica deneratas de cera duas vobis ad usum habere debeamus; & si de ipso censu negligentes apparuerimus duplum componamus, & nihilo minus precaria ista firma omni tempore vitæ nostræ permaneat; & ita stabilis, ac si de quinquennio in quinquennium renovata sit. Actum Melundus monasterio publice. Ego Bertfredus abba hanc precariam a me factam relegi, & Christi nomine roboravi. Godefridus monachus & sacerdos subscripsi. Adalbertus monachus & sacerdos subs. Ostremar monachus & sacerdos subs. Wlmarus monachus & sacerdos subs. Aldierius monachus & presbyter subs. Epplenus monachus & presbyter subs. Aclalelus sacerdos subs. Fulcradus monachus subs. Norgaudus presbyter subscr. Gislerius levita monachus subs. Hero monachus subs. Jonas monachus levita subs. Raculfus monachus subs. Wicardus monachus subs. Avo monachus subs. Hicelinus monachus subs. Av....tus presbyter subs. Bernardus monachus subs. Hontadus monachus subs. Ego Eutherius monachus & sacerdos hanc precariam scripsi & subscripsi. Data mense Octobri, anno II. regni domini Hludovici regis.

* de Tonnerre.

* Chenay.

XLIV.

Ludovici Pii præceptum de revocandis servis fugitivis monasterii Farfensis.

Ad lib. 29. n. 5. *Ex arch. Farf.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri J. C. Ludovicus divina ordinante providentia imperator augustus, omnibus episcopis, abbatibus, abbatissis, ducibus, comitibus, judicibus, gastaldiis, vassis nostris, vicariis, actionariis, centenariis, vel reliquis fidelibus, seu missis nostris ubique discurrentibus. Cognoscatis quia Ingoaldus venerabilis abbas ex monasterio sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ, Sabinensi in loco qui vocatur Acutianus, clementiæ regni nostri innotuit, eo quod monachi, vel secundum regulam S. Benedicti offerti sanctæ Mariæ, quos ipse ordinaliter prævidere debet, fuga lapsi, per episcopia & cetera monasteria, sive per diversa loca aliquoties appareant, & retulit quod nullo modo recipere valeat, sed injuste a quibuslibet hominibus ei aut missis suis contradicti fiant. Unde petiit celsitudini nostræ, ut ubicumque eos invenire potuerit, tam ipse quam & missi sui atque ejus successores, ut a nemine contradicti fiant, sed licentiam habeant eos, ubicumque inventi fuerint, præsentialiter recipere absque alicujus dilatione vel contrarietate. Propterea hanc auctoritatem eis fieri jussimus, per quam omnino jubemus, ut nullus quislibet ex vobis præfato abbati ejusque successoribus atque missis eorum, ut de suis, ut diximus, monachis, vel secundum æquitatis regulam offertis fugitivis, nullum impedimentum vel contradictionem facere præsumatis: sed ubicumque inventi fuerint, de præsenti regulariter hujusmodi recipiantur; & qui aliter agere voluerit, sciat se in præsentia nostra pro hac re in rationes advenire, & has litteras relectas eis reddere faciatis. Et ut certius credatis hanc nostram esse jussionem, de anulo nostro subtus sigillati jussimus. Data IIII. kal. Maii, anno Christo propitio imperii domini Ludovici piissimi augusti VII. indict. XIII. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter.

XLV.

Placitum pro eodem monasterio.

Ad lib. 29 n. 5. *Ex chartario Farfensi.*

DUm a pietate domini præcellentissimi & a Deo conservati Ludovici magni imperatoris a finibus Spoletanis directi fuissemus, nos Aledrannus comes & Adelardus seu Leo vassi & missi ipsius augusti, ad singulorum hominum causas audiendas & deliberandas, & conjunxissemus Nursiæ, residentibus nobis ibidem in judicio una simul cum Guinigis & Gerardo ducibus, Sigoaldo, Magio, Hittone, & Luithardo episcopis, Ingoaldo & Guigperto abbatibus, vassis, castaldis, & aliis plurimis, retulit nobis ipse Ingoaldus abbas cum Audulfo advocato monasterii ejus sanctæ Mariæ, siti in Acutiano: Præterito anno quando fui in servitio domini imperatoris Franciæ, suggessi ejus excellentiæ, eo quod quidam homo, nomine Paulus, cum conjuge sua Tassila se obtulit in monasterio nostro sanctæ Mariæ, cum rebus suis, & habuit per præceptum Hildeprandi ducis concessas res in finibus Spoletanis, & vivente ipso Paulo & post ejus mortem ipsas res pars monasterii nostri habuit usque illam diem, qua iste Guinigis ipsas res a parte ipsius monasterii tollere fecit injuste per

Hildericum castaldum suum de Reate. Tunc præcepit ipse princeps Rothardo & Nottperto episcopis seu isti Leoni, ut causam ipsam inquirerent, & legibus judicarent. Et cum conjunxissent Spoleto, cœpit querere iste Audulfus meus advocatus, quod iste Guinigis injuste ipsas res ad regiam partem invasisset. Tunc dixit iste Guinigis, quod per ipsi præcepta, quæ Hildeprandus in eumdem Paulum de ipsis fecerat rebus, habere non potestis. Iterum ostendimus præceptum confirmationis domini Ludovici, qualiter ipse pro sua eleemosyna in ipso monasterio concesserat tam præcepta regalia seu ducum, quæ ipsis hominibus, qui in ipso monasterio ad salvandas animas intraverunt, facta sunt. Et cum ipse Guinigis hoc vidisset, dixit quod nihil Paulus de suis rebus potestatem habuisset dandi, & quod forfactus de omnibus suis esset rebus, eo quod quando in hostem in Beneventum ambulare debuit, quando dominus imperator cum germano suo domino Pipino illic fuit, sine comitatu a Fauro reversus est, & testimonia exinde ramivit, & talia dare non potuit, qualia ramita habuit, & qualia exinde dedit in præsentia Rothardi & Nortperti episcoporum, seu istius Leonis nullum proficuum ei testificati sunt. Unde quærimus ut nobis justitiam fieri jubeatis, sicut tibi Leoni dominus imperator in verbis commendavit, & ecce indiculum domini imperatoris vobis exinde directum. Et cum illud nobis relegi fecissemus, continebatur in eo, qualiter jusserit ipse princeps suprascriptis Aledranno & Leoni, ut sine mariotione ei de omni causa, quam cum Guinigis habebamus, & mota fuerat vel inquisita in præsentia suprascriptorum Rothardi & Nortperti episcoporum, vel aliorum hominum, plenam justitiam facere jussissemus, ut ad ejus aures amplius ei exinde non fuisset opus inquietare. Relecto hoc indiculo recordatus est ipse Leo, ut superius ipse Ingoaldus abbas & Audulfus asseruerant, & breve de illis testimoniis, quæ Guinigis exinde dedit relegi: & cum relectum fuisset, continebatur in eo, qualiter testificaverunt Reginardus homo Francicus, Hitto & Deodatus, quod quando dominus Ludovicus cum germano suo Pipino fuit in hoste in Benevento, tunc Paulus fuisset reversus a Fauro, & introisset in monasterium cum rebus suis; & si exinde cum comitatu aut sine comitatu reversus fuisset, nescirent, & quando ipsæ res ad regiam partem sublatæ fuissent, aut pro qua culpa, nescirent: & dixerunt quod plus exinde nescirent nec dicerent. Deinde fecimus nos missi relegi cartulam ipsam, qualiter Paulus cum ipsa conjuge sua suas res per nominata loca in ipso contulisset monasterio & tradidisset. Iterum & fecimus nobis relegi primum præceptum, quod Hildeprandus dux in eumdem Paulum emiserat, ubi continebatur qualiter donaverat ei casas tredecim, novem positas in massa Amiternina, & in massa Eiculana quatuor, & molioum unum subtus porta Reatina, & silvam de Felecto, & pratum in Lingla *, & in Amiterno pratum modiorum sex, & mancipium, nomine Dominica. Aliud præceptum ab ipso Hildeprando eidem Paulo emissum, qualiter concesserat ei casas duas in Amiterno. Tertium præceptum, qualiter donavit eidem Paulo in casalem unum ad Fossas, qui pertinet ad gualdum Patianum in massa Eiculana, & molinum unum in Amiterno cum molinario suo in Afeiano, istas suprascriptas casas cum integritate sua & familiis ad eas pertinentibus. Deinde fecimus relegi illud præceptum confirmationis domini Ludovici imperatoris, qualiter in ipso monasterio præcepta ducum confirmaverat, quæ illis hominibus emissa fuerant, qui in ipsum monasterium ad animas suas salvandas introierunt; & cum relecta fuissent, interrogavimus ipsum Guinigisum ducem, per qualem rationem res Pauli aut ejus conjugis ad regiam partem defendere vellet, aut forsitan haberet amplius exinde testes qualiter ipsas res defendere posset. qui dixit: Certe de istius confirmationis præcepto domini imperatoris antea nescivi, & testes amplius exinde non habeo nec invenire possum, & per nullam rationem ipsas res ad regiam partem tenere possum cum lege, nisi pro eo solummodo quod ipsas res ad regiam partem recolligere feci, sicut alias res aliorum hominum, quas per præcepta ducum habuerunt, & sicut commendatum mihi fuit a domino Carolo imperatore. Professione hac facta, juxta qualiter nobis indiculum a domino imperatore venerat, & juxta ipsa præcepta vel illius coofirmationis præceptum domini imperatoris, & secundum illam cartulam quam ipse Paulus cum conjuge sua in ipso fecerat monasterio, fecimus revestire exinde ab eodem Guinigiso duce prædictum Ingoaldum abbatem & Audulfum ejus advocatum de ipsis rebus prædicti Pauli & conjugis ejus, quas ad regiam partem tenebat, ad partem ipsius monasterii sanctæ Mariæ; & missos eis deputavimus Joseph & Sigefrid, seu Theodipertum castaldos, qui eos in ipsas res intromitterent; & finitum est. Unde qualiter actum & deliberatum est, præsentem ootitiam pro securitate partis ipsius monasterii fieri admonuimus. Et ego quidem Paulus notarios domini regis scripsi, anno imperii domini Ludovici VIII. mense Augusto, indict. XIV. feliciter. Signum † manu mea suprascripti Aledranni missi, qui interfui. Signum † manu mea ss. Adelardi missi, qui interfui. Leo missus domini imperatoris concordans subscripsi. † Ego Sicuardus episcopus interfui. † Ego Hitto episcopus interfui. † Ego Luithardus episcopus interfui. Ego Fromaldus subscripsi. † Ego Maximus interfui. Ego Accerisius castaldus interfui. Signum suprascripti Guithelmi Faliqui qui ibi fui. † Ego Immo ibi fui. † Ego Armifredus ibi fui. Signum Godeberti. † Ego Srasius ibi fui. † Ego Gudelprandus ibi fui. Ego Madelpertus ibi fui. † Ego Teudipertus. † Ego Lanfridus ibi fui.

* fic.

XLVI.

Diploma Ludovici Pii, quo confirmat Anianensi cœnobio villam Cinciani, quam Arnaldus comes eidem concesserat.

Ad lib. 29. n. 33. *Ex tabulario Anianensi.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri J. C. HLudovicus divina ordinante providentia imperator augustus. Omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, præsentibus scilicet & futuris, notum sit, quia Tructesindus venerabilis abba ex monasterio quod dicitur Aniana, in honore Dei & Salvatoris nostri J. C. necnon & sanctæ Mariæ constructum, nostræ mansuetudini suggessit, qualiter Arnaldus comes in pago Biterrense villam de Cinciano, & casale proprium ex comparatione & adquisitione adquisivit, & ipse Arnaldus per suum wadium domno Benedicto tradidit prædictas res præfati monasterii Anianensis, quo mortuo missi nostri partibus nostris prædictas res revocaverunt. Petiit itaque prædictus abba Benedictus clementiam nostram, ut ipsas res de jure nostro in ejusdem monasterii ditione perpetualiter ad obtinendum traderemus, quod ita & fecimus. Petiit itaque nos Tructesindus abba, ut nostrum præceptum super hoc negotio fieri juberemus, per quod nostris futurisque temporibus ipse & successores sui per eum securius & firmius eas possiderent, cujus petitioni assensum præbuimus, & hoc nostræ auctoritatis præceptum fieri decrevimus, per quod decernimus atque jubemus, ut quidquid rerum suarum prædictus Arnaldus ad præfatum monasterium Anianum prædonavit, firmum & inviolabile permaneat; ita videlicet ut quidquid de ipsis vel in ipsis rectores & ministri supra memorati monasterii disponere atque ordinare vel etiam facere pro utilitate ejusdem monasterii voluerint, absque ullius injusta contradictione ordinent atque disponant, & faciant quidquid utilitati prædicti monasterii congruere & convenire prospexerint. Et ut hæc auctoritatis nostræ præceptio firmior habeatur, & per futura tempora melius conservetur, anuli nostri impressione subter eam signari jussimus. Hirminmaris diaconus ad vicem Fridugisi abbatis recognovi. Data XVIIII. kalend. Septemb. anno Christo propitio VIII. imperii domni HLudovici piissimi augusti, indict. . . . . Actum Carbonaco villa palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.

XLVII.

Privilegium Ludovici Pii pro monasterio Gregoriano.

Ad lib. 29. n. 5. *Ex authentico Gregoriano.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi HLudovicus divina ordinante providentia imperator augustus. Si liberalitatis nostræ munere de beneficiis a Deo collatis nobis, locis Deo dicatis aliquid conferimus, id nobis & ad mortalem vitam feliciter transigendam, & ad æternam perpetualiter obtinendam profuturum liquido credimus. Idcirco notum sit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam & futurorum industriæ, quia vir venerabilis Gotafridus abba ex monasterio sancti Gregorii, quod alio nomine Confluens vocatur, postulavit nos, ut nos ob utilitatem & necessitatem fratrum ibidem Deo famulantium, partem quamdam de foreste nostra, contiguam ipso monasterio, quæ ad fiscum nostrum, nomine Columbarium *, aspicere vel pertinere videtur, in nostra elimosyna eidem monasterio concederemus. Cujus precibus pro mercedis nostræ augmento & reverentia illius sancti loci, nobis adquiescere libuit, & de præfata foreste nostra partem quamdam per loca denominata atque determinata eidem monasterio in nostra elimosyna ad necessitatem & utilitatem fratrum Deo inibi degentium concedere placuit; id est per locum, ubi *Bredembach* rivolus in Fachinam confluit, sursum usque ad locum, ubi ipse rivolus surgere incipit; deinde per semitam, quæ nominatur Isneida, usque ad montem, qui appellatur *Swarzimberg*; deinde per eumdem medium montem usque ad Lapidem-magnum, qui jacet ad radicem montis, & inde usque ad Fachinam; quantumcumque vero de prænominata foreste nostra infra dinumerata & determinata loca esse videtur, totum & ad integrum eidem monasterio in nostra elimosyna concedimus. Quapropter volumus atque jubemus, ut per hanc nostram auctoritatem, per loca superius denominata, tam nostris quam & futuris temporibus, prædictus Gotafridus abba, ejusque successores vel congregatio ipsius sancti loci, prænominatam partem silvæ de præscripta foreste nostra in nostra elimosyna concessam habeant, atque jure perpetuo in ditione ipsius monasterii consistat: ita dumtaxat, ut cum aliquid de ipsa vel in ipsa ob utilitatem & profectum ipsius monasterii facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. Et ut hæc nostræ auctoritatis donatio atque confirmatio firmior habeatur, & tam nostris quam successorum nostrorum temporibus inconvulsam atque inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. Signum HLudovici serenissimi imperatoris. Hirminmaris diaconus ad vicem Fridugisi recognovi. Data pridie idus Junii, anno Christo propitio X. imperii domni HLudovici piissimi augusti, indictione prima. Actum Franconowrti palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.

* *Colmar.*

XLVIII.

Præceptum Ludovici Pii & Lotharii pro S. Aniano.

Ad lib. 29. n. 77. *Ex archivo S. Aniani.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris Jesu-Christi HLudovicus & HLotarius divina ordinante providentia imperatores augusti. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, eique in eisdem locis famulantibus beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi

non diffidimus. Idcitco notum sit cunctis fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nosttis, præsentibus scilicet & fururis, qualiter Durandus abba in Septimania, in pago videlicet Narbonensi, in villa quæ dicitur Vernodubtus *, in proprio quod ei liberalitate munificentiæ nostræ contulimus, monasterium ex nostro opere in honore & veneratione beatissimi Aniani confessoris Christi, in loco qui dicitur Holatianus, inchoavit; monachos perplures congregavit; abbatem eis, nomine Woicam, præfecit, & per testamentum confirmationis suæ quasdam res & maneipia ibidem delegavit, necnon libros & ministeria ecclesiæ variamque supellectilem tribuit, & cum his omnibus eorum ac ceteris rebus denominatis per cartulam traditionis nobis ad proprium tradidit, situr in ipsa rraditione plenius constat esse gestum; simul nostram deposcens serenitatem, ut opus, quod ipse devotissime ad sanctam professionem observandam inchoaverat, Deoque voverat, & nobis perpetuo ad habendam tradiderat, per nostram providentiam atque auctotitatem ad hoc conservaretur, ut idem ordo eodem in loco pro nostra æterna memoria atque eleemosyna perpetualiter observaretur. Cujus donum gratanter suscipimus, & ejus petitioni libenter annuimus, atque per hanc nostram auctoriratem, sicut postulavit, concessimus atque confirmamus. Proinde notum esse volumus omnibus vobis, quod prædictum monasterium cum omnibus locis, villis, insulis, piscatoriis, vel iis quæ ad ipsum adspicere cernuntur, cum omnibus etiam finibus, terminis & adjacentiis eorum, cum maneipiis ac ceteris rebus, quemadmodum in chartula donationis, quam nobis contulit, plenius continentur, ideo ut sancta professio ibidem perpetualiter in nostra eleemosyna conservari queat, devotissime contulimus: ut omnia quæcumque præsenti tempore possidere videntur, vel ad eum adspicere dignoscitur, quod inantea divino instinctu aut a nobis aut a successoribus nostris, vel a quibusdam fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ illit collatum fuerit, totum in servorum Dei inibi Domino militantium necessitatibus consulendum, & pauperum curam gerendum, propter divinum amorem & honorem Deo miserante pro ablutione peccatorum nostrorum omni cedat tempore. Sed ut quietius ibidem viri Dei Domino famulari possint, & a malis hominibus res ejusdem cœnobii sicut alia vel nostræ proprietatis defendantur & tueri queant, hanc nostram imperialem auctoritatem hujus rei gratia fieri jussimus, ut omnes sub nostra etiam speciali defensione & immunitatis tuitione consistere non dubitent. Præcipientes ergo inhibemus, ut nullus judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate, aut quælibet majoris vel minoris ordinis persona, ad causas judiciario more audiendas in ecclesias aut loca vel villas seu reliquas possessiones, quas in quibusdam pagis ae territotiis prædictis tenet vel possidet monasterium, aliasque, quas deinceps in jus ipsius sancti loci divina pietas augeri voluerit, ingredi præsumat, nec fieri tributa vel paratas seu mansiones accipere, sive teloneum exigere, aut fidejussores tollere, vel homines ipsiusœnobii, tam ingenuos quam servos, super terram ipsius commanentes distringere, nec ullas publicas fruitiones seu redhibitiones vel illicitas occasiones requirere aut exactare audeat: sed liceat memorato abbati, suisque successoribus res præfati monasterii cum omnibus sibi subjectit sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere; & quidquid in eo fiscus exinde exigere poterat aut sperare, tantum in fratrum stipendiis & in luminaribus ejusdem ecclesiæ consignandis atque pauperibus alendis, sicut dictum est, cedat. Constituimus etiam, ut quandocumque divina vocatione memoratus abbas vel successores ejus ab hac luce migraverint, licentiam habeant monachi ibidem consistentes, talem inter se per nostrum successorumque nostrorum consensum eligere abbatem, qui eis secundum regulam sancti Benedicti præesse & prodesse queat: quatenus servos Dei ibidem Domino famulantes, pro nobis proleque nostra ac stabilitate totius imperii nostri Domini misericordiam exorare delectet. Illud etiam per nostram auctoritatem concedimus & confirmamus, atque nostros successores rogamus, ut hoc monasterium sub sua speciali tuitione retineant, & neque ad episcopum, neque ad alıud monasterium ullo umquam tempore ab illis subjiciatur, aut in beneficium cuilibet tribuatur, sed solummodo in jure & tuitione illorum pro omnibus temporibus ad monasticum ordinem observandum persistat: sieque hoc nostrum donationis opus immobiliter conservent, sicut pacta sua a suis successoribus conservanda optaverint. Hæc vero auctoritas ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, manibus propriis subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. Signum HLudovici piissimi imperatoris. Signum HLotharii gloriosissimi augusti. Hirminmaris notarius ad vicem Fridugisi recognovi. Data kalend. Augusti, anno Christo propitio XIII. imperii domni HLudovici piissimi augusti, & HLotharii IV. indict. IIII. Actum Carisiaco palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.

*Vernassubre.

XLIX.

Ludovici & Lotharii imperatorum donatio facta Richodoni abbati Senoniensi.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, HLudowicus & HLotharius divina ordinante providentia imperatores augusti. Omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris, notum fieri volumus, quia concessimus cuidam fideli nostro Richodoni abbati in beneficium cellulam, quæ est constructa in honore Domini nostri Jesu-Christi in Vosago, in loco qui vocatur Aluwini-mons, super fluvium Prusia, quam jamdudum avunculus suus, Wicbodus nomine, episcopio Mettensi, quod est in honore sancti Stephani protomartyris constructum, per strumenta cartarum tradidit. Hanc

Ad lib. 29. n. 89. *Ex authentico.*

itaque cellulam cum omnibus juste ad se pertinentibus, totum & ad integrum prædicto fideli nostro Riebodoni abbati in beneficium per hanc nostræ auctoritatis largitionem concedimus, eo scilicet modo, ut omnibus diebus vitæ suæ absque ullius injusta contradictione illum quieto ordine teneat atque possideat: post obitum vero ejus cum omnibus ad se pertinentibus ad jus monasterii Senonicæ, quod & ad prædictum episcopium Mettensem pertinet, ad integrum modis omnibus revertatur. Et ut hæc nostræ auctoritatis largitio firmior habeatur, & per futura tempora verius credatur, & diligentius conservetur; manibus propriis subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. Signum HLudowici serenissimi imperatoris. Signum HLotharii gloriosissimi augusti. Hirminmaris notarius ad vicem Fridugisi recognovi & subs. Data xv. kal. Januarii, anno Christo propitio xi'i.* imperii domni HLudowici & domni HLotharii iiii. indictione iiii. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter.

* *sic authent. forte legendum* xiii.

L.

Dungali reclusi elogium.

Ad lib. 30. n. 3 *Ex cod. Bibl. Ottoboniana.*

Quisquis es hunc cernens titulum, dic pectore puro,
Sit requies illi, lector opime, precor.
Te precor omnipotens quadrati Conditor orbis,
Dungalus ut vigeat miles ubique tuus,
Atque suum jugiter defendas corpus in ævum,
Ne lupus incautus dilacerare queat.
Sidereum ut valeat rite comprehendere olympum,
Cum sanctis vitam participare queat.
Quærere divinum non cessat nocte dieque
Auxilium, ut possit vincere cuncta mala.
Divitias varias temnit mundi perituri,
A mundi curis libera corda vehit:
Atque regit propriam justo moderamine carnem,
Pro carnis vitio ne pereat anima:
Mortiferasque rogat mundi contemnere pompas,
Cælestis regni quærere lucra rogat,
In Domini meditans toto conamine lege,
Et servit Domino mens pia jure suo.
Discipulos proprios inlustrat lumine sacro,
Ceu posita in celso clara lucerna loco.
Scripturas premit casto de pectore sacras,
Edocet infirmos & validos pariter;
Lacte rigans pueros, & dat cupientibus escam,
Hinc lac ut capiant, inde cibum pariter.
Ceu pia mater alit natos cum mente benigna,
Escam grandævis, lac rudibus tribuens.
Plura quid enumerem sanctis virtutibus istis?
Dicere quas nequeo, scribere nec valeo.
Pectore si fluerent verba ceu flumina nostro,
Nec sic sufficerem digna referre tibi.
Sis sanus, vigeas, opto, per tempora longa,
Perpetuam requiem det tibi, posco, Deus,
Volvitur incertis mundus cum casibus iste,
Et genus humanum pessima mors perimit.
Cum venit extremum nil prosunt tempora longa,
De mortis nullus lege solutus adest.

LI.

Incipit opusculum Rabani Mauri contra eos, qui repugnant institutis B. P. Benedicti.

Ad lib. 30. n. 30 *Ex cod. Mellicensi in Austria.*

SI quis scripturam sacram, quam per homines probos divinitus inspiratos superna Sapientia humano generi contulerat, inspexerit; non aliud eam quam destructionem infidelitatis atque cupiditatis, & ædificationem fidei ac caritatis nobiscum agere reperiet: ut abrenuntiantes diabolo, & pompis atque operibus ejus, per fidem, spem, & caritatem, uni Deo Patri, & Filio, & Spiritui-sancto fideliter serviamus. Unde mirandi, immo miserandi sunt illi, qui hoc negligentes, quod in infantia professi sunt, & quod in primordio vitæ suæ abdicaverunt, quasi eminentioris ac majoris dignitatis sit, ei præponunt. Sunt ergo quidam, qui a cunabulis suis sacras litteras didicerunt, & sanctæ ecclesiæ nutrimento tamdiu aliti sunt, quousque satis educati in sublime sacrorum ordinum proveherentur. Sed ingrati tanto munere, contraria orthodoxorum patrum fidei sentiunt, ac matrem universorum fidelium telis iniquitatis suæ cottidie impugnant; cum hoc quasi probum fingunt, atque pro vero quibusque commendare satagunt, quod nec patriarchæ, neque prophetæ in veteri testamento umquam habuerunt, nec apostoli atque evangelistæ in novo fieri omnino consuerunt. Unde dementia eorum omnibus nota fiet, quando nec prioribus, nec sequentibus veris Dei cultoribus in ulla parte concordant.

Aiunt enim pompatice pravorum dogmatum impudentes artifices, quod non liceat parentibus filios parvulos ad Dei servitium tradere, nec convenire homini libero ingenuum filium servum facere, humanam legem Deo imponere, voluntates ac dominationem omnem humanis sanctionibus subjicere conantes. Nec recolunt id Apostoli, quo ait: *Sive servi, sive liberi, omnes unum sumus in Christo.* & idem: *Qui enim*, inquit, *liber vocatus est, servus est Christi.* &: *Qui servus vocatus est, libertus est Domini.* maxime cum & hoc pro magno honore sancti patres habuere, quod servi Dei nuncuparentur. Unde & Abraham, Isaac & Jacob servi Dei excelsi appellati sunt. Hinc & Moyses & prophetæ, hinc Job & David servorum Dei nomine nobiliter adnotati sunt: cum ipse Dominus ad satan ait: *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra?* & de David: *Inveni*, inquit, *David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.* Sed ad hæc forsitan isti novorum dogmatum institutores respondent, non se contradicere, quin omne genus humanum divinæ servituti obnoxium sit: sed non velle, quod ad monasticam disciplinam, & ad regularem ordinem sequen-

dum aliquis filium suum tradat. Quasi in eo immunes sint, quod non generi, sed speciei derogent, cum species ad genus referatur, nec genus sine specierum diversitate consistere possit. Quis umquam hæreticorum vel schismaticorum fuit, qui universam religionem christianam penitus abjiceret atque denegaret? hoc enim proprie infidelium est. sed quia veris falsa permiscebant, & regulam veritatis per omnia sequi nolebant, extorres facti sanctæ ecclesiæ, communione penitus privati sunt. Nam in evangelio Dominus ait: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Unde Jacobus apostolus ait: *Qui in uno offendit, factus est omnium reus.* Hinc & Paulus ait: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Hinc & Johannes dicit: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum; sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis.* Et item: *Omnis*, inquit, *qui non manet in doctrina Christi, Deum non habet, qui permanet in doctrina, hic Filium & Patrem habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. qui enim dicit Ave, communicat operibus illius malignis.* Ergo, quicumque religioni christianæ, & sanæ doctrinæ, quam ab apostolis & prophetis, necnon & ab ipso Domino susceptam honorabiliter sancta custodit ecclesia, ex aliqua parte ore blasphemo reprehensionem ingerit, seu diminutionem facit, sciat se Corporis Christi omnino unitate privatum esse, nec posse nisi per pænitentiam condignam erroris sui veniam, & cælestis regni aditum promereri; quia secundum Salvatoris sententiam, *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis, qui est in cælo.* Qui enim manet in unitatis compage, ad regnum simul ascendet cum capite; qui autem divortium amat, necesse est ut in ima inferni, atque in tartari profunda simul cum erroris auctore, ac dissensionis animatore diabolo mergatur: quia non est dissensionis Deus, sed pacis.

Sed quia negotium scribendi suscepimus adversus eos, qui dicunt, non licere parentibus liberis filios suos ingenuos Dei servitio mancipare: necnon & contra illos, qui parvi pendentes votum, quod Deo voverunt, servitium sanctum quod professi sunt, quasi sine reatu deserere possent, indigne abjiciunt; monasticam quoque disciplinam secundum sanctorum patrum regulas ordinatam, ceu humana inventione, & non divina auctoritate institutam, despicientes detestantur; primo sacrarum scripturarum testimoniis, & sanctorum patrum exemplis ostendemus, licere homini christiano suam sobolem Deo consecrare: demum votum quod Deo vovetur, sine magno reatu omitti omnino non posse; postremo vitam monasticam, non humana argumentatione, sed divina auctoritate institutam esse: ut hi qui in suis sectis magis confidunt, quam in divinorum librorum scriptis, saltem ipsa veritate superati pænitentiam agant, erroremque suum relinquentes, semetipsos decipere, aliosque secum ad perditionem trahere desistant.

Juxta primordium ergo libri Geneseos, ubi de Protoplasti primis filiis narrat scriptura sancta, ita subjungit, dicens: *Fuit autem Abel pastor ovium, & Cain agricola. Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino: Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ad Cain vero, & ad munera illius non respexit.* Ecce habes juxta inchoationem humani generis, statim Deo placere primogenitorum oblationem, de innocenti pectore atque pinguedine caritatis prolatam, magis quam ad inquisitionem terreni cultus, ubi ingenium callet humanum. Et ne forte dicas, hic brutorum animalium oblatione Dominum delectari; audi Apostolum dicentem: *Numquid de bobus cura est Deo?* an magis scripta sunt propter nos? Hinc Dominus per Psalmistam dicit: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, quoniam mea sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus & boves.* Et paulo post: *Immola*, ait, *Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Et item: *Sacrificium laudis*, inquit, *honorificabit me, & illic iter est, in quo ostendam illis salutare Dei.* Cum autem Caïn propter invidiam interficeret Abel, rursus Adam cognovit uxorem suam, quæ peperit ei filium, quem vocavit Seth, dicens: *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Sed & Seth natus est filius, quem vocavit Enos, de quo non frustra subsequitur scriptura dicens: *Iste cœpit invocare nomen Domini.* Sicut enim Abel filii Adam oblationem Deo placere approbavit, ita & nepotis ipsius, hoc est, Enos, devotionem in laudem Dei expressit, cum dicit: *Iste cœpit invocare nomen Domini.* Non enim ait, iste studiosus ac callens fuit in exercitio operis terreni: sed quo magis Dominum delectari novit, hoc pro magno laudis honore extulit, dicens: *Iste cœpit invocare nomen Domini.* Ille ergo rite invocat nomen Domini, qui devotum pectus, & oris officium, ac boni operis studium ad glorificandum Dominum coadunat. Iste merito cum Psalmista dicere potest: *In me sunt, Deus, vota, quæ reddam laudationes tibi.* Similiter quoque Enoch & Noë hoc in laudis titulo principatum habent, quod Dominum timerent & amarent, atque in ejus præceptis bonorum operum gressibus ambularent. Quorum priorem tulisse Deus dicitur, ne diutius toleraret peccatorum vexationem: alterum, mundo diluvio pereunte, in arca simul cum sobole ad restaurandam humanam progeniem inscribitur reservasse. Cujus primogenitus Sem, juxta Hebræorum opinionem, erat sacerdos Dei summi, quem in subsequentibus scriptura Melchisedech appellat; offerens panem & vinum, secundum cujus ordinem ille sacerdos extitisse perhibetur; ad quem patria vox in psalmis ait: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Igitur Abraham unicum fidei & obedientiæ, atque veræ pietatis exemplar, qui ad vocem Domini egressus est de terra sua, & de cognatione sua, & peregrinatus est in terra, quam illi Dominus promiserat se daturum, & semini ejus post eum

in possessionem. Hic filium suum Isaac, de quo accepit repromissionem, ad imperium Domini obtulisse describitur, io locum, quem ostenderat ei Deus, in quo ædificavit altare, & desoper ligna composuit; cumque colligasset filium suum dilectissimum, posoit eum in altare soper struem lignorum, extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium. sed angelus Domini prohibuit eum, dicens: *Ne extendas manum tuam super puerum, nequt facias ei quidquam. Nunc cognovi quod timeas Dominum, & non peperceris filio tuo unigenito propter me.* Et paulo post sequitur scriptura de eodem ita narrans: *Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo unigenito, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in litore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.*

Quid ad hæc respondent importuni defensores genoinæ libertatis, & vaniloqui cootra Dominum? Numquid dicunt, hunc patriarcham inique egisse, quod unicum filium & heredem de libera uxore natum, propter mandatum Domini offerebat? aut arguunt Dominum impietatis, quod fidelem suum cultorem coëgerit parricidium committere? an non magis iniqua est opinio eorum, qui legem mundanam & temporalem legi divinæ atque æternæ, quæ omnia regit, & cuncta nutu soo disponit, præponunr? Si enim hoc non licet quod Deus æterous fieri jubet, quomodo licet quod universa vanitas docet? scriptum est enim: *Universa vanitas omnis homo vivens.* Quamqusm in imagine Dei ambulet, tamen vane cooturbabitur. Idem ergo Dominus, qui tuoc oraculo suo jusserat, patriarcham offerre filium suum in holocaustum; nunc in evangelio suo jubet plebem ecclesiasticam sobolem suam tradere ad servitium sanctum: & qui tunc laudavit pro amore suo obedientiam piam, nunc probat io amore soo devotionem sanctam. Nam qui tuoc dixit in lege sacerdoti, ut vestimentum non scinderet, & ad omnem mortuum noo ingrederetur omnino; super patre quoque suo & matre non cootaminaretur, oec egrederetur de sanctis, ne pollust sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est: ipse nunc io evangelio dicit homini christiano: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te: & si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.* Et item: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus: & qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Et item: *Si quis,* inquit, *vult post me venire, abnegot semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Et rursum: *Omnis,* inquit, *qui relinquit domum, fratres, aut sorores, aut matrem, aut patrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit?* Denique Isaac fidelis Dei cultor, atque paternæ voluntatis devotissimus exsecutor, typus illius de quo dicit Apostolus, *factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis:* idcirco portavit ligna ad conficiendum de semetipso holocaustum, ot Christum exprimeret portantem crucem ad peragendum passionis suæ sacramentum. Fodit puteos plurimos, ut inveoiret aquam vivam: docens nos intente meditari scripturas sacras, donec percipiamus divinam sapientiam. Hic ergo patientia sua & obedientia arguit illos, qui paterno superbe resistuot voto, atque decreto, ne in eis divinæ servitutis expleatur effectus.

Similiter & Jacob, vir simplex habitans in tabernaculis, humilitatis summæ ac mansuetudinis nobis præbet exemplum, ut si velimus benedictionem hereditare paternam, maneamus in simplicitatis nostræ tabernaculis, & ecclesiæ matris per omnia subditi, magis subjiciamur regulis, quam cum Esaü ruso & hispido, vanis mundi serviamus negotiis. Quid enumerem specialiter Patriarcharum singulorum facta, ad comprobandam paternæ auctoritatis potestatem, in filiis suis ad servitium Dei tradendis; cum Dominus ipse in lege præceperit Israëli, omnium primogenitorum sibimet faciendam consecrationem, dicens ad Moysen: *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus, quam de jumentis. mea sunt enim omnia.* Et rursum, cum levitas pro primogenitis vellet eligere in cultum tabernaculi, ita locutus est ad Moysen, dicens: *Tolle levitas de medio filiorum Israel, & purificabis eos.* Et paulo post: *Applicabis,* inquit, *levitas coram tabernaculo fœderis convocata omni multitudine filiorum Israel: cumque levitæ fuerint coram Domino, ponent filii Israel manus suas super eos, & offeret Aaron levitas munus in conspectu Domini a filiis Israel, ut serviant in ministerio ejus: & consecrabis eos in oblationem Domini, quoniam dono donati sunt mihi a filiis Israël: pro primogenitis, quæ aperiunt omnem vulvam in Israel, accepi eos. Mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israël, tam ex hominibus, quam ex jumentis ex die, quo percussi omne primogenitum in terra Ægypti, sanctificavi eos mihi, & tuli levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israël, tradidique eos dono Aaron, & filiis ejus de medio populi, ut serviant mihi pro Israel in tabernaculo fœderis, & orent pro eis, ne sit in populo plaga.* Ecce Dominus expetit omne primogenitum ab his qui legibus suis obtemperare debent, & noo tantum hominum, sed etiam primogenita jumentorum: ut ostendat quod non solum nostra, sed etiam nosmetipsos debitores sumus illi offerre.

Et ne aliquam querimoniam rite opponere possis, & dicere; fas non esse hominem quemlibet filium suum æque liberum ad servitium Dei offerre: jubet universum populum, unam tribum de duodecim simul totam offerre ad tabernaculum fœderis, & consecrare ibi io oblationem Domino ad ministerium ejus. Utrum tunc videtur majorem potestatem habere filios Israël

Israël in fratribus suis levitis offerendis, quibus post oblationem decreto Domini abnegata est sors omnis hereditatis terrenæ, & possessio inter ceteras tribus haberi; vel patrem cum filio proprio adhuc quidem teneræ ætatis, & nondum secundum legem sui juris aut potestatis existentem; cum eum secundum sanctæ Regulæ instituta omnibus mundanis curis negotiisque, atque possessionibus exutum, soli Deo ad serviendum mancipare decreverit? Aliud est enim ab æquali æqualem tradi, & aliud a majore minorem alicui subjici. Inter æquales enim sæpe contradictio oritur, ne una pars alteram superet, aut servire cogatur: sed inter majorem & minorem nulla ratio existit, quod junior majoris imperio omnino se non subjiciat. Si enim imperium Domini & in majoribus, & in minoribus justum est: cur non cessant vani murmuratores isti, & iniquarum compositores querelarum legibus Dei detrahere; atque contra illum loqui nequitiam, qui cælum & terram, & omnia, quæ in eis sunt, creavit, regit, & secundum suam voluntatem disponit? maxime cum per Psalmistam increpando tales Spiritus-sanctus ita loquatur, dicens: *Nolite extollere in altum cornu vestrum, & nolite loqui adversus Deum iniquitatem: quia neque ab oriente, neque a desertis montibus, quoniam Deus judex est.* Meminerintque illius sententiæ, quam Judas apostolus in sua epistola protulit dicens: *Subintroierunt quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc judicium, impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum dominatorem Dominum nostrum Jesum-Christum negantes.* Quibus & paulo post in eadem epistola comminando subjungens ait: *Væ illis qui via Caïn abierunt, & errore Balaam effusi sunt, & contradictione Chore perierunt: hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes: nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur: arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ: fluctus feri maris, & despumantes suas confusiones: sidera errantia, quibus procella tenebrarum in æternum servata est.* Via Caïn abeunt, qui propter invidiam meliorum, nomen sibi Doctorum, quo honorificantur, assumunt. Errore Balaam pereunt, qui amore terrestrium commodorum, veritatem, quam ipsi norunt, impugnant. Contradictione Chore, qui vivus ad inferna descendit, intereunt, quicumque appetitu indebiti primatus se se ab unitate sanctæ ecclesiæ secernunt, scientesque & prævidentes, quantum mali gerant scelerum, tamen ad tartara descendunt. Et quidem Caïo de fratricidio cogitantem Dominus corripuit, sed eum invidia salvari non sivit. Balaam adversus Dei populum iter agentem Dominus vetuit: sed amor pecuniæ, ne obtemperaret, obstitit. Chore superbientem Moïses Domino in se loquente lenire curavit; sed eum elatio, qua fervebat, insanabilem reddidit. Sic profecto, sic faciunt hæretici, qui ad increpationem sanctæ ecclesiæ emendari despiciunt; quin potius fratres gladio malæ doctrinæ, sicut Caïn, interficere: malo consilio decipere, sicut Balaam; contra doctores catholicos se erigere, sicut Chore, ad suam ipsorum perditionem contendunt.

Hæc de illis patribus, quos Pentateuchus Moïsi copiose enumerat, ad comprobandam ratam & legitimam esse oblationem parentum in filiis suis, pauca de pluribus commemorasse sufficiat: nunc ea, quæ de Judicum, atque Regum temporibus menti occurrunt, ad confirmandam eamdem rem, stilo proferamus. Legitur in libro Judicum, quod Jephte Galaadites, vir fortissimus, cum bellum contra Ammonitas agere disposuisset, ut erueret Israël de manu eorum, facto super se spiritu Dei, votum voverit Domino, dicens: *Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque fuerit primus egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.* Transivitque Jephte ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos, quos tradidit Dominus in manus ejus. Percussitque ab Anër, usque dum venias in Mennil, viginti civitates, & usque ad Abel, quæ est vineis consita, plaga magna nimis. Humiliatique sunt filii Ammon a filiis Israël. Revertenti autem Jephte in Maspha domum suam, occurrit unigenita filia cum tympanis & choris: non enim habebat alios liberos. Qua visa scidit vestimenta sua, & ait: Heu filia mi! decepisti me, & ipsa decepta es. Aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero. Cui illa respondit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, concessa tibi ultione atque victoria de hostibus tuis. Dixitque ad patrem: Hoc solum mihi præsta, quod te deprecor: dimitte me, ut duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus. Cui ille respondit: Vade. Et dimisit eam duobus mensibus; cumque abiisset cum sociis ac sodalibus suis, flebat virginitatem suam in montibus. Expletisque duobus mensibus reversa est ad patrem, & fecit ei sicut voverat: quæ ignorabat virum. Ad hæc quid respondent isti amici mei, quorum sermo totus versus est in sugillationem ordinis nostri? Quis ergo tam stultus & tam perversus est, ut hunc Jephte sacrilegum esse dicat, pro eo, quod filiam propter votum quod Deo vovit, obtulerit? cum scriptura dicat, hoc eum fecisse facto super eum spiritu Dei; maxime cum Paulus apostolus in epistola, quam ad Hebræos scripsit, eum in catalogo sanctorum enumeret. Si enim patribus illius temporis licuit per ferrum, filium aut filiam Deo offerre: cur non modo licet istius ævi hominibus sobolem suam Deo spiritualiter consecrare, & exhibere hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabiliter in obsequium Christi? Si autem Abrahæ oblatio placuit Deo, & Jephte factum meritum sanctitatis illi acquisivit: cur non multo magis spiritualis oblatio per evangelicam doctrinam instituta Deo placere credenda est? cum de Abraham Jacobus apostolus testatus sit dicens: *Abraham pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare.* Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius. Ex ope-

tribus enim illios fides consummata est, & suppleta est scriptura dicens : *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, & amicus Dei appellatus est.* Et de Jephte post votum, quod Deo vovit, ita scriptum est : *Transivit Jephte ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos, quos Dominus tradidit in manus ejus.* Ecce Abrahām offerendo filium suum, amicitiam Dei promeruit : Jephte vovendo Deo votum, victoriam de inimicis suis adeptus est. Quid post hæc consequitur, nisi quod illi, qui Dei oblationem spernunt, & tale factum sanctorum Patrum abominantur, inimici Dei nominentur ac sint ; & ob hoc spiritualibus ioimicis non solum non dominentur, immo merito suæ perversitatis omnino subjiciantur? scriptum est enim: *Quicumque vult esse amicus sæculi, inimicus Dei constituitur.* Deo enim placere omnino, nisi bonum, non potest. Quod autem bonum est facienti, id meritum sanctitatis acquirit.

Hoc etiam probat Annæ factum laudabile, quod liber Samuelis commemorat. Cum enim sterilis esse describatur, & ob hoc ab æmula sua, altera scilicet uxore Helcanæ viri sui, irrideretur ; ad deprecandum Dominum conversa est : nec fraudavit eam spes ejus : sed petitionis suæ consequebatur effectum. sic enim scriptum est : *Cum esset Anna amaro animo, oravit Dominum flens largiter, & votum vovit dicens : Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque sexum virilem servæ tuæ, dabo eum Domino omnes dies vitæ ejus, & novacula non ascendet super caput ejus.* Et non multo post
» cognovit Helcana, inquit, Annam uxorem suam,
» & recordatus est ejus Dominus. Et factum est
» post circulum dierum, concepit Anna, & pe-
» perit filium, vocavitque oomen ejus Samuel,
» eo quod a Domino postulasset eum. Ascendit
» autem vir ejus Helcana, & omnis domus ejus,
» ut immolaret Domino hostiam solemnem, &
» votum suum. Et Anna non ascendit, dixit enim
» viro suo : Non vadam donec ablactetur infans,
» & ducam eum ut appareat coram Domino, &
» maneat ibi jugiter. Et ait Helcana vir suus : Fac
» quod bonum tibi videtur, & mane, donec
» ablactes eum, precorque ut impleat Dominus
» verbum suum. Mansit ergo mulier, & lactavit
» filium suum, donec amoveret eum a lacte. Et
» adduxit eum secum, postquam ablactaverat, in
» vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & am-
» phora vini, & adduxit eum ad domum Domi-
» ni in Sylo. Puer autem erat adhuc iofantulus :
» & immolaverunt vitulum, & obtulerunt pue-
» rum Heli. Et ait : Obsecro domine mi : vivit
» anima tua Deo ! ego sum illa mulier, quæ steti
» coram te, hic orans Dominum pro puero isto.
» Oravi, & dedit mihi Dominus petitionem
» meam, quam postulavi ei. Idcirco & ego eum
» commodavi Domino, cunctis diebus, quibus
» fuerit accommodatus Domino. Vellem scire, osores isti & contradictores oblationis regularis, quid de hac oblatione dicerent, quæ pæne consimilis est regulari oblationi, quam B. P. Benedictus in sua regula constituit : quia sicut ibi jubet parentes filios infantulos cum oblatione atque petitione Deo juxta altare offerre ; ita hic & hæc mulier sancta atque prophetissa filium suum infantulum cum oblatione farinæ, & ceteris speciebus, quæ in libro regum commemorantur, coram Heli sacerdote in tabernaculo Domino sollemniter offerebat. Utrum Annam proterviæ spiritu incitatam hoc egisse arbitrentur, quæ, quasi propriæ potestatis esset, sine viri consilio seu præcepto, ante conceptum pueri primitus Deo votum vovit ? Deinde post nativitatem ejus licet cum viri sui consensu, tamen ipsa eum Domino fiducialiter obtulit, atque Heli sacerdoti ibidem totum ordinem voti sui diligenter exposuit. Quis autem audet dicere, Dominum iniquum esse, qui huic mulieri ob fidei meritum, & magnæ devotionis effectum, gratiam Spiritus-sancti sui tribuit ? Si enim hujus oblationis displicuisset factum, nequaquam post perpetratam oblationem, Spiritus-sancti illi impenderet donum, unde potuisset de futuro sacramento adventus Christi, & de mutatione veteris sacerdotii, legisque pristinæ, necnon & de abjectione plebis incredulæ, atque convocatione gentium ad fidem prophetare. Postquam enim parentes beati Samuelis adoraverunt Dominum in Sylo, oravit Anna, & ait : *Exultavit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo &c.* E contrario vero, si mundana lex tantum dominari deberet in cultu divino, quod nulli eam transgredi liceret in Christi officio : auctor totius boni & justitiæ observantissimus custos ; de quo scriptum est, *Justus Dominus, & justitiam dilexit, æquitatem colit vultus ejus* ; quomodo id non suo testimonio comprobaret, atque omnibus manifestum judicium suæ voluntatis præberet ? Idcirco cessent aliquando vaniloqui isti & detractores religioni Christianæ detrahere, ac gratiam Christi, quæ in diversis donis sanctæ matri distributa est ecclesiæ, dente venenoso lacerare ; quia *disperdet Dominus*, scriptura teste, *universa labia dolosa, & linguam magniloquam.*

Sed quia in veteri testamento plurima hujuscemodi possunt inveniri exempla, & in novo similiter hujuscemodi rationis non pauca exstant testimonia: ne ultra modum oratio progrediatur, veteris omissis, de novo exempla proferamus. Narrat enim sanctum Evangelium, quod parentes Salvatoris puerum Jesum cum oblatione secundum legem sibi decretam in templo sisterent Domino, ut dator legis suo exemplo eam comprobaret, atque confirmaret, ostenderetque omnino sibi non displicere in ecclesia sua oblationem & devotionem fidelium. Si enim Jesus a parentibus ad templum deferri voluit, ibique offerri pro se hostiam Deo : quis est, qui parentum oblationem in filiis suis reprehendere præsumat, & prohibere, quod non exhibeant eos hostiam viventem Deo ? nam fides non solum oblatorum, sed etiam offerentium, scriptura teste, Deo acceptabilis erat. Unde & in sancta ecclesia per parentum fidem atque professionem conficitur baptisma parvulorum. Offerebant Jesu paralyticum alii, *quorum fidem ut vi-*

dit, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Surge, & tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Centurionis fides impetravit salutem servo: & Reguli filius credente patre sermonibus Jesu ad pristinam sanitatem reversus est. Archisynagogi filiam, rogante eo, a mortuis Dominus suscitavit: & Petri socrum postulatus idem Dominus a febribus liberavit. Cognito adventu Jesu in terra Genesar, viri loci illius miserunt in omnem regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes, & rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent: & quicumque tetigerunt, salvi facti sunt. Mulier Chananæa pro filia rogat dæmoniaca, & salutem illi a Domino meruit. Offerebant Jesu parvulos, ut tangeret eos: discipuli autem comminabantur offerentibus. quos cum vidisset, indigne tulit, & ait illis: *Sinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere eos: talium est enim regnum calorum. Amen dico vobis, qui non receperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos.* Audiant hæc, qui oblationi detrahunt parvulorum, & intelligant conatum suum ad iniquitatem tendere, frustraque se niti in objectione ætatis parvæ, quasi non liceat parentibus filios suos infantes offerre Deo, ejusque servitio illos mancipare. Si enim ipsa Veritas carnales adhuc discipulos, & nondum passione sua atque resurrectione, necnon & adventu Spiritus-sancti illuminatos atque confortatos, comminantes offerentibus parvulos indigne tulit: quid putant isti se promereri, qui dilatata per orbem ecclesia, & manifestata ubique veritate, adhuc obcæcato corde per cupiditatem terrenam, contraria fidei catholicæ sentiunt, atque sectas novas, appropinquante fine mundi, in ecclesiam introducunt? Etenim, dum debuerant magistri esse propter tempus, rursus indigent ut doceantur, quæ sint elementa exordii sermonum Dei. Quare non pertimescunt Pauli sententiam dicentis: *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus moritur testibus: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratia contumeliam fecerit? scimus enim, qui dixit: Mihi vindictam, & ego reddam. Et iterum: quia judicabit Dominus populum suum: horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Bonorum enim doctorum semper mos fuit verbis atque exemplis Deo populum lucrifacere, & studere a regno diaboli quoscumque eripere, atque ad servitium Dei convertere. Unde gentium Doctor Corinthiis ait: *Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem: factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem; omnibus omnia factus sum, ut omnes salvos facerem. Omnia autem facio propter evangelium, ut particeps ejus efficiar.* Et item: *In omnibus,* inquit, *tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus. semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu in corporibus nostris manifestetur.* Et alibi: *Omnia autem sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu in gloria calesti.* Hinc est quod plurimi per gratiam Dei, & per bonorum studium magistrorum, tam ex Judæis, quam etiam ex gentibus converterentur ad fidem Christi: sicut in Actibus apostolorum legitur, quod prædicante Petro, una die appositæ sint ad numerum credentium animæ circiter tria millia. Verbum enim Domini crescebat, & multiplicabatur numerus dicipulorum in Jerusalem valde. Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei. Similiter Paulo & Barnaba prædicantibus in Antiochia, multus numerus credentium conversus ad Dominum est, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli, Christiani. Crispus archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua, & multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur. Unde idem apostolus Paulus gloriatur, quod ab Jerusalem usque ad Illyricum repleverit evangelium suum. E contrario vero, quidam nunc intendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentes suam conscientiam, prohibent discedere quosdam à sæculari pompa, a cupiditate terrena, & se sociari contemptoribus mundi, servientibus Deo sub disciplina regulari. Videant hi, ne forte ad ipsos respiciat illa dominica sententia, qua in evangelio ad Pharisæos & legisperitos ipsa Veritas ait: *Va vobis Pharisais, qui diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro: va vobis, quia estis ut monumenta, qua non parent, & homines ambulantes supra, nesciunt.* Et item: *Va vobis,* inquit, *legisperitis, qui habetis clavem scientia: ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis.* Hinc Petrus in epistola sua scripsit, dicens: *Novit Deus pios de tentatione eripere, iniquos vero, in diem judicii cruciandos reservare; magis autem eos* qui post carnem alteram in concupiscentiam immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt facere, blasphemantes, deliciis suis affluentes, in conviviis suis luxuriantes, pellicentes animas instabiles, cor exercitatum avaritia habentes: maledictionis filii, derelinquentes viam rectam, erraverunt; secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit, correptionem vero habuit suæ vesaniæ, subjugale mutum in hominis voce loquens prohibuit prophetæ insipientiam. Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur: superbia enim vanitatis loquentes pellicent in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur, libertatem illis permittentes, cum ipsi servi sint corruptionis; a quo quis enim superatus est, hujus & servus est. Si enim refugientes coinquinationes mundi, in cognitionem Domini nostri & Salvatoris Jesu-Christi, his rursus impliciti superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non agnoscere viam justitiæ, quam

» post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod » illis traditum est, sancto mandato.

Hæc quidem cum auribus corporis percipiantur, nec aures interiores, quas Salvator in evangelio requirit, dicens, *Qui habet aures audiendi audiat*, adponunt, ut intelligant, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: non solum qui faciunt; sed etiam qui consentiunt facientibus, prava intentione decertant, quomodo minuant, aut funditus evertant monasticam conversationem. Cum enim audierint regularem oblationem in pueris minoris ætatis, testibus idoneis confirmari debere: quia aperte contraire atque resistere veritati non audeant; ex obliquo quærunt, quomodo id, quod perversa mente tractant, hoc actu nefando perficiant: subtiliter argumentantur, atque hoc in commentum erroris sui assumunt, quo facilius possint sibi obsequentes atque obedientes deludere: quod non liceat cuilibet testes citare ad confirmandam veritatem religionis christianæ, nisi
NOTA. de propria sua gente: verbi gratia, dicunt quod super Saxonem nullus de Francorum aut Romanorum, aut ex alia qualibet gente, licet inter suos nobilis natu, atque honestus conversatione habeatur, nisi Saxo testis esse possit. Hoc enim, aiunt, legem gentis suæ pati non posse, ut alterius gentis homo in testimonium citetur ad infringendam legem libertatis suæ. Quasi illi libertatem ac nobilitatem generis sui perdant, qui servitium Christi profitentur, cum magis illi liberi sint, qui uni Deo, quam qui diversis vitiis atque peccatis servire probantur. Hanc profecto non ob aliud argumentationem igitur fingunt, quam ut monasticam conversationem, ac regularem disciplinam in odium hominibus vertant, dicentes, eos servos fieri, qui monachi fiunt: & non intelligunt se contra Dominum pugnare, qui ejus devotionem servitii dicunt pensum esse naturæ: cum nulla sit melior, majorque potestas, quam servire Deo, cui bene servit amor. Si veritas a testibus expetenda est, fides & probitas testium requirenda sunt. Et quomodo inveniuntur testes idonei, nisi hæc consideratio apud eligentem fiat, ut non solum nobilitas generis, sed etiam constantia mentis in eis approbetur? sic enim ab initio testes a prudentibus hominibus exquirebantur, præ quibus placuit ante omnia inventio veritatis, & non fictio falsitatis. Si autem personarum acceptio, & qualitas gentium a quolibet consideranda est; & testes approbandi, ut non alios quisque testes recipiat, nisi suæ gentis homines: quomodo Gentes natura, Judæorum testimonium, qui non fuerunt religione & natione sibi consimiles, in fide Christi receperunt? Apostoli enim & prophetæ omnes ex Judæis fuerunt. Aut quomodo Judæi Gentium testificationem recipere voluerunt, qui non fuerunt illis ritu ac dignitate coæquales? Lucas enim evangelista Antiochenus, arte medicus, Syrus fuit, ut scribitur, natione, & magis ex auditu, quam ex visu suum conscripsit evangelium. quod tamen ex Judæis, & ex Gentibus quoque credentibus æqualiter recipiunt, & in numero quatuor evangeliorum adscribunt. Deus enim personam hominis non accipit, sed in omni gente & conditione, qui timet Dominum, & operatur justitiam, acceptus est illi.

Hæc vero cum se ita habeant: quæ ratio est secundum Deum, aut secundum homines, ut hi qui inferiores sunt virtute & dignitate, superiores sibi & eminentiores spernant, & quasi indignos omni honore respuentes abjiciant, quibus subjici oportebat? Quis enim ignorat sub hac plaga mundi habitans, Francos ante Saxones in Christi fide atque religione fuisse, quos ipsi postmodum suæ dominationi subegerunt armis, atque superiores effecti, dominorum ritu, immo magis paterno affectu, ab idolorum cultu abstrahentes, ad fidem Christi converterunt? Sed nunc a quibusdam primatibus de ipsa gente secundum carnem editis ingrate spernuntur, ac contra jus cæli, contraque jus fori, ne testes esse veritatis valeant, indigne abjiciuntur: cum hoc nec ratio humana, neque divina id fieri debere ullo modo dictet, nec talis ordo umquam in orbe triquadro fuerit. Narrant enim historiæ totam Asiam, sub centum viginti satrapis constitutam, legibus Persarum obedisse. Sic etiam Romanorum dominationi omnes gentes censu ac sensu secundum sancita imperatorum per diversas provincias suis temporibus subjectas esse, civemque Romanum adscribi pro magna dignitate, ac veneratione apud omnes nationes haberi. Sed non mirum, quod isti, qui legibus divinis contraria sentiunt, fœdera pacti humani rite non servent: errantes enim, & in errorem mittentes, apud Deum culpabiles, & apud homines vituperabiles fiunt. Denique veritas quæ ubique regnat, omnia vincit: licet multos inimicos habeat, ipsa tamen victrix omnes hostes suos æterna superabit victoria cujus, sancta Ecclesia fidelissima observatrix, ac custos in soliditate firmissimæ petræ fundata, nulla recipit consortia perfidorum. Unde nec portæ inferi prævalebunt adversus eam.

Hujus quoque non pars minima, monachorum exstat turba, quæ Creatori suo devote famulans pæne in totius partibus orbis greges suos colligit, domicilia constituit, atque uni Deo omnipotenti gratum servitium exhibere contendit. Hæc ex apostolicæ traditionis norma instituta, nihil proprium possidens, communiter vivit, propriisque manibus sibi victum quæritans, patris spiritualis in omnibus gestit obedire imperio; nullum spernit, nullum contemnit. Omnis sexus, omnis ætas, omnis conditio apud ipsam habilis Dei servitio habetur. Unde & recipit infantes, appetit juvenes, non respuit senes atque infirmos. Apud hanc locum habet adolescens in pueritia Deo consecratus: in hac remedium suæ salutis invenit juvenis, pro peccatis suis salubriter compunctus: in illa senex vel decrepitus undecimæ horæ non perdit laborem, nec perdit sero conversus. Per ipsam & David noster eos, quos mundus pro sceleribus, vel infirmitate corporea despiciens abjecit, recolligens refecit, atque duces itineris sui fecit. Unde plurimos in Patrum Collationibus ac

Vita descriptos invenimus, qui ad propositum monasticum servandum spiritu Dei instigante defluxerunt; plurimos, qui suos filios ad Dei servitium nutriendos tradiderunt. Quod & beatus papa Gregorius apud venerabilem patrem Benedictum, cujus vitam ipse descripsit, ac Regulam institutionis ejus mirabiliter laudat, ita fecisse in libris Dialogorum commemoravit, dicens: » Cum sanctus vir Domino in eadem solitudine virtutibus signisque succresceret, multi ab eo in loco eodem ad omnipotentis Dei sunt servitium congregati: ita ut illic duodecim monasteria, cum omnipotentis Jesu-Christi Domini nostri opitulatione construeret: in quibus statutis patribus duodenos monachos deputavit, paucos vero secum detinuit, quos adhuc in sua præsentia aptius judicavit erudiri. Cœpere etiam tunc ad eum Romanæ urbis nobiles & religiosi concurrere, suosque filios ei, omnipotenti Deo nutriendos dare. Tunc quoque bonæ spei suas soboles Equitins Maurum, Tertullus vero patricius Placidum tradidit: e quibus Maurus junior, cum bonis polleret moribus, magistri adjutor cœpit esse: Placidus vero puerilis adhuc indolis gerebat annos. Enimvero sanctus Gregorius, qui præsulatu apostolicæ sedis functus in pontificum ordine nobilissimus habebatur, qui & inter magistros ecclesiæ præcipuos, omni veneratione dignus pæne in toto orbe celebratur, quomodo sancti viri gesta describendo puerorum oblationem ad omnipotentis Dei servitium nutriendorum rite fieri commemorat, si non ipsa oblatio rata, sed contraria veritati ac divinæ auctoritati credenda erit? Non enim est sanctus, qui actibus est reprobus; nec laude dignus, qui divinis legibus invenitur esse contrarius. Quapropter videant hi, quorum sensus ac sermo divinis constitutionibus, atque sanctorum patrum exemplis discordat, ne cupiditate terrena corrupti, & in suis voluptatibus abominabiles facti, sanctitatis meritum sibi minuant, ac præmium perdant. Quia, Paulo teste, *Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.*

Sed jam ad oblationem regularem confirmandam prudenti, ac sanum sapienti in his quæ breviter de scripturis sacris excerpta posuimus, satis esse credentes; nunc de voto, quod Deo vovetur, adimplendo, quam necessarium sit, ex eadem scriptura, testimoniis paucis ostendemus. Loquitur Dominus per Moysen in lege ita dicens: *Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit.* & item: *Cum voveris*, inquit, *votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris; quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo; propria voluntate ex ore tuo locutus es.* Nam & Psalmista similiter exhortatur, dicens: *Vovete, & reddite Domino Deo vestro, omnes, qui in circuitu ejus affertis munera.* Suoque exemplo hoc comprobans, alio loco dicit: *Vota mea Domino reddam in atriis domus Domini, in conspectu omnis populi ejus, in medio tui Jerusalem.* Et item: *Sic psalmum dicam*, inquit, *nomini tuo, Deus, in sæculum sæculi: ut reddam vota mea de die in diem.* Hinc & Ecclesiastes ait: *Si quid vovisti Domino, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis promissio, sed quæcumque voveris redde: multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.* Nam & idipsum Salvator in evangelio sub quadam similitudine expressit, dicens: *Nemo mittens manum suam in aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei.* Et item: *Qui fuerie*, inquit, *in tecto, & vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa, & qui in agro similiter. Memores estote uxoris Loth. Quicumque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam: & quicumque perdiderit illam, vivificabit eam.* Hinc & Doctor gentium in epistola ad Hebræos, admonet dicens: *Nolite itaque, fratres, amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, & non tardabit. Justus autem meus ex fide vivit. Quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.* Hinc & Pastor ecclesiæ hortatur, dicens: *Succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam, quæ vobis offertur, gratiam, in resurrectione Domini nostri Jesu-Christi.* Unde & Johannes apostolus in epistola sua salubriter persuadendo nos instruens, dicit: *Videte vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis.* His ergo & similibus scripturæ testimoniis sacræ instruimur, ne votum quod Deo vovimus, reddere negligamus. quia non habebit hunc insontem Dominus, qui ei mentiri non pertimescit. Sed prô dolor! quidam parvipendentes fœdus, quod cum Deo inierunt, quasi sine periculo deseri possit, ingrate omnino abjiciunt, atque amicitiam hujus mundi appetentes, inimici Dei fieri non pertimescunt. Qui enim vult amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur. Quandoquidem perfectiora sequi sua sponte elegerunt, & ob hoc animas suas, votum vovendo, Deo consecrarunt, ut ei per omnia placerent, cui se servire solummodo probaverunt: paulatim per desidiam ad vitia relabentes, contra evangelium, mundo simul ac Deo se servire posse arbitrantur; cum Salvator manifeste dicat: *Duobus dominis nemo servire potest, hoc est Deo & mammonæ.* Falluntur ergo hujusmodi habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, & si non conversi denuo id, quod destruxerunt, pro viribus restaurare studuerint, salutem consequi non poterunt.

Sed quia sunt quidam, qui monachicam vitam detestantes, constitutionibus sanctæ Regulæ contradicunt, despicientesque eam, murmurando invicem susurrant, quod superflua sit sanctio regularis, & non necessaria; magisque humanæ fictioni, quam auctoritati divinæ eam inniti: Primum, secundum eorum sensum, qui catholica veritate imburi de hujus ordinis initio &

ratione plenissime scripserunt, ostendemus, monasticam conversationem Deo auctore per sanctorum patrum dicta vel facta institutam esse: dehinc subjungemus ex canone divino testimonia huic disciplinæ convenientia: ut qui jam diutius huic errori deserviunt, saltem patefacta in omnibus veritate superati, vana garrire erubescant. Itaque cœnobitarum disciplina a tempore ptædicationis apostolicæ sumpsit exordium. Nam talis exstitit in Jerosolymis omnis illa credentium multitudo, quæ in actibus apostolorum ita describitur: *Multitudinis autem credentium erat cor & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Possessiones & substantias vendebant, & dividebant ea omnibus, prout cuique opus erat. Et item: Neque enim quisquam egens erat ioter illos: quotquot enim possessiones agrorum vel domorum erant vendentes, offerebant pecuniam eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Talis itaque erat tunc omnis ecclesia, quales nunc perpaucos io cœnobiis invenire difficile est. sed cum apostolorum post excessum tepescere cœpisset credentium multitudo, ea vel maxime, quæ ad fidem Christi de alienigenis ac diversis gentibus confluebat, a quibus apostoli, præ ipsis fidei rudimentis, & inveteratæ gentilitatis consuetudine, nihil amplius expetebant, nisi ut ab ipsis immolatitiis idolorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine temperarent: atque ista libertas, quæ gentibus propter infirmitatem primæ credulitatis indulta est, etiam illius ecclesiæ perfectionem, quæ Jerosolymis consistebat, paulatim contaminari cœpisset, & crescente quotidie vel indigenarum numero, vel advenarum, primæ illius fidei refrigesceret fervor; non solum hi, qui ad fidem Christi confluxerant, verum etiam illi qui erant ecclesiæ principes, ab ipsa districtione laxati sunt; nonnulli æstimantes id, quod videbant gentibus præ infirmitate concessum, sibi etiam licitum, nihil se detrimenti perpeti crediderunt, si cum substantiis ac facultatibus suis fidem Christi, confessionemque sequerentur. Hi autem, quibus apostolicus adhuc inerat fervor, memores illius pristinæ perfectionis, discedentes a civitatibus suis, illorumque consortio, qui sibi vel ecclesiæ Dei remissioris vitæ negligentiam esse credebant, multoties suburbanum ac secretioribus commanere, & ea, quæ ab apostolis, per universum corpus ecclesiæ generaliter meminerant instituta, privatim ac peculiariter exercere cœperunt. Atque ita coadolevit ista, quam diximus, discipulorum, qui se ab eorum contagio sequestraverunt, disciplina, qui paulatim tempore procedente segregati a credentium turbis, adeo quod a conjugiis abstinerent, & a parentum se consortio, mundique istius cooversatione secernerent; monachi sive monozantes, hoc est, singulares, a solitariæ vitæ districtione nominati sunt. Unde consequens fuit, ut ex communione consortii, cœnobitæ; cellæque ac diversoria eorum, cœnobia vocareotur. Istud ergo solum fuit antiquissimum monachorum genus, quod non modo tempore, sed etiam primum est, quodque per annos plurimos solum usque ad abbatis Pauli vel Antonii duravit ætatem: cujus etiam nunc adhuc in districtis cœnobiis cernimus residere vestigia. De hoc priscorum numero, & ut ita dixerim, fœcuodissima radice sanctorum etiam anachorrtarum post hæc flores, fructusque prolati sunt: cujus professionis principes hos, quos paulo ante memoravimus, sanctum scilicet Paulum vel Antonium, oovimus exstitisse, qui non quidem pusillanimitatis causa, nec impatientiæ morbo, sed desiderio sublimioris profectus, contemplationisque divinæ, solitudinis secreta sectati sunt, licet eorum prior, necessitatis obtentu, dum tempore persecutionis affinium suorum devitat insidias, eremum penetrasse dicatur. Ita ergo processit ex illa, quam diximus, disciplina, aliud perfectionis genus, cujus sectarores anachoretæ, id est, secessores, merito ouncupantur: eo quod nequaquam contenti hac victoria, qua inter homines occultas insidias diaboli calcaverunt: aperto certamine ac manifesto conflictu de omnibus congredi cupientes, vastos eremi recessus penetrare non timeant, ad imitationem sancti Johannis Baptistæ, qui in eremo tota ætate permansit; Heliæ quoque ac Helisæi, atque illorum, de quibus apostoli ita meminerunt: *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, angustiati, afflicti, egentes, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, & montibus & speluncis, & in cavernis terræ.* De quibus etiam figuraliter Dominus ad Job: *Quis autem est, qui dimisit onagrum liberum, & vincula ejus resolvit? posuit habitaculum ejus desertum, & tabernacula ejus salsuginem, irridens multitudinem civitatis, & querelam exactoris non exaudiens. Consideravit montes pascua sua, & post omne viride quærit.* In psalmis quoque scriptum est: *Dicant nunc qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici.* Et post pauca: *Erraverunt in solitudine, in siccitate, viam civitatis habitaculi non invenerunt. Esurientes & sitientes, & anima eorum in ipsis defecit. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberavit eos.* Quos etiam Jeremias ita describit, dicens: *Beatus, qui tulit jugum a juventute sua. sedebit solitarius & tacebit, quia levabit se super se.* Quique id Psalmistæ affectu & opere conficiunt: *Similis factus sum pellicano solitudinis, vigilavi, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Igitur qui despiciendam monasticam disciplinam arbitrantur, primum oportet, ut attendant, quæ sit virtus hujus normæ atque conversationis: & si perspexerint legibus Dei eam esse concordem, desinant eam odiis insectari, desistant ore blasphemo lacerare: quia non erit impunitus, qui donis Dei per invidiam perfidus exstat inimicus. Unde Domious per prophetam: *Væ vobis, qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Monachi enim propositum est, ut abrenuntiet sæculo & voluptatibus: continentiæ ac quieti, obedientiæ atque humilitati operam det, tribulationesque atque

angustias præsentis vitæ patienter sufferat, & præmium cælestis gratiæ super omnia expetat. Unde consideremus, si hæc ex divinis comprobentur testimoniis. Nam Salvator in evangelio ait : *Qui non renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratre, aut sorore, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum ; centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Et item : *Qui vult*, inquit, *venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Hinc & diviti de salute sua sollicite quærenti ipsa Veritas respondit, dicens : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.* Hinc & ad Apostolos ait : *Estote perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Nolite solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ ventura sunt, & stare ante Filium hominis. Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur.* Sequenti ergo opera danda Isaias ostendit dicens : *Erit opus justitiæ, pax & cultus justitiæ, silentium & securitas usque in sempiternum.* Item per Jeremiam dicitur : *Bonum est præstolari cum silentio salutare Domini : bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius & tacebit, quia levabit se super se, ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. dabit percutienti maxillam, saturabitur opprobriis, quia non repellet in sempiternum Dominus. Qui dilexit movere pedes suos, & non quievit, & Domino non placuit.* Hinc & Paulus ad Thessalonicenses ait : *Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis & operam detis, ut quieti sitis, & ut vestrum negotium agatis, & operemini, sicut præcepimus vobis, & ut honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt, nullius aliquid desideretis.* De humilitate autem, & mansuetudine atque obedientia ipse Salvator in evangelio nos instruit dicens : *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde. Omnis ergo qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Et iterum : *Non veni*, inquit, *facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me, Patris.* Hinc & Apostolus ait : *Christus factus est pro nobis obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis, &c.* Nam & in libro Regum Samuel ad Saül regem peccantem ait : *Numquid vult Dominus holocaustum, aut victimas, & non potius, ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victima, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* De tribulationis autem tolerantia & patientia, ipsa Veritas ait discipulis : *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, quia ego vici mundum. In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Et quia monachi opus est oratio & jejunium ; commendat hoc atque approbat idem Mediator Dei, hominumque, cum sugillanti apostolos de dæmoniaco ab eis non sanato respondit, dicens : *Hoc genus a nullo potest exire, nisi per orationem & jejunium.* Ecce monachorum ordinem ac vitam, cum ipse Dominus suis sententiis ac prophetarum atque apostolorum suorum scriptis comprobet, quis est qui eam reprehendere audeat, nisi qui insanus ore & corde est, & ob hoc legibus Dei contrarius ? Non est ergo leve crimen, atque minusculum peccatum, velle mendacem facere Veritatem, & Dominum iniquum fingere : cum hoc, quod ipse laudat, iste nititur improbare. Sed si iste adversarius noster adhuc persisterit in nequitia semel concepta, & dixerit, sine monachi voto homines posse salvari ; non hoc negamus, sed perfectionis tramiti detrahere non audemus.

Hæc ergo, prout potuimus, ex multis pauca libavimus. sed si nostra scripta fastidio ducit, audiat quid B. Hieronymus in libro quem scripsit adversus Vigilantium, monachos simili blasphemia lacerantem senserit. Quod autem asseris, inquit, melius facere eos qui utantur rebus suis, & paulatim fructus possessionum pauperibus dividant, quam illos, qui possessionibus venumdatis semel omnia largiuntur : non a me eis, sed a Domino respondebitur : *Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quæ habet, & da pauperibus, & veni, sequere me.* Ad eum loquitur, qui vult esse perfectus : qui cum apostolis patrem, naviculam, & rete dimittit. Iste, quem tu laudas, secundus, vel tertius gradus est, quem & nos recipimus : dummodo sciamus prima secundis & tertiis præferenda. Nec astu tuo, ac studio monachi deterrendi sunt, arte linguæ vipereæ, & morsu sævissimo ; de quibus argumentaris, & dicis : Si omnes se recluserint, & fuerint in solitudine, quis celebrabit ecclesias, quis sæculares homines lucrifaciet, quis peccatores ad virtutes poterit coarctare ? hoc enim modo, si omnes tecum fatui sunt, sapiens esse quis poterit ? Et virginitas non est approbanda. si omnes virgines fuerint, nuptiæ non erunt, interibit humanum genus, infantes in cunis non vagient, obstetrices absque mercedibus mendicabunt : & validissimo frigore solus atque contractus Dormitantius vigilabit in lecto. Clara est virtus, nec a pluribus appetitur, atque utinam omnes hoc essent, quod pauci sunt, de quibus dicitur : *Multi vocati, pauci autem electi* : vacui essent carceres. Monachus autem, non doctoris hujus, sed plangentis officium, qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pavidus præstoletur adventum ; qui sciens imbecillitatem suam, & vas fragile quod portat, timet offendere, ne impingat & corruat, ut frangatur. Unde & mulierum, maximeque adolescentularum vitat aspectum, & in tantum castigator sui est, ut etiam, quæ tuta sunt, pertimescat. Cur, inquies, pergis ad eremum ? videlicet ut te non audiam, non videam, ut tuo furore non movear, ut tua

„ bella non patiar , ne me capiat oculus meretricis , ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Respondebis : Hoc non est pugnare, sed fugere ; sta in acie : adversario armatus obsiste , ut postquam viceris, coroneris. Fateor imbecillitatem meam : nolo spe pugnam victoriæ , ne perdam aliam victoriam : si fugero , gladium devitavi ; si autem stetero, aut vincendum mihi est , aut cadendum. Quid autem necesse certa dimittere , & incerta sectari ? aut scuto , aut pedibus meis vitanda est. Tu qui pugnas , & superari potes , & vincere. Ego cum fugio , non vincor in eo quod fugio , sed ideo fugio , ne vincar. Nulla securitas est , serpente vicioo dormire. Potest fieri , ut me non mordeat ; tamen potest fieri , ut aliquando mordeat.

Sunt præterea & alii sancti patres orthodoxi , quorum super hac re par sensus, & similis sententia est , affirmantium normam regularis disciplinæ Deo auctore per apostolicam doctrinam institutam , atque fundatam esse. Sed quia libri mensuram excederet, si eorum plurima dicta in hoc opusculum velim coacervare : sufficiant hæc sobrio lectori quæ dicta sunt. Ceterum , qui plura ac majora quæsierit , & nostra scripta fastidio duxerit , legat catholicorum doctorum multiplicia volumina , & , ut credo , a nostro præsenti hoc opusculo eorum sensum non discrepare videbit. *Explicit.*

L I I.

Placitum pro monasterio Farfensi.

Ad lib. 30. n. 35. Ex archivo Farfensi.

DUm a pietate domini & a Deo coronati Ludovici magni imperatoris a finibus Spoletanis seu Romania directi fuissemus, nos Joseph episcopus & Leo comes missi ipsius augusti singulorum hominum causas audiendas & deliberandas, & conjunxissemus Romæ, residentibus nobis ibidem in judicio in palatio Lateranensi in præsentia domni Gregorii papæ, & una simul nobiscum aderant Leo episcopus & bibliothecarios S. R. E. Theodorus episcopus , Sirinus primicerius, Theophylactus numinculator , Gregorius filius Mercurii , Petrus dux de Ravenna, Ingoaldus & Aceris abbates , Alboinus , Lanfridus , Emmo , & Maximus vassi domini imperatoris , gastaldi & alii plures ; ibique veniens ipse Ingoaldus abbas monasterii sanctæ Mariæ , quod est situm Sabinis in loco qui nuocupatur Acutianus , cum Audulfo advocato suo, retulit nobis, quod domnus Adrianus & Leo pontifices per fortia invasissent res ipsius monasterii, id est curtem Comianianum & curtem sancti Viti, quæ est in Parmis , seu & curtem sanctæ Mariæ, quæ est in Vico-novo, & curtem in Bariliano, & curtem quæ dicitur Pontiana, cum rebus & familiis & omnibus ad eas pertinentibus ; unde tempore Stephani , Paschalis , & Eugenii semper reclamavimus , & justitiam minime invenire potuimus. Modo si vobis placet , judicate nobis exinde justitiam , sicut dominus imperator in verbis vobis mandavit. Nos autem qui supra missi & judices talia audientes, præsente domno apostolico , interrogavimus advocatum ipsius domni apostolici S. R. E. nomine Gregorium , quid exinde dicere voluisset. At ubi respondebat ipse dicendo , istas prædictas curtes , quas vos dicitis , nos tenemus ad partem S. R. E. sed non contra legem ; & ad partem monasterii sanctæ Mariæ nihil pertinuerunt. Nos vero qui supra missi & judices talem responsionem audientes , interrogavimus jam dictum Ingoaldum cum Audulfo advocato suo, si aliqua pertinentia aut testes de ipsis prædictis curtis haberent. qui respondentes dixerunt, quia & monimina , & testes exinde habemus, & præsentialiter ostendimus : & ipsa monimina præ manibus ostenderunt. Et cum ipsa monimina relegi fecissemus , continebatur in eis , qualiter Ansilberga abbatissa monasterii sancti Salvatoris de Brixia ipsas curtes in ipso monasterio sanctæ Mariæ per ipsa monimina delegaverat, quæ Teudicus dux eidem Ansilbergæ de ipsis curtibus emiserat ; & monimina , qualiter Ansa regina curtem sancti Viti a Teutone episcopo Reatinæ civitatis in concambium acceperat , & postea eidem Ansilbergæ filiæ suæ donaverat ; & præceptum Desiderii regis seu domni Caroli imperatoris, qualiter ipsas curtes cum rebus & familiis & cum omnibus ad eas pertinentibus in ipso sancto monasterio confirmaverant. Ubi respondebat ipse Gregorius advocatus jam dicti pontificis , & dicebat : Non est verum, quod istas prædictas curtes ad partem monasterii sanctæ Mariæ per ista mooimina habuissetis vel tenuissetis. Ad hæc respondebat prædictus Ingoaldus abbas cum Audulfo advocato suo , & dicebat , quia per ista monimina ipsas curtes ad partem sanctæ Mariæ tenuimus usque dum præfati pontifices per fortia eas tollere fecissent : & testimonia exinde habemus , qui sciunt qualiter ad partem sanctæ Mariæ pertinuerunt , & possessæ fuerunt , & qualiter per fortia nobis tultæ sunt. Nos qui supra missi & judices , dum talem altercatiooem inter eos audissemus, reguadiare eos fecimus , & fidejussores ponere uterque secundum suam legem , ut alia die in judicio ante nos parati essent. Alia vero die dum simul convenissemos in supra scriptum palatium Lateranense in præsentiam jam dicti pontificis , venit prædictus Ingoaldus abbas cum Audulfo advocato suo , & dixit : Domini, ecce nos parati in vestris præsentiis cum ipsis testimoniis , sicut inter nos guadiare fecistis. Et cum ipsa testimonia ante nos venire fecissemus , interrogavimus quæ sunt nomina eorum. qui dixerunt , Hitto , Gradolfus ; Gauspertus de Reate. Iterum interrogavimus eos , si voluissent de ipsa causa testimonium reddere , aut non ; aut si aliquid de ea scirent. Illi vero dixerunt : Istam causam bene scimus , & testimonium reddimus. Deinde interrogavimus Gregorium advocatum ipsius pontificis , si aliquid contra ipsa testimonia dicere voluisset. Ipse vero respondit : Contra ipsa testimonia nihil contrariom dicere volo , nec possum , quia boni homines mihi esse videntur. Iterum fecimus venire Joseph castaldum

dum ipsius civitatis Reatinæ, & alios bonos & veraces homines in eadem civitate commanentes; & interrogavimus eos per ipsum sacramentum, quod domno imperatori factum habebant, si ipsi testes suum testimonium affirmare potuissent, aut non. qui respondentes dixerunt: Per ipsum sacramentum domno imperatori factum habemus, quia isti homines boni & veraciores sunt, & suum testimonium ante domnum imperatorem & ante nos affirmare possunt. Tunc nos jam dicti missi & judices talia audientes, fecimus eos secundum legem separate, & Evangeliis positis juraverunt. Primus ita dixit: Quia ego scio & bene memoror, quoniam tempore Langobardorum, & postea tempore domni Caroli imperatoris, ipsas prædictas curtes ad partem monasterii sanctæ Mariæ tenere; & memoror ibi præpositos Johannem & Petrum & Christianum monachos de ipso monasterio, usque dum per fortia Adrianus papa & Leo ipsas curtes de ipso monasterio tollere fecerunt. Gradolfus similiter dixit. Gausfertus similiter dixit. Deinde fecimus jurare homines bonos & veraciores duodecim, & hæc sunt nomina eorum: Johannes clarissimus, Musio, Teuto, Castinus, Audacius, Alboinus, Medius, Gualipertus, Constantinus notus, Petrus, Fratellus, Hildericus scavinus; & fecimus eos jurare, & interrogavimus eos quid de ipsa causa scirent. Et ipsi similiter dixerunt. Postea Audolfus advocatus ipsius monasterii juravit dicens: Per ista sancta quatuor Evangelia, quia sicut isti testes dixerunt, sic fuit verum. Nos qui supra missi & judices talia audientes, tectum comparuit, & judicavimus, ut ipse Gregorius advocatus domni apostolici seu S. R. E. retradere debuisset ipsas curtes Audulfo advocato ad partem ipsius monasterii sanctæ Mariæ, quod facere noluit. Verum etiam & ipse domnus apostolicus dixit, nostro judicio se minime credere, usque dum in præsentia domni imperatoris nobiscum simul veniret. Cum talia nobis domnus apostolicus renuntiasset, pro firmitate jam dicti monasterii brevem exinde facere jussimus, ut in futuris temporibus per possessionem ipsum sanctum monasterium easdem curtes minime perdere debuisset. Hæc autem inquisitio facta est per Joseph episcopum & Leonem comitem missos imperiales, quam quidem & ego Paulus notarius scripsi anno imperii domni Ludovici XVI. mense Januario per indictionem VII. Romæ feliciter. † Ego Joseph episcopus & missus domni imperatoris in hiis actis interfui, & manu mea subsc. † Ego Leo missus domni imperatoris concordans subsc. † Ego Heleutherius vassus domni imperatoris ibi fui. † Ego Probatus ibi fui. † Ego Immo vassus domni imperatoris ibi fui. † Ego Lanfridus vassus domni regis ibi fui. † Ego Acerisius abbas interfui. † Ego Brunipertus ibi fui. † Ego Maximus ibi fui. † Ego Statius ibi fui. † Ego Campo ibi fui. † Ego Lantbertus Saligus ibi fui. † Ego Aboinus gastaldus ibi fui.

LIII.

Ludovici & Lotharii imperatorum preceptum pro parthenone sanctæ Mariæ Forojuliensi.

IN nomine Domini & Redemptoris nostri Jesu-Christi, HLudovicus & HLotharius divina ordinante providentia Imperatores augusti. Si liberalitatis nostræ munere aliquid locis Deo dicatis auxilii conferimus, id nobis procul dubio ad stabilitatem imperii nostri & ad animæ emolumentum profuturum liquido credimus. Proinde noverit experientia omnium fidelium sanctæ ecclesiæ nostrorumque, tam præsentium quam futurorum, quia veniens in præsentiam culminis nostri Maxentius ecclesiæ Aquileiensis patriarcha, precibus quibus valuit nostram imploravit clementiam, uti monasterium puellarum, quod dicitur sanctæ Mariæ, quod est situm juxta basilicam sancti Johannis, constructam infra muros civitatis Forojuliensis, in loco qui dicitur Vallis, prædictæ matri ecclesiæ sancti Marci evangelistæ & sancti Hermachoræ martyris atque pontificis, ubi auctore Deo ipse patriarcha præest, traderemus. quod ita & nos fecisse omnium vestrum cognoscat industria. Et ideo ob firmitatis studium hos nostros imperiales apices prædictæ matri ecclesiæ fieri jussimus, per quos præcipimus atque jubemus, ut prædictum monasterium puellarum cum rebus & hominibus ad id juste & legaliter præsenti tempore aspicientibus, abhinc in futurum in jure & potestate prædictæ ecclesiæ & rectorum ejus consistat: ita videlicet, ut quicquid rectores & ministri memoratæ ecclesiæ ob utilitatem & profectum ejus canonice ordinare, atque disponere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi quicquid elegerint. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora melius conservetur, manibus propriis subter firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus. Signum HLudovici serenissimi imperatoris. Signum HLotharii serenissimi augusti. Durandus diaconus ad vicem Fridogisi recognovit. Data III. idus Novembris, anno Christo propitio XVI. domni imperatoris HLudovici serenissimi, & HLotharii augusti VIIII. Actum Niumaga palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.

Ad lib. 30. n. 50. *Ex apographo illustrissimi Philippi a Turre episc. Adriensis.*

LIV.

Ludovici Pii preceptum pro Dervensi monasterio, de Dodiniaca curte.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, Ludowicus divina ordinante providentia imperator augustus. Si locum, quo olim monasticus ordo viguerat, in ædificiis relevari, & eamdem vitam monasticam reformari facimus, & liberalitatis nostræ munere beneficiis a Deo nobis conlatis eidem loco, unde servi Dei inibi consistentes in hanc mortalem

An. 832. ad lib. 30. n. 71. *Ex chartario Dervensi.*

vitam aliquod subsidium habere valeant, aliquid conferimus; id nobis & ad hanc transitoriam vitam feliciter peragendam, & ad æternam perpetualiter optinendam profuturum liquido credimus. Idcirco nosse volumus omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam & futurorum industriæ, qualiter Haudo venerabilis abba monasterii, cujus vocabulum est Ders, quod constat esse constructum in pago Pertense super fluvium Viera, quod olim vocabatur Puteolus, & dicatum in honore sancti Petri principis apostolorum, ac sancti Berchatii, cujus corpus ibidem requiescit; quique idem ipsum monasterium a novo opere construxerat, & monachos sub regula sancti Benedicti vitam degentes collocaverat; nostram adiens serenitatem, innotuit mansuetudini nostræ, quod eadem monastica vita penitus in eodem loco abolita esset, & in canonicum ordinem transierat: petiitque ac supplici postulatione deprecatus est, ut nostra auctoritate eamdem monasticam vitam reformari, & habitacula ad hanc vitam congrua reficiendo aptari permitteremus. Cui, sicut dignum erat, gratias egimus, & ea quæ deprecabatur ei fieri permisimus. Insuper & ut hoc quod idem ipse deprecabatur melius peragere, & servi Dei, qui inibi degere constituti & constituendi erunt, aliquod subsidium ex nostra largitione habentes libentius Deo servire potuissent; complacuit nobis pro mercedis nostræ augmento & æternæ retributionis fructu quasdam, res nostræ proprietatis, sitas in comitatu Breonense, id est villam ac beneficium illud, cujus vocabulum est Dodiniaca-curtis *, habentem mansos duodecim, quam hactenus vassallus noster, nomine Hisimbertus, nostra largitione in beneficium habuisse dinoscitur, cum omni integritate, id est cum mancipiis utriusque sexus, cum domibus, ædificiis, ecclesiis, terris cultis & incultis, silvolis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, molendino, vel quicquid ad denominatam villam juste & legaliter pertinere dinoscitur, & nostri juris ac possessionis in re proprietatis est, totum & ad integrum per hoc nostræ auctoritatis conscriptum ad antedictum monasterium, quod, sicut diximus, Ders nuncupatur, sollemniter delegare, ea videlicet conditione, ut a prælatis & monachis Deo inibi militantibus perpetua possessione teneatur ac possideatur. Et ut hæc nostræ concessionis atque largitionis auctoritas inconvulsam & inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria nostra subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus. Signum Lucdowici serenissimi imperatoris. Data XIIII. kal. Mat. anno Christo propitio XVIIII. imperii domni Lucdowici piissimi augusti, indictione X. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.

* *Ludovicus imp. dedit villam S. Christophori, & Novam-villam.*

L V.

Donatio quam fecit Troannus comes & uxor ejus Bova Majori-monasterio de rebus suis in pago Vindocinensi.

Ad lib. 31. n. 2.

Ex archivo Majoris-mon.

LUcrum maximum credimus animarum, si dum quisque corporeis motibus terram inhabitat, pro augmento cogitat domus æternæ, & de contemtu rerum temporalium cumulet sibi munimenta divinarum: aut certe, si id quod remanendo perire potuerat in hoc sabulo, in alimonus pauperum, vel loca distribuantur sanctorum Dei. Ideoque ego in Dei nomine Troannus comes & uxor mea Bova per hanc epistolam donationis vel traditionis donamus, donatumque perpetuo esse volumus ad monasterium S. Martini, qui vocatur Majus, quod est constructum super alveum Ligeris prope Turonis civitate in honorem S. Mariæ genitricis Dei & B. Petri principis apostolorum & B. Martini confessoris, ab eodem Christi confessore fundatum, unde venerabilis vir domnus Theoto abba esse videtur, vel omni congregationi ibidem consistentium, res proprietatis nostræ in pago Vindocinense, in condita Navoliense, in loco nuncupante Marciago, id est mansum juris nostri indominicatum cum domibus, ædificiis, & reliquis adjacentiis, vineis, silvis, pascuis, cultum & incultum, quantumcumque ad ipsum mansum aspicit, & nostra præsenti tempore videtur esse possessio, cum mancipiis ibidem commanentibus, id est Godobertum & uxorem ejus Rostodrudem cum infantibus eorum tribus; & in alio loco in ipso pago & in ipsa condita, in loco qui vocatur villa Heiredis, mansos serviles tres cum suis appendiciis, cum domibus, ædificiis & omnibus adjacentiis suis; & de vinea aripennos duos, terram arabilem sationi ad modios centum sexaginta; de pratis, aripennos duos; & in tertio loco prope Vindocino castro, in loco, qui vocatur Campus-Martius, mansum indominicatum cum appenditiis suis, cum domibus, ædificiis, & reliquis adjacentiis, & aliis compendiis, viridiariis, vineis, campis, pratis, pascuis, perviis, ingressis & regressis, aquis aquarumve decursibus, cultum & incultum, rem inexquisitam, ut die præsente nostra videtur esse possessio. Donamus præterea ad præfatum monasterium mancipia juris nostri XXX. his nominibus, Johannem, Theodrannum, Petrum, Letardum, Eumengardum, Guakdegaudum, Altarium, Audoinum, Theotbertum, Dodronnum, Frotmundum, item Petrum, Rostodrannum, Herigaudum, Flodaldum, Frotardum, Hisavium, Rostodunum, Guntarium, Gedeonem, Hildegisum, tres, Baldanem & Benedictanem. Hæc omnia superius comprehensa, id est tam rebus, quam mancipiis, vel quicquid in prædictis locis habere visi sumus, cum omnibus appendiciis vel adjacentiis, ad ipsum monasterium a die præsente totum & ad integrum tradimus perpetualiter ad possidendum: ita ut ab hac die, quidquid de supra scriptis rebus vel mancipiis

pars prædicti monasterii facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem. Ea vero ratione, ut memoratas res vel mancipia, quas vobis contulimus, tam nos, quam filius noster Troandus per vestrum beneficium diebus vitæ nostræ usufructuario ordine tenere & possidere debeamus. Et petivimus benivolentiæ vestræ, ut pro hujus meriti beneficio nobis villam vestram cum suis appendiciis, id est Vetus-mansiones, quæ conjacet in pago Cinomanoico, & in Abrincadino in illa Mussa diebus, vitæ nostræ beneficiare deberetis. quod ita & fecistis. Et censuimus nos pro hoc annis singulis ad festivitatem S. Martini hiemalem dare censum solidos duos partibus S. Martini vel vesteris: & ad illos famulos in monasterio servientibus sartiles quadraginta-unum, onumquemque longum cubito undecim & latum cubitos duos, & pullos cum ovis, quantos illi homines solvunt, aut pretium. Missa S. Martini, quæ est in mense Octobrio, de caseo modios tres, & omni anno per tres vices homines triginta diebus quindecim ad operandum, qui vivere debent de suo hebdomada una, & de rebus ejusdem villæ alteram; & ad tertium annum famulos, quales & quantos portarius elegerit. Et si de ipso censo tardi aut negligentes apparuerimus, intra dies quatuordecim in duplum restauremus. Et si fuerit post hunc diem aut nos ipsi, aut ullus de heredibus nostris vel coheredibus, aut alia qualibet extranea vel emissa persona, qui contra hanc donationem aliquam calumniam vel repetitionem inferre conaverit; illud quod repetit non vindicet, & insuper illi cui litem intulerit, auri libras decem, argenti pondo quinquaginta-una cum socio fisco multam componat; & hæc donatio nostris vel bonorum hominum manibus roborata omni tempore firma permaneat cum stipulatione subnixa. † Signum Troanno comitis. Signum Bovanæ conjuge sua, qui banc donationem fieri & adfirmari rogaverunt. Signum Guilono Gundacrus. Sig. Robertos. S. Huningus. Signum . . . . Signum Euracro. Sig. Harmano. Sig. Vuiliario. Sig. Hildeberto. Sig. Haribert. Sig. Frincario. Signum Fredrado. Sig. Stephano. Sig. Frodulfo. Sig Baldegario. Sig. Alberico. Sig. Offaldo. Sig. Etlebaldo. Sig. Ansegario. Sig. Ragenbaldo. Sig. Ifembaldo. Sig. Ragenberto. Sig. Herimanno. Sig. Aldeberto. Sig. Beato. Sig. Heriberto. Data in mense Marcio, anno vigesimo imperii domni nostri Ludovici serenissimi augusti. Ego enim Itmingrandis indignus diaconus rogatus scripsi & subscripsi.

LVI.

Excerptum ex epistola Johannis Schilteri Jurisconf. Argentoratensis de situ loci Campi-mendacii.

Ad lib. 31. n. 8.

SEd propero ad Campum-mendacii. Situs is est utique inter Argentoratum & Basileam, & quidem inter Argentoratum & Colmariam, in loco qui dicitur Rotfelth, id est Rubeus-campus, qui deinde Campus-mentitus vocatus, ut

habent Annales Bertiniani. Vis propius? situs est inter Argentoratum sive Rhenum & Illum fluv. imo inter Brisacum & Illum sive Ellum, a quo nomen Eliebi *, id est *Elle-gew*; sic enim scriptum olim, *Elle-gaw*, ut *Brisgaw*, hoc est *Gau*, pagus, & *Ell* fluv. sed hoc ἐν παρόδῳ. Inter Brisacum & Illum in chartis Jansonii & Hondii invenitur locus, qui dicitur *Hirzfeld*, hoc est Campus-cervorum, & forestum *die Hart*. Hic duabus horis a Brisaco reperitur hodie dictus locus *Rotleuble*, hic ipse ille Campus-rubeus censetur etiam ab illustri Obrechto, & indicatus nobis a Syndico nostro Klinglingio, qui nunc iter ad vos & aulam ingreditur. Est autem campus ille *Rotleuble* satis amplus & diversorum territoriorum, & ter mutavit nomen. Primum enim dictus Rotfeld, Campus-rubeus, ut est in Bertinianis: postea Lugenfeld, Campus-mentitus. Hodie *Rotleuble*, h. e. Rubeum-lobium, h. e. ombraculum in foresto. Talis Lobia ad forestum Liptinense ad Sambram describitur a Fulcoino de gestis abbat. Lobiensium c. 1. *quod rex pergens venatum, ibi sibi fieri jusserat obumbraculum ad temperandum solis æstum, quod Lobiam vocant. Laub* nobis frondes dicuntur, locus frondosus, frondibus obumbratus, qualem etiam in sylva Semana Thuringiam & Franconiam separante vocari memini. Neque credendum est nomen Campi-mendacii diu permansisse, sed sub Lothario imp. & fratribus ignominiosum id sibi reputantibus, nomen mutatum, & Lobiam ibi structam a qua totus campus ita cognominatur, quæ planities sterilis est & quasi maledicta ob perfidiam &c. Argentorati XIV. kal. Julii M DC XCVII.

* *græce rectius pronuntiatum ἐλλεβος.*

Dufresn. Glossar. v Lobium.

LVII.

Privilegium Ludovici pii pro Glonnensi S. Florentii monasterio.

Ad lib. 31. n. 26. *Ex archivo Glonnensi.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi Ludovicus divina ordinante providentia imperator augustus. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei ejusque in eisdem locis sibi famulantes beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Deum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia quemdam venerabilem virum Frotbertum cum monachis suis, quos in Italia misseramus, exinde reverti fecimus, & concessimus eis quoddam monasterium, quod est situm in territorio Pictavensi supra ripam Ligeris, quod dicitur Glonna sive S. Florentius, ubi idem beatus confessor Christi corpore quiescit: eo modo ut ibi secundum Regulam B. patris Benedicti vitam degerent monachicam, quem supradictum religiosum virum Frotbertum sive monachos, necnon & præscriptum venerabile monasterium cum omnibus rebus & mancipiis moderno tempore ibi aspicientibus vel pertinentibus sub nostra suscepimus defensione & immunitatis tuitione, qualiter per hanc nostram auctoritatem absque ullius injusta inquietudine quie-

ti & illæsi persistant. Et ideo hos nostros imperiales apices fieri jussimus, per quos præcipimus atque jubemus, ut nullus judex publicus, vel quislibet superioris aut inferioris ordinis reipublicæ procurator, in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones, quæ moderno tempore legaliter in quibuslibet pagi territoriis infra ditionem imperii nostri tenent vel possident, vel quæ deinceps in jure ipsius loci aut per nos, aut per quamlibet ingenuam personam voluerit divina pietas augere, judiciario more ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones aut paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii super terram ipsius commanentes distringendos, aut ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, ullo umquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ supra commemorata sunt penitus exigere præsumat: sed memoratis abbati ejusque successoribus res prædicti monasterii cum omnibus sibi præsenti tempore juste subjectis sub immunitatis tuitione quiete vivere ac residere. Et quicquid de rebus præfati monasterii fiscus sperare poterit, totum nos pro æterna remuneratione prædicto monasterio concedimus, ut perennibus temporibus in alimonia pauperum & stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quandoquidem divina vocatione supradictus abbas vel successores ejus de hac luce migraverint, quamdiu ipsi monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum regulam S. Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem & consensum licentiam habeant eligendi abbatem, qua ipsi servi Dei qui ibidem Deo famulantur, pro nobis & conjuge prolequе nostra & stabilitate totius imperii nostri a Deo nobis concessi atque conservandi jugiter misericordiam Dei exorare delectentur. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Deo protegente firmior habeatur, & per futura tempora melius conservetur, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. Signum HLudovici piissimi regis. Simeon diaconus ad vicem Fridugisi recognovit. Data pridie kalendas Julias, anno Christo propitio imperii nostri xr. * indictione xtr. Actum Compendio palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.

* lege xxi.

LVIII.

Fundatio Parthenonis S. Alexandri Parmensis.

Ad lib. 31. n. 39. *Ex archivo monasterii a R. P. Bacino communicata.*

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Quisquis ex rebus propriis vel facultatibus aliquid impertitur aut tribuitur, in præsenti sæculo bonam laudem pertinere, adque in futurum sæculo a Deo optimam retributione recipere credimus. Ideo ego in Dei nomine Cunicunda, relicta quondam Bernardi incliti regis, cogitans pro mercedem & remedium animæ seniori meo Bernardi vel mea, seo filio meo Pippino, ut aliquid de rebus meis dare volo in monasterio sanctæ Dei genitricis Mariæ, & sancti Alexandri martyris Christi, situm infra muros civitate Parmensis, quod in nostris propriis rebus construere vel ædificare visa sumus, a præsenti die dono, cedo, trado, mancipo adque transfirmo; ita ut ab hac die habeat ipsum sanctum meum monasterium omnes verum * rebus meis, quas nunc tempore ad manum meam habere visa sum, hic in finibus Parmensis, seu Regiensis, Motinensis, tam monasterias & curtis seu massariciis rebus meis. In primo monasterias duas, unum verum monasterium infra hanc muros civitatem Parmensis, qui est ad honorem sancti Bartholomæi apostoli. Alium namque monasterium foris muros civitate Regio non longe ab ipsa civitate, qui est ad honorem sancti Thomei apostoli cum omnibus casis & rebus seu massariciis, servis & ancillis, aldiones & aldionas, & omnibus eorum adjacentiis & pertinentiis, per quocumque ingenio; seu & curte mea ad Quattuor-areas cum omnia adjacentia & pertinentia sua, quod mihi per cartulas & comparationis advenit de Ermericus & Anspertus presbyteris, & Petrone filio beatæ memoriæ Arimundi; seu & alia curte mea in Fabrare similiter cum sua adjacentia, quod mibi per cartulas excomparationis advenit de Lamperto; adque terris curte mea in loco ubi nominatur Ceredo, juxta fluvio qui vocatur Siccla, cum omnia sua pertinentia & mihi expertinentem per quemvis ordinem. In integrum etiam rebus illis in Famardaco cum suas adpendices, quod mibi advenit per cartulas excomparationis de Aistulfo & Romoaldo; adque in Marcellas, qui regitur per Johanne libell. nom. seu & in Puteo-alto, qui regitur per Agimundo Libell. nom. & etiam in Noceto, qui regitur per Reginoldo libell. nom. seu & in Benaëna, quod nobis ex comparationem advenit de suprascripto Raginoldo; & in Garfaniana, quod Benedicto nobis per cartul. venundavit; seu in cellulas, quod de quondam Ugone nobis per cartulam excomparationis advenit; & res meas in Metasiano cum suos adpendices, quod Donum-Dei per cartulam nobis venundavit. insimul & quod Viventium cum suo germano similiter venundavit in prædicto loco; & etiam in Galegana, quod nobis per cartulam excomparationis advenit de Aletro seu in Tarabiano; & in Gambaritico juxta ipsa cartula; seu & in Foleviani & in Vezano cum appendiciis suis, quod conquisivimus per cartulam comparationis de Gumperto & Johanne; vel etiam in vico Sambulani, quod Leo & Walderico in nobis una cum Gariberto cartulas vindicionis emiserunt; adque & res illas in Paretineas, quod nobis per cartul. ex comparationis advenit de Luponem clericum; seu & res illas ad Molino-Antoni, quod nobis Teusperto per cartul. venundavit; adque in Sorbulo, qui regitur per Teusperto, & ipse nobis per cartul. venundavit; vel quod ibidem nobis advenit de Ansprando; & res illas in Berutto, quod per Walperto libell. nom. directas fiunt; seu rebus massaricias in Fingnarda, quod nobis de singulis hominibus per cartul. ex comparationis advenerunt, qui regitur per Ausperto & Gantеperto seu Agiperto, atque Johanne seu Domnino per libellos, vel etiam res illas in Melitulo,

quæ rectas fiunt per Petronem & Theodonem libell. nom. seu rebus & ripas vel piscationibus in loco ubi dicitur Sacca, juxta fluvio Pado; & res illas in Berutto, sicut ad nos ipsas ripas vel piscationibus fuerunt possessas, & defensatas; atque in Curaliano cum suos adpendices, qood nobis per cartul. excomparationis advenit de Podelberto, vel ubi ubi, per singulis locis nobis legibus modo pertinent, & ad suprascriptas monasterias & curtes seu villas & casalis subjecta sunt, omnia in integrum, cum casis, cum edificiis suis, curtis, arcis, areis, clausulis, campis, pratis, vineis, silvis, vel usum aquarum accessionem, fluminibus & fontaneis, seu molendinis & piscationibus, divisum & indivisum, finibus & terminibus, & cum omnes integritate sua, in ipsis finibus Parmensis seu Regiensis adque Motinensis, quicquid facere voluerit pars ipsius monasterii sanctæ Mariæ & sancti Alexandri, liberam in omnibus habere potestatem ex mea plenissima donatione vel traditione. Sed tamen volo, ut dum Dominus mihi vitam concesserit, de ipsis omnibus suprascriptus casis & rebus, ut superius in ipsum nostrum monasterium instituí habere, in mea sit potestate de ipsis frugis & censuras vel redditus, quod Dominus exinde annue dederit faciendum, exinde quicquid melius mihi prævisum fuerit, tantum ad usum fructuandum. nam non ipsas monasterias & casis & omnibus rebus superius comprehensis vendendi, nec donandi, nec communicandi, nec alienandi, nec oblicandi per nullumvis ordinem, nisi tantum, ut dixi, diebus vitæ meæ ad usum fructuandi: post autem verum meum decessum, volo & judico atque instituo, ut habere debeat istas monasterias & casis & rebus ad eas pertinentibus ipse filius meus Pippinus, & filiis filiorum ejus & eorum heredibus ac proheredibus legitimis masculini, qui propinquiores inventi fuerint. Et hanc percamenam cum atramentario de terra levavi, & Aresindo notatio civitatis Parmensis ad scribendum, adque eum stipului spopondi, ut ei auctor conscriptionis omnibus essem, necnon & testibus obtulit roborandum & firmiorem omni tempore obtineat roborem. Et si quis vero, quod futurum esse minime credo, si fuero ego ipsa, quod absit, aut ullus de heredibus ac proheredibus meis, aut quemlibet persona, quæ contra hanc meam donationem & institutionem quandoque temptaverit, vel aliqua calumnia seu repetitionem genorare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insupet sit culpabilis in ipso monasterio, vel filio meo Pippino ejusque heredibus, & ad filiis filiorum eorum legitimis masculinis, qui propinquiores inventi fuerint, una cum cogente fisco auri libras treginta, argenti-pondera centum; & hæc mea donatio sive traditio adque institutio, vel bonorum hominum manibus roborata, inconvulsa diuturnis maneat stipulatione subnixa. Actum in Parma civitas, regnantibus dominis nostris HLudowico & HLothario imperatoribus, anno vigesimo-secundo, & sexto-decimo, septimo-decimo kal. Julias, indictione tertia-decima. Sig. † Cunicundæ, qui hanc cartola traditionis fieri rogavit, & manibus suis signum crucis fecit, & testibus obtulit roborandum. † Ego Lantbertus episcopus, rogatus ad Cunigunda, manu mea subs. † Ego Nordbertus episcopus, rogatus ad Cunicunda, manu mea subs. † Adalghisus comes, rogatus ad Cunicunda, manu mea subs. † Ego Haetsbertus archidiaconus, rogatus ad Cunicunda, manu mea subs. Sig. † Jacob gartio ex genere Francorum testis. Sig † Herchenberti gartio ex genere Francorum testis. Sig. † Fulperti gartio ex genere Francorum testis. Sig. † Wisegeri gartio ex genere Francorum testis. Sig. † Garcioardi ex genere Francorum testis. Sig. † Leonci Francho testis. † Ego Nanchbaldo gard. rogatus ad Cunicunda me teste subs. † Ego rogatus ad Cunicunda mano mea subs. † Ego Mainberto, rogatus ad Cunicunda me teste subs. † Ego qui supra Aresindo, scripta hujus cartulæ traditionis coram hunc testibus . . . . ditam conscripsi. Actum Parmæ feliciter.

LIX.

Translatio reliquiarum S. Florentini martyris.

UT veridica relatione comperimus, beati Florentini translationem litterali tradere memoriæ operæ pretium & efficax duximus. *Ad lib. 31. n. 47. Ex ms. codice.* Quapropter notificamus, duas sorores genere nobiles, Godelinam & Lemissam, quarum una Carnotensis, altera Perticensis comitissæ fuerunt, divino afflatas amore, ultroneam sibi indixisse peregrinationem. Electis igitur itineris comitibus, & præparatis necessariis viæ sumptibus, ad limina beatorum Petri & Paoli, ceterorumque, quorum reliquiæ vel corpora Romæ requiescunt, cum magna devotione iter arripiunt. quæ itineris continuatione ad Florentinum castrum, quod super Armensiæ fluvio situm est, pervenerunt. Illi autem castro & circumjacenti regioni tunc temporis principabatur nobilis genere, possessionibus amplis, pollens temporali gloria & divitiis multis. hic generis affinitate dominabus illis conjunctus erat. Illas igitur ad castrum Florentinum pervenientes, quanta potuit honorificentia, & prout decuit humanitate gratanter refecit: & ibi erat quædam parvula ecclesia in honore B. Mariæ virginis constructa, quæ potius capella dici poterat quam ecclesia. Devotione igitur in B. virginem Mariam plurimum concepta, statuerunt ut propriis sumptibus ibi ecclesiam construi facerent, quæ earum devotionem Reginæ mundi gratam reddere videretur. In unum igitur prudentibus & honestis illius castri viris aliquot congregatis, multa prece instituerunt, ut ibidem in honorem virginis Mariæ ecclesiam lapideam honestissime construerent. quarum devotioni viris illis se libenter pariturος, respondentibus, comitissæ grates egerunt. Sumptibus ergo ad constructionem ecclesiæ sufficientibus datis, iter Romanum repetentes, a castro illo congratulabundæ discesserunt, multa precum instantia viris illis supplicantes, ut in re-

ditu suo Roma, ecclesiam præfatam honorifice constructam invenirent. Per multos igitur viæ labores, taodem, Domino gressus earum dirigente, Romam feliciter pervenere : ubi imploraris sanctorum apostolorum patrociniis, & iis pro quibus ierant rite perfectis, ad patriam reverti cupientes, retrogradum iter cum gaudio arripiunt. Tandem ad castrum, quod dicitur Brevios, id est Brevis-mutus *, hospitandi gratia diverterunt, quæ inhabitantium relatione pro certo didicerunt, ibi corpus sanctissimi Florentini martyris sepultum requiescere. Accedentes autem ad dominum castri illius, multa prece & munerum largitione impetraverunt sibi dari caput S. Florentini cum maxima parte reliquiarum corporis illius. Dominus autem in dandis reliquiis minime avarus, quod petebant effectui mancipavit.

* Bremur.

Acceptis igitur reliquiis, illæ comitissæ cum gaudio properantes ad Florentinum castrum pervenire summopere cupiebant. tunc in eodem castro defunctus puer septennis, qui vocabatur Allodius : mater vero orbata filio, biduo vel triduo corpus ejus inhumatum tenuit, nec sepulturæ tradi permisit. Audito autem reliquiarum sancti Florentioi adventu, cum omni populo obviam processit, & defuncti filii corpus illuc deferri fecit. Reliquiis vero defuncto superpositis & brachio sancti Hippolyti, quod de Roma secum attulerant, puer ilico surrexit, & sanus ac incolumis cum matre ad propria rediit. Idem postea diu vixit, & in fine dierum suorum sepultus est in eadem ecclesia B. Mariæ virginis. Cum igitur ecclesia illa nondum fuisset dedicata, dominæ illæ cum magna devotione ad dominum Aldricum, virum industrium, honestæ vitæ ac multæ religionis Senonensem archiepiscopum, accesserunt, & humiliter supplicaverunt, ut ad locum cum eis accederet, & ecclesiam, quam construi fecerant, dedicaret. Quibus annuens illuc accessit, & ecclesiam ad nonas Maii dedicavit in honore beatissimæ Mariæ virginis & sanctissimorum martyrum Florentini, Aphrodii atque Hilarii, omniumque sanctorum; & reliquias illas, quas dominæ illæ secum detulerant, ibi reposuit. Translatio vero reliquiarum beatissimi Florentini est pridie nonas Julii. Dedicatione autem celebrata, dominus archiepiscopus remeavit ad propria. Dominæ autem illæ diu in ecclesia, quam construxerant, perendinaveruot; & tandem repentina infirmitate tactæ, in die circumcisiooís Domini lecto decubuere, & io epiphania, Domino vocante & earum labores misericorditer remunerante, in præfata ecclesia decesserunt. Sepultæ sunt autem io eadem ecclesia ante altare B. Mariæ V. genitricis Dei; ubi multa fidelibus præstantur beneficia, præstante Domino nostro Jesu-Christo, cui est honor & gloria per infinita sæcula sæculorum, amen.

L X.

Formula manumissionis ad clericatum.

Ad lib. 31. n. 10. *Ex archivo S. Aniani.*

CUm christianissimus ac religiosissimus imperator Ludovicus, cælestis protectionis ope suffragante invictissimus augustus, sanctam matrem ecclesiam ad meliora instantissime subveheret, hoc ei inter cetera sanctæ devotionis suæ studia exhibuit, ut usus valde inolitus atque reprehensibilis, qui dignitatem ejus magna ex parte fuscare videbatur, eo quod scilicet servilis & originatiæ conditionis personæ contra statuta canonum sacris divinisque mysteriis eatenus applicarentur, suæ auctoritatis præcepto ab ea pellerentur; & qualiter dehinc hujuscemodi conditionis homines ecclesiæ utilitati idonei reperti nexu servitutis eriperentur, & ad hanc dignitatem promoverentur, una cum consensu pontificum & optimatum imperii sui statuere procuravit. Idipsum quoque veneranda proles ejusdem imperatoris, invictissimus rex Karolus, pari voto honorificentiæ sanctæ Dei ecclesiæ annuit. Igitur ego in Dei nomine Ugo, misericordia Dei abbas ecclesiæ gloriosissimi Christi confessoris Aniani, juxta memorati piissimi augusti præceptum, te clericum, nomine Raginaldum, ex familia ejusdem sancti Aniani progeniem ducentem, hoc est ex Appiariis villa, ante sanctum altare & præsentiam fratrum S. Aniani, una cum collubentia eorumdem fratrum & deprecatione Adalaldi archiepiscopi, qui jam dictam villam, Appiarias scilicet, in beneficium habet, ab vinculo servitutis ob amorem Domini nostri Jesu-Christi, ad cujus militiam eligeris, publice absolvo, civemque Romanum instituo : ut abhinc, Christo favente, in tuo jure & potestate consistens, ita vivas ingenuus civisque Romaous, tamquam si a liberis ortus fuisses parentibus; & neque nobis, neque successoribus nostris quidquam noxialis debeas servitutis, sed sub integra plenaque ingenuitate, quam propter sacri ordinis dignitatem accipere mereris, tempore vitæ tuæ permaneas : quatenus a catena servitutis, cui nascendo hactenus obnoxius extitisti, per hanc absolutionem ereptus, securius liberiusque divinæ potentiæ Domino adjuvante famulari valeas. Ut vero absolutionis hujus titulus, pro reverendis cultibus venerabiliter celebratus, firmum omni tempore obtineat vigorem, manu propria subter roboravimus, nobilissimoque sancti Aniani clero adstipulandum destinavimus. Ugo abba subs. Adalaldus archiepiscopus subs. Warmundus subs. Emmo subs. David subs. Maranus subs. Salomon subs. Gauxbertus subs. Data III. nonas Octobris anno I. regni Karoli imperatoris.

L X I.

Hildemari monachi epistola ad Ursum Beneventanum episcopum de recta legendi ratione.

Ad lib. 32. n. 30. Ex ms. comment. ejus in Reg. S. Benedicti.

UT magis magisque pateſiat, epistolam quam Hildemarus magister Urſo prædestinato atque electo episcopo ſanctæ Beneventanæ eccleſiæ de ratione bene legendi ſcripſit, prius ſubjungere curamus. Deinde cetera quæ ad lectionem pertinent, tam ex traditione quorumdam modernorum magistrorum, quam ex auctoritate beati Augustini & ceterorum doctorum inferius ſubnectemus. Hæc eſt præfata epistola.

SUo ſanctiſſimo domino Urſo Hildemarus inutilis ſervus ſalutem. Noverit denique veſtra, ô dulciſſime pater, ſancta beatitudo, nullum plus me mortalem quam vos diligere : unde quia modo alio vobis prodeſſe nequeo, divinam clementiam ſuper veſtræ ſalvatione indeſinenter expoſco animæ : quatinus ipſius piæ miſerationis reſpectu a cunctis verſutiis antiqui hoſtis eruti, & hic multarum ubertate virtutum frui, & poſt hujus mortalis vitæ curſum ſupernorum collegio civium potiri mereamini. Ego quippe miſerrimorum cunctorum ſatis quoque miſerior, ſtudiis hic conſiſtens quietis, difficile abſque cordis anxietate quæ mandatis ſcribere poſſem: præſertim cum vobis plura ſcientibus hæc on ſint nec eſſaria, niſi divinæ caritatis beneficiorum veſtrorum, veſtra quæ lata caritas magnopere nobis impendere ſtudet, memor exiſterem. Veſtræ igitur dilectionis canſa, ſcientiæ officiique mei modum excedens, veſtro parere curabo præcepto. Quamvis itaque ars diſtincte legendi potiſſimum in poſituris conſiſtat ; ſunt tamen & illi accentus ineruditis lectoribus aliquo modo utiles, quos Donatus enumerat. Nullus nempe ignorat, quod pars illa, cujus titulus eſt de accentibus, ob enuntiationem ſyllabarum præcipue fuerit edita : quoniam quidem per accentuum vim ratio ſonandi in ſermonibus demonſtratur. Neſcimus enim quomodo ſonare debeamus ſyllabam longam vel brevem, utrum circumflexo an gravi, niſi per accentum, ut Iſidorus dicit. Accentus autem dictus, quaſi ad cantus, quod juxta cantum ſit. Et quamvis Pompeius dicat duos tantum accentus neceſſarios apud Latinos, id eſt acutum & circumflexum ; Sergius tamen dicit, ſunt omnes accentus Latini octo, ſcilicet acutus, gravis, circumflexus, longus, *Yſen*, diaſtole, apoſtrophus, his adduntur daſian. ⊢. & pſilen ⊣. id eſt aſpiratio & ſiccitas. Et quia horum accentuum virtus vobis manifeſta eſt, pauca de poſituris loquar, maxime quia artem diſtincte legendi epiſtola veſtra pandere monuerit, id eſt ſigna, per quæ poſſit lector cola & comata atque periodos noſſe. Horum quippe notitia in particula, cujus titulus eſt de poſitutis, plenius continetur. Tres quippe ſunt poſituræ, ut Donatus ait : id eſt diſtinctio, ubi finitur plena ſententia: hujus punctum ad ſummam litteram ponimus. Subdiſtinctio, ubi non multum ſupereſt de ſententia : hujus punctum ad imam litteram ponimus. Media diſtinctio eſt, ubi fere tantum de ſententia ſupereſt quantum jam diximus ; hujus punctum ad mediam litteram ponimus. Diſtinctio, ut Iſidorus dicit, poſitura eſt figuræ ad diſtinguendos ſenſus per cola & comata & periodos, quæ dum ordine ſuo ponitur, ſenſum nobis lectionis oſtendit. Sergius dicit colon eſſe, ubi duo liberi pedes ſunt, ut *terruit urbes ;* comma vero quando poſt duos vel tres pedes ſequitur præſyllaba, quæ partem terminat orationis, ut eſt in primo verſu primo libro Æneidos : *Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris.* Sed hæc in metro. Nam proſa his tribus punctis hoc modo diſtinguitur : *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Non ergo miremini, quod in medio ſenſu notam acuti accentus fecerint, quam ut ab eruditis didici viris, his tribus punctis tres aptantur accentus, id eſt uſque ad medium totius ſententiæ ſenſum, gravis ; in medio quoque tantummodo ſenſu, acutus ; deindeque uſque ad plenum ſenſum, circumflexus. Ita ut nec ante acutum ſit circumflexus, nec poſt acutum ſit ullo modo gravis. Hoc autem omnino a lectore obſervandum eſt, ut in medio ſolummodo totius dictionis ſenſu, vox ipſius paullo eminentius elevetur, & ante elevationem per ſingula ſubdiſtinctionis puncta graverur, atque poſt prædictam elevationem per ſingula puncta circumflectatur, ſalvo illo ſenſu, quem Donatus tractat in accentuum ratione. Ait enim inter cetera monoſyllaba, quæ correptam vocalem habent, acuto accentu pronuntiandas, ut *fax, pax, nix, nux :* quæ vero productam vocalem habebunt, circumflexo accentu pronuntiabimus, ut *res, dos, ſpes.* In medio quoque dictionis ſenſu non ultimam ſyllabam acuendam, quod ars nonniſi in paucis diſcretionis cauſa ſinit, ſed totam illam partem orationis, quæ ultima fuerit, altius enuntiandam vel gravandam vel circumflectendam dicimus, ſalvo unicuique parti & præſyllabæ ſuo naturali ſono. In interrogationibus autem atque percontationibus vox legentis neceſſe eſt acuatur, ſed paullo vehementius, quam in acuto accentu. Hæ notæ interrogandi ?, hæc percontandi*, hæc negandi ǫ. Inter percontationem autem & interrogationem hoc veteres, Auguſtino teſte, intereſſe dixerunt, quod ad percontationem multa reſponderi poſſunt, ad interrogationem autem, aut *non*, aut *etiam.* Verbi gratia, percontando legimus : *Quis accuſabit adverſus electos Dei**. Illudque quod ſequitur ſono interrogantis pronuntiatur, *Deus qui juſtificat* ?. ut tacite reſpondeatur, *non.* Itemque percontando, *Quis eſt qui condemnet**. Interrogando quod ſequitur, *Chriſtus Jeſus*, & cetera uſque *pro nobis* ? ut reſpondeatur ? *non.* Dictæ autem poſituræ, vel quia punctis poſitis adnotantur, vel quia ubi vox propter intervallum diſtinctionis deponendo vel gravatur vel erigitur vel circumflectitur ; nota vero, cujus vocabulum eſt *yſen* verba neceſſe

est jungat male disjuncta, ut *ante-tulit*. Apostrofos autem separat male conjuncta, ut *conspicitur' sus*. Sed & hoc non est prætermittendum, quod propter inertes lectores inveniuntur aliquando syllabæ, aliquando pedes in prosa notati, ut ĕdŏmŏ, ĕdŏcĕt, sattrŏ, imĭtŏr, ălăcĕr, quandĭŭ, Hierĕmĭăs, Isăĭăs, trucĭdŏ, addĭcit, revéra, pudícus, ínlicit, íbidem. Hæc vero adnotatio rarissime in libris invenitur veteribus. O domine mi, ecce quod rogastis, nec brevius, nec apertius scribere potui; verumtamen videtur mihi rustico & insipienti, quod quantum ad peritiam legendi attinet, sufficiant hæc: tantum sonus vocis deest, qui in variis punctis & notis varius esse debet, idcirco quod scribi non valet. Sane oculis sanctæ individuæque Trinitatis solummodo patet, quod almitati vestræ pleniter litterali indagine pandere non valeo, vel quantum precibus in vestris confido, vel quantum ego ipse vestrimet memor existo, & patri commendo Leoni, ceterisque qui sunt apud vos fratribus, deprecans per communem Redemptorem, ut vel mei semel sint memores Deum orando. Mementote nihilominus flagito omnium fratrum bie degentium, ut orationibus vestris a malis omnibus tueantur, in bona devotione consolidentur, & spei fideique atque caritatis gemmis ornentur. Concedat vobis pia Omnipotentis miseratio cunctos subripientium delictorum laqueos evadere, & per viam salutis mente devota currere, consummatoque cursu tramite recto ad cælestia regna transire.

LXII.

Lamberti Pultariensis monachi ad Albericum abbatem Epistola ejusdem argumenti.

Ad lib. 32. n. 30.
Ex nostro apographo.

DOmno abbati Alberico & fratribus qui secum sunt, frater Lambertus S. Petri Pultariensis, Salutem.

Quod ad me misistis, ut præter spem vestram a rudi erudiremini, nisi quia & vita vestra, & conversatio cultus justitiæ videretur, quasi ironia fuisse, non indigentia scientiæ. Nam misistis, ut vulgo dicitur, ovem ad capram mutuare lanam, ut ego scilicet jam desipiens, jam delirus senex, jam letargia obsitus, ore balbutienti, utpote edentulus, ipsam docerem Minervam. Sed tamen ne forte opinaremini me non ex veritate ignorantiæ, non ex paupertate intellectus, sed potius ex ignavia vel contemptu vestram repudiasse petitionem; ex bis, quæ vel a magistris didici, & vix recolligere potui, vel ex longo usu retinui, quædam pavida manu temerarius scriptor, sicut in Psalterio, subnotare studui, vos amicos nostros insipientiæ supportatores arbitratus, non subsannatores, quorum si qua placent, Dei ex merito vestro misericordiæ; si qua vero displicent, errori meo imputate. & tamen, si factus sum insipiens, vos me coëgistis. Dicimus itaque *usque módo*, quamquam rectius videremur antepenultimam acuere; dicimus *aliquo módo*, *quoquo módo*, *quonam módo*, *quodam módo*, *nullo módo*. Est enim, dicente Prisciano, quando duæ partes pro una accipiuntur, in diversas significationibus adverbiorum, ut *nullómodo*, *nullátenus*, *omnino*, *usquómodo*, & cetera hujusmodi. Dicimus *alicújus* & *alicujúsmodi*, *nulliúsmodi*, *istiúsmodi*, *aliunde*, *proinde*, *éxinde*, *súbinde*, *deinde*, *ábintus*, *déintus*, *déintro*, *déforis*, *áforis*. Dicit enim Priscianus, quia cum apud Græcos præpositio composita est cum dictionibus quibusdam penultimam habentibus acutam, antepenultimam eam idem talem, scilicet acutam, facit. Apud nos in uno idem in solo adverbio hoc solet facere, scilicet antepenultimam acuere, ut *inde*, *déinde*; *intus*, *déintus*, *ábintus*; *intro*, *déintro*; *longe*, *délonge*, *álonge*, *ámodo*, & cetera, ne si gravetur præpositio, & non acuatur, per appositionem putetur esse ante adverbium, quod fieri non licet. Ex his vel supradictis potest colligi, qualiter *usquemodo* debet accentari. Et notate quod in quibusdam usus, in quibusdam ratio prævalet, in quibusdam vero usus & ratio & auctoritas conveniunt. Dicunt quidam *enimvero*, quidam *enimvéro*. Sed quia hic usu mihi vacillante, nec auctoritas suffragatur, nec firma ratio, vestro relinquo judicio vel excellenti ingenio. Dicimus *équidem*, *quandóquidem*, *quoniámquidem*, *átubi*, *ástubi*, *ubinbi*, *úbinam*, *quisnam*, *quinam*, ubi non eversis syllabica videtur epentesis, ut in quibusdam nominibus & pronominibus & adverbiis invenitur. Dicimus *quamóbrem*, *áttamen*: *sédtamen*, *íttamen*, *síquando*, *néquando*, *alíquando*. a primitivo enim temporali adverbio, quod est *quando*, composita sunt, *siquando*, *néquando*, *aliquando*, quæ, ut dicit Priscianus, antepenultimam habent acutam, ne duæ partes esse putentur divisæ, & differre causa ad *aliquánto*, quod consimilem sonum habere videntur, acuitur penultima in *aliquando*. Dicimus *quámdiu*, *támdiu*, *aliquámdiu*, *tantómagis*, *quantómagis*, *multómagis*, *siquóminus*, *paulóminus*, *nihilóminus*, *multominus*, *tantominus*, *quantominus*, *quominus*, *paulópost*, *alióquin*. &c. Dicimus *propémodum*, *alphabétum*, *intérsit*, *interest*, *monarchia*. Dicimus tamen *neoménia*, *scenophigia*, correpta penultima, ad similitudinem Latinorum nominum, in quibus raro invenitur *i*-vocalis longa ante *a* vel aliam vocalem, quamvis ei, quod est apud Græcos in hujusmodi dictionibus in *i* longam apud nos debeat mutari. Ipsi enim dicunt *tragedeia*, *comedeia*, *Alexandreia*, pro quo apud nos ei mutata in *i* longa, debemus dicere *tragedia*, *Alexandría*, &c. *i* producta: sed sequimur interdum in hoc Latinos poëtas, qui in hoc more suo *i* correpta protulerunt, ut Horatius, *Effutire leves indigna tragédia versus*. Et Juvenalis: *Namque comédia mimus, quis melior plorante gula*? Emendavimus in Psalterio: *dirumpamus* & *dirupisti*, *s* sublata: nam teste Prisciano, licet *dis* & *di* præpositiones, quæ non nisi compositæ inveniuntur, habeant eamdem significationem, tamen *dis* non ponitur, nisi quando sequitur *c*, vel *f*, vel *s*, vel *p*, vel *t*, vel *i* in loco consonantis, ut *discumbo*, *differo*, *dispergo*, *distraho*, *disjungo*. aliis vero quibuscumque consonantibus sequentibus, *di* præponitur, ut *dimitto*, *diduco*, *digero*, *diluo*, *dirimo*, *diruo*, *dirumpo*,

rumpo, dirigo. Isidorus in libro etymologiarum dicit Sichem Samariæ urbem, quæ latine & græce Sychima vocatur, ædificavit Emor, appellavitque eam nomine Sichem filii sui. Ipsa est nunc Neapolis civitas Samaritanorum: quod nomen per *h.* ubique io historia scriptum invenimus. In his vocabulis, scilicet cássia & pellicanus in plerisque antiquioribus libris *s* & *l* geminatam invenimus. sed hæc ipsa geminatio an ex ipsotum nominum creatione fieri debeat, non legimus. Hæc tantummodo de his in etymologiarum suarum libro dicit Isidorus. Pellicanus est avis Ægyptia, habitans in solitudine Nili flumiois, unde & nomen sumsit. nain Canopus dicitur Ægyptus. Hactenus de vocabulo. Item idem cum de aromaticis arboribus tractaret; Cassia, inquit, nascitur in Arabia, virga robusti corticis & purpurei, foliis ut piperis. nihil amplius. Hæc qualiacumque hic & in Psalterio ex amici vestri languida scientia, quæ quasi extorsistis, cum non obedire timui, si non displicent, ioterim assumite: & si quid vobis aliud aliunde verius illuxerit, hæc quæso nostra, immo non nostra, nisi quia per oos recensita, penitus abradere non differatis, ne forte alicujus sinceritatem, quod absit, fiant acescere. Valete, & nobis inter Sillam & Charibdim navigantibus, sed præ nimia tempestate vix remigare sustinentibus, orationis & consilii vestri manu subvenite ne absorbeamur.

LXIII.

Lotharii imperatoris preceptum pro monasterio S. Faræ.

Ad lib. 32. n. 41. *Ex archivo monasterii.*

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi Dei æterni, HLotharius divina ordinante providentia imperatot. Imperialem exercentes consuetudinem, sanctimonialium feminarum petitiones annuendo perficimus, quas rationabili cognoscimus ordine fieri, præcipue tamen illarum, quæ consanguinitatis nobis vinculo sunt conjunctæ: quatinus in eis & humanum adimpleamus affectum, & religionis diligentiam observemus. Quapropter noverit omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ, nostrotumque tam præsentium quam & futurorum iodustria, quia dilecta amita nostra Rothildis, venerabilis abbatissa ex Faræ monasterio, quod consistit in comitatu Melciano, constructumque est in honore sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ, detulit serenitatis nostræ obtutibus domini piæ recordationis genitoris nostri Ludovici augusti auctoritatem, in qua concinebatur, qualiter ad petitionem ejus quoddam monasteriolum, quod Giacus nominatur, & consistit in comitatu Wastinense, concesserit ipse esse coojunctum præfati * Faræ monasterii, tam ejus tempore, quam rectricum ipsius cœnobii tempore, quæ post eam venturæ sunt; ot sanctimoniales, quæ illic Deo famolabuntur, victus sufficientiam ac vestimenrotum habere potuissent. Unde nostram petivit excellentiam, ut pro majoris securitatis ac firmitatis studio, idem genitoris præceptum nostra confirmaremus auctoritate. Cujus precibus divino ducti amore libentissime acquiescentes, hos celsitudinis nostræ apices fieri jussimus, quibus genitoris nostri decretum sancimus, modisque omnibus confirmamus, ut, sicut in boc continetur, nuncupatum monasteriolum, Giacus nomine, supradicto Faræ mooasterio sit sociatum, & ambo in unum conjuncta sint: quatimus sub unius semper abbatissæ ordinatione atque gubernatione, quæ per decursus temporum eisdem præfuerint monasteriis, cum omni integritate atque possessione sua, cum rebus scilicet omnibus ac familiis, juste & legaliter ad se pertinentibus, inconvulse atque indissolubiliter pariter maneant, ut nullo umquam in tempore a cujuslibet potestatis persona separentur ab iovicem vel sequestrentur; sed, ut jam dicta patris nostri continetur auctoritate, conjuncta subsistant, unumque alteri in quibuscumque indiguerit auxilium & subsidium rite conferre jubemus. Præterea ut de villa Galgiacus nomine, quæ est ex præfato Faræ monasterio, nonæ & decimæ annis singulis persolvantur absque contradictione ab illis qui eam modo tenent, quoadusque eamdem villam pleniter suo restituamus in loco. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas omni tempore inviolabiliter valeat perseverare, de anulo nostro subter eam jussimus sigillare.

* al. potestati.

LXIV.

Versus de eodem Lothario ex ms. codice Evangeliorum bibliotheca regia.

ARbiter altithronus mundi, formator & auctor, Ad lib. 32. n. 51.
Quique polos servas, & cuncta potenter & ævi,
Qui regnare jubes reges per sæcula mundi;
HLotharium, qui nunc fultus pietate tua alma
Induperator habetur rex augustus io orbe:
Dextera celsa tua exaltet, defendat & ornet,
Imperium ut teneat, ditaret, firmet, adunet.
Utatur bene, pace fruens & prosperitate,
Ac valeat, vigeat, vivatque per sæcula felix.
Nam pius ipse augustus, Christi ductus amore,
Hoc decus almificum ecclesiæ prævidit ut esset,
Præsulis atque beati Martini veneratu
Hunc pulcreque gregem librum intra scribere jussit,
Ipsius ornare auro & picturis venerande;
Ut notum faciat, quantum pollet locus ille.
Sed Sigilaus parens jussis regis studiose,
Hoc evangelium illic totum scribere jussit,
Præscripti atque gregis voluit frater fore cæsar,
Scilicet ut humilis doonum capiatque supernum.
Nempe ipsi grex toto nisu Cunctipotentem
Pro virtute augusti & prosperitate perenni,
Pro veneranda & conjuge, necnoo prole precatur.
Pictus habetur ob hoc necnon rex pagina in ista:
Ut quisquis vultum augusti hic conspexerit umquam,
Supplex ipse Deo dicat, (Laus) cunctipotenti

Lotharius requiem mereatur habere perennem, Per Dominum nostrum Christum, qui regnat ubique.

LXV.

Præceptum Caroli Calvi pro Majori-monasterio.

Ad lib. 32. n. 73. Ex archivo Majoris-monasterii.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus gratia Dei rex. Si erga loca divinis cultibus mancipata ob amorem Dei eorumque necessitatibus consulentes, qui in eisdem locis supernæ pietatis sedulo famulantur, beneficia opportuna largimur, præmium nobis a Domino sempiternæ remunerationis rependi minime dubitamus. Proinde comperiat omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ tam præsentium quam & futurorum industria, quia vir venerabilis Rainaldus abbas monasterii S. Martini Majoris, quod est constructum prope Tur. civitatem super alveum Ligeris, obtulit obtutibus nostris auctoritates immunitatis augustorum, id est gloriosæ memoriæ avi nostri Caroli, beatæque recordationis genitoris nostri Ludovici, in quibus erat insertum, qualiter iidem gloriosissimi imperatores præfatum monasterium propter amorem Dei, tranquillitatemque fratrum ibidem consistentium, sub plenissima tuitione & immunitatis defensione quisque in tempore magnæ suæ potentiæ consistere fecissent. Sed pro rei firmitate postulavit clementiam nostram prædictus abbas, ut parentum morem sequentes, hujusce nostræ immunitatis præceptum ob amorem Dei & reverentiam dominici cultus erga ipsum monasterium fieri censeremus, quo & antecessorum nostrorum auctoritates erga memoratum locum pietatis gratia ordinatas inviolabiliter decerneremus mansuras, & a pravorum illicitis infestationibus, & a callidis occasionibus redderemus securum. Insuper supplici voce innotuit culmini dignitatis nostræ, quatenus concederemus memorato sancto loco, ut quisquis ex fratribus ejusdem congregationis de colonis aut servis S. Martino olim attributis, aliquem nutrierit aut docuerit, ex quacumque sit villa aut beneficio, a nemine inde subtrahatur; sed cujus fuerit alumnus, habeat licentiam, si dignus fuerit, ad sacerdotale onus provehere sine aliqua alicujus insultatione. Et hoc ob id postulavit, quia quamplurimi ex ipsis fratribus ex villis S. Martini erant diversis, etiamsi in officinis eorum aliquem habuerint servientem, cujuscumque sit conditionis, tantum ut de potestate sit S. Martini, a nemine invadatur, neque subtrahatur. Cujus petitionibus libenter assensum præbuimus, & hoc nostræ auctoritatis præceptum immunitatis atque tuitionis gratia pro firmitatis studio & animæ nostræ emolumento fieri decrevimus: per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus judex publicus, neque quilibet ex judiciaria potestate, aut nullus ex fidelibus nostris, tam præsentibus quam futuris, in ecclesias aut loca vel agros seu aliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis & territoriis infra ditionem regni nostri possidet, quidquid ibidem propter divinum amorem collatum fuit, quodque etiam deinceps in jus ipsius loci à Deum timentibus hominibus voluerit pietas divina augeri, in causas audiendas, in freda exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quam & servos super ejusdem terram commanentes distringendos, nec teloneum, aut inferendas, aut rotaticum, aut ripaticum, seu portaticum, sive etiam exclusaticum, aut nautaticum, vel roliaticum, aut herbaticum requirendum, ne ullas retributiones, aut illicitas occasiones ingerendas, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat: sed liceat præfato abbati suisque successoribus cum rebus omnibus ad memoratum monasterium pertinentibus, id est cum agris, vicis, villis, cum omni familia & universa possessione, quæ ad ipsam ecclesiam collata est, vel undecumque moderno tempore quibuscumque provinciis, pagis, locis & territoriis noscitur habere dominium, sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine residere: & quicquid de præfatis rebus monasterii jus fisci exigere poterat, in nostra eleemosyna in integrum eidem concessimus monasterio cum prædictis alumnis eorum & servientibus omnibus, scilicet ut perpetuo tempore ad peragendum Dei servitium augmentum & supplementum fiat: quatenus ipsis servis Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis & conjuge prolequе nostra, & stabilitate totius regni a Deo nobis collati, & ejus clementissima miseratione per immensum conservandi, Dei immensam clementiam delectet jugiter exorare. Si autem quis nostrorum sua cupiditate aut aliqua maligna suggestione hujus præcepti immunitatis temerarius violator extiterit, primitus multetur nostra offensione, deinde socio fisco ac regali lege auri libras XXX. coactus exsolvat. Hanc itaque auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, & a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris diligentius conservetur, manu propria subterfirmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. Signum Karoli gloriosissimi regis. Æneas notarius ad vicem HLudovici recognovit. Data IIII. kal. Januarii, indictione VI. anno IIII. regni Karoli gloriosissimi regis. Actum Turonis in monasterio S. Martini in Dei nomine feliciter, amen.

LXVI.

Charta Viviani abbatis de ecclesia S. Mariæ apud Majus-monasterium sita.

Ad lib. 33. n. 22. Ex eodem.

QUisquis divinæ retributionis flagrat amore, quatenus post devictum hujus transitorii sæculi certamen mereatur voce piissimi Judicis optatissima quiete consolari, consequens ac dignissimum credimus & confitemur, ut & hic fideli sanctione, misericordia Dei cooperante, provehi ad incrementa sanctæ conversationis atque devotionis spe & ambitione tendat, ut quid-

quid aut fastus iniquæ vitæ contulerit, aut inertia humanæ imbecillitatis, ut assolet fieri, mortalibus indixerit, provectu & sublevamento piissimarum precum sanctorum sublevetur. Itaque ego in Dei nomine Vivianus, qui, licet indigne, tamen curam atque regimen abbatiæ S. Martini basilicæ necnon & Majoris-monasterii sortitus sum, notum esse volumus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus atque cunctis successoribus nostris, abbatibus scilicet prædictæ ecclesiæ, quoniam innotuit nobis, quod quidam servitorum ejusdem ecclesiæ atque monasterii, quod Majus nuncupatur, atque precatus est, nomine Ebrenus, presbyter custos memorati loci, quod quoddam oratorium infra idem monasterium situm, atque a beato Martino fundatum, quod est in honore B. Mariæ semper virginis, relevare atque ex rebus ejusdem abbatiæ honorare satageremus. Cujus petitionibus libentissime assensum præbuimus una cum decreto & voluntate utratumque congregationum, scilicet basilicæ S. Martini & Majoris-monasterii, ut prædictum locellum prope portam monasterii, id est cryptam, ubi prædicta Dei-genitrix in Domini honore colitur & veneratur, & discipuli beati Martini in somno pacis quiescunt, ob ejus amorem & Dei reverentiam quantulocumque adjutorio per scripturam hanc relevare atque erigere conaremur: quo & succedenti tempore & præsenti immutabiliter conservetur, quicquid a nobis his prædictis fratribus sancitum fuerit supradicto custodi, videlicet Ebreno, & dum diu idem advixerit, jure firmissimo teneatur hoc quod promptissima voluntate prædicto locello detulimus, id est, factum * unum & dimidium in pago Turonico, & loco nuncuparo Tavennis super fluvium Vincennam; & mansellum illud, quod Haimo & Walannus fratres S. Martino tradiderunt in prædicto pago vel in loco nuncupato Casellis, & quartulam prope jam dictum monasterium, quam Dabaudus jam dudum habuit, cum omnibus ad præfatos mansellos pertinentibus, scilicet vineis, terris cultis & incultis, vel commanentibus, necnon & pratis, & pascuis, exitibus & reditibus, absque restagatione aut impedimento cujuslibet rei in Dei nomine prædictus Ebrenus presbyter in honore Dei perenniter obtineat: quatenus valeat in optinendo Deum assidue militare, & nullum omnino ex hoc quod pro nostra redemptione & Dei amore, ut prædictum est, contulimus jam dictæ Dei-genitrici Mariæ, officium servituris exsolvat cuilibet, nisi soli Deo & eidem prædicto locello. Neque sui successores, qui post eum in eadem ecclesia, cum ipse dispendia vitæ passus fuerit, aliquid de his quæ prædiximus imminuere præsumant, sed integre, sicut disposuimus, eidem loco in perpetuum permaneat. Nos denique petimus atque multa prece supplicamus, & per nomen Domini nostri Jesu-Christi obtestamur fideles Dei ecclesiæ, scilicet successorum abbatum curam habentes, quatenus hoc quod a nobis inditum est ad utilitatem ejusdem loci, inviolabiliter patiantur manere, quemadmodum sua statuta a reliquis in posterum cupiunt custodiri. Et ut hæc epistola vigorem valeat obtinere firmitatis majorem, manu propria subterfirmavimus, & servorum Dei utrarumque ecclesiarum manibus roborandam tradidimus. Actum Majori-monasterio. Vivianus abbas hanc epistolam a me factam subscripsi. Adalgaudus præpositus, Amalticus decanus presbyter subs. Aregarius custos & presbyter subs. Eaddo diaconus subs. Leobardus presbyter subs. Theodarius presbyter subs. Eustaldus subs. Suzanus presbyter subs. Girialdus præpositus subs. Odulfredus diaconus subs. Adalbertus diaconus subs. Ebrefanius subdiaconus subs. Jonatas presbyter subs. Hildoardus clericus subs. Alagius presbyter subs. Durandus clericus subs. Leodelingus diaconus subs. Geribaldus levita subs. Ebrulfus diaconus subscripsi. Matusalem subdiaconus subs. Data kalend. Januarii, anno sexto regnante Karolo rege. Ego enim Dagambertus quamquam indignus presbyter scripsi.

* f. Pratum.

LXVII.

Caroli Calvi preceptum pro Majori-monasterio.

Ad lib. 33. num. 22. *Ex eodem.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Karolus gratia Dei rex. Si precibus sacerdotum, quas pro suis vel ecclesiarum sibi commissarum necessitatibus aliquid nobis intimare voluerint, aurem libenter accommodamus, eorumque justas & rationabiles petitiones ac postulationes ad optatum pervenire facimus effectum, non solum regiam in hoc exercemus consuetudinem; sed etiam eosdem sacerdotes ad Dei misericordiam pro nobis exorandam promtiores atque devotiores facimus. Idcirco notum fieri volumus omnium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque fidelium tam præsentium quam futurorum industriæ, quia Raginoldus venerabilis abba cœnobii S. Martini Majoris-monasterii, divino fervens amore pariter & honore, nostræ innotuit celsitudini, eo quod congregationi ejusdem monasterii una cum consensu & nostro decreto aliquas villulas, quæ hactenus ad eorum usus seu ad stipendia fovenda fuere dicatæ, subtractas quorumdam instinctu denuo reddidisset: quatinus ea quæ pro subtractione villarum illis deesse videbantur, ut liberius divinum ibidem peragerent officium, & Domino juge famularent, mensis omnibus ex ipsis villis eorum necessitas atque stipendia absque retractione aut diminoratione alicujus suppleretur, quarum nomina hic continentur inserta, Bria, Magniacus, Novus-vicus, Cineglada, Waromnus, Cadtiacus, Culturion, Rantomnus, Gaiacus, Nigrus-locus, Linarias, Belmontis, Nigrontis, Motua, Calviacus, Lingarionus, Ilviovilla, Mosfa, cum omnibus eorum appendiciis vel adjacentiis, & insuper peculiariter habendas abbati ipsius monasterii, præsenti videlicet suisque successoribus, Rosontem & Calidomnum. Unde memoratus abba nostram deprecatus est clementiam, ut super idem devotionis suæ effectum nostræ auctoritatis firmitatem erga ipsius sanctum locum ejusque congregationem facere dignaremur. Cujus petitionem libenter annuentes, hoc nostræ auctorita-

tis præceptum illis fieri jussimus, per quod decernimus atque omnino disfirmamus firmandoque præcipimus, ut nostris futurisque temporibus de supradictis villis fratrum suprafati monasterii necessitas atque stipendia amministretur, & absque retractatione rectorum ipsius monasterii suppleatur, ita ut eorum necessitas absque dilatione suppleatur, & hospitum susceptio atque pauperum alimonia conferri non denegetur, & mensis singulis quæ illis ex ipsis villis ab abbate ipsius monasterii eorumque junioribus reddenda sunt, absque diminoratione qualibet reddantur atque subrogentur, quo & eorum necessitas expleta Domino liberius famulari possint, & pro nostra nostrorúque incolumitate Domini misericordiam implorare. Et ut hæc auctoritas confirmationis nostræ nostris futurisque temporiinconvulsam atque inviolabilem obtineat firmitatem, de anulo nostro subter eam jussimus sigillari. Signum Karoli gloriosissimi regis. Jonas diaconus ad vicem Ludovici recognovit. Data XII. kalendas Februarii, anno VI. indictione VIII. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Noviomo villa in Dei nomine feliciter, amen.

LXVIII.

Preceptum ejusdem pro Dervensi monasterio.

Ad lib. 33. n. 33. *Ex chartario Dervensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Karolus gratia Dei rex. Si utilitatibus locorum divinis cultibus mancipatorum, servorumque Christi inibi Deo famulantium necessitatibus providemus, regiæ celsitudinis opera frequentamus, ac per hoc æternæ beatitudinis gloriam facilius nos adepturos omnino confidimus. Itaque notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, & nostris, præsentibus atque futuris, quia benignus Deumque timens ac noster fidelis & valde amabilis Altmarus, rector monasterii Dervensis, quod est constructum sub honore gloriosorum apostolorum Petri & Pauli, ubi etiam sanctorum martyrum Bercharii & Theodosiæ corpora veneranter habentur humata, necnon & monachi ejusdem loci culminis nostri adeuntes serenitatem, humiliter petierunt clementiam nostram, ut ob præfati loci utilitatem, & eorum commodorum successorumque illorum perpetuam augmentationem, quasdam villas eidem loco jure pertinentes, & ab eodem Altmaro usibus eorumdem monachorum rationabiliter deputatas, per præceptum celsitudinis nostræ eas confirmare illis non denegaremus. Nos igitur pro amore Dei & reverentia prædictorum sanctorum, voto prænominati fidelis nostri Altmari, præmissorumque monachorum precibus clementer annuimus; & ita illis concessisse cunctis notum esse volumus. Quarum quoque omnium rerum sive villarum vocabula huic nostræ auctoritati indere jussimus; id est villam Summa-Vigra, quæ habet quatuordecim mansa, & basilicam ejusdem villæ cum suis appenditiis; villam Mortrium, quæ habet mansa viginti, cum sua basilica; villam Tilium, quæ habet mansa quinque, cum basilica; villam Sauram-terram cum mansis viginti-duobus & propria basilica; Dudiniacum-curtem cum mansis decem & septem & propriis basilicis; villam Prisciacum cum mansis duodecim & propriis basilicis; villam *Brah* cum mansis viginti-octo & propria basilica; in villa Cappas mansum unum. Has denique villas & basilicas cum omni plenitudine, id est cum mancipiis & terris cultis & incultis, vineis, pratis, silvis, pascuis, aquis, molendinis, aquarumque decursibus, exitibus & regressibus, & quicquid iidem monachi in jam dicto monasterio; seu in his locis vel villis, nutriminis ad eorum sublevandam necessitatem facere possunt, simul etiam & omnem elemosynam, quam Dei fideles pro absolutione peccatorum eorum illis contulerint, veluti a supradicto fideli nostro Altmaro institutum & deputatum esse cognoscitur, per hanc præcellentiæ nostræ auctoritatem plenius confirmamus; videlicet ut nullus hominum, qualibet iniqua cupiditate, aut necessitatis adhibita occasione, aut certe temeraria præsumptione, a potestate & dominatione ejusdem loci monachorum de eisdem villis sive rebus aliquando aliquid subtrahere aut minuere, & in suos usus retorquere conetur; sed, sicuti a nobis regali institutum est, liceat ipsis eorumque successoribus, nostris & futuris temporibus, easdem villas, easdemque res tenere, & cum omni pace, ad honorem ejusdem monasterii, atque ad eorum subvehendam necessitatem disponere & ordinare; & pro salute animæ nostræ ac totius christiani populi perpetua felicitate, piissimi judicis Domini nostri Jesu-Christi misericordiam assiduis precibus implorare. Ut autem hæc celsitudinis nostræ auctoritas pleniorem semper in Dei nomine obtineat firmitatem, manu nostra subter eam firmavimus, & de anulo nostro sigillari jussimus. Signum Karoli gloriosissimi regis. Æneas notarius ad vicem Lucdowici recognovit. Data III. Nonas Maii, indictione VIII. anno quinto regni præstantissimi regis Karoli. Actum in Compendio palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.

LXIX.

Ejusdem diploma pro ecclesia Senonensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Karolus gratia Dei Rex. Si illius amore, cujus munere ceteris mortalibus prælati sumus, soli Deo sub sancta religione militantibus, ad laudem honoremque ipsius, & ad animarum salutem, supernis angelorum cœtibus in æterna beatitudine adscribendarum, terrena commoda subsidii temporalis, sine quibus præsens transigi non potest, comparamus; ut illi tantummodo sine impedimento, quantum mortalitatis præsentis sinit fragilitas, libere deserviant, cui semel mancipasse ad salutem obsequiumque ipsius totum vitæ suæ cursum noscuntur, nostri laboris studium, & pietatis opus apud eum nullatenus fore sine fructu credimus, sine quo nec velle quisquam bene potest, quanto magis perficere? Igitur comperiat omnium fidelium san-

An. 847. ad lib. 53. n. 50. *Ex authentico à V. C. D. Boileau communicato.*

ctæ Dei eeclefiæ tam præſentium quam futurorum ſinceritas, quia venerabilis Wenilo ſanctæ Senooicæ eccleſiæ archiepiſcopus oſtendit noſtræ ſerenitati præceptum a domno & genitore noſtro auguſto HLudovico, & petitione reverendi quondam ſui prædeceſſoris Hieremiæ factum de cellis monachorum ſui epiſcopatus, humiliter petens, ut ea noſtræ auctoritatis etiam quoque ſcripto innovare digoaremur. Cujus rationabili petitione denegare noluimus, ſed pro amore Dei admooitionibus illius libenter nos paruiſſe, cunctis notum eſſe volumus. Quocirca notum ſit omnibus Dei fidelibus & noſtris præſentibus atque ſutnris, quia præſatus dilectus nobis Wenilo arcbiepiſcopus præſatam domni & genitoris ooſtri præ manibus tenens ejuſdemmodi relationis ac rationis præceptiouem, humili ſuegeſtione clementiæ noſtræ innotuit, eo quod cellæ cœnobiales epiſcopii, cui auctore Deo præeſt, id eſt cella S. Petri, & cella S. Johannis & cella ſancti Remigii, in quibus monachi ſub ſanctæ Regulæ diſciplina religioſam vitam divinæ pietati toto laboris adniſu debent exhibere, variis curſibus, diverſiſque indigentiis, quibus humana fulcitur fragilitas, ante addicti ſub manibus & poteſtare anreceſſorum ipſius, urguente omnimoda inopia, longe a ſuo propoſito oberrantes exorbitaverunt; dum videlicet memoratam ſubſtantia cellarum per diviſionem olim factam imminuta fuiſſet; & qui præerant epiſcopi, non habentes unde ſubſidia ſumptuum ſuis uſibus neceſſaria caperent, ex eiſdem cellis, quantum extorquere quibant, dum aliunde ſufficientiam habere non poſſent, dari ſibi cogebant: ſicque fiebat, ut hii, qui devota ſtabilitate mentis & corporis ibidem ſupernæ pietati laudes perſolvere, ſuamque vitam commendare pro noſtra quoque, conjugis ac liberorum incolumitate, & pro regni divina nobis miſeratione conceſſi conſervatione, proque totius eccleſiæ indulgentia, & felici ad æternam beatitudinem perventione interpellare debeant; dum a monaſterii clauſtris turpiter quæſitando ea quibus ſuam lucrentur inopiam, longe, lateque vagarent confuſo ordine quem ſervare debuerant; non ſolum eorum cauſa quæ præmiſimus, nobis nihil prodeſſe poterant, verum etiam ſibi ſuiſque prælatis non abſurde plurimum crederentur obeſſe. Cujus rei gratia memorari epiſcopi precibus admoniti, dignum opus re ipſa fieri duximus, ut dum adhuc io hoc mortali corpore ſubſiſtimus, nou ſolum qui ounc temporis in eiſdem locis divinis cultibus mancipati eſſe noſcuntur, ſed illis quoque qui futuris temporibus amore ſupernæ ſapientiæ inluſtrati, eadem ad ſerviendum Deo experierior loca, proſpiciamus: quatinus ex eiſdem temporalium ſolatia ſumptuum ſuo ordini congruentia habeant, quibus in bac peregrinatione interim ſuſtentari queant, donec ad æternæ patriæ gaudia divina miſericordia vocari valeant pervenire. Conſtituentes itaque hoc noſtræ auctoritatis præceptum juxta memorati epiſcopi petitionem decrevimus fieri, ut ex rebua quaſcumque ſupra jam nominatæ cellæ nunc temporis uſibus monachorum ibidem Deo ſervientium depuratas habent, nullus epiſcoporum, quicunque divina vocatione per tempora ſucceſſerit, præſumat aliquid ſubtrahere, vel imminuere quolibet argumento vel occaſione, neque in beneficium dare, aut ſuis uſibus adplicare: ſed ita per omnia conſervare ſtudeat, ſicuti memoratus epiſcopus in libelli ſerie ſingula loca per ordinem adnotando digeſſit, & manu ſua ſubſcripſit, & in conventu epiſcoporum eos qui aderant ſubſcribere rogavit, propter cavendas omnimodas contentiones, quæ futuris temporibus poterunt oboriri: ſed nec eorum aliud ſervitium, vel majora munera inde ſibi pro tempore uſurpet, præter ea quæ in libello eodem idem ipſe epiſcopus inſerere putavit. At ne hujus decreti cauſa in eiſdem cœnobiis abbates vel monachi conſtituti, contra ſuum incipiant ſuperbire epiſcopum, præcavimus omnem occaſionem amputandam, neque locum diabolo dandum, ſalva ſcilicet in omnibus auctoritate & poteſtate epiſcopi in cunctis eccleſiaſticæ regulæ diſciplinis; videlicet ut eaſdem cellas ſub proprio ſemper regimine gubernana, ſecundum inſtitutionem ſanctæ regulæ abbares conſtituat: & ſi neceſſe fuerit mutet, prava quæque corrigat, ſuperflua reſecet, virtures nutriat, eradicet vitia, atque, ut bonus agricola, evellens frutices, patrum ſequens inſtituta, diſcernat qualem cuique terræ ſementem mandare debeat. Hanc autem ooſtræ conſtitutionis auctoritatem ideo factam, ne religionis ordo ſupra ſcriptis locis noſtris ſuturiſque temporibus confundatur, ſed per omnia in Dei ſervitio, ad cujus laudem & obſequium conditi ſumus, inviolabiliter in perpetuum conſervetur, ut pleniorem in Dei nomine cunctia temporibus obtineat firmitatem, manu propria ſubter firmavimus, & anuli uoſtri inpreſſione ſignari juſſimus. Signum Karoli glorioſiſſimi regis. Giſtebertus notarius ad vicem HLudowici recognovit, & ſubſcripſit. Data vII. kal. Mar. anno vIII. regnante Karolo glorioſiſſimo rege, indictione x. Actum in monaſterio ſancti Martini in Dei nomine feliciter, amen.

LXX.

Ejuſdem diploma pro Glanafolio.

IN oomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Karolua gratia Dei rex. Si petitionibus ſervorum Dei, quas pro honore divini cultus & utilitatibus ſibi commiſſarum eccleſiarum nobis inſinuaverint, benigno ſavore annuimus, regiam conſuetudinem freqnentamus; ac per hoc æternam beatitudinem facilius nos adepturos omnino confidimus. Itaque notum ſit omnibus fidelibus ſaoctæ Dei eccleſiæ & noſtris, præſentibus atque futuris, qnia Ebroinus venerabilis epiſcopus ſacrique palatii noſtri protocapellanus, ad noſtram accedens excellentiam innotuit ſerenitati noſtræ, ſe quoddam monaſteriolum in pago Andecavo, ſecus fluvium Ligerim ſitum, ubi beati Mauri ſacrum corpus habetur humarum *, a domno & genitore ooſtro in jus proprietarium ſibi conceſſum, io ſtatum & religio-

An. 848. ad lib. 33. n. 54. *Ex authentico Foſſat.*

* *Hæ ſcal. pro deleta vix legi poſſunt.*

nem monastici ordinis funditus restruxisse, atque io habitum, quo olim excultum fuerat, omnimodis teparasse. Obtulit etiam clementiæ nostræ obtutibus testamenti scriptum, sua aliorumque reverendorom episcoporum inviolabili auctoritate roboratum, quo cootinetut, qualiter idem ea, qoæ præmissa sunt, diligenti peregerit studio; qualiterque communi adsensu statuerit præfati sancti Mauri monasteriolum sub monasticæ religionis cultu perpetua lege mansurum. atque ideo humiliter nostram oravit benignitatem, ut eamdem eorumdem sanctorum patrum testamenti sacram auctoritatem, nostræ quoque dignitatis præcepto plenius confirmare dignaremor. Ejus denique deprecationem clementer excipientes, boc magnitudinis nostræ scriptum fieri jussimus, per quod præcipimus atque firmamus, ut nihil eorum, quæ in præscripti testamenti auctotitate sacro jure continentur, nostris neque futuris tempotibus quilibet Dei sen nostrorum fidelium immutare audeat, aut secus quam ah ipsis pattibus sancitum est, de prænominati beati Mauti monasterioli statu, aut de rebus sibi pertinentibus invertere, aut agere præsumat; sed ea, quæ ab ipsis constituta sunt, inviolabilitet conservanda cognoscat; sciantque omnes, hac eadem nostra auctoritate præceptum domni & genitoris nostri, per quod idem monasterium cum suis omnibus appendiciis præfato venerabili antistiti Ebtoioo io jus proprietatis tradidit, plenitet confirmatum: videlicet ut, quamdiu vixerit, sine alicujus contradictione sui sit juris suæque dominationis: post ejus vero ab hac vita transitum, vinculo consanguinitatis ei conjunctus religiosus vir Gauslenus per hanc nostram auctoritatem pleniter habeat illud concessum: quatenus juxta pattis Benedicti institutionem religiosam vitam deducens, ejus loci habitatores regulari decreto gubernare non neglegant. Illo siquidem hominem exuto, plerumque dictum monasteriolum cum omnibus sibi juste legaliterque pertinentibus rebus, sicut alia regni nostri regularia monasteria, sub nostræ tuitionis munimine seu defeosione consistat; licentiamque fratres ibidem Deo famulantes secundum regulam sancti Benedicti ex sese eligendi abbatis habeant, nisi forte post eumdem Gauslinum talis eorum progenies inveniri possit, qui secundum Dei voluntatem a nobis, vel a successoribus nostris ei subrogari queat. Ipsum namque monasteriolum, ei omnes res ad ipsum aspicientes, præsentialiter suh nostræ immunitatis defensione pleniter recipientes, præcipimus atque jubemus, ut nullus judex publicus, oeque quislibet ex judiciaria potestate, in ecclesias, aut agros, seu reliquas possessiones prædicti monasterioli, ad causas audiendas, aut aliquas redibitiones exigendas, aut homioes ipsius ecclesiæ, tam ingenuos quam & servos, super ipsius terram commanentes distringere præsumat; sed sub plenissima emunitatis nostræ tuitione perpetim consistant; & quicquid fiscus exinde exigere poterat, totum eidem concedimus ecclesiæ: quatenus servi Dei inibi Domino famulantes adtentius Domini misericordiam pro nobis ac totius regni a Deo nobis commissi prosperitate Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc magnitudinis nostræ auctoritas perpetuo inviolabilis perseveret, manu nostra subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus. Signum Karoli gloriosissimi regis. Jonas notarius atque diaconus ad vicem HLudowici recognovi & subscripsi. Data pridie idus Julii, anno VIII. indictione X. regnante Karolo glotiosissimi regis *. Actum Bonoilo in Dei nomine feliciter, amen, amen, amen.

* Sic.

LXXI.

Acta Translationis S. Saviniani & S. Potentiani martyrum.

Ad lib. 33. n. 58. *Ex duob. mss.*

BEatotum igitur martyrum sanctissima membra, Saviniani scilicet & Potentiani sociorumque eorum, in Salvatoris Domini ecclesia per manus quidem fidelium convenienti in loco fidelirer sepulta sunt, præter venerabile corpus Serotini martytis, quod convenienter a parentibus fuit humatum io basilica alia seorsum. Dum igitur eorum cineres per multa annorum spatia io loco eorum quievissent; ut diligentior eis cultus & reverentia a populis exhiberetut, notificantur cælitus prudentissimo Senonensium Guenilooi pontifici & Anastasio abbati cœnobii sancti Petri apostoli, qui puro exhilaratæ mentis voto, convocatis utriusque sexus milibus populi, transferre satagont in basilica sancti Petri apostolorum principis sibi cootigua, cujus etiam pro foribus, & in cujus fundis eatenus jacuerant. At domus & ædificiorum fastigiis excellentior, & divinis obsequiis celebrior habetur, præsertim cum monachorum inibi degentium sollicitudo solemnibus in ea votis & assiduis meditationibus regulariter instet. Habita est autem hujus translationis festivitas tempore, quo nobilissimis Francorum sceptris tres incliti principes augustæ recordationis Ludovici Cæsaris posteri, HLotharius scilicet, itemque Ludovicus & Karolus, præerant, anno quoque regni ipsorum sexto, anno vero ab Incarnatione Christi octingentesimo quadragesimo-septimo, indictione decima, quarto-decimo kalendas Novembris. Nec reticendum est, quod nocte vigiliarum, cujus succedente die veneranda patrocinia transvehenda fuerant, voces angelicæ ab astris, velut chori psallentes, humanis auribus intonuerunt. Pontifex namque ad celebranda vigiliarum sollemnia illuc vespertina synaxi una cum frequentia cleri processerat: quibus religiose suppletis, & antistite ad urbem regresso, cælestes exsequiæ ibidem per noctis spatia sunt secutæ: cujus modulationis harmoniam non tantum monachos, sed & quosdam vulgi ibidem excubantis auditu percepisse perspicuum est. Verum arbitrantes voces hujusmodi humanas esse, opinantesque quoslibet religiosos ad cœnobium pto instanti festivitate confluere, qui tam jocundo strepitu fungerentur, rursumque stupentes, cur intempestivæ noctis silentio adventum maturarent; explorantes cir-

cumquaque dirigere studuerant, ut quorum excubiæ essent experirentur. Missi autem cum loca vicina perlustrantes neminem reperirent, & nihilo minus melodiæ suavitatem sine intermissione audirent, cælestis officii exsequias esse meminerunt. Ubi evidenti ostenditur indicio, quod angelica societas eorum solemnitatibus pio favore adesse voluit, quos secum Omnipotentis imperiis strenue paruisse cognoverat, eorum agendis & gaudiis indeficientibus interesse festinavit, quos ineffabili tripudio optimis studiis invigiles se perspexerat. Possidet deinceps prædicta piorum martyrum corpora, quorum spiritus æternæ recompensationis compotes paradisiaca amœnitas continet. Gratulatur pro tantorum patrum fœnore temporaliter Senonum civitas, pro quorum tripudio Jerusalem perenniter exultat cælestis. Ad horum tumbas popularis aula preces & vota expositura frequenter confluit, quia ipsorum interventu & artuum languores sospitatis levamine recreantur, & cordium vires perpetuis dapibus saginantur. Dum igitur indicatum supra corpus hujus pretiosi martyris Saviniani transmutandum venerabiliter revolveretur, de loculo plumbeo alias transferendum; repertum est pallium, quo erat involutum multis labentibus annis, totum ex integro quasi novum; caput vero illius, quod est decus istius nostræ patriæ, quasi contritum plumbatis dextro in timpore fuisset. Duæ autem percussuræ, quæ fuerunt plagæ gladii, sic sunt adhuc sanguineæ, quasi recens sit ipsa percussio, ita ut a cernentibus non sine lacrymarum infusione vix intueantur. Quod autem martyrii coronam vere idem beatus Pontifex acceperit; testimonium illi usque hodie perhibet sanctum & venerabile caput, & sanguis adhuc recens apparens per ejusdem capitis percussuram. Porro inventio corporum sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii, quæ facta est a sancto Ambrosio episcopo Mediolani, ut ipse beatus sua propria manu scripsit, narrat eodem modo in sarcophagis marmoreis ipsos repertos recente sanguine perfusos, quasi eo die ipsorum capita gladio fuissent cæsa. Verum caput nostri martyris, tribus percussionibus gladii ictum, duæ usque ad præsens manent cruore sanguineæ plagæ; tertia, quæ, ut putatur, gloriosam mortem intulit, nihil habet sanguinei cruoris. Ad tantam solemnitatem cum cetera plebe cæcus quidam venit, qui virtutem martyris in sua illuminatione persensit. Orat namque, ut Christus de teste ostenderet, quanti apud se meriti esset; & si ea res quæ fiebat illi placeret, quibus semper enituit, miraculis declararet. Oculi cæci lacrymas fundunt, & in mentis acie fidei lumina surgunt. Humilitatis supplicatio cælum penetrat, & divinitatis faciem ad misericordiam inclinat. Miles invictus ducem implorat, & agit, ut & nunc militiæ mercedem reddat: ostendit vulnera, labores enumerat, numerum sudorum recenset, & quantum sibi pro iis debeatur docet. Proximi cæco in oratione junguntur, & quod per se nequit, lacrymarum collatione meretur. De cælo latens medicina demittitur, & oculorum scabies manu pietatis abstergitur. Videns cæcus socios contuetur, & quod dudum desperaverat, se se habere miratur. Salvatoris clementia collaudatur, plebs viri saluti congratulatur, martyris reverentia in augmentum dilatatur. Talibus hæc dies insignis adjacenti populo constat esse sollemnius.

Translatio reliquiarum S. Potentiani in Jotrense monasterium.

Denique longo jam tempore evoluto, & multo ad fidem Christi populo perducto, *Ex Jotrensi codice.* ut innumera & præclara virtutum suarum opera multis subveniendo longius prodetat, & procedendo longius subvenerat, ad Jotrum Deo sacratum & nullis non notum monasterium, Deo permittente, sanctissima corporis illius (Potentiani) gleba, hac interveniente causa, per divinam est honorabiliter translata clementiam. Fama itaque miraculorum illius huc illucque pervolante, & se se longe lateque spargente, tandem ad aures sanctimonialium ipsius cœnobii pervenit, quæ diuturna, inter alias diversarum afflictionum ærumnas, tempestatum & famis procella attritæ, humano deficiente divinum solummodo expectabant auxilium. Erat eo tempore in prædicta Senonensi urbe Wenilo, summæ sanctitatis & religionis episcopus: in memorato vero monasterio Hermentrudis moribus & nomine abbatissa præerat, eidem episcopo proxima affinitate conjuncta. Hæc partim necessitate coacta, partim propinquitatis fiducia incitata, ipsum episcopum adiit, precatura, ut sibi & congregationi, in maxima angustia constitutis, suo & celeberrimo sæpe dicti sancti Potentiani suffragio citius succurrere non differret. Cujus petitionis intentionem, mox ut ille audivit, intelligens, tamquam si aliquod terribile & improvisum monstrum intuitus fuisset, obstupuit, & vox faucibus hæsit. Deinde illa, ut necessitas exposcebat, nimium in precibus perseverante, & pedes illius cum gemitu & lacrymis deosculante, tandem post diuturnam tacitæ meditationis deliberationem, credo divino instinctu, ad misericordiam flexit, & in hanc vocem erupit. O carissima soror, si voti tui compos Deo auxiliante esse potueris, magnum & incomparabile tibi & tuis providisti subsidium; mihi autem & meis gravissimum & intolerabile es illatura dispendium. quod, mihi crede, ad effectum nullo modo perduci poterit, si civitati, quæ illius spei & solamini tota post Deum innititur, aliquo modo innotuerit. Quapropter ipse ego mihi crudelissimus fur, & inimicus existens, & alienæ potius quam meæ utilitati consulens, quod numquam antea sperare vel credere potui, pretiosissimum & indeficientem tibi concedam latenter auferre thesaurum. Quid morer? abbatissa quod petiit, Deo miserante, & sua nimia importunitate obtinuit: episcopus precibus & lacrymis evictus, quod promisit implevit. Datum ac perlatum est celeriter sanctum & incomparabile decus ad locum quem prædiximus, pondere miseriarum pressum, & omni

ſolamine deſtitutum : eoque a congregatione cum multa exultatione & lætitia ſuſcepto, & ea qua decebat veneratione & devotione in ipſo monaſterio collocato, tamquam manifeſta totius boni & conſolationis abundantia ibi fuiſſet ingreſſa, poſtea ipſe locus nec famis penuriam, nec ullam tempeſtatis pertulit procellam. In dæmonum expulſione, & cæcorum illuminatione, & omnium ſanitatum recuperatione idem locus ſemper enituit.

LXXII.

Caroli diploma pro partitione monachorum S. Amandi.

Ad lib. 33. n. 19. *Ex archivo Elnonenſi.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus gratia Dei rex. Divinorum beneficiorum memores, inter alias præcipuam religionis curam gerimus, & ut ea noſtris diebus confirmetur atque proficiat, proſpicere deſideramus. Ita enim propitium nobis Dominum credimus futurum, ſi cultus illius noſtra induſtria incrementum accipiat. Noverit ergo omnium fidelium Domini & noſtrorum ſollertia, quod propter ſuſpectas ſuccedentium rectorum voluntates, monachis in monaſterio beati Amandi confeſſoris in pago Tornacenſi conſiſtentibus, ad eorum petitionem, ex facultatibus ipſius cœnobii, ſecuti exemplum domini patris noſtri HLudovici ſereniſſimi auguſti, ſegregavimus villas quaſdam, quæ proprie fratribus deſervirent, nec per ullam occaſionem valerent a quolibet deinceps abbate ad uſus alios detorqueri : ac non ſolum ea quæ conceſſerat venerandæ memoriæ pater noſter indulſimus, verum etiam noſtra liberalitate quæ neceſſaria viſa ſunt addidimus, a monachis vicem orationum, a Deo autem beatam expectantes retributionem. Contulit igitur glorioſæ recordationis pater noſter præfati cœnobii fratribus hæc ; in pago Bracbatenſi, Securiacum, Neoniſium, *Baceroth*, Decela, *Squindreſch*, Berſalis ; & in pago Hagnuenſi, Wariniacum, Halciacum ; necnon & in pago Oſtrebandenſi, Salcem, Spinetum ; & in territorio Menapiorum, quod nunc Mempiſcum appellant, Rollare, Hardoga, Cokenlare, Ledda, *Ricoluvingaheim*, Coloſcampum, Wenghinas, & Berneham, & Bonart ; & in pago Pabulenſi, Samionem, in Folinas, manſa tria, manſioniles circa monaſterium tres : unum in Reſciniacas, alterum in Guiticonia, tertium in Pabila ; item piſcationem circa monaſterium ; in Spidimo cellam & manſum unum ; in Filandras, mariſcos novem ; in Curtriaco, manſa duo ; vineam in Cerſarias. Nos autem ut omnia regulariter conceſſa præfati fratres ſemper conſequi poſſent, inſuper largiti ſumus eis in pago Oſtrebandenſi Scaldinium & Helenam cum omni ſua integritate & plenitudine, & in Nigella farinarios duos, & in Pabila ſilvam, quam Withadus monaſterio contulit. Res etiam quas Ratfridus eidem cœnobio dedit, quaſque Rhodo jure precario poſſidet, ſecundum voluntatem ipſius Ratfridi decernimus atque ſancimus, ut poſt obitum Rhodonis ita dividantur, ut medietas earum theſauro eccleſiæ conferatur, altera vero medietas ad uſus tranſeat monachorum. Præterea cenſuimus, quod etiam ante nos ſereniſſimus pater noſter auguſtus decrevit, ut de villis dominicis nona pars totius ſupellectilis monachis tribuatur, hoc eſt de annona, legumine, caſeo, feno, pullis equinis, porcis, camiſilibus, altilibus, vino, ovibus, atque ovis. Feſtivitate quoque natalis Domini pulli trecenti. Item paſchæ totidem, cum ovis utroque die conſuetudinariis. Villarum dominicarum hæc nomina ſunt, ex quibus quæ ſingillatim notata ſunt præberi oportet. Rogadi-villa, Diptiacus, Igrinium, Nova-villa, Scaldpons, Caſtellum, Montes, Muſcinium, Bovoniſcors, Adra, Cruces, Harinas, *Hulsheim*, Smerlubium, Gaiſbas, Villare, Wambace, Foelinas, manſum quod prævidet Aaron. Ad portam vero & ad hoſpitale pauperum decimæ conferantur : atque ut in eis hoſpitalitas regulariter ad laudem Dei exhibeatur tam divitibus quam pauperibus, ad portam deputavimus manſa quinque in Helemio ; ad hoſpitale pauperum manſa item quinque in Mageleno. Hæc omnia ſuperius comprehenſa cum integritate & conceſſa conceſſimus, & nova ex noſtra devotione largiti ſumus, & utraque auctoritatis noſtræ privilegio confirmavimus : ut Dei ſervos in memorato cœnobio converſantes, pro nobis & conjuge ac prole noſtra, & ſtabilitate regni ab eodem Deo nobis traditi jugiter exorare delectet, & ut exaudiri mereantur abſque ulla neceſſitatis occaſione religionis ſuæ votum valeant adimplere. Atque ut hæc noſtræ pietatis largitio ſtabilis in nomine Domini & inconvulſa permaneat, manu noſtra eam ſubterfirmavimus, & anuli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri. Signum Karoli regis glorioſiſſimi, Giſlebertus notarius ad vicem HLudowici recognovit. Data x. kal. Aprilis, indictione x. anno VII. regnante Karolo glorioſiſſimo rege. Actum Elnone monaſterio ſancti Amandi in Dei nomine feliciter, amen.

LXXIII.

Ejuſdem aliud pro Glomenſi monaſterio.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus gratia Dei rex. Quicquid pro utilitate ac neceſſitate ſervorum Dei facere contendimus, profuturum nobis & ad æternam beatitudinem facilius obtinendam, & præſentem vitam felicius tranſigendam procul dubio confidimus. Itaque noverit omnium ſanctæ Dei eccleſiæ fidelium & noſtrorum, tam præſentium quam & futurorum ſollertia, quia venerabilis vir & religioſus abba Heefredus monaſterii beati Florentii, una cum monachis ibi Deo militantibus, ad noſtram accedens ſublimitatem, miſerabili auditu, lacrymabili ſuggeſtione expoſuit manſuetudini noſtræ calamitatem præfati monaſterii, ceteramque miſeriam ipſius regionis pro peccatis noſtris, ab inimicis Dei cruentiſſimis Nortmannis crudeliter ſæpius illatam, ita ut eadem provincia, Ad lib. 33 n. 65. *Ex archivo Glomenſi.*

quondam

quondam visu pulcherrima, in solitudinis faciem penitus videatur redacta. Quare sicut & aliis incolis quondam illius plagæ, multo magis quoque monachis superius dicti monasterii ejusdem religiosi viri abbatis cura providendis in eodem loco penitus exclusa est habitatio. Igitur oravit suppliciter idem venerandus abbas, ut ad suorum refugium monachorum & ad receptionem sacratissimi corporis B. Florentii concedere sibi dignaremur cellam secus fluvium Ligerim in pago Biturico, quæ dicitur Nobiliacus, quemadmodum prædecessori illius Didoni quondam abbati nos fecisse cognoscitur; in qua cellula S. Gundulfus reverenter colitur humatus: quatenus a manibus suprascriptorum inimicorum Dei se evasisse exsultantes, requiem ibidem de tanta persecutione tandem mereantur Christo propitio invenire, & in laudem divinæ misericordiæ valeant respirare. Nos autem supplicibus ejusdem Hæcfredi abbatis, monachorumque ejus precibus benignum assensum præbentes, altitudinis nostræ præceptum hoc fieri jussimus, per quod memoratam S. Gundulfi cellam, cum familia utriusque sexus & rerum omnium aliarum plenitudine, sæpe dicto venerando abbati Hæcfredo suisque monachis habendam concedimus atque largimur; videlicet ut pro nomine Domini & peccatorum nostrorum ablutione monasterium illud cum omnibus sibi pertinentibus rebus ab eodem Hæcfredo reverendo abbate successoribusque ejus secundum regularis institutionis ordinem omnimodum agatur, & sine cujuspiam contradictionis inquietudine regulariter disponatur ad utilitatem & necessitatem servorum Dei nostris futurisque temporibus secundum sacræ institutionis normam S. Benedicti ibidem Deo servientium atque famulantium. Ut autem hæc nostræ auctoritatis delegatio perpetuum in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria eam firmavimus, anulique nostri impressione assignari jussimus. Data XVII. kalendas Februarii, indictione XIIII. anno XXVI. regnante Carolo rege gloriosissimo. Actum Silvanectis civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

LXXIV.

Rythmici versus de eversione monasterii Glonnensis.

Ad lib. 33. n. 65.

DUlces modos & carmina
Præbe lyra Triceïa,
Commota quis cacumina
Planxere hyperborea.
Montes simulque flumina
Illa putent nunc orphea,
Respondeantque carmina
Silvæ canant melliflua.
Gravis det organum tuba:
Alte resultet fistula;
Omnis canat harmonia;
Det philomena cantica.
Olim nitens clarissima,
Terrisque famosissima,
Sancti Patris basilica
Florentii præcipua,
Sensit fera incendia,
A gente crudelissima
Vere bruta Britannia;
Lugete cuncti talia.
Omnis enim cum Gallia
Florentii suffragia
Deposceret tunc cernua;
Contempsit hæc gens impia.
Olim pius rex Carolus,
Magnus ac potentissimus,
Fecit hunc locum devotus
Pro Beati virtutibus.
Terris datis fœcundibus
Auxit honorem largius,
Et præbuit tunc vasculum
Cænæ Dei magnificum.
Per hunc fugatur sæpius
Infirmitas languentibus,
Et sanitas fidelibus
Præstatur ex hoc protinus.
Post imperans HLudovicus,
Magni Caroli filius,
Ipsum locum benignius
colit piis ornatibus.
Qui filiis rebellibus
concussus altis fluctibus
& Franciam turbantibus
regnum reliquit mortuus.
His quatuor mox partibus
regnum sibi secantibus,
per Franciam jurgantibus,
Bellum fuit horridius.
Imperio sic turbido
crescit malorum factio;
surgensque tunc dissensio,
permiscet omnes jurgio.
Invadit alter socios,
crescunt mali super bonos,
tyrannus omnis infremit,
dantur honores impio.
Fit plurium vastatio,
sanctis locis prædatio
cunctis bonis turbatio
rerum simul confusio.
Quidam fuit hoc tempore,
Nemenoius nomine,
pauper prius progenie,
agrum colebat vomere.
Sed repperit largissimum
thesaurum terræ conditum,
qui plurimorum divitum
junxit sibi solatium.
Dehinc per artem fallere
cœpitque mox succrescere,
donec super cunctos ope
transcenderet potentiæ.
Sic ergo discordantibus
Francis simul cum regibus,
cum ceteris rebellibus
fit Carolo contrarius.
Hic Carolus cum fratribus
bellum gerebat sæpius,
nec prævalebat hostibus,
tantis repulsus cladibus.
Confidit unde impius,

prædas agit Nemenoius,
instando Redonensibus,
simulque Namnetensibus.
Deinde Pictavensium
trans Ligerim manentium
pagum petit Medalgicum
Glonnam locum pulcherrimum.
Turmam vocat monachicam,
multamque dat pecuniam,
jubet mox suam statuam
effigiari splendidam.
Quam ponerent pinnaculo
ad orientem patulo,
signum quod esset, Carolum
se non timere dominum.
Illi statim regi suo
hæc pertulerunt Carolo,
qui audiens superbiam
miratus est audaciam.
Tunc jussit ut pecuniam
totam sibi disponerent,
illius albo lapide
sculpta risus imagine.
Quam ponerent pinnaculo
ad orientem patulo,
signum foret quod impio
se subjugandum Carolo.
Iratus ille talibus,
locum petit velocius;
prædas jubet militibus:
accendit ignem protinus.
Flammas ubique Britones
mox inserunt iras truces:
sanctus locus comburitur,
tantum decus consumitur.
Heu me dolores patriæ,
heu me honores gloriæ,
quam novit orbis pristinæ,
heu me fluunt nunc lacrymæ.
Tunc excitatus cælitus
sanctus adest Florentius,
respexit inflammantibus
locum suum Britonibus
O quanta esset ultio!
si non foret permissio.
percussus est sed impius
debilitatis pedibus.
Precatur indulgentiam,
redire posset patriam:
reversus ad Britanniam
nimiam dat pecuniam.
Abbas erat Dido bonus,
regi Carolo proximus,
qui convocatis fratribus
regem adit quantocius.
Exponit iras Britonum
magnum scelus crudelium.
tunc rex dolens in pectore,
quærit vicem mox reddere.
Hinc Andegavam protinus
urbem petit tristissimus:
dat abbatiam loculi
sancti Johannis dediti.
Sed hoc parum visum fuit,
moxque alteram tradidit
sancti Gundulfi nomine,
quæ partibus est Franciæ.
Magnis datis muneribus
circa locum fit sedulus,
restituit felicius,
decorat atque pulcrius.
Gaudete cuncti cordibus,
cantate magnis vocibus,
Sancte Florenti, quæsumus,
adesto nobis cælitus. Amen.

LXXV.

Caroli Calvi preceptum in partitione monachorum Gemericensium.

Ad lib. 33. n. 78. Ex veteri apographo.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus gratia Dei rex. Si servorum Dei petitionibus benignum assensum præbemus, & eorum utilitatibus ac necessitatibus sagaciter providemus, profuturum nobis hoc ipsum, & ad præsentem vitam cum felicitate transigendam, & ad futuram beatitudinem obtinendam nullatenus dubitamus. Itaque notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus & nostris, præsentibus atque futuris, quia venerabiles & religiosi viri monachi Gemmeticensis monasterii, sub honore S. Petri apostolorum principis fundati, culminis nostri adeuntes sublimitatem, humili enarratione notum fecerunt excellentiæ nostræ, honorabilem virum, avunculum quoque nostrum Ruodulfum, ejusdem monasterii rectorem, quasdam villas ex præfati monasterii abbatia secundum eorum electionem usibus & stipendiis eorum deputasse, & ab aliis villis ejusdem abbatiæ suorum usuum selegisse. Quare suppliciter oraverunt altitudinem nostram, ut easdem villas eorum & successoribus illorum stipendiis & usibus perpetuo habendas nostræ auctoritatis præcepto confirmare dignaremur. Quorum, inquam, preces, intercedente etiam eodem avunculo nostro Ruodulfo, clementer audivimus, & petitionibus eorum benignum assensum præbuisse, cunctis notum esse volumus. Nomina autem earumdem villarum hæc sunt: Curtuvahan, Siegia, Waiva, Aleridus, Apuliacus, Corpiniacus, Jectalodus, Belniacus, Harbia, Bovericia, Odadus, Turdoniacus, Fontanitus, Villarisvilla, Brennarus, Levasii-villa, Gaudiacus, Bauvilla, Conciaco, Vitlina, Columbarium; in *Arlon* silva mansionile unum, quod vocatur Ponticulus, cum aliis septem; ad portam monasterii Convas, & ad hospitale pauperum in Arlonis silva mansionilia duo, id est Pomeritum & Caliud; & in pago Vilicasino Genestivillam; & villas in pago Andecavo sitas, hoc est Ispiriacum & Cadriacum cum integritate. Has denique villas cum omni earum integritate & appendiciis prænominati monasterii Gemmeticensis monachorum Deo militantium & successorum eorum usibus & stipendiis perpetuo & insolubili jure manendas, veluti præsignatum est, hac regiæ potestatis nostra auctoritate firmamus, videlicet ut nulli aliquando ejusdem loci abbati sive rectori earumdem aliquam villarum in alios præterquam præsenti scripto constitui-

mus usus retorquere sive redigere liceat : sed quicquid ex eis fieri aut exigi ecclesiastico rationabili jure potest, sæpe memoratis patribus & fratribus sæpe dicti loci & successoribus eorum per omnia tempora in stipendiorum & usuum proficiat omnino supplementum, & animæ nostræ prosit in adjutorium : quatinus sine aliqua necessitatis sollicitudine divinam pietatem pro nostris excessibus, & omnis populi christiani salute assiduis precibus eos implorare delectet. Ut autem hæc reverentiæ nostræ auctoritas confirmationis inprævaricabilem semper obtineat vigorem, manu nostra eam subter firmavimus, & de anulo nostro sigillari jussimus. Signum Karoli gloriosissimi regis. Æneas Notarius ad vicem HLudovici recognovit. Data VII. kal. Mart. indict. XII. in anno IX. regni Karoli gloriosissimi regis. Actum in Carisiaco palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

LXXVII.

Brunardi donatio pro lumine ad corpus S. Germani episcopi Parisiensis.

Ad lib. 33. n. 80. *Ex veteri codice.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Ego Brunardus ingenuus de ingenuis parentibus natus, tam pro remedio animæ meæ, quam pro remedio genitoris mei, seu genitricis, necnon parentum meorum, trado & transfundo duos mansos propriæ hereditatis meæ beatissimo præsuli Germano Parisiacæ urbis, sitos in villa ipsius sancti pontificis, nomine Celsiaco, in pago Stampinse. Totum eidem concedimus sancto cum integritate, & cum omnibus eorum appenditiis, terris cultis & incultis, pratis, & cum una molendini area : eo quidem tenore, ut de reditu & censu, quod exinde exierit, queat lumen habere ante sanctum ejus sepulcrum; quatinus ejus piis meritis & intercessionibus valeamus adipisci perfectionem mentis a Domino, & contemplari eum in sede majestatis suæ. Si quis vero, quod minime credimus, fuerit successorum nostrorum, qui contra hanc traditionem assurgere tentaverit, coactus auri libras X. componat, & insuper quod repetit minime adquirat; & veniant super eum omnes maledictiones quæ sunt scriptæ in libris. Actum Parisius anno regni X. Caroli, kalendis Aprilis, abbate Gozlino. Ego Brunardus, qui hanc traditionem fieri rogavi, mea manu firmavi. Conradus comes, & Gozlinus abbas, & Fulco, & Vuibertus, & Hieronymus filii Brunardi.

Analecta seu Observationes quædam ex superioribus monumentis.

I. EX *diplomate Pippini* [a] *regis pro constructione monasterii Prumiensis* n°. XXVI. *discimus, Heribertum genitorem fuisse Bertradæ seu Bertæ ipsius Pippini conjugis, & Caroli Magni genitricis, de cujus patre omnino silent veteres, nec ita constans fuit hactenus recentiorum sententia. Tantum in annalibus Bertinianis ad annum* DCCXLIX. *hæc leguntur.* Pippinus conjugem duxit Bertradam, cognomine Bertam, Cariberti Laudunensis comitis filiam. *Verum hæc dubiæ sunt fidei, adeoque ansulis a Chesnio inclusa, quod in aliis annalibus desint : certe serius posita : siquidem Pippinus Bertradam uxorem duxerat ante annum* DCCXLII. *quo anno Carolum ex ea suscepit, ut in Supplemento nostro de re diplomatica, capite* IX. *ostendi. Nec magis exploratum id, quod in illo additamento subditur, ubi* Caribertus (*forte legendum* Harebertus *vel* Charibertus) *comes Laudunensis vocatur. Trevirensem potius optimatem fuisse crediderim, uti probare videntur ea, quæ filiæ suæ Bertradæ in dotem in eodem diplomate assignasse dicitur, tum* in pago Chorosvilla, *in loco qui dicitur* Rumeresheim, *tum* in pago Bibroariensi, *in loco dicto* Reginbach, *quæ loca ad pagum Trevirensem pertinent.*

[a] supra pag. 706. col. 2.

II. *Eidem diplomati inter alios proceres adscriptum est* signum Gangulfi comitis. *qui non alius haud dubie fuerit ab Gangulfo seu Gengulfo illo milite, quem a proco uxoris suæ adulteræ cæsum fuisse tradunt, & pro martyre colunt* V. *idus Maii Lingonenses ac Tullenses, sed maxime Varennis, quod opidum est diœcesis Remensis ad Ariam* * *amnem, qui in Mosam influit, ubi ejus reliquiæ asservantur.* * l'Aire.

III. *Præ ceteris observatu dignum mihi videtur præceptum Ludovici & Lotharii imperatorum pro monasterio S. Aniani,* n°. XLVIII. [b] *relatum. In eo enim discimus peculiarem modum obtinendæ novo monasterio regiæ tutelæ & immunitatis. Durandus siquidem abbas, postquam prædictum exstruxerat monasterium, rebusque necessariis instruxerat,* per cartulam traditionis *illud tribuit Ludovico & Lothario imperatoribus : qui, accepta ejus donatione, illud ipsum monasterium eidem abbati contulere, & omnimoda immunitate, ut cetera regia monasteria, munitum esse sanxere.* [b] pag. 724.

IV. *In apologetico Rabani libello pro instituto sancti Benedicti de oblatione puerorum, edito* n°. LI. *illud* [c] *in primis animadvertendum, quod Saxones contendebant solos gentis suæ homines in propriis causis testes esse posse. Quod Rabanus refellit.* [c] pag. 732.

V. *Observatu dignum est placitum sequens,* n°. LII. *pro Farfensi monasterio ad repetendam possessionem, quam a Romanis pontificibus subtractam fuisse Farfenses queritabantur. Ubi forma judiciorum illius temporis accurate describitur.*

RETRACTATIO

DE MONASTERIO HELERENSI SEU HILARIACO, alias S. Naboris, diœcesis Mettensis.

QUæ de monasterio Helerensi seu Hilariaco tum in hoc tomo, tum in primo scripsi, cum non satis sibi constent, hoc loco retractare juvat. In primi tomi libro VIII. num. XXVII. dictum est, sanctum Pirminium duo monasteria in pago » Metteosi construxisse, unum sancti Hilarii ad Mosellam, Heleram appellatum: » alterum Glanderiam, non longe ab Hilariaco vico, in monte Longæ-villæ, unde » nomen loco hæsit, in honorem sancti Martini. Tum subjunxi, longe aberrare ple- » rosque, qui Helerense monasterium idem esse putant cum Hilariaco seu Nova-cel- » la, quod prope Saram fluvium, longe a Mosella, non Fridolinus, sed Sigival- » dus Mettensis episcopus, sæculo octavo condidit, non in honorem sancti Hilarii, * S. Avold. » sed sancti Pauli, dein S. Naboris dictum, ob translatas illuc ejusdem martyris reliquias. In hoc vero tomo, scilicet libro XXI. num. XXIII. vulgarem secutus sententiam, unum & idem esse monasterium dixi. quam quidem veram ac certam sententiam esse nunc mihi persuasum est. Ab hac sententia duo antea me revocabant: unum, quod Heleræ monasterium in actis S. Fridolini *ad Mosellam* situm diceretur; contra Hilariacum longe a Mosella, propius fluvium Saram: alterum, quod Heleræ monasterium in honorem sancti Hilarii; Hilariacum vero sub invocatione sancti Pauli constructum fuerit. At nihil vetat, quo minus idem monasterium vel simul, vel successive, sanctos Paulum & Hilarium patronos habuerit. Hilariacum porro seu sancti Naboris monasterium, ut ab uno e patribus congregationis sancti Vitoni, inde oriundo, accepi, positum est ad amnem *Rosellam*; adeoque Fridolinus monasterium Heleram, *juxta Rosellæ litus situm*, extruxisse dicitur, quod ejus actorum editores, nominis æquivocatione falsi, ad Mosellam perperam transtulerunt. Hæc ad calcem hujus tomi retractare visum est quoddam operæ pretium.



LXXVIII.

Epistola domni Faroaldi ducis domino pontifici directa Johanni pro Farfensi monasterio.

Ex chartario Farfensi. Ad lib. 20. n. 6.

DOmino sancto ac ter beatissimo totique orbi prædicabili & nobis in Christo patri domino Johanni papæ Faroaldus filius vester. Credimus, sanctissime Pater, sanctitati vestræ non latere, qualiter propter Dei amorem vel reverentiam sanctæ Mariæ semper virginis genitricis domini nostri Jesu-Christi monasterium in territorio nostro Sabinensi consistens, per aliquas donationes nostras in cespitibus & servis & colonensibus locum ipsum per Thomam abbatem & commendicum nostrum restauraverimus, & ibi per præcepti nostri firmitatem locum ipsum venerabilem stabilivimus. Unde utile prævidimus præsentem nostram epistolam ad vestra per eumdem venerabilem Thomam dirigere vestigia, per quam rogantes ac si præsentialiter obsecramus, ut pro futuris temporibus vestra beatitudo pro perpetua firmitate privilegium in scriptis eidem loco facere præcipiat, sub ea scilicet ratione, ut quod nos devotissima voluntate S. Mariæ monasterio contulimus, & pro consolatione peregrinorum ibidem deservientium concessimus, inspectas ipsas præceptiones, tali privilegio vestra paterna sanctitas firmare jubeat, ut nullus ullo tempore præsumat aliquas insolentias aut concussionem facere, aut ipsas res de ipso sancto loco aut de donatione ipsorum servorum Dei auferre; & qui hoc præsumpserit, sub anathematis vinculo vestra almitas cum alligare jubeat. Salutantes & commendantes nos sanctitati vestræ petimus ut orare dignemini. Post autem relecta epistola petimus ut eorum monasterio reddatur pro perpetua securitate.

LXXIX.

Johannis papæ V. responsio, seu privilegium eidem monasterio concessum.

Ex eodem.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei Thomæ abbati religioso presbytero, & congregationi venerabilis monasterii sanctæ Dei genitricis semper virginis Mariæ, quod est in fundo Acutiano, territorio Sabinensi. Salubre nimis est & complacens Deo pro securitate atque immunitate religiose viventium providentiam facere pastoralem, præsertim autem dum religiosis studiis pro timore divino etiam sæcularis potestas se accommodat, & quod pia devotione pro intuitu æternæ vicissitudinis cupit, quibus pro servitio Dei concessum est, illæsum atque immutilatum perenniter conservari. Hinc est quod venerabile monasterium sanctæ Dei genitricis semper virginis Mariæ, quod Laurentius quondam episcopus venerandæ memoriæ, de peregrinis veniens, in fundo, qui dicitur Acutianus, territorii Sabinensis constituit, & religiosam ejus conversationem & sedulitatem divini servitii ibidem secum conversantium loca quædam tam empta, quamque ex oblatione fidelium acquisivit. Post cujus ad Deum excessum dum tantam religionem sedule Deo deservientium agnosceret gloriosus filius noster Faroaldus dux Spoletanus, etiam ipse pro Dei amore & sustentatione ibidem secum deservientium Deo habitacula quædam & loca atque cultores per donationis paginam contulit, & collaturum se pollicetur, ut pro eo ejusque progenie orationum hostias frequenter offerant Deo, ut qui collaudatur in terris a fidelibus suis, misereatur de cælis, & parcat excessibus nostris. Cupit autem & optat etiam idem gloriosus, ut tam priora, quam ea quæ ab eo sunt condonata, de jure ejusdem monasterii nec inposterum abstrahantur, sed ad sustentationem congregationis proficiant ibidem conversantium servorum Dei, & per eos possit indigentium & peregrinorum hospitalis susceptio diligentius procurari, per quæ pietatis officia donantium animæ, de quorum munere celebrantur, æternam requiem & receptionem in sedibus beatis inveniant. Expeditioni itaque gloriosæ ac religiosæ devotionis ejus ac postulationi vestræ concedentes effectum, ex auctoritate beati Petri apostolorum principis, cui claves regni cælorum a creatore atque redemptore nostro Domino Jesu-Christo Dei Filio concessæ sunt, ut ligaret in terris quæ in cælo liganda sunt, & in terris solveret quæ in cælo solvenda sunt, tamquam vicem ejus & locum dignatione omnipotentiæ ejus implentes, statuimus atque decernimus, ut quæquæ in eodem monasterio usque hactenus conquisita sunt, & postmodum conquirentur, sive domicilia, sive loca, colonive & mancipia, vel quæque animantia, vel mobilia, nullus de eodem monasterio præsumat usurpare vel subtrahere, vel per cujuscumque ingenii circumventionem alienare; magis autem pro timore Dei eorum studio atque concursu ut ibidem indiminuta permaneant procurare; interdicentes omnibus, sive episcopi sint, seu presbyteri vel diaconi, vel cujuslibet ecclesiastici ordinis, seu laïci, cujuscumque sint dignitatis atque militiæ, vel privati, ut nullus sibi jus aliquod vel susceptionis usum in eo præsumat defendere, neque dationis aut munerum consuetudinem quamlibet ibidem imponere vel exigere, neque angariis & quibuscumque conditionibus novis submittere, scientes quod in districto Dei judicio æternæ se pœnæ talia præsumendo submittant. Quisquis hæc quæ auctoritate principis apostolorum statuuntur, tamquam exsors a fide christiana contempserit, præter si religiositas tua, vel qui post te sæpe fatum venerabile monasterium dispensaverit, spontanea voluntate in tempore dedicationis ecclesiæ vicinum episcopum, vel quemcumque de clero ad caritatis convivium voluerit convocare, juxta quod monasterialis mediocritas habet, & victus monachicus consuevit, in abbatis invitandi quem velit erit arbitrio. Si vero quoquo tempore religiosum abbatem de hac vita migrare contigerit; quem ibidem posita congregatio de seipsis, vel ubiubi meliorem invenerint eligentes, ad dandam ei orationem togatus atque vocatus adveniat reverendissimus episcopus, eumque, dum ipsi voluerint, exhortentur, & post hujusmodi orationem auctoritate principis apostolorum a pontifice, qui pro tempore fuerit, abbatis firmitatem hinc percipiat. Si vero presbyterum vel diaconum sibi desiderat eadem religiosa congregatio consecrari; eligentes quem ad hoc aptum de seipsis vel exteris invenerint, qui primi sunt ad reverendissimum episcopum, qui

vicinus est, unanimi voto perducant: ut & ille requisitus regularitatem, quæque ad disciplinam sacrorum canonum & ecclesiasticam traditionem in presbytero vel diacono faciendo respiciunt; si irreprehensibilem & aptum invenerit, hac auctoritate, invocato Dei nomine, sollemnem orationem faciens presbyterum consecret. Nullam tamen ex hoc in eo se ditionem habere cognoscat, neque licentiam habeat ad observationem publicæ ecclesiæ sive eum compellere, & de monasterio subtrahere. Idcirco vestra teligio hanc apostolici privilegii tuitionem indeptam, fructuosum atque laudabile concessum beneficium demonstret ante omnia in psalmis, & bymnis, & canticis spiritualibus diebus ac noctibos permanentes, juxta monachicam disciplinam & regulam a pattibus traditam conversantes, sincero proposito in professione vestra Domino servientes, & monasterii salutatem portum non relinquentes, caritatem invicem & unanimitatem servantes, nullus sibi propriom aliquod vindicet in honoribus, vel rebus, vel usibus; sed ut apostolorum Chtisti discipuli omoia habentes communia, non divisa, nihilque vobis proprium defendentes, juxta quod ab illis est traditum, & a successotibus observatum; obedientiam habentes religioso abbati atque præposito & priotibus viris, quod est sacrificium spirituale; humilitatem Christi demonstrantes in moribus vestris, benevolentiam quoque atque humanitatem & compassionem in eis qui aliquatenus ægrotaverint vel eguerint. Caritatem etiam & teligiosæ conversationis studium ut demonstretis in vobis, & floreat piæ professionis integtitas, familiares vos exhibens Deo religiosæ vitæ sedulitas & abstinentiæ atque orationis perseverantia fructuosa: ut quantum hæc ex puritatis devotione peragitis, tantum, Deo in vobis operante, ejus clementiæ propinquetis: orantes etiam pto nobis & pro stabilitate apostolicæ Dei ecclesiæ, proque pace atque securitate totius populi christiani, & pro sospitate gloriosi filii nostri, qui pto timote Dei & pro religiosæ conversationis augmento bujus apostolici privilegii, utpote ab eo inspiratus, tuitionem vobis visus est providere, ut & orationes vestras & æternam de vobis mercedem acquireret. Quod apostolicum privilegium qoicumque ille est qui in parte vel in toto contemnere, vel evacuare tentaverit, vel ad resistendum contrariam attulerit volnntatem; noverit se æternæ condemnationi submitti, Judæ fieri traditoris participem, perpetui anathematis vinculis & alienationis a Deo pro suis se illicitis præsumptionibus submisisse. Benedictionem autem & gratiam a Deo se percepturum noo dubitet, sed confidat qui fidelis observantiæ reverentia bæc quæ sub divino coospectu statuuntur custodit. Bene valete. Data pridie kal. Julii imperante domino nostro piissimo P. P. augusto Tyberio anno octavo, P. C. ejus anno sexto, sed & Theodosio atque Constantino.

LXXX.

Ludovici Pii diploma, quo abbatiam Dervensem ecclesiæ Remensi attribuit.

Ex chartario Dervensi. Ad lib. 18. n. 37.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Chtisti Ludovicus divina ordinaote providentia imperator augustus, omnibus sanctæ Dei ecclesiæ nostrisque fidelibus scilicet præsentibus atque futuris. Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam concesserimus beneficii, id nobis & ad mortalem vitam temporaliter transigendam, & ad æternam feliciter obtinendam prosuturum liquido credimus. Idcirco notum fieri volumus omnibus, quod sancta Remensis ecclesia, io qua prædecessores nostri, teges videlicet Francorom, fidem & sacri baptismatis gratiam perceperunt, in qua & nos per impositionem manus domni Stephani papæ imperialia suscepimus insignia, quamque ob honorem Dei, parentumque nostrorom memoriam, sive consecrationis nostræ dignitatem, a fundamentis restautare sollemniter decrevimus; ita ut dum esset ante in honore tantum Dei genitticis Mariæ antiquo religionis cultu, Nos propter novam exaltationis gratiam superaddentes sub invocatione sancti Salvatoris Dei & Domioi nostri Jesu-Christi renovando tebus competentibus ditavimus; insuper & devoto intentionis studio pro salute nostta, successorumque oostrorum excolentes, & ad statum dignitatis debitum confirmare volentes, addere procuravimus quamdam abbatiam sitam in comitatu Blesense * super fluvium, qui vocatur Vera *: ubi est monasterium in honore sancti Petri apostolorum principis dicatum in silva, quæ vocatur Dets: quam abbatiam cum foreste nostra iodominicata & omnium rerum summa integritate, videlicet cum villis, cum villulis, mancipiis utriusque sexus, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, farinariis, & cum omnibus legitimis exterminationibus, perpetualiter eidem Remensi ecclesiæ concedimus, & ad consummandam honorabiliter omnem ipsius ecclesiæ structuram, seu ubicumque in postmodum necesse fuerit restaurandam, in proprium tradimus, & de nostro jure in jus ac dominationem illius sollemni deliberatione transferimus. Præter hæc omnia concedimus supradictæ sanctæ Remensi ecclesiæ quemdam locum fisci nostri valde necessarium, & ad fodiendam minam plumbi congroum, in pago Laumense *, in ipsis quoque finibus vel adjacentiis Geminiacam nuncupantem villam, ut circumquaque tantum in omni parte ipsius fossæ ordine quadrato perticas xxx. quam perticam manualem ad mensuram xxx. pedum designavimus: ut ibi fiducialius necessitates ipsius jam dictæ sanctæ Dei ecclesiæ exercentes in ædificiis, vel universis abundantibus exterioribus adjacentiis, id est perviis, aquis, pascuis, sive silvis ibi nostris communibus absque ulla contradictione ultra ibi ex nostra largitate possideant. Et ut hæc nostræ confirmationis sctipta perpetuis temporibus ipso in sanctificationis loco nostra in eleemosyna proficiant, manu propria subter firmavimus, atque anuli nostri impressione perenniter toborare decrevimus. Datum Remis kalédis Novembris, &c.

* *de Blaise.*
* *la Voire.*
* *de Lomois*, prope Namurcum.

INDEX

INDEX GENERALIS
EORUM, QUÆ CONTINENTUR IN TOMO SECUNDO ANNALIUM BENEDICTINORUM.

Littera a *initium paginæ* , b *medium*, c *finem designat.*

A

Aldiardis

B

Bremenses

C

Chrodegandus

D

Dructesindus

F

Ferreolus

G

H

Humi

K

L

Romanæ

MMMmm

Monasteria

N

O

P

Petrus

Sigido

T

Turonensis

W

X

Y

Z



INDEX PECULIARIS
MONASTERIORUM ET ABBATUM.

A

C

S. Caprasii

TTTtt

apertam

VVVuu

N

O

P

Q

R

S

Z

INDEX SCRIPTORUM PRÆCIPUORUM.

Qui in hoc Tomo secundo laudantur.

A

B

C

D

E

Ermenricus

R

S

T

V

FINIS INDICIS.


Corrigenda in hoc Tomo secundo.

Pag. 5. *lin.* 5. *lege* in appendice hujus tomi.
Pag 40. *num.* 77. *ad marg.* ciiptor, *lege* scriptor.
Pag. 48. *num.* 16. *lin.* 16 Childerico, *lege* Chilperico.
Pag. 65. *n.* 50. *lin.* 18. martyris, *lege* confessoris.
Pag. 77. *lin* 13. Romani pontificis, *lege* Widegerni Argentoratensis episcopi.
Pag. 80. *n.* 80. *lin.* 24. *dele* Sturmius, *& linea praced.* Megingozus diaconus.
Ibid. lin. 26. superius, *lege* inferius.
Pag. 83. *lin* 26. coepiscoris, *lege* coëpiscopis.
Ibid lin. 29. psalmotum, *lege* psalmorum.
Pag. 93. *num.* 16. *lin.* 1. Rigomarum, *lege* Lendemasum.
Pag. 103. *n.* 36. *lign.* 19. Anso, *lege* Dodo.
Pag. 109. *lin* 19 ab Adalvvino, *lege* non ab Adalvvino, ut Hundio visum est, sed a Simperto.
Pag. 111. *n.* 56. *lin* 3. Eboracensis, *lege* Hagustaldensis.
Pag. 124. *lin.* 16. ubimus, *lege* ultimus. *ad marg. num.* 40, *lege* 41.
Pag. 129 *ad marg. litt.* d. *n* 19, *lege* 18.
Pag. 134. *lin.* 26. Hunc primum, *lege* Nunc inter primos, *& ad marginem pone* V. tom. 1 pag. 590.
Pag 135. *ad marg litt.* c. *n.* 62. *lege* 68.
Pag. 136. *ad marg. litt.* c. *n.* 26. *lege* n. 27.
Pag 138. *n.* 21. *lin.* 24. disthnguodum, *lege* distinguendum.
Pag. 146. *lin.* 21. titulo Salvatoris, *lege* S. Pauli, sed forte etiam S. Petri.
Pag 161 *n.* 69. *lin* 6 Soanechilde, *lege* Plectrude.
Pag. 165. *n.* 78. *lin* 10. sancti Emmerammi episcopi & martyris, *lege* sancti Corbiniani episcopi & confessoris.
Pag. 168. *ad marg* litt. b. num. 53 *lege* num. 52.
Pag. 170. *ad marg* litt. a. n. 77. *lege* n. 79.
Pag. 172. num. 11. *lin.* 19. Carolo, *lege* Pippino.
Pag. 178. *ad marg.* litt. c. n. 24. *lege* n. 14.
Pag. 180. *ad marg litt.* b. supra n. 14. *lege* 16.
Pag 189 *ad marg.* litt. d n 1. *lege* r. 2.
Pag. 192. *lin* 3 de sancti Othmari, *adde* vita.
Pag. 203. *lin.* 29. *ad marginem pone* legendum Canoneis.
Pag. 221. *ad marg. litt* a. n. 19. *lege* n 18
Pag. 227. n. 48. *lin* 12. novis regibus, *lege* Langobardis.
Pag. 235. *ad marg. litt.* a. n. 56. *lege* n. 57.
Pag. 236. *n.* 69. *lin.* 9 *sic lege*, emendandus ergo hic auctor, & cum Theodulfum.
Pag 264 n. 30. *lin* 12. Hic est Widolaicus, *lege* Hic non est Widolaicus.
Pag. 272. *n.* 50 *lin.* 2. Buturicas, *lege* Bituricas.
Pag. 280. *n.* 66. *lin.* 1. *& seqq.* Hildebrandus, *lege* Hildepertus.
Pag. 287. *n.* 76. *lin.* 4 Wido-laicus etiam, *lege* Wido-laicus alius.
Pag 298 *n.* 10. *lin.* 24. eleemonyna, *lege* eleemosyna.
Pag. 307. *lin. antepenult.* Gentianus, *lege* Gratianus.
Pag. 340 *lin* 16 tempre, *lege* tempore.
Pag. 342. *n.* 87. *lin.* 9. *post* Cæsarodunum *dele* punctum.
Pag. 358. *n.* 9. *lin* 6. Arno, *lege* Atto.
Pag. 405. *lin.* 2. Bodonensem, *lege* Bodanensem.

Pag. 418. *n.* 33. *lin.* 2. Sollemniacensis, *lege* Calmeliacensis.
Pag. 436. *n.* 64. *lin.* 15. tertio, *lege* secundo.
Pag. 438. *lin.* 46. decimo, *lege* nono.
Pag. 446. *lin.* 17. Arvenos, *lege* Arv[illegible].
Pag. 458 *n.* 3. *lin.* 4. Ansarius, clericus, *dele virgulam. Item ad marg n* 4. libros, *lege* librum.
Pag. 468. *n.* 20. *lin.* 22. sen, *lege* seu.
Pag. 469. *n* 22. *lin* 25. annalasta, *lege* annalista.
Pag. 483. *lin.* 11. dicto Wandelmaro, *lege* dictum Wandelmarum.
Pag. 493. *n* 69. *lin.* 6. *post* ejus urbis episcopi, *adde* Theodulfi successoris.
Pag. 494. *n.* 70. *lin. ante.* factam, *adde* cum Warino.
Pag. 496 *n* 74. *lin.* 23. fancti, *lege* sancti.
Pag. 502. *ad marg. litt. n. n.* 73. *lege n.* 75.
Pag. 516. *n.* 20. *lin.* 6 *post* vassosque, *dele virgulam.*
Pag. 553. *lin. ult.* æculo, *lege* sæculo.
Pag. 579. *lin.* 22. *dele* quæ anno seq respondet; *& lin. seq post* accessit *adde* Hæc prima indictio, si a kalendis Septembris repetatur, anno sequenti; si a Januario, anno DCCCXXXVIII. respondet: sicque differendus esset Aldrici obitus in annum præcedentem, scilicet DCCCXXXVII. Hæc de chronologia.
Ibid. lin. 22. *lege* quod antiquis Blismodus, vulgo *Bremur* vocatur; *& in marg. V.* sæc. 4. parte 2. p. 493. & seq.
Pag. 580 *n.* 48. *lin.* 9. Remigius S. Germani apud Autisiodorum monachus, *lege* Remigius alter a S. Germani apud Autisiodorum monacho.
Pag. 625. *lin.* 2. *post* Wastinensis, *adde* Giacum seu Guicum nomine.
Pag. 627. *n* 47. *lin.* 4. Heribaldo episc. Autisiodorensi, *lege* Hildeboldo, forsan episcopo Matisconensi aut Suessionensi.
Pag. 655. *lin.* 1. in quo, *lege* in qua.
Pag 713. *col.* 2. *ad marg.* lib. 21. *lege* lib. 25.
In indice generali pag 757. *ad verbum* Abbates, *lin.* 6. solis, *lege* solius. *Pag* 763. *col.* 1. *lin. ultima*, *dele* sive. *Pag.* 769. *col.* 1 *ad verbum* Burburgi, *lege* Wintanus seu Witta. 770. *col.* 2. *ad verbum* Carolus M. 2. *lin.* 6. *dele* Theodulfum Aurelian. *Pag.* 771. *ad verbum* Carolus Martellus, *lin* 9. abjicit, *lege* objicit. *Pag* 781. *ad verbum* Fidwetenus, restituit, *lege* instituit. *Pag* 793. *ad verbum* Lumberia, *dele* ibi habita synodus.

Corrigenda in Tomo primo.

IN *Præfat num* 19. *lin.* 11 Leo Allatius, *lege* Lucas Holstenius.
Pag 150. *n.* 16. *lin.* 2. Primos, *lege* Primi.
Pag. 80 *lin* 13. *dele* præter caput . . . . . . asservatur.
Pag. 175. *n* 78. *lin.* 25. *&* 16. *lege* obtinuisse, quod ut verum sit, falsum est quod subditur, hoc privilegium concessum fuisse a summis pontificibus & martyribus Stephano & Fabiano, qui longe ante Albaudum, immo ante S. Aprum decessere
Pag 188. *lin. antepen.* exterior, *lege* interior.
Pag. 189. *n.* 30 *lin.* 33. *post* antistes. *lege* alius a Chrodoberto, cui, *& pone ad marg* V. lib. 17. n 55.
Pag 258 *n* 37. *lin.* 2. Venetensi, *lege* Pictavensi.
Pag. 267. *lin.* 13. *&* 14. cum porro ex hoc morbo, *lege* alius est Venantius patricius Panormitanus, quem ex morbo, ... abbatis Et id quidem suadet.
Pag. 371. *lin* 19. *lege* qui ut ab Arcadio . . . , evertendi obtineret, Eudociam augustam . . . . sibi propitiam reddidit: hæc vero in quamdam . . . . , jussit, libellum &c.
Pag. 389 *n.* 28. *lin.* 16 ejusdem sedis, *lege* Redonensis.
Pag 421. *n.* 4 *lin.* 13 Girmacum seu Grimacum, *lege* Girmiacum seu Grimiacum, vulgo *Gerigny*
In indice universali pag. 725. *col.* 1 *lin.* 10 *lege* Dagobertus II Sigiberti II. filius. *Ibid. pag* 755. *dele* Sulpicius Carthaginem misit.



APPROBATIO.

ILlustrissimi Galliarum Cancellarii jussu legi librum cui titulus est: *Annales Ordinis sancti Benedicti occidentalium Monachorum patriarchæ, &c. Authore Domno* JOHANNE MABILLON, *Presbytero & Monacho ejusdem Ordinis e Congregatione sancti Mauri, &c.* quem singulari diligentia & fide scriptum, nec absimilem iis operibus quæ ab eodem Authore edita sunt, inveni. Lutetiæ Parisiorum pridie nonas Februarii M. DCCII.

LAMARQUE TILLADET.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE: A nos amez & feaux Conseillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Grand Conseil, Prevost de Paris, Baillifs, Seneschaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Justiciers qu'il appartiendra, SALUT. Le Pere Dom JEAN MABILLON, Religieux Benedictin de la Congregation de saint Maur, nous ayant fait supplier de

lui accorder nos Lettres de Privilege pour l'impression d'une Histoire de son Ordre qu'il a composée, & qu'il desireroit donner au public sous ce titre : *Annales Ordinis sancti Benedicti occidentalium Monachorum Patriarchæ : in quibus non modo res Monastica, sed etiam Ecclesiastica historia non minima pars continetur.* Nous lui avons permis & accordé, permettons & accordons par ces presentes, de faire imprimer par tel Imprimeur qu'il voudra choisir, ledit livre, en telle forme, marge, caractere, & autant de fois que bon lui semblera, pendant le temps de vingt années consecutives, à compter du jour de la datte des presentes ; de le faire vendre & distribuer par tout nostre Royaume. Faisons défenses à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre & distribuer ledit livre sous quelque pretexte que ce soit, même d'impression étrangere & autrement, sans le consentement de l'exposant ou de ses ayans cause ; sur peine de confiscation des exemplaires contrefaits, de quinze cens livres d'amende contre chacun des contrevenans, applicable un tiers à nous, un tiers à l'Hostel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit exposant, & de tous dépens, dommages & interests : à la charge d'en mettre avant de l'exposer en vente, deux exemplaires en nostre Bibliotheque publique, un autre dans le cabinet des livres de nostre Château du Louvre, & un en celle de nostre tres-cher & feal Chevalier Chancelier de France, le Sieur Phelypeaux, Comte de Pontchartrain, Commandeur de nos Ordres ; de faire imprimer ledit livre dans nostre Royaume & non ailleurs, en beau caractere & papier, suivant ce qui est porté par les Reglemens des années 1618. & 1686. & de faire enregistrer les presentes és Registres de la Communauté des Libraires de nostre bonne Ville de Paris, le tout à peine de nullité d'icelles : du contenu desquelles nous vous mandons & enjoignons de faire joüir l'exposant ou ses ayans cause pleinement & paisiblement, cessant & faisant cesser tous troubles & empeschemens contraires. VOULONS que la copie desdites presentes, qui sera imprimée au commencement ou à la fin dudit livre, soit tenuë pour duëment signifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires foy soit ajoûtée comme à l'original. Commandons au premier nostre Huissier ou Sergent de faire pour l'execution des presentes toutes significations, défenses, saisies, & autres actes requis & necessaires sans demander autre permission, & nonobstant Clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraires : CAR tel est nostre plaisir. DONNE' à Versailles le septiéme jour de May, l'an de grace mil sept cens deux : Et de nôtre Regne le cinquante-neuviéme. Par le Roy en son Conseil, LECOMTE.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs, conformément aux Reglemens. A Paris ce 11. jour de May 1702. P. TRABOÜILLET Syndic.

Ledit R. P. Dom Jean Mabillon a cedé & transporté le present Privilege à Charles Robustel Libraire à Paris, pour en joüir suivant les conventions faites entre-eux.

Permissio R. P. Superioris Generalis Congregationis S. Mauri.

NOs frater CLAUDIUS BOISTARD, humilis Superior Generalis Congregationis sancti Mauri, Ordinis sancti Benedicti, facultatem impertimur Domno JOHANNI MABILLON presbytero & monacho ejusdem Congregationis, typis mandandi ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI ab ipso compositos. In cujus rei fidem has litteras manu nostra subscriptas concessimus. Datum Parisiis in Monasterio S. Germani a Pratis, die 11. Julii anni 1702.

F. CLAUDIUS BOISTARD Generalis.

---

e Typographia DIONYSII THIERRY.

d.p.Restauro s.n.c.

Intervento di restauro, segnatura 2-77 Vol. II

- collazione
- pulizia a secco
- rammendo alla piega e imbrachettatura (velina giapponese Vang 25502 e 25508)
- integrazione lacune, strappi e brachette di prolung. (carta giapponese Vang 25502 e Japico 632660)
- spianamento a umido
- cucitura su 6 nervi (filo in cotone, corda di canapa)
- fogli di guardia struttura F (carta Vang 20231)
- prima indorsatura (carta Vang 25517)
- capitelli (lino naturale, cotone colorato)
- seconda indorsatura lino e cuoio sfiorato
- piatti (cartone fibrato tipo Avana)
- compensazioni in cartoncino durevole per la Conservazione Fabriano
- coperta in tutta pelle (capra a concia vegetale)
- doratura diretta
- collanti per operazioni di rattoppo, imbrachettatura e indorsatura Tylose MH300P al 4% e 6%
- collanti per la legatura Tylose MH300P al 6% (80%) e Plextol B500 (20%)

